BIBL. NAZ
Vitt. Emanuele III
4
F
22

L. 34. 7.

Digitized by Google

4 7 22

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLI GUYETI
HEORTOLOGIA,
SIVE
DE FESTIS PROPRIIS
LOCORUM & ECCLESIARUM.

Digitized by Google

HEORTOLOGIA,

SIVE

DE FESTIS PROPRIIS
LOCORUM & ECCLESIARUM,

OPUS NOVUM ET INTENTATUM HACTENUS:
In quo propoſitis variis Quæſtionibus inveſtigatur accuratè, Origo, Ritus, Ratioque omnis celebrandi quæcumque Feſta Propria, adductis paſſim exemplis præcipuarum Eccleſiarum; quarum item jura, privilegia, conſuetudines, variique uſus, quoad Officia Divina attinet, diſcutiuntur, laudantur, illuſtrantur.

AUTHORE

CAROLO GUYETO

Turonenſi, Societatis JESU Presbytero.

ACCEDIT COMMENTARIUS HISTORICUS
Et Dogmaticus de Dierum Feſtorum Celebratione, à LUDOVICO THOMASSINO *Congregationis Oratorii Presbytero, conſcriptus.*

VENETIIS, MDCCXXIX.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

OPERIS IDEA
ac Scopus.

Ratio ſuſcepti operis.

CUm multa plerumque occurrant in divini Officii ordinatione perplexa ſatis & ambigua; nihil tamen eſt, quod dubios frequentiùs ancipiteſque teneat, quàm varia ac multiplex Feſtorum loci cujuſlibet, ſeu Eccleſiæ propriorum celebrandi ratio. Cætera namque omnia, vel ipſa per ſe Officiorum, ſeu de Tempore, ſeu de Sanctis continua ſerie, prout in Breviario Romano texitur, vel certè præſcripta à Rubricis generalibus pro variis occurrentiis ratione, utcumque pervia ſunt, nec ſemper ſolutu adeò difficilia. Feſta verò propria, cùm nec eoſdem ritus ubique ſemper obtineant, nec ſit opportuna interdum commodaque ipſorum in Calendario collocatio; mirum non eſt, ſi ex mutua eorumdem cum aliis Officiis, occurrentia, concurrentia, varioque veluti conflictu, in eas ſæpè anguſtias deveniatur, à quibus ſe eximere, vel Rubricis ipſis hærentibus, labor eſt operaque intricatior. Quam ut ſolverem, dubia de hac re omnia, ſive quæ mihi ab aliis paſſim quadraginta ferè abhinc annis propoſita fuere, ſive quæ ego ipſe uſibus Eccleſiaſticis evolvendis perſcrutandiſque longo ſtudio aſſuetus excogitare potui, ſtatui in certum ordinem redigere, ſubjecta cuique brevi juxta ac facili reſponſione.

Moles excuſatur.

Nec verò videbatur prima fronte futurum opus, niſi tenue illud ac perexiguum. Verùm mihi perinde atque ædificanti accidit, qui cùm initio nonniſi vulgarem in animo habeat, parcioriſque ſumptus domum extruere, neſcio quî fit, ut ipſo deinceps operis progreſſu ampliorem ſenſim, majoriſque quàm ſtatuerat apparatus, molem ultrò ſuſcipiat. Sic meum planè ſub ipſis manibus ſcribendo ita ſeſe porrexit opus, ut hinc Quæſtionum multitudine, inde varia ac multiplici rerum intercurrentium tractatione in grandioris formæ volumen præter mentem evaſerit.

Omnia dubia Breviarii ac Miſſalis explicata.

Nam inprimis non ſola Feſtorum propriorum dubia, propoſitis ex inſtituto quæſtionibus, ſed ex innata quoque occaſione cætera paſſim ad cujuſcumque Officii ordinationem pertinentia dirimuntur; adeò ut vix ulla poſſit occurrere, imò nec adinveniri difficultas circa Rubricas tum Breviarii tum Miſſalis, cujus enodatio non hîc inſerta habeatur. Ac licèt Breviarii Romani, utpote univerſaliſſimi,

ſimi, omniumque ubique receptiſſimi uſus unus præcipuè attendatur; haud tamen deſunt argumenta, rationeſve, quibus alia quoque variarum Diœceſum propria in ſuis ſe uſibus regant atque componant, maximè quæ Romano propiùs accedere contendunt.

Reſolutiones multiplici eruditione refertæ.

Reſolutiones verò ipſæ ſic ad praxim ſingulæ ac ferè omnes, quod primò intenditur, attinent, ut Theoriam pleræque non minùs exhibeant; inveſtigata identidem cujuslibet ritus ſeu inſtituti indole atque origine, ſuppeditatis item cauſis ac rationibus, nec iis exanguibus ac jejunis, ſed copioſo paſſim atque uberi ſacræ eruditionis ſucco refertis; adductis inſuper frequentibus Summorum Pontificum ac Conciliorum Decretis, luculentiſque Sanctorum Patrum teſtimoniis. Haud ſpreta etiam Scriptorum de Ritibus Eccleſiæ ſeu Veterum, ſeu Recentiorum, quotquot in manus venerunt, Gavantique inprimis ut poſtremi ita & abſolutiſſimi diſciplinæ hujus indagatoris ſenſa, quæ ſi quandoque minùs placeant, uſitato quidem in Philoſophicis diſputandi more, ſed leniore illo atque honeſto refutantur. Quod denique in hoc genere præcipuum eſt, prolati ad ſingula propè argumenta plurimarum Galliæ noſtræ Cathedralium aliarumque inſigniorum Eccleſiarum, nec non Regularium quoque Ordinum varii uſus, collatique invicem; pauci non probati, laudati plurimi; à Romano alieni, vel conciliati, vel ſua ipſorum antiquitate præſcriptaque pridem obſervatione vindicati.

Titulus libri, Heortologia.

Hæc porrò omnis doctrinæ ſumma, cùm ad rationem Feſtorum propriorum ſponte ſua, noſtroque item inſtituto maximè referatur, nemini non probabitur impoſitus toti Operi HEORTOLOGIÆ Titulus, non ad fucum & oſtentationem, ſed commoda vocabuli unius comprehenſione præſtabilis.

Qua ratione novum & intentatum opus dicatur.

Non eſt item quòd quis jactabunda illa *Novi & intentati operis* inſcriptione ſtomachetur, modò ea vera ſit. Nam ſcripſere quidem do Eccleſiaſticis Ritibus Alcuinus, Amalarius, Valfridus Strabo, Rabanus Maurus, Micrologus, Rupertus, Guillelmus Durandus, Radulphus Tungrenſis, aliique antiquiores; Recentiores quoque non pauci, Stephanus Durantus, Jacobus Pamelius, Cornelius Schultingius, Joannes Alcocer, Andreas Caſtaldus, accuratiſſimè verò omnium, quem proximè laudavimus, Bartholomæus Gavantus, Sacræ ipſe Rituum Congregationis pluſquam per 40. annos Conſultor, cujus Theſauris ſeu Commentarii in Rubricas tum Miſſalis tum Breviarii ab ipſo Summo Pont. Urbano VIII. laudati, & à Congregatione magnificè approbati fuere. Scripſere, inquam, de ſacris Ritibus ii omnes, aliique plurimi; nemo tamen, quem ſciam, via ac ratione, qualis in tradendis cæteris diſciplinis communiter adhibetur. Vix item ullus eſt, ne ipſe Gavantus quidem, qui allatas rationes pleniùs diſcutiat, ſed in his ſola ferè pro argumentatione eſt authoritas, qua nos quoque, itidem nitimur, ſed addita ferè ſemper ratiocinandi arte, quantum patitur quæſtionum ejuſmodi tractatio.

Ordo Librorum.

Inanis verò cùm ſit operis cujuſcunque Titulus quantumvis ſpecioſus, niſi ipſum Ordo dilucidus & æquabiliter partitus excipiat, opus nos hocce totum in quatuor Libros dividimus, quorum primus eſt de ipſorum Feſtorum propriorum indole ac multiplici genere. Secundus, de Ritu vario, quo ſingula eorum celebranda ſunt. Tertius, de Officio in ipſis cantando ſeu recitando. Quartus

denique

denique, de mutua ipſorum cum aliis Officiis ſive de Tempore ſive de Sanctis coincidentia, ſeu complicatione.

Ordo Capitum & Quæſtionum.

Per ſua deinceps Capita quilibet diviſus Liber excurrit: Capita verò ſingula ſuis conſtant Quæſtionibus, alia pluribus, alia paucioribus, nullis autem niſi unius argumenti, quò clariùs ac celeriùs traditæ propoſitorum dubiorum reſolutiones ab ſciſcitantibus inveniantur.

Cur interjectæ Sectiones.

Eſt præterea ſingulis Libris interjecta per Sectiones alia partitio, ſed quæ Capitum ſeriem minimè interpellat, tantùmque prodeſt ad diverſam utcumque materiarum, quæ aliis & aliis Capitibus diſcernuntur, rationem arctiùs diſcernendam.

Promittitur Tomus alter.

Et is quidem Ordo eſt Tomi hujus prioris, quo generatim propoſita omnia diſcutiuntur. Nam alterius, ſi is fortè unquam Deo favente in lucem proditurus eſt, cùm nonniſi circa ſingularia ille verſabitur, Ordo non erit alius, quàm ut ipſum anni ordinem ſecundùm menſes dieſque ſingulos perpetua ſerie revolvendo ſervemus.

Stylus qualis.

Ad extremum de ſtylo monemus, quòd liber ſit equidem à carie illa, inveterataque rubigine, qua pleraque laborant Authorum, qui hiſce de rebus ſcripſere, monimenta; haud tamen turgidus, nec ambitioſo verborum exquiſitiorum cultu implicatus; ſed planus, facilis ac perſpicuus, qualem ipſa rerum tractandarum indoles, non minùs quàm quorumlibet legentium captus exigit.

INDEX CAPITUM ET QUÆSTIONUM.

LIBER PRIMUS.

De natura ac multiplici Feſtorum Propriorum genere.

CAPUT PRIMUM.

De natura Feſtorum Propriorum generatim.

Quæſtio 1. QUid Feſti nomine intelligatur? 2
Quæſt. 2. An feriatio publica ſpectet ad rationem Feſti proprii? 2
Quæſt. 3. Quid Proprii nomine intelligatur? 2
Quæſt. 4. Quot & quibus titulis feſtum aliquod cenſeatur proprium? 3
Quæſt. 5. Quid loci & Eccleſiæ nomine intelligatur? 3
Quæſt. 6. Quotuplex ſit Eccleſiarum differentia? 3
Quæſt. 7. Quotuplex ſit loci differentia, quantum ad Feſta propria attinet? 4
Quæſt. 8. Quarumnam Eccleſiarum reſpectu Feſta dicantur loci propria? 4
Quæſt. 9. An Feſta omnia propria Eccleſiæ Cathedralis, & aliarum quæ juriſdictionem habent, ad Eccleſias ſubditas æquè pertineant? 5
Quæſt. 10. An Eccleſiæ exemptæ teneantur nihilominus ad Feſta locorum propria? 5
Quæſt. 11. Undenam Feſtorum ubique communium ſeries colligi poſſit? 6
Quæſt. 12. Quæ ſint Feſta omnibus locis & Eccleſiis communia? 6
Quæſt. 13. Quid cauſæ ſit, cur prædicta Feſta præ aliis in Calendarium illata ſint? 8
Quæſt. 14. An ſint aliqua Feſta in Calendario Romano deſcripta, quæ in aliis locorum Propriis communiter deſiderentur? 9
Quæſt. 15. Quid cauſæ ſit, cur Feſta hæc poſteriùs enumerata, locum perinde ac ſuperiora in pleriſque Calendariis non obtineant? 9
Quæſt. 16. Quæ ſint Feſta communiter in pleriſque Galliæ Eccleſiis uſitata? 10
Quæſt. 17. Qui factum ut Calendariis hi Sancti præ aliis inferrentur? 11
Quæſt. 18. Quid tandem ex præmiſſis indicibus ad rationem Feſtorum propriorum inferendum? 11
Quæſt. 19. An ſit è re vel dignitate alicujus Eccleſiæ, ut plurimis abundet Feſtis propriis? 12
Quæſt. 20. Poteſtne contra prædicta argumenta quidpiam objici? 15

CAPUT II.

De novo Sacræ Rituum Congregationis decreto super Feſta propria.

Quæſt. 1. QUæ cauſa fuerit condendi illius decreti? 15
Quæſt. 2. Quam vim decretum iſtud habeat? 16
Quæſt. 3. Quinam hujuſce decreti obligatione teneantur? 16
Quæſt. 4. Quaſnam obligationes importet præfatum decretum? 16
Quæſt. 5. Quis ſenſus illius prohibitionis, Ne Feſtum ex una Eccleſia ad totam Civitatem vel Diœceſim extendatur? 16
Quæſt. 6. Quomodo intelligendum illud quod ſubdit decretum, De Sanctis Epiſcopis locorum, Martyribus &c. nihil propria authoritate ſtatuendum? 17
Quæſt. 7. Quis ſenſus verborum illorum, Non potuiſſe, nec poſſe poſt Bullam Pii V. &c. 18

CAPUT III.

De Dedicatione Eccleſiæ.

Quæſt. 1. QUid & quotuplex ſit Feſtum Dedicationis Eccleſiæ? 17
Quæſt. 2. Quarumnam Eccleſiarum fieri debeat Proprium Feſtum Dedicationis? 17
Quæſt. 3. An neceſſe ſit Eccleſias dedicari ſeu conſecrari? 17
Quæſt. 4. An fieri debeat vel poſſit Feſtum Dedicationis Eccleſiæ benedictæ quidem, ſed non conſecratæ? 18
Quæſt. 5. An Eccleſiarum divino opere conſecratarum fieri debeat Feſtum Dedicationis? 18
Quæſt. 6. An Eccleſiæ, de qua dubitatur fuerit dedicata necne, fieri nihilominus poſſit aut debeat Feſtum Dedicationis? 18
Quæſt. 7. De Eccleſia conſecrata quidem aliàs, ſed cujus periit conſecratio, an fieri debeat Feſtum Dedicationis? 18
Quæſt. 8. An intermiſſum pridem aut omiſſum penitus Feſtum Dedicationis Eccleſiæ alicujus, quam certò conſtat fuiſſe olim conſecratam, poſtliminio inſtaurari debeat? 19
Quæſt. 9. Si aliqua Eccleſia bis fuerit dedicata, utriuſnam Dedicationis Feſtum fieri debeat? 19
Quæſt. 10. An tranſlato Clero alicujus Eccleſiæ in alium locum, retineri nihilominus debeat Feſtum Dedicationis illius Eccleſiæ derelictæ? 19
Quæſt. 11. An de alterius quàm propriæ Eccleſiæ Dedicatione Feſtum fieri conveniat? 19
Quæſt. 12. An fieri debeat vel poſſit Feſtum Dedicationis Altaris ſeu Cappellæ? 20

CAPUT IV.

De Patrono ſeu Titulo Eccleſiæ.

Quæſt. 1. QUis ſit communiter loquendo Patronus ſeu Titulus Eccleſiæ? 20
Quæſt. 2. Sitne diſcrimen aliquod inter Patronum ac Titulum? 20
Quæſt. 3. An plures dentur Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ? 21
Quæſt. 4. An poſſit mutari Patronus ſeu Titulus Eccleſiæ? 22
Quæſt. 5. An Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ Feſtum fieri poſſit aut debeat, Eccleſia ipſa benedicta quidem, ſed nondum conſecrata? 23
Quæſt. 6. An deleta ac deſtructa Eccleſia, Tituli ſeu Patroni ipſius Feſtum nihilominus celebrari debeat? 23
Quæſt. 7. Utrum ſi non deleta quidem aut abrogata eſt Eccleſia, ſed aliò tranſlata, ſeu Eccleſiæ alteri

unita

unita ac conjuncta, Titulus ipſe adhuc perſeveret? 23

CAPUT V.

De Patrono ſeorſim à Titulo.

Quæſt. 1. QUis ſit & dicatur propriè Patronus? 23
Quæſt. 2. An Patroni nomen convenire poſſit Deo abſolutè, aut SS. Trinitati, reſpectu Eccleſiarum, quæ ſub ejus Titulo dedicatæ reperiuntur? 24
Quæſt. 3. An Chriſtus Dominus dici poſſit Patronus proprius earum Eccleſiarum, quæ vel ipſimet ut Salvatori nominatim, vel ſub Titulo Sanctæ Crucis, aliove ad ipſum pertinente dedicantur? 24
Quæſt. 4. Utrum ſuarum Eccleſiarum Patrona dicenda ſit Beatiſſima Virgo Maria? 25
Quæſt. 5. An Beatis Angelis conveniat Eccleſiarum eſſe Patronis? 25
Quæſt. 6. An Sanctis omnibus cujuſcumque ſint ordinis conveniat, ut poſſint eſſe Patroni Eccleſiarum? 26
Quæſt. 7. Quæ ſit legitima Sanctorum Canonizatio, & quomodo de ea certò conſtare poſſit? 27
Quæſt. 8. An Sanctis veteris Teſtamenti Patriarchis & Prophetis conveniens ſit dicari Eccleſias, quarum ſint ipſi Patroni? 28
Quæſt. 9. An convenienter Sancti, de quibus dubitatur, aſſumi poſſint in Patronos Eccleſiarum? 28
Quæſt. 10. Quid de Beatificatis, nondum quidem à Pontifice Canonizatis, ſeu Sanctorum albo conſcriptis, ſed quibus interim dum id fiat, permiſſum eſt cultum aliquem impendere, an ii poſſint in Patronos Eccleſiarum aſſumi? 29
Quæſt. 11. De Eccleſiis pluribus Sanctis collectivè dicatis, putà ſub Titulo omnium Apoſtolorum, vel omnium Martyrum, vel etiam Sanctorum omnium, an Sancti illi ſic collecti dictarum Eccleſiarum dici debeant Patroni? 29
Quæſt. 12. An Sancti innominati convenienter in Patronos Eccleſiarum aſſumantur? 30
Quæſt. 13. De Sanctis cognominibus, quando dubium eſt utri illorum dicata ſit Eccleſia, quid facto opus? 30
Quæſt. 14. An uſu receptum ſit, è Sanctis in Calendario vel Martyrologio ſimul deſcriptis unum aliquem disjunctum in Patronum aſſumere? 30
Quæſt. 15. Quæ ratio ſit eligendi è Sanctis unum in Patronum ſeu Titularem alicujus Eccleſiæ? 30

CAPUT VI.

De Titulo ſeorſim à Patrono.

Quæſt. 1. QUid ſit Titulus propriè ac ſtrictè ſumptus? 31
Quæſt. 2. Quibus ex capitibus petatur varia ac multiplex Titulorum ratio? 34
Quæſt. 3. Utrum Deus ut in ſe eſt abſolutè ſumptus, convenienter aſſumi poſſit in Titulum Eccleſiæ? 34
Quæſt. 4. An legitimus ſit Sanctiſſimæ Trinitatis Titulus? 34
Quæſt. 5. An Perſonæ Divinæ aliæ ſeorſim ab aliis convenienter Eccleſiæ Titulo eſſe poſſint? 34
Quæſt. 6. An attributa ſeu perfectiones Divinæ, idoneæ ſint ad conſtituendum Eccleſiæ Titulum? 35
Quæſt. 7. An Chriſti Domini Titulo convenienter Eccleſiæ dedicentur? 35
Quæſt. 8. An Humanitas ſeorſim à Divinitate, unio ipſa hypoſtatica, ratio ſubſiſtendi, communicatio idiomatum, ſcientia, gratia, aliæque hujus generis perfectiones, unionem ipſam comitantes, aut conſequentes, ſive una, ſive plures, aut etiam omnes collectivè, in Titulum Eccleſiæ convenienter aſſumi queant? 35
Quæſt. 9. An Titulo Myſteriorum Chriſti Domini Eccleſiæ opportunè dedicentur? 36

Quæſt. 10. An miracula, cæteræque Chriſti Domini actiones particulares, aut varii ipſius vitæ ſtatus, putà infantiæ, converſationis &c. convenienter poſſint Eccleſiæ Titulum conſtituere? 37
Quæſt. 11. An ſub nomine JESU, aut Titulis Salvatoris, Paſtoris, Sacerdotis, Judicis, aliiſque ad Chriſtum Dominum ſpectantibus, convenienter dedicentur Baſilicæ? 37
Quæſt. 12. An Crucis Titulo ritè fundentur Eccleſiæ, an præſepis itidem, faſciarum, coronæ ſpineæ, columnæ, lanceæ, clavorum, ſepulchri, ſudarii, & aliarum Chriſti Domini Reliquiarum? an denique ſacratiſſimi ejuſdem præputii, ſanguiniſve in terris relicti, aut ex imagine aliqua ſacrave hoſtia miraculosè effuſi? 37
Quæſt. 13. Quibus Titulis Eccleſias ſub patrocinio B. Virginis dedicari contingat? 39
Quæſt. 14. An quandoque contingat ut Eccleſiis etiam Titulus è Sanctis petitus imponatur? 40
Quæſt. 15. An ſub fidelium defunctorum Titulo fundari poſſint Eccleſiæ? 40
Quæſt. 16. Quæ ratio ſit Titulum (prout hactenùs deſcripſimus) eligendi? 40

CAPUT VII.

De Patrono ſeu Titulo loci.

Quæſt. 1. QUis ſit Patronus loci propriè dictus? 41
Quæſt. 2. Quid differant Patronus loci & Eccleſiæ? 41
Quæſt. 3. An detur ſemper Patronus Regni ſeu Provinciæ? 41
Quæſt. 4. An cujuslibet Diœceſis detur ſemper Patronus proprius? 42
Quæſt. 5. An plures dari contingat unius Diœceſis Patronos, & quo ordine ii ſe habeant? 42
Quæſt. 6. Unde dignoſci queat, quinam ſint Diœceſum Patroni, & quæ illorum inter ſe comparatio? 43
Quæſt. 7. Qui Patroni cenſendi in erectione novæ Diœceſis? qui item in unione duarum? qui demum in Tranſlatione Sedis Epiſcopalis ex una civitate in aliam? 43
Quæſt. 8. An præter Diœceſanum detur cujuſque civitatis, oppidi, burgi, ſeu pagi proprius ac ſingularis Patronus? 40
Quæſt. 9. Quis modus fuit decernendi olim locorum Patronos? 44
Quæſt. 10. Quæ ſit forma eligendi Sanctos in Patronos? 45
Quæſt. 11. An & quomodo mutari poſſint locorum Patroni? an priſtinis novi adjici? an obliterati denuò inſtaurari? 45
Quæſt. 12. An detur aliquando loci Titulus propriè dictus? 45

CAPUT VIII.

De Feſtis ſecundariis, ſeu minùs principalibus Patronorum.

Quæſt. 1. QUænam univerſim recenſeantur Feſta ſecundaria Patronorum? 46
Quæſt. 2. Quid ſit inventio Sanctorum, quid elevatio, relevatio &c. 46
Quæſt. 3. Quid ſit translatio? quid receptio, exceptio, ſuſceptio, relatio, reverſio &c. 46
Quæſt. 4. De aliis item Feſtis ſecundariis Patronorum? 47
Quæſt. 5. An legitima ſit Feſtorum ejuſmodi celebratio? 48
Quæſt. 6. Quid ſi dubia ſit translatio, aliave talis ſolemnitatis inſtituendæ cauſa? 48
Quæſt. 7. An cujuslibet Sancti Feſta omnia ſecundaria celebrari debeant in ſingulis Eccleſiis, quarum Patronus eſt? 48
Quæſt. 8. An & qua authoritate induci de novo queant ejuſmodi feſta? 48

Index Capitum, & Quæſtionum.

Quæſt. 9. An ſub aliis prætereà titulis inſtitui queant feſta ſecundaria? 50

Quæſt. 10. An contingat aliquando feſtum ſub prædictis titulis inſtitutum, eſſe primarium ſeu principale? 50

Quæſt. 11. An aliorum quàm Patronorum dentur Feſta ſecundaria? 50

CAPUT IX.

De Feſtis Sanctorum, quorum in ſingulis Eccleſiis habentur Reliquiæ.

Quæſt. 1. AN in qualibet Eccleſia faciendum ſit Feſtum ſeu Officium de Sanctis, quorum habentur Reliquiæ? 51

Quæſt. 2. Quales debent eſſe Reliquiæ ad hoc ut de Sanctis quorum ſunt fiat Officium? 51

Quæſt. 3. Quid ſi dubiæ ſint & incertæ Reliquiæ? 51

Quæſt. 4. Quid ſi fuerint exiguæ? 52

Quæſt. 5. Quid ſi confuſæ ac permixtæ fuerint? 52

Quæſt. 6. An & qualiter faciendum ſit de Sancto, cujus habentur Reliquiæ ſeorſim ab illis Sanctis quibuſcum in Calendario vel Martyrologio conjunctus eſt? 52

Quæſt. 7. Quid ſi incendio abſumptæ, aut furto, caſuve alio deperditæ fuerint Reliquiæ, an idcircò minùs de iis fieri debet? 53

Quæſt. 8. An præter quodlibet ſingulare Feſtum Sanctorum, quorum habentur Reliquiæ, legitima ſit inſtitutio Feſti ſub generali nomine Reliquiarum? 53

Quæſt. 9. An præter Natale, ſeu Feſtum præcipuum Sancti, cujus habentur Reliquiæ, fieri quoque conveniens ſit anniverſarium Feſtum ipſarum Reliquiarum? 53

Quæſt. 10. An privato cuilibet liberum ſit de Sanctis, quorum Reliquias apud ſe habet, recitare Officium? 54

Quæſt. 11. An Reliquiarum loco haberi debeant effectus quidam miraculoſi? 54

CAPUT X.

De Sanctis locorum naturalibus.

Quæſt. 1. QUinam dicantur Sancti locorum naturales? 54

Quæſt. 2. Quis locus accipiendus cùm Sancti loci alicujus naturales dicuntur? 54

Quæſt. 3. An legitimum ſit quorumlibet Sanctorum loci naturalium Feſta celebrare? 55

Quæſt. 4. De quibuſnam Sanctis locorum naturalibus conveniens ſit fieri Feſtum ſeu Officium? 55

Quæſt. 5. An ejuſmodi Feſta Sanctorum naturalium ab antiquo fieri ſolita, retineri? an ſupprimi? an quæ exciderant inſtaurari? an deniquede novo aliqua inſtitui queant? 56

Quæſt. 6. An de Sanctis omnibus loci alicujus naturalibus ſimul collectis Feſtum inſtitui queat? 57

CAPUT XI.

De Feſtis propriis ex vicinitate locorum, affinitate, ſeu confraternitate, aut cognatione Eccleſiarum, communicatione Rituum, ſeu Privilegiorum, denique ex conſanguinitate, aut affinitate ipſorummet Sanctorum inter ſe.

Quæſt. 1. QUomodo attendatur ejuſmodi locorum ſeu Eccleſiarum vicinitas? 57

Quæſt. 2. Quæ ſit Eccleſiarum inter ſe affinitas, ſeu confraternitas? quæ item cognatio, ſeu conſanguinitas? quæ Rituum communicatio? 57

Quæſt. 3. Qualis ſit ipſorummet Sanctorum inter ſe conſanguinitas, aut affinitas? 58

Quæſt. 4. An legitima ſint Feſta ſub prædictis præciſè titulis inſtituta? 59

CAPUT XII.

De Feſtis propriis ex voto ſeu devotione generali Civitatis vel Eccleſiæ alicujus; itidem ex devotione ſeu fundatione particularium.

Quæſt. 1. QUæ & qualia ſint Feſta ex voto ſeu devotione generali Civitatis, aut Cleri populive Eccleſiæ alicujus? 59

Quæſt. 2. Quæ & qualia ſint Feſta ex devotione, ſeu ut vocant fundatione particularium aliquorum in uſum frequenter inducta? 60

Quæſt. 3. An potuerint legitimè ejuſmodi Feſta olim inſtitui ſeu admitti? 60

Quæſt. 4. An debeant aut poſſint prædicta Feſta retineri deinceps? 60

Quæſt. 5. Qua ratione poſſint prædicta Feſta in aliud commutari? 62

Quæſt. 6. An poſſint Feſta ejuſmodi abrogata reſtitui, vel de novo aliqua induci? 62

Quæſt. 7. An cuilibet privatim recitanti liberum ſit ex devotione propria Officium de Sancto, aut myſterio cui peculiariter afficitur, loco ferialis Officii ſeu alterius minimè impedientis ſubrogare? 62

Quæſt. 8. An ex devotione publica poſſit Officium aliquod præter ordinem diei celebrari, putà de SS. Sacramento quando ipſum exponitur in Oratione quadraginta horarum? 63

Quæſt. 9. An poſſint Prælati in ſuis quique juriſdictionibus Feſta aliqua ad libitum celebranda indicere? 64

CAPUT XIII.

De Feſtis propriis ex conſuetudine.

Quæſt. 1. AN & quæ ſint Feſta propria ex conſuetudine? 64

Quæſt. 2. Quis ſenſus prædictorum textuum ex Rubricis generalibus allegatorum? 65

Quæſt. 3. Quis ſenſus vocis illius, *ſolemnis*, ſeu *ſolemniter*, prout in Rubricis uſurpatur? 65

Quæſt. 4. Quæ conſuetudo celebrandi Feſta cenſeri debeat legitima? 67

Quæſt. 5. An Feſta omnia ex conſuetudine retineri, an aliqua abrogari conveniat? 67

Quæſt. 6. An titulus iſte conſuetudinis valere jam poſſit ad inducenda nova Feſta, aut quæ abrogata fuerant denuò inſtauranda? 68

CAPUT XIV.

De Feſtis propriis Regularium.

Quæſt. 1. QUænam dicantur Feſta propria Religionum ſeu Congregationum? 69

Quæſt. 2. Quis Patronus, quiſve Titulus dicatur Religionis ſeu Congregationis? 69

Quæſt. 3. An unius ejuſdemque Religionis ſeu Congregationis plures dentur aliquando Patroni ſeu Tituli? 70

Quæſt. 4. Quinam Sancti Religionum aut Congregationum dicantur naturales, affines &c. 70

Quæſt. 5. An legitima ſit prædictorum omnium Feſtorum celebratio? 70

Quæſt. 6. An legitima ſint certa quædam Officia certis menſis vel hebdomadæ diebus minimè impeditis fieri ſolita in quibuſdam Religionibus? 71

Quæſt. 7. An per communicationem privilegiorum poſſint prædicta Officia in uſum induci legitimè? 71

CAPUT XV.

De Patronis ſeu Titularibus Sodalitatum ſeu Confraternitatum.

Quæſt. 1. QUibus Patronis Titulíſve erigi ſoleant Sodalitates ſeu Confraternitates? 74
Quæſt. 2. An uſu legitimo receptum ſit de ejuſmodi Patrono ſeu Titulo Feſtum celebrare? 74

CAPUT XVI.

De Patrono ſeu Titulo Altaris aut Cappellæ.

Quæſt. 1. ECquid differunt Altare & Cappella? 75
Quæſt. 2. An cujuslibet Altaris ſeu Cappellæ detur ſemper Patronus aliquis ſeu Titulus? 75
Quæſt. 3. An ex uſu ſit Eccleſiarum, Patronorum ſeu Titulorum ejuſmodi Feſta celebrare? 75
Quæſt. 4. Utrum dirutis Altari & Cappella, aut aliò translatis, perſeveret nihilominùs cultus Patroni ſeu Tituli utriuſque? 76
Quæſt. 5. An de Patrono ſeu Titulo Eccleſiæ dirutæ & ad Altare aliquod aut Cappellam translatæ Feſtum fieri debeat? 76
Quæſt. 6. An Feſtum de Sancto fieri poſſit vel debeat, eo quia Titulus eſt Præbendæ Canonicalis aut dignitatis, aut quia penſionem quis habet ſuper aliquam Eccleſiam? 76
Quæſt. 7. Quid cenſendum de Patronis ſeu Titulis domorum hoſpitalium? 76

CAPUT XVII.

De Vigiliis Feſtorum propriorum.

Quæſt. 1. QUid & quæ ſint communes locis omnibus Vigiliæ? 77
Quæſt. 2. An ex uſu ſit Eccleſiarum, præter receptas communiter Vigilias, alias quoque propriis ſuorum Patronorum Feſtis præmittere? 77
Quæſt. 3. An legitimus ſit ejuſmodi Vigiliarum uſus? 78
Quæſt. 4. Quibus anni temporibus Vigiliis celebrandis locus non eſt? 78
Quæſt. 5. An omittendum ſit præſcriptum in Calendario Vigiliæ Officium, iis in locis in quibus non ſervatur jejunium? 78
Quæſt. 6. An, & quo jure ſervandum ſit jejunium in Vigilia Pentecoſtes? 78

CAPUT XVIII.

De Octavis Feſtorum propriorum.

Quæſt. 1. QUorumnam Feſtorum propriorum fieri debeant Octavæ? 80
Quæſt. 2. Cujuſnam Eccleſiæ Dedicationis Octavæ fieri debeant? 80
Quæſt. 3. Quis ſit principalis ille Patronus & Titularis loci vel Eccleſiæ, in cujus Feſto fieri debet Octava? 80
Quæſt. 4. An plures poſſint eſſe ejuſmodi principales Patroni? 80
Quæſt. 5. An de principali Patrono plures poſſint fieri Octavæ? 80
Quæſt. 6. Patroni ſeu Tituli, cujus plura ac varia ſunt Feſta, cui illorum tribuenda Octava? 81
Quæſt. 7. An facienda Octava de Patrono loci, quando juxta uſum proprium ipſiuſmet loci ea non fit? 82
Quæſt. 8. An de aliis Patronis minùs principalibus fieri poſſint vel debeant Octavæ? 82
Quæſt. 9. An & quatenùs legitimæ ſint Octavæ aliorum Sanctorum apud quaſdam Eccleſias, Congregationes, & Religiones fieri conſuetæ? 82
Quæſt. 10. An poſſit conſuetudo Octavæ alicujus celebrandæ de novo induci, aut obliterata denuò reſtaurari? 84
Quæſt. 11. Quibus anni temporibus interdictum ſit Octavis? 84

CAPUT XIX.

De Officio hebdomadario, item & de Suffragio quotidiano Patronorum.

Quæſt. 1. QUid ſit Officium illud hebdomadarium? 85
Quæſt. 2. An legitimus ſit Officii hujus hebdomadarii uſus? 85
Quæſt. 3. Quæ anni tempora ab ejuſmodi Officio hebdomadario ſint immunia? 85
Quæſt. 4. Qui Patroni locum habere debent in communibus Suffragiis? 85

LIBER SECUNDUS.

De ritu celebrandi Feſta propria.

CAPUT PRIMUM.

De conſtituendo die Feſto Dedicationis Eccleſiæ.

Quæſt. 1. QUis dies dedicandæ ſeu conſecrandæ Eccleſiæ decernendus? 86
Quæſt. 2. Quis propriè dies Anniverſarius Dedicationis alicujus Eccleſiæ? 87
Quæſt. 3. Quibus ex cauſis, & qualiter mutari queat dies Anniverſarius Dedicationis Eccleſiæ? 87
Quæſt. 4. Quid agendum, cùm neſcitur dies proprius Dedicationis alicujus Eccleſiæ? 88
Quæſt. 5. An legitimus ſit uſus omnium Diœceſis totius Eccleſiarum Dedicationem una ſimul eademque die celebrandi? 88
Quæſt. 6. An reſcitus qui exciderat, vel mutatus perperam Dedicationis dies proprius reſtitui debeat? 88

CAPUT II.

De die Natali, ſeu Feſto præcipuo Sancti cujuslibet.

Quæſt. 1. QUis ſit dies Natalis, ſeu Feſtum præcipuum cujuſque Sancti? 88
Quæſt. 2. Quo die conſignandus ſit in Feſtis Natalis cujus Sancti? 89
Quæſt. 3. An & qualiter contingat diem Sanctorum Natalem in alium mutari? 90
Quæſt. 4. An mutatio Natalis diei ſervari debeat etiam in propriis eorum Eccleſiis? 90
Quæſt. 5. An, & quo jure induci poſſit ſimilis mutatio in Sanctis locorum & Eccleſiarum propriis? 91
Quæſt. 6. Quandonam uſurpanda eſt ejuſmodi mutatio in Sanctis propriis? 91
Quæſt. 7. An Feſta in Calendario Romanó deſcripta æquè poſſint per mutationem diei alteri aſſignari, quando contingit ea à Feſtis propriis loco moveri? 91
Quæſt. 8. In quem diem fieri debeat mutatio Feſti Natalis impediti? 92
Quæſt. 9. An ejuſmodi mutationem fieri deceat in certam diem Dominicam, aut alium certæ hebdomadæ diem, more Feſtorum mobilium? 92

Quæſt. 10. Quid ſi ignoretur vel incertus ſit dies Natalis Sancti alicujus? 93
Quæſt. 11. Quid ſi dies Natalis in uſu propriorum locorum alius ſit ab eo qui in Martyrologio deſignatur? 93
Quæſt. 12. An peti poſſit Natalis Sanctorum dies ex Menologio Græcorum? 93
Quæſt. 13. Quis dies Natalis Sancti ejus qui in die Biſſexti obiiſſet? 93
Quæſt. 14. An & qualiter ob Calendarii reformationem mutandus ſit dies Natalis? 93

C A P U T III.

De conſtituendo die Feſtis ſecundariis ſeu minus principalibus Sanctorum.

Quæſt. 1. QUo die celebranda ſint ejuſmodi Feſta? 94
Quæſt. 2. An mutari poſſint ejuſmodi Feſta? 94
Quæſt. 3. In quem diem mutari conveniat Feſta ejuſmodi quando impediuntur? 94
Quæſt. 4. An Feſta ejuſmodi addici poſſint certæ Dominicæ aut Feriæ more Feſtorum mobilium? 94
Quæſt. 5. Quis dies decernendus Feſtis illis generalibus Reliquiarum Sanctorum omnium alicujus ordinis, aliiſque ſimilibus? 95

C A P U T IV.

De conſtituendo die Feſtis Chriſti Domini, Beatæ Mariæ, Angelorum, aliiſque votivis.

Quæſt. 1. QUibus diebus aſſignanda ſint Feſta Chriſti Domini, & B. Mariæ? 95
Quæſt. 2. Quis dies decernendus Feſtis Angelorum? 96

C A P U T V.

De conſtituendo die Vigiliis, Octavis & Officio hebdomadario.

Quæſt. 1. QUis dies Vigiliis Feſtorum propriorum decernendus? 96
Quæſt. 2. Qualiter dies infra Octavas ſint deſcribendi? 97
Quæſt. 3. An legitimum ſit anticipare diem Octavam? 97
Quæſt. 4. An & qualiter ceſſatio Octavæ debeat deſignari? 97
Quæſt. 5. Qua Hebdomadæ Feria aſſignandum ſit Officium votivum de Patrono? 97

C A P U T VI.

De forma inſcribendi Feſta propria, quantum ad enunciationem nominis Sancti, ſeu Myſterii.

Quæſt. 1. QUomodo exprimendum in Calendario ſeu Codice proprio Feſtum Dedicationis Eccleſiæ? 98
Quæſt. 2. Quomodo exprimendus ſit Natalis cujuſque Sancti? 98
Quæſt. 3. Quomodo exprimenda Feſta ſecundaria Sanctorum? 98
Quæſt. 4. Quomodo exprimenda Feſta votiva Chriſti Domini, B. Mariæ, &c. 98

C A P U T VII.

De forma inſcribendi Feſta propria, quoad dignitatem ſeu conditionem perſonæ.

Quæſt. 1. AN in Angelis exprimendum cujus ſint ordinis? 99
Quæſt. 2. Qualiter cenſendi Patriarchæ & Prophetæ, aliique Sancti Veteris Teſtamenti? 99
Quæſt. 3. An prædictis Sanctis Veteris Teſtamenti Patriarchis & Prophetis addendus ſit Titulus Martyris aut Confeſſoris? 99
Quæſt. 4. An inter Patriarchas ſeu Prophetas reponendi Sancti illi, qui poſt Chriſti quidem ortum, ſed ante ejus Paſſionem fato functi fuere? 100
Quæſt. 5. An inter Apoſtolos, præter nominatos in Litaniis, reponi poſſint aliqui alii? 100
Quæſt. 6. An Diſcipuli Domini gradus ſit exprimendus? 101
Quæſt. 7. Quinam Sanctorum inter Martyres computandi? 101
Quæſt. 8. An pro Martyribus habendi qui tormentis ſuperſtites in pace poſtmodum quieverunt? 102
Quæſt. 9. An qui à tormentis nihil læſi, nihilque doloris paſſi fuere? 102
Quæſt. 10. An qui in carcere vel exilio ærumnis confecti interierunt? 102
Quæſt. 11. An extorres? 103
Quæſt. 12. An profeſſores? 103
Quæſt. 13. An occiſi alia ex cauſa quàm ob defenſionem nominis Chriſti? 104
Quæſt. 14. An mortui in obſequio peſte laborantium? 104
Quæſt. 15. An infantes, & alii uſum rationis non habentes, occiſi propter Chriſtum? 104
Quæſt. 16. Quinam Sancti cenſendi inter Confeſſores? 105
Quæſt. 17. An Papæ dignitas exprimi debeat in iſcriptione Sanctorum? 105
Quæſt. 18. An Epiſcopi? 105
Quæſt. 19. An Patriarchæ, Primatis, Archiepiſcopi? 105
Quæſt. 20. An Cardinalis? 105
Quæſt. 21. An Doctoris? 105
Quæſt. 22. An Abbatis? 106
Quæſt. 23. An Sacerdotis ſeu Presbyteri, Levitæ ſeu Diaconi, Monachi, Eremitæ? 106
Quæſt. 24. An Imperatoris, Regis, &c. 106
Quæſt. 25. Quæ Sanctæ Virginum Titulo & Officio colendæ? 106
Quæſt. 26. Quæ Virgines habendæ, quæ vim paſſæ, in ſtuprum nullatenus conſenſere? 106
Quæſt. 27. An quæ in conjugio virginitatem ſervaverunt? 107
Quæſt. 28. Quibus Titulis afficiendæ Sanctæ aliæ non Virgines? 107

C A P U T VIII.

De jungendis ſimul ſub una inſcriptione pluribus Sanctis, aut junctis è contrà ab invicem diſtrahendis.

Quæſt. 1. AN plurium Sanctorum celebritas ſub una ſimul inſcriptione jungi poſſit? 107
Quæſt. 2. An poſſint etiam jungi per accidens? 107
Quæſt. 3. An poſſint æquè jungi qui ſunt diverſi ordinis? 108
Quæſt. 4. An & qua ratione ſimul juncti debeant interdum diſtrahi? 108
Quæſt. 5. An plura Feſta Chriſti Domini & B. Mariæ ſimul celebranda occurrant? 108
Quæſt. 6. An fieri contingat Feſtum Dedicationis plurium ſimul Eccleſiarum? 108

C A-

CAPUT IX.

De multiplici Feſtorum celebrandorum ritu.

Quæſt. 1. QUotuplex ſit ritus celebrandi Feſta? 109

Quæſt. 2. Unde originem habet multiplicis illius ritus ratio? 109

Quæſt. 3. Unde originem habet diverſa Duplicium inter ſe Feſtorum ratio? 111

Quæſt. 4. An Duplicium per annum duæ ſint ſpecies majorum, & minorum? 111

Quæſt. 5. An Duplicium inſcriptioni addi debeat nota illa primæ vel ſecundæ claſſis, aut majoris per annum? 112

Quæſt. 6. An inter Semi-duplicia ſint itidem alia aliis majora? 112

Quæſt. 7. In quo potiſſimùm reſpectu fundetur varius ille ac multiplex Duplicium gradus? 112

Quæſt. 8. Quæ ſit ratio debitum ſingulis Feſtis ritum tribuendi? 114

Quæſt. 9. Quæ ſit ratio veteres Feſtorum propriorum ritus ad Romani Breviarii formam reducendi? 114

CAPUT X.

De ritu Duplicis primæ & ſecundæ claſſis.

Quæſt. 1. QUænam Feſta propria celebranda ſunt ritu Duplicis primæ claſſis? 115

Quæſt. 2. An plures poſſint eſſe Patroni ſeu Tituli ejuſdem Eccleſiæ vel loci, quibus tribuatur ritus Duplex primæ claſſis? 115

Quæſt. 3. An alia item Feſta hocce ritu celebranda occurrant? 116

Quæſt. 4. An unius ejuſdemque Patroni ſeu Titularis plurima Feſta celebrari poſſint ritu Duplicis primæ claſſis? 117

Quæſt. 5. Quid ſi Feſta aliqua ritu primæ claſſis non celebrentur cùm debeant? 117

Quæſt. 6. An ritus Duplicis ſecundæ claſſis pertinere poſſit ad Feſta aliqua propria? 117

Quæſt. 7. Quænam Feſta propria ritu Duplicium ſecundæ claſſis celebrandæ ſunt? 117

CAPUT XI.

De ritu Duplicis per annum, ſive majoris, ſive minoris.

Quæſt. 1. QUænam Feſta propria inter Duplicia majora per annum recenſenda? 118

Quæſt. 2. An ad hunc quoque ritum pertineant Feſta ſecundaria Patronorum? 119

Quæſt. 3. An alia item præter ſuperiora? 119

Quæſt. 4. Quænam Feſta propria in Duplicium minorum ordinem referenda? 119

Quæſt. 5. Quid ſit Feſtum aliquod conſueviſſe ſolemniter celebrari? 120

Quæſt. 6. Quid de Feſtis Sanctorum, quorum habentur Reliquiæ? 120

Quæſt. 7. An Officium diei currentis ex occaſione fieri poſſit Duplex, cùm ex ſe tale non eſt? 120

Quæſt. 8. An Feſtum omne quod in præcepto eſt, eo vel nomine fieri debeat Duplex? 120

Quæſt. 9. Præſtetne plura eſſe Feſta propria Duplicia? 121

CAPUT XII.

De ritu ſemiduplici & ſimplici.

Quæſt. 1. QUænam Feſta propria, ritu ſemiduplici ſunt celebranda? 122

Quæſt. 2. An aliqua Chriſti Domini, aut B. Mariæ, aut Angelorum, aut Apoſtolorum, aut Patroni ſeu Titularis Eccleſiæ Feſta propria poſſint fieri tantùm ſemiduplicia? 123

Quæſt. 3. An in uſu ſit ut plura dentur Feſta propria ſemiduplicia? 123

Quæſt. 4. An dentur Feſta propria ſimplicia? 123

CAPUT XIII.

De ritu ſervando in Vigiliis, Octavis, & Officio hebdomadario Patronorum.

Quæſt. 1. QUo ritu celebrandæ Feſtorum propriorum Vigiliæ? 124

Quæſt. 2. Quo ritu celebrandæ Feſtorum propriorum Octavæ? 124

Quæſt. 3. An legitimi ſint certi alii ritus in Octavis celebrandis adhibiti? 124

Quæſt. 4. Quis ritus Officio Patronorum per hebdomadam uſitato tribuendus? 124

CAPUT XIV.

De annunciatione Feſtorum propriorum in Martyrologio facienda.

Quæſt. 1. QUorumnam Feſtorum propriorum annunciatio in Martyrologio fieri debeat? 125

Quæſt. 2. An dies Octava Feſtorum propriorum Octavas habentium annunciari debeat? an Vigiliæ? 125

Quæſt. 3. An è contra omitti debeat Octavarum & Vigiliarum annunciatio in Martyrologio Romano deſcripta, in iis Eccleſiis in quibus non ſervantur? 125

Quæſt. 4. An præmittenda ſemper Feſtorum propriorum annunciatio aliis in Martyrologio eadem die deſcriptis? 126

Quæſt. 5. An ſuo ſemper ſtato die annuncianda ſint in Martyrologio Feſta propria? 126

Quæſt. 6. An Sanctorum propriorum, de quibus non ſit Officium, annunciatio nihilominùs in Martyrologio fieri debeat? 126

Quæſt. 7. An Beatificatorum ſeu nondum Canonizatorum annunciatio fieri debeat in Martirologio? 127

CAPUT XV.

De forma ſeu ſtylo annunciandi Feſta propria in Martyrologio.

Quæſt. 1. QUis ſtylus univerſim eſſe debeat ejuſmodi annunciationis? 127

Quæſt. 2. Ut locus eſt exprimendus? 127

Quæſt. 3. Quis locus nominandus? 130

Quæſt. 4. Ut Sancti cujuſque nomen & qualitas exprimenda? 130

Quæſt. 5. An ad Sancti nomen liberum ſit elogium aliquod inſuper addere? 130

CAPUT XVI.

De obligatione celebrandi Feſta propria quoad Chorum ſeu publicam decantationem.

Quæſt. 1. AN Feſta Eccleſiæ Metropolitanæ propria ad omnes Provinciæ Eccleſias pertineant? 131

Quæſt. 2. An omnia & ſingula Eccleſiæ Cathedralis Feſta propria ad omnes Diœceſis æquè pertineant? 131

Quæſt. 3. An Abbatiales, Collegiatæ, aliæque Eccleſiæ, per ſe exemptæ, juriſdictionem quoque ac quaſi Diœceſim habentes, ad ſupradicta Eccleſiæ Cathedralis Feſta celebranda teneantur? 132

Quæſt. 4. An, & quibus Feſtis Diœceſanis Regularium exemptorum Eccleſiæ teneantur? 132

Quæſt. 5. An prædicta Feſta omnia eodem ritu per Diœceſim, quo in Eccleſia Cathedrali, celebranda ſint? 132
Quæſt. 6. An Feſta omnia Eccleſiarum Abbatialium, Collegiatarum & aliarum per ſe exemptarum ac juriſdictionem habentium, in omnibus Eccleſiis juriſdictioni illarum ſubjectis ſint celebranda? 133
Quæſt. 7. An Feſta Parochialium Eccleſiarum ab aliis quoque Eccleſiis intra Parochiæ fines ſint celebranda? 133
Quæſt. 8. An Regularium Eccleſiæ inferiores ad ſuperiorum Feſta propria teneantur? 135
Quæſt. 9. An è contra par ſit ſuperiores Eccleſias inferiorum à ſe dependentium vel ſibi unitarum Feſta celebrare? 135
Quæſt. 10. An Feſtorum à Principe vel Magiſtratu civili indictorum Officium in Choro faciendum ſit? 135

CAPUT XVII.

De obligatione Feſtorum propriorum quoad privatam recitationem.

Quæſt. 1. AD quænam Feſta propria teneatur privatus quilibet? 135
Quæſt. 2. An abſens à loco ad eadem teneatur? 135
Quæſt. 3. An ad aliqua Feſta propria teneatur qui de nullius Eccleſiæ eſt gremio? 135
Quæſt. 4. An cui Altare ſeu Cappella Titulus eſt Beneficii, teneatur ad Feſtum Patroni Altaris illius ſeu Cappellæ? 136
Quæſt. 5. An qui in pluribus Eccleſiis habet Titulum, ad ſingularum Feſta propria teneatur? 136
Quæſt. 6. An Regularis ſæculari Eccleſiæ præfectus teneatur ad utriuſque Feſta propria, Eccleſiæ videlicet illius & ſui Ordinis? 136
Quæſt. 7. An peregrinus & hoſpes teneatur ad Feſta propria loci per quem tranſit, aut in quo ad breve tempus moratur? 137
Quæſt. 8. An qui morbi tempore, vel per oblivionem Feſtum aliquod propeio die omiſit, poſſit aut debeat illud alio die convenienti reſumere? 137

CAPUT XVIII.

De Feſtis generalibus ſeu ubique locorum ſervandis ex præcepto cum feriatione publica.

Quæſt. 1. QUænam ſint Feſta jure communi per totam Eccleſiam obſervanda? 138
Quæſt. 2. Sintne Feſta illa omnia æqualis inter ſe obligationis? 139
Quæſt. 3. Unde ſit ut aliqua ex præfatis Feſtis de jure alicubi non ſerventur? 139
Quæſt. 4. Poſſitne prædictorum de jure Feſtorum generalium numerus adhuc augeri, poſſitne minui? 139
Quæſt. 5. Quæ ſint Feſta generalia ex conſuetudine ſervanda? 139
Quæſt. 6. Poſſintne prædicta Feſta, vel omnia, vel aliqua abrogari? 141
Quæſt. 7. Quodnam ſit jus novum Urbani VIII. circa Feſtorum obſervationem? 141
Quæſt. 8. An Feſta omnia in præfata Conſtitutione deſcripta, ubique jam ſervanda ſint ex præcepto? 143
Quæſt. 9. An ex reliquis, quæ per Conſtitutionem abrogata ſunt, poſſint nihilominùs retineri aliqua in præcepto? 143
Quæſt. 10. Liberumne jam cuilibet in quocumque loco Feſta per Conſtitutionem prædictam à præcepto exempta non ſervare? 143
Quæſt. 11. An ſit legitimus uſus, tranſlato Feſto quoad Officium, feriationem quoque ipſam transferendi? 144
Quæſt. 12. An tranſlato Feſto quoad forum, transferatur ſimul Indulgentia in eo conceſſa? 145

CAPUT XIX.

De Feſtis propriis ſub præcepto ſervandis.

Quæſt. 1. AN ſint Feſta propria ex præcepto ſervanda? 145
Quæſt. 2. Quænam Feſta propria ex præcepto ſervanda? 145
Quæſt. 3. Sintne alia item Feſta propria de præcepto? 146
Quæſt. 4. Sintne Feſta aliqua dimidiæ diei ex præcepto? 146
Quæſt. 5. Quo jure prædicta Feſta propria ſervanda ſint ſub præcepto? 147
Quæſt. 6. An Regulares aliique exempti teneantur ad obſervantiam Feſtorum propriorum? 147
Quæſt. 7. An teneantur peregrini & hoſpites ad obſervantiam Feſtorum propriorum? 148
Quæſt. 8. An abſentes teneantur Feſtis propriis ſuæ patriæ? 148
Quæſt. 9. An poſſint Feſta propria abrogari vel reſtringi? 148
Quæſt. 10. An poſſint de novo induci Feſta propria ſub præcepto? 148
Quæſt. 11. Poſſitne Epiſcopus Feſtum inſtituere de Sancto non Canonizato? 148
Quæſt. 12. An ut Epiſcopus Feſtum inſtituat, requiratur conſenſus Cleri ac Populi? 149
Quæſt. 13. An Principes & Magiſtratus poſſint diem Feſtum præcipere ſine Epiſcopo? 150
Quæſt. 14. An conſuetudo poſſit inducere præceptum ſervandi alicujus Feſti? 150
Quæſt. 15. An ex voto Civitatis & Communitatis laicorum poſſit aliquod Feſtum eſſe de præcepto? 150
Quæſt. 16. An per Conſtitutionem Urbani VIII. abrogata ſint quoque Feſta propria de præcepto? 150
Quæſt. 17. Quot & quænam ſint Feſta propria in ſingulis locis ex præfata Conſtitutione retinenda? 150
Quæſt. 18. Sitne jus ademptum Epiſcopis per præfatam Conſtitutionem, Feſta ulla in poſterum præcipiendi? 151

LIBER

LIBER TERTIUS.

De ordinando Officio in Feſtis propriis.

CAPUT PRIMUM.

De Officiis propriis univerſim.

Quæſtio 1. QUænam dicantur Officia propria? 153

Quæſt. 2. Præſtetne haberi Officia propria in Feſtis propriis locorum? 153

Quæſt. 3. Qualia eſſe debeant Officia propria ut legitimè uſurpari queant? 153

Quæſt. 4. Quænam Officia propria ſuſpicione falſi laborent? 153

Quæſt. 5. Quæ ſint aliæ labes Officiorum propriorum? 155

Quæſt. 6. Quis uſus Officiorum propriorum cenſendus ſit probatus ac legitimus? 155

Quæſt. 7. An & qualiter antiqua Officia propria retinenda ſint? 156

Quæſt. 8. An ad ejuſmodi officia antiqua, ſive pura, ſive emendata retinenda, neceſſaria ſit approbatio Sedis Apoſtolicæ? 156

Quæſt. 9. An intermiſſus aliquandiu Officiorum propriorum uſus poſſit denuò reſtitui? 157

Quæſt. 10. An & qualiter Officia propria de novo induci queant? 157

Quæſt. 11. An poſſint Epiſcopi nova Officia in ſuis quique Diœceſibus approbare? 158

Quæſt. 12. An Officia approbata pro uno loco ſeu Eccleſia, æquè ab aliis poſſint uſurpari? 158

Quæſt. 13. An congruum ſit, Feſtis aliis quàm Patronorum principalium tribui Officia propria? 158

Quæſt. 14. An in Feſtis locorum & Eccleſiarum, quæ Officium proprium in Breviario Romano habent, poſſit Officium aliud æquè proprium loco alterius ſubſtitui? 159

Quæſt. 15. An Feſtis non propriis, propria tribui poſſint Officia? 159

Quæſt. 16. An in Officio de tempore poſſint aliqua quoque propria inſeri? 159

Quæſt. 17. Qua ratione diſponendum Officium duobus vel pluribus Sanctis in Breviario proprium, quando eos contingit ſeorſim celebrari? 160

Quæſt. 18. An Officia propria Vigiliis & Octavis Feſtorum propriorum aſſignari conveniat? 160

Quæſt. 19. An Officia propria principalis Feſti Sanctorum aſſumi quoque debeant in Feſtis ſecundaris ipſorum? 160

Quæſt. 20. An quicumque Feſta locorum propria celebrant, Officiis eorum propriis uti teneantur? 160

CAPUT II.

De Collecta, ſeu Oratione propria.

Quæſt. 1. QUæ Collecta ſeu Oratio dicatur propria? 161

Quæſt. 2. Præſtetne haberi in Feſtis propriis Collectam ſeu Orationem propriam? 161

Quæſt. 3. Quæ Collectæ ſeu Orationes probandæ, quæ reiiciendæ? 161

Quæſt. 4. Quæ condendarum forma, & qualiter approbandæ? 162

Quæſt. 5. An & qua ratione exprimenda Sanctorum nomina & qualitates? 162

Quæſt. 6. Ut cavendæ voces Natalitia, Solennia, Annua ſolennitas, &c. 163

Quæſt. 7. Quæ Orationes cenſendæ eædem? 163

Quæſt. 8. An plures Orationes aſſignari poſſint pro uno eodemque Feſto? 164

Quæſt. 9. Cui tribuenda Oratio duobus vel pluribus Sanctis propria, quando eos contingit ab invicem ſeparari? 164

Gryet. Heortologia.

CAPUT III.

De Lectionibus propriis.

Quæſt. 1. UNde univerſim deſumendæ ſint Lectiones propriæ Feſtorum propriorum? 164

Quæſt. 2. An Feſtis propriis aſſignari poſſint Lectiones propriæ de Scriptura? 164

Quæſt. 3. Quibus ex libris, & qualiter decerpendæ ſint ejuſmodi Lectiones? 165

Quæſt. 4. Quales debent eſſe Lectiones de Vita Sanctorum propriæ? 166

Quæſt. 5. Ut diſponendæ Lectiones duorum pluriumve Sanctorum ſimul junctorum, quando eos ſeorſim celebrari contingit? 166

Quæſt. 6. An congruum ſit per Octavas Sanctorum Lectiones ſecundi Nocturni de eorum Vita continuari? 167

Quæſt. 7. Quales SS. Patrum ſermones aut tractatus pro Lectionibus Feſtorum propriorum ſeligendi? 167

Quæſt. 8. Quorumnam è SS. Patribus ſermones aut tractatus aſſumi poſſunt ad ejuſmodi Lectiones conficiendas? 167

Quæſt. 9. Quid attendi debeat in ſeligendis ejuſmodi Lectionibus? 168

Quæſt. 10. An indifferenter ſumi poſſint Lectiones ex Octavario Gavanti? 168

Quæſt. 11. Unde ſumi poſſint Homiliæ propriæ in Evangelium? 168

Quæſt. 12. Quid agendum quando Homilia in Breviario poſita duas tantùm habet Lectiones, & ſupereſt tertia dicenda? 169

CAPUT IV.

De Hiſtoria propria.

Quæſt. 1. PRæſtetne haberi Hiſtoriam propriam in Feſtis propriis? 169

Quæſt. 2. Unde ſumantur ejuſmodi Hiſtoriæ propriæ? 169

Quæſt. 3. Quæ Hiſtoriæ propriæ probentur maximè? 170

Quæſt. 4. Quæ ſpeciatim in Antiphonis propriis obſervanda? 170

Quæſt. 5. Quæ itidem in Reſponſoriis propriis ſpeciatim obſervanda? 171

Quæſt. 6. Quæ demum in Invitatorio? 171

CAPUT V.

De Hymnis propriis.

Quæſt. 1. AN & quot præſtet haberi Hymnos proprios in Feſtis propriis? 172

Quæſt. 2. Quinam probandi Hymni proprii? 172

Quæſt. 3. An & qualiter admittendi Hymni propria recens cuſi? 173

Quæſt. 4. Quod metri genus Hymnis conveniat? 173

Quæſt. 5. An probandi Hymni Rhythmici? 174

Quæſt. 6. Quæ ſint partes Hymni, ſeu qualis ſtructura? 174

Quæſt. 7. Quæ Hymnorum concluſio immutabilis eſt? 174

Quæſt. 8. An terminatio propria Hymnorum de San-

ctis perinde uſurpari debeat in aliis Hymnis, atque aliæ terminationes propriæ? 175
Quæſt. 9. An Hymni proprii etiam in Feſtis aliis quàm Patronorum, item in non propriis, aut in Officio de Tempore poſſint adhiberi? 176

CAPUT VI.

De Capitulis, Verſibus & Reſponſoriis brevibus propriis.

Quæſt. 1. PRæſtetne hæc haberi propria in Feſtis propriis? 176
Quæſt. 2. Quæ in Capitulis propriis ſpeciatim cavenda? 177
Quæſt. 3. Quæ ſpeciatim in verſibus? 177
Quæſt. 4. Quæ denique in Reſponſoriis brevibus? 177

CAPUT VII.

De Pſalmis propriis.

Quæſt. 1. UNde habet Pſalmus unus, quòd ſit præ alio Officiö alicujus proprius? 178
Quæſt. 2. Quot & quibuſnam Horis aſſignandi Pſalmi proprii? 178
Quæſt. 3. An Pſalmi omnes apti nati ſint eſſe proprii? 179
Quæſt. 4. Quinam Pſalmi Matutinales apti præ aliis Feſtorum eſſe proprii? 179
Quæſt. 5. Quinam Veſpertinales? 179
Quæſt. 6. Quo ordine tam Matutinales quàm Veſpertinales inter ſeſe collocandi? 180

CAPUT VIII.

De Communi Sanctorum in genere.

Quæſt. 1. QUa ratione univerſim ſupplenda de Communi quæ deſunt propria? 181
Quæſt. 2. Quæ ſeligenda Oratio de Communi? 181
Quæſt. 3. Quæ ſeligendæ Lectiones ſecundi & tertii Nocturni? 181
Quæſt. 4. Quandonam ſumendæ ſunt in Feſtis propriis Lectiones de Scriptura in quolibet Communi poſitæ? 181
Quæſt. 5. An fas ſit ex alieno Communi aliquid tranſumere? 182
Quæſt. 6. Quid agendum ſi aliqua de Communi Sancto proprio minùs benè conveniunt? 182
Quæſt. 7. An in quolibet Communi poſſint retineri ex antiquo uſu, vel admitti de novo aliqua, præter ea quæ poſita ſunt? 182

CAPUT IX.

De Communi Apoſtolorum.

Quæſt. 1. QUibus competat Commune Apoſtolorum? 182
Quæſt. 2. Eſtne aliquid in Communi Apoſtolorum quod alicui minùs quadret? 183
Quæſt. 3. Quæ cavenda in hoc Officio? 183
Quæſt. 4. In quibus differant à Romano Breviaria propria, quoad Commune Apoſtolorum? 183

CAPUT X.

De Communi unius Martyris extra Tempus Paſchale.

Quæſt. 1. QUibus competat Commune unius Martyris? 184
Quæſt. 2. Eſtne aliquid in hoc Officio, quod alicui Martyri non quadret appoſitè? 184
Quæſt. 3. An Reſponſorium, *Domine prævenisti*, conveniat etiam aliquibus feſtis propriis unius Martyris? 184
Quæſt. 4. Quid diſcriminis in hocce Communi Romanum inter & alia Breviaria? 184

CAPUT XI.

De Communi plurimorum Martyrum extra Tempus Paſchale.

Quæſt. 1. QUibus competat Commune plurimorum Martyrum? 185
Quæſt. 2. Sunt-ne aliqua in hoc Officio aliquibus Martyribus minùs apta? 186
Quæſt. 3. An ſemper Martyribus fratribus tribuendum ſit Reſponſorium, *Hæc eſt vera fraternitas*? 186
Quæſt. 4. An à Romano varium ſit hocce Commune in aliis uſibus? 186

CAPUT XII.

De Communi Apoſtolorum, Evangeliſtarum, & Martyrum Tempore Paſchali.

Quæſt. 1. QUibus competat hocce Commune? 186
Quæſt. 2. Sint-ne aliqua minùs apta? 186
Quæſt. 3. Quid diverſum à Romano in aliis uſibus? 186
Quæſt. 4. Eſt-ne & pro aliis Sanctis Commune Tempore Paſchali. 187

CAPUT XIII.

De Communi Confeſſoris, tam Pontificis, quàm non Pontificis.

Quæſt. 1. QUibus competat Commune Confeſſoris Pontificis? 187
Quæſt. 2. An etiam competat Officium illud electis? 187
Quæſt. 3. An Sanctus qui Epiſcopatui renunciavit, colendus ſit nihilominùs Officio Confeſſoris Pontificis? 188
Quæſt. 4. An Officium Confeſſoris Pontificis impendi poſſit Sanctis Legis veteris ſummis Sacerdotibus. 188
Quæſt. 5. Quibus competat Commune Confeſſoris non Pontificis? 188
Quæſt. 6. Quodnam Doctoribus tribuendum Officium? 188
Quæſt. 7. Sint-ne aliqua in hocce utroque Officio Sanctis aliquibus minùs convenientia? 189
Quæſt. 8. Quæ cavenda in hoc utroque Officio? 189
Quæſt. 9. Quid in utroque hocce Communi diſcrepent alii uſus à Romano? 189
Quæſt. 10. Ut agendum pro pluribus Confeſſoribus? 190
Quæſt. 11. Quid ſi fiat de duobus Confeſſoribus, quorum unus ſit Pontifex, alter non item? 190

CAPUT XIV.

De Communi Virginum & non Virginum.

Quæſt. 1. QUibus competat utrumque hocce Commune? 191
Quæſt. 2. Sint-ne aliqua in hoc utroque Officio minùs apta, aliqua item cavenda? 191
Quæſt. 3. Quæ diverſa à Romano in aliis uſibus? 191
Quæſt. 4. Quo utendum Officio in feſto plurimarum Sanctarum Virginum & non Virginum? 191

CA-

Index Capitum, & Quæſtionum.

CAPUT XV.

De Communi Dedicationis Eccleſiæ.

Quæſt. 1. AN cujuslibet Eccleſiæ Dedicationi competat hocce Commune? 192
Quæſt. 2. Quid advertendum in hoc Officio? 193
Quæſt. 3. Ecquid differant in Officio Dedicationis alii uſus à Romano? 192

CAPUT XVI.

De Feſtis quorum nullum extat Commune.

Quæſt. 1. QUò recurrendum in Feſtis Dei Omnipotentis, ac Chriſti Domini, quibus proprium deeſt Officium? 193
Quæſt. 2. Quo recurrendum in Feſtis particularibus B. Mariæ? 194
Quæſt. 3. Quò recurrendum in Feſtis Angelorum? 194
Quæſt. 4. Quodnam eſt Commune Sanctorum veteris Teſtamenti? 195
Quæſt. 5. Quod Commune tribuendum Sanctis Evangelicis & Apoſtolicis? 195
Quæſt. 6. Quodnam item Sanctis, quorum dubia eſt qualitas? 196
Quæſt. 7. Quodnam denique in Feſto Reliquiarum, & aliis generalibus Feſtis Sanctorum? 197

CAPUT XVII.

De Suffragio ſeu Commemoratione ordinaria Patroni aut Tituli.

Quæſt. 1. QUibus conſtet Suffragium, ſeu Commemoratio communis Patroni Tituli ve, aut alia quæcumque? 198
Quæſt. 2. Unde Antiphona illa, Verſus, & Oratio deſumenda? 198
Quæſt. 3. An plures Antiphonæ, Verſus, & Orationes aſſignati debeant in Suffragio Patronorum? 194
Quæſt. 4. An & qualiter mutanda aliquando Antiphona, Verſus & Oratio pro Suffragio de Patrono? 194
Quæſt. 5. An ſimiliter mutandus ſit Verſus & Oratio poſt Antiphonas finales B. Mariæ, quando jam in Officio dicta fuerint? 199
Quæſt. 6. An fas ſit ad evitandam ejuſmodi mutationis neceſſitatem ſeligere Antiphonam aliquam cum Verſu proprio? 199
Quæſt. 7. Unde ſumenda Antiphona, Verſus & Oratio pro Suffragio Tituli? 200
Quæſt. 8. Qua ratione ordinandum Suffragium de Titulo à Sanctis petito? 201
Quæſt. 9. An præter Patroni ſeu Titularis Eccleſiæ fiant alia item Suffragia? 201
Quæſt. 10. An qui plures habet Beneficiorum & Eccleſiarum Titulos, teneatur in Officio totidem Commemorationes facere? 201
Quæſt. 11. Quo ordine collocanda ſint prædicta omnia Suffragia? 202
Quæſt. 12. An plures diverſi ordinis Sancti, ſub una poſſint Commemoratione comprehendi? 203
Quæſt. 13. Quandonam omittenda ſunt Suffragia Patronorum? 203

CAPUT XVIII.

De Officio hebdomadario Patronorum.

Quæſt. 1. UNde ſumendum Officium illud hebdomadarium? 203
Quæſt. 2. Quibus Lectionibus utendum in ejuſmodi Officio? 203

CAPUT XIX.

De forma Officii juxta uſum Breviarii Romani.

Quæſt. 1. QUæ ſit forma Matutini? 204
Quæſt. 2. Quæ ratio terminandi Matutinum, & inchoandi Laudes, cùm ab invicem ſeparantur? 205
Quæſt. 3. Quæ ſit forma Laudum? 206
Quæſt. 4. Quæ ſit forma terminandi Horas? 206
Quæſt. 5. Quæ ſit forma Primæ? 207
Quæſt. 6. Quæ ſit forma Horarum Tertiæ, Sextæ, & Nonæ? 207
Quæſt. 7. Quæ ſit forma Veſperarum? 208
Quæſt. 8. Quæ ſit forma Completorii? 208
Quæſt. 9. Quæ ſit forma Officii Monaſtici? 209

CAPUT XX.

De formis à Romano uſu diverſis per detractionem.

Quæſt. 1. SItne legitimus uſus Matutini trium tantùm Pſalmorum cum tribus Lectionibus toto Tempore Paſchali? 210
Quæſt. 2. An legitimus ſit prædictus Ritus etiam extra Tempus Paſchale? 213
Quæſt. 3. Sitne legitimum uſus novem Pſalmorum cum tribus Lectionibus? 214
Quæſt. 4. Sitne legitimum non duplicare Antiphonas? 215
Quæſt. 5. Sitne item legitimum aliquas ſupprimere? 215
Quæſt. 6. An poſſit Hymnus, *Te Deum*, legitimè omitti in feſtis ſimplicibus, item in aliis Tempore Adventûs & Septuageſimæ? 215
Quæſt. 7. Sintne legitima alia quæ per detractionem à Romano uſu diſcrepant? 216

CAPUT XXI.

De uſibus à Romàno diverſis per additionem.

Quæſt. 1. AN Reſponſorii ad Veſperas, nonique ad Matutinum uſus ſit legitimus? 216
Quæſt. 2. Sitne legitima varia Invitatorium & Reſponſoria reſumendi ratio? 217
Quæſt. 3. Sitne legitima Antiphonarum triplicatio? 217
Quæſt. 4. Sintne legitima reliqua alia, quæ vel quotidie, vel certis anni diebus Romanum uſum exuperant? 217

CAPUT XXII.

De uſibus variis per tranſpoſitionem ſeu immutationem.

Quæſt. 1. AN licita ſit aliquando partium tranſpoſitio? 217
Quæſt. 2. An itidem licita ſit quandoque partium commutatio? 218

CAPUT XXIII.

De ratione ordinandi Miſſam in Feſtis propriis.

Quæſt. 1. UNde ſumenda Miſſa in feſtis propriis? 218
Quæſt. 2. An in feſtis propriis Miſſa quæ in Miſſali habetur ſeu deſignatur, ſemper adhibenda ſit? 218

Quæſt. 3.

Quæſt. 3. Quænam ſumenda Miſſa de Communi? 218

Quæſt. 4. An Epiſtola & Evangelia poſita in una Miſſa de Communi, poſſint in quacumque alia ejuſdem Communis aſſumi? 219

Quæſt. 5. An legitima item ſit Epiſtolarum & Evangeliorum ex uno Communi in aliud aut etiam aliunde facta tranſumptio? 221

Quæſt. 6. An in Introitu & reliquo Miſſæ Officio ſimilis delectus haberi poſſit? 221

Quæſt. 7. Unde ſumenda Miſſa in Feſtis, quorum nullum datur Commune in Miſſali? 223

Quæſt. 8. Quæ item ſumenda in Vigiliis, Octavis, & pro hebdomadaria, ſeu votiva? 224

CAPUT XXIV.

De Miſſis propriis in genere.

Quæſt. 1. QUæ dicantur Miſſæ propriæ? 224

Quæſt. 2. Præſtetne haberi Miſſas proprias in feſtis propriis? 224

Quæſt. 3. An & qualiter approbatæ eſſe debeant Miſſæ propriæ? 225

CAPUT XXV.

De Officio Miſſæ proprio?

Quæſt. 1. QUæ cavenda univerſim in Officiis Miſſæ propriis? 225

Quæſt. 2. Quæ cavenda ſpeciatim in Introitibus? 226

Quæſt. 3. Quæ in Gradualibus? 226

Quæſt. 4. Quæ in *Alleluja* & Verſu? 227

Quæſt. 5. Quæ in Tractu? 227

Quæſt. 6. An liberæ ſint Sequentiæ in feſtis propriis, & quales eſſe oporteat? 227

Quæſt. 7. Quæ cavenda in Offertoriis? 228

Quæſt. 8. Quæ demum in Communionibus? 228.

CAPUT XXVI.

De Orationibus, Secretis, & Poſtcommunionibus propriis.

Quæſt. 1. QUæ dicantur Secretæ & Poſtcommuniones propriæ? 228

Quæſt. 2. Præſtetne haberi in feſtis propriis Secretas & Poſtcommuniones proprias, & earum defectu unde ſumendæ? 229

Quæſt. 3. Quæ Secretæ & Poſtcommuniones probandæ, quæ removendæ, quæ mutandæ? 229

Quæſt. 4. Poteſtne haberi Præfatio propria in feſtis propriis? 229

CAPUT XXVII.

De Epiſtola & Evangelio propriis.

Quæſt. 1. QUæ dicantur Epiſtolæ & Evangelia propria? 230

Quæſt. 2. Unde & qua ratione Epiſtolæ & Evangelia ejuſmodi propria ſint deſumenda? 231

Quæſt. 3. An approbari indigeant ejuſmodi Epiſtolæ & Evangelia? 231

Quæſt. 4. An in Miſſis de Tempore, aut Feſtorum non propriorum, haberi poſſint aliæ Epiſtolæ & alia Evangelia, quàm quæ in Miſſali poſita ſunt? 232

CAPUT XXVIII.

De Hymno Angelico, Symbolo, & reliquis ad Miſſam in Feſtis propriis ordinandam ſpectantibus.

Quæſt. 1. AN ſemper dicendum ſit *Gloria in excelſis*, in quocumque feſto proprio? 233

Quæſt. 2. An quando dicitur *Gloria in excelſis*, ſemper ſit dicendum *Ite Miſſa eſt*? 233

Quæſt. 3. Quibus in feſtis propriis dicendum ſit *Credo*? 233

Quæſt. 4. An feſta ſemiduplicia poſſint ex ſe habere Symbolum? 234

Quæſt. 5. Ut adhibendæ in feſtis propriis Præfationes propriæ feſtorum & temporum currentium, item & *Communicantes*? 235

Quæſt. 6. Quot & quænam Orationes dicendæ ad Miſſam in feſtis propriis? 235

Quæſt. 7. Quis Sanctus nominandus in Oratione *A cunctis* ad litteram N. & an plures nominari poſſint? 236

Quæſt. 8. An in Confeſſione æquè exprimi debeat nomen Patroni? 236

Quæſt. 9. An legitima ſint quæ ex uſu aliquarum Eccleſiarum Officio Miſſæ inſeruntur? 236

CAPUT XXIX.

De Coloribus Paramentorum.

Quæſt. 1. QUis color univerſim in feſtis propriis adhibendus? 237

Quæſt. 2. Quis in feſtis propriis Chriſti Domini, & B. Mariæ? 237

Quæſt. 3. Quis in feſtis Sanctorum veteris Teſtamenti? 237

Quæſt. 4. Quis in feſtis Sanctorum, de quibus dubium eſt ſintne Martyres, necne? 237

Quæſt. 5. Quis in feſto Reliquiarum aliiſve generalibus? 237

Quæſt. 6. Quis infra Octavas feſtorum propriorum? 237

Quæſt. 7. Quis in feſtis ſecundariis Sanctorum propriorum & Miſſis votivis eorumdem? 237

Quæſt. 8. Quis in Vigiliis? 238

Quæſt. 9. Licetne contrariis Romano colorum uſibus ſeſe conformare? 238

Quæſt. 10. An ob expoſitionem SS. Sacramenti mutandus ſit color diei conveniens? 238

Quæſt. 11. Quandonam mutandi colores? 239

Quæſt. 12. Quæ & quotuplex in uſu ſit forma veſtimentorum? 239

CAPUT XXX.

De hora celebrandi Miſſam in Feſtis propriis.

Quæſt. 1. POſt quam Horam celebranda Miſſa Conventualis in feſtis propriis? 239

Quæſt. 2. Faſne ſit Miſſam Conventualem aliis quàm recenſitis horis reponere? 240

Quæſt. 3. Quibus in Eccleſiis dici debeant duæ Miſſæ, occurrente feſto in die jejunii? 240

Quæſt. 4. Qualis ſit prædicta obligatio, & quot debent eſſe Sacerdotes in Eccleſia ut ei ſit locus? 241

Quæſt. 5. Qua hora dicenda Miſſa in Vigiliis Feſtorum propriorum, item in Officio hebdomadario? 242

Quæſt. 6. Poſt quam Horam cantandæ ſunt Miſſæ votivæ? 242

Quæſt. 7. Poſt quam Horam dicenda ſit Miſſa pro Defunctis? 242

Quæſt. 8. An in Miſſis privatis ſervanda ſit præfata ratio Horarum? 242

Index Capitum, & Quæſtionum.

LIBER QUARTUS.

De variis Feſtorum propriorum accidentiis.

CAPUT PRIMUM.

De Commemorationibus in genere.

Quæſt. 1. QUid ſit, & quorum fiat Commemoratio? 243
Quæſt. 2. Quibus conſtet Commemoratio, & quo in loco fiat? 244
Quæſt. 3. Quis ordo ſervandus in concurſu plurium Commemorationum? 244

CAPUT II.

De Commemoratione Dominicarum.

Quæſt. 1. AN & qualiter fiat Commemoratio Dominicarum primæ & ſecundæ claſſis? 244
Quæſt. 2. An & qualiter fiat Commemoratio Dominicarum communium? 245
Quæſt. 3. An probanda Commemoratio Dominicæ infra Octavas, facto Officio de ipſa Octava? 245
Quæſt. 4. Qualis eſt Commemoratio Dominicarum, quæ infra hebdomadam ponuntur? 245
Quæſt. 5. An in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, in Dominicis feſto impeditis, dici debeant duæ Miſſæ, una de feſto, alia de Dominica? 246

CAPUT III.

De Commemoratione Feriarum.

Quæſt. 1. AN & qualiter fiat Commemoratio Feriarum Adventus & Quadrageſimæ? 246
Quæſt. 2. An & qualiter facienda ſit Commemoratio Feriarum Quatuor Temporum, & ſecundæ Rogationum? 247
Quæſt. 3. An & qualiter fiat Commemoratio feriæ 6. poſt Octavam Aſcenſionis? 247
Quæſt. 4. An contingat aliquando fieri Commemorationem cæterarum feriarum per annum, & Temporis Paſchalis? 248

CAPUT IV.

De Commemoratione Feſti ſimplicis.

Quæſt. 1. AN & qualiter fiat Commemoratio Feſti ſimplicis impediti à feſto Duplici, Semiduplici, & die infra Octavam? 248
Quæſt. 2. Quibus aliis diebus fiat Commemoratio feſti ſimplicis? 249

CAPUT V.

De Commemoratione Vigiliarum.

Quæſt. 1. AN in Feſto primæ claſſis fiat Commemoratio Vigiliæ communis occurrentis? 249
Quæſt. 2. An & qualiter in aliis Duplicibus & Semiduplicibus fiat Commemoratio Vigiliæ occurrentis? 249 249
Quæſt. 3. Qualiter fiat Commemoratio Vigiliæ occurrentis in diebus infra Octavas? 250
Quæſt. 4. An & qualiter fiat Commemoratio Vigiliarum certis anni temporibus occurrentium? 250
Quæſt. 5. An & qualiter contingat fieri Commemorationem de Vigiliis privilegiatis? 250

CAPUT VI.

De Commemoratione Octavarum.

Quæſt. 1. AN contingat aliquando fieri Commemorationem Octavarum Paſchæ & Pentecoſtes? 251
Quæſt. 2. Qualiter fiat Commemoratio Octavarum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & Corporis Chriſti? 251
Quæſt. 3. An & qualiter fiat Commemoratio cæterarum Octavarum? 251
Quæſt. 4. Poſſitne tribui Octavis aliquibus, ut de iis fiat ſemper Commemoratio quocumque feſto occurrente? 251
Quæſt. 5. Duabus Octavis ſimul occurrentibus, utriuſnam fieri debeat Officium cum Commemoratione alterius? 252
Quæſt. 6. E duabus Octavis propriis ſimul occurrentibus, ultra alteri præferenda? 252
Quæſt. 7. An & qualiter contingat fieri Commemorationem diei Octavæ? 254

CAPUT VII.

De Translatione Feſtorum in genere.

Quæſt. 1. QUid ſit & quorumnam feſtorum fiat Translatio? 255
Quæſt. 2. Qui ſint termini Translationis feſtorum? 256
Quæſt. 3. Quis ordo ſervandus inter plura feſta transferenda? 256
Quæſt. 4. An licitum aliquando anticipare feſta, potiùs quàm in longinquum differre? 257
Quæſt. 5. Quid ſi feſtum diu nimis dilatum penitùs omitteretur? 257

CAPUT VIII.

De Translatione Feſtorum Duplicium primæ claſſis propriorum.

Quæſt. 1. A Quibus diebus duplicia primæ claſſis excludantur? 258
Quæſt. 2. An in aliquibus prædictorum dierum contingat fieri alicubi de Feſto primæ claſſis proprio occurrente? 258
Quæſt. 3. An Romano utentibus fas ſit prædictis ſeſe uſibus conformare? 258
Quæſt. 4. An ſint alii prætereà dies, in quibus occurrens Duplex primæ claſſis excludatur? 259
Quæſt. 5. Ut agendum in Feſto Patroni & quovis alio proprio occurrente in die Commemorationis omnium Defunctorum? 260
Quæſt. 6. In quem diem transferri oporteat Duplicia primæ claſſis? 260
Quæſt. 7. Translato Feſto, quæ praxis celebrandi Miſſam de eo in proprio die? 261
Quæſt. 8. In quem diem transferenda feſta impedita ſuo die, ab occurrente Duplici primæ claſſis? 261
Quæſt. 9. Quomodo Feſta S. Agnetis, SS. Petri & Pauli, & Commemorationis ejuſdem S. Pauli ſint transferenda? 262
Quæſt. 10. Ut transferendum feſtum Sancti unius ſeu plurium eodem die cum Patrono ſeu Titulo Eccleſiæ in Calendario deſcriptorum? 262

CA-

Index Capitum, & Quæſtionum.

CAPUT IX.

De Tranſlatione cæterorum, Feſtorum Duplicium.

Quæſt. 1. A Quibus diebus Duplicia ſecundæ claſſis occurrentia excludantur? 263

Quæſt. 2. Sintne alii præterea dies, à quibus præfata Duplicia excludantur? 263

Quæſt. 3. A quibus diebus cætera Duplicia inferiora excludantur? 263

Quæſt. 4. An legitimus ſit uſus, ut in aliquibus prædictorum dierum fiat de occurrente feſto Duplici contra præſcriptum ordinem? 263

Quæſt. 5. Duplici proprio occurrente eadem die cum altero paris ordinis in Calendario deſcripto, utrùm retinendum tranſlato altero? 264

Quæſt. 6. In quam diem transferri oporteat Duplicia tam ſecundæ claſſis, quàm alia inferiora? 264

CAPUT X.

De Tranſlatione Feſtorum Semiduplicium propriorum.

Quæſt. 1. A Quibus diebus excludantur feſta Semiduplicia propria? 264

Quæſt. 2. An legitimè nihilominùs fiat de feſto Semiduplici in aliquo ex prædictis diebus? 265

Quæſt. 3. An Semiduplex proprium præferendum ſit alteri in Calendario deſcripto eadem die occurrenti? 265

Quæſt. 4. In quem diem transferenda Semiduplicia? 265

Quæſt. 5. An contingat unquam feſta ſimplicia transferri? 265

CAPUT XI.

De mutua invicem Feſtorum propriorum comparatione.

Quæſt. 1. AN præferendum feſtum Dedicationis feſto Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ? 265

Quæſt. 2. An feſtum Dedicationis propriæ Eccleſiæ, & Patroni ſeu Tituli, præferenda ſint quibuslibet aliis Patronis, ſeu feſtis loci ſolemnioribus? 266

Quæſt. 3. Inter Patronos loci, Ordinis alioſve, uter alteri præferendus? 267

Quæſt. 4. Inter alia feſta quælibet propria æqualis inter ſe ſolemnitatis, utrum alteri in occurrentia præferendum? 267

CAPUT XII.

De Vigiliarum & Octavarum tranſlatione, ſeu potius anticipatione, ceſſatione & omiſſione.

Quæſt. 1. AN Officium Vigiliæ anticipandum? 267

Quæſt. 2. An Octava poſſit transferri, vel anticipari? 267

Quæſt. 3. Qualiter numerandi dies infra Octavam tranſlato feſto? 267

Quæſt. 4. An poſſit aliquando tota Octava transferri ſeu reſumi? 268

Quæſt. 5. An in aliis æquè valeat præfata exceptio, *Niſi Titularis Eccleſiæ*, &c. 268

Quæſt. 6. An omitti aliquando debet Octava, an ab incepta ceſſari? 268

Quæſt. 7. An fieri poſſit de die infra Octavam in Vigilia Epiphaniæ, & in Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis? 269

Quæſt. 8. Ut agendum de Octavis cum feſto ipſo ſeu principali ſeu ſecundario coincidentibus? 269

Quæſt. 9. Poſſitne tribui aliquibus Octavis, ut feſta infra eas occurrentia transferantur? 270

CAPUT XIII.

De Concurrentia Feſtorum in genere.

Quæſt. 1. QUid ſit Concurrentia, & inter quæ Officia reperiatur? 271

Quæſt. 2. Quis ſit effectus Concurrentiæ? 272

Quæſt. 3. An in Concurrentia majoris cum minore, & minoris cum majore, Veſperæ ſemper ſint integræ de majori? 272

Quæſt. 4. An in Concurrentia æqualium Veſperæ ſemper ſint à Capitulo de ſequenti cum commemoratione præcedentis? 273

Quæſt. 5. In quo fundatur major illa perſonæ dignitas? 273

Quæſt. 6. Quandonam item Veſperæ non dimidientur in concurrentia æqualium? 275

Quæſt. 7. An propter majorem Chori celebritatem tribuendæ ſint Veſperæ integræ uni feſto præ alio ipſi æquali? 275

Quæſt. 8. Veſperis de altero concurrentium Officiorum integris, vel à Capitulo factis, fitne ſemper commemoratio de altero? 276

Quæſt. 9. An mutari debeat aliquando ordo commemorationum in concurrentia? 276

Quæſt. 10. An contingat caſus aliquis, in quo Feriale Officium habeat concurrentiam? 276

CAPUT XIV.

De Concurrentia Feſtorum propriorum, tam activa, quam paſſiva, cum Feſtis in Calendario deſcriptis.

Quæſt. 1. SEmperne majora minoribus in ejuſmodi concurrentia præferenda? 276

Quæſt. 2. Semperne dimidiandæ Veſperæ in concurrentia feſti proprii cum alio ſibi æquali in Calendario deſcripto? 277

Quæſt. 3. An feſta propria primæ & ſecundæ claſſis ac majora per annum concurrentia cum æqualibus generalibus, ſemper habere debeant Veſperas integras? 277

Quæſt. 4. Ut agendum in concurrentia feſtorum propriorum Chriſti Domini, & B. Mariæ, cum aliis eorumdem Feſtis generalibus? 273

CAPUT XV.

De mutua inter ſeſe Feſtorum propriorum concurrentia.

Quæſt. 1. AN concurrentibus invicem Duplicibus propriis primæ vel ſecundæ claſſis, aut majoribus per annum, dimidiandæ ſint Veſperæ? 279

Quæſt. 2. Inter feſta propria æqualis ſolemnitatis, an & quæ ſint alia aliis digniora? 280

Quæſt. 3. Ut agendum concurrentibus de eodem Sancto feſtis propriis? 280

CAPUT XVI.

De initiis Librorum Sacræ Scripturæ transferendis, ſeu reſumendis.

Quæſt. 1. QUorumnam Librorum Sacræ Scripturæ, & quibuſnam diebus poſita ſint initia? 281

Quæſt. 2. An prædictorum omnium Librorum initia, cùm ſuo die impediuntur, in alium transferenda ſint? 281

Quæſt. 3. An contingat alias item Lectiones de Scriptura, quæ initium libri non ſunt, in aliam diem transferri? 282

Quæſt. 4.

Quæſt. 4. In quem diem transferri oporteat initia Librorum ſuo die impedita? 283
Quæſt. 5. Qua ratione prædictorum Librorum initia reſumantur? 283
Quæſt. 6. An contingat interdum omitti Lectiones, quæ ſunt initia Librorum Sacræ Scripturæ? 283

CAPUT XVII.

De transferenda Hiſtoria, ſeu Reſponſoriis primò poſitis,

Quæſt. 1. QUarumnam Hiſtoriarum Reſponſoria reſumantur? 284
Quæſt. 2. Sintne & aliarum Hiſtoriarum Reſponſoria reſumenda? 284
Quæſt. 3. Quænam cujuslibet Hiſtoriæ Reſponſoria ſint reſumenda cùm impediuntur? 284
Quæſt. 4. Qua die ſint reſumenda prædicta Reſponſoria? 285
Quæſt. 5. An contingat aliquando ejuſmodi Reſponſoria ſeu Hiſtoriam omitti penitùs? 285

CAPUT XVIII.

De Antiphonis cæteriſque per annum in Officio variandis ob concurſum Feſtorum propriorum.

Quæſt. 1. AN & quadie reſumendæ ſint Antiphonæ Laudum Dominicarum Adventus, quando occurrente feſto impediuntur? 285
Quæſt. 2. Quid ſtatuendum de Antiphonis Laudum ſex Feriarum ante Vigiliam Nativitatis, ſi æquè feſto impediantur? 286
Quæſt. 3. Quid de Antiphonis Majoribus, O, aliiſque privilegiatis, ſi itidem impediantur? 286
Quæſt. 4. Quænam ex tribus Miſſis Nativitatis Domini dicenda ab eo qui unam tantùm eſt celebraturus? 286
Quæſt. 5. An Antiphonæ, *Tecum principium*, cum Pſalmis Veſperarum diei Nativitatis dici debeant in Veſperis cujuſcumque feſti infra Octavam occurrentis? 286
Quæſt. 6. Quo die facienda commemoratio Dominicæ infra Octavas Nativitatis? 287
Quæſt. 7. An Homilia & Miſſa poſita pro die infra Octavam Nativitatis habeant alicubi locum extra diem Sabbati? 287
Quæſt. 8. Quæ Lectiones primi Nocturni tribuendæ feſto proprio occurrenti in ultimo triduo Decembris? 287
Quæſt. 9. An contingat initium Epiſtolæ ad Romanos poni extra Dominicam infra Octavam Nativitatis? 287
Quæſt. 10. Quæ Præfatio dicenda in Miſſa feſti proprii occurrentis in die Octava S. Joannis Evangeliſtæ? 287
Quæſt. 11. An Dominica infra Octavas Epiphaniæ anticipetur aliquando ultra Sabbatum? 288
Quæſt. 12. An ad anticipandam Dominicam II. poſt Epiphaniam poſſit aut debeat transferri feſtum Duplex? 288
Quæſt. 13. Quodnam è pluribus Semiduplicibus ſit transferendum, ut fiat locus prædictæ anticipationi? 288
Quæſt. 14. Qualiter facienda prædicta anticipatio infra Octavam aliquam? 288
Quæſt. 15. An in anticipatione aliarum Dominicarum poſt Epiphaniam perinde neceſſe ſit interdum transferri feſtum Semiduplex? 289
Quæſt. 16. Qua ratione deponendum *Alleluia*, Sabbato ante Septuageſimam, quando Veſperæ ſunt de feſto? 289
Quæſt. 17. Qui Pſalmi dicendi in primis Veſperis S. Agnetis, quando de ea dicuntur integræ? 290
Quæſt. 18. An tranſlato feſto Purificationis B. Mariæ facienda ſit nihilominùs Benedictio Candelarum? 290
Quæſt. 19. An in Eccleſiis ſub Titulo B. Mariæ dicatis, tranſlato feſto Purificationis, Miſſa nihilominùs de ipſo feſto dicenda ſit? 290
Quæſt. 20. An tranſlato item feſto Purificationis differri debeat Antiphona, *Ave Regina cælorum*? 291
Quæſt. 21. Sintne reſumendæ Antiphonæ de Laudibus Dominicæ Septuageſimæ, & ſequentium, ſi feſto impediantur? 291
Quæſt. 22. Sintne reſumenda Reſponſoria ex Evangeliis quarumdam Feriarum Quadrageſimæ? 291
Quæſt. 23. An tempore Quadrageſimæ Veſperæ in feſto Patroni poſſint cantari pomeridianis horis? 291
Quæſt. 24. Sitne omittendum Suffragium Patroni, quando in Oratione diei fit de eo mentio? 291
Quæſt. 25. Quandonam tegi debeant Cruces & Imagines? 291
Quæſt. 26. An dicendum *Gloria Patri* in Reſponſorio brevi Completorii, concurrente feſto cum Dominicis Paſſionis & Palmarum? 292
Quæſt. 27. An in Miſſis feſtorum tempore Paſſionis omittendus ſit Pſalmus *Judica*, & Verſus *Gloria Patri* ad *Lavabo*? 292
Quæſt. 28. An poſt commemorationem feſti Simplicis tempore Paſſionis, & infra Octavas Paſchæ & Pentecoſtes, addenda ſit in Miſſa tertia Oratio? 292
Quæſt. 29. Quæ Miſſa privatim dicenda in Sabbato Sancto? 293
Quæſt. 30. Quis ritus accendendi Cereum Paſchalem? 294
Quæſt. 31. Ut diſponenda Officia & Miſſæ quorumdam feſtorum, cùm ea extra tempus Paſchale transferri contingit, & è contrà? 294
Quæſt. 32. Utrùm infra Octavas Sanctiſſimæ Trinitatis fieri poſſit de feſto Semiduplici? 295
Quæſt. 33. An dicenda ſit nona Lectio de Homilia Dominicæ, ſeu Feriæ, quando idem eſt ejus Evangelium quod feſti? 295
Quæſt. 34. An dicendæ preces Feriales in Vigiliis quæ non jejunantur? 295
Quæſt. 35. Quodnam Officium faciendum in feſto duorum Sanctorum, quorum unus eſt Martyr, alter verò Confeſſor? 295

CAPUT XIX.

De utroque Officio B. Mariæ, tam Sabbato, quàm parvo.

Quæſt. 1. QUis ritus Officii B. Mariæ in Sabbato? 296
Quæſt. 2. A quibuſnam feſtis propriis impediatur Officium B. Mariæ in Sabbato? 296
Quæſt. 3. Quæ ratio habenda hujuſce Officii in concurrentia feſtorum propriorum? 296
Quæſt. 4. Quibus diebus omittendum Officium parvum B. Mariæ ratione feſtorum propriorum? 296
Quæſt. 5. An ex uſu proprio dici debeat prædictum parvum B. Virginis Officium aliis diebus quàm quibus à Rubrica notatur? 297
Quæſt. 6. Quis modus jungendi prædictum Officium cum Officio diei? 297
Quæſt. 7. Licetne aliqua in hoc Officio variare? 297

CAPUT XX.

De Pſalmis Gradualibus, Pœnitentialibus & Litaniis.

Quæſt. 1. QUandonam ratione feſtorum propriorum omittantur Pſalmi Graduales, & Pœnitentiales cum Litaniis? 298
Quæſt. 2. An ſint Pſalmi illi ex obligatione recitandi con-

conſtitutis Feriis, cùm nullum in iis feſtum occurrit? 298
Quæſt. 3. Quis modus prædictos Pſalmos jungendi cum Officio diei? 299
Quæſt. 4. An æquè omittantur Litaniæ conſtitutis diebus, ſi in iis feſtum occurrerit? 299
Quæſt. 5. Utrum translato feſto Sancti Marci transferendæ ſint etiam Litaniæ ſeu Proceſſiones? 299
Quæſt. 6. Qua ratione jungendæ Litaniæ cum Officio diei? 299
Quæſt. 7. Licitumne Litaniis Sanctos alios, aliaſque preces & Orationes addere? 300
Quæſt. 8. An in aliquo pertineant ad Feſta propria, Ordo Commendationis animæ, Benedictio menſæ, Itinerarium, & Præparatio ad Miſſam? 302

CAPUT XXI.

De Miſſis & Orationibus votivis.

Quæſt. 1. Quænam dicantur Miſſæ votivæ? 303
Quæſt. 2. De quibus ſint Miſſæ votivæ 303
Quæſt. 3. Unde deſumendæ Miſſæ votivæ? 304
Quæſt. 4. Quæ ſit rationabilis cauſa dicendi Miſſam votivam? 305
Quæſt. 5. Quotuplex ſit Miſſa votiva. 305
Quæſt. 6. Quibuinam diebus dici poſſint Miſſæ votivæ? 306
Quæſt. 7. An fas ſit aliis diebus quàm ex præſcripto Rubricarum conceſſis Miſſas votivas celebrare? 307
Quæſt. 8. An quandocumque exponitur Sanctiſſimum Sacramentum, dici debeat Miſſa votiva de eo? 308
Quæſt. 9. An poſſit dici Miſſa votiva de eo, de quo fit Officium? 308
Quæſt. 10. An de Sancto de quo non fit Officium, poſſit nihilominùs dici Miſſa die ipſius feſto? 308
Quæſt. 11. An & quando dicendum *Gloria in excelſis*, in Miſſis votivis? 308
Quæſt. 12. An & quæ Orationes dicendæ in Miſſis votivis? 310
Quæſt. 13. An & quando dicendum Symboldm in Miſſis votivis? 311
Quæſt. 14. Quæ Præfatio dicenda in Miſſis votivis, item an *Communicantes* propria? 311
Quæſt. 15. Quodnam Evangelium dicatur in fine Miſſarum votivarum? 311
Quæſt. 16. Sitne in Miſſis votivis retinenda aliqua de proprietate Temporis, vel Octavæ currentis? 311
Quæſt. 17. Quis uſus Orationnm in fine Miſſalis poſitarum? 312
Quæſt. 18. An poſſint dici ejuſmodi Orationes quandocumque non eſt Duplex? 312
Quæſt. 19. An dici quoque poſſint in Duplicibus? 312
Quæſt. 20. Quid cavendum in illis Orationibus? 313
Quæſt. 21. An aliæ item Orationes peti poſſint aliunde quàm ex hac ſerie diverſarum? 313
Quæſt. 22. An plures dici poſſint, & quo ordine? 313
Quæſt. 23. An in addendis Orationibus ratio ſemper haberi debeat imparis numeri? 314
Quæſt. 24. An completo ternario numero Orationum cuique liberum ſit quas volet addere? 316

CAPUT XXII.

De Officiis extraordinariis.

Quæſt. 1. An legitima ſint Officia illa extraordinaria? 316
Quæſt. 2. Quænam precationes in hiſce Officiis extraordinariis uſurpari poſſint? 317
Quæſt. 3. Quis ordo ſeu forma Officiorum ejuſmodi extraordinariorum? 317
Quæſt. 4. Quæ precationes adhibendæ in reconditione SS. Sacramenti? 317

CAPUT XXIII.

De Officio & Miſſa Defunctorum.

Quæſt. 1. Quibus diebus dicendum Officium Defunctorum? 318
Quæſt. 2. An Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum peragenda ſemper die 2. Novembris? 318
Quæſt. 3. An ſi toto menſe nulla fuerit dies non impedita, dicendum ſit nihilominùs Officium Defunctorum? 319
Quæſt. 4. Quid item facto opus, quando Feriæ omnes ſecundæ Adventus & Quadrageſimæ feſtis novem Lectionum impediuntur? 319
Quæſt. 5. An ſi jam dictum fuerit in menſe, dicendum ſit nihilominùs prima die non impedita? 319
Quæſt. 6. An & eo ipſo die, quo dicitur item pro Obitu ſeu Anniverſario alicujus defuncti? 319
Quæſt. 7. An dicendum in Vigilia Nativitatis Domini, cùm incidit in Feriam ſecundam? 320
Quæſt. 8. An ſit legitimus uſus recitandi aliis prætereà diebus Officium Defunctorum? 320
Quæſt. 9. Sitne legitimus uſus omittendi Officium Defunctorum præſcriptis à Rubrica diebus? 320
Quæſt. 10. Quibus diebus dicendum Officium Defunctorum pro Defunctis ſpeciatim? 321
Quæſt. 11. Ut computandi dies illi? 322
Quæſt. 12. An contingat non poſſe dici Officium Defunctorum prædictis diebus? 322
Quæſt. 13. An & qua ratione prædicta Officia reſumi poſſint alia die? 323
Quæſt. 14. Quæ ſit forma Officii Defunctorum? 323
Quæſt. 15. Quandonam dicendæ novem Lectiones in Officio Defunctorum, quando verò tres? 323
Quæſt. 16. Quandonam Officium Defunctorum fiat Duplex? 323
Quæſt. 17. Quandonam dicendum Invitatorium cum Pſalmo *Venite exultemus*, & Reſponſ. *Libera me Domine*, &c. 324
Quæſt. 18. Quandonam omittendus Pſalmus in precibus ad Veſperas & Laudes? 324
Quæſt. 19. Quandonam unica, & quæ dicenda Oratio? 324
Quæſt. 20. Eſtne Defunctorum nomen in Oratione ſemper exprimendum? 324
Quæſt. 21. Ut jungendum Officium Defunctorum cum Officio diei? 324
Quæſt. 22. Ut inchoandum ac terminandum, cùm ſeorſim dicitur ab Officio diei? 325
Quæſt. 23. Eſtne varietas uſuum in Officio Defunctorum? 325
Quæſt. 24. An poſſit Officium Defunctorum haberi loco

ri loco Officii Canonici, ita ut ſolum impendatur? 326
Quæſt. 25. Quibus diebus ordinariè dici debeat Miſſa Defunctorum? 327
Quæſt. 26. Quibus aliis diebus extraordinariè dici poſſit Miſſa Defunctorum? 328
Quæſt. 27. Quæ Miſſæ Defunctorum præfatis diebus dicendæ? 328
Quæſt. 28. Quæ Miſſa dicenda, cùm primùm reſcitur obitus alicujus in remotiore loco defuncti? 329
Quæſt. 29. Quot & quæ Orationes & quo ordine dicendæ? 329
Quæſt. 30. Quandonam dicenda ſequentia, *Dies iræ, dies illa*? 330
Quæſt. 31. Poſſintne aliqua in Miſſa Defunctorum ex alienis uſibus aſſumi? 330
Quæſtio 32. An aliquando dicenda eſt in Miſſa Defunctorum Præfatio alia quàm Communis? 331
Quæſt. 33. Quandonam in Miſſis vivorum dicenda Oratio pro Defunctis? 331
Quæſt. 34. Quænam & quæ loco dicenda? 331
CONCLUSIO OPERIS. 332

Suppeditabuntur in calce libri Indices alii quinque. Primus Sanctorum Patronorum, & aliorum quorum Feſta vel Nomina in toto hocce opere memorantur. Secundus Rerum ipſarum, quæ ſupradictis quæſtionibus agitantur. Tertius Textuum difficiliorum ex Rubricis tum Breviarii tum Miſſalis enodatorum. Quartus Authorum quorum laudantur teſtimonia. Quintus denique variarum Eccleſiarum ſeu Uſuum, quorum mentio paſſim incidit.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del P. Fr. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore, nel Libro intitolato: *Heortologia ſive de Feſtis propriis locorum &c. Auctore Carolo Guyeto Turonenſi*, non eſſervi cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 2. Giugno 1728.

{ Gio: Franceſco Moroſini Kav. Riſ.
{ Alviſe Piſani Kav. Proc. Riſ.
{

Agoſtino Gadaldini Segr.

HEOR-

HEORTOLOGIÆ
LIBER PRIMUS.
DE NATURA AC MULTIPLICI Feſtorum Propriorum genere.

ANguſtos nimiùm Philoſophiæ limites præfigunt, qui vim ejus omnem in perſcrutandis naturæ arcanis, aut abditiſſimis Theologiæ myſteriis evolvendis, poſitam eſſe putant. Habent inventa hominum ſuam & ipſa naturam, ſuaſque cauſas ac proprietates, quas perveſtigare, nec inhoneſtus eſt labor, nec verò etiam plerumque levis ac tenuis: maximè cùm & per ſe bona ſunt, de quibus ſic philoſophari aggredimur, & cauſas itidem habent Supremo Numini, ejuſque juribus connexas admodum, ac proximè cohærentes.

Quo in genere habendas nemo negaverit quæſtiones, quas de parte ſacrorum Rituum, haud exigua illa nec infima, Feſtorum videlicet cujuſque loci ſeu Eccleſiæ propriorum inſtituto ac ratione, tractandas ſuſcipimus; quorum indolem genuſque multiplex juvat imprimis explorare, non exacta illa diſputandi forma, quæ in ſcientiis ſpeculativis uſurpatur, ſemperque demonſtrationes optat, aut petitas à priori, ut ajunt, argumentationes, ſed plana ac facili rerum ſatis nonnunquam abſtruſarum explicatione: quam legendo quiſque vel mediocris ingenii capere ſic valeat, ut inde tamen faſtidio non ſit ſtomachis ad ſolidiora ſublimioris doctrinæ pabula aſſuetis. Quin & iiſdem guſtum acuet, ſcitum illud Philoſophi 1. *Ethic. cap.* 1. *Eſſe eruditi eatenus exactam in unoquoque genere explicationem requirere, quatenus pingi ipſius natura poteſt.* Sic itaque à nobis pingitur hocce primo libro prædictorum Feſtorum propriorum natura, ut primo ſtatim ac ſequenti capite, quæ ad ipſa in univerſum ſpectant, inveſtigentur: in ſequentibus verò à tertio ad decimum-ſextum incluſivè, de ſingulis ipſorum generibus ſpeciatim âgetur: tribus denique poſtremis capitibus, non ampliùs de Feſtis ipſis, ſed de quibuſdam eorum appendicibus erit diſputatio: qui proinde ordo poſtulat, ut in tres æquè ſectiones, haud tamen interrupta capitum ſerie, liber ipſe totus dividatur.

SECTIO PRIMA.

CUm ea ſit diſciplinæ cujuſvis tradendæ ratio omnium optima, receptoque Philoſophorum uſu præcipuè commendata, ut à communibus & generalibus ordiendo, ad propria & ſpecialia deinceps progreſſio fiat: Tractatum hunc præ aliis omnibus, ea agendi ratio decet juvatque maximè. Accipe itaque ſtatim à limine quæſtiones extraneas quidem, ac cum Jure Canonico aliiſque Facultatibus non nihil implicatas; ſed quarum elucidatio, ut ad ſcrutandam Feſtorum quorumvis propriorum indolem, juraque illorum univerſim evolvenda confert plurimum, ita viam ad reliqua, quæ agitanda erunt poſtmodum, ſternit paratque facillimam.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA FESTORUM PROPRIORUM generatim.

NOn te moveat è Philoſophiæ penu vox iſta deprompta. Ejus loco, ſi mavelis, Definitionem repone. Cùm enim de re qualibet quiſquis recta via philoſophari vult, primùm omnium rei ipſius naturam opus eſt cognitam perſpectamque habeat; hanc utique Definitio ipſa recludit, ac menti planam apertamque ſubjicit. Feſtorum itaque propriorum definitionem hic afferre proponimus, quæ ſi bona eſt, cùm vocum ipſarum nativa ſignificatione contineatur, non aliunde videtur eruenda.

QUÆSTIO I.

Quid Feſti nomine intelligatur?

Feſtum pro feriatione publica.

FEſtum, quod ad ritus Eccleſiaſticos attinet, in duplici ſenſu ſolet uſurpari. Primò quidem pro feriatione, ſeu ceſſatione à ſtrepitu forenſi, ſervilibuſque operibus, quæ certis diebus ex præcepto, ſeu generali totius Eccleſiæ, ſeu particulari loci alicujus, populo indicitur; iique dies vulgò Feſti appellantur: profeſti è contrà, qui ab ejuſmodi feriatione immunes ſunt. Secundò, Feſtum accipitur pro Officio, quod eſt de Feſto, cujus oppoſitum eſt Officium de tempore, ut patet ex *Rubr. 12. num. 2. & 3.*

Feſtum pro officio de feſto.

Primæ illius acceptionis uſus eſt tum in Jure, *Can. Pronunciandum, de conſecratione diſtin. 3. & cap. Conqueſtus, extra de feriis*; tum etiam apud vulgus, nulla alia agnoſcens Feſta, quàm quæ eo modo præcepta ſunt. Secunda verò acceptio propiùs ad rem noſtram ſpectat; nempè catenùs de Feſtis propriis tractatum hunc inſtituimus, quatenùs de iis agendum eſt Officium: uſu autem quotidiano compertum eſt, de multis Feſtis Officium divinum peragi, quæ minimè præcepta ſunt; indeque ortum diſcrimen, ut aliud dicatur Feſtum Chori, & aliud Feſtum fori. Et licèt de Feſto quoad forum, quæſtio inferiùs ſuo etiam loco agitabitur; hîc tamen ac reliquo deinceps toto Tractatu, de Feſto dumtaxat quantum ad Chorum ſeu Officium, nobis eſt ſermo.

Feſtum aliud chori, aliud fori.

QUÆSTIO II.

An feriatio publica ſpectet ad rationem feſti proprii?

ERrant vel ab ipſo limine, qui feſta haud alia agnoſcunt propria, quàm quæ publico cultu cernunt à clero pariter & à populo in locis ubi verſantur celebrari, cùm & multa ſint ejuſmodi, quæ tamen minimè propria ſunt; multa item propria, quæ publico illo cultu haudquaquam à populo ſervantur. Nam Feſta, verbi gratia, S. Sebaſtiani, S. Vincentii, S. Georgii, S. Catharinæ, S. Nicolai, & ſimilia, multis in locis à populo in præcepto habentur, nec tamen eorum locorum propria ſunt; cùm è contrà, Feſta, v. gr. S. Germani Pariſiis, S. Auſtregeſilii Biturigibus, S. Albini Andegavi, S. Exuperii Bajocis, & alia alibi paſſim, Eccleſiarum ſeu locorum iſtorum maximè propria ſint, ad quæ tamen populus nullo Eccleſiaſtico præcepto obligatur.

Multa feſta propria non ſunt de præcepto, & è contra multa de præcepto non ſunt propria.

Ex quo inferas, feriationem illam publicam, ſeu ceſſationem à ſervilibus, nihil ad feſti proprii rationem conducere; non quòd illa feſtis aliquibus propriis, ſaltem præcipuis, ut plurimùm non tribuatur; ſed cùm in multo pluribus æquè deſideretur, non poteſt eſſe norma ad ea certò dignoſcenda. Quin ſi eſſet, vide ut te falleret. Juxta recentem Conſtitutionem ab Urbano VIII. editam pro obſervatione Feſtorum, exempta ſunt nuperrimè Coriſopiti in Armorica, à publicæ feriationis obligatione, præter multa alia, Feſta S. Cognogani & Aloeii ejus Eccleſiæ Epiſcoporum; an ideò ceſſabis tu ab eorum Officio, quod olim ad inſtar illius Eccleſiæ faciebas? At Bulla id nequaquam attingit, aut quidquam innovat, niſi quoad feriationem publicam, cætera in integro relinquit; Ergo vel faciendum tibi Officium, uti priùs ſolebas; vel ſi putas non faciendum, neque priùs facere debueras. Hoc ultimum non concedes facilè, primum ergo verum eſt; verumque adeò non ex feriatione illa petendam eſſe rationem Feſtorum propriorum, ſed ex Chori ipſius ritu ac celebritate, quæ in Feſtis minimè feriatis tanta plerumque, imò major adhibetur, quàm in aliis feriatis, eò videlicet quia propria ſunt. Et ratio hujuſce rei congrua ſatis afferri poteſt, quòd videlicet populo nimis oneroſa eſſet plurium Feſtorum propriorum ejuſmodi feriatio: at Clero, cùm ex proprio munere incumbat ea divinis Officiis recolere, nedum id ipſi oneri eſt, ut etiam indulgentiæ ac levaminis loco habeatur.

Ratio feſtorum propriorum non petitur ex feriatione publica.

Denique ſi feriationis illius publicæ ratio habenda eſſet in ordinatione Officii, id ſignificaſſent vel ſemel alicubi Rubricæ, cùm tamen de hac re ſtrictum ſit in iis ubique ſilentium. Imò Gavantus optimus Rubricarum interpres *ſect. 2. Comment. Breviarii c. 2. n. 26*, cauſas enumerans, ob quas fas non eſt Officium qualibet die in Breviario præſcriptum immutare, expreſsè ait, *Neque quia Feſtum populi eſt de præcepto, vel conſuetudine, quod poteſt eſſe ſine Officio, ut Romæ Feſtum S. Rochi.*

Gavantus laudatur.

QUÆSTIO III.

Quid Proprii nomine intelligatur?

OPpoſita ſunt Proprium, & Commune; unde ſi tum communia Feſta dixeris, quæcumque in Calendario Romano, ſeu in univerſa Eccleſia recepta ſunt, propria ſtatim appellabis, quæ in particularibus quibuſque Eccleſiis vel locis celebrantur. Neque id ego abnuam, modò proprium non ſic reſtringas, quaſi ejuſmodi Feſta in iis dumtaxat Eccleſiis ſeu locis, quorum propria ſunt, ac nuſquam alibi fiant: latiùs ſiquidem vocem hanc uſurpamus pro quocumque feſto, quod ad Eccleſiam, ſeu locum aliquem, vel ad Religionem, aut Congregationem peculiari aliqua ratione ſpectat, quantumvis illud contingat in aliis quoque Eccleſiis ſeu locis, vel in aliis Religionibus, & Congregationibus, imò & in univerſa Eccleſia generatim celebrari: multis ſiquidem Sanctis quadrare poteſt, quod de uno pronunciavit Sanctus Ambroſius homil. de SS. Nazario & Celſo: *Licèt hic Mediolanenſium peculiaris putetur privilegio ſepulchri, ſed omnium eſt communione ſuffragii.* Sic Feſta, verbi gratia, S. Joannis, S. Petri, S. Stephani, &c. item S. Juliani, S. Eligii, S. Sulpitii, &c. Eccleſiarum ſub eorum nomine dicatarum ita propria ſunt, ut & illa nihilominùs in tota Eccleſia ſint communia, & iſta in multis aliis Eccleſiis ſimiliter dicatis æquè propria eſſe non deſinant; nec eſt, quòd in hoc tantillùm quis hæreat.

Verùm quænam ſit peculiaris ea ratio, quæ ejuſmodi Feſtum proprium conſtituat, haud ita exploratum eſt, variis varia pro ſuo nutu & arbitrio magis quàm certa ratione ſentientibus, adeò ut vix in ullo alio liberiùs erretur.

Alii ſiquidem confuſa quadam ac vaga nimis Patroni ſeu Titularis acceptione præventi, ſub ea voce comprehendi putant quotquot in quibuſvis locis extraordinaria Feſta occurrunt. Qui quidem, licèt in aliquibus caſu magis quàm arte non errent, in pluribus tamen eo ſæpè ſæpiùs decipi contingit.

Non omne feſtum proprium Patroni eſt.

Alii Feſtorum propriorum nuncupatione involvunt Feſta omnia, de quibus in propriis locis, vel Eccleſiis, ſeu Religionibus aut Congregationibus ſolemnitas aliqua, vel ſaltem Officium, quacumque tandem de cauſa fieri conſuevit; ſive illa Feſta ſint de præcepto, ſive non ſint. Nec ii fortè à vero aberrant, niſi quòd effectum pro cauſa ſubſtituunt. Neque enim ideò Feſtum aliquod loci alicujus vel Eccleſiæ proprium eſt, quia in eo loco vel Eccleſia de eo fit Officium vel ſolemnitas; ſed è contra, idcircò fit de eo Officium vel ſolemnitas, quia ejus loci vel Eccleſiæ proprium eſt. Quare illud ſupereſt ulteriùs indagandum, Quid cauſæ ſit, cur ejuſmodi Feſtum loci illius vel Eccleſiæ proprium cenſeatur?

Feſtum non ideò proprium eſt, quia de eo fit officium, ſed magis de eo fit officium quia proprium.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quot & quibus Titulis Feſtum aliquod cenſeatur proprium?

SUnt ii Tituli omnes, quotquot colligi potuerunt, numero tredecim; ad quos vix contingat ut non facilè revocentur, quicumque à nobis omiſſi, ab aliis fortè ſuggeri poterunt.

1. Dedicatio Eccleſiæ.
2. Patronus, ſeu Titulus Eccleſiæ.
3. Patronus, ſeu Titulus loci.
4. Inventio, Translatio, Ordinatio, aut alia Sanctorum Patronorum, præter Natalem, ſeu Depoſitionem, ſolemnitas, quam commodo vocabulo ſecundariam appellamus.
5. Reliquiæ.
6. Sancti locorum naturales, ſeu Indigenæ, ſeu Advenæ.
7. Eccleſiarum, aut Sanctorum inter ſe Societas, Affinitas, Cognatio, Vicinitas, &c.
8. Votum, ſeu Devotio publica.
9. Fundatio, ſeu Devotio Particularium.
10. Conſuetudo.
11. Sancti Regularium Ordinum Inſtitutores, Reſtauratores, Profeſſores.
12. Patronus aut Titulus Sodalitatis, ſeu Confraternitatis.
13. Patronus aut Titulus Capellæ, vel Altaris.

Commodioris verò enumerationis gratia, placuit illos omnes Titulos hiſce octo verſibus conſtringere:

Dedicat; Imponit nomen, ſeu Patrocinatur,
Invenit, aut Transfert, aliáſve patrata retexit,
Servat Reliquias, patria ſeu gente oriundi,
Sanguine conjuncti, Affineſque, locoque Propinqui,
Quos Votum, Legatum, Uſus demum ipſe recenſet:
Regula quos nectit, vel queis juvat eſſe Sodales
Auſpicibus, quos & tandem Altare, atque Sacellum
Invocat; hæc tibi ſint Propriorum nomine feſta.

Unum idemque feſtum pluribus Titulis poteſt eſſe proprium.

Porrò ii Tituli ſic à ſe invicem ſunt diverſi, ut tamen plures interdum uni eidemque feſto proprio quadrare poſſint, putà ſi idem Sanctus Patronus eſt, ſeu Titulus Eccleſiæ ſimul & loci vel Ordinis: Item ſi naturalis loci, ſi habeantur ejus Reliquiæ, &c. quæ quidem ſolemnitatem eò majorem efficiunt, quò plura iſtiuſmodi ſimul concurrunt.

Jam de iis ſingulis ſeorſim agendum erit ſingulis Capitibus, ubi quæ ad eorum univerſim rationem ſpectant, reliquis hujuſce Capitis quæſtionibus, breviter, quantum fas erit, abſolverimus.

QUÆSTIO V.

Quid loci & Eccleſiæ nomine intelligatur?

DIfferunt locus & Eccleſia, ut majus & minus, ſeu ut continens & contentum. Locus enim ut plurimùm, multas continet Eccleſias; Eccleſia verò quælibet per ſe ſingularis eſt, licèt aliquæ alias ſibi ſubditas ac dependentes habeant.

Locus dicitur de tota Diœceſi, Civitate, &c.

Loci igitur nomine, venit vel Regnum totum, ſeu tota Provincia, vel tota Diœceſis, aut Civitas, aut Oppidum, in quibus feſtum aliquod univerſim celebratur. Per Eccleſiam verò intellige quamlibet particularem ædem ſacram: ſic enim accipitur Eccleſia in jure tum Civili, tum Canonico, quam Ἐκκλησιαστήριον appellat Iſidorus Peluſiota *Epiſt.* 174. ad diſtinctionem Ἐκκλησίας, quando videlicet Congregationem fidelium ſignificat.

Eccleſia eſt quælibet ædes ſacra.

Ut autem utriuſque ſeu loci, ſeu Eccleſiæ, in eo quod ad Feſtorum propriorum rationem attinet, notio perfectior habeatur, inprimis inveſtiganda multiplex Eccleſiarum, indeque locorum differentia; ex ea quippè facilis pendet plurimorum in hac tota materia dubiorum explicatio.

QUÆSTIO VI.

Quotuplex ſit Eccleſiarum differentia?

MUltas recenſet Azor. *par.* 2. *lib.* 9. *cap.* 3. *q.* 14. quas nos eo ordine, qui ad inſtitutum noſtrum pertinet, referemus.

Primò igitur ratione muneris, ſeu functionis, alia eſt Cathedralis, alia Collegiata ſeu Conventualis, alia Parochialis ſeu Baptiſmalis. Cathedralis eſt, in qua Epiſcopus ſedem habet, ſuaque obit Pontificia munia. Collegiata, in qua eſt Collegium Clericorum ad divina Officia ſtatis quotidie horis celebranda convenientium. Quæſtio eſt, an eadem jure communi dicatur quoque Conventualis? Aſſerunt Abbas, Hoſtienſis & alii Canoniſtæ, & colligitur ex *cap. Cum terra, de elect.* ubi ſtatuitur, *ut forma electionis canonicè in omnibus Eccleſiis Conventualibus obſervetur; & cap. Nobis fuit, de jurepatronatus*, ubi Gloſſa in verbo, *Conventuali*, dicit, *Conventualem dici Eccleſiam, ex quo duo, vel tres in Collegio ſunt*. Et verò ſynonyma ſunt, Conventus, Collegium & Capitulum. Obtinuit tamen uſus vulgaris, ut Collegiata dicatur Eccleſia Canonicorum ſæcularium, Conventualis verò Religioſorum, quæ ſi Abbatem habet, Abbatialis quoque dicitur.

Cathedralis Eccleſia.
Collegiata.
Conventualis.
Abbatialis.

Parochialis eſt, in qua populo miniſtrantur Sacramenta, & verbi divini pabulum: ab eo ſiquidem munere dicti ſunt Parochi, quo nomine appellabantur apud Romanos, qui Legatis Regum, Principum ac populorum Romam miſſis, atque hoſpitio receptis, ſalem & ligna, hoc eſt omnium rerum copiam ſuppeditabant; niſi mavis Parochum dici quaſi Parœcum, qui Græcis eſt incola, ſive habitator in loco, ut habet Pomponius Juriſconſultus *in leg. Pupillus, ff. de verborum ſignific.* Eadem quoque dicitur Baptiſmalis, ob Fontem aquæ ad Baptiſmum ſanctificatæ, quem ſemper habet; ut ait Azor. *eadem par.* 2. *lib.* 13. *cap.* 12. *q.* 3. Quæ eſt Parochialis, eo ipſo eſt Baptiſmalis, non contra, quæ Baptiſmalis, eo ipſo eſt Parochialis: habent enim aliquæ Abbatiales & Collegiatæ Fontem Baptiſmalem, quæ tamen non habent populum ſibi ſubjectum. Sicut & ſunt aliquæ Parochiales, quæ Baptiſmales non ſunt, cùm fonte careant, ſintque infantes baptizandi, ad aliquam Eccleſiam Abbatialem, à qua ipſæ pendent, deportandi: unde in hoc fallit Azorii regula.

Parochialis.
Parochi unde dicti.
Baptiſmalis.

Secundò, ratione auctoritatis ſeu juriſdictionis, præter Eccleſiam Cathedralem, quæ juriſdictionem habet in omnes ſubditas Diœceſis Eccleſias, eſt & Metropolitana, ſeu Archiepiſcopalis, quæ jus obtinet in ſubditam ſibi Provinciam. Item Primatialis, cujus videlicet Primas multis Provinciis præficitur. Denique Patriarchalis, quæ habet Patriarcham. An verò, & qua ratione differant Patriarcha & Primas, ſicut & de variis eorumdem inter ſe contentionibus, tractat pluribus idem Azor. *lib.* 3. *cap.* 35. quem rerum iſtarum curioſus indagator poterit conſulere. Sunt autem in urbe Roma Eccleſiæ quatuor dictæ Patriarchales κατ' ἐξοχὴν, hoc eſt Primariæ & Principales, videlicet Sancti Joannis in Laterano, quæ & eadem Cathedralis eſt Romana, Sancti Petri in Vaticano, Sancti Pauli via Hoſtienſi, & S. Mariæ Majoris in Monte Exquilino.

Metropolitana Eccleſia.
Primatialis.
Patriarchalis.
Romæ quatuor Patriarchales Eccleſiæ.

Huc quoque pertinent duæ aliæ Eccleſiarum nomenclaturæ, Matrix videlicet & Curata. Matrix dicitur ea Eccleſia, quæ vel juriſdictionem habet in alias ſibi ſubjectas, ut Cathedralis, *cap. Placuit, de præſcript. & cap. Venerabili, de verbor. ſignific.* vel quæ oppidi primaria eſt, ac præ aliis dignior, *Clement.* 1. *de ſentent. Excommunic.* vel denique eadem, quæ Baptiſmalis, quippè quæ *ſicut mater generat, ita & ipſa regenerat*, ait Gloſſa ibidem.

Eccleſia Matrix.

Sed cùm acceptiones hæ cum præcedentibus coincidant, huc facit præcipuè alia ab iis diſtincta, qua Matrix dicitur ea Eccleſia, à qua aliæ excerptæ & quaſi progenitæ ſunt, *cap. Ad audientiam, de Eccleſ. ædific.* Et licèt capitis hujus ſpecies ſit de Eccleſia Parochiali, par eſt nihilominùs ratio cujuſcumque alterius; adeòque Abbatiales, Collegiatæ, aliæque ejuſmodi Eccleſiæ, quæ juſpatronatus in alias obtinent, earum quoque dici poſſunt Matrices, tum quia illæ ab his dependent, tum quia fortè etiam ortum ducunt: quo item ſenſu Cathedrales ipſas, & præ illis Metropolitanas dici quoque, & quidem propriiſſimè Matrices, obſervabitur inferiùs.

Eccleſia Curata.

Curata verò Eccleſia ea eſt, quæ curam habet animarum: interiorem quidem, ut Parochialis omnis, ad cujus Rectorem pertinet Sacramenta populo adminiſtrare; exteriorem verò, hoc eſt, in foro contentioſo, ut aliquæ Conventuales & Collegiatæ, quarum Præpoſitus poteſt ſuſpendere, excommunicare, interdicere, viſitare, inquirere &c. ut conſtat ex *cap. Dudum, 11. de electione, verſ. Sed cum in jure*. Eſt autem in his diſcrimen notabile, quòd Parochialis omnis curam habet animarum; ſed non omnis quæ curam habet, eſt Parochialis.

Eccleſia Sæcularis & Regularis.

Tertiò, ex conditione perſonarum, alia eſt Eccleſia Sæcularis, & alia Regularis. Diſtingue autem inter Eccleſiam, & Beneficium regulare; poteſt enim Beneficium eſſe regulare, & tamen Eccleſia erit ſæcularis, ut ſunt Eccleſiæ illæ Parochiales, quarum Beneficium pendet ex alia qualibet Regulari Eccleſia, & tenetur per Parochum Regularem.

Eccleſiæ Majores & Minores.

Quartò denique, à dignitate & excellentia dicuntur Eccleſiæ, aliæ præcipuæ ſeu Majores, aliæ verò Minores. Prioris generis cenſendæ ſunt, ait Gavantus Comment. in Rub. Miſſalis *par. 1. tit. 19. n. 6. litt. E, Collegiatæ inſignes Canonicorum Cleri ſæcularis, & quæ ob alias cauſas Præcipuæ à populo ſeu à Majoribus declarantur*. Sed quæ ſunt eæ cauſæ? An quia numeroſus eſt Clerus? An quia ampla & magnifica ædificii moles? An quia juriſdictionem obtinent in alias, aut aliæ ab aliis dependentiam aliquam habent, aut in eas ad Proceſſiones generales conveniunt? Sunt hæ omnes cauſæ legitimæ, ob quas non tantùm Collegiatæ, ſed potiori etiam jure Abbatiales nonnullæ, quæ vix & Monachorum numero, & fabricæ amplitudine, aliiſque prærogativis Cathedralibus cedunt, pro Majoribus communiter reputantur. Quin & iis haud obſiſtam, qui in eum quoque ordinem referent Parochiales illas Pariſienſes, aliaſque alibi iis non diſſimiles, copioſo Clero, frequentique populo refertas, ac divinorum Officiorum cultu apparatuque inſignes, ſicut & Conventuales quaſdam Mendicantium iiſdem pariter notis commendabiles: quibus omnibus Planetarum plicatarum uſum conceſſum eſſe aſſerit idem Gavantus; Minoribus verò aliis, quæ iis notis carent, non item.

QUÆSTIO VII.

Quotuplex ſit loci differentia, quantum ad Feſta propria attinet?

De hac re copioſiùs diſputabitur *cap. 7. & 10.* ubi de Patrono loci, & Sanctis locorum naturalibus. Unum hic tantùm juvat obſervare, loci nimirùm & Eccleſiæ non omninò parem in hoc eſſe rationem.

Feſtum proprium vel abſolutè tale eſt, vel relativè.

Feſtum enim Eccleſiæ proprium abſolutè tale eſt, quatenùs videlicet ad ipſammet Eccleſiam per ſe ſpectat, ſine ullo reſpectu ad aliam Eccleſiam. Locus verò conſiderari poteſt vel abſolutè, vel reſpectivè: ſeu quod idem eſt, Feſtum quod fit in loco, vel fit abſolutè, hoc eſt ſine ullo reſpectu ad ullam Eccleſiam ſuperiorem, vel reſpectivè, hoc eſt cum ejuſmodi reſpectu. Primus modus vix contingit, niſi in Feſto Patroni principalis loci, qualem deſcribemus *cap. 7. q. 5.* nam cùm is ad totum locum communiter ſpectet, ſive electione, ſive uſu ac traditione à majoribus accepta, omnes & ſingulas loci Eccleſias æquè primò attingit, adeòque non in una ſit propter aliam; quod & locum utcumque habere poteſt in in Feſtis Sanctorum locis naturalium, de quibus *cap. 10.* Cætera verò Feſta, quæ eatenùs loci propria ſunt, quatenùs ad Eccleſiam loci primariam ſpectant, & ab ea ad alias inferiores extenduntur, non abſolutè, ſed reſpectivè fiunt, hoc eſt cum reſpectu ad primariam illam Eccleſiam. Opus itaque eſt indagare, quænam ex ſuprà recenſitis Eccleſiarum differentiis reſpectum illum inducant? Et quidem cùm reſpectus ille in juriſdictione, aut dependentia aliqua fundetur, illud univerſim aſſeri poteſt, iis tantùm Eccleſiis id competere, quibus jus eſt in alias, ſeu prærogativa aliqua. Quæ autem illæ ſint, ſpecialiùs inquirendum.

QUÆSTIO VIII.

Quarumnam Eccleſiarum reſpectu Feſta dicantur loci propria?

Reſpectus ille cùm in juriſdictione, ut dictum eſt, ſeu prærogativa aliqua fundetur; neque allata prima Eccleſiarum differentia, ratione muneris ſeu functionis; neque tertia, ex conditione perſonarum; neque quarta, ratione præcisè dignitatis & excellentiæ, hunc inducere valent; ſed ſola ſecunda, quæ ex auctoritate ac juriſdictione petitur.

Juriſdictio duplex, Politica, & Hierarchica.

Eſt autem auctoritas ſeu juriſdictio duplex hic attendenda: Politica una, quæ ad cauſas, appellationes cæteraque fori contentioſi negotia pertinet; altera Hierarchica, cujus partes ſunt ſacrum Cultum, & quæ univerſim ad Religionem ſpectant, curare & ordinare: & hæc quidem eſt juriſdictio, qua pollere oportet Eccleſiam, ad hoc ut Feſtum illius aliquod proprium ad reliquas loci Eccleſias extendatur, adeo ut nec politica illa ſufficiat. Hoc poſito, via facilis eſt ad quæſtionis propoſitæ ſolutionem.

Communiter non dantur feſta propria Provinciæ.

Nam primò, reſpectu Eccleſiæ Patriarchalis, Primatialis ac Metropolitanæ, non dantur communiter Feſta totius Provinciæ propria, quia videlicet auctoritas & juriſdictio illarum Eccleſiarum magis videtur eſſe Politica quàm Hierarchica: neque jus eſt Patriarchis, Primatibus aut Archiepiſcopis in ſubditas Diœceſes, quoad ſacra, niſi Epiſcoporum Suffraganeorum defectu, aut per appellationem ab ipſis, aut ad ſummum Archiepiſcopo, dum actu viſitat Provinciam.

Canon Concilii Toletani explicatus.

Dices: *Can. de iis, diſt. 12.* præcipitur ex Concilio Toletano XI. ut uniuſcujuſque Provinciæ Cives, Rectoreſque Eccleſiarum, eumdem in pſallendo modum teneant, quem à Metropolitana Sede cognoverint inſtitutum: ex quo planè ſequitur, ut & Feſta illius propria debeant obſervare. Reſpondeo primò, Canonem iſtum non agere de Feſtis, ſed de forma divini Officii, quam vult unam eſſe per totam Provinciam; unitas verò illa non exigit, ut eadem omnia ubique Feſta celebrentur. Reſpondeo ſecundò, quod habet gloſſa in ſequentem Canonem *Placuit*, huic capitulo derogatum per contrariam conſuetudinem. Utut ſit, non inficior in ſuffraganeis plerumque Eccleſiis ſervari Feſta aliqua propria Metropolitanæ; ſed id fit potiùs titulo cognationis, affinitatis, aut alio ſimili, de quibus agetur infrà *cap. 10. & ſequent.* quàm ratione dependentiæ. Ne quis tamen duriùs mihi obſiſtat, addidi in aſſertione, *communiter*.

Dantur maximè feſta Diœceſis propria.

Secundò, reſpectu Eccleſiæ Cathedralis propriiſſimè dantur Feſta loci, ſeu totius Diœceſis propria: habet illa ſiquidem directam & ordinariam juriſ-

juriſdictionem Hierarchicam in omnes Diœceſis Eccleſias, (ſaltem in non exemptas,) taliſque eſt uſus omnium Cathedralium, ut earum propria Feſta ad totam Diœceſim pertinere cenſeantur: (An verò omnia, mox diſputabitur.) Quin & ob id præcipuè factum eſt, ut unaquæque ſuum aliàs haberet Breviarium proprium ab aliis diſtinctum, quod etiamnum poſt Bullam Pii Quinti retinuere permultæ, utpote ducentis annis antiquius; aliæ verò, quæ Romanum novum dicti Pii Quinti amplexæ ſunt, non ideò ſuis propriis Feſtis renunciarunt; imò ad eas ſpectat maximè quidquid paſſim in Rubricis præſcribitur, de Feſtis propriis locorum, ut in ſequentibus demonſtrabitur, quando ſe dabit occaſio.

Dantur feſta propria loci exempti intra fines juriſdictionis.

Tertiò, Eccleſiæ Abbatiales & Collegiatæ inſignes, quæ ab Epiſcopi juriſdictione exemptæ, ſuam ipſæ juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in certo territorio, quod inſtar Diœceſis eſt, obtinent, tales quoque ſunt, ut earum reſpectu dentur feſta propria, quæ ab ipſis in totum ſuæ juriſdictionis locum extendantur. Patet ex eo, quòd paris juris pares ſunt effectus: uſus quoque id confirmat Eccleſiarum ſancti Martini Turonenſis, S. Quintini Veromanduorum, & aliarum, quæ ſua utique habent Breviaria propria, in Eccleſiis ſuæ ditionis uſitata; item ſancti Germani à Pratis Pariſienſis, cujus feſta propria S. Vincentii, & S. Germani in ſubdito ſibi ſuburbio, etiam ſub præcepto ſervantur. Nec obſtat S. Rituum Congregationis decretum, *ne feſtum cum officio fiat, eo quod in loco adſit Eccleſia Abbatialis, &c.* Id enim nequaquam intelligendum de Abbatiali, quæ talem habet juriſdictionem, ut ſequenti quæſtione demonſtrabitur.

Non dantur feſta propria loci jure Patronatus, aut anteceſſionis Eccleſiæ præciſè.

Quartò, Eccleſiæ illæ Matrices, Curatæ & Majores, quales antè *quæſt.* 6. definivimus, cùm ut ſic juriſdictionem ſacram & hierarchicam non habeant in inferiores ſibi Eccleſias, ſed tantùm politicam, fundatam in jure fori vel patronatus, aut anteceſſionis; neque etiam tales ſunt, ut earum feſta propria ad dictas inferiores Eccleſias extendantur; quòd ſi ſecùs alicubi fiat, id vel qualitati feſti, quod fortè eſt Sancti loci naturalis; vel conſuetudini, aut alteri cuivis titulo, quàm dependentiæ tribuendum.

Qualiter dentur feſta propria Parochiæ?

Quintò, Eccleſiæ omnis Parochialis feſta propria, quoad abſtinentiam à ſervilibus, quando ea in præcepto ſunt, ad totius Parochiæ ambitum extenduntur. An verò etiam quoad Officium? certum quidem eſt reſpectu omnium Clericorum, qui de gremio ſunt illius Eccleſiæ; reſpectu verò Eccleſiarum Collegiatarum aut Conventualium in Parochia ſitarum, ſed quæ ipſi in nullo ſubditæ ſunt, imò fortè ſunt ipſi ſuperiores, dubium eſt alibi ſolvendum.

Lib. 2. c. 16. § 7.

Feſta Regularium nõ tã loci propria ſunt, quàm Ordinis.

Sextò, Eccleſiarum Regularium ut talium feſta propria, nulla ſunt quæ ad locum, nulla item quæ ad alias ejuſdem Ordinis Regulares Eccleſias extendantur; ſed quæcumque priora ſunt Ordinis, ea communiter & æquè primò ad omnes Ordinis Eccleſias pertinent; niſi fortè in iis Eccleſiis Regularibus, quæ ab uno Capite pendent, ut in Ordinibus Præmonſtratenſi, Cluniacenſi & aliis, quibus Officium totum perſolvendum eſt ritu, imò & ex Breviario proprio Capitis.

QUÆSTIO IX.

An feſta omnia propria Eccleſiæ Cathedralis, & aliarum quæ juriſdictionem habent, ad Eccleſias ſubditas hæ pertineant?

Feſta propria Eccleſiæ Cathedralis, ut talis eſt, pertinent quoque ad Diœceſim, non autem alia ipſi ſingularia.

UNiverſim tantùm proponitur hæc quæſtio, ſpeciatim poſtmodum examinanda tractatu proprio, ad finem libri ſecundi. Nunc itaque ſic reſpondeo: Quæcumque feſta Eccleſiæ Cathedralis, ſeu alterius habentis juriſdictionem, ut talis propria ſunt, ea protinùs ad univerſum juriſdictionis locum, atque adeò ad ſubditas omnes Eccleſias extenduntur: Quæ autem ad ipſam ſpectant, ut particularem tantùm, ſeu ut hæc numero eſt Eccleſia, non item. Primi generis, ſunt Dedicatio ipſiuſmet Eccleſiæ Cathedralis, feſtum Patroni ſeu Titularis ejuſdem, feſta item Patronorum ſecundariorum, & aliorum Sanctorum Diœceſis naturalium, de quibus agetur infrà *cap.* 7. 8. & 10. Poſterioris verò feſta Reliquiarum, ex voto, fundationis, affinitate, & ſimilia, de quibus itidem *cap.* 9. & 11.

Ratio verò diſcriminis hujus eſt, quòd cùm Eccleſia Cathedralis, loci ſeu Diœceſis caput ſit, ac reliquarum Eccleſiarum ſibi ſubditarum parens, quæcumque feſta ſub hoc nomine propria colit, ea quoque locum ipſum ſubditaſque Eccleſias attingere, vel ex ipſis Rubricis colligitur. Quorſum enim tam ſæpè in iis locus, ſeu Eccleſia ſub disjunctione memorantur, niſi quia poteſt feſtum aliquod eſſe Eccleſiæ duntaxat proprium, & non loci? Quod autem loci proprium eſt, ferè ſemper tale eſt ratione alicujus Eccleſiæ, quatenus videlicet ipſa Eccleſia juriſdictionem habet in loco: ergo quæcumque Eccleſia juriſdictionem habet in loco, conſequens eſt, ut hujus feſta propria ad ipſum quoque juriſdictionis locum extendantur. Quia verò ſicut ipſamet Eccleſia, præterquàm quòd Cathedralis eſt, ſeu primaria, juſque habet in ſubditas Eccleſias, habet quoque jura ſibi ſingulariter propria; ita poteſt feſta aliqua celebrare Titulo ſibi uni proprio, nec ad juriſdictionem ullatenùs ſpectante; certè æquum non eſt, ejuſmodi feſta extra illam ad alias Eccleſias deduci. Hincque eſt, quòd in multis Calendariis propriis Diœceſum frequenter habetur hæc clauſula (*in Eccleſia Cathedrali tantùm.*) Errant ergo, qui nullo diſcrimine adhibito, quæcumque feſta in Calendario Diœceſis, ſeu Eccleſiæ primariæ proprio deſcripta legerint, ea ſibi protinùs celebrare fas putant, compendiorum utique magis quàm cultus Sanctorum indagatores ac ſcrutatores ſolliciti.

Eccleſia Cathedralis, ut ſingularis Eccleſia, poteſt habere feſta ſibi uni propria.

Explicatur Gavantus.

Noſter verò eſt Gavantus, dum ait *ſect.* 2. *Comment. Breviar. cap.* 2. *num.* 26. *Non eò fieri debere Officium de Sancto aliquo, quia conformare ſe debent Eccleſiæ minores Matrici ſeu Cathedrali*: Noſter, inquam, eſt; non enim abſolutè negat de Sanctis, qui in Eccleſia Cathedrali ſeu Matrice celebrantur, fieri debere Officium in minoribus Eccleſiis; ſed non ob eam præciſè rationem, quòd iſti ſe illæ conformare debeant: fallit enim hæc regula in aliquibus.

QUÆSTIO X.

An Eccleſiæ exemptæ teneantur nihilominùs ad feſta locorum propria?

Eccleſiarum exemptarũ duplex ratio, aliæ ratione loci primò & per ſe, aliæ ratione perſonarum.

ECcleſiæ exemptæ in duplici ſunt differentia ex Panormitano *in cap. Tuarum, de privilegiis.* Aliæ quidem primò & per ſe, ex immunitate videlicet loco ipſi à Pontifice præſtita, & ratione loci ad perſonas pertinente. Tales ſunt Eccleſiæ S. Dionyſii in Francia, S. Germani à Pratis Pariſiis, S. Medardi Sueſſione, S. Quintini Veromanduorum, S. Aniani Aurelianenſis, S. Juliani Brivatenſis, S. Maximi Cajonenſis, aliæque quamplurimæ: præ omnibus verò Eccleſia S. Martini Turonenſis ſexdecim Bullis Pontificum hoc privilegio donata, cujus ad inſtar cæteris ferè omnibus par conceſſum eſt. Aliæ verò non primò & per ſe, ſed ratione Clericorum, aut Monachorum, quibus addictæ ſunt. Tales ſunt Eccleſiæ Mendicantium, & aliorum Regularium qui in Congregatione vivunt; nam cùm ex privilegio Pontificis, à juriſdictione Ordinariorum ſint exempti, privilegium ejuſmodi ſuis ipſi inferunt Eccleſiis, ac domiciliis.

Igitur primi generis Eccleſiæ exemptæ, cùm habeant ipſæ proprium veluti territorium, & quaſi Diœceſim, aut ſe potiùs nullius eſſe Diœceſis aſſerant, poſſent conſequenter dici exemptæ à celebratione feſtorum Diœceſanorum; tum quia Ordinariis, à quibus feſtorum ejuſmodi obligatio manat, minimè ſubjectæ ſunt; tum quia habent & ipſæ ſua feſta in ſuo æquè territorio ſervanda. Verùm huic reſolutioni repugnat uſus planè contrarius; nam & Pariſiis feſta S. Marcelli & S. Genovefæ, tam quoad chorum, quàm quoad forum, perinde ſervantur in oppido S. Dionyſii, & in ſuburbio S. Germani, atque in reliqua Diœceſi. Itidem Turonis feſta S. Mauritii, S. Gatiani & S. Lidorii in ditionibus S. Martini & S. Maximi Cajnonenſis, &c. Nec immeritò; iniquum enim eſſet, ut ejuſmodi exemptione, quæ ad terrarum dumtaxat jura ſpectat, quidquam Sanctorum illorum cultui detraheretur, quos ut non à cœleſti gloria, ſic nec à priſtina protectione talis ſolvit exemptio. Unde probare non poſſum, quòd in uſu proprio Eccleſiæ S. Martini de præfato S. Lidorio ſimplex tantùm commemoratio præſcribatur: ſicut nec quòd Ponteſiæ (oppidum eſt Diœceſis Rothomagenſis) immunitatis cujuſdam prætextu extinctum ſit S. Romani feſtum, in reliqua Diœceſi celebre. Haud tamen improbem, non omnia quæ in Diœceſi ſiunt feſta, in locis illis exemptis obſervari, de quo pleniùs aliàs; at præcipua illa quæ Clero populoque communia ſunt, quis ferat omitti?

Feſta propria ſervanda ab Eccleſiis intra Diœceſim exemptis per ſe.

Quæ rationes æquè valent pro Eccleſiis ſecundo modo exemptis; neque enim præſumendum eſt, Mendicantium & aliorum Regularium privilegiis, receptam in locis, in quæ admittuntur, Sanctorum propriorum venerationem obliterari. Quinimò plerique illorum de iis feſtivo Officio colendis ſtatutum habent, ſeu in Ceremoniali, ſeu in Breviario proprio, prout ſuo loco referemus, ubi de ritu ejuſmodi feſta celebrandi diſputandum erit. Neque eſt quòd quis opponat multis conceſſum eſſe privilegium, ut ad feſta localia minimè teneantur attendere, modò ſe in Officio Miſſæ populorum devotioni accommodent; tale enim privilegium, ut & multa ejuſmodi alia, iis petentibus datum eſt, qui ſe vel cura ac ſollicitudine feſta illa indagandi, vel ſi quid in hoc peccaverint, conſcientiæ ſtimulis nimiùm angi ægrè ſuſtinent: cujus utique privilegii uſu, alii ſe libenter abdicant, qui ut ſui muneris adimplendi ſtudioſiores, ita etiam ingenio firmiores ſunt, quàm ut leviter adeò moveantur.

Servanda item ab Eccleſiis Regularium exemptorum.

QUÆSTIO XI.

Undenam feſtorum ubique communium ſeries colligi poſſit?

Feſtorum propriorum indoles, cui perveſtigandæ laboramus, non poteſt ex ullo meliùs agnoſci, quàm ex ipſamet communium recenſione; non quòd feſta, quæ ubique communia ſunt, eadem non poſſint particularis Eccleſiæ ſeu loci eſſe propria, uti jam *quæſt.* 3. præmonuimus; verùm ex illorum indice, ſaltem illud certò conſtabit, cætera quæ in eo deſunt, ad loca ea vel Eccleſias, in quibus celebrantur, peculiari aliquo Titulo pertinere. Juvat itaque feſtorum ubique communium indicem texere.

Feſta communia poſſunt eadem eſſe propria.

Sed unde hunc eruas? An ex Kalendario Romano? Utique ex nullo alio certiùs; tum quia Oecumenicum eſt Breviarium Romanum Pii V. juſſu editum, ab omnibus Eccleſiis, quæ proprium ducentis annis antiquius non habent, neceſſariò; ab aliis verò, ſi illis placuerit, accedente Epiſcopi & Capituli conſenſu, liberè ſuſcipiendum; qua ratione feſta omnia in eo deſcripta, ubique locorum & Eccleſiarum ſunt celebranda: tum quia quæcumque in eo feſta habentur, illa ipſa ſunt, quæ vel jure communi, vel conſuetudine antiquiſſima, uſu ubique recepta, vel certè poſterioribus Pontificum decretis inducta fuere.

Breviarium Rom. Oecumenicum.

His adde omnia Calendaria Eccleſiarum particularia etiam antiquiſſima, ex Romano videri deprompta, inſertis tantùm, quæ cujuſque propria ſunt feſtis; nam cætera ferè omnia Sanctorum ſunt, qui quòd Eccleſias Romæ haberent, feſtivo ibidem præ aliis ritu colebantur. Teſtis eſt hujuſce rei locuples, Radulphus de Rivo Decanus Tungrenſis in Calendario, quod ipſe exaravit ante annos ducentos & quinquaginta, ubi feſta ſingula ſic ſolet deſignare; communia videlicet hac nota, *Ubique*, vel *Communiter ex auctoritate Romana*: Particularia verò, ſeu non ubique recepta, nuncupato loco, hiſce formulis, *Leodii*, *Bruxellis*, &c. vel *apud Noſtrates*, vel *Noſtrates ex Treveri*, *Moguntia*, *Herbipoli*, &c. Conſtat item ex alio longè vetuſtiore Monaſterii S. Genovefæ Pariſienſis Calendario, quod ad Gregorii II. tempora, hoc eſt circa annum 714. refert, qui illud nuper edidit Joannes Fronto Canonicus Regularis ejuſdem Monaſterii, probatque eſſe penitus Romanum ex hoc maximè, quòd & Stationes Romanæ in eo deſignentur, & Sanctis quotquot inſcribuntur, aut Romæ paſſi ſint, aut Romæ Eccleſiam habeant. Et hujus quidem obſervationis ſenſu ductos fuiſſe non dubitem Breviarii Monaſtici, auctoritate Pauli Quinti editi Recognitores, ut Calendarium ipſum Breviarii Romani, totum quantum eſt, in illud inſerrent, additis quindecim dumtaxat, vel ſexdecim Sanctis propriis.

Calendaria propria Eccleſiarum ex Romano deprompta.

Radulphi Calendarium.

Calendarium S. Genovefæ Pariſ.

Calendarium Breviarii Monaſtici.

Verùm cùm inter eas Eccleſias, quæ retento proprio Breviario, illud quantum fas eſt, ad Romani normam redigunt, multæ hactenùs è re ſua haud eſſe judicaverint, ut omnia Calendarii Romani feſta in ſuum admitterent: operæ pretium facturus mihi videor, ſi geminum hic feſtorum indicem attexero; alterum eorum, quæ per omnes ubique Eccleſias recepta ſunt; alterum eorum, quæ à pleriſque Galliæ noſtræ Eccleſiis patrio veluti jure communiter obſervantur; ut hinc demum inferas, quænam cujuſlibet particularis Eccleſiæ propria cenſenda ſunt.

QUÆSTIO XII.

Quæ ſint feſta omnibus locis & Eccleſiis communia?

Sicut non ſunt omnia inter ſe dignitatis, nec verò etiam antiquitatis, ita nec pari ſunt ordine recenſenda. Quare ea in tres claſſes commodè diſtribui viſa ſunt.

Prima claſſis eſt, feſtorum Chriſti Domini, & Beatiſſimæ Virginis Matris ipſius, in memoriam videlicet, & venerationem myſteriorum utriuſque: & ea, inquit Radulphus cit. *auctoritatem habent ex Evangelio*. Sunt autem Chriſti Domini, Nativitas, Epiphania, Reſurrectio, Aſcenſio, Pentecoſtes, quæ quinque feſta omnium antiquiſſima, & Apoſtolica traditione, ubique ſemper ſervata, inſtar ſunt cardinum, circa quos reliqui totius anni dies vertuntur: ab his ſiquidem petitur temporum omnis, quod ad divina Officia attinet, diviſio atque computatio.

Nativitas Domini. Epiphania. Reſurrectio. Aſcenſio. Pentecoſtes.

His adjunguntur: primò Circumciſio, non ita recens ac Gavanto videtur, cùm de eo feſto habeantur homiliæ S. Patrum antiquiſſimæ. Secundò, feſtum ſanctiſs. Trinitatis, quod non ante Alexandri III. tempus fuiſſe in Romana Eccleſia uſitatum conſtat ex *cap. Quoniam, de feriis*; nec verò etiam poſt inſtitutionem ſive Gregorii IV. ſive Joannis XXII. fuit univerſim receptum, cùm

Circumciſio.

Feſtum SS. Trinitatis.

ut

ut habet Radulphus *propſ.* 16. multi in ea Dominica, qua nunc fit, ſervarent Octavam Pentecoſtes, & ita ordinatum legi in Breviario Majoris Monaſterii propè Turonas edito anno 1534. idemque habet etiamnum uſus Eccleſiæ Claromontenſis Arvernorum: ſed alibi jam ubique in uſu eſt. Tertiò, feſtum Corporis Chriſti ab Urbano IV. inſtitutum anno 1262. & ubique ſolemniſſimum. Quartò, feſtum Transfigurationis, Græcis quidem antiquiſſimum, ut conſtat ex eorum Menologio, apud Latinos verò à Calliſto III. ſi non feſti, ſaltem Officii auctore, inductum anno 1456. & quidem cùm in pleriſque antiquis Breviariis deeſſet, nunc ubique receptum eſt.

Corporis Chriſti. Transfiguratio.

Ad feſta quoque Domini pertinet Sanctæ Crucis, tum Inventio, tum Exaltatio; hæc quidem in Orientali Eccleſia antiquiſſima, & ipſo S. Chryſoſtomo prior, illa Euſebii Papæ inſtituta, *Cap. Crucis, de Conſecrat. diſtin.* 3. utraque ubique celebris.

Feſtum Inventio & Exaltatio S. Crucis.

Feſtorum verò Beatiſſimæ Virginis, celeberrimum eſt Aſſumptionis, jam inde ut minimùm ab Epheſino Concilio in tota Eccleſia uſu receptum. Huic proximè accedunt ubique pariter uſitata, Nativitatis, Annunciationis, & Purificationis, de quorum inſtitutione vide Azor. *parte* 2. *libr.* 1. *cap.* 17. 18. *&* 19. Conceptionis verò, Præſentationis & Viſitationis, ſaltem in Occidentali Eccleſia, non adeò vetus eſt inſtitutio; nam primum eſt Sixti IV. *Extravag. Cum præ excelſa*, anno 1483. Secundum Sixti V. in Bulla, quæ incipit *Intemerata*, data anno 1585. Tertium Urbani VI. publicatum à Bonifacio IX. anno 1390. Hæc duo poſteriora cùm antè ab multis abeſſent Calendariis, jam nullibi ferè deſiderantur. Deſideratur verò Senonis, Pariſiis, Biturigibus, Ambiani, & alibi paſſim feſtum Nivium; unde ad alium indicem videtur reſervandum.

Aſſumptio B. Mariæ. Nativitas. Annunciatio. Purificatio. Conceptio. Præſentatio. Viſitatio. Feſtum Nivium.

Ad hanc primam claſſem referre lubet feſtum ſolenniſſimum Omnium Sanctorum *die* 1. *Novembris* inſtitutum, Romæ primùm à Bonifacio IV. ac deinde aliis omnibus Eccleſiis à Gregorio IV. indictum.

Feſtum Omnium Sanctorum.

Secunda claſſis eſt Apoſtolorum, & aliorum quorumdam eximiorum Sanctorum, quorum memoria in præcipua veneratione univerſæ fuit Eccleſiæ; ſive, ut ait Radulphus, ex Euangelii ipſius, aut alterius libri Canonici commendatione; ſive propter vitam, hoc eſt propter excellentiam vel martyrii, vel gratiæ alicujus ſingularis, quæ in illis emicuit, dum viverent. Sunt ergo ö.

Primò, duodecim Apoſtoli, additis Paulo Petri Coapoſtolo, & Barnaba; duobus item Euangeliſtis, qui Apoſtoli non fuerunt, Luca & Marco; quorum omnium natalitia tam Latina, quàm Græca Eccleſia anniverſaria feſtivitate recolit, licèt non omnium iiſdem diebus. Recolit item Latina Eccleſia ſecundaria aliquot eorumdem feſta, videlicet S. Petri ad Vincula, utramque ipſius Cathedram, tam Antiochenam, quàm Romanam, licèt hanc à Paulo IV. reſtitutam multæ adhuc noſtrates Eccleſiæ omittant: Converſionem S. Pauli, & S. Joannis ante Portam Latinam.

Feſta 12. Apoſtolorum, item SS. Pauli, Barnabæ, Lucæ, & Marci. S. Petri ad Vincula. Ejuſdem Cathedræ utraque. Converſio S. Pauli, S. Joannis ante Portam Latinam.

Secundò, ob Euangelii, aliuſve libri Canonici commendationem, inſignes fuere ſemper, & annua ſolemnitate per omnem Eccleſiam donati S. Joannes Baptiſta Chriſti Domini Præcurſor, utroque feſto, & Nativitatis, quod ſingulare eſt, unique ipſi conceſſum, & Decollationis: SS. Innocentes infantes, Chriſti cauſa ab impiiſſimo Herode necati: Sancta Maria Magdalena ejuſdem Chriſti Domini ſectatrix amantiſſima, ab Innocentio III. dicta Apoſtolorum Apoſtola: S. Stephanus Protomartyr, ex Actis Apoſtolorum, cujus non tantùm Natalis, ſed etiam Inventionis dies ubique celebris eſt. His non dubitem annumerare caſtiſſimum B. Virginis Sponſum, S. Joſephum, tot titulis in ipſo Euangelii textu inſignem: cujus feſtum, licèt actis retrò ſæculis, omnibus propè Calendariis incognitum maneret, (quod verò fuerit Dei hac in re conſilium, inveſtigabimus aliàs) magno tamen hujus ſæculi bono ac decore, à Sixto IV. primùm Calendario Romano inſertum, & à Gregorio XV. anno 1621. publicæ etiam feriationis præcepto auctum, ubique deinceps celeberrimum evaſit. Claudat agmen, omnibus his natura ſaltem ſuperior S. Michael Archangelus, ex Daniele Propheta; & cum ipſo omnes ſimul Angeli Beati, ex Scripturarum omnium teſtimonio, quibus ſolemnis eſt per totam Eccleſiam dies 29. Septembris, ſub titulo Dedicationis S. Michaelis; nam ipſius Apparitio vix extra Romanum Calendarium, in ullis propriis uſibus reperitur.

Nativit. S. Joannis Baptiſtæ. Decollatio ejuſdem. SS. Innocentium. S. Mariæ Magdalenæ. S. Stephani Protomar. Ejuſdem Inventio. S. Joſeph. S. Michaelis Archangeli.

Tertiò denique, ob illuſtris martyrii, aut ſingularis gratiæ excellentiam, feſtum generale habent inter Martyres S. Laurentius, S. Sebaſtianus, S. Vincentius; inter Confeſſores S. Martinus, & S. Nicolaus; item Quatuor Eccleſiæ Doctores S. Gregorius, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, & S. Hieronymus. Item S. Sylveſter, S. Antoninus, S. Franciſcus. Inter Virgines denique S. Catharina: Cui addenda S. Anna novo Gregorii XIII. Decreto jam ubique recepto, cui & Gregorius XV. addidit feriandi etiam in foro præceptum.

S. Laurentii. S. Sebaſtiani. S. Vincentii. S. Martini. S. Nicolai. S. Gregorii. S. Ambroſii. S. Auguſtini. S. Hieronymi. S. Sylveſtri. S. Antonini. S. Franciſci. S. Catharinæ. S. Annæ.

In tertiam claſſem refero Sanctos reliquos Calendarii Romani, alibi quoque communiter receptos, quos ſic nolim à prioribus ſeorſim deſcribi, quaſi iis ſint ſanctitatis merito inferiores, (ſcio enim quàm meum non ſit de hac re quidquam ſtatuere) ſed cùm illi omnes relati hactenùs, ad quaſcumque Eccleſias communi æquè jure, atque ad Romanam ſpectare videantur, qui ſuperſunt reliqui cenſentur magis ab Romanæ Eccleſiæ proprio ac ſpeciali inſtituto, & ut loquitur Radulphus, *ex Romana auctoritate*, ad alias deinceps, imitatione, ſeu pia æmulatione dimanaſſe Eccleſias. Moneo item non agi hìc de ritu, ſeu qualitate ſingulorum feſtorum, putà quòd aliud ſit duplex, aliud ſemiduplex, aliud ſimplex, de hoc enim copioſè aliàs diſputabitur; ſed unum id ſpectari: Quænam communiter recenſeantur in omnibus ubique Calendariis, quocumque tandem gradu; communiter inquam; non enim inficias jero aliqua etiam ex contentis in ſequenti ſerie, in aliquibus propriis poſſe deeſſe Calendariis, (quod & indicabitur,) ſed unius, aut alterius defectus contra legem communem pro nihilo eſt habendus. En tibi ſeriem illam juxta ordinem menſium.

Sanctorum in Calendario Romano deſcriptorum.

MENSE JANUARIO.

14. Hilarii Epiſcopi. Item Felicis Mart.
15. Pauli Eremitæ. *Communiter propter vitam*, ait Radulph. quamquam in aliquibus deeſt. Item Mauri Abbatis.
16. Marcelli Papæ & Mart.
18. Priſcæ Virg. & Mart.
19. Marii &c. Mart. Plerique noſtrates non habent.
20. Fabiani & Sebaſtiani Mart.
21. Agnetis Virg. & Mart.
23. Emerentianæ Virg. & Mart.
24. Timothei Epiſc. & Mart. *Communiter propter epiſtolas*, ait Radulph. tamen etiamnum à multis omittitur.
26. Policarpi Epiſc. & Mart.
27. Joannis Chryſoſtomi Epiſc. & Conf.
28. Agnetis ſecundò.

FEBRUARIO.

1. Ignatii Epiſc. & Mart. *Communiter ex præcellentia*, verba ſunt Radulphi.
3. Blaſii Epiſc. & Mart.
5. Agathæ Virg. & Mart.
14. Valentini Mart.

M A R T I O.

7. Thomæ Aquinatis. Pauci adhuc eo carent. Item Perpetuæ & Felicitatis Mart.
21. Benedicti Abb. *ubique propter vitam*. Radulphus.

A P R I L I.

11. Leonis Papæ & Confeſ. deeſt etiamnum in aliquibus.
14. Tiburtii, Valeriani, & Maximi Mart.
23. Georgii Mart. *propter Paſſionem*. Radul.
27. Vitalis Mart.
29. Petri Mart. *Communiter propter Prædicatores*, ait Rad. ſunt tamen qui necdum admiſere.

M A J O.

2. Athanaſii Epiſc. & Conf. deeſt apud aliquos.
3. Alexandri, &c. Mart.
9. Gregorii Naz. Epiſc. & Confeſ. deerat olim, deeſt adhuc in pleriſque.
10. Gordiani & Epimachi Mart.
12. Nerei, &c. Mart. Domitilla deeſt in aliis communiter.
19. Pudentianæ Virginis.
25. Urbani Papæ & Mart.
31. Petronillæ Virg. quæ tamen à multis omittitur.

J U N I O.

2. Marcellini & Petri Mart. Eraſmus in multis non adjungitur.
9. Primi & Feliciani Mart.
11. Baſilidis, &c. Mart.
14. Baſilii Epiſc. & Conf. deeſt in aliquibus, in aliis Januario adſcribitur.
15. Viti, &c. Martyrum.
18. Marci & Marcelliani Mart.
19. Gervaſii & Protaſii Mart.
22. Paulini Epiſc. & Confeſ. *propter vitam*, inquit Radulph. quamquam in pluribus omittitur.
26. Joannis & Pauli Martyr.
28. Leonis Papæ & Confeſ.

J U L I O.

2. Proceſſi & Martiniani Mart.
10. Septem fratrum Martyr. Ruffina & Secunda non adduntur communiter à pleriſque Noſtratium.
17. Alexii Confeſs. qui tamen apud aliquos deſideratur.
20. Margaritæ Virg. & Mart.
21. Praxedis Virg.
23. Apollinaris Epiſc. & Mart.
24. Chriſtinæ Virg. & Mart.
25. Chriſtophori Mart.
27. Pantaleonis Mart.
28. Nazarii, &c. *ubique ſatis*, ait Radulph. iis adjungens Pantaleonem, cùm tamen deſit in aliquibus. Victor & Innocentius non adduntur à Noſtratibus.
29. Marthæ Virg. adhuc in paucis deſideratur. Item Felicis, &c. Mart.
30. Abdon & Sennen Mart.

A U G U S T O.

1. Machabæorum Mart. *Ex antiquo Teſtamento*, Radulph.
2. Stephani Papæ & Mart.
4. Dominici Confeſ. *ubique propter Ordinem*, inquit Radulph. pauci tamen adhuc eo carent.
6. Xyſti, &c. Mart.
7. Donati Epiſc. & Mart.
8. Cyriaci, &c. Mart.
9. Romani Mart.
11. Tiburtii Mart. Omittunt aliqui Suſannam.
13. Hyppoliti & Caſſiani Martyrum.
14. Euſebii Confeſſoris.
18. Agapiti Mart.
20. Bernardi Abb. *communiter*, ait Radulph. ſed apud multos alio die propter Octav. Aſſumptionis.
22. Timothei, &c. Mart.
25. Ludovici Regis Franciæ, deeſt apud Radulphum, ſed nullibi alibi quod ſciam.
28. Hermetis Mart.
29. Sabinæ Mart.
30. Felicis & Adaucti Mart.

S E P T E M B R I.

1. Ægidii Abbatis.
8. Adriani Mart.
9. Gorgonii Mart.
10. Prothi & Hyacinthi Mart.
15. Nicomedis Mart.
16. Cornelii & Cypriani Mart. Item Euphemiæ, &c. Mart.
20. Euſtachii, & ſoc. Mart. in aliquibus deeſt, in pluribus alio die, nempè 3. Novemb.
22. Mauritii & ſociorum Mart.
23. Lini Papæ & Mart. in multis 26. Novemb.
26. Cypriani & Juſtinæ Mart. in paucis deſideratur.
27. Coſmæ & Damiani Mart.

O C T O B R I.

1. Remigii Epiſc. & Conf.
7. Marci Papæ & Conſ. Item Sergii &c. Mart.
9. Dionyſii & ſociorum Mart.
14. Calliſti Papæ & Mart.
21. Hilarionis Abb. deeſt in aliquibus. Item Urſulæ & ſoc. Virg. & Mart. deeſt quoque in aliquibus.
25. Chryſanthi & Dariæ Mart. deeſt in aliquibus, in aliis 1. Decembr.

N O V E M B R I.

4. Vitalis & Agricolæ Mart. in aliquibu sdeeſt, in pluribus die 27.
8. Quatuor Coronatorum Mart.
9. Theodori Mart.
11. Mennæ Mart. deeſt in quibuſdam.
12. Martini Papæ & Mart. deeſt in multis.
22. Cæciliæ Virg. & Mart.
23. Clementis Papæ & Mart. Item Felicitatis Mart.
24. Chryſogoni Mart.
29. Saturnini Martyr. Nomen hoc ſupponitur in aliquibus pro Saturnino Toloſate Epiſc. & Martyr.

D E C E M B R I.

4. Barbaræ Virg. & Mart.
11. Damaſi Papæ & Conſ. deeſt in aliquibus.
13. Luciæ Virg. & Mart.
29. Thomæ Cantuar. Epiſc. & Mart.

Q U Æ S T I O XIII.

Quid cauſæ ſit, cur prædicta feſta præ aliis in Calendarium illata ſint?

NOn hujuſce loci eſt uberior quæſtionis iſtius tractatio, quam alio opere, ſi Deus dederit, eruditioribus notis illuſtrandam reſervamus. Sufficiat hic breviter advertere, poſt conſtitutos dies feſtis Chriſti Domini, Beatæ Mariæ, Apoſtolorum, & eximiorum illorum Sanctorum, quos ſecunda claſſe recenſuimus (quibus ſanè omnibus primas nemo negaverit) debuiſſe ex reſiduis vacuos aliquot reſervari, quò fieret locus Officio de Tempore. Cùm itaque nec dies omnes feſtis Sanctorum impleri oportuerit, nec ſi implerentur, ſufficerent Sanctis omnibus, utpotè innumeris; reliquum fuit, ut ii præ aliis ſeligerentur in Calendario reponendi, qui vel ſanctitatis fama, vel nominis celebritate præſtarent. Præſtare autem quos Roma Eccleſiarum omnium Caput & Parens, vel tulit, vel colit, notum eſt adeò, ut inductione id explorare ſuperfluum planè videatur.

QUÆ-

QUÆSTIO XIV.

An ſint aliqua feſta in Calendario Romano deſcripta, quæ in aliis locorum propriis communiter deſiderentur?

Romano Breviario adſtrictis, nullum ex Calendario feſtum poſſunt expungere.

DIſcrimen hoc eſt inter Eccleſias, quæ abjecto ſuo Breviario proprio Romanum admittunt, & alias, quæ eo retento, utpotè ducentis annis Bullam Pii V. ſuperante, hoc unum intendunt, ut illud quàm proximè fieri poteſt ad Romani formam accedat: Hoc inquam diſcrimen eſt, quòd illis liberum non ſit feſtum ullum ex Calendario Romano detrahere, quò ſuis propriis commodior locus fiat; iſtis verò, cùm nulla ſit obligatio, omnia & ſingula Romani Calendarii feſta in ſuum inſerere, ſic pleraque illorum, vel quæ ipſæ quoque in uſu proprio habent, retinere, vel de novo admittere fas eſt, ut nonnulla etiam reſpuere æqui bonique ducant, ne videlicet conferta & implicata feſtorum multitudine obruantur. Cùm ergo ea, quæ ſuperiori indice collecta ſunt, ab omnibus ferè admittantur; placuit ſeorſim quoque deſcribere, quæcunque alia obſervavi hactenùs in pleriſque Eccleſiarum noſtratium Calendariis deſiderari; non quòd aſſeram omnia iſta in ſingulis deſiderari, ſed unum in una, aliud in alia, plura denique in pluribus. Accipe illa ex ordine Calendarii.

MENSE JANUARIO.

5. Teleſphori Papæ & mart.
11. Hygini Papæ & mart.
18. Cathedra S. Petri Romæ, pleriſque jam cœptum recipi.
22. Anaſtaſii mart. vix reperi junctum Vincentio.
30. Martinæ virg. & mart.

FEBRUARIO.

6. Dorotheæ virg. & martyr. habetur in aliquibus Calend.
7. Romualdi Abbatis.
9. Apolloniæ virg. & martyr. non deeſt in pleriſque.
15. Fauſtini & Jovitæ mart.
18. Simeonis Epiſc. & mart.

MARTIO.

4. Caſimiri confeſ.
Lucii Papæ & Mart.
9. Quadraginta mart.
Franciſcæ viduæ.
17. Patritii Epiſc. & confeſ.
20. Joachimi conf.

APRILI.

2. Franciſci de Paula confeſs. vix jam deſideratur in Gallia.
13. Hermenegildi mart.
17. Aniceti Papæ & mart.
22. Soteris & Caii Pont. & mart.
26. Cleti & Marcellini Pont. & mart.
30. Catharinæ Senenſis virg.

MAJO.

4. Monicæ viduæ.
7. Stanislai Epiſc. & mart.
8. Apparitio S. Michaelis Archang.
14. Bonifacii mart.
16. Ubaldi Epiſc. & conf.
26. Eleutherii Papæ & mart.
27. Joannis Papæ & mart.
30. Felicis Papæ & mart.

JUNIO.

6. Norberti Epiſc. & confeſ.
13. Antonii de Padua confeſ.
20. Silverii Papæ & mart.

JULIO.

11. Pii Papæ & mart.
12. Naboris & Felicis mart.
Joannis Gualberti Abb.
13. Anacleti Papæ & mart.
14. Bonaventuræ Epiſc. & conf.
Henrici Imperatoris.
18. Symphoroſæ & filiorum mart.
31. Ignatii conf.

AUGUSTO.

5. Ded. S. Mariæ ad Nives.
12. Claræ virginis.
16. Hyacinthi conf.
20. Stephani Regis Hung.
26. Zephyrini Papæ & mart.

SEPTEMBRI.

1. Duodecim fratrum mart.
10. Nicolai Tol. conf.
19. Januarii & ſoc. mart.
23. Theclæ virg. & mart.
Reperitur in aliquibus.

OCTOBRI.

5. Placidi & ſoc. mart.
6. Brunonis conf.
8. Birgittæ viduæ.
26. Evariſti Papæ & mart.

NOVEMBRI.

9. Dedic. Baſilicæ Salvatoris.
10. Tryphonis, &c. mart.
17. Gregorii Thaumat. Epiſc. non deeſt in paucis.
18. Ded. Baſil. Petri & Pauli.
19. Pontiani Papæ & mart.
26. Petri Alex. Epiſc. & mart.

DECEMBRI.

2. Bibianæ virg. & mart.
5. Sabæ Abbatis.
10. Melchiadis Papæ & mart.
15. Euſebii Epiſc. & mart.

QUÆSTIO XV.

Quid cauſa ſit, cur feſta hæc poſterius enumerata, locum perinde ac ſuperiora in pleriſque Calendariis non obtineant?

TRibus de cauſis factum puto. Prima eſt, quam refert Radulphus prop. 22. ſui libri de Canonum obſervantia, nimirum quòd *ſicut Romani non tenentur ad Sanctos noſtros Locales, ita nec nos ad ipſorum Locales*. Unde cùm ex feſtis illis pleraque ſint vel Romanorum Pontificum, putà Hygini, Aniceti, Soteris & Caji, Cleti & Marcellini, Eleutherii, Joannis, Felicis, Silverii, Pii, Anacleti, Victoris & Innocentii, Zephyrini, Evariſti, Pontiani, Melchiadis; vel Sanctorum, qui Romæ Eccleſias ſui nominis habent, putà Anaſtaſii, Quadraginta Martyrum, Suſannæ, Tryphonis, Sabæ Abbatis &c. aut Eccleſiarum ipſarum propria ſunt, ut Dedicationes Baſilicarum S. Salvatoris, SS. Petri & Pauli, & S. Mariæ Majoris, ſeu feſtum Nivium; vel denique qui ex vicinis Romæ civitatibus mutuantur, ut Eraſmi ex Cajeta; Naboris & Felicis, Mediolano; Symphoroſæ cum ſeptem filiis, Tibure; Duodecim fratrum, Benevento; Fauſtini & Jovitæ, Brixia; Apparitio denique S. Michaelis, ex Apulia; cùm inquam feſta illa Romanæ urbis localia ſint, mirum non eſt, ſi ea olim alibi non haberentur. Quòd verò introducta poſtmodum fuerint, id Romanæ authoritati nequaquam tribuit prædictus Radulphus, ſed uſui Fratrum Minorum, quem idcircò valdè improbat. Lege ipſummet, & multa, quæ magnum dicendis poſtmodum robur adſtruunt, diligenter annota.

Feſta Rom. Pontificum, & alia urbis Romæ magis propria alibi non recepta.

Secunda ratio, quòd feſtorum quoque prædictorum multa à Summis Pontificibus vel inſtaurata, vel de novo inſtituta fuerint, quæ uſus nondum ad alias Eccleſias traduxit. Ejuſmodi ſunt Cathedra S. Petri Romæ, à Paulo IV. S. Bonaventuræ, à Sixto IV. SS. Gregorii Thaumaturgi, Petri Alexandrini, Theclæ, Monicæ, Claræ, à

Feſta à Romanis Pontificibus in Calendario recenter inſcripta.

Pio

Pio V. SS. Franciſci de Paula, Antonii de Padua, Nicolai Tolentinatis, Januarii & ſociorum, Placidi item & ſociorum, à Sixto V. SS. Teleſphori, Lucii, Euſebii, Stanislai, Romualdi, Joannis Gualberti, & Catharinæ Senenſis, à Clemente VIII. SS. Caſimiri, Ubaldi, & Norberti, à Paulo V. SS. Joachimi, Brunonis, Birgittæ, à Gregorio XV. SS. Hyacinthi, Hermenegildi, Patritii, Henrici Imp. Stephani Hungariæ Regis, Bibianæ, Martinæ, ab Urbano VIII. Ignatii, Franciſcæ, Tereſiæ, ab Innocentio X. His adde recentiora illa feſta ad libitum, S. Philippi Neri, S. Eliſabeth, Stigmatum S. Franciſci, SS. Angelorum Cuſtodum, & ſi quæ ſint alia.

Feſta cum aliis eodem die occurrentia.

Tertia ratio afferri poteſt, concurſus cum aliis eodem die in locis propriis fieri ſolitis, v. gr. S. Dorotheæ die 5. Februarii, quo die in pleriſque Galliæ Calendariis ſignantur SS. Vedaſtus & Amandus; S. Gregorius Thaumaturgus die 17. Novembris, quo die itidem ſignatur S. Anianus. Taceo Librariorum incuria, aut aliorum quibus id muneris demandatum erat, multa potuiſſe excidere, quæ nullus deinceps excitavit.

QUÆSTIO XVI.

Quæ ſint feſta communiter in pleriſque Galliæ Eccleſiis uſitata?

LUcem non mediocrem afferet quæſtionis hujus reſolutio, iis quæ de Sanctis locorum naturalibus, & aliis poſtmodum diſcutienda occurrent: quam & eo potiſſimum fine propoſitam volo, ut inde tibi feſtorum propriorum genuina indoles ampliùs detegatur. In duas itaque claſſes feſta illa diſtribuo; alteram Chriſti Domini & B. Virginis; Sanctorum verò alteram; & horum quidem, more Radulphi in ſuo Calendario, locum indicabo, ex quo ad alias Eccleſias dimanarunt.

Feſtum SS. Trinitatis hyemale.

In prima claſſe, tria Chriſti Domini, & quinque B. Virginis feſta colloco, quæ à pleriſque Eccleſiis video in uſum adduci. Unum verò præ illis recenſeo, feſtum SS. Trinitatis, in Eccleſiis Senonenſi, Carnutenſi, Cenomanenſi, Andegavenſi, Abrincenſi, & aliis, ultima Dominica poſt Pentecoſten ſolemniter celebrari conſuetum: quod & appellatur communiter feſtum hyemale Trinitatis, ut aliud quod in prima Dominica fit, æſtivale.

Feſtum Nominis Jeſu.

Jam primum Chriſti Domini eſt feſtum glorioſiſſimi Nominis Jeſu, à Clemente VII. primùm, deinde à Clemente VIII. conceſſum toti Ordini Minorum ad diem 14. Januarii; quem utique morem ſibi aſſumpſere deinceps, tum plerique alii Ordines Regularium, tum etiam Eccleſiæ primariæ Senonenſis, Turonenſis, Andegavenſis, Cenomanenſis, Nannetenſis, Redonenſis, Nivernenſis, Noviomenſis, Atrebatenſis, Pictavienſis, & aliæ; ſed aliquæ ex his alio quàm præfato die, prout ipſis opportunius viſum fuit.

Feſtum Quinque plagarum Chriſti.

Secundum eſt, Quinque plagarum ipſiuſmet Chriſti Domini, in Eccleſia Pariſienſi fer. 6. poſt Cineres, in utraque Turonenſi tam Metropolitana, quàm Martiniana, menſe Julio, diverſo tamen die; item ex uſu antiquo Monaſterii Fontebraldenſis fer. 6. poſt Octavam Paſchæ uſitatum. Claromontenſis Eccleſia ipſa feria 6. hebd. Paſchæ, quod valdè heteroclitum eſt.

Deſponſatio B. Mariæ.

Tertium, Sacræ Coronæ, ſeu Coronationis Domini, quod dubium non eſt, ex ſacra Capella Pariſienſi, ad ipſammet Eccleſiam Pariſienſem, necnon ad Senonenſem, Carnutenſem, Nivernenſem, Conſtantienſem, aliáſque complures fuiſſe traductum, ac *diei 11. Auguſti*, (qui dies ſuſceptionis eſt ipſius ſacræ Reliquiæ) affixum. Coronationis itidem feſtum celebrant Carmelitæ *feria 6. poſt Oct. Paſchæ*, & Prædicatores *die 7. Maji*.

Quod ad feſta B. Virginis attinet. Primò, Deſponſationis ejus feſtum Ordini Prædicatorum tribuit Sauſſayus in ſupplemento ad diem 22. Januarii, verùm deſideratur penitùs in Breviario ipſorum noviſſimè edito; ſicut & in Calendario Senonenſi feſtum Virginalis Connubii Mariæ & Joſeph, quod aſſerit idem author fieri in ea Eccleſia die 22. Decembris. Omiſit verò referre ex proprio Nannetenſi, ubi habetur *die 25. Januarii*.

Feſtum Expectationis partus B. Virginis.

Secundò, celebre eſt Expectationis feſtum octavo die ante Natalem Domini in multis Hiſpaniæ Eccleſiis, initio quidem ſub titulo Annunciationis, ex die proprio, quòd is ſemper in Quadrageſimam, aut Paſchæ feſtum incidat, in hunc tranſpoſitæ Decreto Concilii Toletani X. poſtmodum verò reſtituto in ſuum diem Annunciationis, ſub titulo Expectationis partus: quem titulum prima omnium, quod ſciam, admiſit in Gallia, Eccleſia Maclovienſis: exinde vero aliæ paucæ, ac recentiſſimè Aurelianenſis in ſuo novo Breviario; ſed hæc eo quidem ritu, qui vix ulli Rituum perito probabitur.

Feſtum Compaſſionis B. Mariæ.

Tertiò, feſtum Compaſſionis B. Virginis, ſeu ut vocant alii, Noſtræ Dominæ de Pietate, pleræque jam Eccleſiæ colunt *feria 6. hebdomada Paſſionis*, nempè Pariſienſis, Aurelianenſis, Nivernenſis, Andegavenſis, Pictavienſis, &c. Item Ordo Carmelitarum, Prædicatorum, &c.

Feſtum Gaudiorum B. Virginis.

Quartò, oppoſitum de Gaudiis ejuſdem B. Virginis feſtum celebrant Eccleſiæ Ambianenſis, & Noviomenſis (neſcio annon & aliæ ædi celeberrimæ B. Virginis de Lætitia vicinæ,) hæc Dominica 1. vel 2. Julii, illa Sabbato poſt Aſcenſionem.

Dedic. S. Mariæ ad Martyres. S. Mariæ Angelorum.

Quintò denique, in Tabulis Eccleſiæ Turonenſis, Claromontenſis, Atrebatenſis, & aliis (quæ plures olim erant) ſignata habetur Dedicatio Sanctæ Mariæ ad Martyres *die 13. Maji*: ſicut & in proprio Malcovienſi 2. *Auguſti*, feſtum Sanctæ Mariæ Angelorum; & alia item alibi feſta ſub diverſis ejuſmodi titulis, de quorum omnium legitimo uſu diſputabitur infrà ſuis locis.

Feſta Sanctorum communia fex Galliæ Provinciis.

Secunda claſſis continet feſta Sanctorum ſex ferè totis Galliæ Provinciis communium (fortè etiam pluribus:) quæ ſic deſcribo, non quaſi omnia in ſingulis Diœceſibus recepta ſint; aut ſingulæ Diœceſes præter hæc, alia quoque non habeant inter ſe communia: ſed ex pleriſque aliis ea ſelegi, quæ frequentiora ſunt, adeò ut nulla hìc recenſeam, quæ in decem ut minimum Calendariis, multa etiam in viginti, & ad uſque triginta, ſignata reperiantur.

MENSE JANUARIO.

3. Genovefæ virginis Pariſienſis.
10. Guillelmi Archiepiſcopi Bituric. & conſ.
17. Sulpitii Archiepiſc. Bitur. & conſ.
19. Launomari conſ. ex oppido Bleſis.
24. Babylæ Epiſcop. cum tribus pueris martyr. ex Antiochia.
25. Projecti Epiſc. Arvernenſis, & mart.
27. Juliani Cenoman. Epiſc. & conſ.

FEBRUARIO.

1. Brigidæ virginis, ex Scotia.
6. Vedaſti & Amandi Epiſcop. & Confeſs. ex Belgio.
10. Scolaſticæ virginis, ex Italia.
11. Severini Abbatis Agaunenſis.
16. Julianæ virg. & mart. Nicomedienſis.

MARTIO.

1. Albini Andegavenſis Epiſc. & confeſ.
18. vel 24. Gabrielis Archangeli.

APRILI.

1. vel 2. Mariæ Ægyptiacæ.
30. Eutropii Sanctonenſis Epiſc. & mart.

MAJO.

9. Translatio S. Nicolai, ex Apulia.
19. Ivonis conſ. ex Armorica.
20. Auſtregeſilii Bitur. Arch. & conſ.
23. Deſiderii Lingon. Epiſc. & mart.

23.

24. Donatiani & Rogatiani mart. Nannetenſium.
28. Germani Pariſienſis Epiſc. & conſ.

J U N I O.

5. Bonifacii Epiſc. & mart. ex Moguntia.
6. Claudii Veſont. Epiſc. & conſ.
8. Medardi Noviomenſis, & Gildardi Rothomag. Epiſc. & conſ.
16. Cyrici & Julittæ mart. ex Niverno.
17. Aviti conſeſ. ex Aurelia.
22. Albani mart. ex Moguntia.
25. Gallicani mart. ex Alexandria.
Tranſlatio S. Eligii Epiſc. Noviom.
3. Martialis Lemovic. Epiſc. & conſ. ex Aquitania.

J U L I O.

1. Theobaldi confeſſoris, ex Campania.
4. Tranſlatio S. Martini Turonenſis Archiepiſc.
11. Tranſlatio S. Benedicti, ex Floriac. Monaſterio.
18. Arnulphi Epiſc. & mart. ex Belſia.
21. Victoris martyris Maſſilienſis.
22. Vandregeſilii conſ. ex Normania.
25. Cucufatis mart. Jungitur cum Chriſtophoro.
28. Samſonis Dolenſis Epiſc. & conſ.
29. Lupi Trecenſis Epiſc. & conſ.
31. Germani Antiſſiodor. Epiſc. & conſ.

A U G U S T O.

13. Radegundis Reginæ, ex Pictavis.
16. Rochi confeſſoris, ex Gallia Narbonenſi.
19. Magni martyris Anagnienſis, ex Italia.
20. Philiberti Abbatis Gemeticenſis, in Normania.
21. Privati Epiſc. & mart. ex Mimate Gavalorum.
24. Audoeni Rothomag. Archiep. & conſ.
25. Geneſii martyris Arelatenſis.
26. Irenæi & Abundii mart. ex Roma.
27. Ruffi Epiſc. & mart. ex Capua.
28. Juliani mart. Brivatenſis. Jungitur Hermeti.
30. Fiacrii confeſſoris Meldenſis.

S E P T E M B R I.

1. Priſci martyris, ex Capua.
Lupi Senon. Archiep. & conſ.
2 Lazari Maſſil. Epiſc. & mart. plures 17. Dec.
Antonini mart. Apamienſis.
4 Marcelli mart. Cabilonenſis.
7. Evurtii Aurelian. Epiſc. & conſ.
13. Maurilii Andeg. Epiſc. & conſ.
17. Lamberti Leodienſis Epiſc. & mart.
24. Andochii, Thirſi & Felicis martyr. Auguſtodunen.
25. Firmini Ambian. Epiſc. & mart.

O C T O B R I.

2. Leodegarii Auguſtodun. Epiſc. & mart.
6 Felicis virg. & mart. Aginnenſis.
11. Nicaſii Rothomag. Archiepiſc. & ſociorum mart.
13. Geraldi confeſſoris, ex oppido Auriliaco.
13. Apparitio Sancti Michaelis Archiep. in monte Tumba.
19. Saviniani & Potentiani, Archiepiſc. Senon. & mart.
20. Capraſii mart. Aginnenſis.
23. Severini Colon. Archiepiſc. & conſ. ex Burdigala.
24. Maglorii Dolenſis Epiſc. & conſ.
25. Criſpini & Criſpiniani martyr. ex Sueſſione.
31. Quintini mart. ex Veromanduis.

N O V E M B R I.

6. Leonardi conſ. ex Lemovicibus.
9. Mathurini confeſſoris Gaſtinenſis.
12. Renati Andeg. Epiſc. & conſ.
13. Briccii Turon. Arch. & conſ.
15. Macuti ſeu Maclovii Epiſc. & confeſ. ex Armorica.
17. Aniani Aurel. Epiſc. & conſ.
18. Octava S. Martini.
21. Columbani Abbatis, ex Burgundia.
29. Saturnini Toloſani Epiſc. & mart.

D E C E M B R I.

1. Eligii Noviomenſis Epiſc. & conſ.
11. Gentiani, Fuſciani, & Victorici mart. Ambianen.
14. Nicaſii Rhemig. Archiep. & ſociorum mart.
31. Columbæ virg. Senon. & mart.

QUÆSTIO XVII.

Qui factum ut Calendariis hi Sancti præ aliis insererentur?

TRibuendum id, vel Sanctorum ipſorum nomini, famæque illuſtriori, vel Eccleſiarum præcellentiæ, majorique apud populos celebritati, aut plurium de alicujus Sancti nomine nuncupationi, vel denique ſacrarum Tabularum unius Eccleſiæ ab alia tranſumptioni.

Sancti inſignioris notæ præ aliis in Calendarium illati.

Ex primo capite inſignes præ aliis habentur primi in ſua quique Provincia fidei Satores, aut Promotores eximii, tum Martyres, tum Confeſſores, Dionyſius, Savinianus & Potentianus, Saturninus, Eutropius, Firminus, Martialis, Urſinus, Gatianus, Julianus, Remigius, Germanus Antiſſiodorenſis, Eligius, aliique conſimiles. Hos excipiunt cæteri, vel Martyrii laurea, vel Confeſſionis decore, vel denique miraculorum ſanitatumque præſtantia illuſtriores; quales numeraveris inter Martyres, Quintinum, Criſpinum & Criſpinianum, Fidem virginem & Capraſium; Julianum Brivatenſem, Cyricum & Julittam, Leodegarium, Lambertum, &c. Inter Confeſſores, Vedaſtum & Amandum, Germanum Pariſienſem, Lupum utrumque Trecenſem & Senonenſem, Severinum, Anianum, Audoenum, Briccium, Fiacrium, Mathurinum, Leonardum, Ivonem, &c. Ipſos quoque Martinum, Nicolaum & Benedictum jam ex ſe ubique celebres, ex famoſa item ſignis ac virtutibus Corporis ſeu Reliquiarum tranſlatione, his in partibus clariores.

Eccleſiarum dignitas & multitudo Sanctis celebritatem côciliat.

Ab Eccleſiarum ſeu dignitate, ſeu multitudine, (quod ſecundum caput eſt) præter multos ex præfatis, celebres itidem ſunt, Michael Archangelus apparitione ſua in monte Tumba, Marcellus, & Arnulphus Martyres, Albinus, Sulpitius, Launomarus Confeſſores, Columba, Genoveſa, Radegundes, &c.

Eccleſiæ Metropolitanæ Calendarium ad Suffraganeas traductum.

Tertium denique Tranſumptionis caput hac obſervatione firmatur, quòd cùm ex ſuprà *cit. cap. De his, diſtinct.* 12. omnes uniuſcujuſque Provinciæ Clerici, Metropolitanæ Eccleſiæ morem in divinis Officiis tenere debeant, factum eſt ut integras illius tabulas, ſeu Calendarium pleræque Diœceſes ſubditæ, vel in totum, vel majori ex parte tranſumpſerint, additis tantùm ſuis quarumque feſtis propriis; qui uſus ad poſteros deinceps traductus ſic perſeveravit, ut conſuetudine jam inducta, eaque non mala, etiamnum retinendus videatur. Imò non ex Metropolitana propria tantùm, ſed ex aliena quoque inſignioris notæ Eccleſia, facta plerumque fuit ab aliis ejuſmodi tranſumptio; ut colligere licet ex veteribus Calendariis Leonienſi, Coriſopitenſi, Conſtantienſi, Fontebraldenſi, aliiſque plurimis, quæ ex Pariſienſi perinde veteri tranſumpta fuiſſe, ipſa feſtorum Pariſienſium ſeries apertè demonſtrat. Iis verò nec Canon ſupradictus, nec conſuetudo uſu firmata favere præſumitur, ut extranea illa feſta retinere queant, maximè ubi Romani Breviarii uſus antiquo proprio ſucceſſit.

Multa Calendaria propria alias ex Pariſienſi tranſcripta.

QUÆSTIO XVIII.

Quid tandem ex præmiſſis indicibus ad rationem feſtorum propriorum inferendum?

EA utique feſta (prout initio definitum eſt) cenſeri locorum ſeu Eccleſiarum propria, quæ

ad loca

ad loca ipſa vel Eccleſias peculiari aliqua ratione ſpectant. Hoc autem faciliimè colligas ex præmiſſis indicibus.

Triplex ratio dignoſcendi feſtum proprium.

Primò enim, feſtum quod fit alicubi, nec in alterutro indice deſcriptum habetur, conſequens eſt eſſe proprium, quocumque tandem titulo, ſive Patroni, ſive Reliquiarum, ſive indigenæ, ſive alio aliquo ex ſuprà recenſitis *quæſt.* 4.

Secundò, feſtum quod fit alicubi, & deſcriptum habetur in poſteriori indice, contingit plerumque non eſſe proprium loci illius peculiaris in quo fit, ſed commune reliquis omnibus, aut pluribus Eccleſiis ejuſdem Regni ſeu Provinciæ.

Tertiò, feſtum quod vel in utroque, vel in alterutro indice continetur, ſive priori feſtorum in Romano Breviario, atque adeò ubique receptorum, ſive poſteriori toti paſſim Galliæ communium, poteſt nihilominùs loci ſeu Eccleſiæ alicujus particulari eſſe proprium, putà ſi eſt Patroni ſeu Tituli, aut ſi Reliquiæ habentur; aut votum, aut fundatio, aut quid ſimile ejus celebrationem induxerit.

Atque hæc univerſim præluſiſſe ſufficiat de natura propriorum Feſtorum in genere, quæ ſequentibus deinceps Capitibus, ubi de iiſdem ſeorſim agetur, accuratiùs evolvere licebit.

QUÆSTIO XIX.

An ſit è re vel dignitate alicujus Eccleſiæ, ut plurimis abundet Feſtis propriis.

EXplicata qualicumque Feſtorum propriorum natura, quæſtionem hanc proponimus, quò liceat commodè unam eorumdem proprietatem attingere; cujus accurata & non ſegnis elucidatio, ſit tamquam vindicatum firmumque in reliquo deinceps opere, tum ad noſtra tuenda, tum ad aliena in multis occaſionibus propulſanda argumenta præſidium. An ergo præſtat rariora eſſe feſta propria, an verò crebriora?

Feſtorum multiplicatio arguitur.

Neſcio quæ multorum è Clero tam Regularium quàm Sæcularium animos hiſce temporibus feſtorum impetigo pervaſit, ut nihil plus optent, nihil ferè vehementiùs ambiant, quàm abacta procul omni feriarum ſobole, continuis ac propè quotidianis feſtis indulgere; magnum ut ſibi videantur, & Religioni augmentum, & Eccleſiæ ſuæ vel Ordini ſplendorem acciviſſe, ſi corrogatis undique opportunè importunè Sanctis, confertum & coagmentatum & ſupereffluens Calendarium proprium compegerint. Quod quàm ſit à priſco & legitimo Eccleſiæ ſenſu alienum, operæ pretium eſt, omni, qua fieri poteſt, argumentorum vi demonſtrare.

Prima verò fronte, ne quis mihi calumniam ullam imponat, propoſitæ quæſtioni directè reſpondens, ajo è re omninò ac dignitate eſſe alicujus Eccleſiæ, plurimis propriis feſtis abundare,

Commendantur Eccleſiæ plurimis Sanctis propriis abundantes.

ſi ea verè illius Eccleſiæ propria ſunt, hoc eſt, ſi Sanctos omnes illos, quorum feſta recolit, utero ſuo conceptos, ac ſinu veluti educatos, cœlo tandem ipſa pepererit. Cui enim matri ſummæ gloriæ non ſit tam fauſta fœcunditas? Quis venter tot vallatus liliis, ut cum Sponſo divino loquar, numeroſo tritici acervo non longè præſtantior ac laudabilior? Talis eſt Eccleſiarum omnium princeps ac parens Eccleſia ipſa Romana, cujus tot ſunt Martyres, tot Confeſſores, omniſque generis Sancti, ut Martyrologii partem maximam ſola ipſa conficiat. Tales nobiliſſimæ Orientis Eccleſiæ Alexandrina, Antiochena, Hieroſolymitana, Conſtantinopolitana, Cæſarea utraque Cappadociæ & Bithyniæ, Nicomedienſis, quarum citatio paſſim in Martyrologio recurrit. Tales in Italia Mediolanenſis, Ravennas, Bononienſis, Capuana, Brixienſis: in Africa Carthaginienſis; in Hiſpania Cordubenſis, Toletana; in Germania Colonienſis, Trevirenſis, Leodienſis, quæ teſte Radulpho triginta ſuos Epiſcopos canonizatos numerat. Tales denique in noſtra Gallia Lugdunenſis, Rhemenſis, Viennenſis, Turonenſis, Pariſienſis, Antiſſiodorenſis, & aliæ, quæ omnes utique partem in Martyrologio habent non exiguam. His ergo & aliis ſimilibus abſit, ut litem ullam de ſuis Sanctis expungendis intentare cogitem: quin potiùs authoritate verbiſque elegantiſſimis Euſebii Emiſſeni, ſeu mavis Eucherii Lugdunenſis, *homil.* 49. de SS. Epipodio & Alexandro martyr. traditam à Majoribus ipſorum venerationem ſtabilire, atque inviolabili ſigno conſignare ambiam: *Etenim*, ait author ille, *ſi peregrinas palmas, extraneaſque victorias, & coronas, ac tranſmarinos triumphos, tanta nos oportet ſedulitate venerari, ut quod alienum eſt locis, noſtrum faciamus officiis: & illud quod includitur ſepulchris, ſit commune ſuffragiis. Quanto nos impenſius convenit in eorum celebritate fervere ſtudio, excubare famulatu, quibus multiplicem debet Religio venerationem, Eccleſia honorem, patria charitatem? Ut ſicut eorum per unius parentis gremium, jure naſcendi cognati ſumus; ita nobis erga eos pietatis & gratia privilegium vindicemus; atque ad eos fidei devotione prius accedamus, ut quorum eſſe cives gratulamur in terris, cum his municipatum habere mereamur in cœlis.* Satiſne tibi videor his verbis Sanctorum propriorum feſta tueri, nedum impugnare? Mentem hanc meam pleniùs adhuc aperient, quæ ſequentibus deinceps Capitibus, de ſingulis Sanctorum propriorum titulis copioſè diſſerentur; meque nomine haud ita bono parci ac infrequentis localium Feſtorum Cultoris, quo jure an injuria, apud aliquos laboro, penitùs vindicabunt.

Eucherius Lugd.

Verùm quod ad alios Sanctos attinet, quos non tam cujuſque Eccleſiæ proprios, quàm aſcititios, & aliunde cooptatos in ſuas plerique tabulas proprias, affectato quodam pietatis zelo confertim inſerunt & obtrudunt, tribus potiſſimum argumentis modum iſtum agendi deprimere, ac convellere nequaquam verebor.

Primum argumentum, petitur à notabili detrimento, quod infertur officio de Tempore, ex ingenti illa feſtorum coacervatione, quam eò uſque demum aliqui promovent, ut vix locus ullus, aut certè exiguus admodum feriis ſuperſit, quin & Dominicæ plurimæ ſupprimantur. Hanc primam omnium rationem allego, quòd magni eam referre conſtet, tum ex Bullis Pontificum, Decretiſque Sacræ Rituum Congregationis; tum ex placitis juris hujus conſultatorum.

Grave Officio de Tempore infertur detrimentum ex feſtorum multiplicatione.

Nam Gregorius XIII. in Bulla quæ incipit, *Paſtoralis Officii*, data anno 1573. ad Eccleſias Hiſpaniæ, prohibet ne tantam multitudinem feſtorum inducant: *Inprimis*, inquit, *illud nobis declarandum ſe offert, ex quo magna oriri poterat confuſio, ut ſcilicet officium majoris partis feriarum anni omitteretur, & ordo Breviarii ſubverteretur.*

Authoritas Pontificia & Sacr. Rituum Congr. contra nimiam feſtorum multiplicationē.

Sacra item Rituum Congregatio novis Breviariis authoritate Urbani Octavi recognitis, laudante, approbante, imò & jubente ipſomet Pontifice, ſolemne illud Decretum appoſuit, quo facultatem omnem Ordinariis quibuſcumque tam Regularibus quàm Sæcularibus adimit, feſta ulla Calendariis etiam propriis addendi, præter ea quæ à Rubricis conceduntur. Profertur ſequenti ſtatim capite Decreti ipſius tenor, cujus interpres Gavantus, ſic ait: *Feriale officium Domini eſt, quod à quocumque ſervo non debet obrui, & ideo videant Epiſcopi, ne pluralitate Feſtorum, fiat injuria officio feriali Domini Dei noſtri.* Ita citatur in Collectione Decretorum ipſius Rituum Congregationis, *ex c.* 3. *ſect.* 3. *ſuorum Comment. in Rubr. Breviarii.*

Quòd

Authoritas Radulphi Tungrenſis.

Quòd ſi antiquiores deſideras, conſule citatum jam ſæpiùs Radulphum Tungrenſem, cujus extat inſignis liber de obſervantia Canonum, relatus tomo 9. vel juxta poſteriores editiones tomo 11. Bibliothecæ SS. Patrum. Is *propoſitionibus* 17. 18. *&* 22. quæ ſatis prolixæ ſunt, totus eſt in confutanda ejuſmodi feſtorum multiplicatione, adeò ut etiam *abuſum deteſtandum* eam appellare non dubitet, acriùſque in ejus authores invehatur. Plura ex eo referemus, ubi de ritu & qualitate feſtorum agendum erit; contentus eſto nunc hoc uno illius verbo, quo ex præmiſſa comparatione feriarum ſex pro una Dominica, & Diſcipulorum 72. pro 12. Apoſtolis ſic concludit: *Sicut ergo pauci ſunt dies Dominici, & multa feriæ; ac pauci Apoſtoli, & multi Diſcipuli; ita pauca debent eſſe feſtivitates, & multa feriæ &c.* Et paulò poſt: *Si benè computes & ordines, non erunt tot feſtivitates in anno, ſicut ſunt Dominici dies, quia ſervi non debent eſſe ſupra eorum dominum, nec diſcipuli ſupra magiſtrum.*

Comparatione probatur pauciora debere eſſe feſta quàm ferias.

Gerſon.

Huic adde ejuſdem ſæculi Theologum eximium Gerſonem Cancellarium Pariſienſem, qui conſultus à Canonicis Carnotenſibus, qua ratione Sancti Joſephi feſtum poſſent celebrare; modum hunc illis præſcribit, ut homiliam de Evangelio proprio legerent feria 5. poſt Dominicam 3. Adventus, & Miſſam eodem die de ipſo cantarent: qui modus, inquit, placet admodum, *quia facilis, nec turbativus in aliquo, vel impeditivus ordinarii ſervitii de Adventu.* Ita bonus ille Doctor Epiſtola ad Cantorem Carnotenſem data Conſtantiæ 7. *Septembris, anno* 1416. & relata tomo 4. ejus operum; qui & alia itidem Epiſtola, ſcripta Pariſiis 17. *Auguſti* 1413. ipſam homiliam cum tribus Reſponſoriis & Miſſam integram plenè deſcribit. Ut hinc videas quanta eſſe priſcis temporibus ferialis Officii reverentia, quantaque averſio ab illius decoctione, cui tam multi hodie liberali nimis, impenſoque ſtudio favent.

Quo ſenſu dicatur feriale officium, officium Domini.

Cæterùm quod ait Gavantus citatus Officium feriale eſſe Officium Domini, non ſic accipiendum eſt, quaſi aliquod ſit Officium, quod non ſit Domini, cùm ipſe Deus Opt. Max. & Dominus noſter finis ſit, ad quem dirigitur omne omninò Officium: ſed cùm ratione materiæ, aliud ſit Officium de Sanctis, in quo videlicet eorum laudes & gratiæ à Deo ipſis datæ prædicantur, & ipſimet Sancti invocantur; aliud verò, in quo ipſemet Deus, ſeu ipſius attributa ex profeſſo laudantur, aut Chriſti Domini myſteria, ſeu ejus dicta factave recoluntur: ſenſus Gavanti eſt, utrumque ſic ordinari debere, ut pluries de Domino fiat Officium quàm de Sanctis. Quo ſanè ordine nihil æquius, nihil decentius excogitari poteſt.

Feſtum gaudium ſonat & lætitiam.

Secundum argumentum petitur ab ipſa natura & indole feſtorum, quæ apud nos etiamnum, perinde atque olim apud Ethnicos, gaudium ſonat ac præ ſe fert. Unde *Feſtivum ſolemus appellare quod lætum eſt*, ait Sanctus Bernard. ſerm. de S. Andrea. In hoc tamen grande diſcrimen eſt, quòd Ethnici ſuis feſtis nonniſi profanam abominandamque lætitiam exprimerent, contra quos idcircò acriter invehitur Tertullianus in Apologetico *cap.* 35. *Grande videlicet officium, focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari, vino lutum cogere, catervatim curſitare, ad impudentias, ad injurias, ad libidinis illecebras; ſicine exprimitur gaudium per publicum dedecus? At nos, à quibus Verbum adoratur*, ſubdit præclarè Gregorius Nazianzenus oratione in Chriſti Nativitatem, *verborum delitiis (ſi quid tamen delitiis dandum eſt) indulgemus, atque ex lege divina & narrationibus cum aliis, tum iis præſertim, quibus præſentis feſti myſteria explicantur, voluptatem capimus.*

Tertullianus.

Greg. Naz.

Feſta Sanctorum gaudia prænuntia.

Addo, gaudium illud noſtrum lætitiamque feſtis præſertim Sanctorum adhiberi ſolitam, æternæ ipſius lætitiæ, ad quam exemplo & imitatione Sanctorum adſpiramus, eſſe prænuntiam, & quemdam veluti haberi guſtum illius anticipatum. At, inquit Bernardus *Epiſt.* 174. *ad Canonicos Lugdunenſes*, appoſitè omninò, & ad rem noſtram quaſi Deus ex machina, *Feſtivitates non ſunt multiplicandæ, quia hæc frequentia gaudiorum patriæ eſt, non exilii, & numeroſitas feſtivitatum cives decet, non exules.*

Bernardus.

Non ultrà pergerem, prolato hocce viri ſanctiſſimi, Sanctorumque cultui addictiſſimi teſtimonio, niſi ipſummet viam mihi ſterneret, & quaſi manu duceret ad inveſtigandam Eccleſiæ mentem & conſilium in ordinatiſſima Officiorum ratione, quam quidem accuratiùs explorare, licèt alterius ſit operis, quantum tamen præſens occaſio poſtulat, libet hic etiam aliquid vel tentando decerpere.

Officium de Tempore quadruplex, quatuor anni tempeſtatibus aſſimilatum.

Durandus.

Officium in prima ſui diviſione, aliud eſt de Tempore, & aliud de Sanctis. Tempus autem non unum eſt, ſed quadruplex, quod quatuor anni tempeſtatibus opportunè ſatis adaptat Durandus *libr. 6. Ration. cap.* 1. Hyemi videlicet tempus à Septuageſima ad Paſcha, quod dicitur tempus Deviationis, eò quòd in ipſo recolatur ſtatus hominis poſt lapſum Adami à juſtitia extorris, & ſub peccato captivi. Veri, tempus Adventus, quod eſt tempus Reductionis; venit enim Chriſtus Dominus, cæcos in viam reducere quam neſciebant. Æſtati, tempus Paſchale, quod Regreſſionis eſt, ſeu perfectæ conſummatæque, quam ſperamus quidem, nondum tamen poſſidemus, in cœleſtem patriam reſtitutionis. Autumno denique reliquum anni tempus, quod *per annum* inde communiter appellatur; eſtque tempus Peregrinationis, quo videlicet nobis jam Deo reconciliatis, reliquum eſt, ut tamquam advenæ & peregrini, ab hoc exilii loco ad cœleſtem illam patriam, continuis bonorum operum greſſibus contendamus.

Status hominis ad Deum quadruplici illo Tempore adumbratus.

Cùm itaque quadruplex illud tempus ſtatum hominis in præſenti vita ſic repræſentet, ſtatûs verò illius expreſſio inprimis ab Eccleſia in divinis Officiis intendatur, quò ſe videlicet homo hac arte recognoſcat, & ex ſua ad Deum habitudine, ad ipſum ritè colendum orandumque congruentiùs incitetur; debent prædicta tempora ſuis ſingula Officiis ſalvis ac illibatis in tantùm ſaltem gaudere, quantum opus eſt ad inditum ipſis ſenſum hominum animis figendum fovendumque; quod præſtare nullatenùs poſſint, ſi continuo & frequenti nimis feſtorum occurſu identidem perimantur ac diffluant.

Nulla olim feſta in Quadrag. nunc etiam pauca.

Hinc eſt, quòd Concilii Laodicenſis Decreto nulla olim natalitia Martyrum in Quadrageſima celebrarentur; quem ritum Eccleſia Ambroſiana etiamnum ſtrictiſſimè obſervat: Romana verò aliæque omnes nonnulla quidem feſta, ſed pauca admittunt eo tempore; nec immeritò: Ecquid enim captivo tum homini ac diriſſima ſervitute oppreſſo, cum iis lætitiis, quas refricat & ingerit ipſum feſti nomen ac ratio? Tempore item Adventus, quod Reductionis tempus eſt, rariora ſunt indicta feſta; quò benè affectus erga proximum Redemptorem animus minùs interrumpatur. At Tempore Paſchali, ſeu Regreſſionis, nedum importuna ſunt frequentiora feſta, ut ipſum etiam tempus totum ſit ex ſe feſtivum, nilque niſi lætitiam illam gaudiaque ſempiterna ſonet.

Rariora in Adventu.

Frequentiora tempore Paſchali.

Tempore per annum non debent eſſe cõmuna.

Reliquo verò anni tempore, quod Peregrinationis eſt, haud negem liberiorem feſtis aditum dari; nihil enim peregrinum æquè ſolatur, ac chariſſimæ patriæ, ad quam tendit, recordatio. Verùm cùm multis iter quoque ipſum laboribus ac periculis pateat, vix illa peregrinus cavebit,

aut

aut inoffenſo decurret pede, niſi & ipſe identidem memor ſit, exulem ſe eſſe à patria, dubiumque de fauſto reditu; adeòque intermiſſa illa gaudii cœleſtis cogitatione, lacrymis ac ſuſpiriis etiam aliquid tribuat, exclamans cum Pſalmiſta, *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt Deus tuus?* Vides jam, quàm verum ſit Bernardi effatum, feſtivitates non eſſe multiplicandas, quòd nimirum hæc frequentia gaudiorum, patriæ ſit, non exilii, magiſque cives deceat quàm exules.

Amalarius.

Huic non eſt abſimilis pulcherrima Amalarii Trevirenſis Archiepiſc. qui ſub Carolo Magno & Ludovico Pio Imperatoribus floruit, obſervatio *libr. de Ordine Antiphonarii cap.* 58. Ait enim, tempore, quod à Natali Domini uſque ad Octavam Epiphaniæ, & à Paſchate uſque ad Octavam Pentecoſtes intercurrit, deſignari præſentiam ſponſi cum ſponſa, Chriſti nimirum cum Eccleſia; huicque adeò tempori quadrare illud Euangelii, *Numquid poſſunt filii ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus?* Tempore verò quod eſt ab Octava Epiphaniæ uſque ad Septuageſimam, & ab Octava Pentecoſtes uſque ad Adventum, dies illos recoli, de quibus dictum eſt, *Auferetur ab eis ſponſus, & jejunabunt.* In Septuageſima denique majorem adhuc inferri triſtitiam & mœrorem ex recenſione captivitatis noſtræ ſub peccato: *Majorem enim*, inquit author ille, *afflictionem ſuſtinet homo captivus & exul, quam qui intra patriam ſponſi expectat adventum.* At exilium quoque eſt ipſa expectatio; exulem autem minimè decet continua feſtivitas.

Tempus gaudii ex præſentia ſponſi.

Tempus luctus & triſtitiæ ex ejus abſentia.

Tertium argumentum petitur à frequenti perturbatione, variiſque incommodis, quæ ex ejuſmodi feſtorum multiplicatione ſequi neceſſe eſt. Nam cùm ex Auguſtino *lib.* 19. *de Civ. Dei cap.* 13. *Ordo ſit parium diſpariumque rerum, cuique loco tribuens diſpoſitio*; ſic omnia in divinis Officiis diſpoſita ſunt, ut nihil ſuperfluum ſit, nihil otioſum & inutile, nihil quod ſuo loco non quadret aptiſſimè, ac cum aliis partibus mirabili æquabilitate non cohæreat. Feſtorum autem congeſta illa multiplicitas, multa reſecat ac perimit, multa loco ſuo movet, ac luxata latè vagari cogit; multa denique permiſcet, confundit, interpellat, ut ex ſequenti inductione patebit, cujus exempla per ſingula capita facile mihi eſſet ex variis uſibus adducere, verùm ſufficiat ſi ex uno.

Officiorum perturbatio ex frequentioribus feſtis.

Primò, Integram ſingulis hebdomadis Pſalterii recitationem, quæ Officii præcipua & maxima pars eſt, multiplicatio illa feſtorum interdicit ac prohibet penitùs, adeò ut in aliquo Proprio obſervaverim currentibus litteris Dominicalibus A. D. E. F. ne unam quidem reſtare hebdomadam, in qua integra ejuſmodi recitatio locum habeat. In litteris verò G. B. C. ſemel duntaxat, idque rarò admodum. Imò, caſum ejuſmodi contingere, ut Pſalmi aliqui ne ſemel quidem toto anno impendantur; quæ tamen potiſſima cauſa fuit, ob quam aſſerit Cardinalis Quignonius ſe novam illam Breviarii formam à Pio Quinto poſtmodum rejectam excogitaſſe, ut videlicet, *Quibuſcumque feſtis occurrentibus, nihilominus Pſalterii recitatio ſingulis hebdomadis abſolveretur.*

Pſalterii integri per omnes anni hebdomadas intermiſſio.

Secundò, Dominicarum indemnitati malè conſultum erit, ſi tot feſta propria admittantur. Nam in citato Proprio, v. gr. ex 29. vel 30. quæ per annum nuncupantur, non pluſquam 17. vel 18. locus ſupereſt, plerumque verò nonniſi 12. vel 13. cæteræ omnes Feſtorum duplicium occurſu interimuntur. Hoc autem Sacra Rit. Congregatio tantoperè abhorret, ut ſtatuerit nulla deinceps concedere feſta duplicia.

Dominicarū peremptio.

Tertiò, Feſtorum ſimplicium ac Vigiliarum uſus penè omnis extinguitur, iis ut plurimùm ad commemorationem redactis. Quin & paris quoque jacturæ periculum incurrunt Octavæ. Parùmne verò tibi videtur duas treſve ſpecies ex uno genere ſic aboleri?

Feſtorum ſimplicium & vigiliarum extinctio.

Quartò, Magna inde Officiorum inter ſe altercatio naſcitur, aliis in frequenti ac penè quotidiana concurrentia, celebritate ſua minui, aliis importunè augeri, nullis denique non turbari, atque implicari ſæpiùs neceſſe habentibus.

Officiorum inter ſe altercatio.

Quintò, Multa feſta è ſuo loco mota ad menſem unum aut alterum, aut etiam ampliùs continget aliquando transferri! Quàm tenacis oportet eſſe memoriæ, ut non excidant: Quàm perſpicacis judicii, ut ſua cuique ſedes ordine debito reſtituatur!

Rejecta longiùs feſtorū tranſlatio.

Sextò, Hiſtoriarum, ſeu Reſponſoriorum ex libris Scripturæ deſumptorum, Miſſarum item Dominicalium, non levis fit quandoque truncatio, ex tam frequenti feſtorum occurſu; adeò ut in præfato Proprio, Miſſa Dominicæ 2. poſt Epiph. poni non poſſit, niſi ſemel intra curſum quinque vel ſex annorum, imò & undecim interveniente Biſſexto.

Hiſtoriarum propriarum omiſſio.

Septimò, Abit propè in nihilum Officium B. Mariæ, tum majus in Sabbatum, tum parvum, quod quotidianum dicitur, utrumque jam inde à ſexcentis annis Petro Damiani authore inſtitutum, & in Concilio Claromontano (quod ad Galliæ decus non parùm refert) ſub præcepto primitus promulgatum. Etenim mendax habear, ni ex 18. circiter diebus, quibus communiter intra anni curſum, locus eſt Officio Beatæ Mariæ, ſuperſint in citato Proprio 7. vel 8. imò non rarò 4. vel 5. duntaxat. Officium verò parvum minùs quàm quindecies, nec unquam pluſquam trigeſies integrum, ſine veſperis verò vix pluſquam ſexagies toto anno recitari contingit. Hoccine eſt eſſe quotidianum? Et jactabunt illi vel illæ ſedulum ſui Ordinis erga B. Virginem obſequium: jactent & alii hac in parte, parci dicam, an ſtudioſi non minùs.

Officii B. Mariæ tum Sabbatini, tum parvi ſuppreſſio.

Octavò, Pari laborant diſcrimine, Officium Defunctorum, (quod eximiæ pietatis eſt) prima cujuſque menſis die non impedita, ac feriis 2. Adventus & Quadrageſimæ in Choro ſaltem præſcriptum; Pſalmi itidem Graduales ac Pœnitentiales certis Quadrageſimæ diebus addicti. Ceſſante ſiquidem Officio feriali, ceſſant & illa omnia; poſitis autem feſtis illis frequentioribus, vix contingit tot reſtare ferias, quot opus ſunt, ut illa media ſaltem parte non minuantur. Quod incommodum ut vitetur æquè ac aliàs priùs recitata, rectè infert idem, qui ſuprà Radulphus commendans Feſtorum paucitatem, propoſitione 17. gratiorem eſſe ipſis Sanctis ejuſmodi obſervationem, *Ad finem*, inquit, *ut Pſalterium, Sacra Scriptura, Officium Mortuorum, Septem Pſalmi Pœnitentiales, Pſalmi Graduales, & hujuſmodi ſerventur juſto ordine.*

Officii Defunctorum, Pſalmorum Gradualium & Pœnitentialium abſtractio.

Nonò, Neſcio an incommodi loco recenſere debeam, quòd in aliquibus Religionibus ex multiplicatione Feſtorum (modò ea duplicia ſint) multorum jejuniorum ex Regula ſuppreſſio conſequatur; fortè enim non deerit, qui hoc ipſum commodi nomine non invitus accipiat.

Jejuniorum Regulæ commoda declinatio.

Potuiſſet his addi quartum argumentum ex eo petitum, quòd quæ pretioſiora ſunt, rariora protinus eſſe ſoleant; ſed illud commodiùs explicabitur, ubi de ritu, ſeu qualitate Feſtorum agetur; qua de re nihil hìc de induſtria miſcere volui.

QUÆ-

QUÆSTIO XX.

Poteſtne contra prædicta argumenta quidpiam objici?

POteſt unum, aut aliud, ſed quæ ſolutu ſatis facilia ſunt.

Primum, Feriale Officium, ſaltem commune illud quod per annum currit; cùm eo ſpectet, ut creationis beneficium recolatur, Officio Sanctorum videri longè poſthabendum; tum quia præſtare videtur creationi ipſa Sanctorum glorificatio; tum quia cuilibet Sancto nonniſi ſemel ordinariè tribuitur Officium, feriæ verò pluries, putà uno anno, ut minimum decies vel duodecies. Reſpondeo ratum id non eſſe, Sancti unius glorificationem, majus eſſe beneficium toti Eccleſiæ, quàm mundi creationem; nec qui id aſſerit, conſentientes putem habiturum omnes Theologos. At id verò, quod dicitur feriali Officio abundè decem vel duodecim vicibus ſatisfieri, judicem te interpello Gavantum, qui ſic fatis *ſect. 3. cap. 6. n. 3. Occurrit per annum Officium feriale ferè quadragies, niſi occupentur dies à feſtis mobilibus, ſeu Dominicis &c. Vide ergo an expediat minui adhuc hunc feriale numerum.* Quàm magis vereor, ne ſpecioſo pietatis prætextu, ſe tegat innatum pleriſque brevitatis ſollicitandæ ſtudium. Ducerem ego religioni ſic loqui, niſi facem præferret ipſemet Gavantus, qui aſturos ejuſmodi devotionis præcones hoc verbo ſatis acri perſtringit *ſect. 8. c. 6. n. 4. Quidam pii erga Beatam Virginem, ſed nimium amantes ſui, ne Sabbati Officium prolixius recitent &c.* Et ante Gavantum Quignonius ille Cardinalis Breviarii trium Lectionum fabricator, *Multi*, inquit in Epiſtola liminari, *dum Officii ferialis optime ſanctiſſimèque à majoribus inſtituti longitudinem & laborem refugerent, varia compendia excogitantes, conſuetudinem induxerunt, omiſſis feriis toto ferè anno Sanctorum feſta celebrandi.*

Feriale officium non tantum jam non abundat ut ſit etiam rarius, vacante.

Quignonius.

Secundò objici poteſt, multa nihilominùs ipſi Calendario Romano in dies ſuperaddi, adeò ut jam inde à prima Pii V. reformatione 40. circiter additiones ejuſmodi numerentur. Reſpondeo, multa fuiſſe non de novo addita, ſed quæ exciderant reſtituta, ut identidem obſervat Gavantus. Sed eſto addita fuerint & iſta & alia; hinc potiùs inferas pauciora deinceps ac propè nulla addi oportere; tum ob rationes prædictas, tum eo maximè, quòd id cauſæ ſit pleriſque Eccleſiis, ut Romanum Breviarium minimè admittant; nempè cùm plurimis ipſæ Feſtis propriis abundent, quæ abjicere haud ſibi fas putant, non poſſunt iis retentis cætera omnia in Calendario Romano deſcripta inducere, quin feriale Officium penè totum internecioni dent: quod ſanè incommodum nobiliſſimis Eccleſiis Turonenſi, Rothomagenſi & aliis grave viſum eſt, ut quò ſibi ab eo caverent, paucioribus feſtis ſuamet etiam Calendaria propria reſperſerint. Porrò vim hujuſce argumentationis, ſi quam habet, exſcindit radicitus citatum ſuprà Sac. Rit. Congregationis Decretum, quod eò ſpectare videtur maximè, ut indiſcreta illa Feſtorum multiplicatio penitùs arceatur. Si verò dubitas, tenorem illius ſequens caput exhibebit.

Nimia feſtorum frequentia obſtat receptioni Breviarii Romani.

Eccleſiæ nonnullæ inſignes feſtorum parciores.

CAPUT SECUNDUM.

DE NOVO SACR. RITUUM CONGREGATIONIS Decreto ſuper feſta propria.

QUod in qualibet facultate contingit, dari videlicet certa quædam principia, quæ latè per omnem facultatis ambitum diſcurrant ac vagentur, concluſioneſque ex iis plurimæ deducantur; hoc ipſum noſtræ huic de Feſtis propriis tractationi non deeſt. Decretum namque Sacræ Congregationis Rituum, quod jam prælibavimus, inſtar eſt principii, cujus vis in ſubjectam latè materiam extenditur, quare juvat ipſum, ut jacet, prima fronte integrum hic referre, quò accuratiùs ſtatim expendatur.

Ex Decretorum Regiſtro Sacræ Rituum Congregationis hæc ad Breviarium Romanum pertinent.

SAcra Rituum Congregatio declaravit & decrevit, non potuiſſe poſt Bullam Pii V. de Breviario Romano, neque poſſe locorum Ordinarios, tam Sæculares quàm Regulares, addere Calendariis etiam propriis Sanctorum Officia, niſi ea dumtaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel Sacra Rituum Congregationis ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur: neque propria authoritate quovis prætextu mutare ritum, qui habetur in Calendario Romano, ſeu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum, neque extendere conceſſa Officia de loco ad locum.

Item vetuit & prohibuit celebrari per totam Civitatem vel Diœceſim, etiam de cujuſcumque Ordinarii authoritate, Feſtum cum Officio, eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia, ſed tantùm in ipſius Sancti Eccleſia titulari, ſeu ubi aſſervatur corpus aut inſignis Reliquia, & non alibi.

Inſignes autem Reliquias, declaravit eſſe caput, brachium, crus, aut partem illam corporis in qua paſſus eſt Martyr, modo ſit integra & non parva, & legitimè ab Ordinariis approbata.

De Sanctis Epiſcopis locorum, Martyribus, Civibus, & aliis Feſtis, de quibus in Calendario Romano ſeu Rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de Beatis nondum Canonizatis, nihil propria authoritate conſtituatur, ſed omninò conſulatur Sac. Rit. Congreg.

Decretum quoque nuper editum ſuper electione Sanctorum in Patronos & impreſſum omninò ſervetur:

Et hæc omnia decrevit, ſtatuit & mandavit, innovando pœnas Conſtitutionis Pii V. reſpectivè.

Facta demum relatione horum Decretorum Sanctiſſimo Domino Noſtro Urbano Papæ VIII. ea laudavit, & approbavit, atque ab omnibus ubique ſub prædictis pœnis ſervari præcepit, necnon in novis Breviariis de mandato Sanctitatis ſuæ imprimendis apponi juſſit.

Loco † Sigilli.

T. Tegrimius *Epiſc. Aſſiſienſis Secretarius.*

QUÆSTIO I.

Quæ cauſa fuerit condendi illius Decreti?

EAdem ferè, quæ Pio V. reſtituendi ipſiuſmet Breviarii, & Clementi VIII. illius item recognoſcendi, nempè ad tollendam orandi varietatem; quam nihil æquè aſtruit, ut promiſcua illa Feſtorum intruſio, quæ ſi libera eſt & pro cujuſque arbitrio uſurpanda, parum juverit Breviarium ipſum reformaſſe. Quod enim de Corinthiis queritur Paulus Apoſtolus, prima ad eos data Epiſtola, dicere unumquemque illorum, *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ &c.* Hoc idem ferè ſchiſma inducit quorumdam zelus, pius ille quidem, ſed non ſatis ſecundùm ſcientiam, quo videlicet unus unum, alius alium è Sanctis Cælitibus, quilibet pro ſuo affectu, Feſto atque Officio præ aliis colendum eſſe contendit.

Carpitur indiſcretus aliquorum zelus.

Neque novum eſt hoc zelandi genus, quod in Fratribus Minoribus ſui temporis acriter redarguit Radulphus Tungrenſis propoſ. 17. & 22. utporè qui Sanctos ſui Ordinis proprios in Calendarium Romanum intuliſſent, cujus rei fidem mihi fecere duo

Feſta Minorum olim in Kal. Rom. illata. Radulphus.

Ca-

Digitized by Google

Calendaria; alterum editum anno 1483. alterum 1555. ambo prædictis feſtis, aliiſque plurimis exoticis referta, quæ deinceps expuncta fuere.

Ne quid ergo ſimile ampliùs à quoquam attentetur, conditum eſt hocce Decretum, eo maximè fine, ut vaga illa & incerta feſtorum etiam particularium multiplicatio reſtringatur.

Itaque non eſt quòd mihi ſuccenſeas, ſi paulò rigidiorem me hac in parte exhibeo: quamquam ſi propriùs attenderis, non laxior quidem, ſed æquabiliter temperans tibi fortaſſe videbor.

QUÆSTIO II.

Quam vim Decretum iſtud habeat?

Decreti hujus atque Bullæ Pii V. & aliarū par vis & obligatio.

RESpondeo, eamdem prorſus atque Bullæ ipſæ Pontificiæ, Rubricæque Breviarii. Patet, tum quia ipſa Sacra Rituum Congregatio, à qua manavit ejuſmodi Decretum, Pontificem ipſum hac in parte repræſentat, ejuſque authoritate agit, quidquid agit: tum quia laudavit & approbavit ipſummet Decretum Urbanus VIII. atque ab omnibus ubique ſub pœnis Conſtitutionis Pii V. reſpectivè ſervari præcepit, noviſque adeò Breviariis imprimendis apponi. Ex quo item colligas ejuſdem Decreti, quoad conſcientiam attinet, parem eſſe obligationem ei, quam Rubricæ inducunt; qua de re quid ſtatuendum ſit, diſceptabitur aliàs. Idemque à pari judicium eſto de aliis ejuſdem Congregationis Decretis, quæ paſſim à nobis in hoc opere allegabuntur.

QUÆSTIO III.

Quinam hujuſce Decreti obligatione teneantur?

Nulla officia Calendario Rom. addenda.

RESpondeo, Ordinarii quicumque tam ſæculares quàm Regulares; quo nomine cùm Epiſcopi ipſi comprehendantur, multò magis qui iis ſunt inferiores, Abbates, Decani, Præpoſiti, cæterique quovis titulo ac nomine Eccleſiarum Præſides: Capitula item, ac Monaſteria à juriſdictione Ordinariorum exempta, ac ſuo ipſorum juri relicta. Id autem ſic accipe, modò ii omnes Romano uſui adſtricti ſint: nam qui ex Bulla Pii V. ſuo adhuc proprio Breviario gaudent, nihil hocce Decreto urgentur. Cùm enim acceſſorium ſequatur naturam principalis, ſi ad principale minimè tenentur, certè nec ad acceſſorium. Æqui tamen bonique conſulent, ſi & ipſi parem uſum æmulentur, ac ſuis æquè ſubditis ſervandum præſcribant.

QUÆSTIO IV.

Quaſnam obligationes importet præfatum Decretum?

TRes ſingillatim exprimuntur. 1. Ne addantur Calendariis etiam propriis Sanctorum Officia, niſi ea dumtaxat, quæ Romani Breviarii Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis aut Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur.

Ex hoc jam capite duo velim inferas, proſequentibus admodum notanda. Alterum nihil me prorſus repugnare iis, qui Feſtum vel Officium aliquod ex Summi Pontificis, aut Sacræ Rituum Congregationis licentia celebrant, quantumvis Feſtum, vel Officium illud à communi lege Rubricarum aberret; quippè aut legem facit, aut à priori lege diſpenſat ejuſmodi conceſſio. Ne quis ergo me hac in parte ullatenus calumnietur. Alterum, ſed nec velle etiam mihi ſuccenſeri à quoquam, ſi quando frequenter poſthac, quæcunque Feſta vel Officia à Rubricis conceſſa eſſe vindicavero, ea protinùs nulla alia facultate requiſita fieri poſſe legitimè aſſeram. Nitor ſiquidem verbis Decreti hujus expreſſiſſimis.

Secunda obligatio eſt, Ne propria authoritate mutetur quovis prætextu ritus ex inferiori in altiorem, ut ſi ex ſimplici fiat ſemiduplex vel duplex. *Quovis prætextu*, hoc eſt quacumque ex cauſa alia ab iis quæ in Rubricis expreſſæ ſunt, putà ob majorem devotionem, quod plerique ſolent allegare; alioqui verò ſi Sanctus aliquis v. g. Patronus ſit ſeu Titularis, aut ejus habeantur Reliquiæ, aut aliquo alio legitimo Titulo ex infrà tractandis ad Eccleſiam ſeu locum pertineat, non id prætextus eſt, ſed cauſa vera & æquiſſima.

Nihil in ritu Feſtorum immutandū.

Tertiò, Ne extendantur Officia de loco in locum: v. g. conceſſum fuerat feſtum S. Conradi Placentinis & Netinis: hoc cùm alii æquè ſibi arrogarent, opus fuit Declaratione Sacræ Rit. Congregationis, *die 19. Maji* 1614. Hinc arguas communicatione privilegiorum, de qua fusè diſputamus cap. 14. q. 7. extenſionem ejuſmodi minimè comprehendi, niſi expreſſa fiat ipſius mentio. Nec enim valet argumentum illud, *Ex quo alia Eccleſia hoc vel illud faciunt, ergo & iſta idem faciet*. Gloſſa *in can. illud diſt.* 12. Imò repugnat Regula juris 74. *in ſexto*, *Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet aliis in exemplum.*

Non extendenda officia de loco ad locum.

QUÆSTIO. V.

Quis ſenſus illius prohibitionis, Ne Feſtum ex una Eccleſia ad totam Civitatem vel Diœceſim extendatur.

HAudquaquam officit hæc prohibitio, iis quæ à nobis aſſerta ſunt ſuprà *c.* 1. *q.* 8. nec item iis quæ aſſeruntur infrà variis locis, ubi de Sanctis locorum naturalibus, aliiſque ſimilibus agendum erit. Nullibi enim aſſero, ex eo præcisè quòd in loco adſit Eccleſia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia de Sancto, cujus eſt talis Eccleſia vel Reliquia, fieri debere Officium in tota Civitate vel Diœceſi; imò id nego perſeveranter. Ajo verò Feſta aliqua; quæ in Eccleſia Cathedrali, aut alia primaria fiunt, fieri quoque debere in omni loco juriſdictionis ac dependentiæ ipſius Eccleſiæ: aliqua, inquam, juxta diſcrimen allatum *c.* 1. *q.* 9. Quomodo enim explicabis disjunctionem illam frequentiſſimam in Rubricis, *Loci vel Eccleſiæ*, niſi fuerint aliqua Feſta, quæ non in una tantùm Eccleſia, ſed in toto loco fieri debeant? Cauſa autem cur fieri debeant, non eſt ipſa præſentia ſeu proximitas Eccleſiæ, ſed ejus in ſubjectas juriſdictio, ut dictum eſt *q.* 8. *cit.*

Non obſtat Decretum quo minùs aliqua feſta Eccleſiæ Cathedr. ſeu Primariæ fiant per totam Diœceſim, ſeu juriſdictionis locum.

Et verò ut planior tibi fiat mea hæc aſſertio, duo in præfato Decreti textu velim obſerves. Primum, numeratam non fuiſſe Eccleſiam Cathedralem cum aliis, nempè Parochiali, Regulari, & Abbatiali: quid ita? niſi quòd juriſdictionem habet Eccleſia Cathedralis, ratione cujus feſta ſuæ Dedicationis, ſicut & Patroni ſui ſeu Titularis, aliaque ejuſmodi fieri debent per totam Civitatem & Diœceſim, prout cenſuit ſæpiùs ipſamet Rituum Congregatio: quam utique juriſdictionem non habent illæ aliæ Eccleſiæ, ſaltem ordinariè. Quòd ſi aliquas habere contingat, quidni pari & ipſæ jure circa ſua feſta propria potiantur? Secundum quod velim obſerves, confirmat admodum traditam ſtatim initio doctrinam *c.* 1. *q.* 1. de duplici acceptione Feſti pro Officio Chori, & pro feriatione fori; quod enim vetatur hic *celebrari per totam Civitatem vel Diœceſim*, *Feſtum cum Officio*, ſatis innuit poſſe aliquando contingere, ut Feſtum, hoc eſt feriatio ſervetur in foro, nec tamen Officium fiat in Choro; hoc quidem rarius eſt, at non impoſſibile, ut nonnulli obtrectant.

Jus Eccleſiæ Cathedr. præ aliis quoad feſta.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Quomodo intelligendum illud quod ſubdit Decretum, de Sanctis Epiſcopis locorum, Martyribus &c. nihil propria authoritate ſtatuendum?

Non prohibentur feſta quæ Rubricis conformiter fiunt.

CAſus duo ſunt, quibus hæc Decreti pars nihil præjudicii affert. Primus, ſi de illis Sanctis nihil fiat, niſi juxta quod à Rubricis præſcribitur, tum enim non fit propria authoritate quidquid fit: & hac ratione tuebimur *cap.* 10. poſſe aliqua feſta Sanctorum naturalium fieri legitimè. Secundus caſus eſt, quando quod fit, non nova aliqua conſtitutione fit, ſed uſu & conſuetudine legitima, qualem nedum abrogant, ut etiam diſertè permittant Rubricæ: quæ autem talis ſit cenſenda conſuetudo, fusè docebitur *cap.* 13.

Nec item quæ ex conſuetudine legitima.

Quare reſtat ut ſanctio hæc de iis tantùm intelligatur, quæ vel de novo citra legitimum titulum ſtatuuntur, aut non ita pridem ſtatuta fuerunt, vel certè contra aut præter Rubricarum jura citra privilegium pridem uſu recepta retinentur.

QUÆSTIO VII.

Quis ſenſus verborum illorum, Non potuiſſe nec poſſe poſt Bullam Pii V. &c.

BIfrons eſt pars iſta Decreti, quippe quæ non tantùm in futurum ſe extendit, quò nihil ſecus fiat in poſterum; ſed in præteritum quoque tempus retrogreditur, ut irritum ſit quidquid antè ſecùs factum eſt.

At quæres num in omne retro tempus ſic excurrat, ut nulla præſcriptæ conſuetudinis ratio habeatur? Reſpondeo, ſi Decreti tenor præcisè ut ſonat attendatur, omnem prorſus abrogari contrariam conſuetudinem, quomodocunque præſcriptam. Verba enim tam expreſſa ſunt, ut vel hoc in caſu, vel in nullo unquam locum habeat; quod docent Juriſperiti, conſuetudinem per legem ſequentem aboleri. At cùm idem Decretum ſtatim ſubdat clauſulam hanc, *Niſi ea quæ Breviarii Rubricis conceduntur*, ipſæ autem Rubricæ concedant feſta ejuſmodi; ea omnino citra ullam Decreti infractionem retineri poſſe, nemo non protinus arguat. Quæ autem feſta cenſeri debeant talia, ſicut & quæ habenda ſit conſuetudo legitima, tractabitur infrà *toto cap.* 13.

Conſuetudo præſcripta valet quoad feſta à Rubricis permiſſa, non quoad alia.

Hinc verò colligas feſta omnia, quæ poſt Bullam Pii V. in Eccleſiis Breviario Romano vi ejuſdem Bullæ adſtrictis, in aliis verò poſt ſpontaneam illius receptionem, abſque legitimo titulo, vel ſine Sedis Apoſtolicæ, aut Sacræ Congregationis licentia inducta ſunt, hocce Decreto prorſus abrogari, atque adeo ex uſu tolli omnino debere. Non dubitem ego reſponſionem hanc pleriſque duriorem acceptum iri; verùm ſciant illi profiteri me Conſtitutionum Pontificiarum non interpretem modò, ſed & defenſorem, nedum impugnatorem. Si quam illi fortè immunitatem ab hac lege, aut jus contrarium quodcunque legitimum habent, illud non abnuo, quin approbo magis & laudo; at ſtantis in integro Decreti, non puto ullum afferri poſſe ſenſum, eo quem ipſe attuli benigniorem. Rigidior me longè eſt Gavantus *Sect.* 1. *Comment. Brev. cap.* 2. *num.* 26. qui hujuſce Decreti negativas ſexdecim conſequentias infert, quarum ego majori ex parte affirmativas tueor, ut conſtabit ex ſingulis feſtorum propriorum titulis, quos ſequentibus Capitibus, ſingulos ſeorſim inveſtigandos ſuſcipio.

Feſta poſt Bullam Pii V. inducta conſuetudine non juvantur.

Gavantus.

Guyet. Heortologia.

SECTIO II.

EXpenduntur ſingulis deinceps Capitibus ſingula ſeorſim feſtorum propriorum genera eo ordine, quo jam antè numerata fuere *c.* 1. *qu.* 4.

CAPUT III.

DE DEDICATIONE ECCLESIÆ.

DEdicationem inter feſta propria primo loco recenſemus, tum quia veluti natale eſt cujuslibet Eccleſiæ, inquit S. Leo ſerm. de Machabæis, adeòque reliquorum omnium feſtorum, quæ ipſius Eccleſiæ propria ſunt, radix & origo primaria; tum quia reliquis quoque omnibus feſtis propriis, etiam ipſomet Patrono ſeu Titulari dignior eſt, ex Gavanto *Comment. in Rubr. Brev. ſect.* 8. *cap.* 5. *num.* 2. quod poſtremum an pro rato haberi debeat, alibi opportuniùs examinabitur.

Dedicatio Natale eſt Eccleſiæ.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex ſit feſtum Dedicationis Eccleſiæ?

DEdicatio Eccleſiæ eſt ipſamet conſecratio facta ab Epiſcopo ſolemni ritu, qui in Pontificali præſcribitur; cujus quidem Dedicationis ſic primùm factæ, ipſa memoria, quæ ſingulis annis ex uſu Eccleſiæ antiquiſſimo recoli ſolet, Dedicationis quoque nomine communiter appellatur. Sic itaque duplex eſt feſtum Dedicationis Eccleſiæ; alterum quod ſemel tantùm fit, eo videlicet die quo ipſa Eccleſia dedicatur; alterum, quod ſingulis deinceps annis, eodem ipſo die recurrente, & dicitur Anniverſarius dies Dedicationis, de quo potiſſimùm jam quæſtio eſt.

Dupliciter accipitur Dedicatio Eccleſiæ.

Cæterum cùm aliud nobis ſit propoſitum, quàm dicta ab aliis repetere; qui de Origine, Ritu, & celebritate dedicandi Eccleſias plura volet addiſcere, ipſos Rituum Commentatores adeat, maximè Durandum *libr.* 1. *cap.* 6. & Stephanum Duranti *libr. itidem* 1. *cap.* 24.

QUÆSTIO II.

Quarumnam Eccleſiarum fieri debeat proprium feſtum Dedicationis?

OMnium, quæ ab Epiſcopo ſolemni ritu dedicatæ & conſecratæ fuerunt. Ita præcipit S. Felix Papa IV. *Epiſt.* 1. & refertur *de conſecratione diſt.* 1. *C. Solemnitates, utroque:* nec de hoc ulla eſt controverſia.

QUÆSTIO III.

An neceſſe ſit Eccleſias dedicari ſeu conſecrari?

NOlo ego cujuſquam culpæ tribuere, quòd hocce tempore ad multos ſæpè annos Baſilicarum de novo exſtructarum conſecratio differatur. Legitimæ ſint, per me licet, quæcunque dilationis hujus cauſæ proferuntur. Stant nihilominus ſacri Canones, tum id enixiùs præcipientes, tum verò etiam ſacrificari, ac Miſſas aliis in locis celebrari, diſtrictè prohibentes, *C. Sicut non alii, C. Miſſarum ſolemnia, C. Eccleſias, C. Hic ergo, C. Nullus Presbyter, & C. Solemnitates. De conſecrat. diſt.* 1. *& cap. Si Eccleſia, extra. itidem de Conſecratione*; ut non poſſit non eſſe cenſura dignum tam multis Canonibus non obtemperare, ſi fas eſt.

Eccleſia quamprimum fieri poteſt dedicanda.

Et verò ſi veſtes, vaſa, & perſonæ ſacris miniſteriis deputatæ benedici & conſecrari debent, quantò magis Eccleſia ipſa, in qua uſus eſt illorum omnium, & ſacra omnia obeuntur? Denique Sacramenta ſeu myſteria illa, quæ per Eccleſiæ conſecrationem deſignantur; emolumenta item quæ orantibus inde proveniunt, cæteraque alia, quæ à S. Thoma 3. *part. qu.* 83. *art.* 3. aliiſque Doctoribus tantoperè commendantur, irrita ſunt ac inania, quamdiu ſua deeſt Eccleſiæ conſecratio, Ut non immeritò ad Eccleſiam non conſecratam transferri poſſit, quod de Rege minimè inuncto per viſionem ſignificatum eſt S. Udalrico Epiſcopo Auguſtano, referente Baronio ad annum 912. nimirum apparuit ei S. Petrus Apoſtolus gladium unum ſine capulo, alium verò capulo munitum proferens, & hunc quidem Regem inunctum, illum verò carentem unctione deſignare aſſerens; quo viſo Henricum Germaniæ Regem ungi detrectantem, eò tandem adduxit, ut unctionem quamprimùm ſuſciperet.

D. Thomas.

Dedicationis ſeu unctionis vis ab exemplo.

Henricus Germaniæ Rex.

QUÆSTIO IV.

An fieri debeat vel poſſit feſtum Dedicationis Eccleſiæ benedictæ quidem, ſed non conſecratæ?

RESpondeo, nequaquam. Cùm enim ejuſmodi feſtum ſit anniverſaria veluti recenſio factæ olim Dedicationis, ſi nunquam fuit dedicata Eccleſia, prorſus inanis eſſet ac falſa ejuſmodi recenſio.

Quid ergo, inquies, agendum in iis Diœceſibus, in quibus una eademque die omnium ſimul Eccleſiarum fit Dedicatio? An cæteris Dedicationis feſtum facientibus, duæ treſve minimè dedicatæ non facient? Reſpondeo ſi eadem ipſa die agatur quoque Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, uti fit Rothomagi, Ambiani, necnon alibi paſſim, fiet de ea juxta Decretum Sacræ Rit. Congreg. 2. *Maji* 1619. Sin autem Cathedralis Eccleſiæ Dedicatio eo die minimè celebretur, in prædictis Eccleſiis non dedicatis nullum fiet Dedicationis feſtum: ideòque in Breviario Carnutenſi cautè expreſſum habetur, Domin. 1. Septembris, *Dedicatio omnium Eccleſiarum quæ dedicatæ fuerunt*, ut inde inferre liceat, *non verò aliarum*.

Caſus particularis ſolvitur.

QUÆSTIO V.

An Eccleſiarum divino opere conſecratarum fieri debeat feſtum Dedicationis?

IN gratiam nobiliſſimarum Eccleſiarum Aurelianenſis & Dionyſianæ in Francia, proponitur hæc quæſtio; quòd utraque videlicet divinitus conſecrata fuiſſe dicatur: hæc quidem ab ipſo Chriſto Domino, relictis etiam parentibus divinæ ſuæ virtutis & operationis veſtigiis: illa verò à S. quidem Evurtio Epiſcopo, ſed apparente protinus nube candida ſuper caput ejus ſacra myſteria peragentis, viſa eſt manus ex eadem nube prorumpens, porrectis tribus digitis, tertiò oblata benedicere, eoque ſigno mirabili, Dedicatio ipſa perfecta ac conſummata jure meritòque præſumitur. Cùm ergo utraque hæc Eccleſia, & ſi quæ ſint aliæ ejuſmodi, non conſuetis ritibus fuerint conſecratæ, dubium eſſe poſſet, An earum fieri debeat anniverſarium Dedicationis feſtum. Verùm ſolvit dubium illius utriuſque Eccleſiæ uſus, quæ ſuam quælibet Dedicationem eò religioſiùs celebrat, quò majori cum ſignorum ac gratiarum munere completa fuiſſe creditur.

Eccleſiarum Aurelianenſis & Dionyſianæ Dedicatio divinitus facta.

QUÆSTIO VI.

An Eccleſiæ, de qua dubitatur fuerit dedicata necne, fieri nihilominus poſſit aut debeat feſtum Dedicationis?

DUbio huic locus eſt, quando nec Cruces unctionum, nec Altare lapideum fixum ac ſtabile, aliave ſigna conſecrationis ulla extant; nec aliunde ulla certa ſcriptura aut teſtibus conſtat fuiſſe unquam conſecratam. Caſus verò ejuſmodi dirimendus videtur juxta commune axioma, *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*; adeò-que ſi in uſu non fuit hactenus, ut in illa Eccleſia fieret feſtum Dedicationis, non eſt de novo inducendum, quia nimirum poſſeſſio ſtat pro non uſu. Nec obſtat quòd Eccleſia illa ſit vetuſtiſſima, & jam inde ab iis temporibus condita, in quibus haud facilè credere eſt omiſſam fuiſſe ejus Dedicationem: præſumptio enim iſta non valet contra carentiam certorum ſignorum, maximè Crucum, quæ ſi in parietibus aliquando exaratæ fuiſſent, vix contingat unquam eas eradi, aut vetuſtate ſic exedi, ut non exiguum aliquod veſtigium ſupereſſet. Sin verò uſus ab omni hominum memoria obtinuit, ut ejus Eccleſiæ fiat quotannis ſolemne feſtum Dedicationis; tunc poſſeſſio ſtat pro ejuſmodi uſu, adeòque æquum eſt in eo perſeverare, ſaltem metu ſcandali. Non tamen exiſtimaverim præſcriptionem in eo caſu valere, in quo pridem introductus fuiſſet quidem ejuſmodi uſus, ſed iis authoribus, quos ſatis conſtat nulla alia ratione inductos id feciſſe, quàm quia dedicatam fuiſſe olim ejuſmodi Eccleſiam præſumpſerunt; inanis ſiquidem eſt ea præſumptio, nec ullo certo, imò ne probabili quidem fundamento ſubnixa.

In tali dubio ſtandum uſui, cujus eſt poſſeſſio.

Porro, in ejuſmodi dubio, An aliqua Eccleſia ſit conſecrata, necne? ſtatuit Jus eam abſque ulla dubitatione eſſe conſecrandam, *Can. Solennitates Eccleſiarum*, & can. *Eccleſiæ, De conſecr. diſt.* 1. & ita judicant Panormit. *in cap. Propoſuiſti, De conſecr. Eccleſiæ vel Altaris*, Sylveſter, *verbo Conſecratio, num.* 4. Azor. 1. *part. lib.* 10. *c.* 26. *qu.* 12. & rationem affert Gloſſa ibidem, quod non apparet dicitur non eſſe, *D. de contrahenda empt.* quo uno reſponſo exſcinditur radicitus quæſtio propoſita.

In dubio conſecrationis, Eccleſia eſt conſecranda.

QUÆSTIO VII.

De Eccleſia conſecrata quidem aliàs, ſed cujus periit conſecratio; an fieri debeat feſtum Dedicationis?

REſp. cùm, ut dictum eſt ſuprà, feſtum Dedicationis ſit anniverſaria recenſio factæ olim conſecrationis Eccleſiæ; ſi caſu deſiit conſecratio, conſequenter etiam deſinere debet ejus recenſio; deſtructo nempe principali, haud par eſt ſtare acceſſorium.

Deſinente conſecratione, deſinit & ratio feſti Dedicationis.

Quandonam verò perire cenſenda eſt Eccleſiæ conſecratio, ex Doctorum placitis ſic ſtatuendum. Primò haudquaquam perire violatione, ſeu pollutione, ut ajunt, quocunque caſu ea accidat; tum enim ſimplici reconciliatione opus eſt, non autem iterata conſecratione. Secundò, perire omnino, cùm parietes aut ex toto, aut majori ex parte igne exuſti ſunt, vel abraſi, ſeu, ut loquitur Gloſſa, decruſtati, *Can. Eccleſiis, de conſecrat. diſt.* 1. ob id nimirum, quòd, ut ait Panormitanus, conſecratio conſiſtit in exteriori parte parietum, qui Chriſmate liniuntur, & in quibus ſignum Crucis apponitur. Tertiò, perire itidem cùm parietes caſu ſimul corruunt, aut alio modo ſimul & non paulatim cruſtam amittunt: ſecus ſi paulatim decidant, aut decruſtentur, ita

Caſus in quibus perit Eccleſiæ conſecratio.

tamen

tamen ut paulatim quoque reficiantur, ex probabiliori ſententia, quam tuentur Hoſtienſis, Paludanus, Antoninus, Silveſter & alii contra Panorm. de quo vide Azor. *part. 2. lib. 9. cap. 4. n. 6.* Quartò denique, perire Eccleſiæ conſecrationem moto ſeu deſtructo altari, ita ut in eo caſu Eccleſiam denuò opus ſit conſecrare, quorumdam fuit opinio, juxta *Can. Si motum, de conſecrat. diſt.* 1. Contrarium nihilominus ſentiunt Doctores communiter, & habetur *Cap. ad hæc, de conſecr. Eccleſiæ*, ubi diſertè retractantur priores hac de re Canones. Quamquam non immeritò aliqois ſupereſt ſcrupulus, num fortè valeat prior illa opinio pro majori Altari, quod ad diſtinctionem aliorum appellatur principale, *Cap. Ligneis, eodem tit.* nam cùm illud, ſtabile quidem ac fixum, ut præcipitur in Pontificali, ad ipſam Eccleſiæ conſecrationem tam neceſſariò pertineat; imò verò ampliùs, quàm ipſa parietum inunctio, utpote ad cujus honorem Eccleſia eſt conſecrata, ait Gloſſa ibidem; certè ſi deſtructis vel abraſis parietibus, amittat Eccleſia conſecrationem, quidni etiam amittet, deſtructo vel amoto eo Altari, cui, ut ſignificatur *Capit. Quod in dubiis, prædicto tit. Conſecrationis benedictio Pontificali miniſterio adhibetur?*

An moto ſeu deſtructo altari deſinat Eccleſiæ conſecratio?

Et verò id omnino colligitur ex Pontificali Rom. ubi conſecratio Altaris, conſecrationi Eccleſiæ perpetuò conjungitur. In Chartula de pergameno quæ debet includi ab Epiſcopo unà cum Reliquiis in Altari conſecrando, ſic ſcribit Epiſcopus: *Conſecravi Eccleſiam & Altare hoc in honorem Sancti N. &c.* In Litaniis ſic orat Epiſcopus, *Ut Eccleſiam & Altare hoc ad honorem tuum & nomen Sancti N. conſecrare &c.* Inter conſecrandum ipſum Altare, ſemper nominatur indiviſim Sanctus cui dicatur Eccleſia, *Sanctificetur & conſecretur lapis iſte in nomine Patris &c. ad nomen & memoriam Sancti N.* Demum ipſamet inunctio Crucum interjicitur & veluti immiſcetur ceremoniis conſecrationis Altaris: quæ omnia videre eſt in ipſo libro Pontificali. Quin & ibidem, ubi de reconciliatione Eccleſiæ, Altare ſemper jungitur ipſi Eccleſiæ, *Ut hanc Eccleſiam & Altare hoc purgare &c.*

Firmat eximiè hanc reſolutionem S. Norberti factum, quod refertur *cap. 18. libr. 2. Bibliotheca Præmonſtratenſis.* Nam cùm ſuam ille Præmonſtratenſem Eccleſiam novem menſium ſpatio à fundamentis extructam & abſolutam ſolemni ritu ab Epiſcopo Laudunenſi conſecrari ac dedicari curaſſet quarto Calendas Maji anno 1122. contigit Altare ipſum majus, præ nimia populi multitudine certatim ad oblationem affluentis ac ſeſe comprimentis, loco moveri, lapidemque ipſius medium diffringi; quo eventu ratus ipſe conſecrationem irritam, ſategit ut denuò ab eodem Antiſtite, clam id quidem ac ſine apparatu, metu ſcandali, ad 13. Kalendas Decembris ejuſdem anni conſecraretur.

Eccleſia Præmonſtratenſis denuò conſecrata, ob fractum altare.

QUÆSTIO VIII.

An intermiſſum pridem aut omiſſum penitus feſtum Dedicationis Eccleſiæ alicujus, quam certò conſtat fuiſſe olim conſecratam, poſtliminio inſtaurari debeat?

RESP. debere; ſiquidem facultas aliquid faciendi abſque aliorum gravamine non amittitur per non uſum. Itaque recenter factum eſt in Eccleſia Coriſopitenſi *ann.* 1642. edito novo proprio. Item in Eccleſia Abbatiali S. Juliani Turon. Ordin. S. Benedicti.

Quòd tamen in aliquibus Eccleſiis, etiam majoribus, putà S. Martini apud Turonas, & in ipſamet Metropolitana Turonenſi, ſicut & in Pariſienſi, & Carnutenſi quoque nullum fiat feſtum Dedicationis, id omiſſioni minimè tribuendum cenſeo; ſed ea potiùs ratione factum, quòd ipſamet Dedicatio, cum aliquo fortè ipſius Titularis feſto coincidat, adeòque ſimul cum ipſo confundatur; ut patet de Eccleſia S. Martini, cujus Dedicatio in Martyrologio ipſo Romano, unà cum ejuſdem S. Pontificis Tranſlatione & Ordinatione conſignatur quarto Julis. Sic & Metropolitana Turonenſis dicata pridem S. Mauritio & ſociis Martyribus ab eodem S. Martino, aliud hactenus Dedicationis feſtum non agnovit, quàm ipſummet feſtum Receptionis Reliquiarum prædictorum Martyrum. Carnutenſis verò Commemorationem B. Mariæ loco Dedicationis inſcribit; eo planè modo, quo Dedicatio S. Mariæ ad Nives, & Dedicatio S. Michaelis Archangeli ſic ſunt veræ Eccleſiarum Dedicationes, ut feſta quoque ſint Titulorum, ſub quibus Eccleſiæ illæ dicatæ fuerunt. Quò etiam pertinet illud ſancti Leonis ſermonem habentis in Natali die SS. Machabæorum Martyrum, qui idem erat Dedicationis Eccleſiæ eorumdem: *Duplex*, inquit, *cauſa lætitiæ eſt, in qua & natalem Eccleſiæ colimus, & Martyrum paſſione gaudemus.*

Cur aliquarum Eccleſiarum majorum nulla fiat Dedicatio.

Guyet. Heortologia.

Leo.

QUÆSTIO IX.

Si aliqua Eccleſia bis fuerit dedicata, utriuſnam Dedicationis feſtum fieri debeat?

RESPOND. Poſterioris tantùm: cùm enim nefas ſit, Eccleſiam ſemel conſecratam, iterum conſecrare, *can. Eccleſiis, de conſecrat. diſt.* 1. non potuit adhiberi ſecunda conſecratio, niſi ad ſupplementum prioris, quæ videlicet deſtitit, vel ob exuſtionem, vel ob deſtructionem; adeòque cùm jam nulla ſit, nulla quoque illius fieri debet annua feſtivitas.

In duplici Dedicatione, poſterioris factæ dumtaxat feſtum celebratur.

Conſultum eſſet in eo caſu ſecundam Dedicationem eodem ipſo die fieri, quo olim prior altera facta fuerat; uti obſervatum fuit in Baſilica Romana S. Petri, quam vetuſtate jampridem collabentem, ac propterea multorum Pontificum pietate latiùs ac magnificentiùs à fundamentis erectam, Urbanus VIII. ſolenni ritu conſecravit ann. 1626. eadem ipſa die recurrente, qua olim primùm à S. Silveſtro dedicata fuerat.

Poſterior Dedicatio eodem die facienda quo prior.

QUÆSTIO X.

An tranſlato Clero alicujus Eccleſiæ in alium locum, retineri nihilominus debeat feſtum Dedicationis illius Eccleſiæ derelictæ.

RESP. ſi periit illius Eccleſiæ conſecratio, eò quòd diruta vel exuſta fuerit, non debere retineri, ſecus ſi tantùm eſt violata & profanata, occupantibus eam videlicet hæreticis vel infidelibus. Prioris caſus exemplum habes Petracoricis, ubi Clerus ab æde S. Stephani olim Cathedrali nunc diruta, in S. Frontonis templum illatus eſt: Poſterioris Genevæ, qua à Calviniſtis occupata, Clerus Eccleſiæ Cathedralis S. Petri, Anicium alteram Diœceſis urbem ſe recepit.

Eccleſiæ profanatæ facienda nihilominus Dedicatio, non autem dirutæ.

QUÆSTIO XI.

An de alterius quàm propria Eccleſiæ Dedicatione feſtum fieri conveniat?

DE Cathedralis cujuſque Diœceſis Dedicatione per totam Diœceſim celebranda, extat citatum jam ſuperiùs Sacræ Rit. Congreg. Decretum *die 2. Maji 1619.* Circa quod tamen duplex ſe offert difficultas.

Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis per totam Diœceſim celebranda.

Prima, An Decretum illud locum habere debeat iis in Diœceſibus, in quarum Breviario proprio ſignatur expreſsè feſtum ejuſmodi pro Ec-

Omittenda ubi in proprio uſu ſignatur pro Eccleſia Cathedrali tamen.

cleſia Cathedrali tantùm, ut Biturigibus, Andegavi &c. Reſpondeo Eccleſias Diœceſis uſum ſequentes à ſtatuto ejuſmodi non debere recedere; cùm enim legitima authoritate latum ſit, quæ cauſa eſſe poteſt ipſum infringendi? Quoad verò Eccleſias quæ Romano Breviario utuntur, poſſunt quidem ex hac in parte communem Diœceſis morem tenere; ſed nec improbavero, ſi & ipſæ prædicto Congregationis Decreto inhærentes, feſtum quoque ejuſmodi Dedicationis celebrent.

Item ubi omnium ſimul Eccleſiarum dedicatio, una eademque die celebratur,

Altera difficultas in eo fundatur, quòd moris ſit in multis Diœceſibus, v. g. Rothomagenſi, Lexovienſi, Ambianenſi, Novioмenſi, & aliis feſtum Dedicationis omnium Eccleſiarum, tam Cathedralis quàm cæterarum totius Diœceſis, uno ſimul eodemque die celebrare: ex quo fit, ut cùm ſingulæ Eccleſiæ, ſuæ cujuſque propriæ Dedicationis feſtum peragant, non poſſint eædem Cathedralis rationem habere. Reſpondeo, ſtandum eſſe in hoc caſu proprio Diœceſum uſui, qui an ſit legitimus necne, diſcutietur aliàs. Pro ratione autem reſponſionis obſervo, inauditum eſſe in pleriſque Galliæ ſaltem Diœceſibus, ut alterius Eccleſiæ Dedicationis feſtum fiat, quàm propriæ, ne ipſius quidem Cathedralis, eòque fortè alludit S. Bernard. ſerm. 1. de Dedicatione Eccleſiæ his verbis, *Cæteras ſolemnitates cum aliis Eccleſiis habemus communes; hæc verò nobis ſic propria eſt, ut neceſſe ſit vel à nobis eam, vel à nemine celebrari*. Quo ſic ſe habente, præfatum Congregationis Decretum in earum dumtaxat Eccleſiarum favorem editum fuiſſe oportet, quarum uſus eſt diverſus ab iſto. Valeat itaque in iis ejuſmodi Decretum; in aliis verò non putaverim errare, qui locum habere negaverit.

Præter Cathedralis, nullius alterius Eccleſiæ dedicatio extra ipſam celebratur.

Aliarum verò Eccleſiarum, præter Cathedrales, Dedicationis feſtum nullatenus extra ipſas fieri debere, regula eſt eadem conſequenter exceptione firmata; à qua regula nollim excludi Abbatiales quaſdam aut alias Regulares Eccleſias, quæ quòd ſint ſui Ordinis ſeu Congregationis Capita, haud tamen idcirco in Cathedralium ſortem adducendæ ſunt, ut earum Dedicationis feſtum ad ſubdita perinde Monaſteria traducatur: niſi vel Breviarium Ordinis proprium, vel conſuetudo legitima aliud exigat.

Dedicationes aliquæ fiunt ex conſuetudine.

Sed quid de Eccleſiis illis, quarum Dedicatio aliis quoque in locis annua feſtivitate recolitur, eò quia gratia aliqua ſpeciali ſeu nobili aliquo miraculo inſignis olim reddita eſt, qualis vulgò jactatur Dedicatio Portiunculæ, ſeu Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum, quæ à toto Ordine Minorum ſolemniter celebratur? Ajo ego ex dicendis infrà, ubi agetur de feſtis propriis ex conſuetudine cap. 13. conſuetudinem ejuſmodi Dedicationes celebrandi, retinendam eſſe, ubicunque uſu legitimo recepta eſt, eo planè modo, quo Dedicationes Baſilicarum S. Salvatoris, & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli de Urbe, ex pari cauſa ubique celebrari mos eſt. At verò conſuetudinem ejuſmodi de novo induci, aut inſtaurari, ubi periėrit, nego poſſe ſine facultate.

QUÆSTIO XII.

An fieri debeat vel poſſit feſtum Dedicationis Altaris ſeu Capellæ?

Gavantus.

Ait Gavantus *Comment. in Rubr. Miſſalis parte 4. Tit. 17. num.* 12. antiquitus fieri ſolitam annuam Altaris Dedicationem, ex Auguſtino *ſerm.* 252. & 255. *de Tempore:* Verùm id Auguſtini verba clarè non indicant. Quidquid ſit, reſpondeo ex præſenti uſu, ipſa quidem die, qua Altare conſecratur ſeu dedicatur intra ambitum Eccleſiæ jam dedicatæ, poſſe & debere celebrari Miſſam quæ poſita eſt pro Dedicatione Eccleſiæ, cum Orationibus ſeorſim poſitis pro Dedicatione Altaris, ut in Miſſali habetur: deinceps verò recurrente quotannis eadem die nequaquam celebranda eſt, aut Miſſa, aut ulla alia ſolennitas annua illius Dedicationis; tum quia nullibi præſcribitur aut permittitur feſtum Dedicationis Altaris; tum quia comprehenditur in Dedicatione ipſiuſmet Eccleſiæ.

Non fit Anniverſaria Dedicatio Altaris.

Neque item Capellæ ſeparatæ.

Idem eſto judicium de Capella ſeparata: cùm enim Dedicationis Eccleſiæ dumtaxat feſtum præcipiatur in Rubricis, nomine Eccleſiæ non venit Capella; niſi ea ejuſmodi ſit, quæ Clerum habeat, quales ſunt Capellæ Regiæ, Pariſiis, Biturigibus, & aliæ alibi erectæ, quæ verè Eccleſiæ ſunt Collegiatæ. Si tamen fortè contingat privatam aliquam Capellam more Eccleſiæ fuiſſe dedicatam, illius omnino feſtum anniverſarium Dedicationis fieri debere arbitror, ab eo qui eam Beneficii titulo obtinet.

CAPUT IV.

De Patrono seu Titulo Ecclesiæ.

A Dedicatione Eccleſiæ ad ipſius Patronum ſeu Titulum rectò doctrinæ ordine tranſitum facimus. Quod enim eſt homini baptizato nomen impoſitum, hoc idem eſt Eccleſiæ dedicatæ Patronus ſeu Titulus, quo videlicet ipſa nuncupatur, & ab aliis Eccleſiis proprio veluti nomine dignoſcitur.

QUÆSTIO I.

Quis ſit communiter loquendo Patronus ſeu Titulus Eccleſiæ?

Reſpondeo: Is eſt Sanctus, ſive Angelus, ſive Homo, vel id myſterium ſive Chriſti Domini, ſive B. Mariæ, vel denique quæcunque res ſacra, putà Crux, Corona ſpinea, Sudarium, &c. ſub cujus nomine ſeu Titulo, fundata eſt, & vulgò appellatur Eccleſia. Hæc definitio, ſeu deſcriptio attingit proximè mentem ac ſenſum Rubricarum, nec repugnat Gavanto, aut aliis Authoribus; quin potiùs Rubricas ipſas, & Authores, cùm ſibi invicem diſſentire videntur, mirificè conciliat, ut conſtabit ex dicendis infrà ſuis quibuſque locis.

QUÆSTIO II.

Sitne diſcrimen aliquod inter Patronum ac Titulum?

Patronus propriè dicitur Sanctus, cui dicata eſt Eccleſia.

Eſt, ſaltem in hoc, quòd Patronus ſit perſona aliqua, nempe Angelus vel homo ſanctus, cujus nomine nuncupatur Eccleſia, verbi gratia, S. Michael, S. Petrus, S. Stephanus, &c. Titulus verò perſonam propriè non ſonat, ſed potiùs myſterium, ſeu rem quamcunque ad perſonam pertinentem; quo myſterio, ſeu re, Eccleſia ipſa veluti inſcribitur & appellatur, verbi gratia, SS. Trinitas, Chriſti Domini Nativitas, Transfiguratio, Reſurrectio, Aſcenſio; B. Mariæ Conceptio, Annunciatio, Aſſumptio; Sacroſancta Hoſtia, Sacer Sanguis, Sancta Crux, Sanctum Præſepe, & ſimilia. In reliquis, nihil planè differt Patronus à Titulo, nec Titulus à Patrono: ideòque in Rubricis, uterque ſemper ſub disjunctione recenſetur, *Rub. 4. num.* 1. *Niſi illud feſtum ſit de principali Titulo vel Patrono: Rub. 9. num.* 3. *Niſi illud feſtum fuerit Principalis Patroni vel Tituli*, & alibi paſſim; imò confundi invicem, & alterum pro altero ſumi, non eſt incongruum:

Titulus myſterium, aut res ſacra à qua denominatur Eccleſia.

Patronus & Titulus invicem confunduntur.

Præ-

Digitized by Google

Præſertim Patronum pro Titulo, quatenus videlicet ipſe ſuo nomine Eccleſiam intitulat: non item Titulum pro Patrono, niſi quatenus myſterium, ſeu res, cujus titulo inſignitur Eccleſia, refertur ad perſonam; quo ſenſu B. Virgo dici poteſt Patrona Eccleſiarum, quæ ab aliquo ejus myſterio ſpecialiter denominantur. An verò Chriſtus ſimiliter dici poſſit Patronus Eccleſiarum, quæ ſub S. Crucis, aut Coronæ Titulo dicatæ ſunt, ſequenti capite diſcutietur.

QUÆSTIO III.

An plures dentur Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ?

Patronus Eccleſiæ unus eſt, aut ſi plures, per modum unius.

QUæſtio hæc tripliciter poteſt accipi, An videlicet plures ſimul? An plures ſucceſſivè? & An ii plures ſive ſimul, ſive ſucceſſivè, ſint æquales?

De primo ſic ſtatuo: Patronum, ſeu Titulum, ſub cujus nomine ædificata eſt, ac dedicata primitus Eccleſia, utplurimùm eſſe unicum: aut ſi plures ſint, nonniſi per modum unius, id eſt, ſub uno eodemque feſto, putà SS. Gervaſii & Protaſii, SS. Coſmæ & Damiani, S. Dionyſii cum ſociis &c. Licèt nonnunquam contingat dari plures, etiam diviſim; ſed id quidem rariùs. Conſentientem habeo Gavantum, *Comment. in Rubr. Brev. ſect.* 3. *cap.* 12. *num.* 3. licèt id de Titulo duntaxat aſſerat, non item de Patrono; quippe alterum ab altero ſecernit, ſed meo quidem judicio perperam, quantum ad præſentem quæſtionem attinet. Quòd enim Patronum dicit eſſe Civitatis aut Provinciæ ſeu Loci, Titulum verò Eccleſiæ materialis, id planè non convenit cum iis textibus Rubricarum, in quibus Patronus, æquè ac Titulus de Eccleſia dicitur, *Rub.* 4. *num.* 1. *Niſi illud feſtum ſit de Principali Titulo, vel Patrono alicujus Eccleſiæ vel loci* &c. *Rub.* 7. *num.* 3. *In feſto Principali Patroni & Tituli loci vel Eccleſiæ. Rub.* 9. *num.* 3. *De hujuſmodi feſto fit tantùm in eo loco vel Eccleſia, cujus eſt Patronus vel Titulus.* Denique *Rubr.* 35. *de Commemorationibus communibus ſeu Suffragiis Sanctorum*, *num.* 1. ſicut & in ſerie duplicium 1. claſſis nominatur expreſsè, *Patronus vel Titulus Eccleſiæ*, nulla prorſus facta mentione loci; ut vel hinc arguas, Patronum quoque ad Eccleſiam pertinere, & utrumque, tam Patronum, quàm Titulum, de Eccleſia indifferenter uſurpari.

Gavantus.

Gavanti opinio de Patrono & Titulo refellitur.

Noſtra autem reſponſio, quoad primam partem, manifeſtè arguitur ex ipſiſmet allatis textibus, & aliis paſſim, ubi *Patronus vel Titulus Eccleſiæ*, ſemper in ſingulari numero pronunciatur, nec niſi ſemel cum hac disjunctione, *unius vel plurium*, *Rub.* 1. *num.* 2. quod haudquaquam aſſertioni noſtræ officit, ſtatim enim ſubditur *alicujus loci* &c.

Confirmatur item hæc eadem reſponſio, uſu & exemplo omnium propè Eccleſiarum, quæ ſicut nonniſi unica appellatione nuncupantur, ita unicum quoque Titulum ſeu Patronum agnoſcunt: aut ſi plures, nonniſi ſub ratione unius, uti explicatum fuit. Et verò cùm unaquæque Eccleſia ſuam propriam appellationem ab ipſa ſui Dedicatione ſortiatur; Dedicatio verò, nonniſi in unius Sancti honorem, ſeu plurium ſub ratione unius, aut ſub unius myſterii, reive ſacræ titulo fieri conſueverit, uti conſtat ex ipſis formulis in Pontificali deſcriptis, in quibus legitur ſemper in ſingulari numero, *In honorem Sancti N. Ad nomen & memoriam Sancti N.* conſequens ſanè eſt, ut unius ejuſdemque Eccleſiæ nonniſi unicus ſit, ſeu Titulus, ſeu Patronus.

Dedicatio Eccleſiarum ſolet fieri ſub uno tantùm Patrono ſeu Titulo.

Addidi tamen in reſponſione, contingere aliquando eſſe plures, etiam diviſim, uti Romæ recenſetur Eccleſia SS. Silveſtri & Martini, item SS. Blaſii & Caroli, quam in exemplum adducit Gavantus; Pariſiis SS. Lupi & Ægidii, & aliæ ali-

Unius Eccleſiæ plures aliquando Patroni.

Guyet. Heortologia.

bi, ſed paucæ admodum. Nam quod fertur Eccleſia Catalaunenſis, ab Eugenio Papa IV. anno 1147. conſecrata, ac dicata ſub titulo SS. Trinitatis, B. Mariæ, S. Stephani Protomartyris, S. Joannis Baptiſtæ, S. Valerii, & S. Vincentii martyrum: Item quod de Eccleſia Pariſienſi S. Germani à Pratis, in quadam oratione, olim in illa eadem Eccleſia recitari ſolita, habetur, *Qui locum iſtum in honorem S. Crucis, ſanctæque Genitricis tuæ Mariæ, & SS. Martyrum Stephani atque Vincentii, necnon S. Germani Antiſtitis conſecraſti*. Hæc ita ſe habere haudquaquam inficiar; ſed nec aſſertioni meæ repugnant admodum, ſi ex omnibus illis Titulis, ſolus in priori perſeverat S. Stephanus, in poſteriori verò Eccleſia S. Vincentius, addito S. Germano, de quo ſtatim ſermo erit. Teſtis eſt item Joan. Mariana lib. 9. cap. 18. primatiam Hiſpaniæ Toletanam Eccleſiam, Alfonſi Regis ſtudio ac munificentia, pulſis ex tota Hiſpania Mauris, octavo Kal. Novembr. anno 1086. fuiſſe conſecratam à Bernardo Archiepiſcopo, Divæque Virginis clientelæ, Sanctorum item Apoſtolorum Petri & Pauli, S. Crucis, ac S. Stephani nuncupatam. Oſcenſem denique itidem in Hiſpania, Chriſto Nazareno, Mariæ ejus Genitrici, Petro Apoſtolorum Principi, Joanni Baptiſtæ & Joanni Evangeliſtæ dicatam 16. Kal. Januarii anno 1096. referunt Hiſpanicæ hiſtoriæ authores. In his verò & ſimilibus exemplis, quæ plura fortaſſe adduci poſſunt, rectè monet Gavantus cit. num. 6. ex pluribus quiſmodi Patronis ſeu Titulis, unum duntaxat pro Principali habendum, reliquos verò ut minùs Principales.

Eccleſia Catalaunenſis plures habet Titulos.

Eccleſia S. Germani à Pratis.

Eccleſia Toletana.

Eccleſia Oſcenſis.

Et hæc quidem dicta ſint de pluribus Patronis, ſeu Titulis ſimul: an verò ſucceſſivè dari poſſint, ſic ut Eccleſiæ jam dicatæ, ac de Sancti alicujus, aut Myſterii reive ſacræ nomine appellatæ, Patronus alter ſeu Titulus ſuperveniat, à quo ipſa nomen aliud, ſive relicto, ſive retento priore accipiat? Alterum eſt reſponſionis noſtræ caput, quod hac utique obſervatione ſolvitur, nimirum id non ita frequenter, vixque alibi occurrere, quàm in quibuſdam antiquioribus, iiſque majoribus Eccleſiis: eam, quantùm colligere licet, ob cauſam, quòd cùm inſigniores illæ, primariæque locorum Baſilicæ, jam inde à priſcis temporibus, opera ut plurimùm, ac ſtudio primorum cujuſque Sedis, eorumque Sanctorum Antiſtitum erectæ, ac titulo Martyrum, juxta antiquum utique Eccleſiæ morem, ab ipſis Apoſtolis, & Apoſtolorum diſcipulis traditum, dicatæ fuerint; contigit poſtmodum, ut ii ipſimet Antiſtites defuncti, in iiſdemque Eccleſiis, quas erexerant, corpore quieſcentes, ſanctitatis ac miraculorum gloria maximè floruerint: factumque adeo, ut populis eorum opem ac ſubſidium frequenti concurſu reclamantibus, ipſi quoque in Patronos adſcititios dictarum Eccleſiarum evaſerint. Imò verò Eccleſiæ ipſæ, obliterato, ſaltem apud vulgus, priori titulo, de eorum nomine communiter deinceps appellatæ ſint.

In aliquibus Eccleſiis, antiquis Patronis novi interdum adduntur.

Et hujus quidem rei inſigne eſt exemplum Eccleſia Turonenſis, quæ à S. Martino, ſub titulo S. Mauritii primùm fundata, illam in eam poſtmodum ab eodem S. Martino, S. Gatiani prædeceſſoris ſui, ac primi illius Sedis Antiſtitis corpore, ſuppreſſo deinceps S. Mauritii titulo, appellata eſt & etiamnum appellatur vulgò S. Gatiani. Quod latuit Illuſtr. Cardin. Baronium, qui, anno 1163. ubi de Concilio agit Turonis habito ſub Alexandro III. ſubſcriptionem Concilii, quæ ſignificatur celebratum fuiſſe in Eccleſia S. Mauritii, quaſi mendoſam arguit, Martini nomen, Mauritii loco reponens, ſed non ſatis accuratè, cùm revera celebratum fuerit prædictum Concilium, non in S. Martini Baſilica, ſed in ipſa Eccleſia Metropolitana, quæ licèt S. Gatiani nomen

Eccleſia Turonenſis S. Mauritio Titulari ſuo, S. Gatianum addidit.

Baronius.

jam ſortita ſit, propriiſſimè tamen titulo S. Mauritii nuncupatur. Similiter Eccleſia Cenomanenſis ſub titulo SS. Gervaſii & Protaſii fundata, nonniſi S. Juliani, qui primus fuit illius civitatis Epiſcopus, appellari ſolet. Maclovienſis item non alio, quàm ipſiuſmet S. Maclovii, licèt ipſa Vincentium martyrem pro Titulo agnoſcat. Denique extant Pariſiis duæ inſignes Baſilicæ, quæ dicti hujus fidem faciunt. Altera S. Germani à Pratis, quam ſciunt omnes titulo ejuſdem S. Vincentii à Childeberto Rege fundatam, repoſito in ea deinceps ipſius S. Germani Pariſienſis Epiſcopi corpore; nomen quoque illius aſſumpſiſſe. Altera S. Genovefæ, quæ à Clodoveo itidem Francorum Rege, illius S. Virginis ſuaſu, in honorem SS. Apoſtol. Petri & Pauli erecta, clarior poſtmodum præfatæ Virginis in ea quieſcentis virtutibus ac miraculis facta, de ejus quoque nomine appellata fuit.

Cenomanenſis SS. Gervaſio & Protaſio S. Julianum. Macloviensis S. Vincentio, S. Maclovium.

Eccleſiæ S. Germani & S. Genovefæ Pariſiis.

Alia occurrunt alibi item ejuſmodi exempla, in quibus omnibus obſervare licet, priorem Titulum haudquaquam reipſa dimitti, imò perſeverare ſemper, non obſtante vulgari illa appellatione poſterius inducta. Quod legitimum planè ac rationi conſentaneum eſt: nec enim acceſſione novi Patroni, deſtruitur ullatenus prior Titulus Dedicatione ipſa acquiſitus: unde in Ceremoniali Monaſtico Congregationis S. Mauri *libr. 4. cap. 16.* ubi agitur de Feſtis Patronorum, convenienter ponitur hæc diviſio; *Patronus Eccleſiæ alius eſt Titularis, alius non Titularis: Titularis eſt, ſub cujus nomine monaſterium à principio ſuæ fundationis eſt dedicatum; non Titularis verò, qui ſuccedente tempore fuit in Patronum, ex devotione populi vel aliis cauſis cooptatus*; quo vel uno teſtimonio, noſtra hæc tota reſponſio mirificè commendatur.

Prior Titulus non dimittitur per acceſſionem poſterioris.

Ceremoniale monaſticum.

De cujus demum tertio membro: An plures videlicet Tituli ſeu Patroni unius ejuſdemque Eccleſiæ, æquales ſint inter ſeſe; quid ſtatuendum ſit, hac diſtinctione breviter aperio. Nam vel ii ſunt tales ſimul, ut in exemplis allatis SS. Silveſtri & Martini, SS. Blaſii & Caroli, & ſimilibus; vel ſucceſſivè, ut in exemplis SS. Mauritii & Gatiani, Vincentii & Germani &c. Si primum, æquales in omnibus omnino ſunt, nihilque diſcriminis intercedit, niſi quòd in pronunciandis nominibus alterum alteri præferre neceſſarium eſt, cùm utrumque ſimul non poſſit: utrum verò priùs, uſus ipſe loquendi per ſeſe definit. Si ſecundum, aut de æqualitate in ratione Tituli agitur, & omnino prior, imò verò ſolus verè Titularis eſt is, ſub cujus primùm nomine dedicata fuit Eccleſia; aut de æqualitate quoad celebritatem in choro, ſeu ratione Officii, & ambo pares ſunt, primæ ſcilicet claſſis, ut ſuo loco demonſtrabitur; aut denique quoad celebritatem in foro, ſeu apud vulgus, & ſolet utplurimùm hac in parte, poſterior tempore, prior eſſe fama, nominiſque pervagatione; ſic in Turonenſi Eccleſia, nominatior eſt S. Mauritio S. Gatianus, & Pariſiis S. Vincentio S. Germanus &c.

Patroni plures ut ſunt æquales.

Ad extremum: huc quoque pertinet, quòd præter Patronum ſeu Titulum, de quibus hactenus, colantur inſuper in nonnullis Eccleſiis, & quidem ſi non ſummo, at certè ſolemni ritu, Sancti aliqui pro Patronis etiam habiti: qui ſanè uſus laudabilis valdè, ac prorſus retinendus. Verùm ut ut ſint Patroni illi quidem, haudquaquam tamen Tituli rationem iis tribuere par eſt, cùm de eorum nomine Eccleſiæ illæ nullatenus appellentur; imò cùm ea Patronorum multiplicitas, nonniſi in Cathedralibus plerumque, aliiſve majoribus Eccleſiis contingat, loci ſeu Civitatis aut Diœceſis, æquè ac Eccleſiæ cenſendi ſunt Patroni: adeo ut etiam reſpectu talis Eccleſiæ ſecundarii dumtaxat Patroni, ſeu, ut loquitur citatum paulò antè Ceremoniale Monaſticum, *minùs Principales* dici debeant. Sic in Eccleſia Turonenſi, præter S. Mauritium, qui Titularis eſt, & S. Gatianum, qui Patronus eſt Principalis, recenſentur quoque SS. Lidorius & Martinus, Patroni nimirum ſecundarii. In Andegavenſi, præter Titulum ſanctum æquè Mauritium, & Patronum Principalem S. Maurilium, ſecundarius habetur S. Renatus. Plura proferam exempla infrà, ubi de Patrono loci.

Patroni non Titulares.

Eccleſia Turonenſis.

Andegavenſis.

Fateor denique, in minoribus interdum Eccleſiis, præter Patronum qui Titularis eſt, ſolere coli etiam alium, ſeu Martyrem ſeu Confeſſorem: non quidem ſic, ut Tituli rationem obtineat; ſed vel ex inſtitutione Fundatoris, vel ex immemoriali conſuetudine quaſi adjunctum Titulari Patrono comitem, quem ſanè uſum traditione receptum ac firmatum, ſicut dumm judico, nec à ſcandali periculo alienum improbare; ita de novo inducere, adſcito ad priſtinum pro libito recenti aliquo Patrono, haud fas eſſe prorſus, idque niſi gravibus de cauſis, conſultiſque Majoribus, fieri legitimè non poſſe putaverim, omninòque ſervandum ſuper hac re Decretum de Electione Patronorum, de quo aliàs commodiùs.

Datur aliquando Patronus adſcititius.

QUÆSTIO IV.

An poſſit mutari Patronus ſeu Titulus Eccleſiæ?

MUtari, inquam, ſic ut prior deſeratur penitus, & alius vice ejus ſubrogetur. Nam quod de Eccleſiis Turonenſi, Cenomanenſi & aliis proximè relatum fuit; haudquaquam prioris Tituli mutatio, ſed novi potiùs ad priorem adjectio, ac ſuperinductio dici debet. Reſpondeo, cùm ex proximè iiſdem dictis, id fieri nequeat, niſi accedente nova Eccleſiæ Dedicatione; hæc autem, priore ſtante integra, inanis ſit, ac propè dicam ſacrilega, reliquum quoque eſt ut inane ſit ac propè ſacrilegum, abdicato priori Titulo, novum alium inducere. Imò verò, ſi quando accidat Eccleſiam aliquam dirutam reædificari, ac denuò conſecrari, æquum eſt maximè, ut non ſub alio quàm ſub priori Titulo dedicetur, eodemque nomine quo aliàs, deinceps etiam nuncupetur. Exemplo ſit Eccleſia Aurelianenſis; quæ auguſtiſſimum Crucis Titulum, quo ab ipſa olim prima ſui exſtructione inſignita fuerat, in poſtrema quoque, quam noſtris temporibus cernimus, æquè retinuit.

Patronus ſeu Titulus Eccleſiæ non mutatur.

Non diſſimulabo tamen oppoſitum Eccleſiæ Nivernenſis exemplum, in qua jam olim, dimiſſo priori Titulo SS. Gervaſii & Protaſii, alter aſſumptus eſt SS. Quirici & Julittæ, nulla (quod conſtet) de novo facta Dedicatione, ſed occaſione tantùm viſionis cujuſdam, quam ex manuſcriptis Eccleſiæ illius Codicibus referre non pigebit. Erectum pridem fuerat in prædicta Eccleſia ſacellum ſub titulo SS. Cyrici infantis triennis & Julittæ matris ejus Martyrum, cujus quidem ſacelli cùm Regii miniſtri vectigal annuum occupaſſent, ſtatum in eo cœpit deſeri Officium. Quod ægrè ferens Hieronymus ejus Sedis Antiſtes ordine 24. de injuria ſtatuit apud Regem expoſtulare. Ejus rei opportunam nactus eſt occaſionem ex ſomnio, quod proxima nocte eidem Ludovico Pio Regi viſum fuerat, eumque tenebat vehementer ſollicitum. Videbatur ſibi Rex venando aprum inſectari, cùmque feram diutiùs agitaſſet, hanc præcipiti curſu in ſe converſam irruere, ſic ut nihil propius eſſet, quàm ut ab ea diſcerperetur, niſi tremulus infans factus obviam, periculum arcuiſſet, veſtem dumtaxat, qua ſe tegeret, in repoſiti beneficii gratiam efflagitans. Hoc itaque ſomnium de Cyrico infante martyre, cujus ædem ſpoliaſſent miniſtri Regii, appoſitè interpretatus Hieronymus, non tantùm ablata recepit vectigalia, ſed ipſum

Eccleſia Nivernenſis Titulum SS. Gervaſii & Protaſii mutavit in SS. Cyrici & Julittæ.

ſum Regem inſuper tanto erga prædictum Martyrem affectu incendit, ut is Nivernenſem Eccleſiam multis redditibus auxerit; quam & poſtmodum, illato, quod ex Tarſo Ciliciæ acceperat, Martyris ejuſdem brachio, deinceps titulo S. Cyrici voluit nuncupari; ſic tamen ut prioris Tituli SS. Gervaſii & Protaſii veneratio penitus non deſtiterit.

Lugdunenſis olim S. Stephani. Refert item Robertus in ſua Gallia Chriſtiana Lugdunenſem Eccleſiam fuiſſe olim S. Stephano dicatam, cùm jam ſit S. Joann. Baptiſtæ; citatque alius in hanc rem antiquas Eccleſiæ illius Litanias, *Ut plebem S. Stephani conſervare digneris*. Utut ſit, quod ad Nivernenſem attinet, viſionis relatæ caſus omnino mirabilis, authoritatis ac munificentiæ Regiæ prærogativa, inſignis denique S. Martyris Reliquiæ ſuſceptio, potuit legitima eſſe occaſio id præſtandi; quod aliàs, nec ad Eccleſiæ decorem, nec ad populi ædificationem pertinere, nemo ſapiens facilè judicabit, ut taceam piæ inſuper Fundatorum intentioni non ſine aliqua injuria repugnare.

QUÆSTIO V.

An Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ feſtum fieri poſſit aut debeat, Eccleſia ipſa benedicta quidem, ſed nondum conſecrata?

Feſtum Patroni ſeu Tituli poteſt celebrari ante factam Eccleſiæ Dedicationem. RESp. Si in ipſa cœptum eſt celebrari divina Officia, poſſe ac debere. Nam cùm in Pontificali Romano, ubi de benedictiona & impoſitione primarii Lapidis pro ædificanda Eccleſia agitur, præcipiatur in quadam Oratione, nominari Sanctum vel Sanctam, in cujus honorem, ac nomen fundabitur ipſa Eccleſia; omnino conſequens eſt Titulum illum exinde valere, ac veluti Eccleſiæ ipſi acquiri; adeòque ubi primùm ædificata, convenienti ſaltem ex parte, ac benedicta fuerit, & incipiant in ea celebrari divina Officia, poterit quoque, imò debebit fieri feſtum de Titulo ſeu Patrono ipſius. Quod & uſu ipſo confirmatur, nam cùm multæ ſint variis in locis Eccleſiæ, quas conſtat ab exordio non fuiſſe conſecratas, ex tamen ſui Tituli ſeu Patroni, à quo nuncupantur, feſtum quotannis celebrare conſueverunt. Non tamen id antè faciendum putaverim, quàm cætera ibidem cœperint Eccleſiaſtica munia obiri; quod utique fas non eſt, ante ipſius Eccleſiæ ædificationem, ac benedictionem.

QUÆSTIO VI.

An deleta ac deſtructa Eccleſia, Tituli ſeu Patroni ipſius feſtum nihilominus celebrari debeat?

Ut perſeverat Patronus ſeu Titulus deſtructa Eccleſia. DEbet, ſi ſtante cenſu ipſius, cum juribus ac dependentiis, Clerus quoque ſuperſtes ſit; nam ſic cenſetur ſtare adhuc formaliter ipſa Eccleſia, adeòque Tituli ipſius veneratio. Sin autem funditus ſic deleta eſt vel incendio, vel hoſtium incurſu, aut etiam ſuperiorum authoritate, in delicti alicujus gravioris pœnam ſic abrogata, ut nec ædificium, nec Clerus ullatenus ſuperſit, Titulus quoque ipſe omnino abrogatus cenſeri debet, argumento ſumpto à pari, *ex l. Si uſusfructus, dig. Quibus modis uſusfructus amittatur*.

QUÆSTIO VII.

Utrum ſi non deleta quidem, aut abrogata eſt Eccleſia, ſed alio translata, ſeu Eccleſia alteri unita ac conjuncta, Titulus ipſe adhuc perſeveret?

Ut ad aliam unita. REſp. perſeverare, ejuſque feſtivitatem obſervari debere à Clero proprio illius Eccleſiæ, juxta definitionem Gregorii Papæ in pari caſu dat. *Guyet. Heortologia*. tam, *Extra, de Religioſis domibus. Capit. Quia Monaſterium*. Itaque factum Veſuntione, ubi Clerus Eccleſiarum S. Joannis & S. Stephani, à tempore Innocentii tertii in unum, eumque Metropolitanum junctus, utrumque Titulum ex æquo retinet, & obſervat. Si tamen unio fieret Eccleſiæ alicujus cum altera, non ut Eccleſiæ, ſed tantùm ut Cappellæ, putaverim in hoc caſu perinde judicandum, ac de Titulo Altaris ſeu Cappellæ, ex mente Panormitani *in cap. citatum*.

CAPUT V.

De Patrono seorsim a Titulo.

JUxta notatam ſuperiori capite Patronum inter ac Titulum qualemcunque diſtinctionem, qua videlicet Patronum dixi de perſona, Titulum verò de re ſeu myſterio convenientiùs accipi, placet quæſtiones item alias, non tam ad praxim, quàm ad pleniorem ſacrorum hac in parte rituum illuſtrationem, proponere ac diſſolvere.

QUÆSTIO I.

Quis ſit & dicatur propriè Patronus?

EXploſa quam Svidas, & ab illo Budæus ex Plutarcho in Romulo referunt, hujus vocis etymologia, à quodam nomine Patrono, uno ex iis qui Evandrum conſecuti eſſent in Italiam, quique imbecillorum curam geſſiſſe, eiſque præſidio fuiſſe jactatur, à quo & Latini Patroni nomen acceperunt; exploſa, inquam, hac etymologia, ajunt boni Authores Latini, patronum dici quaſi patrem, ſicut & matronam quaſi matrem: quo nomine, univerſim quidem vocabantur apud Romanos, ii omnes qui aliorum cauſam & defenſionem ſuſcipiebant, quos Græci [illegible], ac etiam *παραστάτας* appellant: ſpeciatim verò Patroni nomen ad duo maximè hominum genera pertinuiſſe referunt, tum hiſtoriæ Romanæ ſcriptores, tum etiam Juriſconſulti. *Patronus dictus quaſi Pater.*

Patritii apud Romanos, Plebejorum Patroni, & Tutores. Primò quidem ad eos Patritios, quos ex Romuli ipſius inſtituto plebeji quique in Tutores, ac jurium ſuorum fortunarumque defenſores eligebant. *Commendavit quippe Romulus*, ait Dion. Halic. lib. 2. *Patritiis plebejos, optione cuique e vulgo data, ut quem vellet Patronum ſibi eligeret, & hoc negotium appellatione decora cohoneſtavit, nominando Patronatum, tutelam pauperum & humilium*. Porrò tantæ fuit authoritatis jus illud Patronatus, ut contendat Cato apud Gellium *lib. 5. c. 13.* Patrem primum, deinde Patronum proximum nomen habuiſſe. Et verò Patronorum id erat officium, ut Clientibus reſponderent de jure, cujus illi rudes eſſent, abſentium æquè ac præſentium curam gererent, facerent denique pro ipſis, quidquid pro filiis parentes ipſi ſolent facere. Quin ex lege 12. Tab. *Patronus, ſi clienti fraudem fecerit, ſacer eſto. Si enim*, ſubdit Servius, *Clientes quaſi colentes ſunt, Patroni quaſi Patres, tantumdem eſt Clientem, quaſi filium fallere*.

Patroni item dicti qui ſervos manumittebant. Secundò. Patroni nomen in jure civili ad eos item ſpeciatim pertinet, qui ſervos manumitterent, quorum proinde quaſi Patres habebantur: quippe qui à morte veluti in vitam eos revocaſſent; ipſique ſervi jam libertate donati, dictique liberti, dominos ejuſmodi deinceps parentum loco habebant, omnique officio proſequebantur. Hinc illud Juſtin. Aug. *libr. 5. Cod. De Teſtamentis: Manumiſſi, quem Patronum habere noluerint, Dominum ſuum, & forſitan acerbum ſentiant*. *Auguſtinus.*

Hoc igitur nomine ad res Eccleſiaſticas tranſlato, de duobus æquè dicitur. Primò, de iis, qui

Patronus qui nominat ad Beneficium.

ob fundatam ſeu ædificatam ſuis ſumptibus Eccleſiam aliquam, vel certè magno aliquo proventu locupletatam, jus ſibi retinent beneficiarium in ea deligendi, nominandi, & apud Epiſcopum producendi, ut ſine illa productione, Beneficii conferendi jus nullum habeat Epiſcopus, diciturque jus illud Patronatus, de quo eſt Titulus 38. *lib.* 3. *Decretalium*; item 19. *libr.* 3. *In ſexto*; & qui eo jure potiuntur, Patroni appellantur: quia ut docent Jo. Andr. Panor. & alii, ſicut pater ducit filium de non eſſe ad eſſe ex procreatione, vel ad bene eſſe ex dotatione; ita qui fundat Eccleſiam, eam deducit ad eſſe; & qui dotat, ad bene eſſe.

Sancti omnes noſtri ſunt Patroni.

Secundò, convenit Patroni nomen Sanctis quidem omnibus, qui in cœlo regnant, ſuiſque nos apud Deum interceſſionibus juvant, juxta ſinceram Eccleſiæ Catholicæ fidem, innumeris SS. Patrum teſtimoniis confirmatam, quorum duo hæc ſint inſtar omnium, quibus ipſa maximè nominis uſurpatio fulcitur. Alterum eſt S. Ambroſ. *lib.* 10. *in Luc. Mortuis Regibus in perpetuum Martyres regnum cœleſtis gratia honore ſuccedunt, & illi ſunt ſupplices, hi Patroni*. Alterum S. Joann. Damaſc. *libr.* 4. *orthod. fidei capit.* 16. *Quid non laboris ſuſcipias, ut Patronum quemdam nanciſcaris, qui te mortali Regi offerat, ac tuo nomine ad eum verba faciat? Annon igitur ii honorandi ſunt, qui totius humani generis Patronos ſe profitentur, ac Deo noſtri cauſa ſupplicant?* Liceat & tertium addere Chryſoſtomi, duobus iſtis haud abſimile, hom. 8. tom. 5. *Audebiſne mortuum dicere, cujus ſervi totius orbis Regum Patroni ſunt?*

S. Ambroſius. Joan. Damaſc. Chryſoſtom.

Inter Sanctos aliqui ſunt ſpeciales Patroni.

Eſt nihilominus peculiaris aliqua ratio, ob quam inter Sanctos, uni præ aliis ſpecialis Patroni nomen obtineant, alioquin fruſtrà dixiſſet S. Leo *ſerm.* 1. *de SS. Apoſtolis Petro & Paulo: Confidimus inter labores iſtius vitæ, ad obtinendam miſericordiam Dei, ſemper nos ſpecialium Patronorum orationibus adjuvandos*. Ea verò ratio cùm non una ſit, ſed varia ac multiplex, prout ſuis quibuſque diſtributa locis referetur; huc ſpectat omnium prima, qua Patroni Eccleſiarum ii Sancti communiter habentur, quorum honori dicatæ quæque, ac nomine inſignitæ ſunt Eccleſiæ; idque juxta primariam ac genuinam vocis *Patroni* acceptionem.

Annon enim Sancti verè Optimates ſunt, ac veluti Patritii, quorum nobis humilibus ac miſeris tutelam ambire fas ſit? Adeòque qui Eccleſiam in honorem Sancti alicujus extruunt ac fundant, Sanctum illum unum è pluribus in Patronum ſui, ac poſterorum, quos deinceps in eadem Eccleſia ſortem habere continget, pro data ſibi optione ritè eligere dicendi ſunt; ut eò referri poſſit illud Job. 5. *Voca ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere*; aliquem, inquit, præ cæteris aliis, à quo nimirum proprio quaſi jure, quæcunque à Patrono beneficia rependi poſſunt, cumulatè in opportunitatibus experiaris.

Job.

Et in hanc prorſus mentem videtur ire Beda Venerabilis, dum quod narratur Luc. 7. de ſenioribus Judæorum, qui ad Jeſum à Centurione miſſi, ut ſalutem pro ſervo deprecarentur, his utique verbis ipſum compellabant, *Quia dignus eſt ut hoc illi præſtes, diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificavit nobis*; hoc inquam Beda ſic appoſitè ad rem noſtram transfert: *Nos qui de gentibus credimus, non ipſi ad Deum venire poſſumus, quem nunc in carne videre nequaquam valemus, ſed ad reſidentem in dextera Patris jam per fidem accedere debemus, jam ſeniores Judæorum mittere, hoc eſt ſummos Eccleſiæ viros, qui nos ad Dominum præceſſerunt, ſuppliciter obſecrando Patronos acquirere, qui nobis teſtimonium reddentes quod diligamus Eccleſiam, & quantum in nobis eſt, ædificare curemus, ut pro noſtris apud Deum peccatis intercedant*.

Beda. Bedæ locus huligius.

Addo ampliùs juxta aliam Patroni acceptionem, Sanctum quemlibet, cui dedicatur Eccleſia, illius verè dici Patronum; quippe qui locum illum de profano ſacrum, quaſi de ſervitute in libertatem ſuo nomine vindicet, faciatque omnium, quæ Eccleſiis jure Canonico & Civili tributæ ſunt, immunitatum participem.

QUÆSTIO II.

An Patroni nomen convenire poſſit Deo abſolutè aut SS. Trinitati, reſpectu Eccleſiarum quæ ſub ejus titulo dedicatæ reperiuntur?

Deus non dicitur Patronus.

Reſpondeo: Cùm Patroni & Advocati nomen pro eodem communiter accipiatur, & ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 71. *art.* 3. Advocati ſit auxilium & conſilium præſtare ei, cujus cauſæ patrocinatur; quamvis de Deo negari non debeat quòd patrocinetur hominibus, gratiæ ſuæ auxilium & conſilium iis præſtando; tamen Patroni nomen ipſi tribuere, nec uſus, nec ratio permittit: non uſus quidem, nam licèt voces aliquæ de Deo & Sanctis analogicè ab Eccleſia uſurpentur, quales ſunt iſtæ, *Salva nos, miſerere nobis*; non ſic eſt de Patroni nomine, quo nec Eccleſia de Deo, aut ad Deum loquens, nec ipſi SS. Patres uſi unquam fuiſſe obſervantur. Ratio item id prohibet; cùm enim Patronus non dicatur, niſi cum relatione ad judicem, aut quemvis alium majorem, apud quem alterius cauſam ſuſcipit defendendam, aut à quo gratiam aliquam, pro ſuo cliente ſe impetraturum ſpondet, id Deo haudquaquam poteſt competere, qui ſummus judex eſt, nullumque ſe majorem agnoſcit.

QUÆSTIO III.

An Chriſtus Dominus dici poſſit Patronus proprius earum Eccleſiarum, quæ vel ipſimet ut Salvatori nominatim, vel ſub titulo S. Crucis aliove ad ipſum pertinente dedicantur?

Chriſtus ut dici poteſt Patronus.

Reſp. cùm, ut dictum eſt, Patronus & Advocatus idem ſint, & Chriſtus 1. Joan. 2. dicatur Advocatus noſter, quidni etiam Patronus æquè appellabitur? maximè cùm, ut ait Ambroſ. *libr. de Iſaac cap.* 8. *Ipſe ſit os noſtrum, per quod Patri loquimur*. Favet Græca vox παράκλητος qua utitur Joannes, & quam Vatablus vertit *Patronus*. Nec obſtat diſcrimen, quod Patronum inter & Advocatum adnotat Aſconius Pædianus Comment. in Divinationem Ciceronis, ut Patronus dicatur Orator, ſeu is qui reum dicendo defendit; Advocatus verò, qui jus ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico; utrumque enim Chriſto convenit. Addamne luculentum, atque huic loco perquàm appoſitum Ciceronis ipſius teſtimonium *libr.* 2. *in Verrem*? Ubi ad Patroni appellationem *Soteris* vocem, utpote majus aliquid exprimentem ſuperjiciens, Chriſto longè quàm nequiſſimo Verre digniora verba hæc habet: *Itaque eum non ſolum Patronum iſtius inſulæ, ſed etiam Sotera, inſcriptum vidi Syracuſis. Hoc quantum eſt? ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non poſſit. Is eſt nimirum Soter, qui ſalutem dedit*.

Ambroſius. Cicero.

Attamen cùm nec uſus huic locutioni conſonet, quippe quæ nullum, quem ſciam, SS. Patrum habet authorem, illam præterea ratio non una diſſuadet: tum quia Chriſtus talis non eſt, qui in Patronum particularem eligi debeat, cùm ipſe communis ſit omnium Advocatus apud Patrem, cæteri verò Sanctorum Advocati apud ipſum, nec apud Patrem niſi mediante ipſo: *Unus eſt*, ait Apoſtolus, *mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*: tum quia ſic eſt Advocatus noſter apud Patrem, ut non ſolùm impetrator, ſicut

Paulus.

alii

Digitized by Google

alii omnes Sancti, ſed ſit etiam ipſemet author & largitor bonorum, quæ à Patre pro oobis poſtulat; imò quod Patronorum haud proprium eſt, *Ille erit judex noſter, qui modò advocatus noſter eſt*, ait Aug. *ſer.* 170. *de Tempore.*

QUÆSTIO IV.

Utrum ſuarum Eccleſiarum Patrona dicenda ſit Beatiſſima Virgo Maria?

RESP. cùm ipſa ab antiquioribus Patribus, Irenæo *lib.* 5. *cap.* 19. Ephrem in lamentatione B. Virginis, & aliis pleriſque poſteris, imò & à tota Eccleſia palam *Advocata noſtra* prædicetur, nihil vetare quin ei quoque *Patronæ* nomen optimè omnium conveniat, quod & ipſi tribuit expreſsè Germanus Conſtantinopolitanus *Orat. de dormitione Deiparæ* ſic ajens: *Quis peccatoribus adeo enixè patrocinatur? Quis aberrantium cauſam tantoperè tuetur?* Theophanes item Cerameus poſtrema homil. *Velox & invictum B. Virginis patrocinium* appellat. Et licèt veriſſimum ſit, quod ait Andreas Cretenſis *in encomio* 2. *dormitionis Deiparæ cap.* 8. Eſſe illam, *totius mundi commune propitiatorium*; quin & libentiſſimè ſubſcripſerim Idiotæ ſapientiſſimo, ſic dicenti in præfatione Contemplationum B. Mariæ: *Cæteri Sancti jure quodam patrocinii pro ſibi ſpecialiter commiſſis plus poſſunt prodeſſe in Curia Altiſſimi quàm pro alienis, Beatiſſima verò Virgo Maria, ſicut eſt omnium Regina, ſic & omnium Patrona & Advocata, & cura eſt illi de omnibus.* Hoc tamen non obſtante, ſuarum Eccleſiarum ſingularem dici poſſe Patronam, & loquendi uſus communis aſtruit, & nominis ratio ſuffragatur, à qua nihil alienum in Beata Virgine, quin potiùs quadrat ipſi omni ex parte perfectiſſimè; eoque titulo Galliæ noſtræ felicitati impenſiſſimè gratulor, quòd ex centum viginti quinque plus minuſve tam Metropolitanis quàm Cathedralibus Eccleſiis, quas univerſim in ſua ditione oumerat, ſeptem octòve ſupra triginta B. Virginis patrocinio decorentur, præter inferiores alias propè innumeras.

Germanus Conſtant.

Theophanes Cerameus.

Andreas Cretenſis.

Idiot.

B. Virgo ſuarum Eccleſiarum Patrona.

In Gallia multæ Eccleſiæ Cathedrales ſub Titulo B. Mariæ.

QUÆSTIO V.

An Beatis Angelis conveniat Eccleſiarum eſſe Patronis?

NAm quòd aliunde ſuo nos patrocinio foveant ac tueantur, innumeris Scripturæ, SS. Patrum, Conciliorum, ac Theologorum teſtimoniis certum redditur. Quæſtio itaque eò recidit, an convenienter ipſis dedicentur Eccleſiæ?

Et verò ratio dubitandi poteſt eſſe multiplex. Primò, quòd cùm ex Conc. Carthag. V. *Can.* 14. & habetur ca. *Placuit. De conſec. diſt.* 1. cautum ſit, ne qua memoria, hoc eſt Eccleſia accepeetur, niſi ibi ſint Reliquiæ certæ Sancti illius cujus eſt; Angelorum autem reliquiæ nullæ ſint: conſequens eſt, iis Eccleſias non poſſe dedicari. Imò refert Theodoretus ad illa verba *Col.* 2. *Nemo vos ſeducat volens, in humilitate & religione Angelorum* &c. olim à Synodo Laodiceæ in Phrygia habita, damnatum fuiſſe morem Oratoria S. Michaeli extruendi.

Nulla Eccleſia ſine Reliquiis erigenda.

Theodoretus.

Secundò, Eccleſia de nomine Sancti illius cui dicata eſt, appellari debet; at Angelorum, ſi tres iſtos Michaelem, Gabrielem & Raphaelem excipias, reliquorum omnium nomina aut ignota penitus, aut incerta, nec niſi vel ex libris apocryphis, vel ex Cabaliſtarum ſomniis deprompta, cujuſmodi ſunt Vriel, de quo Eſdræ 4. *cap.* 4. qui liber canonicus non eſt; item Eromiel, Saniel, Azael, Rumiel, Paniel, & alii quos memorant Viegua *in cap.* 12. *Apocal. Comment.* 1. *ſect.* 16. & Serarius *in Tobiæ cap.* 12. *quæſt.* 10. 11. 12. & 13.

Angelorum tria tantum nomina.

Viegu. Serarius.

Tertiò, cùm inter Angelos tres recenſeantur Hierarchiæ, novemque Ordines, item multa ſint & varia ipſorum erga homines miniſteria, incertum planè eſt, de quolibet Angelorum, imò & de multis ſimul ſumptis, cujuſnam ſint Hierarchiæ vel Ordinis, quodve minìſterium ipſi exerceant; quod tamen æquè ac de Sanctis hominibus ſcitu videtur neceſſarium, ut Eccleſia aliqua eorum nomini vel honori dedicetur.

Incertum, cujus ſint Hierarchiæ vel Ordinis quilibet Angeli.

Reſpondeo nihilominùs, rectè ac ſecundùm antiquiſſimum Eccleſiæ uſum piè omnino, Beatis Angelis dedicari Eccleſias, quarum ipſi ſint Patroni, perinde ac ſuarum Sancti alii; quod quidem duplici modo fieri contingit.

Angelis dicantur Eccleſiæ.

Primò, aliquibus nominatim, videlicet præfatis Michaeli, Gabrieli & Raphaeli; cæteris autem incerti ac dubii nominis, non item. Et quidem Michaeli præter celeberrimam Gargani montis in Italia; item præter aliam in Gallia, celebritate haud imparem, in monte, qui dicitur Tumba, ſeu in periculo maris in finibus Normanniæ; pleraſque alias recenſet Card. Baronius in Notis ad Martyrol. die 8. Maii & 29. Sept. Quòd verò Gabrielis ac Raphaelis nomine nonniſi unam aut alteram commemorare liceat, non ideo putaveris fas non eſſe iis aliquas conſecrare, cùm de eorum nomine ac ſanctitate canonica extent Scripturæ teſtimonia: parque & æquum jus ſit iis omnibus, qui in publicis Litaniis nominantur, ut ipſis quoque dedicari poſſint Eccleſiæ.

SS. Michaeli, Gabrieli & Raphaeli dicatæ Eccleſiæ.

Nec vetat ullatenus adductus in contrarium Concilii Carthag. Canon, aut Laodicenæ Synodi ex Theodoreto authoritas; tum quia Canon ille haudquaquam prohibet, ne extruatur Eccleſia ſine Reliquiis ejus Sancti cujus nomini dedicanda eſt, ſed id tantum, *ne ulla memoria accepietur*, ſeu ne ulla Eccleſia habeatur pro memoria alicujus Martyris, in qua à vulgo credatur ſervari ejus Reliquias, niſi aliunde certò conſtet rem ita ſe habere, ob graves abuſus qui inde conſequi poſſunt, Laodicena verò Synodus, ut colligitur ex ipſius Theodoreti textu, non ipſa Michaelis damnat Oratoria, ſed pravam eorum ſuperſtitionem, qui Simonis hæreſim ſectantes, ea extruerent aut frequentarent, ut Michaeli aliiſque Angelis divinos cultus impenderent; quod omnino impium eſt ac ſacrilegum.

Canon Concilii Carthagin. & Theodoretus explicati.

Cæterum non iis duntaxat tribus Angelis ſingulatim dedicari poſſunt Eccleſiæ, ſed & cuilibet alteri; nimirum in memoriam factæ aliquando inſignis ejus Apparitionis, aut acceptæ illius ope ac miniſterio ſingularis alicujus gratiæ, qualis v. g. extitit Davidi Apparitio Angeli ceſſantis percutere populum, juxta aream Areunæ Jebuſæi 2. *Reg.* 24. aliaque non impar Angeli illius, qui Romæ tempore S. Gregorii Papæ, viſus eſt ſupra molem Adriani, in ſignum quoque luis ceſſantis, gladium exertum in vaginam recondere; eòque factum putat Baronius, ut ibidem poſtmodum à Bonifacio III. vel IV. ejuſdem Gregorii poſt Sabinianum ſucceſſoribus, ſub nomine S. Angeli, excitata fuerit Eccleſia; ex quo patet ſolutio ejus, quod de nomine Angelorum ſecundo loco fuerat oppoſitum.

Aliis item Angelis poſſunt dicari Eccleſiæ ſingulatim.

Jam verò generatim omnibus Angelis, non tantùm poſſe dedicari, ſed & de facto tot dicatas eſſe Eccleſias, quot Michaelis nomine nuncupantur, ex eo poteſt argui, quòd ut feſtum Dedicationis S. Michaelis 29. *Sept.* teſte ipſamet Eccleſia, in Lectionibus feſti Apparitionis ejuſdem S. Michaelis 8. *Maji*, in honorem omnium Angelorum inſtitutum eſt; ſic ipſas Eccleſias de ejuſdem nomine appellatas, perinde ad Angelorum omnium honorem præſumi poteſt eſſe dedicatas.

Poſſunt & omnibus generatim.

An verò poſſent ſeorſim dedicari aliquæ Seraphinis

phinis

phinis omnibus, aliquæ Cherubinis, & aliquæ aliis itidem Ordinibus? Item an ſeorſim etiam fungentibus miniſterio aliquo, puta iis qui præſunt aſtris, ac cœlorum motibus, Regnis, aut Provinciis &c. (quod ipſum erat tertium in objectionibus.) Reſp. nihil id implicare quidem, poſſeque in teſtem adduci Sophronium Jeroſolymitanum, antiquum ſatis authorem, qui in encomio quodam SS. Angelorum, Seraphim, Cherubim, Thronos, & reliquos omnes Ordines, ſeorſim alios ab aliis ſalutat ac invocat: Verùm cùm id non ſit ex uſu moreque recepto Eccleſiæ, author minimè eſſem ut induceretur, niſi accedente Superiorum conſenſu; uti Romæ ad Thermas Diocletiani anno 1561. (ut author eſt Ant. Spinellus, *tractatu de Feſtis ac Templis Deiparæ*) dedicata eſt à Pio IV. Pont. Max. Eccleſia Sanctæ Mariæ Angelorum, id ſollicitante impenſiùs Antonio quodam Duca Sacerdote Siculo, viro admodum pio; qui multis viſionibus excitatus & confirmatus, quam Panormi erga ſanctos ſeptem Angelos ante conſpectum Dei aſtantes, repertis caſu in quodam pervetuſto Templo jam inde ab anno 1516. eorum inſignibus ac nominibus, pietatem obſervari perſpexerat, eamdem quoque Romam traducere ac promovere omni conatu ſtuduit; nec deſtitit, donec rem totam non ſine aliquo etiam prodigio ad exitum perduxit. Nam in ſeptem veluti ſacellis, quæ ab Orientali parte ædificii Thermarum ſita erant, inventa ſunt eadem quæ Panormi dictorum ſeptem Angelorum nomina, videlicet, *S. Michael*, *S. Gabriel*, *S. Raphael*, *S. Vriel*, *S. Sealtiel*, *S. Jehudiel*, *S. Barachiel*; quibus proinde ibidem, Julii III. primùm, deinde Pii IV. authoritate dicata eſt Eccleſia, ſub Titulo S. Mariæ Angelorum.

Poſſunt & ſingulis illorum ordinibus.

Spinellus.

Eccleſia dicata Sanctis ſeptem Spiritibus aſtantibus ante Deum.

Quòd ſi de Angelis Cuſtodibus quæſtio propoſita intelligatur, nihil omnino eſt difficultatis. Ut enim de iis generatim ſit feſtum ex inſtitutione Pauli V. generatim inquam, hoc eſt de Cuſtodibus omnium hominum; nec id tantùm, ſed & Regnorum, Provinciarum, &c. imò & ſpecierum omnium, quæ ſunt hominum uſibus deſtinatæ; ſic iiſdem poſſe erigi templa, cui poteſt eſſe dubium? Sed an proprio cujuslibet hominis Angelo Cuſtodi conveniens ſit? ob id non auſim aſſerere, quòd cùm ex D. Thoma 1. *p.* *q.* 113. *ar.* 2. aliiſque Theologis, ſingulis hominibus ſinguli dentur Angeli Cuſtodes, & quidem diverſi; aut deſinente eſſe in vivis homine, deſineret ſtatim Eccleſiæ ſic dicatæ Titulus; aut ſi perſtaret, vagus eſſet, ac mutationi obnoxius. Unde in poſtrema recognitione Breviarii juſſu Urbani VIII. facta, cùm antè ſingulari numero legeretur, *In feſto S. Angeli Cuſtodis*; ſic in plurali repoſitum eſt, *In feſto SS. Angelorum Cuſtodum*; & pro octava benedictione expreſsè notatum eſt debere dici, *Quorum feſtum colimus* &c. An denique Eccleſiæ omnibus aut pluribus ſimul Angelis ſic dicatæ, Angeli illi propriè dici debeant Patroni? perinde judicandum ac de Eccleſiis dicatis titulo omnium Sanctorum, de quo inferiùs.

Angelisderum Cuſtodibus.

D. Thomas.

QUÆSTIO VI.

An Sanctis omnibus, cujuſcunque ſint ordinis, conveniat ut poſſint eſſe Patroni Eccleſiarum?

FUit id prioribus Eccleſiæ temporibus uſu receptum, ut Eccleſiæ ſeu Templa nonniſi in memoriam, ac ſub nomine Sanctorum Martyrum, qui pro Chriſto fortiter certantes occubuerunt, conderentur. Martyrum verò nomine comprehenduntur Apoſtoli, qui & ipſi omnes Martyres ſunt; nec excluditur Beatiſſima Virgo Deipara, quæ à S. Hieronymo pluſquam Martyr appellatur.

Eccleſiæ olim ſolis Martyribus dicatæ.

Et hujus quidem ritus innumera ſunt Scriptorum antiquorum teſtimonia, à quibus utpote tritioribus abſtineo, hoc uno Auguſtini contentus lib. 22. de Civit. Dei c. 10. *Nos autem Martyribus noſtris non Templa ſicut diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus.* Illud præterea conſequenter obſervans, triplex exinde nomen ſortitas fuiſſe Eccleſias, dictaſque olim frequentiſſimè, vel Martyria, vel Memorias, vel denique Baſilicas Martyrum, quòd videlicet in Martyrum honorem, & quidem plerumque iis ipſis locis in quibus paſſi fuerant, aut ubi eorum corpora repoſita jacerent, erigi conſueviſſent.

Auguſtinus. Eccleſiæ dictæ Martyria, Memoriæ, & Baſilicæ.

Obiter Azorio ſubſcribas nolim dicenti *lib.* 9. *Partis* 2. *c.* 3. *queſt.* 1. Baſilicas dici Eccleſias nondum conſecratas. Sentias potiùs cum Ill. Card. Baronio *ad annum* 57. *n.* 38. non quaslibet Eccleſias, ſed eas dumtaxat quarum auguſtior ſit amplitudo, & ad quas, perinde atque ad palatia Regum, recipiant ſeſe frequentes populi, ſacras SS. Martyrum Reliquias eo loci reconditas veneraturi. Quin & ob id dictas quoque Concilia Sanctorum, quòd in iis congregetur Sanctorum fidelium multitudo, refert idem Baronius, ex Hieronymo, Gaudentio, & aliis.

Azor. Baſilicæ, Eccleſiæ auguſtiores.

Id porrò quàm verum ſit, ſolis olim Martyribus, præter Regem ipſum Reginamque Martyrum, dicari ſolitas fuiſſe Eccleſias, vel ſi nulla adeſſent ſcriptorum teſtimonia, adducta protinus ex uno Galliæ Regno Eccleſiarum inductione demonſtratur. In eo ſiquidem Regno, ſi Metropolitanas numeres 15. præter Aquenſem Chriſto Salvatori, Rhemenſem, Rothomagenſem, Auſcenſem, Ebredunenſem & Pariſienſem Beatæ Mariæ, Burdegalenſem Andreæ Apoſtolo, reliquæ octo omnes Martyribus dicatæ ſunt. Inter quas Stephano Protomartyri tres vel etiam quatuor numerare eſt. Ex Cathedralibus verò decem circiter ſupra centum, præter unam Aurelianenſem S. Crucis, ſeu Jeſu Chriſti Crucifixi, & ſupra recenſitas B. Virginis duas treſve ſupra triginta, Petri Apoſtoli nomine duodecim, Andreæ item Apoſtoli duas; reliquæ, paucis exceptis, Martyrum ſunt, & quidem primicerii omnium Stephani, undecim. Quas autem excipio, plures haud ſunt quàm viginti duæ vel tres, & harum pleræque ex Abbatiis, vel Prioratibus in Epiſcopales erectæ à Joanne XXII. Sed nec has, nec cæteras crediderim carere Patrono martyre, ſub quo primitus fundatæ ac dedicatæ fuerunt, more explicato præcedenti ſect. quod omnino neceſſarium eſt in iis ſaltem, quarum exſtructio præceſſit tempore ipſummet Patronum, à quo nunc temporis nuncupantur, ut in Convenacenſi S. Bertrandi, Conſeranenſi S. Licerii, Carpentoratenſi S. Siffredi, & aliis.

Eccleſiæ prima Galliæ dicatæ Chriſto Domino, B. Mariæ, Apoſtolis & Martyribus.

Poſtremò uſum hunc perantiquum ſolis Martyribus Eccleſias dedicandi, nihil æquè confirmat, ac ritus ipſe conſecrationis altaris, qui etiamnum hodie perſeverat, & deſcriptus habetur in Pontificali Romano, ubi inprimis ſtatuitur parari debere Sanctorum Reliquias in ipſomet Altari recondendas, adeo ut etiam ſine ejuſmodi Reliquiis non poſſe perfici, nec valere ullo modo conſecrationem, aſſerant Doctores communiter apud Azor *lib.* 10. *c.* 27. Imò & Reliquiarum loco, ſi quando haberi non poſſint, licitum eſſe Corpus ipſum Dominicum collocare, quorumdam fuit Canoniſtarum opinio; idque probant exemplo Leonis Papæ, quem dediſſe ferunt partem Euchariſtiæ ad conſecrationem Altaris; at hoc incertum eſt, & ut verum ſit, haud tamen ullatenus faciendum concludunt cæteri omnes poſt Hoſtienſem, qui ſe ipſiuſmet Innocentii III. Pont. quem de hac re conſuluerat, ore ita accepiſſe teſtatur *Tit. de Conſec.*

Reliquiæ neceſſariæ ad Eccleſiæ Dedicationem.

Reliquias verò illas non fuiſſe quondam niſi Martyrum, perſpicuè colligitur ex Antiphona quæ à Schola cantatur, dum eæ ab Epiſcopo reconduntur

Reliquiæ olim nonniſi Martyrum Eccleſiis dicandis adhibitæ.

duntur

duntur in ſepulcrum, hoc eſt intra confeſſionem factam in ipſo Altari, ſeu à parte ſuperiori media, ſeu ab anteriori, ſeu etiam à latere dextro, & quæ occluditur tabula, ſeu aptato lapide, qui ſigillum ſepulchri dicitur. Sic autem habet Antiphona illa excerpta *ex lib. Apocal. c. 6. Sub altare Dei audivi voces occiſorum dicentium* &c.

Apocal.

Cui accedit luculentum Ambroſii teſtimonium *in Epiſtola* 54. *ad Marcellinam ſororem: Quia nihil ſoleo ſanctitatem tuam eorum præterire, quæ hic te abſente geruntur, ſcias etiam Sanctos Martyres à nobis repertos. Nam cum Baſilicam dedicare vellem, multi tamquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes, ſicut in Romana, ſic Baſilicam dedices: Reſpondi, faciam ſi Martyrum reliquias invenero.* Itemque vulgatum illud Auguſtini ubi ſuprà, *Quis audivit aliquando fidelium ſtantem Sacerdotem ad altare, etiam ſuper ſanctum corpus Martyris* &c. Et expreſſius ſer. 4. de Innoc. qui eſt 73. in append. to. 10. *Convenienter & quaſi pro quodam conſortio ibi Martyribus ſepultura decreta eſt, ubi mors Domini quotidie celebratur.* Ut non mireris dixiſſe Durandum *lib.* 1. *Ration. c.* 6. *n.* 30. neſcio quo authore, ſed appoſitè omninò, *Eccleſiam in ſanguine alicujus conſecrari.*

Ambroſius.
Auguſtinus.
Durandus.

Confeſſoribus quoque dicatæ poſterioribus ſeculis Eccleſiæ.

Hæc licèt vera ſint, obtinuit nihilominùs poſteriorum temporum uſus, ut non Martyribus tantùm, ſed & Confeſſoribus, ſeu quibuslibet aliis Sanctis haudquàquam Martyribus Eccleſiæ dedicentur. A quo verò id tempore fieri cœptum ſit, non ita pervium eſt indagare. Et quidem quod ad Orientem attinet, extat liber Procopii Cæſareenſis de ædificiis Juſtiniani Imperatoris, ubi inter plurima templa Martyrum, quæ ipſe enumerat, unum quoque Divæ Annæ Virginis Deiparæ matri ſactum recenſet, & alterum Divis Priſco & Nicolao, quorum hic haud dubiè Confeſſor eſt. Aliud item Divo Antonio Nicephorus Gregoras, à Joanne Duca Imp. Nicææ erectum. Sed cùm hic vix trecentos abhinc annos excedat, ille verò nonniſi circa annum 550. floruerit, habemus in Occidente longè antiquiora hujuſce uſus monumenta; inter quæ præclariſſimum extat Baſilicæ Turonenſis S. Martini, à Briccio primùm ejus ſucceſſore, anguſtioribus quidem ſpatiis, ſtatim ab ipſius S. Pontificis obitu, nempe anno ad ſummum 402. excitatæ: poſtmodum verò elapſis annis 64. ut placet Gregorio Turonenſi, à Perpetuo ejuſdem Sedis Antiſtite, ampliori & elegantiori opere inſtauratæ, quam & Sidonius Apoll. ornavit, affixo illius parietibus pereleganti Epigrammate, quod tranſcriptum legitur *lib. ejus* 4. *epiſtola* 18. *ad Lucentium.*

Procopius Cæſar.

Eccleſia S. Martini Turonenſis.

Eccleſiæ primariæ dicatæ item S. Martino.

Neque verò Turonum finibus ſeſe continuit hujus almi Pontificis celebritas, cui & alibi procul variis in locis dicatæ reperiuntur permultæ aliæ Baſilicæ, etiam primariæ, ac pedo infulíſque Pontificiis inſignes, cujuſmodi ſunt Metropolitanæ Moguntina & Trajectenſis in Germania, Lucenſis in Italia, Tutellenſis & Montalbanenſis in Gallia, ambæ à Joanne XXII. evectæ quidem ad Pontificale decus, at longè antè ſuo illo titulo, & glorioſi Antiſtitis patrocinio gaudentes: adeo hac etiam ex parte verum illud eſt, de quo ſcripſit Apologiam Odo Cluniacenſis, eſſe illum Apoſtolis parem. Item quod canit Eccleſia in Officio ejus proprio, illum *etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrii non amiſiſſe.*

Odo Cluniac.

Ratum ergo illud ſit, Confeſſores, de quorum legitima Canonizatione conſtet, jamnunc, perinde ac Martyres, Eccleſiarum verè ac propriè dici Patronos, ſi quando nimirum, ad eorum honorem ac nomen aliquæ dedicentur.

QUÆSTIO VII.

Quæ ſit legitima Sanctorum Canonizatio, & quomodo de ea certò conſtare poſſit?

Quid ſit Canonizatio?

CAnonizatio nihil aliud eſt, quàm legitimum Eccleſiæ teſtimonium, ſeu judicium de vera ſanctitate, & gloria alicujus hominis vita functi: quo item judicio decernuntur ipſi honores tribui ſoliti iis, qui cum Deo feliciter regnant. Ita Bellarminus de SS. Beatitudine *lib.* 1. *c.* 7. Honores autem publicos intellige, quos idem author ſic enumerat: Inſcriptio in Sanctorum catalogum, qua videlicet ſtatuitur aliquem ab omnibus habendum ac dicendum Sanctum, invocatio in publicis Eccleſiæ precibus, Templorum & ararum in ejus memoriam exſtructio, Officii ac Miſſæ de eo celebratio, feſti illius obſervatio, imaginis cum lumine gloriæ, quod vocant, depictio; ejus denique Reliquiarum veneratio.

Bellarminus.

Cujus ſit Canonizare, & quotuplex ſit Canonizatio?

Jam verò cujus ſit canonizare aliquem, & quotuplex ſit canonizandi modus, cùm noſtri non ſit inſtituti diſputare, multóque minùs aliorum ſcripta tranſcribere, curioſum lectorem remittimus ad ipſummet Bellarminum, & ab eo ad Sauſſayum in Apologetico, quem pro Sanctorum cultu, ad calcem ſui Martyrologii Gallicani addidit *cap.* 9. ubi multa refert vir doctus ſcitu digniſſima. Illud tantùm, quod ad propoſitam quæſtionem attinet, ſubjicio, tribus nimirum modis, de legitima alicujus Sancti Canonizatione nobis conſtare, videlicet Scripturæ ſacræ teſtimonio, illibata traditione, & ipſamet Canonizatione, ſeu publico ſupremi Eccleſiæ Antiſtitis decreto.

Martyrol. Gallic.

Tribus modis conſtare poteſt de legitima Canonizatione.

Commendatione Scripturæ.

Primò modo. Pro Sanctis indubitanter habendi ii omnes, qui in ſacris paginis ſanctitatis nomine commendantur, quales ſunt in veteri teſtamento Enoch, Noe, Abraham, Iſaac, Jacob, Moyſes, Aaron, Samuel, David, Elias, Eliſæus, & alii de quibus mentio fit Eccleſiaſtici *cap.* 44. In novo verò, præter Beatiſſimam Virginem Deiparam, Sanctorum omnium Reginam, ſanctitate aliis omnibus incomparabilem, Joannes Baptiſta, Petrus, Paulus, cæterique omnes Apoſtoli, Stephanus, Barnabas, Silas, & alii quos Lucas in Actis, & Paulus in Epiſtolis commendant.

Eccli.

Illibata traditione.

Secundò, colendi ut Sancti, quotquot traditione illibata, pro talibus communiter habentur, licèt ii publico Summi Pontificis decreto declarati ſeu canonizati non fuerint. Cùm enim ſolennis illa canonizandi ratio, nonniſi Alexandri III. conſtitutione, quam & firmavit Innocentius III. introducta ſit, uníque Sedi Apoſtolicæ reſervata, ut habetur *cap. Audivimus. extra. de Reliquiis & veneratione Sanctorum*; multique ante hanc conſtitutionem variis in locis Sanctorum cultu honorati reperiantur, per hanc ipſam Conſtitutionem aliquid ipſis derogatum fuiſſe nemo dixerit: adeò que perſtare illos fatendum eſt in eo omni jure, quo pridem potiti erant: quæcunque tandem fuerit recepta olim ratio, ſive Martyres, ſive Confeſſores vindicandi; de qua re præter citatos Bellarm. & Sauſſayum videndus item Baronius *in notis ad* 2. *Aprilis.* Eos porrò omnes prædicto jure potitos fuiſſe exiſtimandum eſt, quorum vel nomen in Martyrologio Romano inſertum habetur, vel feſtum annuum in Diœceſi, aut Civitate, ab omni hominum memoria perpetuò celebratum fuit, vel denique ſub quorum nomine Eccleſiæ aliquæ dicatæ reperiuntur. Sunt enim tria illa teſtimonia certa, & omni exceptione majora; hocque ipſum eſt quod *illibata traditione* ſignificatum velim: cujuſmodi cenſendam puto eſſe illam, qua in omnibus ferè Diœceſibus coluntur ut Sancti multi Epiſcopi, aliíque illarum indigenæ. Quòd ſi aliquorum è contra nec mentio ulla ſiat in Romano

Alexander III.
Baronius.

Quæ ſit illibata Traditio?

mano

mano Martyrologio, nec feſtum de iis ullum in tabulis propriis notatum reperiatur, nec denique Eccleſia ulla ſub ipſorum nomine extet. Adde, quod & amplius eſt, ſi erroris in fide, aut ſchiſmatis, aut vitæ minùs probatæ ſuſpicione aliquando laboraverint; non illibata, ſed dubia, ac ſtrictioris examinis lanci obnoxia, ſi quia eſt de eorum ſanctitate traditio, judicanda eſt.

Solemni Summi Pontificis declaratione,

Tertiò denique, poſt Alexandri III. Conſtitutionem quotquot Summi Pontifices ſolemni canonizatione Sanctos eſſe pronunciarunt, ii omnes citra dubium pro Sanctis habendi, proindeque idonei quibus cultus ille publicus ſtataque veneratio exhibeatur. Præter illos verò nulli alii quantumcumque vitæ ſanctitate, ac miraculis etiam inſignes: non quòd his quoque honor, cultuſque aliquis non poſſit impendi, puta invocari, imago depingi, reliquiæ ſervari &c. ſed hæc nonniſi privatim, & ex peculiari cujuslibet devotione, ut pluribus docet Bellarm. cit. *c.* 10. Cæterùm extruere templa aut altaria, celebrare Miſſam & Officium, feſtum in foro inſtituere, Reliquias aut imaginem cum diademate palam exponere, aliaque præſtare, quæ ad publicum cultum pertinent nequaquam fas eſt; unde & Patroni Eccleſiarum eo ſenſu, quo quæſitum eſt, nullatenus eſſe poſſunt. Cujus quidem cultus, ut id dicam obiter, capaces ſunt omnes Canonizati; non tamen inde ſequitur, ſtatim ac quis canonizatus eſt, liberum eſſe cuilibet, feſtum ejus inducere, Officium de eo recitando, niſi tantùm iis in locis in quibus ipſum Patronum eſſe contingeret, more aliorum Sanctorum, ut rectè docet Gavant. *Comment. in Breviar. ſect. 2. cap. 2. num.* 30.

Poſſuntne coli alii quàm ſic Canonizati?

Bellarminus.

Non cujuslibet Sancti Canonizati liberum eſt feſtum celebrare,

QUÆSTIO VIII.

An Sanctis veteris Teſtamenti Patriarchis & Prophetis conveniens ſit dicari Eccleſias, quarum ſint ipſi Patroni?

ABſolutè nihil vetat, cùm & æquè Sancti ſint ac alii, & iis cultus publici partes aliæ omnes, perinde atque aliis ab Eccleſia deferantur: ſiquidem & eorum plurimi in Martyrologio expreſſo nomine recenſentur; multorum item Reliquiis exhibita veneratio, ut de ſingulis adducit teſtimonia Baronius in ſuis ad Martyrol. notis. Item Abel & Abraham, in Litaniis pro Commendatione animæ, nominatim invocantur. Denique nonnullas de facto Eccleſias ſub eorum nomine extructas refert idem Baronius ex probatis authoribus, puta Jeremiæ à Conſtantino Magno ſuper ipſammet foveam, in quam is Propheta detruſus fuit; Micheæ, ad ejus ſepulchrum, Eliæ à Baſilio Imperatore, Samueli à Juſtiniano; Machabæis Martyribus Antiochiæ, in illa videlicet civitate, quæ Regis ipſius perſecutoris nomine vocitatur, *ut ſimul ſonaret, & nomen perſecutoris, & memoria coronatoris*, inquit Auguſt. *ſer.* 109. *de diverſis*; Viennæ quoque Allobrogum, necnon & Coloniæ Agrippinæ. Quibus de cauſis, dixi quidem nihil vetare abſolutè; verùm cùm id ex communi Eccleſiæ uſu non ſit, ſicut nec de iiſdem feſtum aut officium inſtituere, nollem meo ſuffragio comprobare, ſi quis id tentaret inconſultis majoribus, aut niſi gravi ex cauſa, qualis eſſet vel Reliquiæ notabilis ac bene probatæ ſuſceptio, vel miraculoſa aliqua ſubventio, ſeu favor inſignis à Deo Sancti ejuſmodi interceſſione recenter impetratus.

Eccleſiæ dicatæ SS. Jeremiæ, Micheæ, Eliæ, Samueli, Machabæis Mart.

Auguſtinus.

Adam & Eva Sancti.

Quod de iis maximè dictum velim, de quibus haud planè definitum eſt ab Eccleſia, ſintne in numero Sanctorum habendi, ut de ipſis primis noſtris omnium parentibus Adam & Eva: quorum tamen ſaluti qui contradicunt, non dubitat inter hæreticos numerare Aug. lib. de peccatorum meritis c. 2. lib. de natura & gratia cap. 20. & de hæreſibus cap. 25. Item de Samſone, Juditha, Eſthere & aliis.

Auguſtinus.

Samſon, Judith, & Eſther.

De Elia quoquè poſſet eſſe dubitatio; quòd cùm is viſione beata nondum perfruatur, in eo ſtatu non ſit, in quo more aliorum Sanctorum preces ad ipſum directas audire poſſit. Verùm cùm in ſtatu gratiæ certò conſtet illum eſſe confirmatum, nec deſint alii modi, quibus ei poſſunt innoteſcere orationes ad ipſum fuſæ, ſtandum arbitror Eccleſiæ uſui, illum ut verè Sanctum, Sanctorum reliquorum more, cultu omni publico afficientis: quod & de Enocho perinde dictum eſſe oportet.

Elias & Enoch Sancti.

Idemque potiori jure aſſero de iis Sanctis, qui licèt ante Chriſti paſſionem, atque adeo ante conditam gratiæ legem è vivis exceſſerint, pertinere tamen ad Evangelii ſtatum ex eo vel maximè reputandi ſunt, quòd ab ipſomet Evangelio commendentur, aut certè quòd Chriſtum ipſum propinquitate, ſeu carnis affinitate proximè attingant; quales ſunt Zacharias & Eliſabeth, Symeon ſenex, & Anna Propheteſſa, ut taceam Joachimum & Annam, Virginis Deiparæ Parentes ſanctiſſimos, Joſeph ſponſum ejus caſtiſſimum, Joannem denique Chriſti ipſius Domini noſtri Baptiſtam ac Præcurſorem, poſtremum, eumdemque ſummum omnium Prophetarum, quem ad novum teſtamentum pertinere diſertè aſſerit D. Th. 2. 2. *q.* 174. *a.* 4. *ad* 3. de quibus omnibus ſolemnitates atque Officium Eccleſia perinde ac de reliquis Sanctis facere conſuevit.

SS. Zacharias & Eliſabeth, Symeon ſenex & Anna Propheteſſa, Joachim & Anna, Joſeph & Joannes Baptiſta.

D. Thomas.

QUÆSTIO IX.

An convenienter Sancti, de quibus dubitatur, aſſumi poſſint in Patronos Eccleſiarum?

TRiplex circa Sanctos dubium poteſt incidere: primum de eorum nomine ſeu etiam perſona, an videlicet unquam extiterint? Secundum de eorum actis, an non fictitia ſint, aut mendis obnoxia? Tertium denique de eorum Canonizatione, an legitima ſit? vel ſanctitate, an ritè probata, nulliſque nævis aut maculis interſperſa?

Circa primum dubium, non eſt quòd quis hæreat: nam quod de ſanctis Georgio, Chriſtophoro, Catharina, & aliis impii Novatores objiciunt apud Bellarm. *de Sanct. Beatitud. lib.* 1. *cap.* 20. eos videlicet non modò Sanctos, ſed nec homines fuiſſe, putida eſt deſperatorum hominum ſycophantia; quaſi verò ex eo quòd prædictorum Sanctorum hiſtoriæ apocryphæ ſint, aut incertæ, liceat inferre protinus nec ipſos unquam extitiſſe. Simili argumento poſſet quis concludere Apoſtolos ipſos æquè fictitios eſſe ac umbratiles, cùm paucis exceptis, quæ in Evangelio & Actis leguntur, cætera penè omnia de iis ſcripta, mendoſa ſint & apocrypha.

Negatur Sanctos dubios fictitios coli in Eccleſia.

Perinde ſe habet id quod ab aliquibus etiam Catholicis objicitur, deceptionem aliquando in ipſa nominum eorumdem convenientia contineri. *v. g.* Nogenti in Diœceſi Carnutenſi, eſt Eccleſia Collegiata S. Joannis Bapt. in qua partem capitis ejuſdem Sancti aſſervari ajunt loci illius incolæ, cùm tamen alii contra eſſe quidem Joannis alicujus ejuſdemque Sancti fateantur, at nequaquam Baptiſtæ. Penes ipſos lis eſto de Reliquia, cujuſnam ſit: ſed an idcirco error eſt, ſi ut Patronus agnoſcatur & colatur S. Joannes Baptiſta? Similis eſt itidem controverſia, unuſne an duo ſint Dionyſii, Pariſienſis alter, alter Athenienſis? Sulpicii item duo; alter Bituricenſis Præſul, Presbyter alter diſcipulus S. Martini, hic Severus Sulpicius, Sulpicius ille Severus? certè modò aliquis ſit, non erit error ſaltem in perſona, imò nec in nomine.

Deceptio in nomine nihil Sanctorum cultui præjudicat,

Ad ſecundum verò dubium, non inficior multa

in ple-

Multa in veteribus Sanctorum legendis occurrunt falſa & abſurda. *Lib. 3. cap. 9.*

in pleriſque Sanctorum Legendis, quas vocant, reperiri ludicra, abſurda, & quod amplius eſt, à vero prorſus aliena, gravibuſque inprimis parachroniſmis implicata, cujuſmodi referentur exempla aliqua ſuo loco inferiùs. Interim hoc unum accipe.

Exemplum gravis parachroniſmi in legendis SS. Corentini, Maclovii & Paterni.

In legenda S. Corentini primi Epiſcopi Coriſopitenſis in minori Britannia, refertur ſanctos Maclovium & Paternum jam tum Præſules adiiſſe ipſum S. Corentinum, dum adhuc in eremo verſaretur. Ipſe autem Corentinus ibidem à S. Martino legitur fuiſſe conſecratus in Epiſcopum. Jam de Maclovio & Paterno hæc in ſuis quoque legendis ſcripta reperiuntur, hunc videlicet quem Venetenſem Epiſcopum, & ab Abrincenſi planè alium, commodioris explicationis, & verò etiam verioris gratia facimus, Dolum ad Provinciale Concilium Beato Samſone loci ejus Antiſtite conveniſſe, obiiſſeque tandem anno ætatis 80. Illum verò videlicet Maclovium Alectenſem Epiſcopum, cùm à ſuis vexaretur, Sanctonas apud beatum Leontium Epiſcopum ſe recepiſſe, vixiſſeque annis omnino centum & triginta. Et hæc quidem ex legendis.

Aliunde verò ex certiori Chronologia conſtat S. Martinum obiiſſe anno 400. ſeu ut Baronio placet 402. item ex ſubſcriptionibus variorum Conciliorum, S. Paternus ſubſcripſiſſe reperitur Concilio Venetenſi, in quo ipſe ordinatus eſt, præſide S. Perpetuo Turonenſi Metropolitano, anno 463. Samſo item Dolenſis Præſul, unà cum Germano Pariſienſi, & Eufronio Turonenſi, Concilio quod Pariſiis habitum ſub Childeberto Rege ad annum 557. refert Sirmondus, Baronius verò ad annum 559. denique S. Leontius Sanctonum Epiſcopus Concilio Rhemenſi circa annum 630. ſub Dagoberto Rege. Quæ ſi omnia in unum colligas (ut de aliis taceam) vixiſſe oportebit S. Maclovium annis duplo pluribus quàm fert ejus legenda, nempe ut minimum 260. ex quo parachroniſmo vitiari neceſſe eſt trium quatuorve Sanctorum illorum legendas, Sed quorſum hæc omnia? An ut inferas procul ablegandas eſſe legendas illas utpote dubias ac ſpurias? placet omnino; ablegentur, rejiciantur, ſaltem in quibus nutat earum fides: Hocque ipſum eſt quod commendat, imò præcipit Pius V. in ſua Bulla initio Brev. Romani poſita. Sed an idcirco Sancti ipſi, quæ tota quæſtio eſt, de qua nunc agitur, removendi, ſuarumque Eccleſiarum patrocinio ſpoliandi? Inſulſus eſt ac impius, qui id aſſerat.

Dubium de Canonizatione Caroli Magni Imp.

Tertium denique dubium, quod ad legitimam Canonizationem attinet, vix pluſquam in uno aut altero exemplo locum habet; videlicet Caroli Magni Imperatoris, quem Paſchalis quidem in Sanctorum numerum ſolenni ritu adſcripſit; ſed cùm is legitimus non fuerit Pontifex, ejuſmodi Canonizatio recepta non eſt ab Eccleſia Romana. Hanc tamen cùm legitimi Pontifices haud impugnaverint, imò tacito conſenſu toleraverint, non eſt quòd quis ſcrupulum moveat, ſi in propria Eccleſia Aquiſgrani ubi ſepultus eſt, item & in pleriſque aliis Galliæ, Belgii atque Germaniæ, ſanctitatis titulo colatur; id vindicantibus, Hoſtienſi, Joan. Andrea, & aliis primariis Canonum interpretibus, *In cap. 1. de Reliq. & Vener. Sanctorum*. Exemplum aliud eſt S. Rochi, cujus quidem

S. Rochus ut Canonizatus.

Canonizatio à nullo Pontifice facta habetur; ſed cùm decreto Patrum Concilii Conſtantienſis ipſi honores Sanctis debiti impenſi fuerint, quando ad propulſandam ingruentem luem, ejus imago comitante omni populo per urbem ſolemni pompa devecta eſt, moxque peſtis evanuit; exinde planè ratum haberi debet quòd & Altaria & Eccleſiæ illi dedicentur, cæteraque Officia reliquorum Sanctorum more perſolvantur.

De Sanctis verò, qui Alexandri III. conſtitutionem, de qua ſuprà, præceſſerunt, non eſt quòd quis in dubium veniat: nam licèt aliqui

Sancti aliqui ante Alexandri III. conſtitutionem Canonizati.

etiam reperiantur longè ante ipſius Alexandri tempora, à Romanis Pontificibus Sanctorum albo inſcripti, ſeu canonizati, uti S. Suvibertus à Leone III. ad inſtantiam Caroli Magni, teſte Ludgero in Epiſtola de miraculis ejuſdem Sancti: S. Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus ab Innocentio II. quibus addit Sauſſayus novem SS. Præſules Cabilonenſes à Joanne VIII. illac tranſeunte, rogatu Gilbodi Cabilonenſis Epiſcopi; & præ illis omnibus, S. Licinium Andegavenſem Epiſcopum à Vitaliano Papa; licèt, inquam, ejuſmodi Canonizationes dictam Alexandri III. Conſtitutionem præceſſerint, non tamen inde ſequitur, aliorum Sanctorum, qui illis ipſis temporibus floruerunt, dubiam cenſeri debere vindicationem, maximè ſi ejuſmodi vindicatio, illibata, qualem ſuperiori quæſtione deſcripſimus, traditione firmetur.

Dubium de ſanctitate ut ſolvendum.

Quòd ſi demum de vitæ ſanctitate dubium obtruditur, illud hacce obſervatione duplici ſolvendum tibi erit. Aut enim convenientia nominum induxit hallucinationem, ut in Euſebio tam Cæſarienſi quàm Emeſeno contigit, qui à quibuſdam pro Sanctis habiti ſunt, cùm tamen uterque Arianus extiterit; adeòque hoc nomine, ſi qui Sancti appellentur, intelligendi meliùs, vel Euſebius Samoſatenſis, de quo Baronius *in Notis ad 21. Junii*, vel Euſebius Vercellenſis, vel aliquis alius eorum qui ſub dicto nomine in Martyrol. deſcribuntur. Aut ſi cujuſpiam vita nævis aliquibus, vel in fide, vel in moribus, fortè laboret, & tamen Sanctorum cultu jam inde à priſcis temporibus affectus inveniatur, præſumendum omnino, quod de Fauſto Regienſi aſſerit idem Baron. *ad annum* 520. ipſum nimirum labes ejuſmodi, errorum correctione, vitæ emendatione, ac legitima pœnitentia priùs abſterſiſſe, quàm fato functus ſit.

QUÆSTIO X.

Quid de Beatificatis, nondum quidem à Pontifice Canonizatis, ſeu Sanctorum albo conſcriptis, ſed quibus interim dum id fiat, permiſſum eſt cultum aliquem impendere, an ii poſſint in Patronos Eccleſiarum aſſumi?

Beatificati non poſſunt eſſe Patroni Eccleſiarum niſi id ſpecialiter concedatur à Pontifice.

RESpondeo ex Bellarm. *de Sanct. Beatit. lib. 1. cap.* 10. cùm templorum, ſeu etiam ararum extructio pertineat penitus ad cultum publicum, nullo modo citra particularem & expreſſam Summi Pontificis conceſſionem licitum eſſe eam adhibere ad cujuſquam honorem, niſi is fuerit Sanctus ab Eccleſia ſolenniter canonizatus. Nec juvat quòd de quibuſdam ſic beatificatis conceſſum ſit feſtum cum Officio celebrare; id enim cùm in conceſſione nominatim expreſſum ſit, nec alioquin valeret, non poteſt ad aliud extendi, niſi & illud pariter exprimatur.

QUÆSTIO XI.

De Eccleſiis pluribus Sanctis collectivè dicatis, putà ſub Titulo omnium Apoſtolorum, vel omnium Martyrum, vel etiam Sanctorum omnium, an Sancti illi ſic collecti dictarum Eccleſiarum dici debeant Patroni?

Plures Sancti collectivè, Tituli ratione convenientiùs habēt quam Patroni.

REſp. ſi ſtrictiùs loquamur, Tituli nomen in hoc caſu videri mihi magis convenire; tum quia de ratione Patroni eſt, prout ſupra deſcripſimus, ut è multis unus, vel ſaltem pauci eligantur qui tutelam clientum ſuſcipiant; tum quia (quod ex priori illo ſequitur) qui Patronus eſt, videtur proprio nomine compellandus; at plures Sancti, multòque magis omnes collectivè ſumpti, non proprio ſinguli, ſed communi omnes ac collecti-

vo Or-

Digitized by Google

vo Ordinis nuncupantur; quod ſanè nomen ad rationem Tituli convenientiùs refertur.

Eccleſia ſub Titulo 12. Apoſtolorum.

Porrò illud novum non eſt, ut Eccleſiis Titulus ejuſmodi imponatur; nam & Conſtantinus Magnus, authore Euſebio Cæſar. *lib. 4. vita illius, cap.* 58. Apoſtolorum Templum in urbe ſui cognomine erexit; illudque ipſum eſt, ni fallor, quod Nicephorus Gregoras inter templa à Joanne Duca Imper. reſtaurata recenſet ſub titulo 12. Apoſtolorum & Chriſti Diſcipulorum. De Templo omnium Martyrum, qui pro Chriſto ſanguinem fuderunt, mentionem facit Ignatius Monachus in vita S. Taraſii Patriar. Conſtantinopolitani. Notum eſt omnibus Pantheon Romæ à Bonifacio Papa IV. eliminatis falſorum Deorum ſpurcitiis, in honorem Dei Genitricis, omniumque Sanctorum Martyrum conſecratum: quod & occaſionem dedit inſtituendo feſto omnium Sanctorum; fortè etiam aliis Templis Titulo omnium Sanctorum dicatis, ſub quo titulo eſt Abbatia una Ord. S. Aug. Andegavi, & altera Catalauni.

Omnium Martyrum.

Omnium Sanctorum.

QUÆSTIO XII.

An Sancti innominati convenienter in Patronos Eccleſiarum aſſumantur?

Sancti innominati poſſunt eſſe Patroni.

RESpondeo affirmativè; vices enim nominis proprii ſubit vulgare Epithetum, quo communiter appellantur, putà SS. Innocentes, SS. Quadraginta Martyres, SS. Septem Fratres, SS. Quatuor Coronati, SS. Martyres Scillitani, SS. Septem Dormientes &c. Itidem & in ſingulari, ſi fortè Sancto alicui, cujus nomen proprium ignoretur, aliud vulgò cognomen, putà Fortis, aut Patientis, aut Victoris impoſitum fuerit.

QUÆSTIO XIII.

De Sanctis cognominibus, quando dubium eſt, utrì illorum dicata ſit Eccleſia, quid facto opus?

Eccleſiæ Sanctorum ejuſdem nominis aliquando uni duntaxat, aliquando utrique dicatæ.

CAſum hunc occurrere ſuſpicor in illis Leproſariis, quæ S. Lazari appellantur, ſub quo nomine communiter ut Patronus colitur S. Lazarus Mariæ & Marthæ Frater, quem quatriduanum Dominus Jeſus à mortuis excitavit; cùm tamen veroſimilius ſit, Lazarum mendicum illum intelligi debere, qui ulceribus plenus ad Divitis januam jacuit. Utut ſit, exiſtimo ſtandum eſſe uſui pridem recepto, nec ab eo ullatenus recedendum, niſi ubi conſtaret de manifeſta deceptione; tunc enim conſultis Ordinariis reſtitui poterit veri ac legitimi Patroni cultus. Quòd ſi alicubi etiam contingat, utrumque Sanctum nominis ejuſdem, uti Patronum obſervari; morem hunc quoque, vel idcirco retinendum ſentio, quòd indicio ſit utrique fortè ex æquo dedicatam primùm fuiſſe Eccleſiam; ſic multæ ſunt Eccleſiæ S. Joannis nuncupatæ, quæ Joannem utrumque ſeu Baptiſtam ſeu Evangeliſtam Patronum agnoſcunt. Aliquæ ſimiliter quæ Julianum, & Martyrem Brivatenſem, & Epiſcopum Cenomanenſem; aliquæ quæ Honoratum Epiſcopum tam Ambianenſem quàm Arelatenſem, Patroni cultu, unum perinde atque alium afficiunt. Quibus in omnibus haud facilè quicquam innovandum, ubi quod ſit nihil in ſe periculi, nihil erroris involvit.

QUÆSTIO XIV.

An uſu receptum ſit è Sanctis in Calendario vel Martyrologio ſimul deſcriptis unum aliquem diſtinctim in Patronum aſſumere?

Sancti alii per accidens ſimul in Calendario juncti.

DUpliciter id contingit, ut Sancti aliqui ſic in Calendario vel Martyrologio ſimul deſcribantur. Primò quidem ex occaſione tantùm, quòd videlicet eadem die paſſi fuerint, vel obierint, licèt fortè non eodem anno, nec eodem in loco, nec eadem de cauſa; cujuſmodi ſunt plerique inter Martyres, ut SS. Fabianus & Sebaſtianus, Vincentius & Anaſtaſius, Soter & Cajus, Cletus & Marcellinus, Cornelius & Cyprianus, & alii; inter Confeſſores verò non ita multi, ut SS. Vedaſtus & Amandus, Lupus & Ægidius &c. Secundò aſſociantur Sancti quaſi ex natura rei, quòd videlicet eodem ſimul die ac loco, eamdemque ob cauſam, curſum vitæ hujus feliciter conſummarunt; cujuſmodi exempla in Confeſſoribus pauca admodum ſuppetunt, ac vix niſi unum SS. Antonii, Meruli, & Joannis ex Martyrologio licet allegare. Inter Martyres verò frequentiſſimè id occurrit, ut patet exemplis SS. Innocentium, SS. Joannis & Pauli, Coſmæ & Damiani, Gervaſii & Protaſii, Mauritii & ſociorum, Urſulæ & ſociarum, & aliis innumeris.

Alii per ſe.

Juncti ut ſeparantur.

Primo itaque modo conjuncti, ab invicem nullo negotio diſſociantur, occurritque plurimùm unum abſque alio alicujus Eccleſiæ eſſe Patronum, ut conſtat de SS. Sebaſtiano, Vincentio, Cypriano, Ægidio, & reliquis. De aliis verò ſecundo modo ſimul junctis, non idem uſus eſt, ac par ratio. Quæ enim Eccleſiæ S. Gervaſium, v. g. aut S. Coſmam Patronum colunt, nequaquam ab hoc S. Damianum, nec ab illo S. Protaſium ſolent divellere. Quæ item SS. Innocentes, aut S. Mauritium, aut S. Urſulam, alioſve ejuſmodi, omnes ex æquo ſocios ac ſocias perinde recognoſcunt; niſi fortè alicubi habeatur unius nominatim corpus, aut inſignis Reliquia ab aliis certò diſcreta, quæ occaſioni ſit, ut is cujus eſt, ſingillatim Patronus adhibeatur; ſicut de SS. Exuperio, Candido, Victore, Innocentio, & aliis ex legione Thebæa, poſſet accidere; item de S. Cordula, una ex ſociabus S. Urſulæ, aliiſque ſimilibus.

De Apoſtolis verò qui bini celebrantur (ſunt autem ii, Petrus & Paulus, Philippus & Jacobus, Simon & Judas) dubium non eſt, eorum alterum ſeorſim ab altero in Patronum poſſe appellari; licèt enim aliqui ſimul paſſi reperiantur; ipſa tamen Apoſtolica dignitas, certumque cujuſlibet nomen, occaſioni eſſe poſſunt, ut unus ab alio in ratione Patroni ſejungatur; quod in SS. Petro & Paulo præſertim uſu frequentiori confirmatum occurrit.

QUÆSTIO XV.

Quæ ratio ſit eligendi è Sanctis unum in Patronum ſeu Titularem alicujus Eccleſiæ?

REſpondeo multas quidem & varias poſſe contingere, ſed quæ ad duo triave capita facilè queant revocari.

Eccleſiæ dicatæ Sanctis in loco Martyrii eorum ſeu depoſitionis.

Primum eſt, locus ubi Martyr aliquis paſſus eſt, aut Confeſſor ex hac vita migravit: item ubi corpus hujus aut illius integrum, vel majori ex parte aſſervatur; quæ ratio omnium potiſſima eſt Eccleſiam eo in loco ædificandi, & Sancti illius nomini dedicandi. Sic Victor Uticenſis *lib. 1. de perſecutione Vandalica* ſcribit, apud Carthaginenſes duas egregias & amplas Baſilicas Cypriano Martyri fuiſſe exſtructas, alteram ubi ſanguinem fudit, alteram verò ubi corpus ejus ſepultum eſt. Pari modo apud Turonas duplex S. Martini Baſilica cernitur, altera Candate, ubi Sanctus ille Confeſſor diem obiit; altera, eaque celeberrima Turonibus, ubi corpus ejus diu requievit, donec anno 1562. à nefariis Novatoribus igni traditum eſt. Nec opus eſt plura proferre exempla, cùm nihil penè frequentiùs occurrat.

Victor Uticenſis.

S. Cypriano duplex Baſilica erecta.

Sancto Martino itidem.

Baronius.

Illud tantùm obſerva ex Baronio *in Notis ad 6. Julii*, locum illum ſeu partem Eccleſiæ, in qua reconditum habetur corpus integrum Martyris, ſeu

cujuſ-

Confeſſio & Martyrium ut differunt.

cujuſcunque alterius Sancti, dici propriè *Confeſſionem* : quæ vox licèt apud Latinos idem ſonet quod *Martyrium* apud Græcos, non tamen pro eodem utrumque accipitur. Martyrium enim dicitur de tota Baſilica, ut videre eſt in Concilio Chalcedonenſi, ubi ſæpè fit mentio de Martyrio S. Euphemiæ, hoc eſt de Eccleſia Virgini illi ac Martyri dicata. Confeſſio verò nonniſi de receſſu, ſeu ambitu ſepulchri, aut loculi ſub majori Altari poſiti, ubi Reliquiæ SS. Martyrum, ſeu corpora integra repoſita quieſcunt. Sic in libro de Rom. Pont. fit ſæpè mentio *Confeſſionis S. Pauli*, *S. Laurentii* &c. hoc eſt Altaris à diverſis Pontificibus in quibuſdam Eccleſiis ſuper ſepulcra Martyrum erecti, ac per circuitum clatris columniſque exornati; quod totum egregiè confirmat dicta à nobis ſuperiùs de Eccleſiis ſolis Martyribus olim dicari ſolitis.

Eccleſiæ Sanctis dicatæ ob eorum Reliquias.

Huic priori capiti adjungendæ quoque Reliquiæ, non quidem corporis integri, ſed partis unius dumtaxat, aut aliquarum, quando ſcilicet aliunde advectæ, nomen Sancti cujus ſunt, Eccleſiæ alicui commodant, adeo ut ſine Reliquiis ejuſmodi, crediderim fas olim non fuiſſe dedicari Eccleſiam. Cujus rei profertur inſigne teſtimonium

Gaudentius.

S. Gaudentii Brixienſis Epiſcopi *ſer. de Dedicatione Eccleſiæ : Ut venerandas*, inquit, *Sanctorum Reliquias haberemus, Deus noſter tribuit; deinde ut hanc honori eorum fundare Baſilicam valeremus ipſe largitus eſt*. Facit item appoſitè non injucundum exemplum, quod refertur ab Illuſtr. Card.

Baronius.

Baronio ad annum 1184. de Caſimiro Rege Poloniæ, qui cùm Reliquias à Lucio III. ad Eccleſiarum de novo à ſe conditarum dotationem poſtulaſſet, Papa ſacrarium ingreſſus, quis Sanctorum illic quieſcentium migrare vellet, inquiſivit; cui

S. Floriani mart. Reliquiæ ut in Poloniam delatæ.

ſeriòne an joco ſic loquenti, ex tumba S. Floriani manus protenſa indicans ſe apparuit, cujus proinde Reliquias dictus Pontifex in Poloniam tranſmiſit. Illud verò etiamnum hodie in uſu eſt, ne qua Eccleſia ſine Reliquiis in Altari collocandis dedicetur; verùm ut ſint Reliquiæ ejuſdem Sancti cui dedicatur, opportunum id quidem ſi contingat, at ut neceſſarium minimè requiritur.

Sanctus in Patronum electus ab inſignitate loci, aut præclaro aliquo facinore ſeu ſigno ibidem edictis.

Secundum caput rationum eligendi Patronum petitur itidem à loco, non jam eo in quo paſſus eſt, vel obiit Sanctus aliquis, aut ejus Reliquiæ ſervantur; ſed in quo vel ipſe olim natus eſt, vel habitavit dum viveret, aut eximium aliquod ac præclarum facinus edidit, aut denique inſigni aliqua poſt mortem virtutum operatione, ſeu liberatione à morbis vel periculis, aliave ſuæ opitulationis probatione illuſtriorem ſe ac famoſiorem reddidit. De quorum ſingulis in uno S. Martino

S. Martino his Titulis plures dicatæ Eccleſiæ.

exemplum accipe. Ei nempe Sabariæ in Panonia, unde oriundus erat, Monaſterium magnificentiſſimum S. Stephanus primus Ungariæ Rex extruxit, ac decima totius regni redditumm parte dotavit. Ambiani quoque eo ipſo loco, ubi quondam partem chlamydis mendico erogavit, ad perpetuam tanti facinoris memoriam ſub ejuſdem nomine condita extat Abbatialis Eccleſia. Extant & aliæ plurimæ variis in locis, in quibus homo *Signipotens*, ut eum appellat Severus, frequentiumque miraculorum patrator illuſtris, ſimilia dedit tam vivus quàm mortuus portentoſæ ſuæ virtutis argumenta. Inter quæ illud minimè omittendum, quod ganeonibus duobus accidit, cùm corpus ejus Antiſſiodoro Turonas reveheretur; ii ſiquidem ne corporis valetudinem quam cæteris morbidis per univerſam Turonum ditionem ultro advenire cernebant, perinde conſequerentur, cùm ne hanc quidem in finibus Andegavenſium, quos jam attigerant, quantumlibet inviti effugere valuiſſent, opportunam ſuppeditavit occaſionem portentum hoc ædificandæ Eccleſiæ, quæ S. Martini de Capella alba etiamnum hodie appellatur. Familiaria ſunt alibi paſſim ejuſmodi exempla, quibus adjungenda ſunt non abſimilia celebrium B. Mariæ Eccleſiarum, ad quas frequentes obeuntur peregrinationes, quòd in iis Beatiſſima Virgo ſuarum opitulationum vim, editis crebris miraculis libentiùs exerceat, uti Carnuti, Anicii Vellaunorum, Lætitiæ, Salmurii, & alibi in ſingulis ferè Provinciis. Similia item votiva S. Michaeli templa, ex inſigni aliqua ipſius apparitione; quo fit ut omnibus ejuſmodi Eccleſiis conveniat quoque appellari Memorias, prout explicatum fuit ſuperiùs, occaſione Canonis Concilii Carthag. cujus quidem Canonis textus ulterior firmat planè diviſionem hic à nobis traditam; ſic enim habet : *Nulla memoria Martyrum probabiliter acceptatur, niſi aut ibi corpus, aut aliqua certa Reliquia ſint, aut ubi origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis, fideliſſima origine traditur*.

Eccleſiæ B. Mariæ celebres ex miraculis.

S. item Michaelis.

Eccleſiæ dictæ Memoriæ. *Concil. Carthag.*

Patroni Eccleſiarum ex devotione Fundatorum.

Tertium denique Caput abſolutè pendet ex arbitrio ejus, vel eorum, qui fundant Eccleſiam, quando nimirum, vel ob acceptum aliquod Sancti alicujus ope ac intereceſſione beneficium, vel ex propenſa erga ipſum peculiari aliqua devotione id præſtant, ut ejus cultus eo ampliùs ac firmiùs in perpetuum promoveatur.

CAPUT VI.

De Titulo ſeorſim à Patrono.

Quàm legitima ſit allata à nobis Patronum inter ac Titulum diſtinctio, ſatis ſuperque probant, quæ de Patrono ſeorſim dicta ſunt hactenus; & verò illuſtrabunt pleniùs quæ de Titulo æquè ſeorſim ſubjicienda occurrunt; prout videlicet ſonat rem aliquam ſeu Myſterium, à quo Eccleſia aliqua nomen ſuum ſortita eſt.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Titulus propriè ac ſtrictè ſumptus?

Tituli Etymon.

Titulus ex Varrone à tuendo, hoc eſt indicando dicitur, quia nimirum rem, cui ſuperſcribitur, tuetur ac indicat; quod ut commodiùs etiam præſtaretur, fiebat olim ejuſmodi ſuperſcriptio rubeis litteris, juxta illud Juvenalis Sat. 14. *Perlege rubras Majorum leges*; unde in jure qui aliàs Tituli, Rubricæ etiamnum appellantur, *in lege 1. dig. ſi cert. pet. & in lege 2. §. penult. dig. de interdict.* quæ vox perinde quoque uſurpata eſt ad ſignificandas divini Officii leges, primò quidem particulares, quæ quòd cæteris in officio recitandis permixtæ ſint, ad diſtinctionem rubeo omnes charactere imprimi conſueverunt; deinde etiam generales à Pio V. primùm editæ, licèt hæ non rubeo ſed nigro charactere ſint exaratæ : ab ea verò indicatione factum eſt, ut Titulus non tantùm pro ea omni inſcriptione accipiatur, quæ rei cujuslibet, puta libri, operis, ſtatuæ, authorem, materiam, tempus aliamve qualitatem indicat; ſed variis præterea modis pro varia ratione rem aliquam tuendi ſeu indicandi.

Titulus in ſacris Scripturis pro quocumque monumento ad perpetuam memoriam accipitur.

Nam inprimis columna, pyramis, aut quidvis aliud monimentum ad perpetuam rei alicujus memoriam ſervandam poſitum, Titulus, maximè in ſacris Scripturis appellatur. 2. Reg. c. 18. *Abſalom erexit ſibi titulum in monimentum nominis ſui*, & 1. Machab. c. 14. *Romani deſcripſerunt in tabulis æreis, & poſuerunt in Titulis in monte Sion*, quæ videlicet Simon & filii ejus præclarè geſſerant. Propiùs verò ad rem noſtram de Jacob dicitur Gen. 28. quòd *Surgens manè tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum*

Jacob erigit lapidem in Titulum.

ſun-

fundens oleum deſuper. Ubi Septuaginta pro *Titulo* habent *in ſtatuam*, quòd videlicet ſtatua inſigne ſit monimentum, juxta illud Ezech. 26. *Et ſtatuæ fortitudinis tuæ in terram decident*. Statuæ, id eſt trophæa pro parta victoria. Statuam verò intellige, non quam adoraret Jacob; id enim nefandum eſſe, uniuſque ac ſummi Dei cultui adverſans, non ignorabat Patriarcha ſanctiſſimus, quamvis necdum latæ eſſent leges illæ; *Non facietis vobis idolum nec Titulos*. Levit. 26. *Confringite Titulos & ſtatuam comminuite*. Num. 33. Sed ſtatuam, ſi quam erexit Jacob, intellige quam deinceps haberet velut memoriale perpetuum viſionis eo in loco ſibi factæ: quemadmodum & cap. 31. lapidem alium *erexit in Titulum*, id eſt in teſtimonium fœderis, quod cum Laban pepigerat; & cap. 35. *Erexit Titulum* ſuper ſepulcrum Rachelis *in via quæ ducit Ephratam*. Eſt tamen veroſimilius Jacobum, non ſtatuam, ſed Altare potiùs erexiſſe, juxta S. Hieronymi lectionem, *Altare* hic, ficut & Oſeæ 3. pro *Titulo* vertentis; probatque factum ſimile Moyſis Exodi 24. qui *mane conſurgens ædificavit Altare ad radices montis, & duodecim Titulos per duodecim tribus Iſrael*: quos quidem Titulos Abulenſis ait fuiſſe duodecim lapides Altari ipſi ſuppoſitos. Probatur item ex Iſa. 19. *In illa die erit Altare Domini in medio terræ Ægypti, & Titulus Domini juxta terminum ejus*. Favet denique huic explicationi ſeries ipſa ac conſecutio hiſtoriæ: cùm enim Jacob lapidem illum oleo ſuperfuderit conſecrationis gratia, manifeſtum eſt aram fuiſſe, non ſtatuam. Lapides enim quos ab Ethnicis ipſis Termino conſecratos, & inunctos fuiſſe refert Auguſt. lib. 16. de Civit. Dei c. 38. & colligitur ex Apulejo in Apologia 1. ſtatuæ inſtar non erant.

Jacob Altare non ſtatuam erexit. Hieronymus. *Iſaias.*

Imò verò, non Altare tantùm, ſed ædificium integrum exſtruxiſſe Sanctum Patriarcham, conjicere licet ex fine præfati Capitis, ubi ſic loquitur; *Eris mihi Dominus in Deum, & lapis iſte quem erexi vocabitur domus Dei*. Cui obſervationi adſtipulatur etiam, tum Severus Sulpicius lib. 1. hiſt. his verbis, *Vovit Jacob, ſi rebus proſperis reverti ſſet, eum lapidem Titulum ſibi domus Domini futurum, decimaſque omnium, quæ acquiſita ſibi forent, Domino daturum*: tum etiam Eccleſiæ uſus, quæ Officium Dedicationis penè totum ex illo Geneſis capite compegit; & in ipſa Eccleſiæ ac Altaris conſecratione, Jacobi exemplo, plurimas ſacri Chriſmatis, oleique Catechumenorum inunctiones, tum Altaris ipſius ſigillo, tum etiam deſignatis in parietum ſuperficie Crucibus jubet admoveri. Quæ omnia ſic congeſta referre placuit, quòd magnam ex iis propoſito noſtro elucidationem acceſſuram ſperemus.

Non Altare tantùm, ſed ædificium integrum Jacob exſtruxit. Severus Sulpicius.

Secundò, Titulus accipitur in jure pro cauſa, qua quis ſibi vendicat rem aliquam, ſeque in ejus juſta poſſeſſione contra impugnantem tuetur, puta quòd emerit, vel dono, aut legato, aut hæreditate acceperit, *l. 1. Dig. pro ſoluto. l. 3. §. ult. Dig. de acquir. poſſeſſ.* Quo item ſenſu qui Titulus dicitur Joan. 19. à Pilato ſcriptus, & Cruci Chriſti Domini affixus, cauſam appellavit Matthæus cap. 27. *Impoſuerunt ſuper caput ejus cauſam ipſius ſcriptam*; Marcus verò utramque vocem impendit cap. 15. *Erat Titulus cauſa ejus inſcriptus*, cauſæ videlicet propter quam Jeſus Crucis ſupplicio damnatus eſt.

Titulus pro cauſa.

Tertia Tituli uſurpatio ad jus item pertinet, nempe pro tabulis quibuſdam, quas olim deſcripto palam in iis ſuo nomine Potentiores prædiis ſuis affigebant, ut ſic ea ab aliena invaſione, aut direptione tutarentur: quo modo etiamnum hodie arma gentilitia pilis ligneis ad ditionum terminos affigi mos eſt, itemque villis ruſticanis, quas Gallicè appellamus, *des Sauvegardes*, tabulas videlicet, gentilitio Regis aut Optimatis alicujus ſtemmate munitas: qua de re inſignem proferre liber Aug. locum, expoſ. 2. in Pſal. 21. *Ne domum ipſius invadat aliquis Potens, ponit ibi Titulos potentis, Titulos mendaces: ipſe vult eſſe poſſeſſor, & frontem domus ſuæ de Titulo alieno muniri, ut cùm Titulus fuerit lectus, conterritus quis potentia nominis, abſtineat ab invaſione*. Item Petri Chryſol. ſer. 154. *Sicut Dominum prædiorum limitibus affixi Tituli proloquuntur, ita nomina ipſa ſæpe Sanctorum merita indicant, teſtantur inſignia*.

Titulus pro tabulis prædiis affigi ſolitis. *Auguſtinus.* *Petrus Chryſologus.*

Hanc verò prærogativam cùm Imperatores privatis hominibus interdictam ſibi reſervaſſent, ut patet ex Tit. 16. lib. 2. Codicis, qui ſic habet, *Ut nemo privatus Titulos prædiis ſuis vel alienis imponat, vel vela regia ſuſpendat*. Item ex Novella 30. cap. 7. ubi manuum abſciſſione aliiſque gravioribus tormentis plecti jubentur, *qui Titulos alios quàm Majeſtatis Imperatoriæ aut Tamii, id eſt ærarii nomine auſi fuerint imponere*. Hinc factum eſt ut Titulus Imperatoriæ poteſtatis inſigne evaſerit, cujus proinde impoſitione prædium caducum ſibi fiſcus ſolitus erat vendicare, ac Principi veluti conſecrare, ut cùm Imperator ait, lege *Si quando*: Cod. de bonis vacantibus lib. 2. *Tituli vero quorum adjectione prædia noſtris ſunt conſecranda ſubſtantiis, nonniſi publica teſtificatione proponantur*. Fuiſſe autem ejuſmodi fiſcales Titulos vela quædam Imperatorum imaginibus, ſeu nominis ipſorum inſcriptione inſignita, vel ex uno Ambroſio colligitur, qui eos alio nomine *Cortinas Regias* appellat; dum ſcribens ad Marcellinam, narrat, quomodo Valentinianus Imperator Arrianus cortinarum illatione Baſilicam ſibi ſtuduerat vendicare, ſed iis à pueris diſciſſis, omnia ejus conamina fuiſſe irrita. Quamquam vela inter ac Titulos id fuiſſe diſcriminis conjicere licet ex præmiſſis duobus Auguſtini ac Chryſologi locis, ut in illis Imperatoris imago, in his verò nomen inſcriberetur; ideòque etiam Titulos ex tabulis ligneis fuiſſe compactos ſuadet Novella 30. proximè citata, quæ detractos protinus ad capita eorum qui propria authoritate affixerunt, infringi præcipit. Cujuſmodi verò tandem fuerint ſive vela ſive Tituli, vetuit S. Gregorius, ne Eccleſiaſticis rebus imponerentur, lib. 5. Epiſt. 44. quòd nimirum Eccleſiaſticorum Titulorum longè à fiſcalibus diſpar eſſet ratio.

Tituli privatis hominibus interdicti. *Tituli Fiſcales.* *Ambroſius.* *Tituli ut differunt à velis.* *S. Gregorius.*

Dicitur denique Titulus in Jure Canonico Beneficium Eccleſiæ, ſub qua quis ordinatur, aut ubi tenetur ſervire; adeo ut ſine ejuſmodi titulo cautum ſit quemcunque ordinari, *cap. Neminem. ex Conc. Chalced. diſt. 70.* & ordinario aliter facta irrita habeatur, *cap. Sanctorum. ibidem*: ubi & dicitur, quòd in qua Eccleſia quilibet intitulatus eſt, in ea perpetuò perſeverare debet. Ex qua Tituli acceptione, cùm jus intitulato obveniat percipiendi fructus illius Eccleſiæ, ſive ex toto ſive ex parte, ſimulque debitum in ea miniſtrandi; ajo proinde coincedere, ac poſſe confundi uſitationem hanc, cum priori illa qua pro cauſa accipitur; talis quippe Titulus cauſa eſt, ob quam & ille fructus ejuſmodi ſibi vendicat, & viciſſim ab illo miniſterium exigitur. Sunt & aliæ Tituli acceptiones, ſed has quantum ad inſtituti noſtri rationem attinet, exprompſiſſe ſat eſt.

Titulus pro Beneficio Eccleſiaſtico.

Jam ergo, ut ad rem noſtram veniamus, Eccleſias olim Tituli nomine appellari ſolitas, adeo ut Titulus & Eccleſia pro eodem ſumantur, notius eſt quàm ut probari indigeat. Sic in libro de Romanis Pontificibus, de Evariſto legitur, *Hic Titulos in urbe diviſit Presbyteris*. Idem quoque de Marcello, qui 25. Titulos in urbe diviſit ſuper ſepulturas Martyrum. Nec id Romæ tantùm in uſu fuit, nam in Capitulis Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi datis anno 852. Eccleſia Titulus non ſemel appellatur, necnon alibi item frequentiſſimè. Cujus quidem nomenclaturæ ratio ex allatis ſuprà variis Tituli acceptionibus facilè colligitur.

Eccleſiæ dictæ olim Tituli.

Primò

A Titulo Crucis iis ædificandis illato.

Primò quidem, quia cùm Chriſtiani domum aliquam cultui divino conſecrarent, vexillum Crucis inſtar Tituli quamprimùm inſerebant; unde Theodoſius Imperator præcepit, ut delubra gentilium Chriſtianæ Religionis cultui manciparentur, *Collocato in eis*, ut ait, *veneranda Chriſtiana Religionis ſigno*. Ita *lege ult. de Paganis cap. Theodoſius*. Item *lege Decernimus, cap. de Epiſcopis & Clericis*. Hinc etiam in Pontificali Romano, ubi de benedictione & impoſitione primarii lapidis pro ædificanda Eccleſia agitur, hæc verba habentur: *Pridie lignea Crux in loco ubi debet eſſe Altare figatur, & lapis primarius imponatur*. A Titulo ergo Crucis juxta tertiam vocis hujus acceptionem dictæ ſunt Eccleſiæ Tituli.

A Titulo ſeu nomine Sancti in cujus honorem eriguntur.

Secundò, Dictæ item à Titulo, id eſt nomine illius Sancti in cujus honorem eriguntur, tamquam ſanctitatis illius monimenta, juxta quod dictum eſt in prima acceptione: ſic Titulus S. Petri dicitur Eccleſia S. Petri &c. Hincque ortum habet; quòd ut ſuprà notavimus, Eccleſiæ ſeu Tituli iis olim potiſſimum locis exſtruerentur, in quibus paſſi eſſent Martyres, aut Sanctorum quorumcunque corpora requieſcerent: de quo eſt illuſtris locus Prudentii, in hymno 5. de S. Vincentio: *Prudentius.*

Ne ſit ſepulcrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat,
Titulumque figat Martyris.

Altaria Martyrum ſepulcra.

Quin & ob id Altaria ipſa, Martyrum ſepulcra apud antiquos ſcriptores rerum Eccleſiaſticarum appellantur: imò in Pontificali Rom. ſub finem Dedicationis Eccleſiæ, ſtipes ipſe, ſeu ſcrinium in quo reconduntur ſub altari Reliquiæ, & quod menſæ ſeu Tabulæ ipſius Altaris ſupponitur, appellatur quoque Titulus, quaſi ſit ipſummet trophæum ad memoriam & honorem Sanctorum, quorum illæ ſunt Reliquiæ, erectum.

Mons Sion Titulus dictus. — *Hieronymus.* — *Villalpandus.*

Sapiet fortaſſe doctum pluſquam par eſt hic videri, ſi adjecero montem Sion, in quo priſcum illud Salomonis templum olim exſtructum fuit, Tituli quoque appellatione condecoratum. Eo ſiquidem loco, Jer. 31. qui ſic habet, *Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines*, obſervat Hieron. vulgatam editionem, ex vocis Hebrææ affinitate Sionem reddidiſſe. Unde Hebræorum aliqui vocem *Tamrurim* verterunt, ſicut & apud Oſeam cap. 12. *Titulum excelſum*; quod Villalpandus doctiſſimus interpres monti ipſi Sionis apprimè quadrare aſſerit; fuit enim revera ille mons eximium ac illuſtre monimentum divinæ dignationis ac benevolentiæ, qua domicilium ſibi eò loci inter homines elegit; ut non immeritò Titulus mons ipſe totus quantus eſt, appelletur.

Eccleſiæ Tituli dictæ à Titulo ſeu fundo eis attributo.

Tertiò demum Eccleſiæ dictæ ſunt Tituli, quòd qui Eccleſiam curat ædificari, priùs Titulum ſeu fundum aliquem conferre debeat, ex cujus annuo redditu, quid ad luminaria, quid ad Rectoris Miniſtrorumque ſtipendia ſufficiat, commodè ſuppeditetur. Ita præcipit Pontificale Rom. ubi de benedictione & impoſitione primarii lapidis; & habetur *Cap. Nemo Eccleſiam, De conſecr. diſt.* 1. Unde veteres Chriſtiani domos ſuas in Eccleſias conſecrantes, eas poſtmodum Titulo ſui nominis appellabant: cujus rei luculentiſſimum habetur teſtimonium in Epiſtola 1. Pii Papæ ad Juſtum Epiſc. Viennenſem. *Antequam Roma exiſſes*, inquit, *ſoror noſtra Euprepia Titulum domus ſuæ pauperibus aſſignavit, ubi nunc cum pauperibus noſtris commorantes, Miſſas agimus*. Sic in Actis S. Marcelli legitur, *quòd Lucina vidua domum ſuam nomine Tituli Beati Marcelli dedicavit*. Similiter Veſtina illuſtris fœmina, referente Baronio *in notis ad 19. Junii*, Baſilicam Romæ exſtruxit in honorem SS. Gervaſii & Protaſii, quæ & Veſtinæ Titulus, & eorumdem quoque Martyrum dictus reperitur. Nihil denique vulgarius quàm illud Breviarii Rom. die 1. Auguſti, in lect. 5. *Tantus honor ſacris illis vinculis haberi cœpit, ut propterea hoc nomine S. Petri ad Vincula Eccleſia Titulo Eudoxia dedicata ſit in Exquiliis*.

Eccleſiæ Titulo ſeu nomine Fundatorum appellatæ. — *Pius Papa I.* — *Baronius.*

Guyet. Heortologia.

Ex qua duplici ratione Tituli, alia qua Fundatorem, & alia qua Sanctum Eccleſiæ Patronum indicat, perſpectum habes, quàm appoſitè nos ſecundam & quartam Tituli acceptionem ſuprà induxerimus; nimirum hac utraque illa egregiè ſtabilitur, præſertim verò prior illa quæ Fundatorem attinet. Cùm enim uti aſſertum eſt, nemo ſine Titulo ordinari debeat; hinc uſus obtinuit, ut qui ſub aliquo Titulo ordinatur, nomen ſibi ex eo Titulo, ſive ex ea Eccleſia, cui præficitur, aſciſcat; præſertim S. Rom. Eccleſiæ Cardinales, quibus ex Conſtitutionibus Sixti V. præcipitur, *Ut de cætero in quibuſcunque litteris Apoſtolicis, in quibus ſubſcriptio manu propria facienda erit, iidem Cardinales, etiam Tituli, ſeu Diaconiæ vel Epiſcopatus ſui Cardinalatus nomine expreſſo, ſe ſubſcribant*.

A Titulo Eccleſiæ denominatur ejus Poſſeſſor. — *Sixtus V.*

Baronius. — *Inſigniores Eccleſiæ dictæ Tituli ſeu Titulares.*

His licèt paulò fuſioribus unum inſuper addendum eſt, quod ad rem noſtram plurimùm refert, obſervatoremque habet Baronium *in notis ad 26. Julii*, Romæ videlicet veterem loquendi uſum obtinuiſſe, ut non omnis Eccleſia Martyrumve memoria Titulus diceretur, ſed tantùm inſigniores Eccleſiæ, quibus præficerentur Presbyteri Cardinales. Quod & confirmatur ex memorata proximè Bulla Sixti V. data die 13. Maji anni 1587. qua pronunciat Pontifex, Eccleſias in urbe Roma vel finitimis locis conſtitutas, *quæ Cardinalis dignitate gaudent, Titulos eſſe appellandas, quod ſint* inquit *quaſi quædam cujuſque propriæ Diœceſes, ac præter ſex Cardinales Epiſcopos, qui certis Cathedralibus Eccleſiis urbi finitimis præſunt, ſingulis Presbyteris & Diaconis Cardinalibus Eccleſiæ illæ, Tituli videlicet & Diaconiæ cum ſuis Clero & populo, ac quaſi Epiſcopali juriſdictione in ſpiritualibus & temporalibus regendæ & adminiſtrandæ committantur*. Poſtmodum verò enumerat idem Pontifex, quænam tum ex antiquis, tum ex recens erectis Baſilicis Tituli ac Diaconiæ ſint appellandæ, vetatque, *ne ulla alia hiſce Titulis afficiantur*. Ex quibus verbis conſtat, cùm Eccleſiæ illæ, idcirco Tituli appellentur, quòd ſint quaſi Diœceſes, & Epiſcopalem juriſdictionem habeant, multò magis Titulos eſſe appellandas, quæ verè Cathedrales ſunt, & primariæ Diœceſum; imò & aliæ omnes exemptæ, quales ſunt aliquæ Abbatiales & Collegiatæ, quæ ab Ordinariorum juriſdictione immunes, ipſæmet propriam habent in ſuo territorio, eamque quaſi Epiſcopalem juriſdictionem.

Sixtus V.

Marcellus Papa. — *Concilium Meldenſe.*

Quæ ratio duplici præterea authoritate firmatur: altera Marcelli Papæ, qui ut refertur in lib. de Rom. Pont. *Viginti quinque Titulos in urbe conſtituit, quaſi Diœceſes, propter Baptiſmum & Pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex paganis*: ex quo inferre licet, quòd ubicunque eſt Diœceſis, vel quaſi Diœceſis, ibi quoque Titulum dici par eſt. Altera authoritas eſt Concilii Meldenſis habiti anno 845. ſub Carolo Calvo, cujus Canon 54. ſic habet, *Ut Titulos Cardinales in urbibus vel ſuburbiis conſtitutos, Epiſcopi canonice & honeſtè, ſine retractatione ordinent & diſponant*: quod, ni fallor, ad inſtar Romanæ Eccleſiæ factum eſt, ut videlicet haberent Epiſcopi in ſuis quique civitatibus aliquos Eccleſiarum particularium Rectores ac Præſides, qui ſibi, dum Pontificalia celebrarent, more Cardinalium Romanorum adeſſent. Simile quid Andegavi audio adhuc eſſe in uſu; unde qua ratione Parochi illi, Epiſcopo Pontificalia obeunti aſtantes, Cardinales dicuntur, pari omnino & eorum Eccleſiæ Tituli nomine poſſunt appellari.

Quibus omnibus de Titulo, prout de Eccleſia dicitur, conſtitutis; de eodem, qua Sanctum Eccleſiæ Patronum ſpectat, pronum eſt ac facile, quid ſentiendum ſit definire. Quæſtioni itaque ab initio propoſitæ triplici tandem hacce concluſione ſatisfacio.

Titulus latè ſumptus dicitur de quovis Sancto.

Prima eſt, Titulus latè ac vulgariter ſumptus, dicitur de quovis Sancto, ſeu Myſterio, à quo ſuum nomen quælibet Eccleſia ſortitur: id jam

 defini-

Seu myſterio à quo Eccleſiis denominatur.

definivimus *ſtatim initio capitis 4. quæſt. 1.* eoque in ſenſu Titulum cum Patrono confundi pronunciavimus: neque alia hic probatione opus eſt, quàm ipſamet Tituli acceptione, quæ prima omnium poſita eſt.

Strictè ſumptus de Titulo tantùm ſeu Patrono majorum Eccleſiarũ.

Secunda, Titulus ſtrictè ſumptus, juxta poſteriorem obſervationem, de eo dumtaxat ſeu Sancto, ſeu Myſterio dicitur, à quo nomen Cathedralibus Eccleſiis, aliiſque nobilioribus, ac juriſdictionem quaſi Epiſcopalem obtinentibus imponitur; quæ Eccleſiæ ideo etiam Titulares præ aliis appellantur, *Rub. 10. n. 1.* (*Niſi Titularis Eccleſia privilegio aliter fieri oporteat*) quæ verba ſuo loco explanabuntur.

Titulus ut differt à Patrono, dicitur de myſterio, ſeu quacunque re à qua denominatur Eccleſia.

Tertia, Titulus ſi non ſtrictè adeo, attamen propriiſſimè ſumptus, quantum ad Rubricarum intelligentiam attinet, dicitur de Myſterio, ſeu re quacunque ſacra, à qua ſuam Eccleſia aliqua nuncupationem habet, appellaturque, v. g. Eccleſia SS. Trinitatis, S. Crucis, S. Sepulcri, &c. Et in hoc maximè differt Titulus à Patrono, quòd hic cum illo confundi queat, dicique Titulus idem qui eſt Patronus; at ille non item, de Titulo enim inferri non poteſt eundem eſſe Patronum, cùm is, ut ſic, non ſit perſona, ſed magis res ad perſonam pertinens, uti pluribus declaratum eſt *qu. 2. cap. 4.*

Gavantus.

Idem ſentit nobiſcum Gavantus, *Comm. in Rubr. Breviarii ſect. 3. cap. 12. n. 1.* nec niſi in eo diſcrepat quòd Titulum ad Eccleſiam materialem reſtringit, Patronum verò non Eccleſiæ unius particularis, ſed loci ſeu civitatis communiter eſſe aſſerat, quam nos diſtinguendi rationem abundè refutavimus. Supereſt jam ut quæ ſint variæ ac multiplices Titulorum rationes, deinceps expendamus.

QUÆSTIO II.

Quibus ex capitibus petatur varia ac multiplex Titulorum ratio?

Quatuor perſonarum genera, ex quibus varii peti poſſunt Tituli.

RESp. Cùm, ut dictum eſt, Titulus de Myſterio, ſeu de re quavis ſacra ad Perſonam aliquam pertinente propriè dicatur; quot perſonarum genera ſunt, quarum myſteria, vel res ſacras cultu religioſo proſequi licet, tot erunt certa capita, ex quibus varia Titulorum ratio peti queat. Sunt autem Perſonarum ejuſmodi genera quatuor, videlicet Deus ipſe ſubſiſtens in tribus Perſonis, Chriſtus Deus idem & homo ſubſiſtens perſona Verbi, Beatiſſima Virgo Deipara, Beati omnes tam Angeli quàm homines, de quibus ſingulis ſeorſim eſt inveſtigandum.

Cæterùm quæ de Patronis ſuprà dicta ſunt, & quæ infrà dicentur de Titulis, quænam videlicet requirantur in Sanctis, ut in Patronos aſſumantur, & quæ itidem in Myſteriis, ut Titulo eſſe poſſint; eadem pari jure dicta velim pro ſequentibus quæſtionibus, in quibus tractabitur de variis eorumdem Sanctorum aut Myſteriorum feſtis aliquando celebrari ſolitis.

QUÆSTIO III.

Utrùm Deus ut in ſe eſt abſolutè ſumptus, convenienter aſſumi poſſit in Titulum Eccleſiæ?

Nomen Deus unde deductum.

RESpond. Cùm Titulus imponatur Eccleſiæ ad eam indicandam ſeu diſcernendam ab alia, Deus abſolutè ſumptus ad ejuſmodi indicationem ſeu diſcrimen faciendum minimè idoneus videtur, eò vel maximè, quòd nomen iſtud Deus, ex D. Th. 1. *p. q.* 13. *art.* 8. licèt ab operatione aliqua

D. Thomas.

ipſiuſmet Dei ſumptum ſit; purà, quòd omnibus proſpiciat ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, vel quòd per omnia creata veluti diſcurrens, ſingula foveat & conſervet, ἀπὸ τοῦ θέειν; tamen communi uſu impoſitum eſt, ad ſignificandam non actionem aliquam Dei, ſed ipſiuſmet ſubſtantiam ac naturam. Deo verò ſic abſolutè ſecundùm ſubſtantiam & naturam conſiderato, omnes omnino Eccleſiæ dedicantur, imò verò nullæ alii quàm ipſi: cùm enim Templorum exſtructio ad cultum latriæ pertineat, cultus autem ejuſmodi nonniſi Deo ſoli tribuatur, nulla eſt prorſus Eccleſia, quæ Deo quoque non ſit conſecrata: *Nec enim*, inquit Aug. lib. 8. de Civit. c. ult. *Martyribus templa, ſacerdotia, ſacra, & ſacrificia conſtituimus, quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus.* Quòd verò Eccleſiæ,

Omnes omnino Eccleſiæ Deo dicatæ.

Martyrum præterea aliorumque Sanctorum nomine dedicentur, id eo ſenſu fieri intelligendum eſt, ut non Sanctis ipſis primariò, ſed Deo in memoriam ipſorum, hoc eſt, in gratiarum actionem pro collata ipſis à Deo gloria, & ut ibi Deus oretur per eorum interceſſionem, conſecrentur.

Sanctis ut dicatæ ſunt Eccleſiæ.

Quæ ratio cùm Eccleſiis omnibus æquè conveniat, manifeſtè ſequitur, Deum abſolutè ſumptum, idoneum haud eſſe Titulum, qui Eccleſiæ alicui ſpecialiter imponatur. Et verò nullæ, quas legerim, ſub ejuſmodi Titulo dedicatæ reperiuntur Eccleſiæ. Quòd enim Abbatiæ aliquæ, *Dei Locus*, vel *Locus Dei*, nuncupatæ in Diœceſibus Senonenſi, Ambianenſi, Pictavienſi, & aliis recenſeantur; non illicò arguas, Eccleſias illas hucce Dei Titulo inſigniri.

Nullæ Eccleſiæ Dei abſolutè ſumpti titulo dicatæ reperiuntur.

QUÆSTIO IV.

An legitimus ſit Sanctiſſimæ Trinitatis Titulus?

Titulus Trinitatis omnium glorioſiſſimus.

RESp. Non tantùm legitimus, ſed eſt Titulorum omnium glorioſiſſimus, atque eminentiſſimus. Nam licèt in bona Theologia vera ſit hæc propoſitio, Trinitas eſt Deus, nihilque aliud ſit reipſa Trinitas quàm ipſemet unus Deus; eſt tamen diverſus conceptus Trinitatis perſonarum & unitatis ſubſtantiæ, ſeu naturæ divinæ, adeo ut myſterium ipſum Trinitatis meritò à Theologis dicatur eſſe ſupra naturam, unitas verò non item, eo videlicet ſenſu quòd hæc ratiocinatione ex rebus ipſis creatis cognoſci queat, illud verò non ſolùm plenè cognoſcere, ſed neque odorari niſi revelatione Dei ulla creatura poteſt. Eſto ergo, Deus abſolutè ſecundùm ſubſtantiam & naturam conſideratus, non poſſit convenienter fundare Titulum ſpecialem Eccleſiæ alicujus, quòd ut ſic Titulus ſit, ut ita dicam, omnium omnino Eccleſiarum, à quo nulla poſſit fieri naturæ ac ſubſtantiæ abſtractio; at alio modo ſe habet Trinitas perſonarum, quippe quæ abſtrahi poteſt ab abſoluto & eſſentiali nomine *Deus*, quod naturam ſubſtantiamque ſignificat; ac proinde nihil vetat, quin ſpecialem poſſit ac proprium Eccleſiis aliquibus Titulum per ſe conſtituere. Cujuſmodi recenſentur in Gallia, Vindocini inſignis Abbatia Ord. S. Benedicti, ejuſdem item Ordinis nobiles Abbatiæ duæ fœminarum Cadomi altera, altera Pictavii, & aliæ non paucæ, nec parvi nominis, nequicquam obtrectante impio Calvino, cui ipſa Sanctæ Trinitatis unius Dei invocatio, initio Litaniarum præmitti ſolita, minimè placet. Verùm placeat nequiſſimo Apoſtatæ, necne, non multum intereſt.

Diverſus conceptus Trinitatis perſonarum & unitatis naturæ.

Eccleſiæ ſub Titulo SS. Trinitatis.

QUÆSTIO V.

An Perſonæ divinæ aliæ ſeorſim ab aliis convenienter Eccleſiæ Titulo eſſe poſſint?

Poteſt invocari adeo que coli una Perſona ſine altera.

RESp. nihil implicare. Etſi enim perſonæ illæ ita ſe habeant, ut altera ſine altera reipſa eſſe non poſſit, imò per circumince ſſionem una ſit penitus in alia; adeo ut Beati ipſi videntes Deum, ſicut nec eſſentiam ſine perſonis, nec

vicissim

viciſſim perſonas ſine eſſentia, ita nec alteram illarum ſine altera, ne de abſoluta quidem potentia ex communiori Theologorum ſententia videre poſſint; attamen cùm & perſonæ illæ realiter à ſe invicem ſint diſtinctæ, & unam ſeorſim ſine altera, non tantùm conceptu apprehendere, ſed & voce invocare ex uſu Eccleſiæ liberum nobis ſit; quidni & liberum erit, imò etiam congruum Templa ſub Titulo unius ſeorſim ab aliis dedicare?

Patri æterno Templum dicatum Jeroſolymis. *Cyrillus Jeroſol.*

Neque verò novum id erit, ſi fiat. Patri ſiquidem æterno Templum Jeroſolymis fuiſſe ædificatum, & quidem aliud à priſco illo Salomonis, author eſt Cyrillus & ipſe Jeroſolymitanus Antiſtes in ſua Catech. 7. ubi de Patre ſeorſim à Filio & Spiritu Sancto tractans hæc habet: *Adoremus igitur Patrem Chriſti, factorem cœli & terræ: Deus Abraham, Iſaac & Iacob, in cujus honorem prius ex oppoſito nobis hic templum ædificatum eſt.* Cui teſtimonio inſiſtens A Ponte *tom. 2. in Sap. Salom. homil. 65.* totus eſt in perſuadeodo ejuſmodi ritu, fortè etiam nimius in carpendo illius deſuetudinem.

Templum S. Sophiæ Conſtantinopoli.

Paris honoris Verbo ſeu Filio delati argumentum eſt, auguſtiſſimum, ac toto orbe nominatiſſimum S. Sophiæ Templum Conſtantinopoli à Juſtiniano Imperatore erectum, ſeu potiùs inſtauratum, non ſub nomine ſanctæ alicujus fœminæ, cui Sophiæ nomen fuerit, prout ab ignaris quibuſdam putatum eſt; ſed in honorem ipſiuſmet ſummæ Dei Sapientiæ, quæ & eadem eſt Verbum incarnatum, & Filius Patri coæternus. Cujus quidem Templi excellentiam, mirum quantum ſcriptores Græci laudibus extulerint; non tamen, quantum fas eſt judicare, ſupra rei veritatem ac dignitatem. Huic etiam annumerarem cæteras omnes Eccleſias

Eccleſiæ Titulo Salvatoris dicatæ.

paſſim Salvatoris Titulo dedicatas, quarum idcirco aliquæ præcipuum ſuum feſtum, non Transfigurationis diem, ut moris eſt, ſed ipſam Dominicam SS. Trinitatis colunt & obſervant; niſi commodiùs infrà ubi de Chriſto quæretur, recenſendæ eſſent. Et verò cùm cultus & honor ad perſonam terminetur, & in Chriſto Deo pariter ac homine unica ſit perſona, eaque divina, veriſimilius eſt & Conſtantinopolitanam S. Sophiæ, & reliquas omnes S. Salvatoris, eidem ſub utraque natura indiviſim adſcribi.

Eccleſiæ Titulo S. Spiritus dicatæ.

Spiritus quoque Sancti nomine non deſunt Eccleſiæ aliquæ, ſive ſub ipſo S. Spiritus, ſive ſub Paracliti Titulo dedicatæ. Ut enim quod de feſto Pentecoſtes arguit S. Bernardus, ad Templi cultum pari jure transferamus, ſi Sanctis templa erigimus, quantò magis ei, à quo habuerunt ut Sancti eſſent, quotquot fuere Sancti? *Si veneramur ſanctificatos, quanto magis ipſum ſanctificatorem convenit honorari?* Nam & Parací iti titulo inſcribitur in Diœceſi Trecenſi, Cœnobium unum Virginum; aliud item in Ambianenſi. Omnibus autem quæ recenſeri poſſent

S. Bernardus.

Eccleſia in Sion, ubi Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos deſcendit. *Hieronymus. Beda. Baronius.*

præſtat inſignis illa quondam Eccleſia, quam in loco ipſo Cœnaculi, ubi Spiritus Sanctus igneis linguis ſuper Apoſtolos deſcendit, extructam fuiſſe memorat Hieronymus Epiſtola 27. & poſt illum Beda in locis ſanctis, quamque Alexander author Actorum S. Barnabæ apud Baronium, magnam & ſanctiſſimam Sion, Eccleſiarumque omnium *Maximam* appellat; nec immeritò, ex illa enim reliquæ omnes quotquot per orbem univerſum Apoſtolorum prædicatione fundatæ ſunt Eccleſiæ, ortum ac originem duxiſſe noſcuntur.

QUÆSTIO VI.

An Attributa ſeu Perfectiones divinæ idoneæ ſint ad conſtituendum Eccleſiæ Titulum?

Diſtinctio divinorum attributorũ.

RESpondeo, Eam eſſe intellectus noſtri, quamdiu viatores ſumus, infirmitatem magis quàm virtutem, ut quæ in Deo ſunt inſtar puncti omnino indiviſi, ſeu meliùs quæ nihil ſunt aliud quàm Deus ipſe in ſua eſſentia ſimpliciſſimus, (*nullum enim in eo aliud præter id quod eſt*, ait rectè Boetius in libello de Trinit.) ea nos in partes, apprehenſione noſtra veluti dividamus. *Non eſt aliud ſapientia ejus*, inquit Aug. lib. 15. de Trinit. c. 6. *aliud eſſentia, cui hoc eſt eſſe, quod ſapientem eſſe.* Item lib. 5. cap. 8. *Non eſt aliud eſſe, & aliud magnum eſſe: ſed hoc idem eſt illi eſſe, quod magnum eſſe.* Et tamen nos Sapientiam ejus ab ejuſdem Magnitudine, Magnitudinem à Potentia, Potentiam à Miſericordia, cætera denique itidem illius attributa, alia ab aliis, & omnia ab ejuſdem eſſentia abſtrahimus, partimur, diſſecamus: Verè attributa, quæ ipſi à nobis more noſtro per partes tribuuntur, cùm ipſe unus ea omnia non habeat propriè, ſed ſit ipſe in ſeſe omnia, vel ipſa omnia potiùs unum ſint in ipſo, imò nihil aliud ſint, quàm ipſemet Deus unus ſimpliciſſimus, juxta ac perfectiſſimus; & ideo perfectiſſimus quia ſimpliciſſimus. Quidni ergo ut mente divinas illas perfectiones ſeorſim alias ab aliis apprehendimus, pari quoque jure ſeorſim colamus? Eſto, id non poſſint Beati propter clariſſimam ac perfectiſſimam, quæ ipſis conceditur, totius eſſentiæ divinæ manifeſtationem; at poſſumus nos. Poſſumus equidem, quæ eſt intellectus noſtri in ſtatu iſto tenuitas ac finitudo. Verùm an idcirco Templa ſub hiſce Titulis erigi congruum ſit, non auſim affirmare, ob hanc maximè cauſam, quòd id uſu haudquaquam receptum eſſe videam. Licèt enim Hoſpitalia quædam reperire ſit, quæ Miſericordiæ nomine vulgò nuncupentur; eo tamen nomine, non miſericordiam illam quæ Deo tribuitur, ſed eam quæ à nobis ipſis erga miſeros præſtanda eſt, meliùs commendari, hac ratione ducor ut credam, quòd nullum hujuſce Tituli feſtum proprium ullibi recolatur.

Boetius.

Auguſtinus.

Titulo attributorum Templa minime erigi ſolita.

QUÆSTIO VII.

An Chriſti Domini Titulo convenienter Eccleſiæ dedicentur?

Chriſto Domino convenienter dicatæ Eccleſiæ.

ET verò convenientiſſimè. Si enim Sanctis cultus ejuſmodi tribuitur, quantò magis ipſi Sancto Sanctorum, de cujus plenitudine alii omnes acceperunt ut Sancti eſſent? Hinc illud Paulini, epiſt. 11. *Baſilicam in nomine Chriſti Sanctorum Sancti, & Martyrum Martyris, & Dominorum Domini, conſecrabunt.* Imò verò cùm aliorum omnium ſanctitas ipſis adventitia ſit, & aliunde communicata; Chriſti verò propria, naturalis ac veluti domeſtica, utpote ex ipſiuſmet Divinitatis unctione procedens, qua videlicet, non ſimplici operatione Dei unctus eſt, ut cæteri Sanctorum, *ſed totius ungentis præſentia*, ait Greg. Naz. or. 36. *cujus hic effectus eſt, ut quod ungit homo nuncupetur, & quod ungitur Deus fiat:* hinc eſt quòd non communis cum cæteris Sanctis cultus, ſed ſupremi omnium, ſoliuſque Dei proprii, latriæ videlicet, ſpecimen ac nota ſint Eccleſiæ ſub ejus Titulo dedicatæ, quocunque tandem nomine Titulus ille exprimatur, putà S. Sophiæ, aut S. Salvatoris, de quibus ſuprà, aliiſve infrà memorandis.

Paulinus.

Greg. Naz.

QUÆSTIO VIII.

An Humanitas ſeorſim à Divinitate, Unio ipſa hypoſtatica, Ratio ſubſiſtendi, Communicatio idiomatum, Scientia, Gratia, aliaque hujus generis perfectiones, unionem ipſam comitantes aut conſequentes, ſive una ſive plures, aut etiam omnes collectivè, in Titulum Eccleſiæ convenienter aſſumi queant?

RESpondeo, quocunque demum cultus genere, & Humanitas per ſe, & cætera illa omnia adoranda ſint, (quod Theologis examinandum relinquo) quantum ad propoſitam quæſtionem attinet, heteroclitum fore, periculoſum, otioſum denique ac ſupervacaneum, ſi quis id ſuſciperet.

Talis uſus non fuit hactenus in Eccleſia.

Heteroclitum ſanè, quod hujuſce uſus ne veſtigium quidem ullum hactenus, nec in Orientali, nec in Occidentali Eccleſia deprehendatur; aliunde verò nefas ſit exiſtimare priſcos illos Eccleſiæ proceres, cultus ac obſervantiæ in Chriſtum Dominum adeo ſtudioſos, quidquam hac in parte, quod utique liceret, aut conveniret, omiſiſſe.

Non ſunt voces illæ Theologicæ apud populum diſſeminandæ.

Periculoſum inſuper: Eſto enim, diſcutiantur illa in ſcholis accuratiùs, tum ad confutandas hæreſes, tum ad ſtabilienda fidei dogmata; ea in ſuis privatis meditationibus attentiùs inveſtigent, ſcrutentur penitiùs, medullam cedri auferant grandiores illæ aquilæ, nidum ſuum in ſublimibus ponentes (quamquam ut in cæteris, vel in his maximè, proficuum eſt ac ſalutare illud Apoſtoli monitum Rom. 11. *Noli altum ſapere, ſed time*;) At myſteria illa abſtruſiſſima peregrinis, & pluſquam ænigmaticis vocibus propalare, Templique fabricæ, quo nihil vulgarius eſt, veluti propylæo affigere; annon eſt rudi populo offendiculum, ac laqueos in errorem ſtruere? Annon parare latibula, tectoſque aptare cuniculos, in quos ſe vulpium inſtar recipiant cavillantes hæretici? Abſtinuere olim plerique SS. Patrum à legitimis alioqui vocibus, Scripturæque authoritate comprobatis, *ſimilitudinis*, *habitudinis*, *inhabitationis*, & ſimilibus; aut certè nonniſi parcè adhibitaque multiplici cautione, ferè illis uſi ſunt, eò vel maximè, quòd iiſdem aſtuti Ariani, Neſtoriani, Samoſateni, aliique à fide Catholica extorres abuterentur, ſuique erroris venenum hac arte diſſimulatum, eximiaque locutionis ſpecie obtectum ac veluti dilutum incautis fraudulenter propinarent. Et ne à propoſito noſtro diſcedamus, proteſtatur Cyrillus homil. 16. Paſch. *modum incarnationis ſive unitionis Verbi cum terrena carne curioſe indagare detrimenti expers non eſſe*. Et erit quod reprehendimus?

Cyrillus Alex.

Superfluus plane ille ſi inducatur.

Denique otioſum illud eſſe ac ſupervacaneum inde arguitur, quòd cùm abſtracta illa omnia eatenus cultu ac veneratione digna cenſeantur, quatenus ſuppoſito divino inſunt, quod Chriſtus eſt; certè ſi Chriſti ipſius præcipua quæque myſteria, in quibus videlicet eæ perfectiones ſeu excellentiæ magis elucent, digeſtis per annum feſtivitatibus, erectiſque etiam (ſi lubet) ſub ſingulorum titulo Eccleſiis, recolantur; annon illud non tantùm ſufficere, ſed etiam præſtabilius eſſe videtur, quàm ſi intricatis illis, ac vix extra ſcholas uſitatis verborum ambagibus, ſimpliciorum mentem offendas, ac torqueas magis, quàm ad piam promptamque myſteriorum hujuſmodi venerationem inducas? Adde quòd cùm ipſum Epiphaniæ feſtum nihil aliud ſit, quàm ipſius Chriſti Domini & omnium ejus perfectionum facta nobis, quantum par eſt, ab ipſomet manifeſtatio; quid alio Titulo aliave inſuper opus eſt celebritate, ad hoc ut eæ ſic in abſtracto recolantur?

QUÆSTIO XI.

An Titulo Myſteriorum Chriſti Domini Eccleſiæ opportunè dedicentur?

Templa ſingulorum Chriſti Myſteriorum Titulo dicata.

Reſpondeo, Opportuniſſimè. Sunt autem myſteria hæcce præcipua, Incarnatio, Nativitas, Circumciſio, Epiphania, ſeu Apparitio, Præſentatio, Baptiſmus, Transfiguratio, Cœna, Paſſio, Reſurrectio & Aſcenſio, in quorum ferè omnium memoriam extitiſſe aliàs Jeroſolymis ac vicinis circumquaque locis, in quibus ſingula quæque completa fuerunt, inſignes Eccleſias, pleraſque Helenæ Auguſtæ Conſtantini Imperatoris Parentis piiſſimæ ſtudio ac munificentia exſtructas, authores ſunt, qui de locis ſanctis ſcripſere, Beda, Adricomius, & alii poſt Hieronymum qui illic ætatem plurimam tranſegit.

Incarnationis quidem ipſa Nazarethana domus, de qua ſic ſcribit Nicephorus lib. 3. cap. 30. *Inde* (*Helena*) *Orientem verſus deſcendens Nazareth pervenit, & ſalutationis Angelicæ domo reperta, Dei genitrici peramœnum excitavit templum*. Hæc eadem domus eſt, quæ poſtmodum Angelorum miniſterio ab infidelium manibus vindicata, in Dalmatiam primùm, inde in Italiam in agrum Lauretanum tranſportata, affluentibus illic omnigenis peregrinis, toti orbi Catholico, uti par eſt, in ſumma veneratione exiſtit.

Nativitatis, in ſuburbio Bethleemitico, ubi ſuper ſpelunca illa, quæ Virginei partus hoſpitio, auratis Regum laquearibus longè clarior evaſit, everſo quod ſuperſtruxerat Adrianus Imperator profano Adonidis templo, grandis & eximia erecta eſt Baſilica, de qua Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini c. 42. *Imperatrix ſanctiſſima* (Helena) *Deiparæ partum eximiis monimentis exornare, & ſacrum illud antrum variis cujuſque generis inſignibus illuſtrare ſtuduit. Imperator autem* (Conſtantinus) *paulo poſt eumdem locum ornamentis regalibus honorare, & monimentis ex auro & argento, variiſque aulæis matris ſuæ magnificentiam adaugere cœpit*.

Baptiſmi ad ripam Jordani: Transfigurationis in monte Thabor, ubi Beda de locis ſanctis c. 17. refert tres Eccleſias, Chriſti videlicet, Moyſis, & Eliæ Titulo fuiſſe conſtructas.

Cœnæ, in monte Sion, ubi fuit Cœnaculum, in quo item Chriſtus die ipſa Reſurrectionis januis clauſis diſcipulis apparuit, & Spiritus Sanctus die Pentecoſtes ſuper eoſdem advenit.

Paſſionis ſive Crucifixionis ſimul & Reſurrectionis, in monte Calvariæ, amotis inde impuriſſimis Veneris ac Jovis ſimulacris, exſtructoque celebri illo Martyrio, prout appellat Cyrillus Catech. 14. hoc eſt Eccleſia Reſurrectionis dicta; quam idem auro ac argento undique conveſtitam, argenteiſque monimentis ſplendidam mirificè laudat; imò & fuiſſe omnium totius orbis, amplitudine atque pulcritudine præſtantiſſimam, aſſerit Adricomius.

Aſcenſionis denique in monte Oliveti, ubi geminum illud contigit miraculum, quod refert oculatus ipſe teſtis Hieronymus, de veſtigiorum videlicet impreſſione in petra, vacuoque deſuper Templi illic erecti cacumine; adeò verum illud eſt, quod ait idem Cyrillus locorum illorum Præſul catech. 16. *Omnium apud nos ſunt inſignia, hic Chriſtus de cœlo deſcendit, illic Spiritus Sanctus &c.* Cyrillus Jeroſol.

Eccleſiæ ſub Titulo Bethlehem erectæ.

Nec verò iis tantùm locis erecta ſunt prædictorum Myſteriorum monimenta, ſed & alibi quoque, prout ſe pius fidelium affectus erga eadem myſteria ac particularis intentio prodidit. Sic primi Senonenſis Eccleſiæ Præſules Savinianus ac Potentianus, cùm die ipſo Natalis Chriſti, in Vaſtinienſi agro illius territorii, qui nunc Ferrariæ dicitur, nobilique Abbatia inſignis eſt, conſtitiſſent, ac hujuſce ſacratiſſimi myſterii viſione mirifica recreati eſſent, ædiculam eo in loco, in honorem nati Salvatoris ac ejus Beatiſſimæ Genitricis exſtruxerunt, quæ etiamnum ſub eodem Titulo, laxioribus tamen ſpatiis aucta perſeverat. Sunt & aliæ alibi in Gallia hujuſce nominis Bethlehem ſacræ ædes, ad recolendam ſuaviſſimi omnium myſterii memoriam inſtitutæ, ut quæ in oppido Clamecenſi yo Diœceſis Antiſſiodorenſis, etiam Epiſcopali dignitate decorata jactatur.

Poſſunt dicari Eccleſiæ ſub Titulo Sanctiſſimi Sacramenti.

Religioni ducerem nullam auguſtiſſimi juxta ac ſuaviſſimi Euchariſtiæ myſterii mentionem feciſſe hactenus, niſi locum illi ſeorſim ab aliis reſervare ſuaſiſſet diſpar illius à cæteris ratio, quòd ejus videlicet inſtitutio in Cœnaculo Jeroſolymitano facta quidem fuerit primitus, (in quo ſanè cum aliis convenit) uſus verò, reique ipſius, tota quanta in ſe eſt, iterata executio, non autem ſimplex ut cæterorum memoria, ſeu repræſentatio, quibuſvis terrarum locis, jugi quotidie ſacrificio, inſtau-

inſtauratur. Et licèt eo maximè fine omnia omnino ſacra Templa, imò & Altaria omnia erecta ac conſtituta ſint, ut in iis videlicet majori cum decentia ac religione ſacroſanctum illud Myſterium peragatur; haud tamen erit otioſum nec ſupervacaneum, ſi ad adſtruendam tuendamque tanti Sacramenti venerationem, adverſus ſacrilegam præſertim impiorum Novatorum væſaniam ac protervium, eo Titulo ſpeciatim exſtruantur Eccleſiæ, qualem Cracoviæ ædificaviſſe Caſimirum Poloniæ Regem, ex occaſione inſignis cujuſdam miraculi, quod ibidem contigit, refert Spondanus anno 1347.

QUÆSTIO X.

An miracula, cæteraque Chriſti Domini actiones particulares, aut varii ipſius vitæ ſtatus, putà Infantiæ, Converſationis &c. convenienter poſſint Eccleſiæ Titulum conſtituere.

Non ſolent erigi Eccleſiæ ſub Titulo miraculorum Chriſti Domini actionumve, aut ſtatuum vitæ ejus particularium.

RESP. iis ferè omnibus locis, in quibus Chriſtus Dominus eximium aliquod facinus edidit, fuiſſe quidem olim erecta pietatis monimenta, ut videre eſt apud Adricomium in ſua locorum ſanctorum deſcriptione; qui & aſſerit in ſola urbe Hieroſolyma, ac vicinis circumquaque locis, triginta ab Helena Imperatrice exſtructas ejuſmodi fuiſſe Eccleſias. Id tamen alibi in praxim deducere, nec laudandum judico, quia extra Eccleſiæ uſum eſt ac conſuetudinem; nec à ſuperfluitate, ſi fieret, excuſandum, cùm ipſa miracula, cæteraque quæ de Chriſto in Evangeliis referuntur, (quantum ad feſtivitatis rationem attinet) eminenter in præcipuis ipſius myſteriis contenta recenſeantur, ipſaque ſaltem annua Evangeliorum partitione ſufficienter recolantur. Unde etiam ſolvitur quod poſſet quis objicere, de Lazari Magdalenæque ſacris ædibus, quæ multis in locis ipſis Quadrageſimæ feriis, in quibus Evangelia, quæ de iis ſunt, leguntur, frequenti populi concurſu adiri mos eſt; nec enim talis miraculi Titulo præcisè, ſed ipſorum Sanctorum Lazari & Magdalenæ nomine dedicatæ ſunt ædes illæ, ad quas proinde fit concurſus, inſtar ſtationum; non autem quòd prædictorum feſtivitas iis diebus celebretur.

QUÆSTIO XI.

An ſub nomine Jeſu, aut Titulis Salvatoris, Paſtoris, Sacerdotis, Judicis, aliiſve ad Chriſtum Dominum ſpectantibus, convenienter dedicentur Baſilicæ?

Eccleſia ſub Tituli Jeſu ſeu Salvatoris.

RESP. Quantum ad nomen Jeſu, Titulumque Salvatoris, omnino convenientiſſimè, multaſque adeo Eccleſias reperiri ſic nuncupatas. At nomen illud, Titulusve ejuſmodi cùm perſonam ipſam referat, nihil proinde addendum puto, ad ea quæ priùs de ipſo Chriſto dicta ſunt quæſt. 7. De Titulis verò Paſtoris, Judicis, Sacerdotis, & aliis perinde ſtatuendum ac de miraculis, id nimirum nec eſſe in uſu, nec ſi erit, abeſſe à ſupervacaneo, ut cuivis facile eſt arguere ex dictis proxima quæſtione.

QUÆSTIO XII.

An Crucis Titulo ritè fundentur Eccleſiæ? An Præſepis itidem, Faſciarum, Coronæ ſpineæ, Columnæ, Lanceæ, Clavorum, Sepulcri, Sudarii, & aliarum Chriſti Domini Reliquiarum? An denique ſacratiſſimi ejuſdem Præputii, ſanguiniſvè in terris relicti aut ex imagine aliqua ſacrave hoſtia miraculosè effuſi?

Poſſunt ſub Titulis illis omnibus erigi ac dicari Eccleſiæ.

RESPONDEO, Cùm rebus hiſce omnibus, juxta orthodoxam Theologorum ſententiam, adoratio eadem, quæ ipſi Chriſto Domino, ſeu ut loquuntur, coadoratio debeatur; idque non tantùm ratione repræſentationis, quod commune eſt tum Crucibus effigiatis, tum cæteris etiam imaginibus; ſed prætereà ratione ſacri contactus; quòd Crucis veræ, prædictorumque omnium (ſi ſanguinem miraculoſum excipias) maximè proprium eſt; conſequens profectò eſt, ut & Templa ſub eorum quoque omnium ac ſingulorum Titulo ritè ac religiosè dedicentur. Id enim adorationis ſeu cultus ejuſmodi pars eſt, cui omnino ſatisfieri æquè convenit, ac reliquis aliis, quibus ſuaviſſimi ipſius amantiſſimi Salvatoris noſtri memoria à nobis conſuevit honorari.

Guyet. Heortologia.

Crucis Titulo plurimæ dicatæ ſunt Eccleſiæ.

Cruci itaque inprimis, quæ potiſſimum fuit Chriſto Domino Redemptionis noſtræ inſtrumentum, mos ubique receptiſſimus eſt dedicandi Eccleſias jam inde à primis temporibus; adeo ut nulla ferè civitas ſit, in qua non unum aliquod Templum ad ſalutiferi hujus ligni honorem erectum reperiatur. Ex quo præſertim celebris illius inventio, Helenæ Imperatricis pientiſſimæ fœminæ urgenti cura ac ſollicitudine, non ſine magna prodigiorum vi facta eſt; poſtquam tribus integris ferè ſæculis, pretioſiſſimus ille Theſaurus in terrani defoſſus latuiſſet, *Divina utique manu*, inquit Paulinus Nolæ Antiſtes Epiſtola 11. ad Severum Sulpitium, *ut tunc inveniretur, cum religiosè coleretur*. Nam præter ſuprà memoratum templum illud magnificentiſſimum, quod ipſamet Helena Jeroſolymis ædificavit; Romæ quoque, tranſmiſſa illuc ad Conſtantinum filium ſanctiſſimi illius ligni parte non modica, nomen ex ea factum eſt celeberrimæ Baſilicæ ad atrium Seſſorianum ab eodem Conſtantino erectæ, indeque dictæ S. Crucis in Jeruſalem, quæ una eſt ex ſeptem primariis Urbis Eccleſiis.

Paulinus.

Eccleſia Aurelianenſis ſub Titulo S. Crucis dicata.

Inde quoque Tituli ſui originem traxiſſe Aurelianenſem Eccleſiam, certò ſatis conjicere licet, quam utique Conſtantini ipſius opera exſtructam, & ab S. Evurtio ſub auguſtiſſimæ Crucis Titulo inauguratam, imò & viſo deſuper exporrectæ manus prodigio cœlitus benedictam fuiſſe, communis fert illius Eccleſiæ traditio. Cui concordat Euſebii teſtimonium aſſerentis *lib. 3. de vita Conſtantini cap. 40. & orat. in laudem ejuſdem*, multa non tantùm in diverſis Judææ ſanctioribus locis, ſed etiam in præcipuis aliarum provinciarum civitatibus ſacra templa ab hocce primo omnium Imperatore Chriſtiano fuiſſe erecta; in iiſque adeo Baſilicam Aurelianenſem comprehendi, non eſt quòd quis refragetur. Hæcque eadem Baſilica eſt, quam annis abhinc nondum ferè centum à Neotericis fidei Catholicæ perduellibus everſam, ſed Deo benè favente, media jam ex parte denuò inſtauratam, inter præcipua Galliæ noſtræ decora jure recenſendam judicabit, quiſquis viderit.

Euſebius Cæſarienſis.

Alia Eccleſia S. Crucis celebris Pictavii.

Illuſtris quoque eſt Pictavii ſub Titulo S. Crucis Abbatia Sanctimonialium à S. Radegunde Clotarii Regis quondam conjuge exædificata, in qua & ipſa monaſticam vitam profeſſa eſt, & partem Crucis Dominicæ, quam miſſis eo conſilio in Orientem legatis, ab Imper. Juſtino juniore obtinuerat, ſtudioſiſſimè repoſuit, hujuſque rei occaſione Venantius Fortunatus & ipſe Pictavienſis Epiſcopus, ſacros illos hymnos conſcripſit, quos ab univerſa Occidentali Eccleſia in honorem S. Crucis cani receptum eſt, incipiuntque *Vexilla Regis prodeunt*, & *Pange lingua glorioſi Prælium certaminis*: quanquam prior ille ab aliis Theodulpho Aurelianenſi Epiſcopo tribuitur.

Venantius Fortunatus auctor hymnorum S. Crucis.

Omitto referre cæteras non paucas in Gallia Eccleſias Titulo Crucis, necnon etiam ſacris ejus Reliquiis ſat amplis decoratas, hoc unum Paulini ſuprà citati teſtimonium adducere contentus, quo juge illud miraculum de multiplicatione ligni S. Crucis egregiè confirmatur; ut mirum non ſit, jactare ſe tam multas Eccleſias veræ Crucis portiones apud ſe haberi. Is ergo miſſa ad Severum Sulpicium particula de ligno divinæ Crucis, inter cætera, quæ de vi ac præſtantia ſacris illius

Paulinus.

ligni copioſè congerit encomia, hæc habet: *Quæ quidem Crux in materia inſenſata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris penè quotidie hominum votis lignum ſuum commodat, ut detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, quotidie dividuam ſumentibus, & ſemper totam venerantibus; ſed iſtam imputribilem virtutem, & indetribilem ſoliditatem de illius profectò carnis ſanguine bibit, quæ paſſa mortem non vidit corruptionem.* Et de Cruce quidem hactenus.

Coronæ Spineæ Titulo aliquam dicata Eccleſia.

Quod ſpectat ad reſidua Paſſionis inſignia, celebris eſt admodum Sancta Capella Pariſienſis in Palatio Regio à S. Ludovico exſtructa, ad honorem ſacræ Coronæ Spineæ, aliarumque Dominicæ Paſſionis exuviarum, quas ibidem Balduini ultimi Conſtantinopolitani hæredis opera, multo pretio redemptas ac ſuſceptas Rex piiſſimus ſtudioſè collocavit.

Columnæ, Flagellorum, Lanceæ, Spongiæ, Clavorum & Syndonum maximam quidem iis in locis, in quibus aſſervantur, haberi venerationem legi ſæpiùs, nec eſt id infrequens aut inſolitum; at Eccleſias aliquo horum Titulorum ſpeciatim inſcriptas, nullas hactenus obſervavi; licèt minimè dubium ſit, id ſi contingat, perinde legitimum eſſe, ac quod de Cruce & Corona dictum eſt; quodque de pulvere Sepulcri Dominici refert August. *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 8. in cujus venerationem, ex occaſione miraculi, oratorium exſtructum eſt, probante, imò & agente ipſomet Auguſtino, qui miraculi teſtis fuerat. Reperiuntur & in Gallia nonnullæ Eccleſiæ ſub eodem Titulo S. Sepulcri, Cadomi videlicet in Diœceſi Bajocenſi

Item S. Sepulcri.

Collegium Canonicorum; in Diœceſi Biturtenſi item aliud; Trecis quoque Prioratus Ordinis Cluniac. à S. Aderaldo in monimentum ſuæ Jeroſolymam ad S. Sepulcrum peregrinationis fundatus, ubi & ipſe ſepultus eſt; item aliæ alibi.

Et quoniam pretioſiſſimis ſacratiſſimæ Infantiæ pignoribus cultus non impar honorque non abſimilis debetur; verè enim Joannes Damaſc. de illis

Joan. Damaſc.

omnibus ex æquo pronunciavit lib. 4. cap. 12. *Clavi, lancea, veſtes, & ſacra illius habitacula, cujuſmodi ſunt præſepe, ſpelunca, Golgotha, Crux, vivificum ſepulcrum, meritò adoranda ſunt.* Hinc

Eccleſia Bethleemitica Titulo Præſepis.

eſt, quòd & præſepe illud tantoperè à Chryſoſtomo laudatum, prius quidem ipſius Eccleſiæ Bethleemiticæ Titulus fuit; dein verò poſt multa tempora Romam translatum, & in Baſilica S. Mariæ majoris repoſitum, urbem ipſam longè feliciorem reddidit, quàm vile Romuli tugurium tanta olim religione ibidem ſervatum. Faſciarum quoque, ſimul & venerandæ Dei Genitricis zonæ Titulo, teſte Nichephoro lib. 14. c. 2. & lib. 15. c. 14. nobiliſſima Conſtantinopoli in Chalcopratejo

Alia Conſtantinopoli Faſciarum ac zonæ Titulo.

ab Pulcheria Auguſta erecta eſt Baſilica, in cujus anniverſario Dedicationis die habita à Germano Archiepiſcopo Conſtantinopolitano & Euthymio Monacho Encomia referuntur apud Metaphraſtem & Lipomanum, ad 31. Auguſti.

Tituli prædicti ad perſonam vel ad præcipuum myſterium revocantur.

Quamquam haud diſſimulandum Titulos iſtos omnes nequaquam per ſe propriè ſubſiſtere, ſed vel in perſona ipſa involvi, vel tamquam appendices ad præcipuum aliquod myſterium revocari. Sic præſepis, faſciarumque Titulus cum ipſo Nativitatis myſterio implicatur, aut etiam in ipſiuſmet Virginis Deiparæ perſonam refunditur. Lancea verò, clavi, ſepulcrum, & cætera ejuſmodi, ad Crucem revocantur; Crux denique ipſa ad Jeſum Chriſtum Crucifixum, ut de Eccleſia Aurelianenſi præclarè docet Carolus Sauſſayus Annalium illius Eccleſiæ ſcriptor accuratiſſimus.

Dubium de præputio ac ſanguine in terris relicto.

Supereſt ut de Præputio tandem ſanguineque in terris relicto, aut ex imagine aliqua, ſacrave hoſtia miraculoſè effuſo, pauca pro inſtituto noſtro ſubjiciamus. Circa quod, diſputant Theologi verúmne ſit Chriſti ſanguis qui Romæ in Baſilica Lateranenſi, Mantuæ etiam, & alibi ſervari dicitur? Veráne pellicula, quam Romæ item in dicta Baſilica Lateranenſi haberi, teſtis eſt Innocentius III.

Innocentius III.

lib. 4. de myſteriis, Calcatæ verò, quod Italiæ oppidum eſt ab Roma non plus viginti millibus diſſitum, in æde SS. Cornelii & Cypriani, Toletus

Toletus.

in cap. 2. *Lucæ annot.* 32. Anicii denique in ipſamet Eccleſia Cathedrali B. Virginis, conſtans Eccleſiæ illius traditio eſt. Diſputant item, ſi verus eſt ille ſanguis veraque illa particula, an Verbo Dei hypoſtaticè unita remanſerint? Cui utrique dubio, haud ſimili reſponſione occurrendum puto: Nam ad primum, crediderim magis verum, fuiſſe illum ſanguinem ex ejus paſſione relictum, verámque ex circumciſione pelliculam, ne videlicet fidelium pietati fides derogetur, in re quam fidei veritati minimè repugnare aſſerit Pius II. in

Pius II.

quadam Extravaganti *data anno* 1461. Ad ſecundum verò, quantumvis ſanguis à Chriſti corpore in triduo mortis ſeparatus, & ab ipſo poſtmodum in Reſurrectione reſumptus, unitus ſemper Verbo permanſerit, ut pluribus docet Suarez *tom.* 2. *in* 3.

Suarez.

partem diſp. 47. *ſect.* 3. juxta definitionem Clementis VI. exiſtimaverim nihilominus cum eodem Doctore ibidem, nec præputium, nec ſanguinem relictum, eſſe jam Verbo Dei hypoſtaticè unita; ob hanc videlicet rationem, quòd ut ſic nunquam corpori Chriſti ſint conjungenda, adeòque nullum habeant ordinem ad humanitatem ſeu animam, ratione cujus corpus ipſum integrum in triduo mortis manſit unitum. Utut ſit, par iis veneratio debetur atque Cruci; imò etiam eò major, quò unio hypoſtatica magis attingit Chriſtum quàm ſimplex contactus; adeòque licèt Eccleſiarum, in quibus aſſervantur, tituli non ſint; eſſe tamen, aut aliarum, nihil omnino vetaret.

Sanguis miraculoſus an adorandus?

De ſanguine miraculoſo, ex imagine hoſtiave ſacra effuſo (quale miraculum anniverſaria commemoratione recolitur in Martyrologio die 9. Novemb.) idem ſentiendum; niſi quòd cùm verus Chriſti ſanguis non ſit, ratione tantùm repræſentationis adorandus eſt, perinde ac imago ipſa ex qua defluxit, non autem ratione contactus aut unionis præteritæ, cùm neutrum unquam habuerit. Idem eſto judicium de carne mirabiliter in hoſtia apparente, quam non eſſe quoque veram Chriſti carnem, ſed creatam, denuò aſſerit Azor

D. Thomas.

lib. 9. *cap.* 6. *quæſt.* 3. ex probabiliori ſententia D. Thomæ, *Quodlibeto.* 1. *art.* 3. & *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *art.* 2.

Hoſtiæ miraculoſæ an adorandæ?

De hoſtiis item miraculoſis, quæ certis in locis aſſervantur, qualis habetur una Divione in ſacra Capella, ſic conſequenter ex dictis ſtatuendum; nempe ſi miraculum tale eſt, ut ſpecies integræ perſeverent, omnino adorandæ erunt ejuſmodi hoſtiæ perinde atque aliæ omnes conſecratæ: ſin verò ſpecies deſiccatæ, adeòque corruptæ fuerint, non amplior iis cultus quàm Præputio ſanguinique relicto tribuendus.

Titulo Quinque Plagarum dicari Eccleſiam nihil vetat.

De Quinque Plagis hic etiam ex occaſione quærendum, in quarum venerationem licèt feſtum ſolemne in pleriſque Eccleſiis inſtitutum ſit, nullam tamen animadverti hactenus hoc Titulo dicatam Eccleſiam. Quòd ſi qua fortè ſit, non more Reliquiarum id accipiendum, ſed Myſterii, prout quæſt. 9. explicatum fuit. Ipſa enim vulnera à Corpore Chriſti ſeparari haudquaquam poſſunt, ſicut poteſt ſanguis relictus, aut pars aliqua carnis, cùm nihil ſint aliud, quàm ipſummet corpus certis in locis ex disjunctione carnis apertum. Ad quod verò myſterium id pertineat, Paſſionis, an Reſurrectionis? definietur aliàs commodiori occaſione. De his vide plura apud Suarez *loco citat. ſect.* 2.

QUÆSTIO XIII.

Quibus Titulis Eccleſias ſub patrocinio B. Virginis dedicari contingat?

PAtronam Eccleſiarum omnium ſuo nomini conſecratarum verè ac propriè appellari B. Virginem, dixi jam ſuprà quæſt. 4. præcedentis capitis. Sed cùm illius, ut & Chriſti Domini, multa ac varia ſint myſteria, ſacræ item habeantur Reliquiæ, multa denique extent prodigia, multique favores ab ipſa hominibus præſtiti, quorum occaſione, ſeu in quorum memoriam, Eccleſiæ variis in locis paſſim ædificatæ ſunt; præter ipſum Virginis patrocinium, quo omnes ac ſingulæ illarum Eccleſiarum ſuæ nomenclaturæ vi ac præſtantia communiter gaudent; iis prætetea ſingulis ſpecialis Titulus advenit, vel à myſterio ipſo, vel à Reliquia, vel denique à prodigio ſeu ſavore, cujus gratia conditæ fuerunt: ex quo item ſpeciali Titulo id commodi accidit, ut aliæ ab aliis diſcernantur, iis præſertim in Civitatibus, in quibus plures habentur ejuſmodi B. Virginis nomine inſignitæ; quales Romæ olim extitiſſe ad uſque quadringentas refert Andreas Fulvius lib. de Antiquitatibus Urbis; & verò etiamnum hodie recenſentur ſex octove ſupra quadraginta. Neapoli quoque circiter ſeptuaginta numerat Antonius Spinellus tractatu de ſeſtis ac Templis Deiparæ. Denique vix eſt ulla civitas paulò celebrior, in qua quinque, ſex, ſeptemve ut minimum hujuſce nominis Eccleſiæ, ſeu ſaltem Cappellæ pias ejuſdem Virginis ſtudioſis ſtationes non ſuppeditent; adeo ut lubeat hic referre, quod ad hanc rem præclarè obſervat S. Antoninus 4. *parte tit.* 15. *cap.* 24. §. 3. *Generatio electorum Eccleſiæ Beatiſſimam dicit Virginem ex multitudine Eccleſiarum dedicatarum ſub Titulo ejus per totum orbem: Quæ civitas, quod caſtrum, quæ villa eſt, quæ non habeat Eccleſiam & ſolemniorem in ejus nomine fabricatam? Certè nec in nomine Salvatoris, nec in honorem aliquorum Sanctorum reperiuntur in tanto numero.* Tituli verò ii cùm varii ſint ac multiplices, ad tria univerſim propoſita capita commodè revocari poſſunt.

Cur Eccleſiæ B. Virginis ſub variis Titulis dicatæ.

S. Antoninus.

Primum. Ad Myſteria ipſa in Beatiſſimæ Virginis perſona completa, videlicet Conceptionis, Nativitatis, Præſentationis, Annunciationis, Viſitationis, Purificationis & Aſſumptionis, ſub quorum ſingulis, multæ variis in locis Eccleſiæ, ſive ab ipſa prima ſui inſtitutione, ſive poſtmodum pia incolarum attributione intitulatæ reperiuntur; nec adeo neceſſarium videtur aliqua proferre exempla, cùm ubique ferè obvia occurrant. Inter reliquas celebris quondam fuit quam excitavit Helena teſte Nicephoro in Gethſemani prædio ipſius Deiparæ, ad ejus vivificum ſepulcrum.

Eccleſiæ ſub Titulo myſteriorum B. Virginis.

His addenda quoque alia Myſteria, ſeu actiones ejuſdem Beatiſſimæ Virginis, de quibus in particularibus quibuſdam Eccleſiis ſolemnis introducta eſt feſtivitas, putà Deſponſationis, Expectationis partus, Pietatis ſeu Compaſſionis, Gaudiorum &c. quæ jam ſuprà memoravimus cap. 1. quæſt. 16. Quò item pertinet Recollectio omnium illius feſtorum, paſſim in Belgio celebris, ſed ea ex pia magis affectione quàm ex neceſſitate aliqua inducta, cùm alioqui ſatis id eſſe videatur, quòd ſingula myſteria ſeorſim ſuis quæque propriis diebus recolantur. Pertinent item feſta Roſarii, B. Mariæ de Carmelo, B. Mariæ Angelorum, ad Martyres, Reginæ item, Imperatricis, & ſi qui alii occurrant ejuſmodi Tituli: prius illud quidem, quatenus ipſummet Roſarium omnia Chriſti Virginiſque Matris myſteria ſuo circuitu involvit: poſteriora verò, quatenus ejuſdem Beatiſſimæ Virginis excellentiam ac prærogativam aliquam præ ſe ferunt ac oſtentant.

Tituli Deſponſationis B. Mariæ, Expectationis &c.

Tituli Roſarii, de Carmelo &c.

Gavant. Heortologia.

Porrò an ſub hiſce omnibus Titulis dicatæ de facto exiſtant Eccleſiæ, haud planè ſcio; niſi quòd referunt Beda, Adricomius & alii, qui Terræ Sanctæ ſitum deſcripſere, in via quæ ducit Calvariam, exſtructum fuiſſe olim ab Helena Templum, cujus ruinæ adhuc extant, ſub Titulo S. Mariæ de Spaſmo, quòd eo nimirum in loco B. Virgo occurriſſet Filio Crucem geſtanti, & præ dolore quaſi exanimis concidiſſet: Verùm quantumvis acerbiſſimos dolores afflictiſſima Mater ſuſtinuerit; certius tamen eſt, neque ſpaſmum, neque ullam ejuſmodi ſive corporis, ſive animi perturbationem, quæ conſtantiæ ipſius aliquid derogaret, paſſam fuiſſe, ut pluribus probat Cajetanus opuſculo de hac re edito, ſuadetque ipſe Evangelii Textus, qui eam ſtantem ad Crucem, ſumma videlicet eum animi fortitudine deſcribit; unde Ambroſius de obitu Valentiniani, ne fleviſſe illam quidem affirmare audet, *Stantem*, inquit, *lego, flentem non lego*. De reliquis verò, nihil conſtat; ſed cùm multæ paſſim ab iis Congregationes ſeu Confraternitates nuncupentur, imò & de iiſdem feſta, juxtà varium loci cujuſque uſum ac conſuetudinem fieri crebrò contingat; placuit prædicta huc congeſta referre, ut ad ea ſubinde recurratur in ſequentibus quæſtionibus, cùm opus fuerit.

Eccleſia B. Mariæ de Spaſmo.

Cajetanus.

Ambroſius.

Secundum caput Titulorum à Beatiſſima Virgine deſumptorum, Reliquiæ ſunt ipſius; ſive quæ corporis ejus pars aliqua fuerunt, uti Lac & Capilli; ſive quæ ex ſacro ipſius contactu cultum ac reverentiam promerentur, cujuſmodi ſunt, induſia, togæ, zona, vela, vittæ, annuli, chirothecæ, ſoccus, pecten, fuſus, glomus; lectus quoque ac domus ipſa; funeralia item, nempe ſudarium, feretrum, ſepulcrum; ſive denique ea quæ ad Chriſti filii obſequium, ſuis ipſa manibus vel tractavit, vel confecit, qualia ſunt præſepium, cunabulum, panni, ac faſciæ, interula linea, tunica inconſutilis, velamen denique quod ad operiendam crucifigendi filii nuditatem capiti ſuo maternè caſtiſſimam detraxiſſe teſtantur Anſelmus *in dialogo de paſſione*, & Bonaventura *in medit. vitæ Chriſti cap.* 78. Quæ Reliquiæ omnes cùm variis in locis religioſiſſimè aſſerventur, prout refert Spinellus *cap.* 29. *numero* 48. *& ſeq.* tum etiam complures iiſdem auguſtiſſimæ extructæ ſunt Baſilicæ: qualis ea fuit, quam ab Pulcheria Auguſta Conſtantinopoli in Chalcopratejo, in honórem venerandæ zonæ, ſacrarumque Chriſti faſciarum erectam fuiſſe, ſuprà retulimus ex Nicephoro. Alia item Conſtantinopoli quoque ab eadem Auguſta, & Marciano Imperatore ipſius conjuge in Blachernis, ad venerationem ſepulcralium ejuſdem Virginis faſciarum magnificentiſſimè exſtructa. Celebris quoque olim fuit, quam Leo Imperator hujuſce nominis primus, ibidem in Blachernis ad maris littus, pro reponenda, quam recens acceperat Deiparæ veſte ſacratiſſima, forma rotunda ædificavit, eodem teſte Nichephoro. Romæ quoque Eccleſia ipſa quæ S. Mariæ Majoris communiter dicitur, à Præſepi etiam quod in ea ſervatur, S. Mariæ ad Præſepe nomen ſortita eſt. Plura, ſi vis, exempla vide apud citatum Spinellum.

Variæ B. Virginis Reliquiæ.

Conſtantinopoli Eccleſiæ in honórem reliquiarum B. Virginis erectæ.

Romæ S. Mariæ ad Præſepe.

Tertium denique caput conficiunt ſigna ac prodigia certis in locis cœlitus edita, puta Apparitio aliqua ipſiuſmet Deiparæ, aut imaginis ejuſdem miraculoſa detectio; & exinde conſequi ſolitæ gratiæ, curationes, omniſque generis opitulationes, ipſius Dei Genitricis interceſſione, affluentibus undique populis affatim impenſæ, à quibus omnibus Titulum Eccleſiæ iis locis B. Virgini dicatæ ſortiantur. Quo in genere præcellit aliis omnibus ipſa S. Mariæ Majoris Baſilica una ex primariis ac Patriarchalibus Urbis, cujus ex-

Eccleſiæ à Prodigiis B. Virginis denominatæ.

ſtruendæ occaſionem dedit inſigne Nivium miraculum; à quo & *S. Maria ad Nives* dici etiam conſuevit. Sic Cæſarauguſtæ in Hiſpania templum à S. Jacobo Apoſtolo eidem Deiparæ Virgini adhuc ſuperſtiti poſitum, à Columna ſeu *de Pilari* cognominatur, ob pilam ſeu columnam, in qua eidem Apoſtolo videndam ſe ipſa præbuit. Similiter ex tribus Templis eidem Deiparæ Conſtantinopoli ab Pulcheria Auguſta ædificatis, unum fuit *Odigitria*, ab inſigni ejus imagine ibidem repoſita, quam ſuis Lucas Evangeliſta manibus, ipſa adhuc vivente, & tabulam vidente, gratiamque adeo illi formæ ſuæ immittente, depinxerat.

S. Mariæ ad Nives.

S. Mariæ de Pilari.

Templum Odigitriæ.

Hujus quoque rationis ſunt appellationes illæ vulgares, *S. Maria de Auxiliis*, *de Gratiis*, *de Donis*, *de Virtutibus*, *Refugii*, *Boni nuncii*, *Boni ſuccurſus*, *de Victoria*, & aliæ pleræque, quas recenſet præfatus Spinellus, *tractatu de feſtis ac Templis Deiparæ*. Et de Victoria quidem, eſt in diœceſi Silvanectenſi Abbatia Ord. S. Aug. in honorem B. Mariæ, à Philippo Auguſto fundata, ob victoriam apud Bovinas de Flandris reportatam anno 1214. 27. Julii. Quæ autem à loco vel à forma ut plurimum deſumuntur, quales ſunt *S. Maria in via lata*, *in Campo Sancto*, *à quercu*, *à ſcala*, *à ſtella*, & aliæ innumeræ, noſtri non eſt inſtituti eas in quæſtionem adducere.

Variæ appellationes Templorum B. Virgini dicatorum.

QUÆSTIO XIV.

An quandoque contingat, ut Eccleſiis etiam Titulus à Sanctis petitus imponatur?

Titulus, inquam, ſtrictè ſumptus, prout videlicet à Patrono contradiſtinguitur, nam ſi pro eodem confuſa ſignificatione ſumitur, uti declaratum eſt quæſt. 2. cap. 4. nulla erit quæſtio, cùm in hoc ſenſu quiſquis Sanctus Eccleſiæ alicujus eſt Patronus, idem quoque Titulus, communi loquendi more cenſeatur. Quæſtio itaque eſt, an ſic Eccleſia in honorem Sancti alicujus dedicari queat, ut non perſonæ ipſius, ut ita dicam, immediatè adſcribatur; ſed vel in memoriam egregii alicujus facinoris, aut miraculi, aut reliquiæ, ſeu rei cujuſcunque ad ipſum pertinentis, primariò veluti conſecrata præſumatur?

Reſpondeo poſſe omnino ſic Eccleſiam dedicari, ut non tantùm nomen ab ejuſmodi Titulo, ſeu actione, vel re ad Sanctum ipſum pertinente deſumat; ſed etiam præcipuam ſuam feſtivitatem ipſo die recolat, quo vel actio illa contigit, vel res ad ſe tranſmiſſa eſt; ut patet exemplis S. Petri ad vincula, Converſionis S. Pauli, S. Joannis ante portam Latinam, Decollationis S. Joannis Bapt. & ſimilibus: quibus ſanè Titulis poſſe inſcribi Eccleſias, colligitur ex ipſo Octavario Romano Gavanti opera edito, in quo pro ejuſmodi feſtivitatibus habentur lectiones per octavam, ad uſum videlicet earum Eccleſiarum, quarum Titulares ſunt. Nec ab eo numero excludi putaverim S. Petri Cathedram, tum Antiochenam, tum Romanam, quantumvis pro iis nullas lectiones Gavantus inſeruerit; cùm & ipſa Cathedra lignea, (quam in ipſa Baſilica Vaticana aſſervari refert Baronius *ad* 18. *Januarii*) inſignis æquè reliquia ſit ac ipſiuſmet Petri Vincula; & ipſa Sedis Romanæ erectio ab eodem Apoſtolo facta, perinde beneficii loco reponenda ac Pauli Converſio, quippe ex qua ſe *Evangelica Veritas per tota mundi regna diffudit*, ait idem Baronius ex quadam antiqua Collecta. Cæterum qualiſcunque ſit ejuſmodi Titulus, eo nihil obſtante Sanctus ille, à quo deſumitur, verè ac propriè Eccleſiæ ſic dicatæ Patronus habendus eſt.

Tituli etiam à Sanctis peti poſſunt.

Cathedra S. Petri poteſt eſſe Titulus Eccleſiæ.

Quòd autem in aliquibus Eccleſiis pro præcipuo Patroni feſto habeatur, non dies Tranſitus ſeu Depoſitionis, ut fit communiter, ſed vel Tranſlationis, vel Ordinationis, aut aliqua alia ſimilis ſolennitas, non idcirco tamen ad Tituli rationem, qualem hîc deſcribimus, referenda eſt ejuſmodi ſolennitas; neque Sanctus ille minùs verè ac propriè Patronus dici debet.

Tranſlatio, ordinatio, & ſimilia feſta licet ſolemniora, non ideo tamen Titulum Eccleſiæ tribuunt.

QUÆSTIO XV.

An ſub Fidelium Defunctorum Titulo fundari poſſint Eccleſiæ?

Reſp. poſſe, eo fine quidem, ut in iis certæ preces pro Defunctorum liberatione à pœnis Purgatorii quotidie, aut ſtatis diebus perſolvantur, qua ratione fundata dicitur Abbatia de Precibus Ordinis Ciſtercienſis, diœceſis Venetenſis in Britannia minori, ad fundendas videlicet preces pro naufragis. At eo fine ut ii quoquomodo honorentur aut invocentur, nullatenus licitum eſt. Quantumcumque enim certi ſint de ſua ſalute, quorum animæ in Purgatorii pœnis detinentur; imò & nec incredibile putet Bellarminus *de Purgatorio lib.* 2. *c.* 15. eos etiam pro nobis orare & impetrare; cùm tamen nec poſtremum hoc certum ſit, refragante D. Thoma 2. 2. *q.* 83. *art.* 11. *ad* 3. nec ſi eſſet, in eo ſunt ipſi ſtatu, cui honor ab Eccleſia cultuſve publicus tribuatur; citra dubium omne eſt, nihil ejuſmodi, niſi cum ſumma temeritate in uſum induci poſſe.

Nullæ Eccleſiæ ſub Titulo Defunctorum dicatæ, ut ii invocentur, ſed ut pro iis oretur.

Bellarminus.

D. Thomas.

Quare, ſi quæ ſint alicubi Cappellæ magis quàm Eccleſiæ hoc modo in memoriam Defunctorum erectæ, non is eſt, ut ita dicam, Titulus [illegible], quo Defuncti ipſi honore afficiantur; ſed ſatisfactorius potiùs ſeu impetratorius, quo pro illis preces & ſacrificia Deo ſpeciatim offerantur; non enim, inquit S. Thomas, ſunt in ſtatu orandi, ſed magis ut oretur pro iis. Imò ſi Collegiata ſit, aut Parochialis Eccleſia, quæ Titulum ejuſmodi obtineat, haud dubiè, illa alio inſuper ſive Sancti ſive Myſterii alicujus Titulo inſignietur.

QUÆSTIO XVI.

Quæ ratio ſit Titulum (prout hactenus deſcripſimus) eligendi?

Reſp. Eadem propè, quæ Patronum, nempe vel à loco, vel à beneficio, vel ex pio eligentis affectu. A loco quidem, in quo vel myſterium peractum eſt, ut Eccleſiæ omnes ab Helena Hieroſolymis paſſim erectæ, vel ubi apparitio aliqua miraculoſa, ſive Chriſti Domini, ſive Crucis, ſive Beatæ Mariæ, ſive Angeli alicujus facta traditur, vel denique ubi inſignis reliquia ſeu memoriale myſterii alicujus habetur, putà præſepium, faſciæ, pars aliqua Crucis, Coronæ, vel lanceæ, ſepulcri pulvis, ſudarium &c. Item ubi imago aliqua miraculoſa B. Virginis aſſervatur. A beneficio ſeu favore aliquo divinitus accepto, putà per myſterii alicujus venerationem, aut B. Virginis interceſſionem, &c. cujuſmodi multa ſuperius exempla ſuppeditata ſunt. Quæ ubi deficiunt, ipſa fundatoris pietas per ſe ſufficiens ratio eſt Titulum pro arbitrio conſtituendi.

Ratio eligendi Tituli alicujus eſt vel locus, vel beneficium, vel voluntas fundatoris.

CAPUT VII.

DE PATRONO SEU TITULO LOCI.

Cum Eccleſia omnis ſita ſit in aliqua civitate, ſeu oppido vel pago; pagus autem, oppidum ac civitas ſint in aliqua diœceſi; diœceſis in provincia aliqua, niſi ſit ipſa per ſeſe provincia; provincia denique in regno, ſeu ditione ſupremi alicujus Principis, aut Reipublicæ: hinc

fit ut

fit ut præter ſingularem Eccleſiæ cujuslibet Patronum, ſeu Titulum, de quo hactenus, detur item alius Loci Patronus communis ac generalis; & de illo jam eſt inſtituenda diſſertatio.

QUÆSTIO I.

Quis ſit Patronus Loci propriè dictus?

Patronus loci is Sanctus dicitur, qui tamquam peculiaris apud Deum interceſſor ab univerſo loci Clero ac populo colitur. *Euſeb. Emiſſ.*

PRopriè, inquam, dictus, prout videlicet ſumitur in Rubricis, cùm paſſim legitur *Patronus Loci vel Eccleſiæ*; non autem prout vulgò jactatur, pro iis Sanctis, qui quòd in loco aliquo floruerint, dum viverent, aut ibidem eorum memoria in aliqua veneratione, quacunque tandem ex cauſa habeatur, protinus tamquam loci illius Patroni circumferuntur, ut ſubjectis poſthac exemplis declarabitur: nam is ſenſus nihil ad Chorum Officiumque divinum (qui unus inſtituti noſtri ſcopus eſt) pertinet. Sed dicitur propriè Patronus loci is Sanctus, qui ſive perpetuo uſu ac traditione à majoribus accepta, ſive legitima facta electione, uti peculiaris apud Deum interceſſor, *propriuſque Suffragator*, (quod de S. Geneſio mart. dixit Euſeb. Emiſſ. ſeu meliùs Eucherius Lugdun. homil. 1. in ejus Natali) ab univerſo loci illius Clero ac populo colitur & obſervatur. Quæ definitio nihil ab ea diſcrepat, quam ſuggerit Gavantus, *Comment. in Rubr. Brev. ſect.* 3. *cap.* 12. *numer.* 1. niſi quòd ſola electione, unum è Sanctis aliquem cenſeri innuit; nos verò traditionem, uſumque immemorialem adjecimus, ſive is uſus aliàs electione primùm inductus fuerit, ſive aliqua alia ratione, putà unius aut alterius arbitrio, aut tacito plurium conſenſu, ceu ſecreta quadam Numinis inſpiratione; cujus additionis cauſa patebit ex infrà dicendis *quæſt.* 9. & 10.

Gavantus.

QUÆSTIO II.

Quid differant Patronus Loci & Eccleſiæ?

Patronus loci magis extenditur quàm Patronus Eccleſiæ.

REſpondeo, differre inprimis, quòd Patronus Loci magis extendatur, quàm Patronus Eccleſiæ: hic enim ad unam dumtaxat Eccleſiam propriè pertinet, ille verò ad plures; Locus enim, inquit Gavantus cit. num. 2. accipitur pro multitudine cleri & populi, ſeu potiùs pro multis Cleris ac populis in uno loco, putà civitate aut diœceſi per diverſas Eccleſias conſtitutis.

Patronus Eccleſiæ nomen imponit Eccleſiæ, Patronus verò loci loco non item.

Secundò, Patronus Eccleſiæ nomen imponit ei Eccleſiæ, cujus Patronus eſt, ita ut ab ejus nomine appelletur Eccleſia ſancti N. unde & ab hac intitulatione Titulum quoque illius Eccleſiæ perinde ac Patronum rectè dici ſuprà ſtatuimus *cap.* 4. *quæſt.* 2. Patronus loci non item: neque enim ab ipſo Locus, putà provincia aut civitas ſolet denominari; adeòque nec congruè Titulus dici poteſt; (nam quod caput hoc inſcriptum eſt de Patrono ſeu Titulo loci, ad alium ſenſum refertur, de quo erit quæſtio 12.) Dixi *ſolet*, neque enim ſum neſcius, civitates aliquas, imò & totas diœceſes de nomine ſui Patroni nonnunquam indigitari, cujuſmodi ſunt in Gallia Macluviopolis, Briocopolis, Audomaropolis, S. Flori, S. Papuli, S. Pontii Tomeriarum. Quo in genere celebris etiam fuit illa quondam Sergiopolis in provincia Auguſtæ Euphrateſiæ à S. Sergio ſic dicta, de qua Nicephorus *libr.* 15. *cap.* 26. & 27. & alia quoque Martyropolis in Armenia, de qua Procopius *lib.* 1. *de ædificiis Juſtiniani Imperatoris*. Oppidis verò ac pagis id quidem frequentius eſt, ut à Sancto in cujus honore eorum Eccleſia dicata eſt, nomen & ipſa quoque ſortiantur; ſed tum Sanctus ille non Loci propriè, ſed ipſiuſmet Eccleſiæ dicendus eſt Patronus ſeu Titulus; ut patet ex definitione allata *cap. precedenti quæſt.* 1.

Civitates aliquæ à ſuo Patrono nuncupatæ.

Patronus Eccleſiæ unicus, loci verò multiplex.

Tertiò, differt Patronus Loci à Patrono Eccleſiæ, quòd hic ſoleat eſſe unicus, aut ſi multiplex nonniſi ſub ratione unius, uti explicatum eſt *capit.* 4. *quæſt.* 3. contrà verò Patroni Loci poſſint eſſe plures, ut dicetur inferiùs.

Patronus loci, cleri ac populi ſuffragiis eligendus: Patronus verò Eccleſiæ ad arbitrium Fundatoris

Quartò denique, Patronus Loci, cleri populique ſuffragiis de conſenſu Epiſcopi eligi debet, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis ſtatim referendo; Patronus verò Eccleſiæ, non ſimili electione, ſed ex fundatorum dumtaxat beneplacito conſtituitur.

QUÆSTIO III.

An detur ſemper Patronus Regni ſeu Provinciæ?

Detur cujuſque gentis ſeu regionis Patronus vulgariter ſumptus.

REſpondeo: Si Patronus ſumatur in vulgari ſignificatione, pro eo, vel iis videlicet Sanctis, qui gentem ſeu regionem aliquam, dum viverent, ſuis exemplis ac laboribus, aut ſacris poſt obitum pignoribus illuſtrarunt, ac deinceps ſuis apud Deum interceſſionibus eamdem juvare creduntur, nullum eſſe regnum in Chriſtiano orbe, nullam ferè provinciam, cujus non unus ſaltem aliquis, imò plures ut plurimum extent ejuſmodi Patroni. Sic Regni Galliæ vulgò recenſentur S. Dionyſius, S. Martinus, S. Remigius, S. Ludovicus, & alii. Provinciæ Aquitaniæ S. Martialis, Narbonenſis S. Ægidius, Burgundiæ S. Benignus &c.

Quam ſanè mirabilem Dei providentiàm egregiè cecinit Nolanus Antiſtes Natali undecimo S. Felicis, his verſibus ex Dungali fragmento depromptis, quos item pro ſequentibus quæſtionibus æquè adductos velim:

Paulinus.

Omnis enim quæcunque manet mundatus in ora
Martyr, ſtella loci ſimul & medicina colentum eſt.
Namque tenebroſum veteri caligine mundum,
Languenteſque animas miſeratus in orbe Creator
Sic ſua diſpoſuit terris monimenta piorum,
Sparſit ut aſtrorum nocturno lumina cœlo, &c.

De hac quoque Sanctorum per ſingula regna ac provincias in Patronos ac Tutelares diſtributione copioſè differit Sauſſayus in Apologetico pro Sanctorum cultu ad calcem ſui Martyrologii addito, §. 8. ubi de Sanctorum patrociniis.

Patronus ſtrictè ſumptus vix datur cujuſque regni aut provinciæ.

Quòd ſi Patronus non ita latè, ſed ſtrictiùs ſumatur pro eo vel iis Sanctis, qui peculiari cultu in propriis locis celebrantur, nimirum cum Officio feſtivo, quale à Rubricis Patronis tribuitur, (quo in ſenſu haud dubiè accipiendæ ſunt tum ipſæ Rubricæ, tum ſuprà laudatum Sacræ Congregationis Decretum, cùm de Patrono Loci ſermonem habent.) Eſt quidem totius Mediolanenſis provinciæ, Concilii Provincialis decreto Patronus S. Ambroſius; citra quod exemplum vix eſt, quod ſciam, regnum, aut provincia integra, quæ ſic Sanctum aliquem pro Patrono habeat. Nam ut in allatis ſtemus exemplis, S. Dionyſius ita eſt Galliæ Patronus, ut tamen extra Pariſios, paucæ ſint admodum diœceſes, in quibus feſtum illius à populo ſervetur; multæ verò Eccleſiæ, in quibus Officium ipſius non alio ritu quàm ſemiduplici, eo videlicet qui ubique communis eſt, celebratur. S. Martinus habet id quidem ampliùs, quòd feſtum illius ubique ferè de præcepto ſit, ac in multis etiam Eccleſiis cum Octava recolatur; Verùm utrumque illud æquè extra Galliam uſitatum comperitur, nam & habetur inter feſta de præcepto *ca. Pronunciandum, de conſecr. diſt.* 3. & ejus Octavæ perinde ac S. Laurentii, tamquam ubique receptæ meminit Durandus *libr.* 7. *cap.* 37. S. Remigius extra Rhemenſem provinciam vix pluſquam ſemiduplici ritu afficitur. S. Ludovicus ante datum diploma Gregorii XV. nullibi extra Lutetiam populo ſolemnis erat, nec jam in Choro

Exempla S. Dionyſii, S. Martini, S. Remigii &c.

cele-

celebris niſi communi Duplicium more habetur. De SS. denique Martiale & Ægidio in pleriſque non Aquitaniæ tantùm, ſed & aliarum Galliæ diœceſum Breviariis fit ſemiduplex, raró duplex: de S. Benigno vix aliquid extra locum proprium. Qui ſanè ritus, cùm pares non ſint dignitati Patroni, de quo agunt Rubricæ, ſtat proinde noſtra integra propoſitio, Sanctos ejuſmodi propriè, & in rigore loquendo, pro regni ſeu provinciæ Patronis minimè habendos; licèt alioqui verè dici poſſint proprii ac naturales regni ſeu provinciæ, quo Titulo, aut alio ſimili, de iis agetur ſuo loco inferiùs.

S. Vitus Saxonum Patronus.

Nec obſtat quod poſſet quis objicere, S. Vitum martyrem, poſtquam ejus Reliquiæ è Galliis in Saxoniam translatæ ſunt, in Patronum gentis illius communi omnium voto fuiſſe ſuſceptum, uti refert Baronius ad annum 936. ex Vitichindo: Id enim non alio ſenſu accipiendum putem, quàm laxiori illo ac vulgari priùs memorato.

Patroni regionum ad fidem recens converſarum.

Haudquaquam tamen repugnat noſtra hæc reſponſio uſui illi, quo regionibus ad Chriſtianam fidem recens converſis unus aliquis Sanctorum in Patronum aſſignatur: à quo etiam nonnullæ denominationem accipiunt. Sic in S. Joſephi patrocinium Canadenſis ceſſit novæ Franciæ regio. Sic etiam inſulæ S. Jacobi, S. Chriſtophori, & aliæ Sanctos illos forſan à quibus nomen ipſis inditum eſt, Patronos agnoſcunt. Non inquam repugnat huic uſui noſtra reſponſio, imò laudat & amplectitur, eò vel maximè, quòd in eligendo ejuſmodi Patrono forma à ſacra Congreg. præſcripta obſervata præſumatur: Qua tamen forma utique opus non eſt, ubi vel Patroni ejuſmodi ab antiquo conſtituti habentur, vel certè uſus haud alios admittit quàm ipſoſmet diœceſis aut civitatis Patronos: de quibus ſit

QUÆSTIO IV.

An cujuslibet diœceſis detur ſemper Patronus proprius?

Habacuc.

Quod ſcientiſſimus Propheta Habacuc in ſuo pro ignorantiis Cantico de Chriſto Domino vaticinatus eſt, *Stetit & menſus eſt terram*; quod

David.

Pſaltes item Regius interprete S. Baſilio, cùm ait *Convallem tabernaculorum metibor*; id per Apoſtolos primùm, ac deinceps per alios Evangelii diſſeminatores adimpletum fuit; cùm ipſi videlicet orbem univerſum, velut partam & acquiſitam Eccleſiæ Chriſti ſponſi ipſius amantiſſimi ſanguine hæreditatem, injecto prædicationis funiculo in varias ſortes diviſerunt. Quæ quidem ſortes, conſtitutis ſingularum terminis, dictæ ſunt Diœceſes, voce nimirum à jure civili mutuata, ubi diœceſis pro regione ſeu provincia ſumitur, *Lege 1. Cod. de privatis carceribus*, & *Cod. de officio Rect. provinciæ*. Eſt autem propriè Diœceſis, Territorium

Quid ſit Diœceſis.

civitatis alicujus, ad unius Epiſcopi gubernationem pertinens. Dicitur etiam Parochia cap. *Si quis ordinatus*, & *duobus ſequentibus diſt. 92.* & in antiquis Conciliis paſſim. Quamquam hæc vox non

Parochia pro Diœceſi.

pro tota Diœceſi, ſed pro certa Diœceſis Eccleſia populum ſibi ſubditum habente, communiter hodie uſurpatur, juxta cap. *Eccleſias 13. qu. 1.* Porrò etſi olim in prima erectione Patriarchalium, Primatialium, Metropolitanarum ſedium, habita fuerit ratio diviſionis provinciarum, qualis ante Chriſti ipſius adventum apud Ethnicos in uſu fuerat, ut habetur *diſtinct. 80. can. 1. & 2. & diſt. 99. can. 1.* Quia tamen ejuſmodi diviſio magis ſpectat ad forum judiciarium, appellationeſque ab inferioribus Præſulibus ad ſuperiores, quam ad Chorum, rationemque ſacrorum rituum; idcirco dum mentio fit in Rubricis de Patrono Loci, perinde ac dum quiſnam ſit ille, inquiritur, loci nomine non provinciam aut regionem quamcumque, ſed unamquamque diœceſim propriè, aut ſaltem maximè intelligendam arbitror.

Datur ut plurimum Patronus cujuſque diœceſis.

Reſpondeo itaque uſum hunc eſſe ubique receptiſſimum, ut cujuslibet diœceſis detur proprius Patronus, ſive unus, ſive multiplex: quin & contingere ut plurimùm, Patronum ejuſmodi, unum eſſe ex primævis ſedis illius Antiſtitibus, aliumve Cœlitem, qui primus illic quondam Evangelii ſemina jecit; aut certè ſuis deinceps doctrinis, exemplis, miraculis, aliiſve ſtudiis ac laboribus, fidei pietatiſque cultum ibidem ſtabilierit, aut valdè promoverit. Exempla ubique paſſim obvia occurrunt; ſic ut difficilius ſit, unam reperire Diœceſim, in qua nullum habeatur, quàm cæteras numerare quæ abundant. Notiores aliquot

Patroni Pariſienſis diœceſis.

dumtaxat ex Gallia noſtra profero. Pariſienſis diœceſis Patroni tres ſunt, videlicet S. Dionyſius primus Epiſcopus, idemque Martyr cum ſociis; S. Marcellus Epiſcopus, & S. Genovefa Virgo. Aurelianenſis, S. Evurtius & S. Anianus Epiſcopi.

Aurelianenſis. Meldenſis. Senonenſis.

Meldenſis, S. Faro Epiſcopus, & S. Fiacrius Confeſſor. Senonenſis, SS. Savinianus & Potentianus Protopræſules ac martyres, S. Lupus Archiepiſcopus. Rhemenſis, S. Nicaſius Archipræſul, idemque martyr cum ſociis, S. Remigius, itidem Archipræſul. Ambianenſis S. Firminus Epiſcopus & martyr, SS. Fuſcianus, Victoricus, & Gentianus martyres, S. Firminus alter, & S. Honoratus Epiſcopi. Noviomenſis S. Eligius & S. Medardus Epiſcopi. Rothomagenſis S. Romanus Archiepiſcopus. Ebroicenſis S. Taurinus Epiſcopus. Conſtantienſis S. Laudus Epiſcopus. Turonenſis S. Gatianus primus Archipræſul, S. Lidorius & S. Martinus itidem Archiepiſcopi. Andegavenſis S. Maurilius & S. Renatus Epiſcopi. Cenomanenſis S. Julianus Epiſcopus. Nannetenſis SS. Donatianus & Rogatianus martyres, S. Clarus Epiſcopus. Rhedonenſis S. Melanius Epiſcopus. Pictavienſis S. Hilarius Epiſcopus. Sanctonenſis S. Eutropius Epiſcopus & martyr. Bituricenſis S. Urſinus primus Archipræſul, S. Sulpitius pius & S. Guillelmus itidem Archiepiſcopi. Lemovicenſis S. Martialis Epiſcopus, idemque Aquitaniæ dictus Apoſtolus. Toloſanæ S. Saturninus Protopræſul & martyr; &c.

Rhemenſis. Ambianenſis. Noviomenſis. Turonenſis. Andegavenſis. Cenomanenſis. Nannetenſis. Rhedonenſis. Pictavienſis. Sanctonenſis. Bituricenſis. Lemovicenſis. Toloſanæ.

QUÆSTIO V.

An plures dari contingat unius Diœceſis Patronos, & quo ordine ii ſe habeant?

Plures dari frequentiſſimè, & quidem omnis generis, putà Martyres, Confeſſores, Pontifices, non Pontifices, Virgines &c. præcedenti ſtatim quæſtione reſponſum fuit; & exemplis pluſimis comprobatum. At cùm ex Rubr. de Octa-

Patronorum unus principalis; alii minùs principales.

vis, num. 1. unus dicatur Principalis Patronus, conſequens profectò eſt, ut ſi plures fuerint, reliqui ut minùs principales habeantur. Sic Pariſiis principalis Patronus eſt S. Dionyſius, minùs principales S. Marcellus & S. Genovefa. Senonis principales ſunt SS. Savinianus & Potentianus, minùs principalis S. Lupus. Turonis principalis S. Gatianus, minùs principales S. Lidorius, & S. Martinus. Andegavi principalis S. Maurilius, minùs principalis S. Renatus &c.

Plures in una diœceſi Patroni æquales.

Non raró tamen contingit plures in una diœceſi Patronos cenſeri æquales, uti Biturigibus S. Urſinum & S. Sulpitium, Aureliis SS. Evurtium & Anianum &c. Ex quo tu ſtatim arguas neutrum illorum eſſe principalem, ſed ambos inſtar minùs principalium dumtaxat habendos. Quam ego conſequentiam non abnuo, ſi eam ad ritum Officii referas, ut videlicet ambo ejuſdem ſint qualitatis, putà duplicis majoris aut minoris, non tamen primæ claſſis (de quo diſputabitur ſuo loco inferiùs.)

Quòd

Quòd ſi ratio perſonarum habeatur, unus plerumque alio prior, ſaltem vel ipſo tempore cenſendus erit, imò etiam merito, ſi fortè primus ſuſceptæ Chriſtianæ fidei author extiterit, qualis agnoſcitur Biturigibus S. Urſinus, Turonis S. Gatianus, & alii alibi. Hincque etiam fit ut reliqui alii Sancti, tam Epiſcopi quàm alii locorum proprii, præter Patronos illos tres quatuorve ſolemniores, commodiùs ſub Titulo Sanctorum Naturalium ſeu Indigenarum reponendi videantur.

QUÆSTIO VI.

Unde dignoſci queat, quinam ſint Diœceſum Patroni, & quæ illorum inter ſe comparatio?

Patroni Eccleſiæ Cathedralis ut plurimum ſunt & diœceſis.

Reſpondeo, cùm Eccleſia Cathedralis caput ſit & Matrix omnium Eccleſiarum totius diœceſis, non poſſe proinde certiorem de his, quàm ab ejus uſu peti regulam: adeòque Sanctos illos omnes, qui ut Patroni ab omni ævo in ea coluntur, imò & ferè ſemper in foro etiam obſervantur, pro Patronis quoque Loci ſeu diœceſis communiter eſſe habendos, & quidem pro principalibus, qui principales, pro minùs principalibus, qui minùs principales, prout videlicet majori vel minori cum ſolemnitate in ipſa celebrari conſueverunt. Quod qua ratione ad varios Officiorum ritus, more Romano redigendum ſit, ſuo loco aliàs demonſtrabitur.

Patronus diœceſis idem aliquando Patronus ſeu Titulus Eccl. Cathedralis.

Sed nec infrequenter accidit, ut qui Sanctus totius diœceſis Patronus habetur, idem etiam Eccleſiæ ipſius Cathedralis Titulus ſeu Patronus principalis exiſtat, v. g. Turonis S. Gatianus, Cenomanis S. Julianus, Doli S. Samſo, Macloviopoli S. Maclovius, & paſſim alibi. Denique in iis diœceſibus; in quibus plures numerantur Pontifices inter Sanctos relati, quorum annua fit feſtivitas, poſſunt illi quidem omnes dici Patroni, vulgari ſaltem loquendi uſu; at plures quàm duo treſve ſolemniori illo ritu duplicium majorum, ac indicta populo ab operibus feriatione celebrari, nuſquam mos eſt; ut conſtat inductione, quam cuivis inire difficile non eſt admodum.

Sancti omnes diœceſis unius Epiſcopi, ejuſdem quoque Patroni vulgò habentur.

Sancti aliqui in Eccl. Cathedr. ſolemniores ad reliquã diœceſim nihil pertinent.

Cæterùm, non diffiteor accidere nonnunquam ut in Eccleſia Cathedrali Sanctus aliquis ſolenniori ritu, etiam Patroni inſtar celebretur, qui ad reliquam alioqui diœceſim parum aut nihil admodum pertinere videatur; v. g. in Eccleſia Aurelianenſi S. Mamertus Epiſcopus Viennenſis, (ob ſuſceptionem, credo, illius reliquiarum) ſed id (quod ad Patronum attinet) perrarum eſt ac ſatis inſolens; quo ad alia verò feſta, paulò uſitatius; qua de re videbitur aliàs.

QUÆSTIO VII.

Qui Patroni cenſendi in erectione novæ Diœceſis? Qui item in unione duarum? Qui demum in translatione ſedis Epiſcopalis ex una civitate in aliam?

Duplex ratio erigendæ novæ diœceſis.

Quod ad novæ diœceſis erectionem attinet, ea fieri poteſt dupliciter. Primò quidem cùm nationes aliquæ infideles ac barbaræ Evangelii ſe jugo primùm ſubmiſerunt (quod facere jam Sinarum populos fortunatiſſimo nuncio nuper accepimus:) quibus proinde præficiendi ſacri Antiſtites, qui Hierarchica munera obeant, perfectámque Catholicæ Religionis formam inducant. Tum autem Patronus quoque de novo haud dubiè eligendus, ſive unus, ſive plures, juxta formam infrà tradendam ex præſcripto ſacræ Rituum Congregationis.

Novæ diœceſes à Joanne XXII. erectæ.

Secundò, Erigitur nova diœceſis, quando in partibus fidelium una in duas pluresve Summi Pontificis authoritate diſtrahitur, quemadmodum Toloſanam Joannes XXII. anno 1317. in quinque alias partitus eſt, videlicet Papulenſem, Lomberienſem, Rivenſem, Vaurenſem & Mirapicenſem, adjectis item ad conſtituendam provinciam Apamienſi, pridem à Bonifacio VIII. ex eadem Toloſana diœceſi revulſa, & Montalbanenſi ex Cadurcenſi ab ipſomet Joanne; qui & Caſtrenſem ab Albienſi, Vabrenſem à Rutenenſi, Tutellenſem à Lemovicenſi, Florienſem à Claromontenſi, Lucionenſem & Malleacenſem à Pictavienſi, Condomienſem ab Agennenſi, Sarlatenſem à Petracoricenſi, Alethenſem denique ac Tornerienſem à Narbonenſi itidem præcidit. Paulus item IV. anno 1559. novis in Belgio ad uſque tredecim Epiſcopatibus erectis, Cameraco Machliniam (quam & Metropolim fecit) & Antuerpiam, Tornaco Brugas & Gandavum, Leodio Namurcum, Mildeburgum Ultrajecto, aliaque aliis ſubtraxit; ſicut & deleta funditus à Carolo V. Tarvana ſeu Teroana Morinorum, triplicem inde diœceſim confecit, Bononienſem in Picardia, Audomarenſem in Artaſia, & Iprenſem in Flandria.

Novæ item à Paulo IV. in Belgio.

In his itaque Diœceſum diviſionibus, Patronorum rationem ſic habendam judico, ut quamvis mutata juriſdictione reſpectu ejus, quæ de novo inſtituta eſt, priores quoque ritus, in iis quæ ad Feſta pertinent, ſive quoad forum, ſive quoad Chorum ceſſare penitus, alioſque à novo Antiſtite induci poſſe non negem: erit nihilominus æquè decens ac opportunum, ſi retineantur; ſaltem ubi ſic res ſe habebit, ut quæ antea ratio fuit Patronum aliquem colendi, eadem adhuc perſeveret: putà, quia Sanctus ille primus omnium eò loci fidem invexit, aut regionem ſignis ac portentis mirificè illuſtravit, aut certè inſignem ſuo martyrio fecit; & aliunde non ſe offert alius ipſiuſmet Eccleſiæ, quæ recens Cathedralis facta eſt, Titulus ſeu Patronus æquè celebris; qualis meritò cenſeri debet in Apamienſi Eccleſia v. g. S. Antoninus, in Tornerienſi S. Pontius, in Florienſi S. Florus, & alii alibi: in eo ſiquidem caſu Patronum ejuſmodi, priſtino alteri præferri haud iniquum erit; præferri, inquam, ſeu potior haberi: neque enim auſim dicere ipſum ſic perpetua deinceps in oblivione ponendum, ut ejus ſaltem tamquam Naturalis ſeu Indigenæ, cultus aliquis non retineatur. Quòd ſi nullo alio occurrente, Patronus recens omnino eligendus videbitur, in hoc ſervari oportebit formam à ſacra Congregatione præſcriptam.

In erectione novæ diœceſis idem qui priùs Patronus convenienter retinendus.

Jam quod ad unionem duarum vel plurium Sedium ſpectat, nihil admodum neceſſe videtur in Patronis quidquam immutare. Cùm enim ejuſmodi unio, ut plurimum pro fori externi commoditate, aliiſve de cauſis procuretur, quæ ad Chori rationem parum faciunt: nihil prorſus vetat, quin ritus omnes iidem qui aliàs, ſalvis ubique Epiſcopi juribus obſerventur. Id verò maximè locum habet, quando non Diœceſum inter ſe propriè fit unio, ſed dignitatis duntaxat Epiſcopalis in unam eamdemque perſonam; qua ratione Dienſis & Valentinenſis Eccleſiæ in Delphinatu à Gregorio X. ſic unitæ fuerunt, ut unum eumdemque Epiſcopum ambæ agnoſcant; diœceſes tamen ipſæ ſeorſim ſemper ab invicem diſtinctæ perſeverent, ac ſuos proinde Patronos proprios ſeorſim ambæ æquè retineant.

In unione duarum diœceſum nihil quoad Patronos mutari neceſſe eſt.

Translatio denique Sedis ex uno loco in alium, nullam quoad Patronos diœceſis immutationem inducit, ſed ad ſummum quoad Titulum ſeu Patronum Eccleſiæ Cathedralis, quem nec mutari quoque propriè aſſeruerim; niſi translatio ſic fiat, ut prior Sedes deſinat penitus eſſe Cathedralis, Cathedra ipſa Summi Pontificis authoritate in poſteriorem deportata, uti Magalonenſem ſedem Paulus III. ex Eccleſia S. Germani, ad Montem-Peſſu-

Nihil item in translatione Sedis, niſi quoad Titulum Eccleſiæ Cathedralis.

Digitized by Google

Peſſulanum in Eccleſiam S. Petri tranſtulit. Nam ſi id alioqui ob inſtantem aliquam neceſſitatem fiat, putà dum prior Eccleſia collapſa inſtauretur, aut ab hæreticis occupata poſtliminio reſtituatur, idem ſemper Titulus nihilominus perſeverat, quemadmodum de Eccleſiis Petracoricenſi & Genevenſi dixi jam aliàs *cap. 4. quæſt. 7.*

QUÆSTIO VIII.

An præter Diœceſanum, detur cujuſque Civitatis, Oppidi, Burgi, ſeu Pagi, proprius ac ſingularis Patronus?

Quid civitas, quid oppidum, burgum, pagus?

NOn quæcunque domorum collectio mœnibus cincta, Civitas dicitur; ſed illa ſolùm quæ Epiſcopum habet, ex Barrolo *in lege 2. ff. de verborum ſignificatione in fine.* Quæ autem Epiſcopo caret, Oppidum. Quæ ſine mœnibus eſt, Burgum, ſi plures ſint domus; Pagus verò ſi pauciores, communiter appellatur.

Patronus civitatis & idem eſt diœceſis.

Quod ergo ad civitatem attinet, reſpondeo, frequenti ſaltem Galliæ noſtræ uſu, eumdem qui Diœceſis, Civitatis quoque eſſe Patronum; quippe Civitas cum Eccleſia Cathedrali convenit, nec alios ſolet habere Patronos, quàm quos ipſa veneratur: Sunt autem illi, ut antè diximus, totius utique Diœceſis Patroni.

In quibuſdam oppidis datur Patronus proprius.

Idem de Oppidis judicandum; niſi fortè aliqua ſint, in quibus celebris habetur memoria Sancti alicujus ſive Martyris ſive Confeſſoris, qui ab univerſis incolis tamquam Loci Patronus colitur & obſervatur, uti Divione in Burgundia S. Benignus martyr, Auguſtæ Veromanduorum S. Quintinus, Brivate in Arvernis S. Julianus itidem martyr, Caïnone in Turonenſi diœceſi S. Maximus Confeſſor idemque S. Martini diſcipulus. In eo ſiquidem caſu cenſenda ſunt ejuſmodi oppida, alium præter diœceſanum proprium habere Patronum; maximè quando Eccleſiæ Sanctorum illorum Titulares, ſive Collegiatæ eæ fuerint, ſive Abbatiales ab Ordinariis exemptæ, juriſdictionem quaſi Epiſcopalem obtinent in alias ejuſdem loci Eccleſias, ut non rarò contingit.

Burgi ſeu pagi Patronus non alius quàm qui Eccleſiæ Loci Titulus eſt.

In Burgis denique ſeu pagis præter communem diœceſis Patronum, vix occurrit alius quàm idem qui Eccleſiæ in iis ſitæ Titulus eſt; hunc autem Patronum Loci propriè, qualem hìc definimus, minimè dicendum putaverim; niſi in pari caſu ac de oppidis proximè ſtatim explicatum fuit.

QUÆSTIO IX.

Quis modus fuit decernendi olim Locorum Patronos?

Patroni Locorum an per electionem facti? Ambroſius.

AN electione? Et verò id ſuadent nonnulla SS. Patrum teſtimonia. Ambroſius libr. de Viduis, alludens ad illud Luc. 4. de ſocru Simonis quæ tenebatur magnis febribus, *Et rogaverunt eum pro ea*, Petrus videlicet & Andreas. *Et tu*, inquit, *habes proximos qui Deo pro te ſupplicent, habes Apoſtolos proximos, habes Martyres proximos*; & poſt pauca, *Habetis ergo viduæ auxilium, ſi tales vobis generis poſteritatis veſtræ Patronos, tales proximos eligatis* &c.

Auguſtinus.

Auguſt. libr. de Cura pro mortuis cap. 4. Paulino Epiſcopo roganti quid mortuis proſit quòd apud Sancti alicujus memoriam ſepeliantur, ſic reſpondet: *Ut dum recolunt ubi ſint repoſita eorum quos diligunt corpora, eiſdem Sanctis illos tamquam Patronis ſuſceptos apud Dominum adjuvandos orando commendent.*

Conſtantinus Imperator.

Conſtantinus item Imperator in edicto de Donatione ſic habet: *Eligimus nobis ipſum principem Apoſtolorum, & ejus ſucceſſores firmos apud Deum eſſe Patronos.*

Sidon. Apoll.

Addo & Sidonium Apollinarem, qui ſelectos à ſe varios Patronos, tacitis quidem nominibus, ſed non ineleganti verſu canit libr. 9. epiſt. 16.

Poſt Saturninum volo plectra cantent,
Quos Patronorum reliquos probavi
Anxio duros mihi per labores
Auxiliatos.

Patroni locorum tales uſu magis ac traditione quàm electione.

Hæc ut vera ſint (quæ tamen de ſingulari quam quiſque pro libiro facere poteſt Sanctorum in Patronos proprios electione magis, quàm de communi ac generali diœceſis ſeu loci totius accipi debent, ut ex præfatis teſtimoniis liquidò conſtat,) fueritque olim in decernendis Locorum Patronis adhibita qualiſcunque electio: Cùm tamen hanc minimè conſtet fuiſſe communiter uſurpatam, ea ſaltem forma, quæ à ſacra Congregatione recenter præſcripta, deinceps in uſu eſſe debet; idcirco prima ſtatim capitis hujus quæſtione Patronorum loci, non ſola electione, ſed perpetuo item uſu ac traditione à Majoribus accepta cenſeri præmiſimus. Quæ porro fuerit uſus illius ac traditionis primùm inducendæ ratio, perinde circiter arguendum puto, ac de Patrono Eccleſiæ indagatum fuit ſuprà *quæſt. 15. cap. 3.*

Patroni plerumque Locorum Sancti, quorum opera fides primùm ſuſcepta fuit.

Adeòque Patroni inprimis decus ac prærogativam iis ut plurimùm Sanctis deferri obſervo, quorum opera ac miniſterio fides in qualibet diœceſi ſeu provincia primùm ſuſcepta eſt, cujuſmodi exempla multa protulimus *quæſt. 4. & 5. hujuſce capitis*. Et verò ſi Patronus à patre, quos, amabo, Patronos æquiùs colamus, quàm quos in fide patres agnoſcimus? *Nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ipſi nos genuerunt.* 1. Cor. 4. Hoc verò munus cùm noſtra nobis haudquaquam optione, ſed divina magis diſpenſatione provenerit, datos proinde meliùs quàm electos ejuſmodi Patronos dixeris. Et hanc quidem providentiſſimam ſupremi Numinis diſpenſationem cùm jam ſuprà *quæſt.* 3. ex Nolani Antiſtitis fragmentis à Dungalo collectis ſuſpicere ac demirari cœperimus, lubet hìc addere quæ in eamdem rem idem author, pio juxta & eleganti ſtylo proſequitur:

Paulinus Nolanus.

Inde Petrum & Paulum Romana fixit in urbe,
Principibus quoniam medicis caput orbis egebat.

Et poſt pauca:

Sic Deus & reliquis tribuens pia munera terris,
Sparſit ubique loci magnas ſua membra per urbes.
Sic dedit Andream Parthis, Ephaſoque Joannem:
Parthia Matthæum complectitur, India Thomã:
Creta Titum ſibi ſumpſit, Antiochia & Oſtia Lucam,
Marcus Alexandria tibi natus &c.

Item nonnullis interjectis:

At Carthago potens Cypriano martyre gaudet,
Cujus & ore ſimul profuſi & ſanguine fontes
Fœcundaverunt Libya ſitientis arenas.

Poſt pauca item:

Nec minor occiduis effulſit gratia terris,
Ambroſius Latio, Vincentius extat Iberis,
Galſia Martinum, Delphinũ Aquitanica ſumpſit,
Multaque præterea per eaſdem largiter oras
Semina Sanctorum poſitis diffuſa ſepulcris,
Illuſtrant totum ſuperis virtutibus orbem.

Item qui fidem eximiè promoverunt.

Primis hiſce fidei anteſignanis proximos adjungimus Antiſtites alios, qui ſuccedentibus ſæculis ſanctitate pollentes, eamdem fidem ac pietatis cultum ſtrenuè promoverunt: quales in antiquis diœceſibus, unus ferè ſemper aut alter numeratur, ut liquet ex citatis itidem exemplis *quæſt. 4. & 5.* Quòd autem hi præ aliis æquè Sanctis in Patronos potiſſimùm aſciti fuerint, id utique non nudæ ac ſimplici populorum electioni, ſi qua fortè habita fuerit, ſed ipſorum inſuper Sanctorum excellentiæ ac meritis tribuendum; adeo ut quæ ratio fuit inter Romanæ Sedis Antiſtites Petri ſucceſſores, S. Silveſtrum aliis præponendi, ob exercitatum, ut par eſt credere, ſuis temporibus, inaque opera digniorem quàm antea Romanæ Eccleſiæ ſplendorem, eadem in aliis quoque ſedibus Præſulem unum aut alterum ſuaſit Patroni loco habere, ac celebriori cultu præ

S. Silveſter inter Rom. Pontifices inſignis.

alius

aliis venerari. Sic de ſuo ſancto Marcello canit Eccleſia Pariſienſis, *Si ſanctorum virorum merita conferantur, miretur Marcellum Gallia dum Roma Silveſtrum*.

Sunt & alii Sancti præter Antiſtites, quibus æquè competit Locorum eſſe Patronis, ſive quia fidei Chriſtianæ & ipſi præcones extiterunt eximii, uti Bellovacis S. Lucianus Presbyter & martyr; ſive quia Religionis cultum ac decorem magnoperè promoverunt, uti Pariſiis S. Genoveſa virgo; ſive denique ob virtutum ac ſignorum gratiam, qua regionem aliquam dum viverent illuſtrarunt, ac poſtmodum defuncti, variis eamdem opitulationibus ac beneficiis tueri ac fovere non deſtiterunt, uti Meldis S. Fiacrius, aliique alibi, ad quorum ſacras reliquias multa divinitus eduntur gratiarum ac ſanitatum prodigia. Quæ cauſæ ſunt, ob quas jam inde à priſcis temporibus præfati Sancti apud populos bene affectos, non tam electione, quàm communi ac ſpontaneo conſenſu, Patronorum nomen cultumque obtinuêrunt.

Cauſæ variæ ob quas Sancti in Patronos Locorum allecti.

QUÆSTIO X.

Quæ ſit forma eligendi Sanctos in Patronos?

SAcra Rituum Congregatio annuente SS. D. N. Urbano Papa VIII. Decretum edidit die 23. Martii anni 1630. ſuper electione Sanctorum in Patronos, quo Decreto mandat infrà ſcripta in poſterum ſervari debere, declarans quòd aliter facta electio nulla ſit ipſo jure.

Decretum ſacra Rit. Congreg. ſuper electione Sanctorū in Patronos.

Primò quod eligi poſſint in Patronos ii ſolùm qui ab Eccleſia univerſali titulo Sanctorum coluntur, non autem beatificati dumtaxat.

Secundò quod de Patrono civitatis electio fieri debeat per ſecreta ſuffragia à populo, mediante Concilio generali illius civitatis vel loci, non autem ab Officialibus ſolùm; & quod accedere debeat conſenſus Epiſcopi & Cleri illius loci.

Idemque ſervari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debet per ſecreta ſuffragia à populo ſingularum civitatum Provinciæ.

Et quòd repræſentantibus regnum, civitatem, provinciam, nulla competat facultas eligendi Patronos, niſi ad hoc habeant ſpeciale mandatum, & ulteriùs interveniat conſenſus Epiſcopi & Cleri dictarum civitatum.

Et tertiò, quòd cauſa electionis novorum Patronorum debeant in ſacra Congregatione deduci, & ab ea examinari, ac demum cauſa cognita ab eadem Congregatione approbari & confirmari.

Et ne præmiſſorum ignorantia ullo unquam tempore poſſit allegari, eadem ſacra Rit. Congreg. ſuprà dictum Decretum imprimi & publicari mandavit.

Jo. Bapt. Card. Detus.

Loco † ſigilli.

T. Tegrimus Secr.

Tale eſt Congregationis Decretum, ſuper quo nonnulla occurrunt explicanda. Primò quidem Decretum ejuſmodi vim non habere niſi in poſterum, ab eo videlicet die quo ipſum latum eſt; adeòque quibus in locis certi jampridem ac determinati habentur Patroni, nihil prorſus eſt innovandum; habentur autem ubique fermè; nec eſt in Gallia noſtra, quod ſciam, is uſus, ut Patroni Diœceſum ſeu Locorum de novo eligantur.

Decretum hoc vim habet tantùm pro Electionibus in poſterum faciendis.

Secundò, Locum habere ejuſmodi Decretum in eligendis quoque Patronis Congregationum, Confraternitatum & aliarum quarumlibet aſſociationum; eſt enim Titulus Decreti abſolutè *ſuper electione Sanctorum in Patronos*.

Valet pro quibuſcumque Patronis eligendis.

Tertiò, Quod prima conditione requiritur, ut nimirum Patroni ii ſolùm eligantur qui ab Eccleſia univerſali Titulo Sanctorum coluntur, ſeu ritè Canonizati ſunt, non autem Beatificati dumtaxat, id eximiè confirmat quod ſuprà *cap. 5. quæſt. 10.* docuimus, nonniſi Sanctis ritè Canonizatis poſſe dicari Eccleſias. Haud tamen aſſentior Gavanto, inde arguenti à fortiori non poſſe niſi Canonizatos in Patronos eligi, *Quod gradus*, inquit, *Patronorum nobilior ſit quam Titularium*; haud, inquam, aſſentior huic rationi, quam dubiam eſſe nec à falſo procul alienam alibi demonſtrabo.

Eligendi tantùm Canonizati.

Gavantus.

Cæterarum ejus decreti conditionum rationes vide apud eumdem Gavantum *ſect. 3. cap. 12. Comment. in Rubr. Brev.*

QUÆSTIO XI.

An & quomodo mutari poſſint Locorum Patroni? An priſtinis novi adjici? An obliterati denuò inſtaurari?

REſp. mutari ſic ut unus dimittatur prorſus, & alter aſſumatur, nec Sanctorum ipſorum gloriæ, quibus conſtans ſemper eſt ſuis nobis interceſſionibus ſuccurrendi voluntas, nec populorum utilitati conducere, quorum ſolida debet eſſe pietas, & ab ejuſmodi mutandi prurigine aliena.

Sancti haſtenus pro Patronis habiti, non ſunt dimittendi.

At ſi de novis ad priſtinos addendis agatur, non abnuo id quidem; verùm nec tentari ſine cauſa legitima, nec niſi ſervato in omnibus præfato Congregationis Decreto, ullatenus debet.

Novi non ſine cauſa admittendi.

Quòd ſi qui demum aliquibus in locis hominum incuria ex priſtino Patronorum gradu exciderint, eos ſuæ dignitati ac juribus reſtituere, nedum illegitimum non eſt, ut id etiam omni cura ſtudioque proſequendum putem; nec ad hoc (veritate comperta) alia opus eſt quàm Superiorum loci authoritate; quibus in hoc caſu fari idem licet, quod olim Ambroſius in inventione corporum SS. Gervaſii & Protaſii: *Patronos habebamus, & neſciebamus: invenimus unum hoc quo videamur præſtare majoribus, Sanctorum Martyrum cognitionem, quam illi amiſerant, nos adepti ſumus.*

Reſtituendi qui exciderant.

Ambroſius.

QUÆSTIO XII.

An detur aliquando Loci Titulus propriè dictus?

REſp. raro admodum id contingere, nec alibi ferè quàm in Indiis, v. g. aliiſque regionibus recens ad fidem converſis, in quibus ut à Myſterio aliquo, putà Conceptionis B. Mariæ aut S. Crucis &c. nomen Provinciæ aut Inſulæ alicui nonnumquam imponitur, ſic etiam Myſterium ejuſmodi Provincia illa aut Inſula pro Titulo habet ſeu feſto præcipuo.

Rarò datur Titulus loci propriè dictus.

CAPUT VIII.

DE FESTIS SECUNDARIIS, SEU minùs principalibus Patronorum.

QUoniam præter primarium Sanctorum Patronorum feſtum, quod quidem in Martyribus dies natalis cenſetur; quo videlicet die, *Martyrii vita, & gloriæ fides*, ut ait Euſebius Emiſſenus, ſeu potiùs Eucherius Lugdunenſis, homil. 50. in Gen. *dum eos ingerit morti, genuit æternitati, & perpetua iis gaudia brevi dolore parturiit:* In Confeſſoribus verò Tranſitus aut Depoſitio, quòd eo utique die *de terra in cælum abierint, de dolore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, ſed fortes & ſtabiles & æternas*, ait eleganter ſuo more Petrus Chryſologus ſerm. 129. Quoniam, inquam, præter primarium ejuſmodi feſtum, contingit non rarò, alia item feſta de iiſdem Sanctis ſub diverſis titulis ac nominibus celebrari; antequam ad alia progrediamur, juvat quæſtiones, quæ de feſtis illis ſecundariis

Primarium Sancti cujuſlibet feſtum, Natalis dies, ſeu Depoſitio.

Euſeb. Emiſ.

Chryſologus.

riis ac minùs principalibus moveri poſſunt, continenti doctrinæ filo pertractare.

QUÆSTIO I.

Quænam univerſim recenſeantur Feſta ſecundaria Patronorum?

Feſta ſecundaria duplicis generis.

CUm ejuſmodi feſta ad principale feſtum perinde ſe habeant, atque appendices quædam ad caput præcipuum, quippe inſtituta ſunt in memoriam ac commendationem facti alicujus particularis ad ipſum Sanctum pertinentis; idcirco ea duplicis univerſim generis recenſeri poſſunt. Aut enim factum ejuſmodi contigit Sancto ipſo adhuc in vivis poſito, aut ipſo jam defuncto.

Feſta Sanctorum de geſtis in vita.

Primi generis ſunt in univerſali Eccleſia, Cathedra S. Petri tum Romana tum Antiochena; ejuſdem item Vinculorum feſtum, quod ad hiſtoriam attinet; Converſio ſancti Pauli, Martyrium ſancti Joannis ante portam Latinam, & Decollatio S. Joannis Baptiſtæ; quò etiam pertinet Apparitio S. Michaelis reſpectu principalis feſti Dedicationis ejuſdem; ſicut & Diviſio Apoſtolorum, quæ in multis antiquis Kalendariis deſcripta reperitur 15. Julii; ad quorum inſtar in particularibus Eccleſiis celebratur inprimis, (quod ad ſanctos Epiſcopos attinet) Ordinatio, quando videlicet ii ad Pontificalem dignitatem aſſumpti, ſeu conſecrati fuere; ſic in Martyrologio Rom. recenſetur Ordinatio S. Baſilii 14. *Junii*, S. Martini 4. *Julii*, S. Gregorii Papæ 3. *Septembr.* S. Ambroſii 7. *Decembr.* & S. Zenonis Veron. 8. *Dec.* Biturigibus item Ordinatio S. Auſtregeſilli 15. *Februar.* Noviomi S. Eligii 14. *Maji*, Doli S. Samſonis 2. *Sept.* Nec dubitaverim ſimilia alibi quoque extare exempla; quamquam plura mihi obſervare hactenus non licuit. Reliqua hujus generis ſingularia ferè ſunt, ſeu aliquorum Sanctorum propria, qualis apud Auguſtinianos Converſio S. Auguſtini, apud Minores Impreſſio SS. Stigmatum in corpore B. Franciſci; Ambiani Ingreſſus S. Firmini in urbem, quando videlicet eò ad prædicandum Evangelium venit, 10. *Oct.* Lemovicis Apparitio S. Martialis, ſeu potiùs Chriſti Domini ad ipſum, decimo quinto die ante ipſius ex hac vita diſceſſum, 16. *Junii*. Reperi & in aliquo Proprio, Reſurrectionem S. Lazari 17. *Dec.* ſed perperam, uti demonſtrabitur aliàs. His adde varias S. Michaelis Apparitiones, quæ diverſis in locis contigerunt, ut in monte Tumba, in finibus Normanniæ, 16. *Octobris*.

Ordinationes Sanctorū Præſulum.

Converſio S. Auguſtini. Impreſſio Stigmatum B. Franciſci &c.

Feſta Sanctorum de geſtis poſt obitum.

Poſterioris generis, quando videlicet factum, quod inſtituendæ feſtivitati occaſionem dedit, ipſo Sancto jam è vivis ſublato contigit, plures ſunt rationes ſeu Tituli, nimirum Inventio, (Corporis utique ſeu Reliquiarum) Elevatio, Relevatio, Tranſlatio, Reductio, Relatio, Suſceptio, Repoſitio, Reſeratio, aliique haud abſimiles, quos multiplex variarum Eccleſiarum uſus induxit; verè ut de Sanctis ipſis jactari illud queat, quod in commendationem Joſiæ Regis quondam ſanctiſſimi habetur Eccleſiaſtici 49. *Memoria Joſiæ in compoſitionem odoris facta opus pigmentarii:* Quippe quam viventes in carne virtutum fragrantiam, ſuis ipſi bonis operibus reſperſerant, eamdem quoque defuncti non ceſſant exhalare, maximè cùm ſacra eorum lipſana vel loco moveri, vel quacunque occaſione contrectari contingit, accedente inſuper, ut ferè ſemper fit, ſignorum ac miraculorum vi; tum enim refricata priſtinæ ſanctitatis memoria, velut extractum ex pyxide pretioſum aroma, fidelium mentes ſuaviſſimo perfundit odore, *& quaſi mel in omni ore indulcata*, ad eorum utique laudes iterata ſolennitate celebrandas invitat. Hincque ortum habuit feſtivitatum ſupradictarum multiplicitas, quam diſtinctis ſeorſim quæſtionibus juvat proſequi.

QUÆSTIO II.

Quid ſit Inventio Sanctorum? Quid Elevatio, Relevatio &c.

Inventio, corporum Sanctorum ignotorum detectio.

INventio dicitur feſtum inſtitutum in memoriam inventi corporis Sancti alicujus, quando videlicet corpus ipſum, ſeu Reliquiæ antea in obſcuro loco jacentes, revelante ut plurimum Numine, non ſine ſignis ac prodigiis in apertum prodierunt; qualis in univerſa Eccleſia colitur Inventio S. Stephani Protomartyris; & in Martyrologio memoratur Inventio SS. Diodori & ſociorum, Nazarii & Celſi, & capitis S. Joannis Baptiſtæ; & hujuſmodi celebres habentur in particularibus Eccleſiis pleræque inventiones, putà S. Dionyſii & Soc. mart. Pariſiis 22. *Apr.* S. Firmini, Ambiani 13. *Jan.* SS. Fuſciani, Victorici & Gentiani, ibidem 27. *Jun.* S. Quintini Auguſtæ Veromanduorum 8. *Julii*, S. Taurini Epiſc. Ebroicis 5. *Sept.* Manicæ B. Mariæ, Cluniaci 15. *Julii*, aliæque alibi.

Elevatio ex humili loco in ſublimiorem erectio.

Elevatio verò dicitur feſtum pari ratione inſtitutum in memoriam elevati corporis, ex humiliori videlicet loco in capſam à ſublimi tergo altaris erectam, prout fert multarum Eccleſiarum uſus; cujuſmodi recenſentur à Molano Elevationes, S. Vanulphi 10. *Jan.* S. Bavonis 1. *Aug.* S. Gisleni 9. *Oct.* aliæque non paucæ. Nec ab hoc etiam ferè quidquam differunt Relevatio, Repoſitio, Reconditio, aliæque ſimiles appellationes, quæ aliàs ſub communiori Tranſlationis nomine frequenter comprehenduntur.

QUÆSTIO III.

Quid ſit Tranſlatio? Quid Receptio, Exceptio, Suſceptio, Relatio, Reverſio &c.

Plurimæ Sanctorum Tranſlationes.

OMnium feſtivitatum hujuſce generis potiſſima ac uſitatiſſima eſt Tranſlatio, qua videlicet recolitur memoria corporis Sancti alicujus olim ex uno loco in alium ſolenni apparatu deportati; cujuſmodi Tranſlationes numero viginti duæ recenſentur in Martyrologio Romano, ut nec plura opus ſit proferre exempla, cùm nulla ſit ferè Eccleſia, apud quam hujuſce uſus ratio non perſeveret; imò nec ullus propè Sanctus, cujus Tranſlatio aliqua non celebretur.

Tranſlationum ejuſmodi cauſa triplex.

At cùm *ex lege 14. Cod. de Religioſis & ſumptibus funerum* nefas ſit humanum corpus ad alium locum transferre; imò & Jure Canonico vetitum ſit, ne quis corpora Sanctorum de loco ad locum transferre præſumat, *Can. Corpora, de conſecrat. diſt.* 1. credendum omnino eſt prædictas Tranſlationes abſque legitima cauſa haudquaquam fuiſſe uſurpatas. Cauſa autem triplex afferri poteſt, & colligitur ex *Can. Tribus, eadem diſt.*

Tranſlata Sanctorum corpora ut tuta eſſent ab Infidelium invaſione.

Prima quidem, ut ab infidelium, vel quorumcunque graſſantium hoſtium vi, ac immanitate, ſacra pignora ſalva atque integra cuſtodiantur, qua ratione SS. Andreæ Apoſtoli, Lucæ Evangeliſtæ Reliquias de Achaja, Timothei ab Epheſo, Samuelis item Prophetæ ex Palæſtina Conſtantinopolim, tranſlatas fuiſſe refert S. Hieronymus adverſus Vigilantium, & Epiſt. 53. ad Riparium. Sic & ipſiuſmet S. Hieronymi corpus ex Bethleem Judæ, & S. Gregorii Nazianzeni Conſtantinopoli Romam, S. Auguſtini ex Hippone Regio in Sardiniam primùm Inſulam, deinde ex Sardinia Papiam; S. Nicolai ex Myra Lyciæ Barium in Apulia; ſic denique irrumpentibus in Galliam Normannis, & omnia ſacra profanaque devaſtantibus circa annum 853. corpus S. Martini Turonibus Antiſſiodorum deportatum fuit, indeque poſt triginta circiter annos Turonas revectum. Quo

S. Hieronymi.
S. Gregorii Naz.
S. Auguſtini.
S. Nicolai.
S. Martini.

item

Digitized by Google

item tempore tradunt tranſlata fuiſſe ex Armorica pleraque Sanctorum corpora in diverſas Franciæ civitates. Sunt & alia innumera ejuſmodi Tranſlationum exempla, ſed hæc retuliſſe ſufficiat.

Tranſlata item Sanctorum corpora ut honeſtiùs conderentur.

Altera cauſa Sanctorum olim corpora transferendi fuit, ut ea honeſtiùs conderentur, ac majori cum decore ſervata fidelium venerationi exponerentur. Quippe cùm antea ſepulta jacerent ut plurimum, vel in ſuburbanis cœmeteriis (cautum ſiquidem erat, ne quis intra civitatum mœnia ſepeliretur, *lege* 12. *Cod. ſupra cit. de Relig. & ſumpt. funerum*) vel certè in ædiculis exiguis; aut ſi in amplioribus quidem Baſilicis, at in tumulis tenuioris apparatus, Sanctorumque ipſorum gloria minùs dignis: factum eſt deinceps, ſeu populorum ſtudio, ſeu Antiſtitum cura ac ſolicitudine, ut ipſa ſacra pignora vel intra civitatum ambitum, ad eorum videlicet tutelam ac præſidium, vel ad auguſtiora demum templa aut altaria magnificentiora transferrentur.

Tranſlatio S. Gatiani Turonenſis.

Sic S. Martinus Turonenſis Præſul S. Gatiani deceſſoris ſui corpus è cœmeterio pauperum extra urbem ad B. Mariæ Eccleſiam poſito, in quo ſepultum ab obitu jacuerat, in principem urbis Eccleſiam, quæ etiamnum de ejus nomine appellatur, magna celebritate traduxit.

Alia item S. Martini.

Sic ipſius quoque S. Martini corpus anno ab ejus tranſitu ſexageſimo quarto, à S. Perpetuo uno ex ſucceſſoribus ſuis in ampliorem & auguſtiorem Baſilicam, quam Perpetuus ipſe exſtruxerat, coacto viciniorum Antiſtitum cœtu, ſolenni ritu repoſitum fuit.

S. Marcelli Pariſienſis.

Sic S. Marcelli Pariſienſis Epiſcopi corpus è ſuburbana ſui nominis Eccleſia, ad ſummam ædem B. Virginis delatum eſt ab Odone Epiſcopo, ſub regno Philippi Auguſti.

S. Germani item Pariſ.

Sic S. Germani Pariſienſis itidem Epiſcopi corpus ex Oratorio S. Symphoriani, in quo plus ducentis annis conſtiterat, in majorem Abbatiæ ſui nominis Baſilicam eſt illatum à S. Leufredo Abbate, favente Pipino Rege.

S. Joannis Chryſoſtomi.

Sic denique, ut innumera alia ejus generis exempla prætermittam, S. Joannis Chryſoſtomi corpus ex Armenia, in qua ipſe exul occubuerat, Conſtantinopolim Theodoſii junioris Imp. opera, inſigni pompa ac celeberrimo præ omnibus Imperatorum triumphis apparatu, reſtitutum fuit.

Tranſlata Sanctorum corpora ad populorum patrocinia.

Tertia denique cauſa Tranſlationum ejuſmodi, ipſum eſt Sanctorum patrocinium, quod ſolicitè ambientes populi, inſpirante, ut augurari licet, Numine, omni ſtudio ſategerunt, ut aliquas eorum reliquias ex locis propriis ſibi compararent, maximè cùm novis Eccleſiis exſtruendis ac dedicandis inſiſtebant. Indeque factum eſt, ut tam multæ Sanctorum Reliquiæ variis in locis diſpertitæ reperiantur; nihil ut verius ſit quàm quod ait S. Baſilius orat. de SS. 40. Martyribus, *Non uno in loco ſe concluſerunt Martyres, ſed in multis hoſpitio recepti multorum patrias ornaverunt*.

Baſilius.

Sic laudatus ſæpè S. Martinus Roma rediens, collectas ex Agaunenſi agro Thebæorum Martyrum, qui ibidem paſſi fuerant, Reliquias ſecum detulit, ex iiſque tres Eccleſias, ſuam nimirum Turonenſem, Andegavenſem & Candatenſem dedicavit. Obvia ſunt ubique paſſim hujuſce rei teſtimonia, ſic ut his immorari ſupervacaneum ſit.

Cur paucæ notantur in Martyrol. Rom. Sanctorū Tranſlationes? *Sanſſayus*.

Rectè autem obſervat Sanſſayus cap. 23. ſui Apparatus, paucas in Martyrologio Romano ſignari Sanctorum Tranſlationes, quòd videlicet Romani Pontifices primis ſæculis difficilè, nec niſi tenues admodum Sanctorum Reliquias è tumulis detrahi paterentur: Roma verò aliò transferri eorum corpora, nullatenus permitterent, ut liquet ex facto & relatione S. Gregorii lib. 3. Epiſt. 30. De qua tamen ſeveritate poſterioribus ſæculis magno multorum commodo non parum remiſſum fuit.

Affines ſunt Tranſlationi, nec niſi ferè nominis appellatione diſcrepantes, quæ in pleriſque Eccleſiis celebrantur, Exceptiones, Receptiones & Suſceptiones, quando videlicet Sanctorum corpora ſeu Reliquiæ aliunde advectæ, receptæ primùm fuerunt.

Exceptio. Receptio. Suſceptio.

Sic in Eccleſia Turonenſi ſolennis eſt 12. *Maji*. Exceptio Reliquiarum S. Mauritii: in Andegavenſi 2. *Dec.* Receptio brachii ejuſdem: in Senonenſi 14. *Nov.* Suſceptio coſtæ S. Mariæ Magdalenæ: in Nivernenſi 27. *Oct.* Exceptio brachii S. Cyrici &c.

Relatio. Reductio. Reverſio.

Eò item pertinent Relatio, Reductio, Reverſio, quando nimirum corpora ipſa ſeu Reliquiæ aliò aſportatæ ſuis poſtmodum Eccleſiis reſtitutæ fuerunt. Sic Attrebati celebratur 15. *Julii* Relatio S. Vedaſti, Pictavis 27. *Auguſt.* Relatio Reliquiarum S. Petri de Alga, Aureliis 4. *Decembr.* Relatio, ſeu ut vocant Benedictini recentiores, Illatio S. Benedicti, quando corpus ejus Floriacenſi monaſterio, unde Aurelias ob Normannorum incurſiones deductum fuerat, ſoluto ad ejus præſentiam quod gelu conſtrictum erat flumine, arboribuſque, repugnante quantumvis anni tempeſtate, in flores erumpentibus, reſtitutum fuit: Turonis item 13. *Decembr.* Reverſio S. Martini, quando corpus ejus Antiſſiodoro Turonas revectum fuit, cum ea quoque portentorum ac ſignorum vi, quam refert, rei geſtæ ſcriptor accuratiſſimus Odo Cluniacenſis, Epiſtola ad Fulconem &c.

QUÆSTIO IV.

De aliis item feſtis ſecundariis Patronorum.

Feſtorum ſecundariorum Tituli alii præter Tranſlationem.

SUnt præter ſuperiores alii inſuper feſtivitatum Tituli, non à corporis quidem aut Reliquiarum tranſpoſitione ſeu motione petiti, ſed vel à ſigno ſeu portento aliquo, quod aliàs ad Sancti alicujus ſepulcrum contigit; vel ab inſigni aliquo beneficio illius interventu obtento, vel denique alio quocunque ex caſu ad ipſum pertinente; eo ferè modo quo in univerſali Eccleſia celebrantur feſta S. Petri ad vincula, in memoriam videlicet ſignorum ac virtutum per ipſamet vincula olim editarum; Commemorationis S. Pauli in ſupplementum veluti Officii natalis ipſius; S. Agnetis ſecundò, ob geminam ejuſdem Sanctæ virginis Apparitionem.

S. Genovefæ Ardentium.

Sic Pariſiis colitur 26. Novembr. feſtum S. Genovefæ Ardentium, in memoriam inſignis illius miraculi, quo deportato ſolemni proceſſione ejuſdem Sanctæ virginis Patronæ corpore è ſua Eccleſia ad ſeniorem Dei Genitricis Baſilicam, ingens ſacro quodam ſeu igneo morbo laborantium numerus illicò ſanitatem recuperavit.

Revelatio S. Gatiani.

Sic etiam in Eccleſia Turonenſi celebratur 19. Octobris feſtum ſub titulo Revelationis B. Gatiani, qua nimirum Beato Martino ad ejus ſepulcrum oranti ac benedici ſibi ab ipſo poſtulanti viciſſim ipſe ſanctus Pontifex auditus eſt è tumulo benedictionem rogans reſpondere.

Subventio S. Martini.

Celebratur item Turonis 12. Maji feſtum aliud ejuſdem S. Martini Subventionis dictum, in memoriam videlicet præſtitæ quondam ſuis civibus à tanto Patrono opis, adverſus Danos ſeu Normannos hoſtes, qui urbem maxima vi invadentes, illato ad portam, qua acrior fiebat irruptio, ſancti Pontificis corpore, ſubito pavore ac mentis alienatione correpti, fuſi omnes fugatique ſunt.

Apparitio S. Crucis.

His adde Titulorum etiam ſtrictè ſumptorum ſecundarias quoque feſtivitates nonnunquam celebrari, uti in Eccleſia Aurelianenſi die 19. Auguſti Apparitio S. Crucis, quando videlicet ſplendidiſſimum ipſius ſignum Conſtantino Magno Imperatori primo omnium Chriſtiano, adverſus Maxentium pugnanti, cum hacce inſcriptione cœlitus apparuit, *In hoc ſigno vinces*.

Non deſunt quoque ſimiles B. Mariæ feſtivita-

tes

Feſta etiam ſecundaria B. Mariæ.

tes particularium Eccleſiarum propriæ, ab inſigni itidem aliqua ipſius apparitione, ſeu gratia ejus interventu ſuſcepta derivatæ: ſed hæ recenſebuntur infrà opportuniùs.

QUÆSTIO V.

An legitima ſit feſtorum ejuſmodi Celebratio?

Feſta ſecundaria uſu vel ſtatuto firmata, legitima ſunt.

RESpondeo, Perquàm legitima; cùm & uſu Eccleſiæ cujuslibet antiquiſſimo, eoque continuo firmata ſit, à quo proinde nulla lege, imò non ſine graviſſima cauſa uſquam recedendum jura omnia pronunciant; & in multis etiam conſtet de ſtatuto Antiſtitum ſeu Conciliorum, quo ejuſmodi feſta primùm ordinata fuerunt, ut patet in recenſitis ſuperiori quæſtione feſtis Subventionis & Reverſionis S. Martini; cujus utriuſque mentionem facit Odo Cluniacenſis in Epiſtola ad Fulconem, qui & poſtremum hoc aſſerit ab Adalaudo Archiepiſcopo Turonenſi & Comprovincialibus Epiſcopis conſtitutione ſynodali anniverſario deinceps ritu juſſum fuiſſe obſervari. Eſt item mentio feſti Receptionis ejuſdem S. Martini in Concilio primo Turonenſi habito ſub S. Perpetuo anno 482. quam quidem ſolemnitatem minùs accuratè Cardinalis Baronius interpretatur de Translatione è priori loco perangusto in ampliorem Baſilicam, cùm revera accipienda ſit de ipſamet corporis in urbe Receptione, quando videlicet ſtatim poſt ſanctiſſimi Pontificis obitum, orta Pictavienſes inter ac Turonenſes controverſia, ſinguliſque illud ſibi vendicantibus, Turonenſes clam ablatum atque navigio impoſitum in ſuam civitatem devexerunt.

Feſtum Receptionis S. Martini non idem eſt quod Translationis.

Hanc autem feſtivitatem à Translatione planè diverſam eſſe, vel ex ipſo Concilii textu certiſſimè conſtat; quippe habitum fuiſſe memoratur 18. Kal. Decembris, cùm Translationis feſtum 4. Nonas Julii perpetuo ſemper uſu celebratum ſit. Porrò etſi feſtum illud Receptionis jam in uſu non ſit, ac eſſe pridem deſtiterit, fortè quòd cùm infra Octavam præcipui feſti videlicet Tranſitus ejuſdem S. Martini incidat, viſum eſt ſufficienter ipſo Octavæ Officio perfici ac compleri; ex eo tamen firmatur maximè quod intendimus, uſum videlicet fuiſſe olim receptiſſimum feſta ejuſmodi ſecundaria in honorem Sanctorum inſtituendi, ac quotannis celebrandi. Et verò habentur litteræ Apoſtolicæ Calliſti Papæ II. quibus ſtatuitur ut 3. Calendas Januar. celebretur S. Jacobi Apoſtoli Translatio Jeroſolymis facta Gallæciam, itemque Electio; rurſus autem ut 5. Non. Octobr. ſolemnitas agatur, qua recolantur ejuſdem S. Jacobi Miracula.

Translatio aliaque feſta S. Jacobi.

QUÆSTIO VI.

Quid ſi dubia ſit Translatio, aliave talis ſolemnitatis inſtituendæ cauſa?

Controverſia de Translatione corporis S. Benedicti.

DUbium hoc locum habet maximè in Translatione corporis S. Benedicti è monaſterio Caſſinenſi in Galliam, qua de re Gallos inter ac Italos gravis extat controverſia, his inficiantibus, illis aſſerentibus. Tantam ego litem dirimere non ſuſcipio, cujus vel aditum ipſe Illuſtriſſ. Cardin. Baronius, perinde ac denſi cujuſdam ſpineti refugere ſe profitetur anno 664. At cùm idem ipſa perpenſis utrimque rationibus eò tandem deveniat, ut Pauli Diaconi, qui & illo ſæculo vixit, quo Translatio iſta dicitur accidiſſe, & in præfato Cœnobio Caſſinenſi diem extremum clauſit, mentem probet & amplectatur; qua videlicet aſſerit, translata quidem fuiſſe oſſa, remanſiſſe verò redactas in pulverem carnes, eam nos quoque opportuniſſimam conciliandæ utriuſque ſententiæ rationem ſequimur, maximè cùm ut ait idem Baronius ex Greg. Nazianz. non inſolitum ſit fideles, piè ſanctèque corpus integrum venerari, ubi tantùm tenuis pulviſculus habeatur Sancti alicujus, quòd ejuſdem ſit virtutis cujus integrum corpus. Eſto ergo abſtineant pro ſuis rationibus ab ejuſmodi feſto Itali, apud quos conditum eſt authoritate Pauli V. Breviarium Monaſticum; non ideo tamen ab eo celebrando ceſſare debent noſtrates Galli, aut illud ex Calendariis propriis, in quibus ferè omnibus conſignatum habetur, expungere, quibus utique favet continuata jam inde à mille circiter annis poſſeſſio.

Baronius.

Paulus Diaconus.

Greg. Naz.

Oppoſita in contrarium reſolvuntur.

Nec obſtat quod in contrarium affertur Urbani II. diploma; illud ſiquidem ex appoſitis temporum notis Baronius ipſe impoſturæ arguit anno 1088. Non eſt item quòd ulli ſcrupulum moveat periculum falſæ enunciationis in divinis Officiis, cui incommodo ut occurreretur in antiquo Breviario Congreg. Caſalis Benedicti, loco Translationis, repoſitum fuerat in Calendario, *Veneratio B. P. Noſtri Benedicti*: cùm & facilè vitari poſſit in decurſu Officii, mentio ejuſmodi Translationis: & verò ſi fiat, falſi loco minimè habendum, quod tam diuturni uſus & bonorum ſatis authorum teſtimonio comprobatur; imò & ex parte ſaltem, juxta allatam ſuprà diſtinctionem, pro vero ac legitimo ſic haberi debet, ut prudenter à nemine rejici poſſit. Lege, ſi lubet, copioſum de hac re tractatum apud Carolum Sauſſayum in ſuis Eccleſiæ Aurelianenſis Annalibus, & ex hoc interim uno exemplo, quid in ſimilibus judicandum ſit, tu ipſe collige.

QUÆSTIO VII.

An cujuslibet Sancti feſta omnia ſecundaria celebrari debeant in ſingulis Eccleſiis quarum Patronus eſt?

FEſtorum ejuſmodi duplex tibi genus hic diſtinguendum: Alia ſiquidem ſingularem quemdam ad certa loca ſeu Eccleſias reſpectum habent, iiſque veluti alligata videntur, ut ſunt Turonis Reverſio & Subventio S. Martini, Ambiani Ingreſſus S. Firmini in urbem &c. Et hujuſmodi quidem ut extra loca illa, ſeu Eccleſias proprias fiant, nec ratio ulla probat, nec talis eſt ulIibi uſus. Alia verò ſunt Sanctorum ipſorum propria quidem, non tamen ſic ut ad unum aliquem locum ſeu Eccleſiam ex ſe reſtringantur; ejuſmodi ſunt Translationes SS. Andreæ, Martini, Nicolai, & aliæ in Martyrologio conſignatæ, quas utique ab ſingulis Eccleſiis, quæ iis Sanctis dicatæ ſunt, aut ad eos aliquo modo pertinent, ritè celebrari docet uſus communis, quem damnare temeritati ducerem.

QUÆSTIO VIII.

An & qua authoritate induci de novo queant ejuſmodi feſta?

QUæſtionis hujus duplex poteſt eſſe ſenſus, nempe ut intelligatur primò de feſto ſeu Officio celebrando, eo ipſo die quo de facto contingit Translatio, Receptio, Elevatio ſeu alia ſimilis ſolennitas circa Corpus, ſeu Reliquias Sancti alicujus. Secundò de Anniverſario ejuſdem ſolennitatis Officio ſingulis deinceps annis, recurrente eadem die, peragendo.

Authoritate Epiſcopi poteſt fieri Officium Tranſlationis Sancti, ipſo die quo ejus Corpus ſeu Reliquiæ transferuntur.

Quod ad primum ſenſum attinet: Reſpondeo poſſe authoritate Epiſcopi, & aliorum quibus ex jure competit divinorum Officiorum ordinatio, feſtum ſeu ſolenne Officium de eo ſive de iis Sanctis, eo die celebrari, quo ejus vel eorum corpus ſeu reliquiæ de facto transferuntur, elevantur,

reci-

recipiuntur &c. Hæc aſſertio tantùm patitur difficultatem pro iis, qui Breviario Romano utuntur, ob inhibitas per Bullam Pii V. ac deinceps per Decretum Sacræ Rituum Congregationis, juſſu Urbani VIII. in fronte Breviarii appoſitum, quaſcumque additiones, ſeu immutationes. Cæteris namque Prælatis quibus integrum ſtat Breviarii proprii jus, liberum id èſſe fatetur Bonacina *de Horis Canon. diſp. 1. quæſt. 13. puncto 1.* cui nemo Doctorum quem ſciam, contradicit. Sed & aliis æquè omnibus, qui Romani Breviarii uſum habent, perinde id fas eſſe nihil ego dubitem aſſerere; eo quia in caſu propoſito juſta de cauſa, ac una tantùm vice fit ejuſmodi mutatio; quod minimè improbant probati authores, Suarez *tomo 2. de Religione lib. 4. cap. 11. num. 6.* cum aliis quos ipſe citat, Jacobus de Graffiis *lib. 2. cap. 52. num. 18.* Coſmas Philiarchus *lib. 1. cap. 6.* Gavantus ipſe *Comment. in Rubr. ſect. 1. cap. 5. titul. 2. num. 7.* qui Suari conſentiens, ab illicita mutatione eam excipit, quæ fit ab Epiſcopo non ex lege, & quaſi permanenter. Denique Honufrius inſignis Doctor Bononienſis, cujus laudatum hac de re tractatum Gavantus ſuis Commentariis adjecit, licèt totus ſit in confutanda eorum ſententia, qui aſſerunt, invertere modum divini Officii præſcriptum in Breviario novo Pii Quinti non eſſe peccatum mortale, hanc nihilominus primam omnium concluſionem diſertè habet, *Id aliquando ex rationabili cauſa facere, non eſſe aliquod peccatum.*

Bonacina. Suarez. Graffiis. Philiarchus. Gavantus. Honufrius.

Addo ego talem mutationem, nedum peccati damnandam videri, ut ne inverſio quidem dici magis debeat, quàm quorumcumque Feſtorum propriorum facta ſuis diebus celebratio; hanc autem, ſiquidem ex præſcripto Rubricarum fit, inverſionem nemo rectè appellaverit. Dices hanc à Rubricis permitti, ſeu etiam præſcribi, illam verò non item. Sed eſto, potuit quidem, imò debuit prior illa ſic præſcribi, utpotè quæ quovis anno recurrit; non ſic iſta poſterior, quæ cùm non ordinariè, ſed ex accidenti tantùm, ac ſemel dumtaxat eveniat, nihil per Rubricas novi Breviarii derogatum eſt juri eorum, quorum eſt, quid in tali caſu agendum ſit, decernere.

Non omnis mutatio officii dicenda inverſio.

Imò verò (ut quæſtioni propoſitæ ſecundùm alterum quoque ſenſum ſatisfaciamus) ajo Epiſcopum, alioſve quibus id competit, etiam Breviario Romano utentes, poſſe item anniverſarium Feſtum ejuſdem Translationis, Elevationis, Suſceptionis &c. perpetuis deinceps temporibus celebrandum indicere, maximè cùm ſigna aliqua, ſeu gratiarum virtutes, (ut in his perſæpè contingit) aliave occurrerint, quæ rem maximè commendent, perpetuaque apud poſteros memoria dignam reddant. Ratio eſt, quòd neque Rubricæ novi Breviarii Pii Quinti, neque prælatum Decretum Urbani Octavi authoritate ſancitum, quidquam adimant poteſtatis, quam hac in parte habent ex jure Prælati Ordinarii: id enim dicto Decreto prohibetur dumtaxat, ne Officia ulla Sanctorum Calendariis etiam propriis addantur, niſi ea quæ Breviarii Romani Rubricis, vel Sac. Rituum Congregationis ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur; item ne in ritu quidquam propria authoritate immutetur: quorum neutri in caſu propoſito contravenitur: nam & Feſtum ejuſmodi, perinde ac cætera propria, à Rubricis conceſſum eſſe contendo; & in ejus ritu, nihil propria authoritate, hoc eſt nulla alia ratione quàm pro nutu & arbitrio decernitur; cùm juſta ſit aliunde, ut ſuppono, id præſtandi ratio: non ſecus ac Prælatus, qui Feſtum v. gr. quod in Calendario ſimplex eſt, ritu duplici deinceps in ſua propria Eccleſia celebrandum ſtatuit, eò quòd Sancti illius Reliquiæ notabiles recenter acceptæ ſunt, licèt id propria authoritate faciat, inconſultoque

Poteſt item anniverſarium feſtum ejuſmodi Translationis ab Epiſcopo inſtitui.

Pontifice: quia tamen nonniſi rationabili de cauſa, eaque Rubricis conformi facit, idcircò prædicto Decreto nequaquam contravenire dicendus eſt. Cui ſanè explicationi contrarius non eſt cit. Gavantus, cùm ait non poſſe mutationem ullam præſcribi ab Epiſcopo, *ex lege, aut quaſi permanenter*; id enim tantùm aſſerit de mutatione facta propria authoritate, hoc eſt, ut dixi, pro nutu & arbitrio decernentis, ſine ulla alia legitima cauſa; unde videtur ipſe Gavantus ſibi contradicere, dum ait *ſect. 2. cap. 2. num. 26. Non poſſe fieri Officium eo quia translatio eſt Reliquiarum.*

Gavantus.

Hujus porrò rei exempla etiam recentiora nonnulla ſuppetunt. Anno ſiquidem 1636. *Nonis Sept.* Veneti in Armotica facta eſt à D. Sebaſtiano de Roſmadec Epiſcopo Venetenſi ſolemnis Translatio S. Vincentii Ferrarienſis, ex priori tumulo in ſacellum ad ejus honorem decentiùs erectum, ſtatutumque ut recurrente ſequentibus deinceps annis eodem die, ejuſdem Translationis Feſtum ageretur. Itidem in Eccleſia Andegavenſi anno 1643. accepta inſigni Reliquia S. Innocentii Martyris ex legione Thebæa, ejuſdem Suſceptionis Feſtum inſtitutum eſt quotannis 5. *item Sept.* celebrandum authoritate D. Claudii de Rueil Epiſcopi Andegavenſis, de conſenſu Capituli ejuſdem Eccleſiæ. Denique in Eccleſia Abbatiali Majoris Monaſterii Ordinis S. Benedicti inductum eſt *die 22. Julii* novum Feſtum in Memoriam Exceptionis Reliquiarum S. Martini, quæ è Monaſterio Cluniacenſi anno 1641. eò tranſmiſſæ fuerunt; ut videas quàm Eccleſiarum uſui pariter & rationi conformis ſit noſtra hæc tota reſponſio.

Exempla Translationum de novo inſtitutarũ.

Illud verò quod addidi valere hæc maximè cùm ejuſmodi Translationes ſignis & portentis à Deo illuſtrantur, cauſam indicat, ex qua factum eſt, ut eæ olim tam ſolemnes haberentur, probatque adeò nihil minùs agendum hiſce temporibus, ſi quando fortè ſimile aliquid contigerit.

Quid faciat Translationes illas eſſe ſolemnes.

Ad extremum, duo hic obſervata velim, quæ objiciendis aditum omnem præcludent; alterum, quæſtionem hanc totam de Sanctis dumtaxat Canonizatis intelligendam, non autem de Beatificatis, utpotè quibus nihil publici cultus tribui debet, præterquam quod à Summo Pontifice conceditur, ut ſuprà definitum eſt. Alterum, quod de anniverſario Sanctorum etiam Canonizatorum Translationis Feſto inſtituendo dictum eſt, ſic accipi debere, ut inſtitutio ejuſmodi fiat in ipſo Translationis actu, ſeu non multò pòſt, adeò ut anno proximè ſequenti recolatur: nam ſi jam aliqui à facta primùm Translatione intercesſerint anni, non putaverim anniverſarium illius Feſtum deinceps legitimè poſſe introduci, ratione ducta à ſimili de Dedicationis Feſto, quod extra actum dedicandi mutari non poſſe ab Epiſcopo, declaravit Sac. Rituum Congregatio *die 16. Octobris* 1604. Idemque de Feſto Ordinationis aliuſve prioris generis, pari ratione dictum velim; quæ nunquam uſitata priùs, de novo poſſe induci, author non ſum. At ſi caſu aliquo intermiſſum jampridem fuerit Translationis ejuſmodi Feſtum aut Ordinationis, aliudve ſimile, quod conſtat fuiſſe legitimè uſitatum aliàs, pari jure illud poſtliminiò revocari poſſe judico, quo intermiſſum itidem Dedicationis Feſtum reſtitui debere dictum eſt ſuperiùs cap. 3. q. 5.

Feſta Translationum & alia ejuſmodi, nonniſi de Sanctis Canonizatis inſtituenda.

Inſtituenda in ipſo actu Translationis.

Intermiſſum Translationis feſtum poteſt reſtitui.

Denique plures ejuſdem Sancti Translationes, ſi quando fortè occurrant, ad unam, eamque omnium potiſſimam redigi poſſe, demonſtrat uſus Eccleſiæ Andegavenſis, in qua cùm variæ olim S. Maurilii Translationes variis diebus celebrarentur, ſub una jam omnes ſolemnitate recoluntur die 19. Octob. opportuno ſanè ac laudabili compendio.

Translationes plures in unam redigi poſſũt.

QUÆSTIO IX.

An ſub aliis præterea Titulis inſtitui queant Feſta ſecundaria?

VIx excogitari poſſunt ulli, qui non ad præmiſſos facilè revocentur, niſi fortè ſequentes duo, de quibus quæſtio moveri poteſt.

Canonizatio dupliciter accipitur.

Alter eſt Canonizatio, quæ item dupliciter accipi poteſt, vel pro ipſo die quo Beatus aliquis à Summo Pontifice in Sanctorum numerum ritu ſolemni aſcribitur, vel pro anniverſaria ejuſdem diei ſolemnitate. De primo ſic ſtatuo: Moris non eſt, ut quo die Sanctus aliquis à Pontifice canonizatur, eo die de ipſo fiat Officium; ut patet ex Canonizatione Sancti Franciſci de Paula, & aliis ferè omnibus, in quibus de Sancto Canonizato Collecta dumtaxat in Miſſa ſub una concluſione pronunciatur. Si tamen concedat Pontifex, ut cùm primùm diploma Canonizationis ad notitiam venerit, ſolemne Feſtum fiat de Sancto Canonizato, uti conceſſit Gregorius XV. de SS. Iſidoro, Ignatio, Franciſco Xaverio, Philippo Nerio, & Tereſia, dubium non eſt quin id ſit legitimum.

Non ſolet fieri feſtū de Canonizatione Sancti ipſo die quo Canonizatur à Pontifice.

Non tamen inde conſequens eſt liberum eſſe anniverſariam ejuſdem ſolemnitatis diem inducere, cùm hujuſce rei uſus non extet; & ratio afferri poteſt, quòd cum Canonizatio nihil aliud ſit, quàm pii hominis defuncti, quòd is Sanctus ſit, declaratio, adeòque Feſtum illius quotannis ſuo proprio die recolendi conceſſio, utrumque illud ipſamet anniverſaria Natalis ejuſdem celebritate ſufficienter reenlitur. Scio celebrari in Eccleſia Briocenſi Feſtum Canonizationis S. Guillelmi Epiſcopi *die* 15. *Aprilis*, ut & S. Nicolai Tolentinatis in proprio Eremitarum S. Auguſtini 5. *Junii*, & S. Franciſci de Paula in Ordine Minimorum *die* 4. *Maji*, quæ tria dumtaxat hujuſce rei exempla colligere licuit: at hæc non puto ſine peculiaris Pontificis conceſſione fuiſſe introducta; alioqui concludendum eſſet cujuslibet Sancti Canonizati liberum eſſe duo Feſta celebrari, Natalis videlicet & ipſius Canonizationis; quod nemo dixerit. Quare rectè infert Gavantus *ſect.* 2. *Comment. Brev. cap.* 2. *n.* 26. recenſens cauſas non legitimas mutandi Officii: *Neque eo quia in aliquo loco celebrata eſt aliquando à Papa alicujus Sancti Canonizatio.*

Non eſt in uſu ut fiat anniverſarium feſtum Canonizationis.

Feſta Canonizationis Sanctorum aliquot conceſſa.

Alter Titulus eſt, Nativitas in hunc mundum, quam præter Chriſti Domini ejuſque Matris Beatiſſimæ Virginis, nullius Sancti, niſi ſolius Joannis Baptiſtæ, Feſto die recolere conſuevit Eccleſia, eò quòd, ut ait Auguſt. ſerm. 23. de Sanctis, *aliorum Sanctorum fides poſteà Domino adhæſit, ſed nullius illorum nativitas Domino militavit.* Eſſetque adeò temeritatis, fortè & erroris damnandum, ſi quid ſecus à quoquam tentaretur: errantque de facto, qui Feſtum S. Agnetis ſecundò, pro natali in hunc mundum ipſius die interpretantur, cùm ſit magis Feſtum Apparitionis, uti eos refutans docet Gavantus *ſect.* 7. *cap.* 3. *num.* 28. Imò & cenſura non caret, ſi cùm dies neſcitur, quo Sanctus aliquis ex hac vita migravit, dies quo natus eſt, ad recolendam ejus memoriam aſſignetur.

Nullius Sancti nativitas in hunc mundum feſto recolitur.

QUÆSTIO X.

An contingat aliquando Feſtum ſub prædictis Titulis inſtitutum eſſe primarium ſeu principale?

REſpondeo, id occurrere primò quando Eccleſia ſub iis Titulis eſt dedicata, ut de Titulis S. Petri ad Vincula, S. Joannis ante Portam Latinam, & aliis dictum eſt ſuprà *cap.* 6. *quæſt.* 14.

Secundò, quando cum Tranſlatione, v. g. aut alia ſimili ſolemnitate, coincidit etiam aut Dedicatio Eccleſiæ, aut Reliquiarum Suſceptio, aut ſimilis alia celebritas: quò pertinet illud Gregorii Turonenſis lib. 2. Hiſt. cap. 14. de Baſilica Sancti Martini: *Solemnitas hujus Baſilicæ triplici virtute pollet, Dedicatione Templi, Tranſlatione Corporis Sancti, & Ordinatione ejus Epiſcopatus: hanc enim* 4. *Nonas Julias obſervabis, Depoſitionem verò ejus* 3. *Idus Novembris eſſe cognoſces.* Fuit enim hoc aliàs uſu receptum, ut Tranſlationes Corporum Sanctorum, tum maximè fierent, cùm Baſilicæ ſub eorumdem nomine dedicarentur; ut exemplo ſunt Aureliæ Dedicationes Eccleſiarum S. Evurtii & S. Aniani, ſimul cum Tranſlatione eorumdem Sanctorum, uno eodemque die concurrentes, & aliæ alibi.

Plures ejuſdē Sancti ſolemnitates ſimul junctæ. Gregorius Turonenſis.

Tertiò, quando principale Feſtum Sancti alicujus ab Eccleſia univerſali recolitur alio die quàm Tranſitus ipſius, ut fit in SS. Ambroſio, Chryſoſtomo, Baſilio & aliis; quod tamen non adeò ſolemne eſt, ut non aliquando ſecus fiat. Rhemis ſiquidem Feſtum principale S. Remigii non cum univerſali Eccleſia die 1. Octobris, qui dies Tranſlationis eſt, ſed ipſo die Tranſitus qui eſt 13. Januarii, celebratur.

Quartò denique ob frequentiorem populi concurſum, aut celebriorem apparatum in Tranſlatione, aliave ſimili ſolemnitate ab omni ævo fieri ſolitum magis quàm in die Natali ſeu Tranſitus: ſic in multis Eccleſiis S. Stephani, ſolemnius habetur Feſtum Inventionis ipſius 3. Auguſti, quàm Natalis 26. Decemb. fortè quòd hic ex confinio Nativitatis Domini nonnihil obſcuretur; ob eamdem fortè cauſam in Eccleſiis S. Thomæ Apoſtolo dicatis, pro præcipuo habetur Feſto ipſius Tranſlatio 3. Julii, præ Natali 21. Decembris.

His tamen non obſtantibus, ſervari ſemper debet diei Natalis ſeu Tranſitus ſuum jus ſuaque prærogativa, ut nimirùm pro præcipuo habeatur, quantumcumque perinde celebres recolantur Inventionis, Tranſlationis, aliique ſimiles dies; nec ſecus in Eccleſiis benè ordinatis fieri video. Nam in Eccleſiis Bituricenſi, Senonenſi, & aliis S. Stephano dicatis, licèt ſolemni admodum ritu celebretur Feſtum Inventionis prædicti Martyris, nihil tamen quidquam inde Natali ipſius detrahitur. Item in Eccleſia S. Martini Turonenſis, Tranſlatio dicti Sancti quantumvis valdè celebri, ut ſuprà memoravimus, præſtat nihilominùs adhuc dies Tranſitus. Et ut id obiter dicam, puto illius Eccleſiæ imitatione factum, ut pleræque aliæ geminum æquè ſui Patroni Feſtum ſolemne, hyeme unum, æſtate alterum habere affectaverint. Sic eſt Turonis item Feſtum hyemale & æſtivale S. Gatiani, nimirùm Tranſitus 18. *Decemb.* & Tranſlatio 2. *Maji*. Pictavis itidem S. Hilarii 13. *Januarii*, & 26. *Junii*. Aurelius S. Aniani 17. *Novembr.* & 14. *Junii*. Denique multis in locis S. Nicolai 6. *Decembris*, & 9. *Maji*.

Nihil Natali minuendum ob ſolemnitatem feſti ſecundarii.

Multorum Sanctorum celebratur feſtum unū dictum hyemale, & aliud æſtivale.

Unus eſt inter omnes S. Joannes Baptiſta, cujus Feſtum præcipuum non ipſius Martyrii dies, quo ab Herode decollatus eſt, ſed ipſa Nativitas, qua ſanctificatus, jam inde ab utero ex Eliſabetha matre ortum accipiens, adfuturi ſtatim Salvatoris adventum, quaſi Solem Stella prævia nunciavit.

Præcipuum S. Jo. Baptiſtæ feſtū ipſius Nativitas.

QUÆSTIO XI.

An aliorum quàm Patronorum dentur Feſta ſecundaria?

REſpondeo: In pleriſque Calendariis Eccleſiarum Galliæ propriis reperiuntur hæc duo maximè, Tranſlatio S. Martini 4. *Julii*, & S. Nicolai 9. *Maji*, puto ob ingentem numerum Ec-

Tranſlationes S. Martini & S. Nicolai paſſim fiunt.

cleſiarum utriuſque nomine dedicatarum, necnon frequentem populorum ex recepta olim conſuetudine, erga utrumque devotionis affectum.

Aliæ item Sanctorum Translationes.

His affinis eſt Translatio S. Benedicti, de qua fit mentio in Breviariis Pariſienſi, Carnutenſi, Aurelianenſi, Cenomanenſi, & pleriſque aliis 11. *Julii*, tum propter celebritatem illius Translationis, tum in ſupplementum Feſti principalis ejuſdem Sancti, quod in multis Eccleſiis omittitur. Item Translatio S. Andreæ, S. Eligii, & aliæ nonnullæ. Celebris quoque eſt paſſim in Gallia Apparitio Sancti Michaelis Archangeli in monte Tumba 16. Octobris, ob inſignem Abbatiam in honorem illius Archangeli ibi erectam, frequenteſque ad eam ex tota Gallia peregrinationes. De quibus omnibus ſic univerſim ſtatuendum mihi videtur, ejuſmodi Feſta ſecundaria Sanctorum extra Eccleſias, quarum ii Patroni ſunt, haud valere, niſi vel jure Breviarii proprii, ubi videlicet ipſum integrum adhuc perſeverat; vel certè ubi Breviatis Romani uſus habetur, vi conſuetudinis, aliamve ob cauſam ex iis, quæ infrà recenſebuntur.

CAPUT NONUM.

De Festis Sanctorum, quorum in ſingulis Eccleſiis habentur Reliquiæ.

Bellarminus. Petavius.

PAtronis ſeu Sanctis Eccleſiarum Titularibus proximi ſunt iis, quorum ſacra pignora ſeu Reliquiæ in ſingulis Eccleſiis aſſervantur, ſive in capſis ligneis aut argenteis Altari deſuper fixis, ſive in Thecis quas Reliquiaria vocant, ligneis itidem vel argenteis, loco facilè mobilibus, ex pio juxtà & antiquiſſimo ritu, quem pluribus defendit contra Novatores Lutheranos & Calviniſtas Illuſtr. Cardin. Bellarm. *toto lib. 2. Controverſiarum de Sanctis*, ac recentiſſimè Petavius noſter Theologicorum Dogmatum de Incarnatione *lib. 14. cap. 11.* Verè enim ait Maximus Taurinenſis hom. de Natali Tauricorum Martyrum,

Maximus Taurinenſis.

Cuncti Martyres devotiſſime percolendi ſunt, ſed ſpecialiter ii venerandi ſunt à nobis, quorum Reliquias poſſidemus. Illi enim nos orationibus adjuvant, iſti etiam adjuvant paſſione. Cum his autem nobis familiaritas eſt: ſemper enim nobiſcum ſunt, nobiſcum morantur, hoc eſt & in corpore nos viventes cuſtodiunt, & de corpore recedentes excipiunt.

Occurrit illud quidem frequentiſſimè, eorum Sanctorum haberi Reliquias, qui & iidem Eccleſiarum Patroni ſunt ſeu Titulares, quo nomine jam de iis egimus ſuprà multoties, maximè verò *q. 6. cap. 5.* At cùm aliorum quoque Sanctorum perſæpè habeantur Reliquiæ, de iis jam ſupereſt inveſtigandum, quippè *quorum*, ut ait Ambr. lib. de viduis, *videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare.*

Ambroſius.

QUÆSTIO I.

An in qualibet Eccleſia faciendum ſit Feſtum ſeu Officium de Sanctis, quorum habentur Reliquiæ?

Calendaria feſta Sanctorum, quorum habetur Reliquiæ.

REſpondeo affirmativè, juxtà quod uſus, authoritas & ratio demonſtrant. Uſus quidem omnium penè Eccleſiarum, quarum ſuperfluum eſſet inductionem attexere. Authoritas verò Sac. Rituum Congregat. quæ decrevit *die 23. Novembris* 1602. quòd de Sancto cujus Reliquia inſignis habetur, & approbata, poteſt fieri Officium duplex. Cui addit Gavantus *Comment. in Rubric. Brev. ſect. 3. c. 3. n. 3.* de Sancto, cujus Reliquia non inſignis habetur, Officium debere eſſe ſemiduplex, ad differentiam inſignis Reliquiæ. Et verò pridem ſtatuerat Concilium Turonenſe ſub Nicolao I. habitum cap. 61. *Sanctorum quorum corpora in Eccleſiis poſſidentur feſtivitates agendas eſſe, atque iiſdem venerationis debita obſequia referenda.* Ratio denique id ſuadet; ideò enim corpora ſeu Reliquiæ Sanctorum in Eccleſiis præ aliis locis reconduntur, ut eorum videlicet Memoria ibidem digniùs recolatur: quæ cauſa una eſt ex multis, ob quam Eccleſiæ ipſæ, etiam memoriæ apud veteres ſcriptores paſſim appellantur: *Solemus*, inquit Rupertus lib. 9. de glorificatione Trinitatis, *Baſilicas Martyrum appellare memorias eorum, pro eo quòd ibi pſallendo & confitendo memoramus Martyria illorum.* Id autem propriè fit in decurſu divini Officii, quod cùm in Oratoriis privatis, ſeu ædiculis Clero deſtitutis non ſoleat cantari; hinc fortè ortum habuit Canon 25. Concilii Epaunenſis, ſanè in hanc rem valdè memorabilis: *Sanctorum Reliquiæ in Oratoriis villaribus non proponantur, niſi forſitan Clericos cujuſcumque Parochiæ vicinos eſſe contingat, qui ſacris cineribus pſallendi frequentia famulentur.*

Gavantus. Conc. Turon. Rupertus. Concilium Epaunenſe.

Gyyot. Heortologia.

QUÆSTIO II.

Quales debent eſſe Reliquiæ, ad hoc ut de Sanctis quorum ſunt, fiat Officium?

Debent Reliquiæ eſſe approbatæ.

REſpondeo, requiri ut ſint approbatæ ac notabiles. Approbatæ quidem ſive uſu & continua jam inde à priſcis temporibus traditione; ut in iis Sanctis, qui cùm aliquo in loco objerint, eorum corpora integra aut maximam partem ibidem depoſita, in tumulis aut capſis deinceps ſervata fuere; ſive legitimis inſtrumentis, Epiſcopi videlicet & aliorum ad quos ſpectat; ut fit in aſportatione, receptione, translatione, reconditione, & quavis alia oſſium, ac quorumcumque ſacrorum pignorum attrectatione.

Debent item eſſe notabiles.

Notabiles verò cenſentur non tantùm inſigniores illæ quas memorat præfatum Congregationis Decretum, nempè Caput, Brachium, Crus, &c. item pars illa in qua paſſus eſt Martyr; ſed etiam quæcumque alia pars, quæ vel integrum per ſe eſt ipſa corporis membrum, licèt alioqui modicum, ut digitus, coſta &c. vel certè grandioris membri pars non modica, putà capitis, brachii &c. Denique quæcumque pars in corpore vivo notabilis eſt, ea itidem in demortuo cenſeri debet, & è contra. Quare vix ſunt notabiles unquam Reliquiæ illæ quæ in parvulis orbibus incluſæ, à privatis hominibus piè omninò ac religioſè è collo geſtantur.

Reliquiæ exiguæ ſunt pulvis, cineres &c.

Pro exiguis item haberi debent pulvis ac cineres, niſi cùm & ipſæ acervum faciunt. Veſtes verò, ſudaria, panni & quæcumque alia Sanctorum ſupellex, licèt fortè habita molis ſeu quantitatis ratione in notabilium Reliquiarum numero ſæpè reponantur; quantum tamen obſervare potui, non eſt uſu receptum, ut earum rerum intuitu præcisè de Sanctis ad quos pertinent, divinum celebretur Officium; niſi fortè ſint ipſa inſtrumenta martyrii, vel inſignis miraculi, &c. putà lapides S. Stephani, craticula S. Laurentii, ſudaria & ſemicinctia Sancti Pauli, & ſimilia, quæ omninò pro notabilibus & verò etiam pro inſignibus haberi debent.

QUÆSTIO III.

Quid ſi dubiæ ſint & incertæ Reliquiæ?

DUplex circa Reliquias poteſt eſſe dubium: Alterum, an verè ſint Sancti alicujus? Alterum, cujuſnam Sancti?

Nulla Reliquiæ exponendæ, nec de iis Officium faciendum, niſi fuerint approbatæ.

In primo ſi hæretur, cavendum ne Reliquiæ ullæ ad venerationem publicè exponantur, adeòque multò ampliùs ne de iis divinum celebretur Officium, quin priùs vindicatæ, ac legitimo teſtimonio probatæ fuerint. Et quidem ſi de novo inventæ ſunt, ipſius Romani Pontificis authoritate approbari debere ſtatuit Innocentius III. in Concilio Lateranenſi, & habetur *cap. Cum de eo, de Reliquiis & veneratione Sanctorum*: quæ tamen approbatio non ſic accipienda eſt, ut ad Summum Pontificem pertineat declarare, quòd tales Reliquiæ tales ſint Sancti; ſed quòd Sanctus ille, cujus eſſe aſſeruntur, verè Sanctus ſit; quod decernete, ſolius eſſe Romani Pontificis, jam Alexandri III. Conſtitutione definitum fuerat, *cap. Audivimus, ibidem*, occaſione hominis cujuſdam, quem licèt in ebrietate occiſum quidam quaſi Sanctum venerabantur. Quò pertinet item celebris illa hiſtoria, quam refert Severus Sulpitius *lib. de vita S. Martini cap.* 8. de tumulo Latronis cujuſdam, quem quaſi Martyris vulgi errore in honore habitum Sanctus ipſe Martinus detecta fraude abſtulit. Item exemplum aliud quod recitat Optatus Mileviranus *lib. 1. adverſus Parmenianum*, Lucillæ cujuſdam potentis ac factioſæ fœminæ à Cæciliano Carthaginienſi Archidiacono reprehenſæ, quòd os hominis demortui, etſi Martyris, nondum tamen vendicati, cultu etiam ſuperſtitioſo afficeret. Ex quibus videas, quàm opportunè cautum ſit, ne Reliquiæ novæ, ſeu ullius Sancti, niſi quem probè conſtet vendicatum ſeu canonizatum fuiſſe, palam ad venerationem exponantur. Quæ autem legitima ſit Canonizatio, & quomodo de ea certò conſtare poſſit, dictum fuit ſuprà *cap. 5. quæſt. 7.*

Reliquiæ de novo inventæ ut debent approbari.

Severus Sulpitius.

Optatus Mil.

Debent Reliquiæ ab Epiſcopo recognoſci prius quàm de iis fiat Officium.

Quòd ſi Reliquiæ inventæ de novo ejus fuerint, qui jampridem Sanctorum Catalogo aſcriptus habeatur, poterunt illæ quidem exponi, adeòque de Sancto vel Sanctis, cujus vel quorum ſunt, fieri Officium, abſque nova Romani Pontificis authoritate, non tamen niſi priùs eas recognoſcente & approbante Epiſcopo, ex Decreto Concil. Trid. ſeſſ. 25.

De incertis non eſt faciendum Officium.

At ſi tandem (quod alterum erat propoſitum dubium) cujuſnam ſint, incertum habeatur: quantumcumque eæ ad venerationem exponantur, prorſus tamen ab Officio abſtinendum cenſeo, cùm quale faciendum ſit, minimè conſtet. Quòd ſi fortè ob ſimilitudinem nominis alicui Sancto tribuantur, cujus tamen an verè ſint, in controverſo ſit; id cùm vix occurrat niſi inter Sanctos, quorum unus celebris eſt admodum, uti S. Joannes Baptiſta in caſu propoſito *cap. 5. quæſt. 9.* eſto quidem, de Sancto illo celebri, imò & de quocumque alio fiat Officium, ſi lubet, in die proprio; at miſcere quid in oratione, hymnis, lectionibus, quo illud, quod in dubio eſt, aſſeratur, vetat Religio, ac ſtudium nunquam nimium vitandæ omnis in divino Officio falſitatis.

QUÆSTIO IV.

Quid ſi fuerint exiguæ?

De exiguis non fit Officium.

Exiguæ, inquam, quales ſuprà deſcripſimus quæſt. 2. quæ videlicet nec inſignes ſunt, nec notabiles. De iis argumento à contrario concludendum, haud permiſſum eſſe Officium. Neque dicas per ſynecdochem, exiguam partem poſſe accipi loco totius, juxta illud quod refert Theodoretus in dialogo 3. contra hæreſes, *Cum in Sanctorum Apoſtolorum, vel Prophetarum, vel Martyrum ædes ſacras ingreſſi ſumus, ſciſcitantur: Quis ille eſt in loculo conditus? Tum qui rei veritatem ſciunt, reſpondentes ajunt, aut Thomam fortaſſe Apoſtolum, aut Joannem Baptiſtam, aut Stephanum Martyrum Anteſignanum, aut alium quempiam Sanctorum nominatim appellantes, quamvis exiguæ interdum Reliquiæ ibi poſitæ ſint.* Ne, inquam, id ſic accipias, eſto enim valeat ad commendationem virtutis Reliquiarum, quòd, ut ait Ambroſius ſer. 14. qui eſt de SS. Nazario & Celſo, *Etſi per univerſum mundum ſeminetur in cineribus portio, manet integra in virtutibus plenitudo.* Valeat item dictum illud Paſchaſii Abbatis Corbejenſis præfatione in paſſionem SS. Ruffini & Valerii, *Veſtis exigua particula, vel modicus reſoluti corporis pulvis de Sanctorum memoriis comparatus ineffabile fidelibus præbere patrocinium creditur.* Inde quidem argues præclarè utroque illo teſtimonio virtutem ſacrarum Reliquiarum commendari, ſuaderi fidelium cuilibet, magnam ut iis habeat fiduciam; quod utique locum habet, quantumvis exiguæ ſint; non tamen continuò fieri debere Officium, quod cùm non ad privatum, ſed publicum cultum pertineat, notabilem omninò exigit Reliquiam.

Theodoretus.

Ambroſius.

Paſchaſius.

QUÆSTIO V.

Quid ſi confuſa ac permixta fuerint?

Duplici modo poſſunt miſceri Reliquiæ.

ID evenire poteſt duplici modo, altero ſi collectus pulvis, ex multis oſſibus, aliiſve materiis Reliquiarum loco habitis, in unam maſſam congeratur: altero, ſi plurium Sanctorum oſſa, quia vix inter ſe diſtingui poſſunt, promiſcuè ſimul omnia in unam capſam ſeu thecam recondita ſerventur; ut contingere ſolet in iis martyribus, qui plures ſimul paſſi fuere, quales ſunt SS. Innocentes, S. Mauritius ejuſque ſocii, S. Urſula item cum ſociabus, Quadraginta Martyres Sebaſtenſes, aliique permulti.

De Reliquiis in maſſam conjectis non fit Officium.

Primo modo, non putaverim legitimè fieri poſſe Officium de iis Sanctis, tum quia nec ſinguli per ſe, nec plures ſub collectivo nomine noti ſunt, tum quia redactæ ſic in maſſam Reliquiæ vix niſi pro exiguis haberi debent; quin & eo modo coagmentatos, privatim potiùs erogari quàm in ſacratio reſervari mos eſt.

Fit verò de aliis promiſcuè reconditis.

At ſecundo modo, cùm & notabiles ſint, & Sancti ipſi, quorum ſunt, collectivo ſaltem nomine dignoſcantur, omninò de iis fieri Officium convenit; itaque fert communis uſus Eccleſiarum, in quibus habentur ejuſmodi Reliquiæ. Quam in rem non poſſum elegantem Baſilii locum non referre orat. de SS. 40. Martyribus, ubi eos ſic laudat à commixtione Reliquiarum: *Non per ſingulos diſtributi ad eos ventitant, à quibus excipiuntur; ſed inter ſe permixti choros agunt &c. Et quadraginta, tum omnes ſimul ſunt, tum omnes apud unumquemque; quæ eſt copioſa beneficentia, gratia minimè deficiens, paratum Chriſtianis auxilium.*

Baſilius.

QUÆSTIO VI.

An & qualiter faciendum ſit de Sancto, cujus habentur Reliquiæ, ſeorſim ab aliis Sanctis quibuſcum in Calendario vel Martyrologio conjunctus eſt?

Poteſt disjungi ab aliis Sanctus, cujus inſignis habetur Reliquia.

LEctor ſinat ſe remitti ad quæſt. 14. cap. 5. par ſiquidem quæſtio, parem reſponſionem exigit: niſi quòd difficultatem movet Rubrica illa poſita poſt primam Tabulam de occurrentia, quæ ſic habet: *Si occurrat ut Patronus vel Titulus Eccleſiæ deſcriptus ſit eadem die in Calendario cum aliis Sanctis, in ea Eccleſia fit tantùm de Patrono &c.* quibus verbis videtur tantùm concedi disjunctio illa Sanctorum, in eo caſu quòd alter ſit Patronus ſeu Titulus, & non aliter. Verùm non ita urget meo quidem judicio textus ille, ut non æquè intelligi poſſit de caſu præſenti, maximè ſi Reliquia ſit valdè inſignis, puta corpus integrum, aut maxima pars, quæ proinde

majo-

majorem exigat ſolemnitatem. Si quis tamen præfatis Rubricæ verbis tenaciùs hærens neget talem disjunctionem ſic fieri debere, non obſiſto; imò in exemplis ſaltem SS. Gervaſii & Protaſii, Joannis & Pauli, Mauritii & ſociorum, & ſimilibus, ſicut & quando Reliquia non eſt inſignis, planè convenientius judico.

QUÆSTIO VII.

Quid ſi incendio abſumpta, aut furto caſuve alio deperdita fuerint Reliquiæ, an idcircò minus de iis fieri debeat?

RESpondeo, ſi poſt ejuſmodi caſum minimè deſitum fuit ab Officio quod fiebat aliàs, neque etiam ab eo deinceps videri deſiſtendum, cùm & valeat ipſa ſaltem conſuetudo nondum uſu abrogata, nec par ſit credere Sanctos idcircò deſiſtere à patrocinio quod ſuſceperant. Sin contrà dimiſſum fuit Officium, non putaverim denuò inſtaurandum, nulla ſuperſtite cauſa id deinceps præſtandi. Ceremoniale Monaſticum abſolutè ſic habet lib. 4. cap. 16. ubi de Feſtis Patronorum: *De Sanctis, quorum habebantur Reliquiæ, ſed injuria temporum vel malitia hæreticorum perierunt, fiet Officium ſicut ſolebat aliàs fieri dum extabant eorum Reliquiæ.* Placet nihilominùs addita à nobis reſtrictio.

QUÆSTIO VIII.

An præter quodlibet ſingulare Feſtum Sanctorum quorum habentur Reliquiæ, legitima ſit inſtitutio feſti ſub generali nomine Reliquiarum?

EST multarum inſignium Eccleſiarum conſuetudo uſu pridem confirmata, Feſtum, quod Reliquiarum vocant, quotannis conſtituta die celebrandi. Exempla habes in Eccleſiis Pariſienſi 4. *Decembris*, Senonenſi 7. *Januarii*, Trecenſi *Dominica infra Oct. Aſcenſionis*, Noviomenſi *proxima Dominica poſt 4. Julii*, Conſtantienſi 30. *Septemb.* Dolenſi *fer. 2. poſt Dominicam 4. à Paſchate*, Anicienſi 8. *Novembr.* Mimatenſi 15. *Decemb.* Cluniacenſi 18. *Septemb.* Majoris Monaſterii 30. *Januar.* S. Capellæ regiæ Pariſienſis 30. *Septemb. &c.*

Multiplicitas Reliquiarum cauſam præſtat de iis feſtum inſtituendi. *Eucherius Lugd.*

Cauſæ autem hujuſce inſtitutionis, quantum fas eſt conjicere, tres eſſe poſſunt. Prima multiplicitas Reliquiarum, quæ fit, ut cùm de ſingulis Sanctis quorum ſunt, Officium ſeorſim commodè celebrari nequeat, omnes ſaltem uno ſimul Feſto recenſeantur. Verè enim quod dudum Eucherius de ſua Lugdunenſi Eccleſia prædicavit, poſſunt & alii permulti Antiſtites ſuis itidem arrogare: *Agnoſcamus circa Eccleſiam noſtram uberiorem divinorum munerum largitatem. Exultant ſingularum urbium populi, etſi unius ſaltem Martyris Reliquiis muniantur: ecce nos populos Martyrum poſſidemus &c.* Poſſunt & ipſæ Eccleſiæ tot tantiſque theſauris dotatæ *Concilii* nomine æquè appellari, ac illa quam Gaudentius Brixianus SS. Quadraginta Martyribus dedicavit, de qua ſic ſcribit ſerm. de Dedicatione ejuſdem Baſilicæ: *Habemus & hos 40. & prædictos decem Sanctos* (Joannem videlicet Baptiſtam, Andream, Thomam, Lucam, & alios quos priùs enumeravit) *ex diverſis terrarum partibus congregatos, unde hanc ipſam Baſilicam eorum meritis dedicatam Concilium Sanctorum nuncupari oportere decernimus. Dignum eſt enim ut ad tantorum Martyrum venerandas Reliquias proceſſuri, ad Concilium Sanctorum nos procedere fateamur.*

Eccleſiæ Concilii nomine appellatæ. *Gaudentius Brixianus.*

Eximiarum Reliquiarū præcipua veneratio.

Huic primæ rationi affinis eſt altera, quòd videlicet inter Reliquias non paucæ aliquando occurrant, quæ ſunt vel Chriſti Domini, putà de ſacro præſepio, de faſciis infantilibus aut ſepulcralibus, de ſpongia, de lancea &c. vel B. Mariæ, putà de ejus lacte, de velo, de cingulo, aliæque ſimiles, quales multæ recenſentur in Theſauro S. Capellæ Regiæ Pariſienſis; quæ Reliquiæ omnes cùm pretioſiſſimæ ſint, & ſolemni præ aliis veneratione digniſſimæ, nec tamen opportunè ſatis in Feſtis Myſteriorum toti Eccleſiæ communibus recolantur, ideò Majores diem unum iis peculiarem præſtituerunt.

Guyet. Heortologia.

Reliquiarū Suſceptio, Inventio &c.

Tertia denique cauſa hujuſce inſtitutionis eſt, ipſarummet Reliquiarum Suſceptio, aut Inventio, aut Recuperatio; quo etiam nomine Feſta in Calendariis propriis inſcribuntur, ut in Pariſienſi, Senonenſi, Bajocenſi, &c.

His igitur tribus de cauſis, aliiſve non abſimilibus, in Eccleſiis, in quibus tale Feſtum Reliquiarum in generali ſic inſtitutum eſt, ac deinceps uſu continuo obſervatum, omninò retineri debere exiſtimo, tum vi ipſius conſuetudinis, tum quia inter Feſta propria annumerandum æquè videtur, atque poſt Feſta Patronorum ullum aliud.

Tale feſtum vix de novo inducendum.

An verò alibi de novo induci, ubi uſitatum non fuit hactenùs, ad prædictarum Eccleſiarum imitationem operæ pretium ſit, non audeo ſtatim aſſerere. Nam iis quidem quibus integrum adhuc manet proprii Breviarii jus, non video quid prohibeat, ſi abſolutè voluerint; quamquam nemo ſapiens author ipſis erit ut ſimile quid, niſi magna ducti ratione quæ vix jamdum adeſſe poteſt, aggrediantur. Cæteris verò, qui Breviario Romano aſtricti ſunt, nihil hac in parte fas eſt innovare, niſi conſulta Sede Apoſtolica, ſeu Sacra Rituum Congregatione. Quin & ſi quid ſecus à quoquam tentatum fuerit, illegitimum prorſus ac irritum cenſeri debet, juxta Decretum initio Breviarii affixum, *Non potuiſſe neque poſſe locorum Ordinarios &c.* Etſi enim de Sanctis ſingulis ſeorſim, quorum apud ipſos ſunt Reliquiæ, feſtivum Officium rectè queant præſcribere, uti dictum eſt *quæſt. 7. cap. præcedentis*; de omnibus tamen conjunctim, nec Romani uſus ratio umquam permittit, nec aliunde ullum ſuppetit Officium, quod inconſulta Sede Apoſtolica, ab his qui nihilominùs id auderent, legitimè poſſit uſurpari.

QUÆSTIO IX.

An præter Natale, ſeu Feſtum præcipuum Sancti, cujus habentur Reliquiæ, fieri quoque conveniens ſit Anniverſarium Feſtum ipſarum Reliquiarum?

HUicce quæſtioni, quoad Patronos attinet, jam reſponſum eſt præcedenti cap. *q. 5. & 7.* quoad alios verò qui Patroni non ſunt, ſimili ferè ratione ſatisfaciendum; nimirùm ubi diuturna conſuetudine id receptum invenitur, poſſe retineri: rarò autem id contingit, niſi in iis Sanctis, quorum natalis dies cùm per univerſam Eccleſiam celebris ſit admodum, ne quid non ſatis ipſis tribueretur ab Eccleſiis, quæ eorum Reliquiis potiuntur, peculiare Feſtum ejuſmodi inductum eſt. Sic in Breviario Senonenſi notatur 14. *Novemb.* Exceptio coſtæ S. Mariæ Magdalenæ, in Ambianenſi 17. *Decemb.* Receptio faciei S. Joannis Baptiſtæ, in Pariſienſi *Dominica 1. Aug.* Suſceptio S. Crucis, & in antiquo Cluniacenſi. Exceptiones ejuſmodi ad octo uſque numerantur. At ubi tale quid in uſu non eſt, pro non inducendo pugnat citatum & citandum ſæpiùs Sac. Congreg. Decretum, omninò inviolabile; niſi talis ſit caſus, qualem deſcripſimus *cit. quæſt. 7. c. præcedent.* quam tu conſule, ſi opus fuerit. Conſule item ſuper Reliquiis quæ de novo recipiuntur, an videlicet ipſo die quo recipiuntur, de Sanctis quorum ſunt, conveniat fieri Officium? Contra hanc utramque aſſertionis partem, ſi quis opponat Gavantum *ſect. 2. c. 2. n. 26.* negantem eò fieri poſſe Officium, quia Tranſlatio eſt Reliquiarum: Reſpondeo Gavantum benignè eſſe explicandum juxta dicta ſuperiùs *citata quæſt. 7.*

Præter diem Sanctorum natalem, vix aliud de eorumdem Reliquiis inſtituendum feſtum.

Q U Æ S T I O X.

An privato cuilibet liberum ſit de Sanctis, quorum Reliquias apud ſe habet, recitare Officium?

RESpondeo, Nequaquam; tum quia plurimùm nec approbatæ ſunt, nec notabiles; tum quia etſi eſſent, nec uſu, nec ulla id declaratione conceſſum legitur, ut privatus quis ex peculiari, ſibique uni propria cauſa, à communi Officii lege diſcedat.

Q U Æ S T I O XI.

An Reliquiarum loco haberi debeant effectus quidam miraculoſi?

PUtà oleum ex Sancti Nicolai tumba deſudans, laurus Nemauſi ex ſepulcro S. Baudelii exorta &c. Reſpondeo, poſſe quidem iſta ac debere venerationi eſſe populis; ſed de iis aliam præter ipſiuſmet Sancti celebritatem inſtitui, nullibi hactenus obſervavi.

CAPUT DECIMUM.

De Sanctis locorum naturalibus.

COntrario Philoſophorum ordine, haud eo tamen inepto progredimur. Illi quarto dumtaxat loco, quæ inter propria Logica præcipua ſunt, collocant; nos primo feſta omnium maximè propria, Patronorum videlicet ſeu Titularium Eccleſiæ vel loci; inde, quorum habentur Reliquiæ; jam de Sanctis locorum naturalibus, qui etiam Patroni rationem utcumque participant, paucis quæſtionibus tractandum.

Q U Æ S T I O I.

Quinam dicantur Sancti locorum naturales?

Duplex Sanctorum Nativitas.

NAtura cùm à naſcendo dicatur, Sanctos loci alicujus naturales dici conſequens eſt, qui eo in loco nati ſunt. At cùm duplex ſit Sanctorum Nativitas; altera qua in hunc mundum editi, communem cum cæteris hominibus lucis hujuſce corruptibilis uſuram acceperunt; altera, qua mortalis hujus vitæ vinculis exoluti, *In novam illam*, ait eleganter ſeu Euſebius Emyſſ. ſeu Eucherius Lugdunenſis hom. 50. in Geneſim, *futuri ſeculi veniunt claritatem, & filii hominum in adoptionem divinæ paternitatis aſcendunt*; hinc dubium oritur, locine illius naturales dicantur, in quo primùm nati fuerunt, an ejus in quo diem extremum obiere?

Euſeb. Emyſ.

Sauſſayus.

Author Martyrologii Gallicani Sauſſayus opportunè ſatis in hanc rem cap. 23. ſui Apparatus, Sanctos Galliæ proprios in tres veluti claſſes diſpertit, *Indigenarum*, *Advenarum*, *& Advectitiorum*. *Indigenas* appellat, quos Gallia, felici partu enixa, poſt glorioſum vitæ curſum ac mortis agonem, ad cœleſtis regni coronam læta tranſmiſit. *Advenas* verò qui aliunde huc quacumque tandem ex cauſa adducti, ac deinceps conſummati, hinc quoque ad cœleſtem patriam emigrarunt. *Advectitios* denique, qui exteri quidem ortu & occubitu, ſuarum deinceps advectione Reliquiarum facti ſunt & ipſi jure quodam hoſpitalitatis Galliæ noſtræ Incolæ ac Patroni.

Sancti Indigenæ.

Advenæ.

Advectitii.

Primi generis exempla habes in SS. Hilario, Eligio, Germano, Genovefa, Bernardo, Ivone, & aliis innumeris. Secundi in SS. Dionyſio, Quintino, Martino, Mauro, &c. Tertii, in iis omnibus, quorum corpora integra, vel ſaltem majori ex parte ex alienis regionibus aſportata ſervantur, ut S. Paulæ Senonis, S. Benedicti Floriaci, & ſex Apoſtolorum in auguſtiſſima S. Saturnini Toloſatis Baſilica, præter plurima alia Martyrum, Confeſſorum ac Virginum, ob quæ ſacra pignora, Epigraphem hanc ipſa promeruit, *Non eſt in toto ſanctior orbe locus.*

Eccleſia S. Saturnini Toloſ.

Sancti Advectitii haud dicendi naturales.

Eſt quidem Sanctorum partitio hæc, ut dixi, commoda admodum: haud ipſa tamen meo judicio perfectam Sanctorum loci naturalium rationem exæquat. Nam quod ad Sanctos tertii generis attinet; eſto, ſint illi quidem Eccleſiarum Tutelares ac Patroni, ut non rarò contingit; aut certè magnam iis conciliet venerationem ſacrorum lipſanorum cuſtodia, ob quam utique & ipſi *Urbium cuſtodes ac locorum præſides*, præclarè à Theodoreto appellati reperiuntur lib. 8. Græcarum affectionum; item *hominum duces, principes, ac propugnatores, per quos à nobis infortunia avertuntur, proculque arcentur, quæ à dæmonibus inferuntur mala*. At cùm nec eo loci nati aut defuncti, aut demum verſati unquam fuerint, naturales loci illius cenſendos nemo jure exiſtimaverit.

Theodoretus.

Itidem nec eos qui aliquo in loco nati quidem, ſed in eo vix morati unquam, aliò deinceps conceſſerunt. Scio quidem Sanctos nonnullos à nativitatis loco indigitari, puta Gregorium à Nazianzo, Thomam ab Aquino, Franciſcum à Paula, Catharinam à Senis, & alios; ſcio item Sanctum Paulinum Nolanum Burdigala oriundum ibidem, præcipua in veneratione haberi; ſcio denique S. Stephanum primum Ungariæ Regem celeberrimum Monaſterium in honorem S. Martini eo ipſo in loco, Sabariæ videlicet in Pannonia, unde is oriundus erat, extruxiſſe. At cùm quæ in Sanctis tantoperè commendatur nativitas, imò quæ & ipſa ſola Sanctos conſtituit, non ab illorum ortu in hanc lucem, ſed magis ab exitu petatur; patriam proinde illorum æquè dixeris, non quæ eos tulit, ſed quæ extulit; non quæ mundo genuit, ſed quæ cœlo parturivit.

Sancti non ab ipſa Nativitate propriè dicti naturales loci.

Supereſt itaque ut Sanctos locorum naturales eos dici propriè colligamus, qui vel in iis locis quocumque tandem fato ſive Martyres, ſive Confeſſores objere; vel ſi fortè eos alibi defungi contigit, ibi tamen potiorem vitæ partem, ſeu etiam præcipuum munus, putà Epiſcopi, Abbatis, aut aliud quodcumque cum laude peregerunt. Omnium verò maximè qui expleto laudabilis vitæ curſu, diem ut ibidem vitæ extremum clauderent, divina providentia diſpoſuit; cujuſmodi ſunt inter Sanctos excellentioris notæ, S. Martinus Turonenſis, S. Thomas Cantuarienſis, S. Nicolaus Tolentinas, S. Antonius de Padua, & alii.

Naturales propriè dicti, qui in loco vel obiere, vel diutius morati fuere.

Et verò aſſertionis hujus ratio, vel ex una Martyrologii authoritate ſatis ipſa demonſtratur; in eo ſiquidem locus, qui ſingulorum Sanctorum recenſioni præmittitur, non is eſt, qui ipſis patria olim fuit; ſed qui ab eorum tranſitu, aut inſigni commoratione clarior evaſit. Imò nonnunquam ipſe commorationis locus, in Confeſſoribus maximè, præ mortis loco memoratur; ut patet in SS. Chryſoſtomo, Ludovico, & aliis.

Cæterùm quos naturales vocamus, Radulphus Tungrenſis in ſuo eximio de Canonum obſervantia libro, locales paſſim appellat; cujus quidem utriuſque vocis ſignificatio, eadem ferè eſt, niſi quòd poſterior latiùs patet; localium enim nomine intelligit præfatus author, Sanctos eos omnes qui in aliqua terra, ut ait, vel loco ſpecialiter coluntur; nos verò paulò ſtrictiùs naturales accipimus, pro Indigenis dumtaxat ſeu Advenis, modo ſuprà explicato.

Radulphus.

Locales Sancti iidem qui naturales.

Q U Æ S T I O II.

Quis locus accipiendus, cùm Sancti loci alicujus naturales dicuntur?

AN regnum totum? An Provincia ſeu regio integra? An civitas? An oppidum? Reſpondeo, etſi univerſim loquendo, quotquot Sancti ad Galliam,

ſiam, v. gr. pertinent, regni Galliæ verè naturales ſint, æquè ac quilibet in Gallia natus, Galliæ naturalis ſeu ex Gallia oriundus, uno verbo Gallus dicitur; itidem & de Provincia ſeu regione integra. Quod tamen ad Officii divini rationem attinet (qui unus eſt tractationis hujus totius ſcopus) non tam latè locus accipi videtur, ubi de Sanctis naturalibus quæſtio eſt; nam ii dumtaxat Sancti regni alicujus ſeu Provinciæ aut regionis naturales cenſentur communiter, qui regnum totum ſeu Provinciam doctrina, ſignis aut virtutum exemplis mirificè illuſtrarunt; eoque nomine celebres toto regno ſeu Provincia ſemper habiti fuerunt; quales non omnes ſunt regni illius ſeu Provinciæ aut regionis Sancti Indigenæ aut Advenæ, ſed pauci dumtaxat, putà in Gallia SS. Dionyſius, Hilarius, Martinus, Remigius, Ludovicus, & ſi qui alii; in Aquitania S. Martialis, in Picardia S. Firminus, in tota Senonenſi Provincia SS. Savinianus & Potentianus &c. Vide quæ dicta ſunt ſuperiùs cap. 7. quæſt. 3.

Sancti naturales regni ii tantùm dicuntur qui celebres pro aliis habentur.

De Diœceſi verò aliter ſentiendum: Quotquot enim Sancti Diœceſis alicujus indigenæ ſunt aut advenæ, ii omnes Diœceſis illius naturales communi uſu reputantur, (licèt fortè de aliquibus in tota Diœceſi non fiat Officium) & in Elencho Sanctorum propriorum, ſi quis fortè conſtruatur (uti multarum Diœceſum mos eſt) recenſentur.

Illi omnes Indigenæ & Advenæ, naturales ſunt Diœceſis.

De Civitate demùm ac Oppido nihil addendum videtur, cùm enim intra Diœceſis limites utrumque contineatur, quiſquis Sanctus illorum naturalis eſt, continuò Diœceſis quoque naturalem eſſe oportet, licèt ad ipſam Civitatem aut Oppidum directè magis ac propriè dicatur pertinere.

Sanctus civitatis & oppidi, naturalis quoque eſt Diœceſis.

QUÆSTIO III.

An legitimum ſit quorumlibet Sanctorum loci naturalium Feſta celebrare?

RESpondeo nec commodum id eſſe, nec verò etiam legitimum, imò nec communi Eccleſiarum uſu receptum, ut de omnibus cujuſque loci Sanctis naturalibus Feſtum ac Officium peragatur.

Non commodum quidem, quia cùm tam multi periæpè occurrant, ut iis ferè totum Calendarium occupetur; hinc neceſſe eſt accidere, ut & major pars feriarum plerumque omittatur, & multa ſubinde confuſio ac perturbatio ex frequentibus Feſtorum inter ſe occurrentiis, concurrentiis, tranſlationibus, aliiſque veluti mutuis conflictibus, conſequatur: quod utrumque incommodum quàm grave ſit, & quàm magnoperè cavendum, alibi demonſtratum fuit.

Commodum non eſt de omnibus Sanctis loci naturalibus officium agere.

Suprà cap. 1. q. 19.

Id verò etiam nec legitimum eſſe colligitur, tum ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit, *Paſtoralis officii*, data anno 1573. ad Eccleſias Hiſpaniæ, quibus prohibet ne tanta Feſtorum propriorum multitudinem inducant, quin & ipſe nonnulla ſupprimit; tum ex frequentibus ſuper hac re Sacræ Rituum Congregationis Decretis, eò tendentibus, ut tam immenſa Feſtorum multiplicatio comprimatur; quam nec Rubricæ ipſæ generales Breviarii de Officio duplici ac ſemiduplici ullatenùs admittunt, ut attentiùs legenti conſtabit.

Item nec legitimum.

Denique id nec communi Eccleſiarum uſu eſſe receptum, duarum, triumve inſigniorum inductione demonſtro, quarum ſi Kalendaria cum Martirologio ipſo Romano contuleris, reperias non omnia, quæ in hoc referuntur, in illis eſſe inſerta. Nam in Rhemenſi nihi habetur de SS. Alberto 21. Novemb. Helano 27. Octob. Joanne Presbytero 28. Junii. In Rothomagenſi nihil de S. Pretextato 24. Feb. In Turonenſi nihil de SS. Claro 8. Nov. Joanne 28. Jun. Odone 18. Nov. de quibus tamen mentio fit iiſdem diebus in Martyrologio. Fateor nonnullas reperiri

Nec denique uſu receptū.

Guyet. Heortologia.

Diœceſes, in quibus aut nulli admodum, aut tam pauci ſunt Sancti illarum naturales, ut nihil à præfatis incommodis ſit iis metuendum.

QUÆSTIO IV.

De quibuſnam Sanctis locorum naturalibus conveniens ſit fieri Feſtum ſeu Officium?

FUſiùs vagatur hæc quæſtio, & ad plures caſus ſe extendit, quàm ut ea ſtrictim ac conſertim definiri poſſit. Quare juvat hic tantùm referre ſummatim, quis ſit hac in parte Eccleſiarum Cathedralium uſus; ad eas ſiquidem hæc quæſtio ſpectat maximè; & licèt haud aſſeram Feſta omnia, quæ in Cathedrali Eccleſia celebrantur, ea protinùs in reliquis Diœceſis totius Eccleſiis celebrari poſſe vel debere, (id enim non ſine multimoda reſtrictione verum eſt, ut demonſtrabitur ſuo loco aliàs:) quod tamen ad Sanctos naturales attinet, ſi quid de iis in aliis quoque minoribus Eccleſiis agendum eſt, id aliunde certiùs ſtatui non poteſt quàm ex ipſo Eccleſiarum Cathedralium uſu. Is autem, quantum obſervare potui, ut plurimùm eſt ejuſmodi.

Eccleſiarum Cathedralium uſus attendendus in celebradis feſtis Sanctorum naturalium.

Primò, ut Sanctorum, qui fundatis Eccleſiis fidem Chriſti in regnum vel Provinciam primitus invexerunt, aut deinceps eximiè promoverunt, illuſtrarunt, vel defenderunt, anniverſario Officio memoria recolatur; ſic in omnibus ferè Eccleſiarum Galliæ Calendariis propriis inſerta habentur ſub Officio duplici aut ſaltem ſemiduplici Feſta SS. Dionyſii & ſociorum Martialis, Juliani Cenomanenſis Epiſcopi, Remigii, Eligii, Germani Antiſſiodorenſis, & aliorum nonnullorum illuſtrium fidei anteſignanorum. Quibus quadrare poteſt optimè, quod de Apoſtolis ipſis primis fidei diſſeminatoribus egregiè ſcripſit Gregor. Nyſſ. orat. in S. Theodorum: *Multorum juſtorum orationes, populorum ac multitudinum peccata diſſolvunt. Admone Petrum, excita Paulum, necnon Joannem Theologum & dilectum diſcipulum, ut pro fundatis à ſe Eccleſiis ſolliciti ſint, pro quibus catenas geſtarunt.*

Sancti naturales fidei Anteſignani præ aliis colendi.

Greg. Nyſſ.

Secundò. His proximè ſuccedunt, niſi fortè etiam præſtent, Sancti ſingularum Diœceſeon Epiſcopi, quorum ubique mos eſt memoriam proprio Feſto recoli in iis Eccleſiis, quibus olim præfuere; nec eſt quod exempla proferam, cùm obvia paſſim occurrant. Et verò ait Baſil. *Sancti cujuſque, cui præſidant regionis, lumina, fontes, turres & propugnacula;* quod ut ad Epiſcopos præ aliis pertinere certum eſt, ita eoſdem præcipuo cultu ac invocatione proſequendos, quis demum ambigat?

Sancti Epiſcopi Diœceſum.

Baſilius.

Pari denique, aut non longè inferiori gradu habentur communiter Sancti reliqui, ſive Martyres, ſive Abbates, vel alii Confeſſores, ſive denique Virgines, aut Viduæ, in tota Diœceſi, aut aliquo ejus tractu, vel ſingulari oppido, ſanctitate, miraculis, aut gratia aliqua ſanitatis illuſtres: Quales legas in Calendario Rhemenſi S. Maurum cum ſociis martyr. SS. item Timotheum & Apollinarem, S. Baſolum Abbatem, S. Macram virg. & martyr. Sanctas Bovam & Dodam virgines, & alios. In Senonenſi S. Columbam inſignem virg. & martyr. S. Sanctianum & ſocios martyr. S. Mathurinum confeſs. &c. In Pariſienſi, S. Juſtinum martyr. S. Lucanum itidem martyr. S. Leufredum Abb. S. Clodoaldum confeſs. S. Auream virg. S. Batildem viduam, &c. In Pictavienſi S. Radegundem Reginam, SS. Ciprianum, Simplicianum & Savinum martyres, S. Jovinum Abbatem &c. Numquam finiero ſi velim innumeros alios referre. Quibus ſanè omnibus aptiſſimè convenit quod de SS. Epipodio & Alexandro profatus eſt Euſebius Emyſſenus: *Indigenarum Martyrum cultus, & honor ſpecialiter Pa-*

Sancti reliqui illuſtres.

Euſeb. Emyſſ.

tronorum, ſicut peculiare dat gaudium, ita proprium requirit affectum.

Et hæc ſunt, quæ de Majorum Eccleſiarum uſu, antiquo illo ac planè legitimo, circa Feſta Sanctorum naturalium mihi licuit obſervare; quæ quidem reſpectu earum Eccleſiarum, quibus integrum ſtat adhuc ſuum ipſarum proprium Breviarium per Bullam Pii V. minimè abrogatum, certum eſt penitùs in ſua vi ac robore illibata permanere; quod verò ad alias ſpectat, in quibus Breviarii Romani uſus ex integro receptus eſt, major poteſt eſſe controverſia, quam ſolvet ſequens quæſtio.

QUÆSTIO V.

An ejuſmodi Feſta Sanctorum naturalium, ab antiquo fieri ſolita, retineri? An ſupprimi? An quæ exciderant inſtaurari? An denique de novo aliqua inſtitui queant?

Argumenta contra feſta Sanctorum naturalium.

PUgnant maximè contra ejuſmodi Feſtorum celebrationem tria, quæ proximè præcedenti q. 3. propoſita ſunt argumenta. Nam inprimis accidit non rarò multiplicari adeò ejuſmodi Feſta, ut & totum feriale Officium ſupprimi, & in cæteris magnam inde oriri confuſionem ac perturbationem neceſſe ſit. Præterea id minimè conſentaneum videtur Bullæ Pii V. vetantis ne quid ſuo Breviario addatur aut detrahatur. *Ex quo*, ait Gavantus

Gavantus.

Comment. in Rubr. Breviarii ſect. 2. cap. 2. n. 22. *ceſſavit omnis antiqua facultas Epiſcoporum circa Feſtorum Officia, quam habebant ex ſacris Canonibus*; adeòque *non potuerunt*, inquit n. 23. *retinere Officia recitata ante Pium V. ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, quia recitare Officia abrogata, eſt idem ac addere Breviario Pii V. ſeu mutare Officium in Breviario quotidie præſcriptum*. Item videtur repugnare Bullæ ſuprà citatæ Gregorii XIII. concedenti Eccleſiis Hiſpaniæ, ut poſſint celebrare Feſta Sanctorum naturalium, ex quo ſequitur citra ejuſmodi conceſſionem fas id non eſſe. Item Decreto illi celebri Sacræ Congregationis 8. Aprilis 1628. *Non potuiſſe neque poſſe locorum Ordinarios &c.* Ex quo arguit Gavant. cit. num. 26. *ſine facultate Sedis Apoſtolicæ non poſſe fieri Officium de Sancto, eo quia eſt Archiepiſcopus Provinciæ, vel Epiſcopus loci, neque quia ortus eſt ibi, aut martyrium ibi paſſus ſit, vel ibidem obierit Confeſſor*. Denique uſus Eccleſiarum Burdegalenſis ac Toloſanæ cum ſuis Suffraganeis, omnium item minoris Britanniæ ac multarum aliarum, quæ relicto antiquo ſuo Breviario, Romanum aſſumpſerunt, talis eſt ut pleraque Feſta Sanctorum utique naturalium, quos aliàs Officio colebant, rejecerint, iis tantùm retentis, quæ ſibi maximè propria viſa fuerunt.

His tamen non obſtantibus, ad ſingula propoſitæ quæſtionis membra ſic demum reſpondeo.

Aliqua feſta Sanctorum naturalium poſſunt retineri.

Ad primum. Si non omnia, aliqua ſaltem Sanctorum naturalium feſta, quæ olim fiebant, legitimè poſſe retineri; tum quia nedum repugnat, ut etiam conforme ſit Rubr. 1. & 2. de Off. dupl. & ſemid. num. 1. ſaltem vi conſuetudinis (Gavanto nequicquam vocem hanc ſecus explicante, ut contra ipſum probabitur aliàs:) tum quia nec id per Bullam Pii V. neque per præfatum Sacræ Congr. Decretum, ullatenùs cautum eſſe contendo (quidquid contradicat idem Gavantus, adductis locis, quæ ipſius verba ſunt, non autem Decreti.) Imò cùm Decreti ipſius textus clauſulam hanc expreſſè habeat, *Niſi ea quæ Romani Breviarii Rubricis conceduntur*; argumentum eſt ejuſmodi Feſta, utpotè Rubricis conformia, minimè gentium interdici. Accedit denique uſus ipſarummet Eccleſiarum quæ allegatæ ſunt. In proprio namque Burdegalenſi inſerti habentur naturales Provinciæ Aquitaniæ SS. Eutropius & Martialis, & S. Quiteria virg. & mart.

Sancti naturales aliquarum Diœceſium.

Diœceſis verò ſeu Civitatis SS. Delphinus, Amandus, & Macarius, & ipſi Burdegalenſes Archiepiſcopi, SS. Severinus Colonienſis & Paulinus Nolanus, ambo Patriâ Burdegalenſes; SS. Mummolus Abbas & Romanus Confeſſor; SS. denique Fortis & Clarus Epiſcopi & martyres. In Pictavienſi, præter præfatum S. Martialem; SS. Victorinus, Fortunatus, & Anthemius Pictavienſes Epiſcopi; S. Radegundis Regina, S. Guillelmus Comes, SS. Simplicianus & Cyprianus martyr. SS. Maxentius, Fridolinus, Jovinus & Junianus Abbates, S. Leonius Confeſſor, S. Juſtus diſcipulus S. Hilarii, S. Abra ejuſdem filia, S. Florentia, SS. Agnes & Diſciola virg. &c. In Maclovienſi, SS. Gurvallus & Joannes de Craticula Epiſcopi Maclovienſes, SS. Mevennus, Aaron, & Sulitius Abbates, præter S. Ivonem Britanniæ minoris naturalem. Ex quibus & aliis variarum Eccleſiarum inductionibus, quas tædio eſſet referre, illud univerſim conſtat non omnia Sanctorum naturalium Feſta fuiſſe expuncta, ab iis etiam quæ Romanum Breviarium admiſerunt; imò retenta fuiſſe ab aliis quidem plura, ab aliis verò pauciora, prout ſingula ad ſingulares Eccleſias plus minùſve pertinere viſa ſunt.

Poſſunt nonnulla Sanctorum naturalium feſta ſupprimi, quando plurima ſunt.

Ad ſecundum reſpondeo ejuſmodi Feſtorum quæ olim fiebant, poſſe nonnulla ſupprimi, uti de facto in multis Eccleſiis ſuppreſſa ſunt & expuncta, cùm eæ videlicet Romani Breviarii uſum ſuſceperunt. Cujus rei ratio hæc potiſſima fuit, quòd cùm ubique ferè plurima eſſent ejuſmodi Feſta, ſi ea omnia, cæteris in Calendario Romano deſcriptis (quæ utique omittere fas non eſt) addita fuiſſent, vix jam ullus Officio feriali locus ſupereſſet; cui incommodo gravi ac maximè cavendo propoſita ſuppreſſione obviatur. In ſupprimendis autem quis delectus ſit adhibendus, Antiſtitum judicio decernendum relinquitur, ſpectato cujuſvis Eccleſiæ uſu, & Sanctorum ad ipſam habitudine, juxta normam præcedenti quæſtione traditam; & ex eo patet ſolutio ad id quod primum in objectionibus poſitum fuit.

Ut reſtituenda, quæ olim exciderant.

Ad tertium reſpondeo, ſi per incuriam & oblivionem exciderunt Feſta ejuſmodi, & aliunde ex eorum numero ſint, quæ Eccleſiam ſeu locum propiùs attingant, omninò poſſe ac debere reſtitui; non enim extinctum fuit jus, ſeu magis debitum illa celebrandi, per ejuſmodi deſuetudinem. Quòd ſi loci non adeò propria ſint; vel certè majorum arbitrio, adhibita ſapientum deliberatione olim expuncta fuerunt; de iis perinde ſtatuendum judico, ac ſi nova eſſent, adeòque

Nulla Sanctorum naturalium feſta de novo inducenda.

Ad quartum reſpondeo, nulla ejuſmodi Feſta de novo poſſe induci ab iis, qui Romano Breviario addicti ſunt, abſque Sedis Apoſtolicæ ſeu Sacræ Rituum Congregationis licentia; ſive illa Feſta ſint Sanctorum antiquiorum, ſive recentiorum: huc que ſpectat maximè pars illa Decreti Sacræ Rit. Congreg. initio Breviarii appoſiti, quæ ſic habet: *De Sanctis Epiſcopis locorum, Martyribus, Civibus, & aliis Feſtis, de quibus in Calendario Romano ſeu Rubricis Breviarii nihil habetur, nihil propria authoritate conſtituatur, ſed omnino conſulatur Sacra Rituum Congregatio.* A cujus Decreti vigore nequaquam eximit conſuetudo, cùm de iis Sanctis nihil unquam factum ſit; neque legitima cauſa, quæ de novo nulla extat, ut ſupponitur; in hocque diſcrimen eſt ab eo quod diximus cap. 8. quæſt. 7. de novis Feſtis ſecundariis Patronorum. Quo in loco ſi fortè

Gavantus.

contrarius nobis fuit Gavantus, hìc ſaltem faventem habebimus, imò illum ſibimet conciliabimus, dum ait ſect. 2. cap. 2. num. 25. *Non ſufficit cauſa legitima, ſed eſt neceſſaria Sedis Apoſtolicæ authoritas, vel Sacræ Congregationis licentia*; quod omninò cùm illo aſſerimus, quando ejuſmodi cauſa aliunde quidem ſatis legitima, per ſe ſola eſt, putà concurſus populi, aut Sanctorum ipſorum

ſe

ſe de novo prodentes virtutes; at cùm cauſa eſt ejuſmodi, quæ Rubricis, vel etiam Decreto ipſo comprehendatur, putà, quia feſtum illud de propriis eſt *Rubr.* 2. *num.* 1. expreſſis, ſeu de conſuetudine, aut ejus Sancti, cujus habentur Reliquiæ, nulla certè alia licentia opus eſt; alioqui inanis eſſet ac nullius effectus, conceſſa jam à Rubricis vel à Decreto ipſo facultas. Adde quòd ſtando verbis Decreti, id vetatur tantummodò, *Ne Officia addantur, ne mutetur ritus in altiorem, ne quid denique de Sanctis Epiſcopis locorum &c. propria authòritate conſtituatur*. Quibus ſanè conformis eſt admodum noſtra hæc ſimul & præcedens reſponſio; quoad videlicet Feſtorum Sanctorum naturalium, vel introductionem de novo, vel inſtaurationem: quoad verò retentionem eorum, quæ ex antiquo fiebant, nullatenùs iis reſponſio prima refragatur.

QUÆSTIO VI.

An de Sanctis omnibus loci alicujus naturalibus ſimul collectis Feſtum inſtitui queat?

EST iſtud Rhemenſis Eccleſiæ proprium inſtitutum, quæ de ſuis unà omnibus Sanctis Archiepiſcopis feſtum peragit *die 7. Julii*. Laudabile illud quidem, & vel inſignis adeò Eccleſiæ authoritate commendandum; cujus imitatione Eccleſia Sylvanectenſis ipſi ſubdita, idem præſtat 17. *Octobris*. Cabilonenſis item ſuorum octo Præſulum à Joanne VIII. Canonizatorum memoriam facit 30. *Aprilis*; quod in aliquibus etiam Ordinibus Regularibus de Sanctis illorum profeſſoribus factitari obſervabitur aliàs. Verùm nec hoc ipſum, nec quidpiam ſimile, ſi abſque Rituum Congregationis, ſeu Apoſtolicæ Sedis licentia, in Eccleſiis ſaltem Breviario Romano utentibus uſurpetur, planè ab illegitimo vindicari ſinit præfati Decreti Sacræ Congregationis tenor; imò vix & in aliis Eccleſiis, quacumque demum authoritate ad hoc polleant, author eſſem ut de novo aſſumatur, ob rationes, quas ex antè dictis facile eſt colligere.

Feſtum de Sanctis omnibus naturalibus generatim haud inducendum.

CAPUT UNDECIMUM.

DE FESTIS PROPRIIS EX VICINITATE Locorum, Affinitate ſeu Confraternitate, aut Cognatione Eccleſiarum; Communicatione Rituum ſeu Privilegiorum; denique ex Conſanguinitate, aut Affinitate ipſorummet Sanctorum inter ſe.

HOs ſimul Titulos omnes in unum veluti acervum congerimus, ob parem illorum, tum inter ſe, tum ad Sanctos naturales habitudinem; ac licèt eos ſub alius conſequentibus æquè Titulis Devotionis, Fundationis aut Conſuetudinis plerumque involvi contingat, hic tamen nonniſi ſub propoſita præcisè ratione in medium adducuntur. Addenda his quoque fuiſſet Eccleſiarum aliarum ab aliis dependentia, niſi commodiùs alibi ea explicanda occurreret.

QUÆSTIO I.

Quomodo attendatur ejuſmodi locorum ſeu Eccleſiarum vicinitas?

HAbet *Sanctorum editio lætitiam plurimorum, quia eſt commune bonum*, ait S. Ambroſius lib. 2. Comment. in Lucam, de Joannis Baptiſtæ ortu diſſerens. Quod & aliis Sanctis non incongruè poteſt aptari, iiſque maximè quorum nomen ac celebritas, ex aliqua nobili Eccleſia ipſis dicata, aut Patronatu Diœceſis ſeu loci alicujus inſigniotis ſuſcepto, velut nova quadam luce perfuſa atque aucta, ad vicinas circumquaque Eccleſias porrigitur: unde & ipſæ Eccleſiæ in communis gaudii ſocietatem venientes, quaſi jure quodam viciniratis de ejuſmodi quoque Sanctis Feſtum apud ſe agunt. Sic in Calendario Pariſienſi deſcripti habentur ex vicinis proximè Diœceſibus, SS. Savinianus & Potentianus ex Senonenſi, S. Germanus ex Antiſſiodorenſi, Sanctus Anianus ex Aurelianenſi, S. Nicaſius ex Rhemenſi, S. Firminus ex Ambianenſi &c. Item SS. Sulpitius, Honoratus, Maglorius & alii, ſub quorum titulis erectæ ſunt in ipſa Civitate vel Diœceſi celebres Abbatiales, Collegiatæ, aut Parochiales Eccleſiæ. Obvia ſunt alibi paſſim ejuſmodi exempla, quæ etiam firmantur authoritate antiquiſſimi Calendarii à Radulpho Tungrenſi Decano ante annos ducentos & quinquaginta editi, in quo ſic frequenter legas, *Noſtrates ex Moguntia Bonifacii, ex Leodio Lamberti, ex Colonia Gereonis, ex Ardenna Huberti, ex Maldobia Aldegundis &c.* Et verò nulla eſt ferè Civitas, cui non liceat de ſuis Sanctis, ſeu Martyribus ſeu Confeſſoribus, jactare illud quod Baſilius de SS. Eutychio & Dama Martyribus pronunciavit: *Quorum memoriam Civitas noſtra & circumjecta undequaque regio celebrat*.

Ambroſius.

Exempla Sanctorum Affinium.

Radulphus Tungrenſis.

Baſilius.

QUÆSTIO II.

Quæ ſit Eccleſiarum inter ſe Affinitas ſeu Confraternitas? Quæ item Cognatio ſeu Conſanguinitas? Quæ Rituum Communicatio?

SUnt aliquæ Eccleſiæ Affines inter ſe, aliquæ etiam Cognatæ ſeu Conſanguineæ, more utique non abſimili ei, qui inter perſonas à jure ſtatuitur.

Affines Eccleſias diſerim, quæ in mutuam precum, officiorum, ſubſidiorum, privilegiorum, aliorumque ejuſmodi Societatem, & ut vocant Confraternitatem, inito pridem inter ſe fœdere convenerunt; qualis affinitas extat inter Eccleſias Rhemenſem, & Aurelianenſem, Cenomanenſem, & Andegavenſem, aliaſque complures. Et hujus quidem affinitatis occaſione accidit plerumque, ut altera Eccleſia alterius Feſtum ſeu Titulare, ſeu unum aliud plurave ex ipſi propriis æquè celebrare conſueverit. Cujus rei monimentum inſigne profertur Epiſtola Decani & Capituli Eccleſiæ Cenomanenſis ad Præpoſitum, Decanum & Capitulum majoris Eccleſiæ Paderbornenſis anno 1225. pridie Cal. Octobris, qua miſſis S. Juliani Patroni ſui Reliquiis eos rogant, ut ipſius Feſtum in ſua Eccleſia & per ſuam Diœceſim ſolemniter celebrari faciant, tranſmiſſis quoque in hunc finem Reſponſoriis & Antiphonis propriis.

Affines Eccleſiæ, quæ mutuo inter ſe fœdere ſunt devinctæ.

Epiſtola Eccleſiæ Cenomanenſis ad Paderbornenſem.

Cognatas verò ſeu Conſanguineas quoquomodo Eccleſias appellare mihi liceat eas omnes, quæ vel aliæ ab aliis progmatæ, vel ab una plures quaſi à commune Parente ſeu ſtipite æquè ducunt originem: quo ſenſu Apoſtolicas Eccleſias (quas nimirum Apoſtolus aliquis fundavit ac conſtituit, putà Antiochenam, Corinthiam, Philippenſem, Epheſinam, Romanam & alias ejuſmodi) Tertullianus lib. de præſcriptionibus, vocat *Matrices & Originales, à quibus traducem fidei & ſemina doctrinæ, cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt*. Ipſæ verò, quæ ſic ab aliis derivatæ fuerunt, iiſdem *de ſocietate ſacramenti confœderantur*, ait idem Tertul. lib. 4. adverſus Marcionem cap. 5. nec minùs Apoſtolicæ deputantur, *pro conſanguinitate doctrinæ*.

Cognatæ Eccleſiæ quæ aliæ ab aliis, vel ab una plures quaſi à communi parente ducunt originem.

Tertullianus.

Hæc porrò Matricum ſeu Originalium Eccleſiarum acceptio ſolis Cathedralibus convènit, juxta caput *Placuit de præſcriptionibus, & cap. Venerabili de verborum ſignificationibus, & Clementinam 1.*

Eccleſiæ Matrices & Originales ſolæ Cathedrales & Metropolitanæ.

nam 1. *de ſentent. excommunicat.* Imò nec iſtis planè omnibus, ſed Metropolitanis duntaxat ac Primatialibus ſeu Patriarchalibus, è quarum ſinu videlicet Apoſtoli ipſi, vel miſſi ab ipſis viri Apoſtolici prima fidei ſemina in reliquas circumcirca poſitas Civitates deportarunt. Sic de Cæſarienſi loquitur S. Gregorius Nazianzenus Epiſtola 22. quæ eſt ad Cæſarienſes ipſos, *Cùm omnibus Eccleſiis proſpiciendum ſit, tum maximè veſtra, quæ omnium ferè Eccleſiarum circumvicinarum Mater, & antiquitùs fuit, & nunc eſt atque cenſetur.* Non quòd non aſſeram Cathedrales non modò omnes, verè eſſe dicique Matres, (quippè quæ alias inferiores & ſibi ſubditas Eccleſias à ſe primùm genitas, deinceps veluti filias regunt, ſalutique earum ac neceſſitatibus materna charitate proſpiciunt;) ſed etiam Parochiales ipſas ac plebanas, ut habetur *cap. Ex tranſmiſſa, de præſcript.* in iis ſiquidem eſt fons Baptiſmalis, à quo velut immaculato Eccleſiæ utero renaſcuntur filii adoptionis; quemque idcircò S. Dionyſius lib. de Eccleſ. Hierar. cap. 1. *Μητέρα τῆς υἱοθεσίας* appellat. Verùm cùm de ortu ipſo Matrum, non autem de ſobole hìc agatur, Matrices proinde ac Originales Eccleſias propriiſſimè dixeris Metropolitanas illas, à quibus adjacentes cæteræ originem trahunt, adeòque ipſæ quodam inter ſe cognationis vinculo conſtringuntur.

Greg. Naz.

Parochiales in aliquo ſenſu ſunt etiam Matrices.

Dionyſius

Et hujus quidem vinculi gratia mos iſte pridem invaluit, ut gentilitio veluti jure cognatæ Eccleſiæ eorum Sanctorum Feſta ſibi præſcribant celebranda, qui tum apud Matricem Eccleſiam, tum apud alias Cognatas, tamquam Patroni, ſeu alium de celebres habentur. Exemplo ſint nobilium Metropoleon Patroni, Senonenſis SS. Savinianus & Potentianus, Rothomagenſis S. Romanus, Turonenſis S. Gatianus, quorum Feſta à ſubditis fermè omnibus ſuarum Provinciarum Eccleſiis ritè celebrantur, primorum videlicet à Carnutenſi, Pariſienſi, Aurelianenſi, Trecenſi, Nivernenſi, Meldenſi; ſecundi ab Ebroicenſi, Lexovienſi, Bajocenſi, Conſtantienſi, Abrincenſi, Sagienſi; tertii à Cenomanenſi, Andegavenſi, Rhedonenſi, & aliàs à Dolenſi, Coriſopitenſi, Venetenſi, Leonienſi; Sanctorum verò, qui à Cognatis invicem Eccleſiis obſervantur, tot ferè ſuppetunt exempla, quot ſunt Calendaria Diœceſeon propria, ſic ut referre aliqua inane ſit ac propè tædioſum.

Cognatæ Eccleſiæ Feſta Patronorum Matricis ſolent celebrare.

Porrò etſi non rarò ex ejuſmodi Eccleſiarum inter ſe Confraternitate aut Cognatione, mutua quoque Rituum ac Privilegiorum communicatio conſequatur; nihil tamen ex hoc capite ad ſuperiora addendum exiſtimo, cùm non ſoleant vi ejuſce communicationis alia Feſta induci, quàm quæ hìc allegata ſunt.

Ex Confraternitate Eccleſiarum, mutua plerumque Rituum communicatio conſequitur.

Ad prædictam quoque Conſanguinitatem pertinet proximè, quòd in Ordinibus Ciſtercienſi ac Præmonſtratenſi, Abbatiæ aliæ aliarum dicantur Matres, aliæ Filiæ; prout aliæ ab aliis fundatæ primùm fuerunt, ac miſſis poſtmodum Regularium examinibus in novam ſobolem adoleverunt. Sed nec inde quoque potior celebrandi Feſta propria ratio conſequitur.

Abbatiæ aliæ aliarum matres, aliæ filiæ.

QUÆSTIO III.

Qualis ſit ipſorummet Sanctorum inter ſe Conſanguinitas aut Affinitas?

Sancti Conſanguinei in recta linea.

REperiuntur inter Sanctos Conſanguinei plurimi in quolibet gradu Conſanguinitatis; putà in recta linea Joachim & Anna parentes Sanctiſſimæ Virginis Deiparæ, adeoque ipſius Chriſti Domini avus & avia: Zacharias & Eliſabeth Joannis Baptiſtæ parentes; Vitalis & Valeria Sanctorum Gervaſii & Protaſii; Orientius & Patientia S. Laurentii mart. Baſilius & Emmelia SS. Baſilii Magni, Gregorii Nyſſeni & Macrinæ virginis; Monica S. Auguſtini mater; Paula S. Euſtochii virginis; Cilinia SS. Epiſcoporum Remigii Rhemenſis, & Principii Sueſſionenſis; Abra filia S. Hilarii Pictavienſis; S. Felix Papa IV. ſeu potiùs aſtipulante Baronio in notis III. S. Gregorii Papæ atavus: S. Honulphus pater idemque ſucceſſor S. Honoberti in Pontificatu Senonenſi. In tranſverſa verò, præter Apoſtolos Petrum & Andream, Jacobum & Joannem, & Martyres quamplurimos, fratres fuere, etiam non martyres, Gregorius Nazianzenus & Cæſarius cum ſorore Gorgonia, Benedictus cum ſorore Scholaſtica, Medardus & Gildardus, hic Rothomagenſis, ille Sueſſionenſis Epiſcopus &c. ſorores, Martha & Maria cum fratre Lazaro; Praxedes & Pudentiana, ambæ Pudentis Senatoris filiæ; Ruffina & Secunda martyres; Æmiliana & Tarſilla S. Gregorii amitæ &c. Patritius Hibernorum Epiſcopus, S. Martini ex ſorore nepos &c. Quorum omnium etſi laudabilis ſit & multùm veneranda neceſſitudo iſta ex carnis nexu proveniens; vera eſt nihilominùs S. Ambroſii ſententia lib. 6. in Luc. *Religioſiores copulas mentium eſſe quàm corporum*. Itemque quod ait Tertullianus in Apologetico cap. 39. *Quanto dignius fratres & dicuntur & habentur qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum ſpiritum biberunt ſanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejuſdem ad unam lucem expiraverint veritatis?*

Item in Tranſverſa.

Ambroſius.

Tertullianus.

Quod ad Affinitatem attinet, eam non tam ex corporum, quàm ex animorum copula metimur, ut Affines dicamus Sanctos illos, qui aut uſu conſuetudineque dum viverent, inter ſe conjuncti erant, aut alicujus muneris, miniſteriive ſocietate devincti: Sic Sancti Timotheus, Titus, Ariſtarchus, cæterique omnes Pauli diſcipuli, quos ad uſque 120. ex Martyrologio collectos recenſet Gavantus in calce ſui operis, cum eo Apoſtolo habere cenſentur affinitatem; ſic cum S. Laurentio, S. Romanus, S. Hippolytus, S. Juſtinus &c. cum S. Hilario S. Martinus, cum S. Martino SS. Sulpitius, Briccius, Maximus, cum S. Auguſtino SS. Alipius, Simplicianus, Fulgentius, Proſper, &c. quibus ſanè omnibus quadrat illud quod ad Eliæ commendationem jactatur Eccli. cap. 48. *Beati ſunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt.*

Affinitas inter Sanctos qualis?

Horum nihilominùs tam Conſanguinitate quàm Affinitate conjunctorum, pauca admodum exempla obſervavi, qui hocce titulo in Eccleſiis peculiari feſto recolantur; nec niſi SS. Hilarii, & Sulpitii Severi in Eccleſia S. Martini Turonenſis; S. Monicæ, & SS. Alipii & Simpliciani apud Auguſtinienſes: imò hæc eadem & ſi quæ alia ejuſmodi occurrant, poſſunt ipſa ad alios Titulos æquè commodè revocari. Ut in Eccleſia Aurelianenſi, S. Conſtantinus Imperator, & S. Helena ejus mater, item S. Quiriacus Epiſcopus Jeroſolymitanus & Martyr, de quibus ſit Feſtivitas, licèt affinitatem quamdam habeant cum SS. Cruce, cujus Titulo eadem Eccleſia inſignitur; poſſunt nihilominùs ad alium perinde Titulum referri, putà quòd ipſe Imperator ſuaſu parentis piiſſimæ dictæ Eccleſiæ fundator cenſeatur. Scio à nonnullis Eccleſiis aut Ordinibus B. Mariæ dicatis in morem induci, ut S. Annæ & S. Joſeph Feſta ſolemniùs agant, eò maximè quòd illa Matris cognatione, hic Sponſi affinitate, qua nulla major exiſtit, ipſam Virginem Deiparam attingant; at hoc, præterquam quòd recens eſt, nihil communi ubique celebritati ſuperaddit, niſi Altaris, Chorive ac Ceremoniarum apparatum paulò ſpecioſiorem.

Pauca ſunt feſta ratione Conſanguinitatis & Affinitatis Sanctorum.

Feſta S. Annæ & S. Joſeph ex cognatione & affinitate cum B. Virgine apud aliquos celebriora.

QUÆSTIO IV.

An legitima ſint Feſta ſub prædictis præciſè Titulis inſtituta?

Feſta Sanctorum præciſè non ſiunt Titulo Conſanguinitatis, Affinitatis &c.

RESpondeo: Si Feſta hujuſmodi aliquo alio ex capite ſint propria Eccleſiarum, in quibus ea fieri contingit, putà quia ſunt Sanctorum naturalium, aut quorum habentur Reliquiæ, aut certè ex recepta conſuetudine &c. poterunt ea quidem legitima cenſeri, prout Titulus ejuſmodi legitimus cenſebitur: At ſi nuſquam aliunde propriorum rationem obtineant, in iis quidem Eccleſiis, quibus integrum reſtat ſui Breviarii jus, nihil planè vetat ea retineri, aut etiam de novo induci, ſi Ordinariis æquum ac opportunum videbitur; in aliis verò, quæ Breviario Romano Pii V. adſtrictæ ſunt, viget prorſus Sacræ Congregationis Decretum, quo *vetuit & prohibuit celebrari per totam Civitatem vel Diœceſim, etiam de cujuſcumque Ordinarii authoritate, Feſtum cum Officio, eò quòd in loco adſit Eccleſia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis &c.* Quæ verba prædictos Vicinitatis & Affinitatis ſeu Confraternitatis Eccleſiarum aut locorum Titulos funditus abrogant: Nec eſt quidquam aliud, quod magis faveat ipſorummet Sanctorum Cognationis & Affinitatis; nam & ipſe S. Simeon Jeroſolymitanus Antiſtes & Martyr, quantumvis Chriſti Domini conſobrinus (quâ certè ſanguinis Affinitate nulla præclarior) nonniſi tamen ſimplici ritu in Breviario donatus reperitur.

S. Simeon Jeroſoly. Epiſcop. & Martyr, Chriſti Domini conſobrinus.

CAPUT DUODECIMUM.

DE FESTIS PROPRIIS EX VOTO, ſeu devotione generali Civitatis, vel Eccleſiæ alicujus, itidem ex Devotione ſeu Fundatione particularium.

TItulum hunc utrumque ſimul annectimus, quòd utriuſque par ſit fermè ratio, nec alius ab alio differat, niſi quòd hujus obligatio ex juſtitia, illius ex Religione oriatur. Utraque ex Doctorum placitis accuratè diſcutienda.

QUÆSTIO I.

Quæ & qualia ſint Feſta ex Voto ſeu devotione generali Civitatis, aut Cleri populive Eccleſiæ alicujus?

Triplex cauſa inſtituendi feſtum ex Voto ſeu Devotione. 1. In gratiarum actionem accepti beneficii.

DEvotionis illius, ſeu etiam Voti communis, quo ſe tota Civitas aut Eccleſia aliqua obſtrinxit ad Feſtum aliquod anniverſario ritu celebrandum, triplex univerſim poteſt eſſe cauſa.

1. Ad perpetuam memoriam ſimul, & in gratiarum actionem accepti olim inſignis beneficii, aut patrati divinitùs mirandi alicujus operis. Cujus ritus inſignia aliquot exempla ex antiquitate refert Cornelius Schultingius tom. 1. par. 1. cap. 22. obſervatque ab Euſebio Cæſar. dictas ejuſmodi Feſtivitates *panegyricas*. Sic Eccleſia Aurelianenſis in ſuis Faſtis diem 8. Maji Feſtum inſcribit ac ſervat ſub Titulo Liberationis Urbis, ab Anglorum videlicet obſidione, ope miraculosâ Joannæ Puellæ, anno 1429. Eccleſia itidem Pariſienſis diem Auguſti 18. ſub Officio duplici celebrat, pro Commemoratione inſignis Victoriæ Regis Philippi Pulcri de Flandris rebellibus ope Beatiſ. Virginis reportatæ ann. 1304. Similiter & Carnutenſis ſolemnem B. Mariæ Commemorationem affixit diei 15. Martii, ob Civitatem ea ipſa die ſingulari ejuſdem Virginis præſidio obſidione quoque liberatam anno 1568. Refert Bollandus noſter ad 30. Januarii, ubi de S. Geminiano Mutinenſi Epiſcopo, diem ejuſdem menſis 26. feſtivum in ea Civitate haberi ſub hocce Titulo (*Victoria S. Geminiani*) quòd eo die Civitas illa ejuſdem religioſiſſimi Antiſtitis ſui meritis ab Attilæ furore excidioque aliàs liberata ſit. Omnium verò illuſtriſſimum pati in re monumentum eſt, inſtituta à Pio V. die 7. Octob. Commemoratio B. Mariæ de Victoria, ob inſignem Victoriam bello navali ejuſdem Dei Genitricis auxilio à Chriſtianis ad Naupactum ea die de Turcis reportatam anno 1571. Cui celebrandam pariter prima Dominica ejuſdem menſis Octobris, addidit Gregorius XIII. annuam Roſarii ejuſdem B. Virginis ſolemnitatem.

Liberatio Urbis Aurelianenſis.

Commemoratio Victoriæ Regis Philippi Pulcri.

Com. B. Mariæ ob Civitatem Carnutenſem obſidione ſolutam.

Victoria S. Geminiani.

Com. B. Mariæ de Victoria, ad Naupactum de Turcis reportata.

Sed nec minùs religioſi fuere Majores noſtri in conſignanda quoque ſacris Faſtis recolendaque feſtivo ritu portentorum inſignium quæ olim divinitùs contigerunt memoria. Cujus rei præter Commemorationem Imaginis Salvatoris, de qua Martyrologium Romanum 9. Novembris, præclarum item exemplum ſuppeditat Eccleſia Coriſopitenſis in Britannia minori, in qua effuſi olim ad pejerantis hominis convictionem, ex Imagine Crucifixi ſanguinis memoria, feſtivo quotannis Officio recolitur feria quarta proxima ante diem Cinerum. In Breviario quoque Bituricenſi, die ultima Maji, conſignatum habetur Feſtum Miraculorum B. Mariæ Dolenſis, (quæ erat olim inſignis Abbatia Ordinis S. Benedicti, nunc diruta funditus) quando videlicet lapide ab hæretico homine in Imaginem B. Mariæ Infantem Jeſum è ſinu geſtantis projecto, brachium Infantis ruptum copioſum ex vulnere ſanguinem effudit, ac ſequenti die viſa eſt ipſa Virginis Imago loco moveri, atque aliò velle commigrare: in cujus portenti memoriam perpetuam, inſtituta eſt in honorem Matris Dei per totam Diœceſim ejuſmodi ſolemnitas. Eſt item in Eccleſia Senonenſi ſolemne Feſtum die 4. Auguſti indictum ſub Titulo, *Recuperationis Euchariſtiæ*; quòd videlicet anno 1541. ea ipſa die ſacra Hoſtia furto à nefariis hominibus unà cum pyxide ſubrepta, detectis illicò furibus recuperata ſit, & collecta ex acervo ruderum, ſolemni totius urbis ſupplicatione in Eccleſiam reportata.

Feſtum effuſi ſanguinis ex Imagine Crucifixi, in Eccleſia Coriſopitenſi.

Feſtum Miraculorum B. Mariæ Dolenſis.

Feſtum Recuperationis Euchariſtiæ in Eccleſia Senonenſi.

Libet verò etiam antiquiora duo alia proferre inſtituti hujus monimenta. Alterum ex Orientali Eccleſia, in qua ad memoriam profligatæ à Concilio Chalcedonenſi nefandæ hæreſis Eutychianæ, decreta eſt ipſius Concilii anniverſaria celebritas ad diem 16. Julii ſub hac inſcriptione, *Celebritas ſexcentorum triginta Patrum quarta Synodi Oecumenica in urbe Chalcedone, tempore Marciani Imperatoris*. De qua utique celebritate ſic loquitur ipſe S. Leo Papa ſcribens ad Theodoretum Cyri Epiſcopum: *Secunda eſt poſt adventum Domini hæc orbi feſtivitas*; adeò æſtimatum fuit beneficium per hanc ſacroſanctam Synodum divinitùs acceptum, quo *redditum eſt ſeculo*, ait idem S. Leo, *prædone proſtrato Incarnationis divinæ myſterium, & Solis juſtitiæ jubar denſis per Orientem Neſtorii & Eutychetis nebulis impeditum, purè ab Occidente reſplenduit*. Quin & ex occaſione addita eſt eadem die in Menologio, cæterarum quinque priorum Oecumenicarum Synodorum memoria, interprete Genebrardo, his verbis: *Memoria Patrum Nicænorum* 318. *Secundæ Synodi Conſtantinopolitanæ* 150: *Tertiæ Epheſinæ* 200. *Quartæ Chalcedonenſis* 630. *Quintæ* 160. *Sextæ* 170.

Anniverſaria feſtivitas Synodi Chalcedonenſis.

S. Leo.

Commemoratio aliarum Oecumenicarum Synodorum.

Alterum hujuſce rei monimentum ab Occidentali Eccleſia petitum, eruitur ex pleriſque antiquioribus Calendariis, in quibus 15. Julii ſignatur Feſtum Diviſionis Apoſtolorum, ut ſcilicet ab Jeroſolymis diſcedentes Euangelica prædicatione orbem imbuerent; & hoc Feſtum *ubique, ſed non Romæ* fieri, diſertè notat Radulphi Calendarium. Atque hactenùs de prima cauſa dictæ devotionis.

Feſtum Diviſionis Apoſtolorum.

Secun-

Feſta item inſtituta ad obtinendum beneficium aliquod.

Secunda præter gratiarum actionem pro accepto beneficio, (quam plerumque non excludit) ſpectat inſuper accipiendum; nimirùm ſpes eſt obtinendæ alicujus gratiæ; ſive temporalis, ſive ſpiritualis, per interceſſionem Sancti alicujus, quem idcircò Clerus, aut Populus ampliori cultu ac feſtivo Officio proſequi ſtatuit, vel etiam vovit. Sic SS. Sebaſtianus & Rochus multis in locis cum Officio ſolemni, imò & publica feriatione coluntur, vel ad depulſæ aliquando eorum patrocinio peſtilentiæ conſervandam memoriam, vel ad perennis adverſus eam præſidii ſpem firmandam. Eodem fine Divionenſes publico ſe voto obſtrinxerunt anno 1531. Divæ Annæ Feſtum quotannis, pari ſe poſteroſque cum Paſchate ritu, ſuſceptaque adeò ſacra Communione celebraturos, ſi ceſſaret lues; ceſſavit, ſtetitque deinceps perennis voti hujus obligatio.

Feſta SS. Sebaſtiani & Rochi ob peſtem multis in locis celebria.

Feſtum S. Annæ Divione ex voto ſolemne.

Tertia denique cauſa afferri poteſt, pius Eccleſiarum affectus erga certum Myſterium aut Sanctum aliquem, cui proinde peculiaris in Officio veneratio tribuatur. Sic in pleriſque Galliæ Eccleſiis noſtra hac ætate introducta ſunt Feſta Nominis Jeſu, Deſponſationis ſeu ſacri Conjugii B. Mariæ, Compaſſionis ejuſdem, ſeu ut vocant Noſtræ Dominæ de Pietate, S. Gabrielis Archangeli &c. In aliquibus quoque Feſta Quinque Plagarum Chriſti Domini, ſacræ Coronæ, ſeu Coronationis ejuſdem, Gaudiorum B. Virginis, Expectationis ejuſdem, ſacri Roſarii &c. Quibus addi poteſt ritus ille Regularium quorumdam proprius, qui & pleriſque aliis brevitati quantum poſſunt ſtudentibus admodum commodus videtur, Officium de SS. Sacramento in ſingulis quintis feriis loco Officii ferialis ſubſtituendi; ſicut & Officia quædam alia votiva de B. Maria, vel de Sanctis Patronis, certis hebdomadæ diebus; de quibus alius infrà ſe offeret opportunior tractandi locus.

Pius erga Myſterium vel Sanctum affectus cauſa illius peculiari ritu celebrandi.

Officium de SS. Sacramento, & alia votiva per hebdomadam.

QUÆSTIO II.

Quæ & qualia ſint Feſta ex Devotione, ſeu ut vocant Fundatione particularium aliquorum in uſum frequenter inducta?

Feſta fundationis ex peculiari affectu aliquorū erga certū Sanctum ſeu Myſterium.

MOs eſt ubique paſſim receptus, ut ſi quis peculiari erga Sanctum aliquem, aut aliquod Chriſti Domini vel Beatæ Mariæ Myſterium, devotione afficiatur, is certo fundo, aut certa pecuniæ ſumma in redditus annuos conſtituta, ab Eccleſia, cui eam tradit, ex pacto obtineat, ut deinceps quotannis in ea illius Sancti ſeu Myſterii Feſtum, certo ritu, certiſque ceremoniis peragatur; cujuſmodi Feſta, quæ communiter Fundationis appellantur, multa ſunt in pleriſque Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, imò & Parochialibus, adeò ut in una Dolenſi Eccleſia minoris Britanniæ, pluſquam quinquaginta numerentur. Affectus autem ille peculiaris hinc ut plurimùm oritur, vel quòd quis Sancti illius, cui afficitur, nomen gerat; vel quòd beneficium aliquod ſeu ſpirituale ſeu temporale ejus interventu à Deo conſecutus fuerit. Sic videas in aliquibus Eccleſiis Feſtum S. Juliani, aut S. Guillelmi, aut S. Claudii fundatum ab eo, qui Julianus, aut Guillelmus, aut Claudius vocaretur; Feſtum S. Sebaſtiani, S. Leonardi, S. Rochi, Sanctæ Barbaræ, & ſimilium, ab eo qui Sanctorum illorum ope à gravi aliquo morbo aut imminenti periculo liberatus fuerit. Id autem an idoneum ſit Feſti, ſeu Officii ita conſtituendi argumentum, non eſt abſque controverſia, quam ſolvent ſequentes quæſtiones.

QUÆSTIO III.

An potuerint legitimè ejuſmodi Feſta olim inſtitui ſeu admitti?

Feſta ex voto ſeu devotione generali legitimè olim inſtituta.

REſpondeo: De Feſtis ex voto ſeu devotione generali Cleri, Populive, nullum poteſt eſſe dubium; id enim nedum Canone ullo aut Pontificum Edicto cautum reperitur, ut etiam uſu ipſo factoque perquàm legitimum decernatur, accedente præſertim, ut ſupponitur, Epiſcopi authoritate, cujus eſt divina Officia ordinare, uti colligitur *ex Can. Pronunciandum, de Conſecrat. diſt.* 3. *& Can. Novit. diſt.* 12. idque docet expreſsè Navarrus *cap.* 11. *de Horis Canon. num.* 30. citans & ipſe Gloſſam *in Can.* 1. *diſtinct.* 9. quam ſingularem & memorabilem appellat.

Navarrus.

Et verò ſi Judæis fas fuit præter Paſcha, Pentecoſtem aliaſque Feſtivitates divina lege ipſis traditas, alia inſuper inſtituere, putà Feſtum Judith & Eſther, in memoriam ſuæ ab infenſiſſimis hoſtibus Holoferne & Amano ereptionis; quidni & idem pari jure præſtare nobis Chriſtianis non modò liberum erit, ſed etiam glorioſum atque laudabile?

Argumentū à pari de feſtis Judæorū.

At verò de Feſtis ex voto ſeu fundatione cujuſlibet particularis, non adeò certa eſt reſponſio; eò quòd cap. *Quidam, de celebratione Miſſarum*, reprehenditur quorumdam devotio, qui ſuppreſſa Miſſa diei propria, alias quaſdam peculiares ſubſtituebant; qui abuſus in Officio longè adhuc minùs quàm in Miſſa tolerandus videtur, cùm plures poſſint celebrari Miſſæ; Officium autem nonniſi unum qualibet die perſolvatur. Et certè magna inde oriretur confuſio, ſi pro cujuslibet nutu ac devotione, ejuſmodi mutationes in Officio divino inducerentur.

Feſta ex fundatione Particularium videntur à jure improbari.

Verùm cùm talem fuiſſe conſtet multarum Eccleſiarum uſum, tueri illum æquius puto, quàm impugnare: nec verò id difficile eſt admodum, duplici præſertim in caſu qui ferè nunquam deeſt. Alter, ſi adfuerit Epiſcopi conſenſus, qui etiam præſumi debet, quando poſſeſſione uſus pridem exiſtente, nihil de contrario compertum habetur. Alter verò, quando Feſta ſeu Officia fundatione introducta eadem ſunt, quæ vel in ipſo Romano, vel alio quopiam uſu legitimo celebrantur. Sic in Eccleſia Turonenſi cùm nondum recepta eſſent Feſta Transfigurationis Domini, Viſitationis & Præſentationis B. Mariæ, S. Annæ, & S. Joſeph, ab aliquibus poſtmodum particularibus fundata in uſum tranſierunt, ſicut & Feſtum SS. Simonis & Judæ Apoſtolorum ab inferiori ritu ad altiorem, quem quinque candelabrorum vocant, ex R.D. Simonis de Mailley Turonenſis Archiepiſcopi fundatione provectum eſt. Recepta quoque ibidem ex fundatione Feſta Nominis Jeſu, Quinque Plagarum Chriſti, & S. Gabrielis, quæ non ubique quidem, ſed in multis aliis Eccleſiis etiam cum approbatione pridem uſitata erant. Nec eſt quidquam quod in hujuſmodi uſu, meo judicio, carpendum ſit, niſi fortè ſecus alibi factum fuerit, quàm quod præcipitur Can. 42. Concilii Francofordienſis ſub Carolo Magno habiti, *Ut nulli novi Sancti colantur, nec memoriæ eorum per vias erigantur &c.* Quod æquè proceſſus valere putaverim contra Feſta quædam Myſteriorum Dei, aut Chriſti Domini, aut B. Mariæ, quæ à quibuſdam novitatum amatoribus facilè nimis in uſum de novo inducuntur.

Uſu tamen ubique recepto pro legitimis haberi poſſunt.

Exempla ejuſmodi feſtorum ex fundatione.

Concil. Francof.

QUÆSTIO IV.

An debeant aut poſſint prædicta Feſta retineri deinceps?

Eccleſiæ proprium uſum habentes poſſunt retinere feſta ex fundatione.

DUbium non eſt pro Eccleſiis, quæ per Bullam Pii V. exceptæ, jus ſuum antiquum Breviarii ſartum tectumque adhuc retinent. In iis

ſiqui-

Digitized by Google

ſiquidem quidquid uſu, vel Epiſcopi authoritate fulcitur, tutò id omne retineri poteſt. An autem debeat, perpenſis quæ poſthac ſubjicientur rationibus, quid æqui bonique ſit viderint ipſarummet Eccleſiarum Præſides.

Eccleſiæ Romano adſtrictæ non poſſunt, Gavantus.

Pro aliis verò, quæ Breviario Romano adſtrictæ ſunt, dubium omne Gavantus, uno verbo, ſic tanquam falcis ictu demetit *ſect. 1, Comment. Breviarii cap. 2. num. 26.* ubi explicans tum Bullam Pii V. tum citatum ſæpius Sac. Congreg. Decretum, *Non potuiſſe, neque poſſe locorum Ordinarios &c.* ſubjungit, *Et hinc ſequitur, quòd ſine facultate non poteſt fieri Officium, eo quod de voto populi adeſt ſeu votum, Neque quia Clerus conſenſit in Diœceſana Synodo. Neque quia voluntas teſtatorum legato proprio juſſit Officium de Sancto, quod non eſt in Calendario.* Cui definitioni unanimi conſenſu aſtipulantur Doctores omnes, quotquot negant licitum eſſe de cujuſcumque Prælati authoritate, ullam in Officio mutationem inducere poſt Bullam Pii V, Suarez *tomo 2. de Relig. lib. 4. cap. 15. n. 15.* Vaſq. *tract. de Beneficiis cap. 4. §. 1. art. 2. dub. 3.* Roderic. *tom. 1. quæſt. Regularium q. 42. art. 11.* denique Diana ipſe cæteroqui liberaliſſimus *par. 4. tract. 12. reſol. 36.* cum aliis quos ipſe citat & ſequitur.

Voti Communitatis non obligat poſteros vi voti, ſed pacti.

Nec obſtat votum Cleri aut Populi, ſi quod intervenerit: tum quia votum Communitatis non obligat poſteros vi voti in quod ipſi non conſenſerunt, ſed tantùm ratione pacti vel ſtatuti, aut longæ conſuetudinis, à quibus omnibus poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut docent communiter Vaſq. 1. 2. *tomo 2. diſp. 167. num. 36. & diſput. 177. n. 22.* Sanch. *lib. 4. Mor. cap. 15. num. 19.* Suarez *de voto lib. 4. cap. 9. num. 10.* Laym. *lib. 4. tract. 4. cap. 3. num. 6.* Tum quia voti illius obligatio, qualiscumque ea ſit, extinguitur mutatione materiæ, quæ non eſt ampliùs de opere meliori, quàm ſit ejus oppoſitum: Melius ſiquidem eſt Officium perſolvere juxta formam à Pontifice præſcriptam, quàm ex proprio nutu & arbitrio; & ex jure *obligatio extinguitur, ſi in eum caſum incidat, à quo incipere non potuit, leg. pluribus, §. etſi placet, ff. de verbor. obligat.* obligatio autem iſta nulla fuiſſet, ſi cùm primùm ſuſcepta eſt, talis forma extitiſſet. Denique ſicut votum non poteſt concipi, ſic nec ſtare, atque adeò obligare in præjudicium poteſtatis alienæ, teſte D. Thoma 2. 2. *q. 88. art. 8.* quo fit ut vota à ſubditis facta ſine conſenſu Superiorum, ab iis jure communi irritentur.

Vaſquez, Sanchez, Suarez, Laymann.

Obligatio voti extinguitur mutatione materiæ.

D. Thomas.

Legatum à Fundatore relictũ non facit ut legitimum ſit Feſtum ab ipſo fundatum.

Neque item obſtat fundatio ſeu legatum Eccleſiæ à Teſtatore relictum, eo fine ut tale Feſtum annuatim in tali Eccleſia celebretur. Nam *cap. Si diligenti, de foro competenti, & cap. Ad Apoſtolicam, de Regularib. & leg. Jus publicum, ff. de pactis,* planè dicitur, *Non poſſe jus publicum pacto privatorum tolli;* adeò ut nec valere juſjurandum interpoſitum in contractu ea lege interdicto, doceant Bartholus, Covarruvias, & alii optimi Juris Interpretes. Ex quo infertur, quòd ejuſmodi fundatio, quæ legi à Pontifice latæ repugnat, non quidem nullius ſit obligationis; hoc enim nolo aſſerere, tum quia prior eſt ipſa lege, ante quam per ſe obligabat, tum quia poteſt interpretatione legitima ſalvari; ſed ajo minimè obligare ad id quod teſtator expreſſit, ſed ad aliud æquivalens, prout Epiſcopus & executoribus viſum fuerit. Ratio eſt, quòd cùm primaria Teſtantis intentio ſit, ut cultu illo ad quem legatum deſtinat, Deus ampliùs honoretur, certè ſi cultus ille poſtmodum ab Eccleſia rejiciatur, aut minùs probetur, annon & ille ſua intentione ipſum quoque rejicere cenſendus eſt? adeò ut ſi id prævidiſſet vel cognoviſſet, aliter omninò diſpoſuiſſet; & nunc quoque ſi viveret, contentus eſſet legatum ſuum in alium uſum converti. Hanc autem ipſius mentem ſic per epikejam interpretari ſpectat ad Epiſcopum, ad hoc à Sede Apoſtolica delegatum, ex Decreto Concilii Tridentini *ſeſſ. 22. de reformat.* Quæ tota doctrina bonorum Authorum eſt, Sylveſtri *verb. Legatum 4. quæſt. 12.* Vaſq. *opuſculo de teſtament. §. 5. dub. 3. num. 104.* Graffii *tom. 1. conſ. 2. num. 10.* Ludov. de Beja *reſponſ. par. 4. caſu 21.* Angeli, *verbo Legatum 2. n. 11.* Armillæ, *eodem num. 55.* Sà, *verbo Teſtamentum num. 3.* Laym. *lib. 4. tract. 5. cap. 1. num. 11.* Covarr. *in cap. Tua num. 12. de teſtament.* In quod verò opus aliud præſtet ejuſmodi legatum commutari, dicetur quæſt. ſequenti.

Fundatio non obligat in tali caſu ad id quod Teſtator expreſſit.

Epiſcopi eſt interpretari mentem Teſtatoris defuncti. Conc. Trid.

Sylveſter. Vaſquez. Graffius. Beja. Angelus. Armilla. Sà. Laym. Covarruv.

In tribus caſibus valet fundatio. Quando in conſuetudinem tranſiit.

Hæc ut rata ſint, in tribus tamen caſibus fundationem ſeu legatum ſtare, nec commutatione ullatenùs opus eſſe cenſeo. 1. Vi conſuetudinis, quando nimirùm Feſtum, quod ex voto, vel ex fundatione eſt, uſu jampridem receptum erat ante latam Bullam Pii V. adeòque cenſeri poteſt verbis illis comprehenſum, *Quæ conſueverunt ſolemniter celebrari.* 2. Quando votum vel fundatio, non de Officio celebrando ſunt, ſed de Proceſſione aliqua ſolemni duntaxat, aut Miſſa votiva, aliove ſacro munere obeundo. Exemplo ſint Proceſſiones ſolemnes in multis Galliæ Civitatibus inſtitutæ, in nonnullis etiam cum feriatione in foro; Toloſæ *die 17. Maji* pro Urbe liberata à furore Calviniſtarum anno 1562. Cadurci *die 8. Februarii* ob Civitatem Catholicis reſtitutam; Turonis *die 10. Julii* pro Reductione Urbis; Cenomani *die 16. Martii* itidem pro Reductione Urbis. Denique in omnibus ferè antiquis noſtris Calendariis *die 12. Auguſti* præſcriptæ habentur Proceſſiones pro Reductione Normanniæ. Quæ omnia piè & ſalubriter inſtituta ad perpetuam accepti beneficii memoriam, ſarta integraque ſervari debent; ſicut & quando votum vel fundatio, non de novo aliquo Feſto inducendo ſunt, ſed de recepto jampridem ac in tota Eccleſia celebri certis quibuſdam ritibus ac ceremoniis peragendo; in quo tamen ſi qua eſt difficultas, cùm ea non ad rem præſentem ſpectet, ſed ad occurrentiam vel concurrentiam, aut quid ejuſmodi, ſolvetur alibi opportuniùs. 3. Denique ſi Feſtum ex voto vel fundatione inſtitutum eſt in Eccleſia Parochiali ſeu alia, in qua nec obligatio nec uſus ſit decantandi Officii Canonici, poterit omninò retineri, nec in aliud commutari, (modò illud ſit de Myſterio ſeu de Sancto ritè ab Eccleſia recepto ſeu canonizato.) Ratio eſt, quia per illud nullo modo lex divini Officii ea die conſtituti ſolvitur: Non in Choro quidem, cùm nulla ſit illius decantandi obligatio, ut ſupponitur; & niſi illud Officium quod fundatum eſt, celebraretur, nullum aliud in eo fieret; nec etiam extra Chorum, quia privatus quilibet non idcircò immunis præſumitur ab Officio diei proprio, privatim recitando; ergo cùm aliunde pium ſit munus illud ac planè religioſum, nihil vetat, quin totum ex mente voventis aut teſtantis obeatur. Secùs in Eccleſia Cathedrali, aut Collegiata, aut aliunde ad Officium Canonicum adſtricta; niſi forrè (quod vix crediderim ullibi eſſe uſitatum) præter proprium diei Officium, aliud inſuper vel ex voto vel ex fundatione celebrandum ſuſciperetur.

Quando non de Officio eſt, ſed de Proceſſione, aut Miſſa votiva &c.

Proceſſiones votivæ in multis Galliæ Civitatibus uſitatæ.

Feſtũ ex fundatione retinendum in Eccleſiis ad quotidianũ Officium minimè obligatis.

Ex occaſione juvat hic quæſtionem proponere de caſu non admodum communi. Eſt in ſaltu Pleſſiaco juxta Turonas Eccleſia Collegiata, à Ludovico XI. Rege fundata in honorem S. Joannis Evangeliſtæ, in qua nullum aliud per ſingulos dies celebratur Officium, quàm de ipſomet S. Joanne. An eſt iſte uſus legitimus? Reſpondeo, cùm dubium non ſit illius Eccleſiæ erectionem, expreſſo Summi Pontificis diplomate fuiſſe ſub hac conditione approbatam, uſum quoque iſtum à nemine poſſe convelli; ſed nec culpandos judicarim, imò laudarem maximè, qui illo abrogato cum bona venia eorum ad quos ſpectat, ordinarium & communem uſum introducere ſatagerent.

Caſus peculiaris de fundatione Eccleſiæ ſancti Joannis Evangel. in ſaltu Pleſſiaco prope Turonas.

Digitized by Google

QUÆSTIO V.

Qua ratione poſſint prædicta feſta in aliud commutari?

Epiſcopi authoritas & Fundatorum conſenſus requiſita ad talem commutationem.

REquiritur inprimis Epiſcopi authoritas, ex citato ſuprà Decreto Concilii Tridentini; & quidem in Synodo Diœceſana, ut habetur *ſeſs. 25. cap. 4. de reform.* aut pro Eccleſiis Regularibus, Abbatis, ſeu Generalis Ordinis in Capitulo generali. Requiritur item Fundatorum ipſorum, ſeu hæredum, aut executorum conſenſus, ut in pari cauſa aſſerunt Emmanuel Sà verbo *Teſtamentum num.* 33. Covarruvias in cap. *Nos quidem de Teſtamentis n.* 12. Abbas ibidem n. 6. & alii.

Conc. Trid. Eman. Sa. Covarruv.

Commutatio facienda in aliquid æquivalens & ad Fundatoris intentionem propius accedens.

Jam verò id in quod fit commutatio, debet eſſe æquivalens, & ad Fundatoris intentionem quantum fieri poteſt propiùs accedere, habita ratione cenſus & valoris legati, prout pro tempore præſenti percipitur. Sic igitur poteſt mutari Officium fundatum de Sancto in Miſſam votivam ſolemnem de eodem, cum Proceſſione ſeu Statione ad ejus Eccleſiam, Sacellum, aut Altare, vel cum Salutatione ſolemni, quam vocant, ſub veſperum diei &c. juxta cujuſque loci conſuetudinem; addita etiam ſi lubet Miſſæ, aut Precatione aliqua pro ipſomet Fundatore defuncto.

Fieri autem debere ejuſmodi commutationem egregiè probat Rad. Tung. prop. 6. ex eo quòd infideles ipſi ac pagani legata ad modos illicitos & inſuetos converti ſtatuerunt in modos licitos & honeſtos, l. Legatum, ff. de uſufructu legat. ubi ſic reſpondit Modeſtinus: *Cum Teſtator ſpectaculum coli voluerit in Civitate, ſed tale quid ibi celebrare non liceat, iniquum eſſe hanc quantitatem, quam in ſpectaculum Defunctus ordinavit, in lucro hæredum cedere. Ergo adhibitis hæredibus & Primoribus Civitatis, diſpiciendum eſt, in quam rem converti debeat fideicommiſſum, ut memoria Teſtatorum alio & licito genere celebretur.* Addit verò præclarè & ex tota animi mei ſententia idem Radulphus: *Hæc ſæcularis lex confundit noſtrates, qui nova feſta componunt, quæ in præjudicium Temporalis Officii non eſt licitum obſervare.*

QUÆSTIO VI.

An poſſint feſta ejuſmodi abrogata reſtitui, vel de novo aliqua induci?

Nulla feſta Fundationis poſſunt de novo admitti in Eccleſiis Rom. Breviario adſtrictis.

NEgativa certa eſt, eaque in præcedentibus quæſtionibus non ſemel probata; ac variis Authorum teſtimoniis confirmata pro Eccleſiis uſui Romano mancipatis. Nec valet, ſi quis opponat pro novis feſtis admittendis, ipſa eadem Feſta aliis Eccleſiis à Pontifice conceſſa fuiſſe, quod enim per privilegium aliquibus conceditur, alios à lege communi nequaquam eximit, niſi & ipſum privilegium ad eos æquè per concedentem extendatur. Poſtulent itaque vel à Summo Pontifice vel à Sacra Rituum Congregatione ejuſmodi facultatem, quibus ea itidem gaudere lubet.

Rationes ob quas & in aliis Eccleſiis ea itidem admitti non cõvenit.

Pro aliis verò Eccleſiis, quæ ſui adhuc juris ſunt, non is ego ſum qui eo ipſas privare velim; haud tamen ægrè ferent, ſi rationes quibus ab ejuſmodi uſu diſſuadeantur, iis examinandas propoſuero, maximè quod ad feſta fundationis attinet.

Inprimis cùm Officium divinum ſit oratio publica, communi totius Eccleſiæ nomine ad Deum fuſa, annon indecorum eſt, illud ex unius mente atque intentione componi? Annon item iniquum, cæteros omnes poſthabitis communibus votis & affectibus, illius unius ſenſui ac devotioni ſeſe conformare? Quid ſi alii ſubinde atque alii illius exemplo ſimile quid (ut ſunt varia hominum ſtudia) tentent ac perficiant? Quanta in divinorum Officiorum ratione congeries! quanta perturbatio! Porrò cùm fundatio omnis aut devotio ejuſmodi opus ſit ſupererogationis, eòque tendat ut communi penſo aliquid ſuperaddatur; accidit è contra, ut hacce fundandi ratione Officium fiat brevius, adeòque vitata feriali prolixitate, ea faſtidii ac negligentiæ ſuſpicio incurratur, quam carpit Canon 14. diſt. 5. de conſecratione. Non eſt denique iſtud ex uſu Romanæ Eccleſiæ, cui ſcuti communi omnium parenti ac regulæ cæteras omnes conformare æquum eſt, & ad ejus morem ſervatis ſuis juribus quàm fieri poteſt proximè accedere. Quas rationes juvat quoque luculento Eccleſiæ Bituricenſis teſtimonio confirmare, deſumpto ex ſtatutis Capituli generalis habiti die 11. Jan. an. 1520. ubi ſic legitur: *Nulla deinceps acceptentur Fundationes, per quas divinum immutetur Officium Chori fieri conſuetum & ordinarium, niſi in generalibus Capitulis, decernentibus nobis ex nunc irritum & inane futurum, quidquid in contrarium, etiam in Capitulo Ordinario fieri contingeret.*

Acta Capituli Eccleſiæ Bitur.

QUÆSTIO VII.

An cuilibet privatim recitanti liberum ſit ex devotione propria, Officium de Sancto aut myſterio cui peculiariter afficitur, loco ferialis Officii, ſeu alterius minimè impedientis ſubrogare?

QUæſtionem hanc tractant Theologi Morales, ubi de mutatione Officii, & quidem eo fine ut reſolvant, peccatumne ſit, & quale peccatum ejuſmodi mutatio? Noſter verò non eſt hic ſcopus, (quamquam & de hoc nonnihil fortè dicturi ſumus alias) ſed id unum inpræſentiarum ad nos ſpectat rem ex Regulis artis, ut ajunt, ſeu Breviarii legibus definire. Unde nec hic quæſtio eſt de inſcitia aut inadvertentia, qua quis unum Officium pro alio recitat. Eſto enim, excuſetur ille à gravi, vel etiam ab omni peccato; haud tamen idcircò dicendus eſt agere ex arte. De eo itaque præſens controverſia eſt, qui volens lubenſque feriale, v. g. Officium vel aliud ſimile omittit, ut de Sancto recitet, putà cujus vel nomen gerit, vel interceſſioni plurimùm fidit, vel erga quem alio quocumque pio fertur affectu.

Immutatio officii, per inſcitiam aut inadvertentiam.

Non eſt liberũ cuique pro devotione ſua propria officium diei in aliud commutare.

Dico primò, nullibi Rubricarum id conceſſum eſſe, ut particularis quilibet nutu & arbitrio ſuo Officium ſic immutet. Imò expreſſum habetur Sacræ Rituum Congregationis Decretum: *Non eſſe relinquendum Officium debitum pro Officio devotionis*, 29. Novembris 1603. Huic propoſitioni nemo crediderim inficiabitur: Imò cùm quærunt Doctores, ſitne id peccatum, necne; & concludunt, alii quidem eſſe mortale, alii veniale, alii grave indeterminatè, pauci denique in aliquibus circumſtantiis ab omni culpa vindicant; omnes certè hoc ſupponunt fas id non eſſe ex præſcripto Rubricarum, alioqui fruſtrà omninò contenderent, ſi ex aliquo textu res ipſa conſtaret. Totus eſt Gavantus in tuenda hac propoſitione, tum alibi, tum maximè *ſect. 1. Comment. Brev. cap. 1. tit. 2. n. 7.* Rem verò egregiè confirmat *ſect. 2. cap. 2. num.* 30. propoſito caſu unico, ex quo contraria utcumque aſſertio poſſet elici; nempè quòd in Bullis Canonizationis Sanctorum, ſoleant Pontifices dare facultatem recitandi Officium de Sancto Canonizato in die mortis ejus, ad formam in Rubricis Breviarii Romani præſcriptam. Verùm cùm ex Rubricis non appareat de unoquoque Sancto Canonizato, an ſimplex, an ſemiduplex, an duplex Officium fieri debeat, neceſſarium eſt proinde novum Decretum de Ritu ſervando; quod expreſsè declaravit Sacra Rituum Congregatio, die 9. *Decembris* 1628. vel certè loquuntur Pontifices copulativè, & unà cum ædificio Eccleſiarum, ut vi-

Gavantus.

videlicet de Sanctis Canonizatis fiat Officium in iis Eccleſiis, quæ ipſis dicatæ erunt, aut in quibus eorum Reliquiæ recondentur, more aliorum Sanctorum. Ita Gavantus. Et verò tueret Ordo omnis à Rubricis pro Officiorum diverſitate conſtitutus, tuerent Summorum Pontificum ac Sacræ Rituum Congregationis de non inducendis novis Officiis iterata toties Decreta, tueret denique ratio illa certa quædam ex conceſſione Pontificis Officia celebrandi ad libitum, ſi utique liberum eſſet de Sancto quovis, prout cujuſque ferret arbitrium aut devotio, recitare.

Laudabilis non eſt devotio illa mutandi officium diei proprium in aliud.

Dico ſecundò, laudabilem non eſſe (ne quid gravius dicam) devotionem illam, qua quis dimiſſo ſtato diei Officio aliud ex affectu proprio recitat. Aſſertionis hujus defenſores mecum habeo quotquot ex Doctoribus damnant peccati, ſive mortalis, ſive venialis, ſive gravis indeterminatè. Quis enim laudabile dixerit, quod ſine peccato, quodcumque illud fuerit, præſtari non poteſt? Quin & mihi haudquaquam adverſantur Navarrus, Aragonius, Honuſtius, Jacob. de Graffiis, Coſmas Philiarchus, & alii, qui id certis in caſibus excuſant ab omni peccato; cùm enim excuſatione opus non ſit, niſi in iis in quibus eſt accuſationis periculum; certè quod in accuſationem cadere poteſt, etſi aliquo in caſu eſt excuſabile, numquam tamen laudabile, ſaltem in comparatione ad oppoſitum, quod nulla excuſatione indiget. Eſto enim quod ait Honuſtius tractatu de hac ipſa quæſtione, cohoneſtetur mutatio illa ex aliquo motivo, circumſtantia ac fine bono; ſed annon præſtabilius, adeòque laudabilius haberi debet, quod ſine motivo, circumſtantia ac fine ejuſmodi, per ſe ſemper honeſtum eſt? imò & quod poſitis illis honeſtius longè eſſe convincitur, hiſce rationibus?

Navarrus. Aragonius. Honuſtius. Graffius. Philiarchus.

Primò, Cùm Officium divinum ſit oratio communis, quæ, ut ait S. Thomas 2. 2. *q.* 83. *art.* 12. *per miniſtros Eccleſiæ, in perſona totius fidelis populi Deo offertur*; quiſquis miniſter eſt fundendæ hujuſce orationis, convenientiùs facit, præfixum ab Eccleſia ipſa modum tenendo, quàm ſi alium quemcumque ex ſenſu proprio ſubſtituat; legatus quippè eſt, qui non ſuo, ſed totius Communitatis nomine loquitur.

D. Thom. Officium divinum eſt oratio communis nomine totius Eccleſiæ ad Deum fuſa.

Secundò, Cùm obligatio privatim recitandi Officium inducta videatur ex Choro, adeòque in ſupplementum Chori ſeu decantationis publicæ, ut colligitur *ex Can. Presbyter. diſt. 91. & Can. Si quis Presbyter. diſt. 92.* certè id Officium convenit à particulari quolibet privatim recitari, quod ipſe cum aliis in Choro caneret, ſi adeſſet: at non pro nutu, ſed ex præſcripto Eccleſiæ caneret: ergo etiam privatim ſic recitare convenit.

Officium in particulari recitari debet idem, quod in Choro.

Tertiò, Nihil in divinis Officiis ſacriſque precibus æquè commendatur ac unitas, rituumque omnimoda conformitas, quam ut induceret, ac ſubortam ubique orandi varietatem ſummoveret Pius Quintus in Bulla, Breviarii Romani emendationem ſe ideò ſuſcepiſſe ſignificat. Tollit verò hanc unitatem, qui præſcriptam in Breviario ipſo formam & ordinem invertit; & quidem ſi conſultò, ac pluries, omninò peccare ipſum mortaliter, aſſerit Honuſtius; ſin verò rariùs, & rationabili ex cauſa, eſto, non peccet niſi venialiter, imò ſi vis nullius peccati damnetur; at cùm ſaltem ex parte minuat prædictam unitatem, non poteſt illud tam perfectum eſſe, quàm ſi ſartam integramque ſervaret. Nam & inter Regulares pro rato illud habetur, eum qui orat, quo tempore à Communitate operi incumbitur, quantumcumque per ſe labori præſtet oratio, minùs tamen perfectè agere, ob unitatis, qua nihil ſanctius eſſe debet, infractionem. Annon verò tanti ſaltem facienda unitas ipſa Eccleſiæ, ut ea non de facili pro cujuſque libito violetur?

Uniformitas in divinis Officiis maximè commendatur, ideòque nò facile tollenda.

Præſtat magis obedire

Quartò, Teſtes appello item Regulares, an non ſatius ſit Superioris præcepto obtemperare, quàm citra illud, opus quodlibet quantumvis egregium ſuſcipere. Et verò præcipit Pius Quintus Summus Eccleſiæ Antiſtes celebri illa Conſtitutione, ne ſuum illud Breviarium ullo unquam tempore vel totum vel ex parte mutetur; imò ſic præcipit, ut & materia quæ præcepto ſubeſt, & verba quibus præcipiendo utitur, & pœnæ quas reluctantibus infligit, grave omninò præceptum importent. Pende illud, *Hanc orandi varietatem graviſſimè ferens*. Pende item verba illa, *Præcipimus obſervari, propoſitis pœnis per Canonicas ſanctiones, ſtatuentes omninò teneri, jubemus ut procurent &c.* His adde iterata toties, ac juſſu Urbani Octavi Breviario etiam appoſita ſuper hac re Sacræ Rituum Congregationis Decreta, hanc ipſam in ſpecie mutationem prohibentia. Et erit, qui illam affectando, laudabilem auſit prætexere devotionem? Vereor ego ne ſit ipſa magis ſuffurandæ brevitatis ſtimulata ſagaciter occaſio.

præcepto Superioris, quàm quodlibet egregium opus ſuſcipere. Pius V.

Neque velim ipſe mihi objicias, præceptum Pontificis, quà ſtrictius eſt, obligare dumtaxat ad ſubſtantiam Officii, non autem ad modum; nam & boni Authores firmiſſimis ducti argumentis id pernegant; & verò etiam ſi valeret illud effugium, adhuc tamen dabis vel invitus, quod unum hic intendo, perfectiorem, adeòque laudabiliorem eſſe obedientiam, quæ præcepto tam quoad modum quàm quoad ſubſtantiam ſatisfacit, quàm eam quæ neglecto modo ſubſtantiam dumtaxat attendit.

Præceptum adimplere quoad ſubſtantiam & modū, præſtantius eſt quàm quoad ſubſtantiam tantùm.

Neque item dixeris locum eſſe ſic explicandi Rubricas, ut æquè de Feſtis propriis in particulari Officium recitare concedant, atque in Choro cantare de Feſtis propriis in communi: inaudita eſt enim hactenùs ejuſmodi explicatio; & mirum profectò valdè eſſet, recenſeri toties in Rubricis Feſtum Patroni ſeu Titularis Eccleſiæ vel loci, Feſta item apud quaſdam Eccleſias, Religiones, vel Congregationes celebrari ſolita; de Patrono verò ſeu quocumque Feſto alio perſonæ proprio, ne ſemel quidem vel minimum verbum uſquam inſertum haberi.

Nulla mentio in Rubricis de Patrono Perſonæ.

At, inquies poſtremò, durum nimis eſt vetare, ne quis proprio Patrono tam opportunum cultum impendat. Sed annon alius ſuppetit æquè opportunus, iſque multiplex colendi modus? Oret ipſum privatim, meditetur & imitetur vitam, viſitet Eccleſiam, Concioni interſit, ſi habeatur, eroget eleemoſynas &c. aut ſi demùm Officii recitandi ita avidus eſt, & per otium licet, percurſo diei Officio, aliud de Sancto ſuo proprio, ſi ita velit, inſuper exolvat.

Modi alii colendi Patroni, præter recitationem Officii.

Et hæc quidem, non ſolùm in gratiam Breviario Rom. utentium, ſed & aliorum quorumlibet dicta ſunto: adeò ut qui Breviaria Diœceſium vel Ordinum propria ſequuntur, nihil perinde in iis pro libito mutare poſſint; atque alii in Romano; par ſiquidem eſt utrorumque ratio.

QUÆSTIO VIII.

An ex devotione publica poſſit Officium aliquod præter ordinem diei celebrari, putà de Sanctiſſimo Sacramento, quando ipſum exponitur in Oratione Quadraginta horarum?

STatueram ferè quæſtionem hanc miſſam facere, tum quia nullibi quod ſciam in uſu eſt praxis ejuſmodi, tum quia, & ſi fortè eſſet, ſolutio ſatis colligitur ex proximè dictis ad quæſtionem præcedentem. Ne quid tamen intactum relinquam, ajo breviter expoſitionem Sanctiſſimi Sacramenti, aut quamcumque occurrentem aliam Eccleſiæ neceſſitatem, non eſſe cauſam legitimam dimittendi Officium diei, ut aliud ex devotione ſubſtituatur.

Expoſitio SS. Sacramenti, non eſt cauſa legitima mutandi officii.

Aſſer-

Prima ratio petita ex parte officii dimittendi.

Aſſertionis hujus rationes peti poſſunt ex parte utriuſque Officii, tam dimittendi, quàm ſubſtituendi. Illius quidem, quòd plerumque tale ſit, ut nec omitti, nec etiam transferri poſſit, putà ſi eſt Dominica 1. vel 2. claſſis, aut feria vel Octava privilegiata; vel ſi eſt Feſtum, ipſum æquale ſit ſeu etiam dignius Officio ſubrogando. Imò etſi nullo negotio omitti queat, ut Officium feriale per annum, vel Feſtum ſimplex; cùm tamen de hoc nihil ſtatuerint Rubricæ, non eſt ullatenus tentandum; ſi quis enim huic mutationi locus fuiſſet, non tacuiſſent, uti non tacuerunt de Miſſis votivis certis diebus aut pro variis occaſionibus uſurpandis: Miſſæ autem & Officii hac in parte par erat ratio, nec quòd de uno pronunciaverint Rubricæ, de alio verò tacuerint, aliud inferendum eſt, niſi quòd unum concedunt, & aliud denegant.

Secunda ratio ex parte Officii ſubrogandi.

Jam verò ex parte Officii ſubrogandi impedimento eſt, quòd illud plerumque non ſit aptum natum, ut quocunque die vel tempore ponatur, putà Officium Nativitatis, vel Epiphaniæ, vel Reſurrectionis &c. pro Chriſto Domino, Officium Pentecoſtes pro Spiritu Sancto &c. Imò etſi habeat ejuſmodi aptitudinem, uti eam habet Officium de SS. Sacramento; caret tamen habitudine ad finem. Finis enim illius Expoſitionis, non eſt præcisè ut venerationi ſit ipſum Sacramentum, hoc enim proprium eſt Feſti ipſius; ſed ut per ipſammet expoſitionem fideles Sacramentum venerantes, vel ab effræna peccandi libidine coerceantur, ut in triduo Quinquageſimæ; vel ad preces Deo majori cum fiducia fundendas, flectendamque protinus in urgenti neceſſitate ejus miſericordiam vehementiùs incitentur. Ad hoc autem opportunum minimè eſt Officium de SS. Sacramento, aut certè non magis quàm Officium diei currentis: Quorſum ergo hoc in iſtud mutare? Si gratia urgentis neceſſitatis imponenda eſt oratio aliqua particularis & extraordinaria, habentur deſtinati pro opportunitate temporis Pſalmi Graduales & Pœnitentiales, maximè verò Litaniæ, aptiſſima omnium pro quacumque neceſſitate precatio. Miſſæ denique in fine Miſſalis ſpeciales poſitæ ſunt pro variis occaſionibus: adhibeantur illæ quidem, uti ſolet *pro re gravi & publica Eccleſiæ cauſa*. At Officium diei pro votivo dimittere, novum prorſus, & in Eccleſiæ ritibus inauditum hactenùs. Imò, quanta cuique eſſe debeat, cujuſcumque ejuſmodi mutationis religio, diſce ex uno S. Ludovici facto, qui cùm ipſa Dominica 1. Adventus in Franciæ Regem inauguraretur, noluit ſuæ inaugurationis gratia, Miſſam aliam quàm ipſius Dominicæ propriam decantari. De hac re plura fortaſſe aliàs, ubi de Officiis extraordinariis agetur.

Laudabile factum S. Ludovici.

QUÆSTIO IX.

An poſſint Prælati in ſuis quique juriſdictionibus Feſta aliqua ad libitum celebranda indicere?

HUc pertinet quæſtio iſta; eſt enim genus quoddam devotionis, quando liberum cuique relinquitur Feſta aliqua celebrare. Ritum verò hunc primus induxit Paulus Papa V. qui Feſtum SS. Angelorum Cuſtodum celebrandum conceſſit ad libitum prima die non impedita poſt Feſtum S. Michaelis Archangeli; item Feſtum S. Caroli, & Feſtum Impreſſionis Stigmatum S. Franciſci; ſicut & Urbanus VIII. Feſtum S. Philippi Nerei, & Feſtum S. Eliſabeth Reginæ Portugalliæ. An verò poſſint idem præſtare in ſuis juriſdictionibus alii quoque Antiſtites? facilis ex antè dictis & ad manum reſponſio: poſſunt quibus integra ſtant proprii jura Breviarii; quid enim ſimile iis non conceditur ex jure antiquo? cæteris verò Romano uſui alligatis, nulla reſtat amplior poteſtas circa hæc, quàm circa alia Feſta non libera, in quibus nihil poſſunt, niſi quod Rubricis conforme eſt, ut dictum fuit jam ſæpiùs; at Rubricæ de Feſtis hiſce liberis nihil prorſus loquuntur: ergo &c.

Feſta ad libitum Paulus V. primus induxit.

Non poſſunt Epiſcopi Romano uſui addicti ejuſmodi feſta ad libitum concedere.

Nec obſtat, quòd Suarez cum aliis quos citat *tom. 2. de Relig. cap. 11. num. 6.* & poſt illum Honufrius in proprio Tractatu exiſtimet poſſe Prælatum juſta ex cauſa diſpenſare in mutatione Officii unius diei una aut altera vice; nam & iſta opinio vix jam conſtat, Diana ipſo ſe retractante, qui eam adduxerat *par. 2. tract. 12. reſol.* 36. & quidquid valere poſſit, caſus hic longè diſpar eſt; nam graviorem infert mutationem Feſtum ejuſmodi liberè quidem faciendum, ſed quotannis, adeòque ex lege, & quaſi permanenter, quàm quæ una duntaxat aut altera vice à Prælato indicitur.

Suarez. Honufrius.

Diana.

CAPUT XIII.

DE FESTIS PROPRIIS EX CONSUETUDINE.

ERit hic Titulus cæteris antehac explicatis, inſtar Civitatis Refugii; ſi quæ enim Feſta propria Titulis Vicinitatis, Affinitatis, Voti, Fundationis & aliis non ſatis firma conſiſtant, ac in periculo ſint ne ſummoveantur, nutantia eriget ac tuebitur conſuetudo. Cætera verò quæ ſuis aliunde juribus inconcuſſa atque immota ſtant, ut ſunt Feſta Patronorum ac Titularium, ipſa quoque non minùs conſuetudinis fundo atque ambitu conſtringuntur. Neminem porrò hic moveat, quòd à Bartholomæi Gavanti, viri, ſi quis unquam fuit alius, Rituum Eccleſiæ ſcientiſſimi, ſenſu ac opinione tantiſper diſcedamus; nulla nos ad id vellicandi aut confutandi libido, nulla malignitas impulit: hominem Sac. Rit. Congregationis pluſquam per quadraginta annos Conſultorem, ut par eſt, laudamus, reveremur ac ſuſpicimus; ſed ut varia ſunt hominum ingenia, accidit plerumque in lippientem ultrò incurrere, quod purgantiſſimum oculum effugerat.

Laudatur Gavantus.

QUÆSTIO I.

An & quæ ſint Feſta propria ex conſuetudine?

DAri aliqua, dubitare non ſinit textus ipſe Rubricarum haud unicus, nempè *Rubr. 1. de Officio duplici n.* 1. ubi præter Feſtum Patroni unius vel plurium alicujus loci vel Eccleſiæ, præſcribitur quoque Officium duplex, *in Feſtis Sanctorum qui apud quaſdam Eccleſias, Religiones vel Congregationes conſueverunt ſolemniter celebrari &c.* Item *Rub. 2. de Officio ſemiduplici num.* 1. præſcribitur Officium ſemiduplex, *in Feſtis quorumdam locorum, ſeu Congregationum, quæ ſolemniùs apud illas quàm ſimplicia conſueverunt celebrari*. Item *Rub. 5. de feria num.* 1. inter dies quibus ceſſat feriale Officium, recenſetur *Feſtum ſolemne aut conſuetum in aliqua Eccleſia celebrari*. Item *Rubr. 7. de Octavis num.* 1. præter Octavam principalis Patroni & Titularis loci vel Eccleſiæ, conceditur præterea fieri de Octava, *in Feſtis aliorum Sanctorum, qui apud quaſdam Eccleſias vel Congregationes & Religiones conſueverunt ſolemniter cum Octavis celebrari*.

Dantur Feſta aliqua ex conſuetudine.

Quæ omnia teſtimonia cùm ſint luce clariora, neſcio quid in iis difficultatis ſibi finxit Gavantus magis quàm reperit, ut proptereà vim iis omnem adimat, quò Feſta omnia ex recepto pridem uſu variis in locis ſeu Eccleſiis celebrari conſueta reprobet. Scio quidem legitimam debere eſſe conſuetudinem, ad idque certas requiri conditiones; quæ ſi deſint, non conſuetudo,

Debet conſuetudo eſſe legitima.

ſed

ſed abuſus magis aut corruptela dicenda eſt. At ſi ſuis ipſa partibus omnibus, quas infrà ſubjiciemus, abſoluta ſit; quorſum illam conceſſo ſibi à Rubricis jure deturbare? Futiles certè ac prorsùs otioſos eſſe oportet textus allegatos, ſi non præter Patronorum ac Titularium feſta, alia quoque ſint ex cujuſque Eccleſiæ vel loci conſuetudine celebranda.

QUÆSTIO II.

Quis ſenſus prædictorum Textuum ex Rubricis generalibus allegatorum?

Gavantus reprobat feſta ex conſuetudine.

GAvantus Comment. in Rubr. Breviar. *ſect.* 2. *cap.* 2. *num.* 26. explicans celebre illud Decretum Sacræ Rit. Congregationis, datum *die* 8. *Aprilis* 1628. *Non potuiſſe neque poſſe locorum Ordinarios &c.* ſexdecim enumerat titulos ſeu cauſas, ob quas negat feſtum ſeu Officium fieri poſſe de cujuſcunque Ordinarii authoritate ſine Sedis Apoſtolicæ vel ſacræ Congreg. Rit. licentia. Inter verò ſexdecim illos titulos cùm plures ſint ex iis quos hactenùs legitimos eſſe probavimus, tum is maximè, quem præ manibus habemus de conſuetudine; utque nos illud unum tamquam cæterorum præſidium ac firmamentum, ſi fortè nutent, aſtruimus; ſic illo è contra in illo uno cæteros funditus convellit ac deſtruit, argumento equidem quod nullius ego roboris eſſe exiſtimo. Nam cùm ipſemet num. 27. ſibi objeciſſet textus præfatos, ex quibus infertur contrarium planè ejus quod intendit, poſſe nimirum adhuc retineri conſuetudines; ſic reſpondet, ut vim faciens in adjuncto illo, *ſolemniter*, vel *ſolemnius*, concedat quidem retineri poſſe feſta Sanctorum in locis propriis non quæcunque ſed ſolemniter celebrata. Quæ autem talia recenſenda ſint, declarat poſtmodum *num.* 29.

Ratio levis quam affert Gavantus.

Hoc autem idcircò ſic aſtruit, *quia*, inquit, *alioqui Pius V. ſibi eſſet contrarius, ſi in Rubricis concederet conſuetudines, quas abrogavit in Bulla;* unde cùm in Rubricis concedat tantùm conſuetudines ſolemnes, reliquum eſt ut cæteras non ſolemnes per Bullam abrogaverit.

Explicatur ſenſus Bullæ Pii V. quoad conſuetudines abrogatas.

Miror tantum virum in tam levi ſalebra vel nimiùm hæſitaſſe. Quaſi verò idem ſint conſuetudines, quas in Bulla Pontifex abrogat, & feſta celebrari conſueta, quæ per citatas Rubricas conceditur. Abrogat quidem Pontifex, ut ipſemet loquitur in Bulla, *omnes & quaſcunque Apoſtolicas & alias permiſſiones ac conſuetudines, Statuta, Privilegia, Licentias; & Indulta precandi & pſallendi more & ritu Breviariorum ſic ſuppreſſorum*, videlicet Quignonii, & Propriorum, quæ ſibi quemque ferè Epiſcopatum confeciſſe conqueritur. Hoccine eſt abrogare feſta, in qualibet Eccleſia, uſu aliunde legitimo recepta, & non magis ritum ac modum prædicta feſta celebrandi à Romano Breviario alienum, qualis eſt recitandi in matutino ac veſperis tres tantùm Pſalmos, non duplicandi Antiphonas, omittendi Reſponſoria &c. Diſtant à ſe invicem ritus ac feſtum, ut ſit hoc inſtar materiæ, ille verò formæ; formam abrogat Pontifex, non autem materiam; adeò ut ſi feſta illa celebrentur, non ampliùs juxta ritum & modum prædictorum Breviariorum, ſed ut diſertè habet Rub. 1. num. 1. *ſervata forma Breviarii* ſcilicet Romani, quidquam prorsùs contra Bullam fieri, nemo jure exprobret. Qua explicatione plana ac facili, vides nedum ſibi invicem repugnare Bullam ac Rubricas, ut potiùs harum & illius maxima ſit convenientia; quæ patebit ampliùs ex iis, quæ de forma ipſa ſeu modo componendi Officium dicentur infrà ſuis locis. Addo quòd & hanc explicationem ipſemet Gavantus non poteſt non admittere; alioqui quomodo non

Guyet. Heortologia.

ſibi ipſe contradicet, dum ſic loquitur ſect. 10. capit. 2. *Proprios mores unaquæque habet Eccleſia & laudabiles conſuetudines, quas non tolli à Ceremoniali Romano neque à Rubricis Breviarii, ſæpius declaravit Sacra Rituum Congregatio.*

Quod autem vim facit in illo adverbio, *ſolemniter* vel *ſolemnius*, leve eſt, imò nullum, tum quia ut ipſemet ſibi objicit, nec ſolvit, *Rub.* 5. *num.* 1. præcisè habetur, *conſuetum celebrari*, & *Rubr.* 7. *num.* 3. *conſuevit celebrari*, ſine prædicto adverbio: tum quia vox illa *ſolemniter*, non eo ſenſu accipitur quem ipſe ſubjicit; ſed alio ad mentem ipſius minimè faciente, imò refragante potiùs. Hunc porrò ſenſum juvat propoſita ſeorſim quæſtione enucleatiùs indagare, cùm ex eo pendeat multarum ac variarum quæ deinceps occurrent, difficultatum enodatio.

Nulla vis in verbo, *ſolemniter*.

QUÆSTIO III.

Quis ſenſus vocis illius ſolemnis *ſeu* ſolemniter, *prout in Rubricis uſurpatur?*

Definitur vox *ſolemnitas*. Auguſtinus.

SOlemnitas, inquit S. Auguſtin. ſerm. 286. de Tempore, *ab eo quòd ſoleat in anno, nomen accepit; quomodo perennitas fluminis dicitur, quia non ſiccatur æſtate, ſed per totum annum fluit; ideo perenne, id eſt per annum, ſic & ſolemne, quod ſolet in anno celebrari.* Hanc definitionem æquè ac etymologiam probant Juriſconſulti, apud quos ſolemne idem ſignificat, quod anniverſarium, legitimum, ordinarium, denique quod certis temporibus fit. Ita ſolemnia munera dicuntur *in lege* 12. §. *penult. ff. de adminiſtr. Tutorum;* & ſolemnia patrimoniorum onera, *in lege* 2. *ff. de Veteranis;* & ad rem noſtram propiùs ſolemnes feriæ ſtatæ & certæ quotannis recurrentes, *in l.* 26. §. *Si feria ff. Ex quibus cauſis majores.*

In quo conſiſtit ſolemnitas.

Quia verò quod ſemel in anno fit, aut ſtato quodam tempore vel die, id ordinariè fit cum aliquo apparatu: hinc uſu venit, ut apparatus ille ſolemnitas vulgò appelletur; quo ſenſu loquitur S. Th. 2. 2. *qu.* 88. *art.* 2. *in corp.* cùm ait, *Unicuique rei ſolemnitatem adhiberi ſecundum illius rei conditionem, ſicut alia eſt ſolemnitas novæ militiæ, ſcilicet in quodam apparatu equorum, armorum & concurſu militum; & alia ſolemnitas nuptiarum, quæ conſiſtit in apparatu ſponſi & ſponſæ, & conventu propinquorum;* ex quo demum infert S. Doctor votum ſolemne dici, *quando aliquis per ſuſceptionem ſacri Ordinis divino miniſterio applicatur, aut in profeſſione certæ Regulæ, per abrenunciationem ſæculi, & propriæ voluntatis, ſtatum perfectionis aſſumit.*

D. Thomas.

Votum ſolemne quodnam dicatur.

Ex iſta vocabuli hujus, *ſolemnis & ſolemnitatis*, notione propriiſſima ſolvitur facillimè non tantùm quæſtio propoſita, ſed & alia ferè omnis quæ in Rubricis occurrit ex ejuſdem promiſcua nec diſtincta ſatis acceptione.

Solemne feſtum quod ſtato die ſolet in anno celebrari.

Nam primo modo ſolemne dicitur feſtum id omne quod ſtato die ſolet in anno celebrari, ſic ut nunquam omittatur, qualia ſunt feſta omnia duplicia ac ſemiduplicia, de quibus fit ſemper Officium, ſive proprio die, nimirum eo quo ſignantur in Calendario, ſive alio conſequenti, ſiquando ea transferri contingat. Quin & quo firmiùs ſtant in ſuo die, ac minùs facilè ab eo dimoventur, ſolemniora ſunt: hincque fortaſſe ortum habet claſſium diſtinctio, ut alia ſint primæ, alia ſecundæ claſſis &c. Simplicia verò feſta cùm non ſemper habeant Officium, ſed plerumque impedita omittantur, propriè ſolemnia nec ſunt nec dici debent. Et verò in Rubricis nuſquam vox illa *ſolemnis aut ſolemnitas* in cauſa ipſorum impenditur, ut patet *ex Rubr.* 11. *de Concurrentia officii num.* 2. *& ſequentibus.* Quòd autem *Rubric.* 2. *de Officio ſemid. num.* 1. præſcribitur feſta

Simplicia feſta non ſunt ſolemnia.

E illa

illa quæ apud quaſdam Eccleſias ſeu Congregationes ſolemniùs quàm ſimplicia conſueverunt celebrari, debere eſſe ſemiduplicia, non continuò arguas ſimplicia quoque eſſe ſolemnia, quaſi ex comparativo gradu in uno comparatorum, poſitivus ſequatur in altero; ſed ſenſus verborum illorum eſt, cùm ex Rubricis nulla concedantur feſta ſimplicia propria: ſi quæ ſint alicubi feſta, non tam inſignis quidem notæ, ut inter duplicia referri poſtulent, at nec etiam tam parvi nominis, ut non de iis anniverſarium ac ſtatum Officium, & non ſola interdum commemoratio fieri debeat, (quod utique feſta ſimplicia non habent) ea inter ſemiduplicia recenſebuntur.

Solemnitas pro ſumptuoſiori apparatu Altaris, & Chori &c.

Altero verò modo ſolemnitas dicitur apparatus ille ſumptuoſior, Altaris, Chori, & Cæremoniarum in quibuſdam feſtis, præ aliis adhiberi ſolitus, à quo & ipſa feſta ſolemnia dicuntur, & ſolemniora, quibus amplior adhibetur; quem ad ſenſum proximè appellatur in Rub. Miſſalis Miſſa ſolemnis ea quæ opponitur privatæ. Convenit utcumque nobiſcum Gavantus hac in parte, niſi quòd num. 29. addit reſpectu Cleri ſæcularis, *Feſtivitatem aut populi aut Cleri, cum pompa exteriori*; quod tamen neceſſarium non eſt, cùm non raró contingat feſta minimè feriata in foro, cum majori apparatu celebrari in Choro, quàm pleraque feriata. Addit item reſpectu Regularium & Congregationum, *Singularem quemdam cultum non communem aliis feſtis de Calendario*; quod cùm vagè nimis & ambiguè dictum ſit, tum etiam gravi difficultate non caret, cui proponendæ locus opportunior erit aliàs.

Gavantus majorem ſolemnitatem interpretatur ex majori apparatu.

Jam ergo ut ad propoſitam quæſtionem veniamus, hoc poſteriori modo, non priori inſiſtit Gavantus, ajens Rubricas illas quibus conceditur Officium duplex ac ſemiduplex de feſtis, quæ apud quaſdam Eccleſias vel Congregationes ſolemniter vel ſolemniùs celebrari conſueverunt, intelligendas eſſe dumtaxat de iis feſtis, quæ cum prædicto apparatu celebrantur, putà cum feſtivatione publica, proceſſione, concurſu populi &c. non autem de aliis quæ iis omnibus carent, pro quibus idcirco faciendis aſſerit petendam eſſe licentiam. Citatque pro ſua opinione Declarationem Sacræ Rituum Congregationis *die* 28. *Aug.* 1628. Ego verò priori modo intelligendas eſſe Rubricas illas, contra ipſum tribus hiſce argumentis fortiter contendo,

Solemnitas apparatus ſupponit ſolemnitatem feſti.

Primò, Quia poſterior ille ſolemnitatis modus ſupponit abſolutè priorem; ideo enim talis apparatus impenditur ejuſmodi feſto, quòd ſit v. g. duplex majus vel minus, aut primæ vel ſecundæ claſſis &c. non contra; ideo eſt primæ vel ſecundæ claſſis, quia ei talis apparatus impenditur; ergo prius eſt ipſum feſtum eſſe tale vel tale duplex, quàm gaudere tali vel tali apparatu. Hinc fit ut in majoribus Eccleſiis rectè ordinatis, tot ſint diverſi ritus apparatus illius exterioris, quot diverſa feſtorum genera; adeo ut unicuique feſto ſuus apparatus adhibeatur, prout qualitate magis aut minùs excellit; putà ſi eſt primæ claſſis, tot campanæ pulſandæ, tot cerei accendendi, tot cappæ induendæ &c. juxta cujuſque Eccleſiæ uſum ac conſuetudinem; ſi ſecundæ pauciores, & ſic conſequenter. Ex quo patet qualitatem Officii, quæ eadem eſt prior illa ſolemnitas, eſſe menſuram ac veluti radicem poſterioris, quæ in apparatu exteriori conſiſtit; adeòque non ex hac ſed ex illa primùm attendendam eſſe rationem feſtorum propriorum, quæ à quibuſvis locis & Eccleſiis conſueverunt celebrari.

Uſus majorum Eccleſiarum in ordinando apparatu juxta qualitatem cujuſque feſti.

Secundò, Si ſolemnitas attenditur juxta mentem Gavanti, ſequitur manifeſtè aliqua feſta inferioris ordinis, nempe ſemiduplicia, ſolemniora eſſe aliis ſuperioris ordinis, nempe duplicibus; quod ſic demonſtro. Sit in aliqua Eccleſia feſtum Sancti alicujus, qui propiùs ipſam attingit, putà Epiſcopi loci, quodque ideo celebratum fuit in ipſa hactenus more duplicium, non tamen cum feriatione publica, nec cum proceſſione, aut concurſu populi &c. Sit aliud Capellæ tantum vel Altaris ejuſdem Eccleſiæ, quod ritu dumtaxat ſemiduplici in ea celebrari conſueverit, verùm cum proceſſione, & concurſu populi; ſi vera eſt Gavanti interpretatio, hoc poſtremum feſtum retinendum, quia ſolemne; prius verò illud dimittendum, quia minùs ſolemne: Quo quid iniquius?

In opinione Gavanti minus feſtum aliquando ſolemnius fit quam majus.

Tertia denique ratio eſt ad hominem. Negat ſiquidem Gavantus fieri poſſe Officium ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ, vel Sacræ Congregat. Rituum licentia, *eo quòd devotio populi adeſt ſeu votum: Neque quia conſenſit Clerus &c. Et ratio*, inquit, *prædictorum eſt, quia in Rubricis Pii V. nulla fuit neque eſt certa lex de his Officiis*. Quæro ab illo, ſitne certior de iſtis ſolemnibus ſolemnitate quam aſtruit? Imò verò longè incertior; ſiquidem ſolemnitas illa proceſſionis, concurſus populi &c. cùm æquè communis ſit ſemiduplici ac duplici, non poteſt fundare diſcrimen inter utrumque: at præſtat hoc facillimè altera illa ſolemnitatis ratio petita à ritu antiquo celebrandi feſta in qualibet Eccleſia, qui cùm fuerit multiplex, facilè conciliatur cum ritu novi Breviarii Romani, adeò ut quæ duplicia olim erant feſta, ſeu (quovis ea nomine vocarentur) paria duplicibus, maneant itidem duplicia; quæ 9. lectionum, fiant ſemiduplicia &c.

Incerta illa ſolemnitatis ratio certam feſti celebrandi rationem non poteſt adſtruere.

Ex quibus tandem concludas citata verba Rubricæ 1. & 2. *Conſueverunt ſolemniter celebrari*, de priori ſolemnitatis modo eſſe accipienda; ut ſcilicet velint feſta, quæ olim conſueverant ſolemniter celebrari, hoc eſt ſtato per ſingulos annos die & Officio, quod nunquam omittebatur, & non cum ſimplici commemoratione, ipſa eadem adhuc fieri eo ritu novo qui veteri propiùs reſpondeat. Qui ſenſus omninò conformis eſt ei, quo *capit. Conſilium, de celebratione Miſſarum*, ſtatuitur in Miſſis votivis non debere dici Hymnum Angelicum, nec Symbolum, *Ut ſit*, inquit Innocentius III. *inter Commemorationem & Solemnitatem differentia*; ubi vides Solemnitatem, id eſt feſtivum Officium, contradiſtingui à Commemoratione, id eſt ab Officio ſimplici. Item in Miſſali duplex deſcribitur Præfationum cantus, ſolemnis alter, alter ferialis dictus; hujus uſus in ſimplicibus diebus, illius in duplicibus ac ſemiduplicibus; adeò verum eſt ſolemne dici, primò & per ſe de Officio duplici ac ſemiduplici, quòd videlicet utrumque ſoleat in anno celebrari, ut dictum fuit ſtatim initio quæſtionis; imò & per hoc ipſum, quod ſolemne eſt, utrumque opponitur ſimplici.

Ut intelligenda verba illa Rubr. conſueverũt ſolemniter celebrari.

Innocentius III.

Solemnitas & Commemoratio contradiſtinguuntur.

Duplex Præfationum cantus ſolemnis & ferialis.

Maneat itaque feſta omnia quæ ſic conſueverunt celebrari, hoc priori ac meliori ſenſu verè eſſe ſolemnia; adeòque (quod præcipuè demùm intendebam) Titulum illum conſuetudinis ſic vindicatum; eſſe omnium maximè legitimum ad propria feſta retinenda, quippe conceptis Rubricarum verbis, iiſque planis ac diſertis ſtabilitum atque firmatum; ut proinde mirum tibi videri non debeat, me paulò fuſiorem in eo tuendo ſermonem impendiſſe; quem minimè deſtruit citata in contrarium Sacræ Congregationis Declaratio, quippe quæ unum aſſerens, alterum haud negat, cùm ambo contraria non ſint. Prædicta tamen omnia intellige, modò ipſa conſuetudo aliunde ſit legitima; quod jam ſupereſt inquirere;

Solemnia dicuntur feſta omnia duplicia & ſemiduplicia.

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

Quæ conſuetudo celebrandi feſta cenſeri debeat legitima?

Feſtum quod fieri conſuevit in proprio loco, debet eſſe Sancti ſeu Myſterii approbati.

IN primis exigitur, ut feſtum ejuſmodi ſit de Sancto Canonizato, aut de Myſterio ab Eccleſia recepto & approbato, juxta quod dictum eſt ſuperiùs cap. 5. quæſt. 7. & toto cap. 6. ubi de Titulo. Unde ſi introducta eſſet alicubi conſuetudo celebrandi feſtum Sancti alicujus qui nunquam extiterit, aut qui ab Eccleſia receptus non ſit, aut qui demum colatur ut Epiſcopus v. g. aut Martyr, cùm verè talis non ſit, vel etiam Myſterium aliquod inuſitatum ac dubium, conſuetudo illa tollenda eſt penitùs, utpotè prava & abſurda, veritatique ipſi ac Summorum Pontificum Decretis repugnans. *Cap. Ad audientiam, & cap. Cum venerabilis. De Conſuetudine, cap. Cum ſatis. De officio Archidiaconi.* Et *cap. Cum cauſa. De ſententia & re judicata.*

Conſuetudo celebrandi feſtum propriam debet fuiſſe inducta ante Bullam Pii V.

Secundò requiritur, ut ejuſmodi conſuetudo introducta ſit ante datam Bullam Pii V. alioqui ei derogatur penitùs per nominatam ſæpiùs ſacræ Rituum Congregationis Declarationem, qua decrevit, *non potuiſſe poſt Bullam Pii V. de Breviario Romano, neque poſſe locorum Ordinarios tam Sæculares quàm Regulares, addere Kalendariis etiam propriis &c.* An verò id etiam valeat pro iis Eccleſiis, quæ Breviariis ſuis propriis, ducentis annis Romano Pii V. antiquioribus, per aliquot annos poſt latam prædictam Bullam uſæ, iis poſtmodum ſponte dimiſſis Romanum aſſumpſere? Dicerem ego vim in eas non habere Bullam, niſi ab eo tempore, quo eam volentes lubentesque receperunt: cùmque ante id tempus ad eam nullatenus tenerentur, neque etiam poſteà teneri pro rebus eo tempore factis, quo Bulla eas nondum obligabat; atque adeò conſuetudinem, quæ tum in uſo erat, cùm Bulla recepta eſt, deinceps quoque perſeverare poſſe legitimè. Nec obſtat quod docet Bartolus in l. *De quibus, Dig. de legibus*, Conſuetudinem præcedentem per ſequentem legem aboleri, allegans & ipſe legem, *Prætor ait, Dig. de Sepulcro violato*; nam & hoc univerſim verum eſſe negant Canoniſtæ *in cap. 1. De Conſtitutionibus*; & quantumvis verum eſſet, cùm tamen per verba ipſa, quæ ex Rubr. allegata ſunt, ejuſmodi conſuetudo permittatur, in hoc caſu nihil ei lex derogat.

Non tamen neceſſariò debet eſſe præſcripta.

Tertiò, debet quidem ejuſmodi conſuetudo fuiſſe inducta ante Bullam Pii V. ſeu ante receptionem illius reſpectu earum Eccleſiarum, quæ ſuo antiquo Breviario legitimo primùm uſæ, Romanum deinceps admiſerunt; non tamen neceſſe eſt ut fuerit præſcripta.

Prima pars patet, quia cùm conſuetudo dicatur quaſi communis aſſuefactio, revera talis non eſt, niſi ex uſu ipſo & praxi actuum: ergo uſus ipſe & praxis actuum debuit præcedere, ut ex his tandem formetur conſuetudo, quæ proinde minimè inducta cenſeri debet, donec actus aliqui præceſſerint. Quot verò præceſſiſſe debent, ſi quæras: Reſpondeo cum Sylveſtro *verbo Conſuetudo, num. 9.* Azorio *libr. 5. cap. 17. quæſt. 9.* non ſufficere unum aut duos, ſed tres ut minimùm requiri, quia cùm, ut dictum eſt, conſuetudo fiat ex actibus identidem repetitis, plures eos eſſe oportet, qualis non eſt unus, imò nec duo, niſi in quibuſdam caſibus à Sylveſtro recenſitis: tres verò etſi ad præſcribendam conſuetudinem non ſufficiant, valent tamen ad inducendam, ut colligitur ex cap. *Cum Eccleſia, De cauſa poſſeſſ. & propr.*

Sylveſter. Azor.

Secunda pars, quòd neceſſe non ſit ut fuerit præſcripta, probatur ex eo quòd talis conſuetudo non ſit contra legem uſu receptam; ſiquidem lex id prohibens, nondum condita, aut certè nondum recepta erat, quando ea conſuetudo inducta eſt, ut ſupponitur, ſed eſt tantùm præter legem: conſuetudo autem præter legem præſcriptione non indiget, ut docet Azor. cit. cùm Gloſſa *in cap. ult. de Conſuetudine*, & Felino *in idem cap. & cap. 1. de Treuga & Pace*, quia videlicet lex non exiſtit contra quam ſit opus præſcriptione. Nam quòd jure Canonico requiritur ſpatium 40. annorum, & decem jure Civili, ad hoc ut conſuetudo valeat, intellige, ad abrogandam legem contrariam, non autem ad hoc ut ipſamet conſuetudo in uſum inducatur, & inducta currat; præſertim ſi lex inducta jam conſuetudine ſuperveniens eam minimè abroget: Lex autem Breviarii Romani nedum abrogat feſta in propriis locis celebrari conſueta, ut ea etiam expreſsè confirmet: ergo & ipſa præſcriptione non indigent.

Gnyet. Heortologia.

Conſuetudo præter legem præſcriptione non indiget.

Azor. Felinus.

QUÆSTIO V.

An feſta omnia ex conſuetudine retineri, an aliqua abrogari conveniat?

SOluta ferè jam ex toto eſt quæſtio hæc in præcedentibus capitibus, ubi de ſingulis ſeorſim Titulis quæſitum eſt an idonei eſſent necne, ad feſtum quod ſub iis erat retinendum: cùm enim vix ullum feſtum ſit in aliqua Eccleſia celebrari conſuetum, quod non vel Reliquiarum, vel Sanctorum naturalium, vel Vicinitatis, Affinitatis, Voti, Fundationis, aut alio ſimili Titulo gaudeat; quæ de iis Titulis dicta ſunt, perinde de conſuetudine intelligenda quiſque judicabit. Si quid tamen ſupereſt, tribus aſſertionibus breviter abſolvo.

Retineri debent feſta in variis Eccleſiis ſolemniter celebrari conſueta.

Prima aſſertio. Feſta quæ in variis Eccleſiis, ex antiquo, eoque ut plurimùm immemoriali uſu, ſolemniter celebrari conſueverunt; hoc eſt cum apparatu illo, quem vult Gavantus, nempe cum feriatione in foro, concurſu populi, majori cantus & ceremoniarum pompa &c. ea omnia protſùs retineri convenit: ſive ſint Natalitia Sanctorum, Tranſlationes, Inventiones &c. ſive feſta quædam Myſteriorum, v. g. Sanctiſſimæ Trinitatis, quod multis in Diœceſibus, non tantùm Dominica 1. poſt Pentecoſten, ſed & ultima, ſub Titulo Trinitatis hyemalis, ſolemniter obſervatur. Neque fuit unquam noſtra mens hac in parte Gavanto repugnandi, eò vel maximè quòd feſta illa ſoleant æquè ſolemnia eſſe in ſenſu à nobis allato; ſed quod ille ad hunc duntaxat caſum limitat, nos ad plures extendimus.

Conſuetudo inſtar eſt Traditionis. Caſſianus.

Ratio aſſertionis eſt, ſtando præciſè in conſuetudine, quòd ejuſmodi conſuetudo traditionis inſtar ſit. *Oportet autem nos*, ait Caſſianus *coll. 21. cap. 12. authoritati Patrum conſuetudinique Majorum uſque ad noſtrum tempus per tantam annorum ſeriem protelata etiam non percepta ratione cedere*; adeò ut quærenti cauſam talis inſtituti ſufficere debeat reſponſio S. Chryſoſtomi, *παράδοσίς ἐστι, μηδὲν πλέον ζήτει: Traditio eſt, nihil amplius quæras*; vel ut ait Tertull. *libr. de corona mil. cap. 3. Traditio prætendetur auctrix, Conſuetudo firmatrix, & Fides obſervatrix*. Adde quòd cùm in cæteris Traditionibus haud abſit à gravi periculo quidquam innovare, tum certè in ea quæ ad publicum Sanctorum cultum ac feſtorum obſervationem attinet: in quo valet maximè, ſi unquam aliàs, celebre illud S. Auguſtini dictum *Epiſtola 118. & lib. de morib. Manichæorum cap. 10. Nihil innovetur, quod traditum eſt obſervetur*. Quò etiam facit inſignis illa Urbani Papæ VIII. ſanctio, data *die 5. Julii ann.* 1634. *Pontificatus ſui* 11. qua cùm ad tollendos abuſus qui ex indiſcreta multorum devotione oriebantur, vetuiſſet ullis hominibus cum ſanctitatis opinione defunctis, authoritate

Chryſoſtom.

Tertullianus.

Traditio non facilè mutanda.

Auguſtinus.

Urbanus VIII.

S. Romanæ Eccleſiæ non Canonizatis, aut Beatificatis, imagines ſeu tabellas votivas, aut alia quæcunque ſigna venerationem & cultum indicantia, in oratoriis aut locis, ſeu publicis, ſeu privatis, apponi; ne quid inde contra priſcum Sanctorum cultum præjudicii temerè inferretur: tandem ſic excipit, *Declarantes quod ſuprà ſcripta præjudicare in aliquo nolumus, neque intendimus iis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum virorumque ſanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia præfatæ Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii, celebrantur.* Hæc univerſim dicta ſint pro tuendis antiquis propriis cujuſque Eccleſiæ ritibus, quando nihil iis ſubeſt, quod veritati, pietati, probatiſque Sanctorum Patrum ac Conciliorum Decretis adverſetur.

Feſta alio item quàm conſuetudinis Titulo celebrari ſolita, multò adhuc magis retineri debent.

Secunda Aſſertio. Quæ feſta in ſingulis quibuſque Eccleſiis ita ex conſuetudine celebrantur, ut ſecluſa ipſa conſuetudine, aliunde fieri poſſent, vel etiam deberent legitimè, putà quòd ſint feſta Sanctorum naturalium, aut quorum habentur Reliquiæ, aut Translationis Patronorum, ſeu Titularium, Inventionis &c. multò magis poſita adhuc conſuetudine, ea celebrari convenit. Patet, quia jus eſt juri ſuperadditum. Et licèt id nonnunquam incommodi (quod ſanè non exiguum eſſe docuimus aliàs) ex eo ſequatur, ut multitudine feſtorum feriale Officium penè totum intereat; attamen durius mihi ſemper viſum Sanctos benè probatos ſeu Canonizatos, qui Eccleſiam ſeu locum aliquem particularem propiùs attingunt, eoque nomine ab omni hominum memoria ibidem celebrati fuerunt, repentè dimitti, ac de vindicata ſibi pridem ſtatione veluti dejici; locum verò dari Sanctis aliis, verè quidem Sanctis ac venerandis, at non ita propinquis, nec factis ſuis, aut beneficiorum exhibitione notis. Cuilibet enim Sancto loci proprio quadrat appoſitè, quod de S. Vincentio habet ſive Leo, ſive Auguſtinus ſerm. de eodem: *Nunc ergo ampliùs propria venerentur, quem etiam peregrina mirantur, quatenus eis ſe largiorem exhibeat in beneficiis, quibus ſe amabiliorem cognoſcit in gaudiis; fiatque in ejus ſolemnitate uberior lætitia ambitus, de quo fidei crevit effectus.*

Auguſtinus.

Feſta non alio Titulo quàm conſuetudinis fieri ſolita, opportuniùs poſſunt dimitti.

Tertia Aſſertio. Quæ feſta ſecluſa conſuetudine non habent titulum alium legitimum quo ſe tueantur, qualia ſunt propria ex Vicinitate, Affinitate, aut Voti, Fundationis &c. quæ ſuprà memoravimus, ea quidem retineri poſſunt vi conſuetudinis, ſed & abrogari quoque nihil vetat, imò plerumque opportunius eſt. Quòd retineri poſſint, colligitur ex his quæ abundè toto hocce capite de conſuetudinis vi ac præcellentia diſputata ſunt. Quòd verò etiam abrogari, ſatis declaratum eſt *quæſt.* 5. *capitis* 10. ubi quæ de ſupprimendis feſtis Sanctorum naturalium in reſponſione ad 2. dicta ſunt, huc eadem planè deducenda. Et verò cum id ab Eccleſiis ferè omnibus ſervatum adverto, tum ab iis maximè quæ olim multitudine feſtorum, nec verò ſibi admodum propriorum, ſed aliunde mutuatorum, ex antiquiſſimo uſu (dixeris meliùs abuſu) per totum ferè anni curſum obruebantur, adeò ut Romanum Breviarium aſſumentes, vel omnia illa, vel certè maximam partem aboleverint.

Poſſunt iiſdem ſupprimi aliqua feſta in Breviariis propriis.

Cæterum licèt quæ hac tota quæſtione definita ſunt, ad eas duntaxat Eccleſias ſpectent, quæ Breviarii Romani uſu ac legibus tenentur, non autem ad alias, quibus jure ſupereſt ſuum proprium Breviarium; poſſunt tamen & hæ parem adhibere limam, ut quæ in hoc genere apud ſe etiam forſaſſe redundant, æquè reſecent; quod jam pridem à multis præſtitum fuit, ut conſtat in uno exemplo feſti, quod olim Annotinum Paſcha appellabatur, ab Eccleſiis Pariſienſi, Bellovacenſi, Sylvanectenſi, & aliis quolibet anno celebrari ſolitum ſatis ſolemniter, eo die quo Paſcha ipſum anno præcedente fuerat celebratum, quando videlicet is dies poſt Paſcha accidebat; nunc autem penitus abrogatum fuit.

Annotinum Paſcha in multis olim Eccleſiis obſervatum.

QUÆSTIO VI.

An Titulus iſte conſuetudinis valere jam poſſit ad inducenda nova feſta, aut quæ abrogata fuerant denuò inſtauranda?

Feſta contra jus de novo inducta non poſſunt conſuetudinis titulo retineri.

MAjoris momenti quæſtio hæc eſt, quàm quis fortè ſibi perſuadeat. Accidit namque ab aliquibus, qui Breviario Romano adſtricti ſunt (de his enim ſolis loquor) induci in uſum feſta ſeu Officia nonnulla contra jus, hoc eſt contra quod Rubricis præſcribitur; ac deinde poſtquam per aliquot annos ab iis ita factitatum fuit, cauſantibus cautum id eſſe Rubricis ne ſic fiat, audacter ipſi conſuetudinis clypeum prætendunt, eoque ſe ab omni obtrectatione tutos ſatis eſſe putant. Qua verò inducti ratione, dicant ſi habent. Ego contra ipſos firmiter pronuncio, conſuetudinem iſtam nec eſſe rationabilem, nec poſſe præſcribi; quæ duæ ſunt conditiones requiſitæ ab omnibus tam Canonici quàm Civilis Juris Doctoribus, ad hoc ut conſuetudo aliqua valeat contra legem; & habetur *capit. ultimo de Conſuetudine*.

Non eſt rationabilis talis conſuetudo.

Quòd non ſit rationabilis, probatur: tum quia non eſt ſine peccato; eſt enim contra legem expreſsè ipſam damnantem, receptam & uſitatam, cui contravenire, ſaltem neſciente vel reſiſtente Superiore, uti verè reſtitit hactenùs, peccati damnant Sylveſter *verbo Conſuetudo num.* 12. Azor. *lib.* 5. *cap.* 18. *quæſt.* 8. & alii Doctores communiter; tum quia licèt excuſetur à peccato, non tamen fundatur in ulla juſta ratione: Devotio enim, vel quodlibet aliud quod afferri poteſt, ſuperſtitio magis dici debet, aut proprii judicii præſumptio, quàm juſta ratio diſcedendi à tam expreſſo ſtatuto Pontificis.

Azor. Sylveſter.

Talis item conſuetudo non eſt præſcripta.

Quòd autem non ſit præſcripta, ſeu ut loquuntur Doctores quaſi præſcripta, multis convincitur argumentis. Primò, quia deficit tempus 40. annorum, quod Jure Canonico requiritur, ut conſuetudo aliqua quantumvis rationabilis valeat contra Jus Eccleſiaſticum. Data ſiquidem fuit Bulla Pii V. anno 1568. à quo tempore uſque ad annum 1602. quo Clemens VIII. recognito Breviario, aliam edidit ejuſdem confirmativam, non intercesſere niſi anni duntaxat 34. Deinceps verò anno 1628. prodiit famoſum illud ſacræ Rit. Congregat. Decretum, *Non potuiſſe neque poſſe locorum Ordinarios, &c.* Quo Decreto extincta eſt omnis omninò conſuetudo contraria, ſi qua etiam fuiſſet præſcripta. Conſuetudo enim ſemel lege reprobata, non poteſt ampliùs induci, ait poſt Panormit. Sylveſter cit. *num.* 10. Ergo jam ratione temporis non poteſt ejuſmodi conſuetudo eſſe præſcripta. Secundò, ex eodem Sylveſtro *num.* 7. ad hoc ut conſuetudo valeat, contra ea quæ reſervata ſunt Principi in ſignum ſpecialis privilegii, tam Jure Civili quàm Canonico, requiritur tempus, de cujus initio memoria non ſit, ut colligitur ex cap. *Super quibuſdam, de verborum ſignificatione*: Atqui ordinare divinum Officium jam eſt ſpeciale privilegium Pontificis; ergo non valet contra illud conſuetudo ulla, niſi ſit immemorialis, ut dicitur, qualis non eſt nec poteſt eſſe de qua quæritur. Denique ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 97. art. 3. ad 2. *Si adhuc maneat eadem ratio, propter quam lex prima utilis erat, non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit*: Atqui perſeverat etiamnum, & perſeverabit in poſterum ratio, propter quam Pius V. legem de non immutando

Conſuetudo non valet contra Jus Eccleſiaſticum, niſi 40. annorum ſpatio præſcripta.

Conſuetudo non valet contra ea quæ reſervata ſunt Principi in ſignū ſpecialis privilegii.

D. Thomas. Manente ratione legis lex conſuetudinem vincit.

Digitized by Google

tando Officio condidit: ergo nihil contra eam prævalet contraria conſuetudo, imò lex conſuetudinem ipſam vincit ac deſtruit.

Feſta ex conſuetudine abrogata non poſſunt reſtitui.

Jam verò ſi nova feſta ex conſuetudine minimè induci poſſunt, ut probatum eſt, pari jure arguas, quæ abrogata fuerunt non poſſe denuò inſtaurari: quod enim ſemel abrogatum fuit, perinde habendum eſt atque ſi nunquam fuiſſet.

Ex his intelligent Prælati & Eccleſiæ quibus ſuum perſtat Breviarii jus, licèt prædicto Bullæ Pii V. rigore non aſtringantur, haud tamen temerè nec de facili ejuſmodi conſuetudines ſe deberè ſuſcipere, multò minùs permittere ut à ſuis ſubditis inducantur.

CAPUT XIV.

De Festis Propriis Regularium.

EGimus hactenùs de Feſtis quæ Eccleſiæ ſeu loci cujuslibet propria ſunt, à quibuſcunque demùm perſonis locus ille vel Eccleſia incolatur: nunc ordo poſtulat, ut de feſtis, quæ non locum aut Eccleſiam, ſed perſonas ipſas ſeu Clericos Eccleſiæ cuilibet inſervientes primò ac per ſe attinent, conſequenter tractemus. Sunt namque Clerici Eccleſiis inſervientes, Sæculares alii, alii Regulares: & Sæculares quidem feſta alia nulla habent ultra communia, quàm quæ loci vel Eccleſiæ cui inſerviunt propria ſunt: Regulares verò habent inſuper & alia ſui Ordinis, ſeu Regulæ quam profeſſi ſunt particularia.

Clerici alii Sæculares, alii Regulares.

Eſt verò diſcrimen hoc valdè obſervandum: contingit enim aliquando Eccleſiam aliquam ab uno Ordine ad alium tranſire, aut etiam de Regulari fieri Sæcularem: & in eo caſu feſta Ordinis propria olim celebrari ſolita à Regularibus qui priùs dictam Eccleſiam incolebant, ab aliis alterius Ordinis, aut à Sæcularibus, quibus tandem ea ceſſit, minimè deinceps fieri debent: cùm è contra feſta Eccleſiæ illius propria, videlicet Patroni ſeu Titularis, Reliquiarum, & ſimilia, à Clericis dictæ Eccleſiæ addictis, cujuſcunque ſtatus ſint & Ordinis, ſemper ſervari debere, nemo non judicaverit.

Diſcrimen inter feſta propria Ordinis, & propria Eccleſiæ.

Cæterum cùm in *Rub.* 1. *num.* 1. recenſeantur feſta quæ apud quaſdam Religiones vel Congregationes conſueverunt ſolemniter celebrari, Religionum quidem nomine certum eſt non venire niſi Eccleſias Regularium; at Congregationes licèt ut plurimùm æquè ſint Regularium, ut patet in Ordine Monachorum S. Benedicti, & Ordine Canonicorum Regularium S. Auguſtini, ſub quo utroque variæ exiſtunt Congregationes; ſi quæ tamen eſt Congregatio Clericorum non Regularium, cujus inſtitutum proprium Sanctos aliquos ſui profeſſores numeret; quod de Regularibus dicturi ſumus, de iis perinde dictum eſſe velim.

Congregationes ſunt Regularii, aliquæ etiam Sæcularium.

QUÆSTIO I.

Quænam dicantur Feſta propria Religionum ſeu Congregationum?

REſpondeo: ea omnia, quæ peculiari aliqua ratione ad eas pertinent. Ratio autem ejuſmodi poteſt ſe habere, vel inſtar Patroni ſeu Titularis, vel inſtar Sanctorum naturalium aut Affinium &c. de quibus ſingulis ſeorſim eſt inquirendum, hoc præmiſſo, quòd cùm Religionum aliæ proprium Breviarium habeant, idque legitimum, putà Religio S. Benedicti, S. Dominici, Carmelitarum, Ciſtercienſis, Præmonſtratenſis &c. aliæ verò Romanum ſequantur, uti Religio S. Franciſci, Eremitarum S. Auguſtini, Societas Jeſu &c. de utrarumque feſtis propriis idem habita proportione judicium feremus, quod antè tulimus de feſtis propriis Eccleſiarum ſeu Diœceſeon, aliarum quidem Breviario proprio gaudentium, aliarum verò Romano addictarum.

Feſta propria Regularium ſunt inſtar, vel Patroni vel Titularis, vel Sanctorum Naturalium, Affinium &c.

Guyet. Heortologia.

QUÆSTIO II.

Quis Patronus, quiſve Titulus dicatur Religionis ſeu Congregationis?

REſpondeo: Patronus Religionis ſeu Ordinis is propriè dicendus videtur, qui Religionem ſeu Ordinem ipſum primus inſtituit ac fundavit, quales ſunt in ſuis quique Ordinibus S. Benedictus, S. Bruno, S. Norbertus, S. Dominicus, S. Franciſcus, S. Ignatius &c. Similiter ſuæ quique Congregationis, ſeu Familiæ, Patroni habendi, qui eam ſub Ordine jam inſtituto erexerunt, uti in Ordine Benedictino, Cluniacenſis S. Odo, Ciſtercienſis S. Robertus, (niſi fortè ei præferas S. Bernardum) Camaldulenſis S. Romualdus, Vallis-Umbroſæ S. Joannes Gualbertus, Grandimontis S. Stephanus, Cæleſtinorum S. Petrus Cæleſtinus &c. Nam ſi, uti aliàs diximus, Patroni quaſi Patres ſunt, annon præ aliis cenſendi hoc nomine, qui prolis loco habent quotquot inſtitutum ab ipſis ſanctioris vitæ genus amplexi, in novam veluti creaturam renati, ſæculo mortui Deo vivunt? Imò ſi ipſum Patroni nomen omnimodam in cliente morum imitationem conformationemque exigit, annon Regulares omnes de ſuo quique Inſtitutore ac Parente idem apud ſe ſentire debent, quod de S. Baſilio jactat Gregor. Nyſſenus orat. in ejus laudem? *Quemadmodum*, ait, *ſi quis in ſeipſo ſpecimen artis quam didicit edat, ſua ſcientia artis Præceptorem ornat atque honeſtat; ita etiam nos qui Baſilio Magiſtro nos jactamus & gloriamur, vita diſciplinam oſtendamus, hoc ipſum in nobis facti, quod illum clarum & magnum Deo atque hominibus fecit.*

Inſtitutores Ordinum ſeu Congregationum, pro Patronis verè habendi.

Greg. Nyſſ.

Jam verò Titulus ſeu Titularis Religionis aut Congregationis, is propriè dicitur Sanctus, ſeu id Myſterium, à quo nomen & appellationem ſortitur Religio aut Congregatio. Sic Ordinis Clericorum de Redemptione Captivorum titulus eſt SS. Trinitas: Cruciferorom, Crux: Fratrum B. Mariæ de Mercede, B. Maria: Congregationis S. Mauri, S. Juſtinæ de Padua, S. Ruffi, ipſimet Sancti: Hoſpitalariorum ſeu Militum S. Joannis Jeroſolymitani, aut ut vocantur hodie Melitenſium, ipſe Joannes, non Eleemoſynarius ille Patriarcha Alexandrinus, ut perperam aſſeruere aliqui, ſed Baptiſta: Militum S. Jacobi, S. Jacobus: Sanctimonialium quæ Urſulinæ nuncupantur, S. Urſula &c.

Titulus verò Religionis ſeu Congregationis, is dicitur Sanctus, ſive id Myſterium, à quo Religio ſeu Congregatio nomē obtinet.

Ut autem de Patrono ac Titulo Eccleſiæ obſervavimus, utrumque frequenter confundi invicem, adeò ut qui Patronus eſt Eccleſiæ alicujus, ejuſdem dicatur æquè Titulus, quando nimirùm ab ejus nomine Eccleſia appellatur: ſic nec inſolens eſt, Sanctum eumdem Religionis aut Congregationis alicujus Patronum dici ſimul & Titulum; Patronum quidem, qua aut Inſtitutor eſt aut Reformator, aut ab ipſa prima inſtitutione aſcitus in Tutorem ac Præſidem; Titulum verò, qua nomen imponit: qua ratione Dominicanorum v. g. Patronum dixeris juxta ac Titulum S. Dominicum; Urſulinarum S. Urſulam &c.

Patronus & Titulus Religionis ſeu Congregationes aliquando confunduntur,

QUÆSTIO III.

An unius ejuſdemque Religionis ſeu Congregationis plures dentur aliquando Patroni ſeu Tituli?

Dantur plerumque Religionum Patroni duo treſve minùs principales.

RÉſpondeo; ut Religionis ſeu Congregationis cujuſque unum eſt nomen, ſic & ab uno illud accipitur; adeòque plures Titulos hoc ſenſu dari rectè neges, Patronos non item. Sicut enim diximus *cap. 7. quæſt. 5.* unius ejuſdemque Diœceſis dari plerumque plures Patronos, quorum unus ſit principalis, alii duo treſve minùs principales; ſic & unius Religionis præter Patronum principalem, qui ferè ſemper ejuſdem Author & Inſtitutor eſt, duos treſve alios prò Patronis haberi poſſe non repugno, inſigniores ejuſdem inſtituti Profeſſores; quales ſunt in Ordine Prædicatorum S. Thomas Aquinas, S. Petrus Martyr, S. Vincentius Ferrerius, S. Hyacinthus. In Ordine Minorum S. Antonius de Padua, S. Bonaventura, S. Bernardinus Senenſis. In Societate S. Franciſcus Xaverius &c.

Dantur etiam nonnunquam Patroni primarii plures.

Dari prætereà contingit plures etiam primarios ac principales Patronos in iis Religionibus, quæ cùm proprias quidem habeant Conſtitutiones, ſub aliqua tamen militant Regula, quæ ſibi cum aliquibus aliis communis eſt. Nam cùm jure antiquo tres dumtaxat ſint Regulæ ab Eccleſia approbatæ, nimirùm S. Baſilii, S. Auguſtini, & S. Benedicti, ut habetur *Cap. Pernicioſam*, 18. *qu.* 2. quibus quartam S. Franciſci addidit Honorius III. omnes Ordines exceptis Carthuſienſi & Societate Jeſu, quibus ſuæ ſunt Conſtitutiones pro Regula; item Minimorum qui propriam habent Regulam à Sixto IV. approbatam; his inquam exceptis, cæteri omnes Ordines ſub aliqua dictarum Regularum approbati fuerunt; ex quo fit ut in iis quæ non immediatè originem ab ipſo authore Regulæ trahunt, alius ſit Patronus ratione Regulæ, & alius ratione Conſtitutionum, ut videre eſt in Ordinibus Camaldulenſi, Ciſtercienſi, & aliis qui ex Regula Patronum agnoſcunt S. Benedictum, ex Conſtitutionibus verò hi S. Bernardum, illi S. Romualdum. Patronum itidem ex Regula reclamant communiter S. Auguſtinum Præmonſtratenſes, Prædicatores, Cruciferi, Jeſuatæ, & alii permulti, quibus tamen omnibus ſuus cedit proprius ex Conſtitutionibus Patronus, nimirum Præmonſtratenſibus S. Norbertus, Prædicatoribus S. Dominicus, Jeſuatis B. Joannes Columbanus.

Regulæ ab Eccleſia approbatæ.

Alius Patronus Regulæ, alius Conſtitutionum.

Alius item ex Reformatione Ordinis.

Alius demum accidit quoque in aliquibus Religionibus ſeu Congregationibus ex Reformatione Patronus, ut apud Carmelitas Diſcalceatos, præter communem toti Carmelitano Ordini S. Eliam Prophetam, S. Thereſia ejuſdem Ordinis Reformatrix.

Dantur etiam prædictorum Patronorum feſta ſecundaria.

Porrò non erit extra metam currere, ſi addidero prædictorum omnium Patronorum ſeu Titularium dari quoque pleraque Feſta ſecundaria, & quidem tam geſtorum in vita quàm poſt mortem. Primi generis ſunt Converſio S. Auguſtini, Impreſſio Stigmatum S. Franciſci &c. Secundi, Tranſlationes ſingulorum ferè Sanctorum: de quibus omnibus perinde judicandum ac in ſimili de Feſtis ſecundariis Patronorum localium.

QUÆSTIO IV.

Quinam Sancti Religionum aut Congregationum dicantur Naturales, Affines &c.

Sancti naturales Religionum dici poſſunt, qui eorum fuere profeſſores.

FAcilis eſt reſponſio ex iis quæ dicta ſunt ſuperiùs de Sanctis locorum naturalibus. Naturales itaque, aut ſi mavis inſtar naturalium Sanctos eos omnes dixerim, qui Religionem aliquam profeſſi dum viverent, in ea piè ac conſtanter ad obitum uſque perſeverantes, ſacrum apud poſteros cultum publico Eccleſiæ judicio meruerunt; quales in Ordine Monachorum S. Benedicti, numerat Trithemius *libr. 1. de viris illuſtribus ejuſdem Ordinis cap. 2.* ad uſque quingentos quinquaginta novem ſupra quindecim millia, (ſi tamen multos non congerit, aut corrogatos aliunde, aut cùm Monachi fuiſſe legantur, Benedictinos ſtatim præſumptos; quod de S. Gregorio Papa ut perperam jactatum, improbat Baronius ad annum 581.) Similiter in Ordine Canonicorum Regularium recenſet Raphael Volaterranus *libr. 21. ſuæ anthropologiæ* ducentos ultra ſexdecim millia: quem ingentem numerum cùm ne centeſima quidem parte ſeries ipſa totius anni dierum exæquet, ideo in utroque illo Ordine inſtitutum fuit à recentioribus Monachis & Canonicis Feſtum commune omnium Sanctorum Ordinis. Cæteri verò Ordines ſuos quique Sanctos proprio ſingulos officio annuatim recolunt, prout in eorum Calendariis præſcriptum legitur.

Trithemius.

Volaterranus. Feſta omnium Sanctorum ordinis apud Benedictinos & Canonicos Regulares inſtituta.

Sancti etiam aliqui affinitate ad Religionem pertinentes.

Neque verò horum tantùm, quos naturales appellavi, celebris habetur memoria; ſed & aliorum quoque, qui licèt extranei ſint, affinitate tamen aliqua, aut alio quovis nexu ad ipſam Religionem aut Congregationem utcunque pertinere noſcuntur. Sic in proprio Minorum recenſentur ſancti Elzearius, Ivo, Eliſabeth, aliique Tertii dumtaxat Ordinis S. Franciſci: feſto item Conceptionis B. Mariæ dignior ritus tribuitur, quòd eam videlicet hujus Ordinis Doctores ab omni labe immunem contra ſecùs ſentientes præcipuè defenderint. Sic in proprio Canonicorum Regularium Congregationis Gallicanæ nuper edito, addita ſunt feſta S. Vincentii mart. & S. Genovefæ Virginis, quòd, ut fert liminare edictum, utriuſque auſpiciis illius quidem Sylvanecti primùm, hujus verò Pariſiis cœperit Congregationis illius inſtauratio. Nolo evolvere ſingulorum Ordinum propria Calendaria, ut plura ſuggeram exempla.

Conceptionis B. Mariæ feſtum cur apud Minores celebratur?

QUÆSTIO V.

An legitima ſit prædictorum omnium feſtorum celebratio?

INutilis propè ac ſupervacanea videtur hæc quæſtio; nam cùm Regularium alii ſuo proprio Breviario legitimo, alii Romano utantur; hi quidem ſtata habent ac certo ritu decreta, imò & Apoſtolica Sede approbata ſuorum Sanctorum Officia; illi verò Breviarii ſui legibus ex toto inhærentes, nihil opus habent addere, nihil immutare. Ne quid tamen omiſiſſe videamur, quod ad integram Breviarii Romani in propriis feſtis celebrandis rationem attinet, juvat hæc etiam in parte quid facto opus ſit, in omnem eventum, non copioſè quidem ſed accuratè diſcutere.

Inprimis quod ad Patronos ſeu Titulares ſpectat, licèt de his Rubricæ nihil expreſſum habeant (in iis enim ſermo eſt dumtaxat de Patrono ſeu Titulari Eccleſiæ vel loci) attamen cùm univerſim mentionem faciant de feſtis Sanctorum quæ apud quaſdam Religiones vel Congregationes conſueverunt ſolemniter celebrari; quis ambigat inter hæc prima omnium recenſenda eſſe feſta Patronorum ſeu Titularium, prout eos definivimus? Et verò talis eſt omnium Ordinum uſus ac conſuetudo, quibus ſanè ſingulis, de ſuis quibuſque Sanctis Inſtitutoribus ac Patriarchis uſurpare licet illud Eccleſiaſtici 44. *Laudemus viros glorioſos & Parentes noſtros in generatione ſua.*

De Patrono ſeu Titulari ſit in omni Religione.

Unum eſt quod movere poſſet dubium aliquod, nimirum aſſerere Gavantum *ſect. 2. Comment. Breviar. cap. 2. num. 26.* non poſſe Regulares feſtum inducere, *eò quia vivunt ſub Regula Sancti, à quo*

Solvitur objectio Gavanti.

tamen

tamen non pendent in propriâ origine. Sed credide-rim ego Gavantum ſic pronunciantem intellexiſſe, non de Sancto qui author eſt Regulæ, ſub quâ mi-litat aliquis Ordo, puta de S. Auguſtino apud Do-minicanos, (hoc enim quis ferat, Regulæ alicui ſubjici, nec tamen illius authorem ut Patronum coli ?) ſed de aliis Sanctis primævi illius Ordinis, quos equidem in derivato celebrare, minimè eſt opus, ut mox declarabitur.

Præter Patronum feſta reliqua Ordinis legitima conſuetudine pridem recepta retineri debent, nonta-mê nova induci abſque licentia.

De cæteris feſtis, quæcunque tandem illa ſint, ſive Sanctorum illorum magis inſignium, quos Patronorum minùs principalium loco haberi poſ-ſe diximus; ſive Naturalium, Affinium, & alio-rum quorumlibet ad Religionem ſeu Congrega-tionem quomodocunque ſpectantium; ſive ſint Natalitia, ſive Tranſlationes &c. ſic univerſim ſtatuendum judico. Quæ in uſum jam olim an-te Breviarium reformatum legitima conſuetudine inducta ſunt, ea omnia retineri debent; quo-rum verò uſus non eſt ac conſuetudo, ea nullate-nus induci poſſunt abſque licentia & authoritate Sedis Apoſtolicæ.

Rodericus.

Prima pars conſtat ex ſæpè cit. verbis Rubr. 1. num. 1. *Et in feſtis Sanctorum qui apud quaſdam Eccleſias, Religiones & Congregationes conſueverunt ſolemniter celebrari*. Ex quibus item verbis colligit Rodericus *tom. 1. quæſt.* 42. *art.* 21. & *tom.* 2. *quæſt.* 71. *art.* 3. Eccleſiam non tantùm præbere facul-tatem prædictis Religionibus & Congregationibus propria Sanctorum ſuorum feſta celebrandi: ve-rùm & id præcipere. Unde etiam addit fruſtra à Summis Pontificibus circa id fuiſſe impetrata ab aliquibus Regularibus privilegia, cùm jure com-muni hoc eſt Rubricarum id jam ipſis plenè con-ceſſum ſit; ſicque fuiſſe determinatum in Acade-mia Complutenſi communi Doctorum calculo in favorem Carmelitarum Diſcalceatorum. Quæ au-tem haberi debeat legitima conſuetudo, definitum eſt ſuperiùs *quæſt.* 4. *capitis præced.*

Secunda pars, non poſſe de novo ulla induci feſta Religionis aut Congregationis quantumcun-que propria abſque licentia & authoritate Sedis Apoſtolicæ, probatur, tum ex iiſdem præfatæ Rubr. verbis, quibus ea dumtaxat feſta conceduntur *quæ conſueverunt celebrari*, non alia; tum ex ipſo uſu ac praxi, maximè poſt Bullam Pii V. à quo tem-pore de nullis Sanctis fieri ſolet de novo Officium à Regularibus, niſi obtenta priùs ſive per Bullam, ſive vivæ vocis oraculo facultate.

Satis non eſt ut de Sancto fiat officium, quod ſit Canonizatus.

Atque hinc demum concludas primò, ſatis non eſſe, quòd Sanctus aliquis in aliqua Religio-ne ſit Canonizatus, (multo minùs ſi ſit tantùm Beatificatus) ad hoc ut de eo in prædicta Religio-ne fiat Officium; ſed requiri præterea conceſſio-nem expreſſam, prout probant innumeræ Bullæ ſeu Brevia ſuper hoc expedita, quorum ſeriem magna ex parte refert Rodericus in ſua Collectio-ne. Quin & mirum eſt valdè Præmonſtratenſes per quadringentos & ampliùs annos, nullum Pa-tris ſui ac Fundatoris S. Norberti feſtum celebraſ-ſe, donec ipſis conceſſit Gregorius XIII. anno 1572. per Bullam quæ incipit *Immenſa divinæ Sapientiæ*; adeò non fuit priſcis illis temporibus tanta feſtorum copia, quanta nunc à pleriſque exigitur. Verum quidem eſt, vix ullum hodie Sanctum canonizari, cujus in Bulla Canoniza-tionis non extet conceſſio facta à Pontifice qui-bus competit, feſti illius deinceps quotannis ce-lebrandi; qua demum conceſſione ſolvitur omne dubium.

Feſtum S. Norberti Præmonſtratenſium Patroni diu apud ipſos omiſſum.

Non omnia feſta primigenii Ordinis, ab aliis ſub eo militantibus aſſumenda.

Secundò concludas, non diſplicere quod ex Gavanto ſuprà relatum eſt, Regulares haud poſſe Officium facere, ideo quia vivunt ſub Regula Sancti, à quo tamen non pendent in propria ori-gine. Eſto enim, Dominicani v. g. ſancti Augu-ſtini, ſub cujus regula militant, feſtum ſolemnius faciant: quis hoc improbet ? At æquumne eſſet, ſi cæteros Ordinis S. Auguſtini Sanctos in ſuum æquè Calendarium traducerent ? Traduxere in ſuum pleroſque Moniales quædam, ſub aliqua Re-gula, ordine tamen diverſo, militantes. Quo ve-rò id jure ? eo ſanè, quo pleraque alia ab iis ten-tata ſunt in hoc eodem genere ſatis audaciter. O colus ! ò acus ! ubi eſtis ?

Guyet. Heortologia.

Tertiò denique concludas, feſta Nominis Je-ſu, Compaſſionis B. Mariæ, S. Gabrielis, om-nium Sanctorum Ordinis, & ſimilia, ſi non ex recepta pridem conſuetudine celebrentur, haud-quaquam eſſe legitima; adeòque opus eſſe, ut vel jure proprii Breviarii, ſi quibus integrum eſt, vel expreſſa Sedis Apoſtolicæ conceſſione inducan-tur. Et de feſtis quidem hactenus; de Officiis ve-rò votivis ſit

Feſta nominis Jeſu & ſimilia, ut poſſint retineri.

QUÆSTIO VI.

An legitima ſint certa quædam Officia, certis Menſis vel Hebdomadæ diebus minimè impeditis fieri ſolita in quibuſdam Religionibus?

Varia officia fieri ſolita à Regularibus certis menſis & hebdomadæ diebus.

EJuſmodi ſunt, Officium de S. Auguſtino pri-ma die cujuſque menſis non impedita, apud Auguſtinienſes tum Canonicos, tum Eremitas: Officium de S. Benedicto apud Benedictinos ſin-gulis feriis tertiis extra Adventum & Quadrage-ſimam: Officium de S. Dominico apud Prædica-tores itidem: Officium de S. Franciſco apud Mi-nores prima die menſis non impedita: Officium de Conceptione B. Mariæ ſingulis diebus Sabbathi per annum apud eoſdem: Officium B. Mariæ du-plex ſemel in hebdomada, apud Carmelitas: om-nium denique frequentiſſimum apud pleroſque Monachos & Moniales Officium de SS. Sacramen-to feriis quintis non impeditis, extra Adventum & Quadrageſimam.

Nulla ejuſmodi officia legitimè fiunt abſque obtento privilegio.

Quæ quidem omnia tantumne ſit operæ pre-tium ita fieri, diſcutietur infrà ubi de his tracta-bitur pleniùs. Nunc id unum in quæſtione ver-ſatur, an fiant iſta legitimè ? fiunt equidem in-terveniente privilegio, quale habent Minores pro Officio SS. Sacramenti per Breve Pii V. datum 8. *Januarii anno* 1569. & pro Conceptionis quod incipit, *Sicut lilium*, per vivæ vocis oraculum Pauli V. à Roderico relatum. An verò privile-gium ejuſmodi per communicationem ab aliis uſi-tari queat, dicam mox. Interim eo ſecluſo, cer-tus ſis, nihil fas eſſe prædictorum omnium, iis ſaltem qui Breviario Romano aſtricti ſunt, recla-mantibus acriter tum Bulla Pii V. tum ipſius Bre-viarii Rubricis. Neque tu mihi conſuetudinem opponas, quam valere quidem pro feſtis retinen-dis haud inficior, ſuadentibus id allegatis ſuprà textibus ex Rubr. 1. & 2. nequaquam verò pro Officiis ejuſmodi votivis; unde talis conſuetudo ſicubi inducta fuiſſet ante Bullam Pii V. advenien-te Bulla, penitus abolita eſt; ſi poſt, nullam ipſa vim unquam habuit, ut demonſtratum fuit quæſt. 6. capitis præcedentis.

QUÆSTIO VII.

An per communicationem privilegiorum poſſint prædicta Officia in uſum induci legitimè?

Quid ſit Communicatio Privilegiorum.

PRæmittendum ex Doctoribus qui de legibus tractant, communicationem, quod ad rem præſentem attinet, dici quando privilegium, quod eſt uni Religioni conceſſum, communi-catur & alteri; ſive ſpecialiter & per ſpecialem Bullam, ad ſimilitudinem videlicet & exemplum alterius, & tunc propriè dicitur privilegium ad inſtar; ſive generaliter & per generalem Bullam, qua videlicet concedit Pontifex uni Religioni pri-vilegia omnia non tantùm conceſſa hactenus,

ſed etiam concedenda in poſterum aliis omnibus Religionibus: cujuſmodi communicationis Bullas plurimas variis Religionibus à Summis Pontificibus conceſſas recenſet Emmanuel Rodericus *tom. 1. quæſt. regularium, quæſt.* 55.

Negativa Gavanti ſententia propugnatur.

Hoc præmiſſo, ſtare me profiteor à partibus Gavanti, ad quæſtionem propoſitam inficias euntis *ſect.* 2. *Comment. Brev. cap.* 2. *num.* 26. ejuſque primùm rationi inſiſto; vel enim communicatio ejuſmodi extenditur ad omnia feſta ſeu Officia, vel ad aliqua tantùm; non primum, quanta enim eſſet Officiorum perturbatio, quantæ ambages, ſi tibi v. g. Societatis Jeſu Religioſo liberum eſſet ſingulis menſibus de S. Ignatio recitare, per communicationem Privilegii Auguſtinienſium de S. Auguſtino, & Minorum de S. Franciſco; item ſingulis feriis tertiis, de eodem, ex ſimili privilegio Benedictinorum de S. Benedicto; item ſingulis feriis quintis de SS. Sacramento more Prædicatorum, Minorum, &c. Item ſingulis Sabbatis de Conceptione B. Mariæ per privilegium Minorum; item ſemel in hebdomada ſive die Sabbati, ſive eo impedito, alio quovis libero, ex Carmelitarum ritu, de eadem B. Virgine &c. Si inquam omnia hæc tibi licerent, proh quanta feriarum, Vigiliarum, & feſtorum ſimplicium abſorptio! quantus tranſlationum hiatus! quanta concurrentiarum pugna! quàm frequens & aſſiduus commemorationum inter ſe conflictus! Luxaretur denique ac rueret funditus tam apta, tam concinna, tantoque ſtudio & labore, ab omni quantum licuit, confuſione vindicata Officiorum œconomia.

Argumentum à generali officiorum perturbatione, quæ ex ejuſmodi communicatione conſequitur.

Ex eo quòd non eſt potior ratio cur alia ejuſmodi officia præ aliis per communicationem uſurpentur, ſequitur nulla debere uſurpari.

Vides hæc, teque ſua enormi abſurditate eò compellunt, ut non omnia ejuſmodi, ſed de multis aliqua dumtaxat, per privilegii communicationem tibi licere fatearis. At, inquit Gavantus, ſi aliqua, certè non major ratio horum quàm iſtorum, nec unius quàm alterius: ergo nulla. Nequaquam, ais, ſed ea pro nutu & arbitrio ſeligam, quæ mihi commoda magis erunt, aut quæ ad devotionis propriæ guſtum plus ſapient: Cùm enim nemo teneatur ſuo ſpeciali privilegio uti, utar ſi velim, ſi nolim abſtinebo. Itane verò quam fixam adeo ac ratam eſſe voluit Pius V, totque ſtatutis, mandatis, interdictis, prohibitionibus, aliiſque ejuſmodi firmavit; vaga tibi erit & inſtabilis Officii ratio? Non erit, addis, hærebo ſiquidem firmus in uno vel altero. Hærebis tu in hoc, ſodalis in illo: convenite quæſo ambo in Chorum; ut cantabitis? ſtatuet Prælatus: ſed an irrevocabiliter, ut non qui nunc eſt, ſic, & alter futurus, ſic? ut non uno modo præſenti anno, altero verò ſequenti? Demum velim communi concilio ratum quid inter vos certùmque definiri, per id tamen privilegio nequaquam renunciatum erit; ipſum verò privilegium cùm ejuſmodi ſit, ut per non uſum ex communi Doctorum ſententia minimè deperdatur, ſalvum nihilominus integrumque ſtabit: ſtabitque cum ipſo jus perturbandi ac ſuſquedeque pervertendi divina Officia, cùm lubebit; hoc ſi abſurdum non eſt, neſcio quid hac in parte abſurdi ampliùs proferri queat.

Non amittitur privilegium per non uſum.

Nulla datur communicatio privilegiorum quoad rationem divini officii.

Atque hæc ad tuendam allatam à Gavanto rationem, ex quibus, aliiſque argumentis adducendis protinus, hanc infero concluſionem, Per communicationem privilegiorum, nihil quod ad rationem Officii divini pertinet, uni Religioni conceſſum, alteri communicatum intelligi. O te pervicacem, inquies, qui unus contra omnes theſim hanc proferre ac tueri audes! Audeo fortè unus ego quidem, duce tamen Gavanto; at non contra omnes, quippe qui nullum adhuc legerim, cujus ſcripta extent, mihi ex adverſo ſtantem. Conſule ſi lubet, citatum antè Emman. Rodericum, num ipſe totis 22. articulis, quibus homo regularis, regulariumque negotiorum ſcientiſſimus materiam hanc de communicatione privilegiorum, fuſiſſimè juxta ac luculentiſſimè diſcutit, num, inquam, vel minimum quid contra arguat? Refert ille quidem Bullas aliquas, quibus feſta ſeu Officia quædam, jam aliquibus Ordinibus conceſſa, conceduntur & aliis nominatim & expreſsè; at hoc non eſt communicatio, de qua quæritur. Explicat idem ipſe artic. 22. citans Bullam quamdam Julii II. quomodo per ejuſmodi communicationem, *ea quæ in honorem SS. Dominici, Petri mart. Thomæ Aquin. &c. fratribus vel locis Prædicatorum ſunt conceſſa, omnia illa Minoribus, in feſtis SS. Franciſci, Antonii de Padua, Bonaventuræ &c. pariter conceſſa intelligantur*; videlicet ut quæ Indulgentiæ, quæ facultates, putà non ſervandi interdictum, & ſimiles, conceſſæ ſunt illorum Eccleſiis in ſuis feſtivitatibus, iidem vi communicationis gaudeant & iſtorum Eccleſiæ reſpectivè: quod æquè docent cum illo Suarez *de Legibus libr.* 8. *cap.* 17. *num.* 7. Caſtro *de privilegiis tract.* 3. *diſput.* 4. *punct.* 2. §. 9. *num.* 5. & nos ultro admittimus; at nuſquam leges apud præfatum authorem, aut quemlibet alium, feſta ipſa ſeu Officia unis conceſſa, eadem concedi & aliis per communicationem; imò quàm ſit hoc omni ex parte à ratione alienum, diſce ex his argumentis.

Emmanuel Roder.

Eſt quidem communicatio Indulgentiarum, & ſimilium facultatum pro quibuſdam feſtis, at non Officiorum.

I. Argumentum à re conceſſa.

Primò, Ex parte materiæ ſeu rei conceſſæ. Quid enim conceditur per communicationis beneficium? Audi Pium V. in Bulla *Dum indefeſſa*, & Gregorium XIII. in Bulla *Decet Romanum Pontificem*: *Omnia aliorum privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, conceſſiones, indulta, indulgentia, remiſſiones, gratiæ, litteræ Apoſtolicæ &c.* Ubinam iſtorum legis *Officia*? Veniunt, ais, nomine Facultatis, aut Conceſſionis, aut Indulti, aut Gratiæ. Ais, nego: Uter convenientiùs? Temet judicem conſtituo. Obtinuere Minores primi omnium à Pio V. Officium de SS. Sacramento ſingulis feriis quintis: Idem obtinuere poſtmodum à Clemente VIII. Eremitæ Auguſtinienſes. Amabo, ſi nomine facultatis, indulti &c. veniunt pariter Officia, quid illis Eremitis opus erat nova iſta conceſſione? Jam enim ea potiebantur per communicationem cum Minoribus. Addo ampliùs, Gratia eſt, Indultum, aut quovis nomine appelles, Privilegium, quòd Dominicani v. g. proprium habeant Breviarium, in quo toto Tempore Paſchali, tres tantùm Pſalmos totidemque lectiones recitant, more multarum Eccleſiarum Galliæ. An putas te per communicationem, qua cunctis ipſorum facultatibus, conceſſionibus, Indultis, Gratiis &c. *ad inſtar, pariformiter & æquè principaliter* communicas, an putas, inquam, te ſimile Breviarium poſſe cudere, aut ad illius normam ſex integris Pſalmis totidemque lectionibus tempore Paſchali reſecatis, tres dumtaxat, brevitatis fortè magis quàm devotionis ſtudio, retinere? Potes, ſi tua vera eſt explicatio; ſi dubitas, meo tu ipſe dubio, vel potiùs aſſertioni veriſſimæ vim ac pondus graviſſimum concilias; daſque vel invitus communicatione privilegiorum haud ſtatim involvi, quæ ad Officia divina pertinent.

Nomine Facultatis, Conceſſionis, Indulti, Gratiæ &c. non veniunt Officia.

Per Communicationem non conceditur jus proprii Breviarii.

Quin & dabis haud invitus, tibi fas non eſſe facere Officium de S. Conrado cum Minoribus, aut de Beatis Petro de Alcantara, & Joanne Capiſtrano cum iiſdem, aut de Beata Coleta cum Clariſſis &c. Quid enim tu non facies, ſi hoc ſemel admiſeris? At ſunt iſta omnia conceſſa per Bullas, quarum tibi facultas ampliſſimè communicata eſt: ergo facultas illa non extenditur ad communicationem eorum, quæ ad Officium ſpectant.

Feſta Sanctorum uni Religioni conceſſa, non ſunt ab aliis per Communicationem.

Fallor ni tu tria mihi ad hoc argumentum reſpondeas. Primò, eſſe iſta feſta propria, quæ conceduntur quidem dictis Religionibus, cæteris verò tantùm ad inſtar, hoc eſt, ut de ſuis illæ quoque Sanctis ac Beatis vi communicationis pari-

Triplex reſponſio pro oppoſita ſententia deinceps reſcilenda.

formiter

formiter faciant. Secundò, feſta item illa, uno Conradi excepto, eſſe Beatificatorum dumtaxat, non autem Canonizatorum, utrorumque verò parem non eſſe rationem. Tertiò denique, conceſſa eſſe cum limitatione & reſtrictione ad certum locum, vel certas perſonas, ultra quas non poteſt extendi. Egregiè omnino, ſic ut non poſſes quidquam ad cauſæ meæ tuitionem firmius ac validius afferre.

Feſta propria non communicantur niſi ad inſtar.

Sunt, inquis, feſta illa propria eorum quibus conceduntur, cæteris ad inſtar tantùm communicanda. Sumo quod das, atque hinc contra te ſic arguo: Ergo jam tibi fas, non quidem Officium de illis Beatis facere, ſed ad illorum inſtar de tuis v. g. de B. Stanislao Koſtka in Societate, poſſeſque itidem de Beatis Aloyſio Gonzaga & Franciſco Borgia citra Bullam & conceſſionem propriam. Vides te in eas anguſtias redigi, ut vel te poſſe illud fatearis; vel ſi non poſſis, neutiquam ad id quod Officii eſt, extendi prætenſam à te privilegii communicationem. Nam quod affers diſcrimen

Beatificatorum & Canonizatorum quoad Communicationem officii par eſt ratio.

Beatificatos inter ac Canonizatos, nihil ad rem facit: non enim arguo ex hoc quòd illi Beati ſint declarati, tuos quoque tales protinus declarari; ſed hoc tantùm, poſſe te per communicationem de tuis Beatis officium celebrare, ſicut illi, quibus communicas, de ſuis; dicere enim communicationem ejuſmodi eſſe reſtrictam ad Sanctos Canonizatos, fingere eſt, cùm nullibi habeatur iſta reſtrictio. Neque demum multò tutius eſt poſtremum illud effugium de limitatione privilegii ad certum locum, aut certas perſonas; non enim valet ejuſmodi limitatio reſpectu eorum, qui habent communicationem, niſi & ipſa contineat derogationem ejuſmodi communicationis, ut docent citati Doctores Suarez, Caſtro, & Rodericus: atqui hanc non habet, aut certè ſi habeat, talis eſt, ut æquè valeret pro Sanctis Canonizatis ac pro Beatificatis; ergo non hinc præcisè oritur quòd de his minùs, quàm de illis Officium celebretur; ſed ex hoc uno, quòd in neutris communicatio privilegiorum ad id quod Officium attinet extendi præſumitur.

Communicatio non patitur limitationem, niſi hæc ipſa exprimatur.

Communicatio non debet officere Regulari obſervantiæ, multo minus officiorum rationi.

Tuis te ipſe armis hactenus confodiſti, hunc etiam ictum de manu mea excipe. Monet præfatus Rodericus art. 22. magnam habendam eſſe rationem hujus clauſulæ, quæ ſæpiùs apponitur in communicationibus conceſſis in litteris Apoſtolicis, *Dummodo Regulari eorum, quibus communicantur, obſervantiæ non ſint contraria*. In eo ſiquidem caſu nullum eſt, nulliuſque roboris privilegium quod conceditur. Non enim, ait Caſtro cit. intendit Pontifex Religionem deſtruere, ſed potiùs fovere. Non vult Pontifex Religionem deſtruere, & volet ſtatum receptumque communem in divinis Officiis ritum? Ecquis ſibi feriò id perſuadeat? At hoc ipſum non poteſt non velle, ſi ex ejuſmodi conceſſione, non unus Canon, aut ſanctio una, ut fit in aliis privilegiis; ſed quod ante demonſtravimus, tota ferè quanta eſt Breviarii compago normaque deſtruatur. Hoc itaque ut minimum des mihi neceſſe eſt, dubium eſſe & ambiguum, an communicatione privilegiorum divina comprehendantur Officia. In dubio verò ejuſmodi, quid juris? Ejus eſt interpretari privilegium, cujus eſt concedere, l. *Si Imperialis, Cod. de legibus, & cap. Inter alias, de ſententia excommunicationis, Unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat.*

Secundum Argumentum ab intentione concedentis Communicationem.

Jam ergo ut videas ex parte quoque concedentis, quantum tua illa opinio repugnet, interpretetur Pius V. conceſſam à ſe anno 1571. omnimodam illam privilegiorum communicationem. Ille idem eſt Pontifex, qui triennio antè, anno videlicet 1568. famoſam illam ac toties decantatam Bullam edidit, qua abolito primùm Quignoniano Breviario, aliiſque omnibus ducentos annos non excedentibus: revocatis item omnibus & quibuſcunque Apoſtolicis permiſſionibus, conſuetudinibus, ſtatutis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia firmitate munitis, necnon privilegiis, licentiis, & indultis; præcipit tandem propoſitis pœnis per Canonicas ſanctiones ſtatutis, ſuum hoc unum Breviarium ubique obſervari, ſtatuens inſuper, ipſum nullo unquam tempore vel totum vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum vel omnino detrahendum eſſe. Itane verò putandus eſt tantus Pontifex vel obliviosus fuiſſe adeò, vel mutationi obnoxius, ut quæ anno vix abhinc tertio tanto cum rigore decreverat, uno ſtatim calami tractu, brevique communicationis vocula voluerit retractare, ac priſtinæ confuſioni, ſi non etiam majori viam latiſſimam aperire? Et qui ſeverè adeò Patriarchas omnes, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, cæteroſque Eccleſiarum Prælatos, poteſtate omni quam jure antiquo obtinebant, aliquid in divinis Officiis mutandi, addendi, vel detrahendi interdixerat, novo id totum communicationis privilegio, cujuslibet Regularis arbitrio permiſerit? Nunquam adducar ego ut non credam aliam longè ingenii vim, aliud mentis ac judicii robur noſtris Summis ineſſe Pontificibus. Quare cùm potiùs ſit concedentis menti quàm privilegii verbis inhærendum, *C. Marcion. 1. q. 1. & cap. Intelligentia de verborum ſignif. & cap. In iis, ibidem*; vide uter noſtrum rectiùs dubiam & ambiguam communicationis iſtius ſententiam interpretetur?

Privilegium contra jus commune ſtrictè interpretandum.

Imò, cùm privilegium omne, quod eſt contra jus commune, ſtrictè interpretandum pronuncient Juris utriuſque periti, ex l. *Quoties, Cod. de Precibus Imper. offer. & l. Si quando, Cod. de inofficioſo teſtamento, cap. Porro, & cap. Sanè de privilegiis & cap. Quod dilectio, de conſang. & affin.* Qualis demum huic privilegio, interpretatio tribuenda, quod juri communi tantùm, quantum ullum aliud adverſari dignoſcitur?

Non eſt hoc privilegium in favorem Religionis, quod latè ſit interpretandum.

Nec obſtat quod poſſet quis objicere, privilegium illud cedere in favorem religionis, nimirum ad exaltandam & promovendam venerationem SS. Sacramenti, aut Conceptionis B. Virginis, quæ potiſſima cauſa eſt latè interpretandi privilegii, eo, quia ſummum jus eſt quod pro Religione facit, l. *Sunt perſonæ ff. de Religioſis & ſumpt. funerum.* Nihil, inquam, hoc obſtat; huic enim cultui communis Eccleſiæ ritus, quantum ſatis eſt, aliunde tribuit.

Tertium Argumentum à fine privilegii.

Hocque eſt tertium argumentationis meæ caput à fine ipſius privilegii petitum. Conceſſum fuit primò Minoribus, ais, ejuſmodi privilegium ad promovendum cultum & religionem erga SS. Sacramentum, aut B. Virginis Conceptionem &c. Quid juſtius, quid ad pietatem opportunius? Nihil planè. At vide ne tuum iſtud argumentum ex iis ſit, quæ nimis probando, eò demum recidunt, ut nihil probent. Hinc enim æquè concludat quis, ritum hunc non jam ab aliquibus, ſed ubique & ab omnibus eſſe uſurpandum; hoc ſiquidem majus adhuc erit obſequii iſtius ac venerationis, quam tu tam ſedulò commendas, incrementum. At at Apoſtoli præceptum eſt, *Omnia decenter & cum ordine fieri debere*; non autem fiunt, ſi ex eo quod contendis, confuſio ac perturbatio, quanta in illo genere poteſt, maxima conſequatur.

Non omnia admittenda quantumvis laudanda & optima.

Etenim quod Aſcetæ inprimis vetant, ne quis tam multas praxes ac devotionis munia obeunda ſuſcipiat, ut inde obruatur, potiori jure locum in divinis Officiis habere debet, ut non pro nutu paſſim ac promiſcuè aſſumas omnia, quantumcumque laudanda atque optima, quæ ab aliis factitari videris. Quòd ſi quid eſt quod magis arrideat, teque ad æmulationem percellat inſtantiùs; nonniſi conſulto Pontifice, ſeu ſacra Congregatione,

Digitized by Google

tione, cujus eſt proſpicere ne quid ſacris ritibus detrimenti proveniat, adeóque obtenta priùs legitima facultate quidquam exequaris.

Privilegium officii de Conceptione B. Virginis additum eſt certo cuidam officio proprio Minorum.

Ad extremum juvat hic monere aliquos, ne errorem errori adjiciant; qinppe vi præfatæ communicationis, Officium de Conceptione B. Virginis, & per illius feſti Octavas, & ſingulis diebus Sabbati non impeditis recitantes, utuntur Officio ac Miſſa in Breviario ac Miſſali Romano poſitis pro die ejuſdem feſti; cùm tamen privilegia Sixti IV. & Leonis X. ſicut & vivæ vocis Oraculum Pauli V. pro diebus Sabbati, quorum omnium communicationem ipſi prætendunt, addicta ſint certo cuidam Officio, quod incipit *Sicut lilium*, & Miſſæ cujus initium eſt *Egredimini*, quæ habentur in Proprio Minorum, & compoſita fuere per quemdam Leonardum de Nogarolis Clericum Veronenſem; adeo ut exiſtimet Navarrus, *de Horis Canon. cap.* 19. *n.* 86. privilegium ceſſationis ab interdicto à Leone X. pro hac feſtivitate conceſſum, non valere niſi in iis Eccleſiis in quibus Officium & Miſſa prædicta decantantur, ut colligitur ex Extravaganti Sixti IV. *de Reliq. & veneratione Sanctorum*.

Navarrus.

Duo item incommoda ex tali communicatione.

Ex quo item duo gravia ſequuntur incommoda, alterum molem tibi grandem ac copioſam Breviariorum ſarcinam eſſe comparandam, ſi ſemel ſtatueris ea omnia Officia recitare quæ tibi per communicationem conceſſa fuerint: alterum te ſæpius incongruè, & ſi non extra rem, extra tamen tempus recitaturum, quod tamen mirum quantum ab concinna illa & eleganti Officiorum varietate abhorreat; nam cùm Officia, ſicut & Miſſæ de B. Virgine, aptata ſint alia pro Adventu, alia pro Tempore poſt Nativitatem, & alia pro Tempore Paſchali, eadem tu ſemper, opportunè importunè formula uteris. Fallor, ni devotionis hujus præcipuus, ac fortè unicus ſit aculeus, commoda Pſalmorum aliquot prolixiorum excuſſio, nempe quò brevior oratio, eò citiùs cœlos penetrabit. I nunc, Dive Antoni, & properantem nimis Solis ortum increpa.

CAPUT XV.

De Patronis seu Titularibus Sodalitatum ſeu Confraternitatum.

Perſonarum hic quoque Titulus, ſicut & prior, proprius eſt, non autem loci vel Eccleſiæ; Perſonarum, inquam, ſed non ejuſdem ſtatus ac conditionis. In priori enim, Regulares ſunt, aut ut minimum Clerici, qui in unum cœtum ex profeſſo convenientes, eidemque Eccleſiæ unà inſervientes, Religionem ſeu Congregationem Regularem aut Clericalem conſtituunt. At Sodalitium ſeu Confraternitas tantam non exigit in divinis humaniſque conjunctionem; unde nonniſi Laicorum ut plurimum eſſe ſolet, qui ad aliquod pietatis opus, ſtatis dumtaxat in anno, vel menſe, vel hebdomada diebus, aut ut ſe dat occaſio, præſtandum, dato ſimul nomine conveniunt; quales ſunt ubique paſſim ſub diverſis Titulis erectæ Sodalitates, de quibus ſit

Sodalitia ſeu Confraternitates ut plurimum ſunt Laicorum.

QUÆSTIO I.

Quibus Patronis, Tituliſve erigi ſoleant Sodalitates ſeu Confraternitates?

Confraternitates aliæ à Myſteriis Chriſti Domini, vel B. Mariæ nuncupatæ.

Ut erigendarum Confraternitatum cauſa non una eſt, ſic earum tituli varii ſunt ac multiplices.

Aliæ ſiquidem ad ampliorem certi myſterii Chriſti Domini, vel Beatæ Virginis, aut Sancti alicujus venerationem inſtitutæ, ab eodem Myſterio vel Sancto denominationem accipiunt, quales ſunt Confraternitates Sacratiſſimi Corporis Chriſti, Nominis Jeſu, Roſarii B. Virginis, ejuſdem de monte Carmelo: Sodalitas item ejuſdem Annunciatæ, aut ſub aliis Titulis in Collegiis vel domibus Societatis Jeſu; SS. Benedicti & Scholaſticæ, Cordigerorum S. Franciſci &c.

Aliæ à pio opere ad quod inſtitutæ ſunt.

Aliæ ad certum aliquod pium opus deſtinatæ, ab ipſo eodem opere nuncupantur, addito Myſterii vel Sancti alicujus cognomine, putà SS. Trinitatis Convaleſcentium; Nominis Dei ſeu Jeſu ad cavenda juramenta; Cruceſignatorum ad præſidium Inquiſitorum hæreticæ pravitatis; B. Mariæ pietatis ad egenos dementes charitativè ſuſcipiendum; Annunciationis B. Mariæ ad maritandas puellas; Charitatis ad pauperum erubeſcentium ſecretam ſubventionem; Orationis & mortis ad pauperum defunctorum corpora decenter ſepelienda; Suffragii ad liberationem animarum de pœnis Purgatorii; & aliæ plurimæ quarum inſtitutiones referuntur à Bullarum collectoribus.

Aliæ in honorem Sanctorum à morbis curantium.

His addendæ aliæ in honorem Sanctorum Medicorum, quos vocant, ſeu quorum ope certi morbi curari, aut pericula, jacturæ, damna, aliaque id genus propelli creduntur; cujuſmodi ſunt S. Martini, & S. Genovefæ ad arcendam febrim, S. Antonii ad igneum morbum extinguendum, SS. Sebaſtiani & Rochi ad avertendam peſtilentiam &c. de quibus egregiè cecinit S. Paulinus natali 11. S. Felicis ex fragmentis Dungali:

Paulinus.

Omnimedens Dominus Sanctos mortalibus ægris,
Per varias gentes medicos pietate ſalubri
Edidit.

Aliæ conflatæ ex variis hominum ſtatibus, ſub Myſterii aut Sancti alicujus invocatione.

Sunt denique & aliæ permultæ Confraternitates in quibuſvis ferè Civitatibus & Oppidis, conflatæ ex opificibus, aut aliis etiam variorum ſtatuum hominibus, ſub variis Titulis Myſteriorum, aut certorum Sanctorum invocatione; quorum ſanè delectus etſi nonnunquam ratione futili ac ludicra nitatur, ut & celebritas ipſa multis ſæpè exoticis vaniſque obſervantiis profana redditur: quod tamen ad Myſterii venerationem, aut Sancti invocationem attinet, nihil eſt quod non probè orthodoxum ſit, receptæque in Eccleſia jam inde à primis temporibus traditioni conſentaneum: Ideoque Patroni Titulive nomen in fronte quæſtionis adhibuimus, ratione jam ſuprà aliàs uſitata, & explicata ſæpiùs, ut Patroni inſtar ſit Sanctus ille; Tituli verò Myſterium illud, ſub cujus auſpiciis inſtituta, aut à quo etiam appellationem ſortita eſt quælibet Sodalitas ſeu Confraternitas.

QUÆSTIO II.

An uſu legitimo receptum ſit, de ejuſmodi Patrono ſeu Titulo feſtum celebrare?

Statum diei officium, ubi celebratur, non eſt deſerendum, ut fiat de Patrono ſeu Titulo Confraternitatis.

Reſpondeo: Si Eccleſia ad quam eſt inſtituta vel aſtricta Confraternitas, Collegiata ſit, aut Conventualis, aut quæcunque alia, in qua Canonicum quotidie Officium perſolvi debeat aut conſueverit, nullatenus licere ſtatum diei Officium, etiam feriale deſerere, ut de ejuſmodi feſto fiat: nullibi enim habetur ejuſmodi conceſſio, & aliunde mille locis interdicta eſt omnis talis mutatio. At ſi Parochialis eſt Eccleſia, aut alia quævis ab Officii quotidiani obligatione immunis, nihil vetat Officium, quod alioqui in ipſa nullum fieret, & Patrono ejuſmodi ſeu Titulo Confraternitatis decantari, prout in pari caſu de feſtis ex fundatione definivimus ſuprà *cap.* 12. *qu.* 4. Miſſam verò ſolemnem, aut Proceſſionem, aut Stationem, aut quid ejuſmodi in gratiam Confraternitatis habere, nedum in ulla Eccleſia prohibitum eſt, ut etiam pium maximè ſit atque laudabile.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVI.

De Patrono ſeu Titulo Altaris aut Cappellæ.

Redimus ad id quod loci eſt, Altare enim & Cappella ſonant locum ut & Eccleſia, habentque ſibi proprium Patronum ſeu Titulum Sanctum aliquem, aut Myſterium aliquod, in cujus honorem dicata ſunt, & à quo nuncupantur. De hoc itaque ſupereſt quærere, ut tota demum iſta tractatio de multiplici feſtorum propriorum genere abſolvatur.

QUÆSTIO I.

Ecquid differant Altare & Cappella?

Cappella unde dicta?

Undecunque Cappella dicatur, ſive à capiendo populos, ſive à caprinis pellibus, quibus olim Altaria tegebantur, ſive melius à Cappa, quod Francum nomen eſt, & tegumentum ſignificat, de quo Præpoſitus *in can. Presbyter. diſt.* 23. *n.* 6. ac Baronius *in notis ad* 11. *Junii*; communiter accipitur pro minori æde ſacra, à majori ex toto ſeparata, ac ſe ſola conſtante, quales ſunt ordinariè Prioratus illi ſimplices pendentes ex Abbatiis, de quibus eſt Titulus 37. lib. 3. Decretalium *De Cappellis monachorum*. Item Oratoria in domibus Magnatum extrui ſolita, de quibus fit mentio in Capitular. *lib.* 5. *c.* 182. *Ne Cappellæ in noſtro Palatio vel alibi ſine permiſſu Epiſcopi, cujus eſt Parochia, fiant*.

Eſt ædes minor à majori ex toto ſeparata.

Altare verò ſitum eſt in aliqua æde ſacra, ab aliis quidem Altaribus ſejunctum, ſed non ab ipſa æde ſacra, intra quam concluditur; & ipſum poteſt eſſe Titulus Beneficii, quando videlicet authoritate Epiſcopi eſt fundatum, ac donatum dote, de quo cap. *Recolentes, de ſtatu Monachorum*, appellaturque vulgò Cappellania. Rectè autem obſervat Azor *par.* 2. *lib.* 3. *c.* 2. *q.* 5. diſcrimen inter Cappellam & Altare ſeu Cappellaniam in hoc, quod pro Cappella per ſe disjuncta Litteræ Apoſtolicæ ſeu Pontificiæ ſic diriguntur, *Rectori Cappellæ N.* pro Altari verò in æde ſacra concluſo, ſeu pro Cappellania, in hunc modum, *N. perpetuo Cappellano in ſacra æde N.*

Altare intra Eccleſiam concluditur dicitúrque vulgò Cappellania.

Azor.

Ex quo aliud item advertas diſcrimen Cappellam inter & Altare, nimirum quòd Cappellæ ut plurimùm Altare ſit unicum; at verò in Eccleſia multa ſunt Altaria, non tantùm ex uſu moderno, ſed etiam antiquo, reclamantibus necquicquam hæreticis aliiſque Novatoribus; ut liquet teſtimonio S. Gregorii Papæ *in regiſtro lib.* 5. *Epiſt.* 50. *ad Palladium Epiſcopum Sanctonenſem*, ubi agit de Eccleſia in honorem Apoſtolorum & aliorum Sanctorum conſtructa, deque tredecim ibi Altaribus erectis ac dedicandis. Et verò cùm, uti obſervavimus aliàs, conſtatque plurimis SS. Patrum authoritatibus, moris eſſet Martyrum Reliquias ſub Altari recondere; ſi contingeret in templum jampridem erectum, adeòque Altari fixo atque immobili inſtructum, inferri corpus aut Reliquias martyris alicujus; quis dubitat Altare potiùs aliquod de novo fuiſſe fabricatum, quàm vetus effoſſum ad Reliquias ejuſmodi recondendas?

Uſus plurimorum Altarium in una eademque Eccleſia.

S. Gregorius.

QUÆSTIO II.

An cujuslibet Altaris ſeu Cappellæ detur ſemper Patronus aliquis ſeu Titulus?

Altare duplex eſt, fixum unum ac ſtabile, quod humi ex lapidibus exſtructum nunquam loco movetur: Alterum non fixum ſeu portatile, quod etiam appellatur Tabula conſecrata, in Concilio Tribur. *Can. Concedimus, de Conſecrat. diſt.* 1. Item Viaticum *cap. In iis, de privilegiis*. Et hujus quidem nullus datur Patronus aut Titulus, ſicut nec Cappellæ domeſticæ, quæ nec benedicta nec conſecrata eſt, imo nec fortè à prima ſui exſtructione ad uſum ſacrum deſtinata, ſed pro tempore duntaxat, illato in eam, vi privilegii, Altari portatili. Ratio eſt, quòd cùm Patronus ſeu Titulus acquiratur per conſecrationem, licèt Altare portatile conſecratum ſit, non tamen determinatè in honorem Sancti alicujus, ut eſt fixum & immobile: cujus idcirco verè Patronus eſt ſeu Titulus is Sanctus, ſeu id Myſterium, in cujus venerationem conſecratum fuit. Idem potiori jure dicendum de Cappella ſeparata, quæ conſecrata fuit aut ſaltem benedicta, & ad uſum ſacrum ab initio ſuæ fundationis addicta.

Altare duplex, fixum ac portatile.

Altaris portatilis nullus datur Patronus ſeu Titulus.

Datur verò altaris fixi & immobilis.

An verò unius ejuſdemque Altaris ſeu Cappellæ plures ejuſmodi contingat dari Patronos ſeu Titulos, perinde ſentiendum ac de Eccleſia ipſa dictum fuit *qu.* 3. *cap.* 4. nimirum non eſſe niſi unicum, ſub cujus primùm nomine erectum fuit Altare vel extructa Cappella; aut ſi plures, nonniſi conjunctim ac per modum unius, ut ſunt SS. Gervaſius & Protaſius, Mauritius cum ſociis &c. quamquam plures quoque diviſim, non tamen frequenter adeò, reperire ſit. Contingit etiam nonnunquam exſtructis pridem dicatiſque Cappellis ſeu Altaribus, novos ſuperinduci Patronos ſeu Titulos, occaſione videlicet Confraternitatis ſeu Sodalitii alicujus, quod ad illa de novo inſtituitur, aut Cappellaniæ quæ de novo fundatur; cujuſmodi Cappellaniæ plures aliquando ad unum idemque Altare, præſertim in majoribus Eccleſiis affixæ reperiuntur ſub nuncupatione Sancti alicujus aut Myſterii diverſi ab eo, ſub quo erectum fuerat Altare ſeu Cappella primitus; at ſint Sancti illi, ſeu Myſteria quæ de novo aſſumuntur, inſtitutæ quidem Sodalitatis, aut fundatæ Cappellaniæ Patroni ſeu Tituli; non tamen propriè dici poſſunt ipſiuſmet Altaris ſeu Cappellæ.

Unius ejuſdemque Altaris ut plures dari poſſint Patroni ſeu Tituli.

QUÆSTIO III.

An ex uſu ſit Eccleſiarum, Patronorum ſeu Titulorum ejuſmodi feſta celebrare?

Negat Gavantus loco ſæpè cit. *Comm. Brev. ſect.* 2. *cap.* 2. *num.* 26. *Neque*, inquit, *quia Titulus eſt Cappellæ ſeu Altaris*; cui non inficior quidem, tum quia Rubricæ, cùm nihil de hoc ſtatuant, haudquaquam permittere præſumuntur; tum quia vetare id quoque videtur ſatis expreſsè laudatum ſæpiùs Sacræ Congreg. Decretum. Et verò cùm nec Altare nec Cappella eo fine erigantur, ut in iis perſolvatur divinum Officium, quod utique proprium eſt Eccleſiarum; ſed aliam ob cauſam, maximè verò ut Miſſa certis diebus pro majori loci incolarum commoditate celebretur; certè ſicut Chori in iis nullus eſt uſus, ita nec ratio ulla mutandi Officii, quod, ut monuimus aliàs, idem à privato quolibet recitari debet, quod ipſe cum aliis cantaret in choro, ſi præſens adeſſet.

Gavantus.

Non debet celebrari feſtum Patroni ſeu Tituli Cappellæ nec Altaris.

Exiſtimo tamen temperandam hanc Gavanti reſolutionem in hiſce caſibus. Primò, quando in Altari aliquo quieſcit corpus, aut notabilis Reliquia Sancti alicujus, omnino debet fieri feſtum in ipſa Eccleſia, juxta ea quæ dicta ſunt *cap.* 9. *de Reliquiis quæſt.* 2. Itidem de Cappella ab eo vel iis qui illi præſunt. Secundò, quando feſtum Sancti alicujus, qui eſt Patronus Altaris, ex conſuetudine aut alia legitima de cauſa in ipſa Eccleſia ubi eſt Altare, celebrari conſuevit, juxta dicta ſuperiùs de Conſuetudine *cap.* 13. *qu.* 4. & 5. Tertiò, quando Sanctus qui Titulus eſt Altaris, nullo modo habetur in Calendario, licèt de eo non celebretur Of-

Caſus in quibus fieri debet de Patrono ſeu Titulo Altaris.

tur Officium; æquiſſimum tamen eſt, quod ait Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 12. *num.* 15. celebrari Miſſas ad illud Altare de ipſo Sancto, more feſtivo. Quartò, Quando Altare Titulus eſt beneficii, aſſentior ego quidem Gavanto dicenti *ſect.* 3. *cap.* 12. *num.* 16. Beneficiatum non poſſe adhuc de Patrono illius recitare Officium; ſed non ob eam rationem, quam ipſe affert. Nam eſto non agat ut de feſto primæ claſſis, indene ſequitur, (quod unicum Gavanti argumentum eſt) non poſſe alio ritu? præſtat ratio ſuprà allata, quòd Altare, non ad Officium, ſed ad certas Miſſas deſtinatum ſit.

Celebrari debet feſtum Patroni ſeu Tituli Cappellæ, quæ Titulus eſt Beneficii.

At quod ad Cappellam ſeparatam attinet, ſi ea Titulus eſt Beneficii, quandoque etiam pinguioris, ad quam fortè fiat quoque concurſus populi in feſto Patroni ſeu Tituli ipſius, non dubiùs aſſero, poſſe, imò & debere Beneficiatum qui ei præeſt, recitare de illo Sancto. Quidni enim veniat ejuſmodi Cappella nomine Eccleſiæ, ut à pari arguunt de immunitate Panormitanus in cap. *Eccleſiæ, num. 7. de immunitate Eccleſiarum*, Silveſter verbo *immunitas*, & alii. Neque urget contra quod ſuprà allatum eſt argumentum, Cappellam ejuſmodi non ad Officium eſſe deſtinatam: nam velim id quidem valere pro Monacho qui Choro Abbatiæ ſuæ, à qua pendet Cappella, addictus, Officium Chori mutare non debet: haud tamen quidquam inde concluditur contra Clericum ejuſmodi Cappellam, ut fit, in commendam poſſidentem: nam cùm is Choro Abbatiæ non ſit adſtrictus, & aliunde Cappellæ redditibus ſatis amplis potiatur; quid æquius quàm ut Patronum ſuum, cujus nomine tam multa bona ſuſcipit, hoc etiam Officii genere recognoſcat? Neque alienus eſt ab hac opinione Gavantus ipſe loco cit. *nu.* 17. ut legenti patebit.

QUÆSTIO IV.

Utrum dirutis Altari & Cappella, aut aliò tranſlatis, perſeveret nihilominus cultus Patroni ſeu Tituli utriuſque?

Stante cenſu Cappellæ vel Altaris diruti, ſtat quoque Patroni cultus.

RΕſpondeo à pari idem quod de Eccleſia reſponſum fuit *cap.* 4. *quæſt.* 6. nimirum ſtante Cappellæ vel Altaris cenſu cum juribus ac dependentiis ſuis, ſtare quoque ejuſmodi cultum, quantumvis ædificium dirutum fuerit; atque adeo præſtanda omnia perinde ac ſi ipſum adhuc eſſet integrum. Sin autem deletum eſt funditus aut abrogatum tam Beneficium quàm ædificium, deletus quoque omnis & abrogatus cultus cenſendus erit. Denique ſi deſtructo ædificio tranſlatus eſt Beneficii Titulus ad Altare aliud, aut ad aliam Cappellam ſeu etiam Eccleſiam, erunt quidem Miſſarum onera, & alia ſi quæ ſint, deinceps ut antè perſolvenda; cultus verò Patroni ſeu Tituli haud videtur retinendus, maximè ſi ipſum Altare aut Cappella, ad quam facta eſt tranſlatio, ſuum æquè Patronum ac Titulum habeat.

QUÆSTIO V.

An de Patrono ſeu Titulo Eccleſiæ dirutæ, & ad Altare aliquod aut Cappellam tranſlatæ feſtum fieri debeat?

Eccleſiæ dirutæ & aliò tranſlatæ Patronus coli debet ab iis qui percipiunt emolumenta.

CAſum hunc proponit Gavantus proximè cit. *num.* 17. & reſolvit affirmativè, dicens, æquum eſſe ut qui percipit emolumenta Eccleſiæ illius dirutæ, recitet Officium de Patrono ſeu Titulo illius in ejus feſto: quod & confirmat exemplo Eccleſiæ Vaticanæ S. Petri, quæ celebrat feſtum S. Blaſii ritu ſemiduplici, ob Eccleſiam ejuſdem Sancti cum emolumentis unitam Collegio Canonicorum S. Petri. Quæ ratio perinde valet pro celebrando feſto Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ non dirutæ quidem, ſed tranſlatæ, ſive ex toto, ſive ex parte, ad aliam Eccleſiam, aut Collegium, aut Hoſpitale, &c. ab iis in quorum favorem facta eſt ejuſmodi tranſlatio. Sed dum hoc rectè aſſerit Gavantus, videat quomodo ſtare poſſit quod antè dixerat, nimirum *ſect.* 2. *cap.* 2. *nu.* 26. recenſens cauſas varias, ob quas licitum non eſt mutare Officium, *Neque eò quia uniti ſunt redditus alicujus Eccleſiæ, vel unita ipſa Eccleſia Altari.*

Gavantus ſibi contrarius.

QUÆSTIO VI.

An feſtum de Sancto fieri poſſit vel debeat, eò quia Titulus eſt Præbendæ Canonicalis aut Dignitatis, aut quia penſionem quis habet ſuper aliquam Eccleſiam?

Nec Titulus præbendæ, nec penſio exigunt ut fiat officium de Sancto.

MOvet item Gavantus utramque hanc quæſtionem loco proximè cit. reſolvitque ſuo more negativè, nec ab ejus ego opinione diſcedo; tum quia qui præbendam aut dignitatem obtinet in aliqua Eccleſia, addictus eſt Choro illius Eccleſiæ, ſeque adeo cum illo in recitando privatim Officio debet omnimodè conformare; tum quia Titulus ejuſmodi, ad diſtinctionem præbendæ unius ab alia, potiùs ſuperadditus eſt, vel certè ad aliqua alia onera præſtanda, quæ Officium divinum nullatenus ſpectant. Penſio verò Titularem non facit, adeòque circa Officii rationem ad nihil exigentem obligat.

QUÆSTIO VII.

Quid cenſendum de Patronis ſeu Titulis Domorum hoſpitalium?

Variæ domorum hoſpitalium nuncupationes.

DOmus hoſpitalis, ſive ea ſit Noſocomium, ſive Orphanotrophium, ſive Brephotrophium, ſive Ptochotrophium, ſive Gerontocomium, ſive denique Xenodochium, de quibus l. *Illud*, & l. *Sancimus* 11. *Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis*, & 13. *q.* 8. *c. In qualibet*, Domus, inquam, hoſpitalis quæcunque locus quidem ſemper eſt pietatis ac miſericordiæ, at non continuò ſacer, niſi Epiſcopi authoritate exſtructus, vel etiam dotatus ac deputatus fuerit, cap. *Ad hæc, de Religioſis domibus*. Si ergo ſacra non eſt, neque etiam Sanctum Patronum aut Titulum habebit. Si verò ſacra eſt, vel eſt inſtar Beneficii Curati, vel Beneficii ſimplicis: ſi primum, venit nomine Eccleſiæ, ideòque de ejus Patrono ſeu Titulo, perinde ac de Patrono ſeu Titulo Eccleſiæ judicandum; multòque adhuc magis, ſi eſt ipſamet Conventualis aut etiam Collegiata Eccleſia: ſi ſecundum, quod de Cappella dictum eſt, de tali quoque domo dictum accipiatur.

Domus hoſpitalis ſi Eccleſia eſt, Patronum habet more Eccleſiæ.

SECTIO III.

DE multiplici Feſtorum propriorum genere hactenus, nunc quod reliquum eſt libri hujus, tribuendum certis Officiis, quæ feſta abſolutè ac per ſe nequaquam dici debent, ſed potiùs feſtorum appendices, & quidam veluti comitatus. Ejuſmodi ſunt Vigiliæ, & Octavæ in ſolemnioribus feſtis adhiberi ſolitæ, quibus annumerari etiam poteſt votivum Officium de Patrono, certo hebdomadæ die, ad inſtar Officii B. Mariæ in Sabbato, in aliquibus Eccleſiis more vetuſto uſitatum, de quibus ſingulis ſingula erunt capita.

CA-

CAPUT XVII.

De Vigiliis Festorum Propriorum.

Ut in magnificas Principum ædes, non pronus ex via publica, præcepíque illicò datur ingreſſus; ſed ingens præſtrui ſolet auguſtumque veſtibulum, quod dum adeuntea ſuſcipit ac moratur, dignam iis & de domus decore atque amplitudine, & de Principis ipſius majeſtate ac reverentia cogitationem injiciat: ſic ad magnas Feſtivitates celebrandas, æquum fuit, ut non derepente procederetur, nec niſi ea præparatione adhibita, quæ animos in majorem Myſterii, Sanctive, cujus cultus eſt, venerationem induceret. Et ad hoc inſtitutæ ſunt Vigiliæ ex antiquiſſima Eccleſiæ traditione, de quibus

QUÆSTIO I.

Quid & quæ ſint communes locis omnibus Vigiliæ?

Vigiliæ à vigilando dictæ.

Vigiliæ, ut ipſa fert nominis notatio, à vigilando dictæ, quòd primis Eccleſiæ temporibus ſolerent fideles in præcipuis Feſtivitatibus noctem in Eccleſia divinis laudibus traducere; de qua re inſignis eſt Auguſtini locus in Pſalmum 85.

Auguſtinus.

Si modò pugnamus contra nos, quamvis geramus domum ſomni carnem iſtam, & evigilamus in his luminaribus, & ſolemnitas iſta (S. Cypriani) *dat nobis animum vigilandi, dies illa* (æterna ſcilicet) *quales nobis vigilias dabit!* Ipſas verò vigilias qui à S. Ambroſio Mediolani ſanctæ Monicæ ſuaſione abrogatas fuiſſe aſſerunt, quòd iis plurimi ad ludos & choreas abuterentur, id cùm nonniſi ex adulterino quodam ſermone S. Auguſtini ad Fratres de Eremo proferant, rectè omnino refelluntur à Baronio *in Notis ad quintum Januarii*, & à Duranti *de Ritibus Eccl. lib. 3. c. 4. n. 7. & ſeq.*

Vigiliæ à S. Ambroſio haud abrogatæ.

Sed nec ipſum quoque ſatis conſtat, quod tamen à pleriſque jactatur, authore ni fallor Durando *in ſuo Rationali lib. 6. c. 7. n.* 8. Vigiliarum loco ſubrogatum fuiſſe jejunium: utrumque enim tam jejunium quàm Vigilias ab initio æquè ſervatum fuiſſe liquet, tum ex præfato ſermone ſuppoſititio S. Auguſtini, qui ſic habet, *Sciate fratres mei, quòd antiquitus patres noſtri fideles jejunare conſueverunt in vigiliis magnarum ſolemnitatum uſque ad noctem* &c. tum ex alio S. Ambroſii, cujus verba ipſa à Gratiano referuntur *diſt. 76. c. Noſſe*: Ubi parem in omnibus Feſti Pentecoſtes ac Paſchæ obſervationem commendans, ait, *Tunc enim, ſicut modò facimus, jejunavimus, Sabbato vigilias celebravimus, orationibus pernoctantes inſtitimus &c.* Idipſum quoque firmant egregiè verſus hi S. Paulini Natali ſeptimo S. Felicis:

In Vigiliis ſervatum quoque olim jejunium.

Auguſtinus.

Ambroſius.

Paulinus.

Noſtis eum morem, ut jejunare ſolemus
Ante diem, & ſero libatis veſpere ſacris
Quiſque ſuas remeare domos: tunc ergo ſolutis
Cœtibus à Templo Domini, poſtquam data feſſis
Corporibus requies, ſumpta dape, cœpimus hymnis
Exultare Deo, & Pſalmis producere noctem.

Nec obſtat quod habetur Can. *De jejunio*; *eadem diſt.* Vigiliam ſimul & jejunium celebrari non debere; non enim per jejunium intelligitur actio jejunandi, ſed ipſum jejunium Quatuor Temporum, quod dicto Canone cavetur ne fiat in vigilia Pentecoſtes.

Quod itaque poſterioribus ſæculis deſitum fuit ab ejuſmodi Vigiliis, id deſuetudini potiùs ac populorum negligentiæ tribuendum, quàm vel Bonifacii I. Decreto quod nullum extat, aut Canoni 5. Concilii Antiſſiodorenſis, quo Vigiliæ quidem anili ſuperſtitione in privatis ædibus ad honorem quorumdam Sanctorum inductæ prohibentur, non autem quæ in Eccleſiis ex antiquo ritu fieri conſueverant, quales etiamnum hodie in aliquibus inſignioribus Eccleſiis piè ac laudabiliter obſervantur, putà in Eccleſia Aurelianenſi in nocte Inventionis S. Crucis, in Eccleſia Cenomanenſi in nocte S. Juliani, in Eccleſia S. Martini Turonenſis, in nocte Feſti Tranſitus ejuſdem Sancti, imò & per univerſam Eccleſiam in nocte Nativitatis Domini,

Vigiliæ per noctem in præcipuis feſtivitatibus, alicubi adhuc ſervatæ.

Abolitis verò hac ratione Vigiliis, remanſit nihilominus vocis illius uſus ad ſignificandum jejunium, quod ſive jure ſive generali conſuetudine ſervatur pridie Feſtorum ſolemniorum: jure quidem in pervigiliis Nativitatis Domini, Aſſumptionis B. Mariæ, & omnium Apoſtolorum, prætterquam Philippi & Jacobi, ac Joannis Evangeliſtæ, *cap. Ex parte, & cap. Conſilium, de obſervat. jejun.* Generali verò conſuetudine vim præcepti habente, in pervigiliis Pentecoſtes, Nat. S. Joannis Baptiſtæ, S. Laurentii, & Feſtivitatis Omnium Sanctorum. Et verò ait Bern. ſer. de S. Andrea, *Non eſt tutum celebrandas ſuſcipere feſtivitates ſacras, niſi prius abſtinentia purificatione præmiſſa.*

Vigilia pro jejunio.

Vigiliæ in quibus ſervatur jejunium.

Bernardus.

Præter ſuperiores vigilias duæ ſunt aliæ à jejunio quidem immunes, Epiphaniæ videlicet & Aſcenſionis Domini; ideo tamen retentæ, quòd in iis ſolemnitatibus perinde atque in aliis, Vigiliæ olim ſolennes in Eccleſiis haberentur.

Vigiliæ Epiph. & Aſcenſionis ſine jejunio.

Porrò Græci non vigilias, ſed Profeſta appellant; eaque duntaxat adhibent ἐν ταῖς δεσποτικαῖς ἑορταῖς, in Feſtis Chriſto Domino & B. Virgini dicatis, videlicet in Nativitate Domini, Transfiguratione, Hypapante, Nativitate, Præſentatione, Annunciatione, & Aſſumptione B. Mariæ, in Exaltatione & Proceſſione vivificæ Crucis. Atque hæc de Vigiliis univerſim præmiſiſſe juverit; de Vigiliis verò locorum ſpecialium propriis ſit

Vigilias Græci profeſta appellant.

QUÆSTIO II.

An ex uſu ſit Eccleſiarum, præter receptas communiter Vigilias, alias quoque propriis ſuorum Patronorum feſtis præmittere?

Poteſt eſſe quæſtio, vel quoad jejunium tantùm, vel quoad Officium tantùm, vel quoad utrumque ſimul junctum. Si primum, multorum pia eſt ac laudabilis conſuetudo, tam Sæcularium quàm Regularium, ut in pervigiliis ſuorum Patronorum, ſive ex devotione, ſive ex ſtatuto & ordinatione aliqua particulari jejunium ſervent; quod de Carthaginenſibus in pervigilio S. Cypriani, & de Mediolanenſibus in pervigilio SS. Gervaſii & Protaſii, teſtatur author ſermonis citati ad Fratres de Eremo, & confirmat Galeſinius in Notis ad quintum Januarii; ſed hoc nihil jam ad noſtrum inſtitutum ſpectat.

Jejunium ſervatur à multis in vigilia Patronorum.

Vigiliæ verò Officium ſeu Miſſam, abſque tamen ullo jejunio celebrare, in more poſitum eſt apud multas Eccleſias, idque non uno modo. Nam aliæ Miſſam quidem ordinant de Vigilia, non autem Officium, ut Andegavenſis in vigiliis Nativitatis B. Mariæ, S. Maurilii, & S. Martini: aliæ Officium quoque admittunt more conſueto vigiliarum, ut Pariſienſis in vigilia S. Dionyſii: aliæ pronunciato ſtatim Martyrologio auſpicantur à Tertia Officium ſimul & ſolemnitatem, ut Eccleſia S. Martini Turonenſis in utroque Feſto Tranſitus & Tranſlationis ejuſdem Sancti.

Officium Vigiliæ varia celebrandi ratio.

Denique eorum qui jejunium Officio adjungunt unum tantùm & alterum exemplum mihi ſuppetit, Ambianenſis videlicet Eccleſiæ in pervigiliis S. Firmini Epiſc. & mart. & SS. Fusciani, Victorici & Gentiani mart. & Eremitarum Auguſtinienſium in pervigilio S. Auguſtini. Fortè etiam ejuſmodi

Vigiliæ cum jejunio & officio ſervatæ.

ſunt

ſunt Vigiliæ quas refert Radulphus Tungrenſis ex Officio Ambroſiano, propoſ. 19. SS. Gervaſii & Protaſii, Nazarii & Celſi, Naboris & Felicis, Simpliciani & Dionyſii; item S. Lamberti apud Leodienſes, & S. Martini apud Trajectenſes.

QUÆSTIO III.

An legitimus ſit ejuſmodi Vigiliarum uſus?

Laudabilis eſt uſus vigiliarum ejuſmodi, ubi jure proprio, vel conſuetudine legitima pridem eſt receptus.

RESpondeo: Cùm Eccleſiæ illæ, in quibus receptus eſt, inſignes ſint ac Titulares, quæ ſuo item gaudent Breviario proprio; non tantùm legitimus eſt ejuſmodi uſus, ſed etiam venerandus ac laudabilis, adeòque jure retinendus. Quoad verò alias Eccleſias, quæ Romano Breviario mancipatæ ſunt, ſi talis etiam uſus apud illas inductus eſt ex legitima pridem conſuetudine, qualem ſuprà deſcripſimus *c.* 13. *q.* 4. & quæ nuſquam interrupta fuerit, non video, quid neceſſe ſit eum abrogare, maximè cùm id patitur ratio temporis, nec aliud occurrit impedimentum. Nam velim id ſit præter Rubricas quidem, at non contra; aliunde laudabiles cujuſque Eccleſiæ conſuetudines, qualis haud dubiè iſta eſt, nullatenus tolli à Rubricis Breviarii Romani, declaravit ſæpiùs ſacra Rit. Congr. ait Gavantus ejuſdem Congregationis Conſultor, *ſect.* 10. *Comment. Brev. c.* 2. *n.* 1.

Non debet de novo uſus iſte induci.

Ubi verò talis uſus incognitus fuit hactenus, haudquaquam eum legitimè induci poſſe crediderim, cùm nihil ſimile in Rubricis permittatur: neque probabile eſt, ſi fuiſſet jejunio jungendum Vigiliæ Officium, id tacituram fuiſſe Rubricam de Vigilia, cujus proinde ſilentium hac in parte pro negatione haberi debet. Eſto ergo, jejunetur in menſa, ſi lubet; haud tamen propterea Officium diei immutare, aut aliquid addere fas eſt ſine facultate, quam obtinuiſſe Auguſtinienſes vel ex eo conſtat, quòd eorum Proprium totum quantum eſt authoritate Apoſtolica ſit approbatum.

QUÆSTIO IV.

Quibus anni temporibus Vigiliis celebrandis locus non eſt?

Temporibus Adventus, Quadrageſimæ, ac Paſchali, officio vigiliæ non ſit locus.

RESpondeo, ex hypotheſi quòd admittantur, perperam uſu Romano iis decerni Officium in Tempore Adventus & Quadrageſimæ: in neutro enim de vigiliis occurrentibus fit Officium vel Commemoratio. Poſſet tamen in Adventu Miſſa ordinari, ut fit in vigilia S. Thomæ. Tempore verò Paſchali, ſicut & in Natali Domini, ſaltem uſque ad Octavam Epiphaniæ incluſivè, nec Miſſæ, nec Officio eſt locus, ut à pari de SS. Philippo & Jacobo, ac Joanne Apoſtolis colligitur. Si quis fortè alicubi alius eſt Eccleſiarum uſus, de eo dicetur pleniùs, ubi de ordinando Officio diſputabitur.

QUÆSTIO V.

An omittendum ſit præſcriptum in Calendario Vigiliæ Officium, iis in locis in quibus non ſervatur jejunium?

Vigiliæ aliquot Apoſtolorum in plerìſque Galliæ locis minimè jejunari ſolitæ.

EX Vigiliis tredecim, quæ in Calendario Romano deſcribuntur, præter Vigiliam Epiphaniæ quæ nullibi jejunatur, ſunt & aliæ quatuor, quarum jejunium in cunctis ferè Galliæ diœceſibus ſervari minimè conſuevit, videlicet Apoſtolorum, Matthiæ, Jacobi, Bartholomæi, & Thomæ; quo verò id jure, dici vix poteſt. Durandus quidem loco nuperrimè citato varias affert rationes ex ſpurio illo S. Auguſtini ſermone ad Fratres de Eremo deſumptas, nimirum de S. Jacobo, quòd non diem mortis ejus, quæ circa Paſchæ feſtum contigit, celebremus, ſed Tranſlationis; de S. Bartholomæo, quòd una die fuerit excoriatus, & ſequenti obierit, ex quo fit ut rejicienda eſſet Vigilia in tertium diem. De SS. denique Thoma & Matthia, quòd hujus feſtum ſæpè ſæpiùs in Quadrageſimæ tempus, illius ſemper in Adventum incidat. Sed hæ rationes omnes futiles ſunt ac ludicræ: quamquam neſcio, an non fortè ob hanc ultimam in Diœceſi Carnutenſi ceſſet jejunium in vigiliis S. Thomæ & S. Matthiæ, quod ſervatur nihilominus in vigiliis S. Jacobi & S. Bartholomæi. Utut ſit, cauſam non puto legitimam afferri poſſe aliam, quàm ipſummet uſum ac conſuetudinem, qua utique legi derogatum fuit.

In aliquibus Eccleſiis non fit officium de Vigiliis non jejunatis. *Eccl. Rhemenſis. Bituricenſis. Turonenſis. Andegavenſis. Aurelianenſis.*

Hoc verò ſic poſito, quæſtioni præmiſſæ fit locus, cui ſi affirmativè reſpondeas, faventem habebis inſignium aliquot Eccleſiarum uſum, videlicet Rhemenſis, Bituricenſis, Turonenſis, Andegavenſis, Aurelianenſis, & aliarum, in quarum Calendariis nullum præſcribitur Officium de Vigiliis ejuſmodi non jejunatis. Quin & favere videtur etiam *Rub.* 6. *n.* 1. in qua disertè habetur, *De Vigilia fit Officium in omnibus vigiliis per annum quæ jejunantur*. Ex quo inferas: ergo ſi non jejunatur, neque etiam fit Officium.

Verior opinio fieri debere.

Eſt nihilominus negativa verior & certior: illud enim Rubricæ eit. *De Vigilia fit Officium* &c. non ſic accipiendum eſt, ut ſi fortè non jejunetur, protinus etiam non fiat Officium; ſed vox illa, *quæ jejunantur*, addita eſt ad diſtinctionem Vigiliarum Epiphaniæ & Aſcenſionis, quæ ex proprietate ſua minimè jejunantur: quæ explicatio confirmatur ex ſequentibus verbis ejuſdem Rubr. *Excipitur ab hoc Ordinaria Vigiliarum quæ jejunantur, Vigilia Pentecoſtes*: ubi vides duo quaſi conſtitui genera Vigiliarum, earum videlicet quæ jejunantur, ſeu jejunabilium, & illarum quæ non jejunantur, ſeu non jejunabilium: hujus poſtremi generis ſunt Vigiliæ Epiphaniæ & Aſcenſionis, prioris verò aliæ omnes, à quarum ordinario excipitur Vigilia Pentecoſtes. Quòd ergo Vigiliæ illæ quatuor non jejunentur, per accidens eſt, ſemper enim ex ſe jejunabiles ſunt, imò & jure communi jejunandæ, unde & Officium de iis fieri debet, perinde ac ſi jejunarentur. Eſtque hic ſenſus Eccleſiarum Senonenſis, Pariſienſis, Rothomagenſis, Ebroicenſis, Conſtantienſis, & aliarum multarum, in quarum Calendariis propriis ejuſmodi vigiliæ deſcribuntur, & de iis Officium præſcribitur, quantumvis non jejunentur. Quin & in Nannetenſi proprio, cujus Eccleſiæ alius uſus non eſt quàm Romanus, expreſsè apponitur, *Vigilia cum precibus ſine jejunio*. Contrarius verò adductus aliarum Eccleſiarum uſus nihil urget, cùm ipſæ ſuo utique Breviario proprio potiantur, quod pro nutu, quantum ad hoc, ordinare atque aptare licitè potuerunt.

Duo genera Vigiliarum.

In plerìſque Eccleſiis fit officium de Vigiliis non jejunatis. *Eccl. Senonenſis. Pariſienſis. Rothomagenſis. Ebroicenſis. Conſtantienſis.*

QUÆSTIO VI.

An & quo jure ſervandum ſit jejunium in vigilia Pentecoſtes?

OPportuna nimis ſe offert dubii hujus explicandi occaſio, quàm ut omittatur; uſus ſiquidem locorum hac in parte varius eſt, ſervantibus aliis jejunium, aliis non ſervantibus; utri meliùs?

Rationes cur non ſervandum jejunium in vigilia Pentec.

Qui non ſervant, his nituntur argumentis, Primò quòd hæcce Vigilia minimè cenſeatur, *cap. Conſilium, & cap. Ex parte, de obſervat. jejun.* quæ tamen duæ ſunt Decretales, ex quibus jejunium de præcepto obſervantia colligitur. Secundò quòd totis quinquaginta diebus à Paſchate ad Pentecoſtem, nulla ſint Eccleſiaſtica ſanctione conſtituta jejunia, *Can. Jejunium, Can. Scire*

debet,

debet, *Can. Poſt Paſcha*, *Can. Utinam diſt.* 76. His accedit D. Thomæ authoritas 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 5. *ad tertium* docentis, *Jejunia quæ præcepto Eccleſiæ inſtituta ſunt, eſſe jejunia afflictionis, quæ non conveniunt diebus lætitiæ, propter quod non eſt jejunium ab Eccleſia inſtitutum in toto tempore Paſchali, nec etiam in diebus Dominicis.*

D. Thomas.

Rationes cur ſervandum. *Ambroſius.*

Qui contra aſſerunt ſervandum eſſe jejunium, expreſſam habent D. Ambroſii authoritatem relati eadem diſt. 76. *Noſſe credo vos fratres: non minori lætitia celebramus diem Pentecoſtes, quàm diem ſanctum Paſchæ celebrandum curavimus; tunc enim ſicut modo facimus, jejunavimus, Sabbato vigilias celebravimus, orationibus pernoctantes inſtitimus. Unde neceſſe eſt, ut ſimilem obſervantiam ſimilis lætitia conſequatur.* Et Gloſſa ibidem: *Vigilia Pentecoſtes neceſſariò jejunanda eſt.* Item Angelus, verbo *jejunium, num.* 7. *ad finem: Verius videtur ex neceſſitate præcepti tale jejunium eſſe ſervandum.*

Silveſter. Cajetanus. Azor.

Verior ſententia jejunium eſſe ſervandum, generali Eccleſiæ conſuetudine.

Hanc verò controverſiam ſic temperat Silveſter verbo *jejunium num.* 4. Cajetanus 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 5. Azor *lib.* 7. *c.* 13. *quæſito ſecundo*: Ut veline jure quidem communi haud indictum eſſe jejunium; ipſum tamen generali Eccleſiæ conſuetudine, quæ legis ac præcepti vim habet, omnino eſſe ſervandum. Quam ego ſententiam ſic valere arbitror, ut contrariam proſus improbem. Nam licèt Canon ille *Noſſe* vim præcepti haud obtineat, nec qua Gratiani eſt Collectoris, nec qua Ambroſii aut cujuſvis alterius hortantis hoc loco dumtaxat, non verò præcipientis; ex eo tamen manifeſtè colligitur recepta tum atque uſitata jejunii hujus ſervandi conſuetudo, quam eſſe generalem, adeòque vim habere, præcepti ſupponunt verba iſta Rubric. 6. de Vigiliis numero 5. *Excipitur ab hoc Ordinario Vigiliarum quæ jejunantur vigilia Pentecoſtes* &c. Item Rubric. de precibus ſerialibus, ad Laudes & Veſperas, *In vigiliis quæ jejunantur, excepta vigilia Nativitatis, & Vigilia ac Quatuor Temporibus Pentecoſtes.* Miſſa item ſolemnis in hac vigilia poſt Nonam, more dierum jejunii indicitur celebranda ex Rubr. propria, cùm in Vigilia Epiphaniæ poſt Tertiam, & in Vigilia Aſcenſionis poſt Sextam celebretur. Adſtipulatur denique uſus Diœceſium, Rothomagenſis, Bituricenſis, Turonenſis, Pariſienſis, Aurelianenſis, Abrincenſis, Maclovienſis, Venetenſis, Coriſopitenſis, & aliarum longè plurium quàm earum in quibus non jejunatur, quæ paucæ ſunt admodum, vixque una inter decem. Quin & refert Glaber *hiſt. lib.* 3. *cap.* 3. inter varias quæſtiones, quas plerique Epiſcoporum in Italia & Galliis circa annum 1004. in ſuis Synodis tractarunt, de jejuniis, quæ plerique fidelium inter Aſcenſionem Salvatoris & Pentecoſtem obſervabant, eos ita decreviſſe, *ut ne per imperium Sacerdotum fierent, excepto Sabbato Pentecoſtes*: ergo in Sabbato Pentecoſtes tunc temporis de præcepto Sacerdotum erat jejunandum.

Probatur ex variis locis Rubricarū.

Eccl. Rothom. Bituricenſis. Turonenſis. Pariſienſis. Aurelianenſis. Abrincenſis. Maclovienſis. Venetenſis. Coriſopitenſis. Glaber.

Solvuntur rationes contrariæ.

Rationes verò in contrarium adductæ, facilè meo quidem judicio diſſolvi poſſunt. Quòd enim ajunt primò nullum in Decretalibus jejunii hujus extare præceptum, idem licebit arguere de Vigiliis S. Joannis Baptiſtæ, S. Laurentii, & Omnium Sanctorum, quæ tamen ubique ſunt de præcepto, ex generali videlicet conſuetudine vim legis obtinente. Secundò, citari Canones de non indicendo jejunio inter Paſcha & Pentecoſtem, de iis dumtaxat agunt jejuniis, quæ ex more uſitato aliis anni temporibus ſervari deberent, putà in Vigilia Apoſtolorum Philippi & Jacobi, quam idcircò à jejunio exemptam expreſſè aſſerit Cap. *Conſilium*, quòd ſemper occurrat tempore Paſchali; cui profectò pari jure addenda erat Vigilia Pentecoſtes, ſi ea utique à jejunio fuiſſet eximenda. Tertiò denique, ad authoritatem S. Thomæ dicendum, eſſe quidem jejunium aliud afflictionis, ſeu mœroris ac luctus, & aliud lætitiæ, ſeu gaudii & exultationis; ſed utrumque ab Eccleſia poſſe æquè inſtitui ac præcipi, ut de facto Vigilia ipſa & quatuor Tempora Pentecoſtes appellantur communiter à Durando & aliis Rituum Commentatoribus *jejunia exultationis*. Quin & præcipi etiam jejunium aliquod afflictionis tempore Paſchali, conſtat ex ipſis Litaniis majoribus S. Marci, & minoribus Rogationum, quibus diebus, licèt imperfectum ſervetur dumtaxat, ſeu ut vocat Tertullianus portionale jejunium, quod in ſola carnium abſtinentia conſiſtit; ſunt tamen dies illi ex Auguſtino *ſerm.* 137. *de Tempore* dies compunctionis & pœnitentiæ; in quibus, ait Sidonius Apollinaris *Epiſt.* 14. *lib.* 5. *jejunatur, oratur, pſallitur, & fletur*; dictæque iden Proceſſiones illæ nigræ, teſte Durando *lib.* 6. *c.* 112. quòd in ſignum mœroris & pœnitentiæ homines nigris veſtibus induerentur, cruceſque & altaria nigris palliis velarentur. Neque tamen ob id diſcontinuatur Paſchalis lætitia, ſubdit Gloſſa in c. *Jejunium*, dicente lege, quòd perennis eſt ſive continuus fluvius, licèt quandoque exareſcat, *ff. de fluviis l. prima.*

Replicantur citati Canones.

Jejunium aliud afflictionis, aliud exultationis.

Auguſtinus. Sidon. Apollin. Durandus.

Ex his demum concludas, quibus in locis non jejunatur hæc vigilia, factum id conſuetudine non admodum laudabili; quæ tamen, quia invaluit, peccati periculum removet; optandum tamen eſſet, ut ea revocaretur. Ubi verò jejunatur, retinendam piam ejuſmodi conſuetudinem, quæ quia inſtar eſt & vim habet legis generalis, omnino debet, nec verò enim poteſt ab Epiſcopis ſeu locorum Ordinariis legitimè abrogari.

Concluſio totius quæſtionis.

CAPUT XVIII.

De Octavis Feſtorum Propriorum.

Altera Feſti comes eſt ac veluti pediſſequa Octava, quæ ipſum extendit ac prorogat, ut Vigilia prævenit. Nam ut ait Radulphus Decanus Tungrenſis, lib. de Canonum obſervantia propoſ. 19. *Cùm feſtivitatum termini regulariter ponantur de Veſpera in Veſperam, magnitudo feſti id exigit, ut prius incipiatur, & tardius terminetur*; primum præſtat Vigilia, ſecundum Octava.

Rad. Tungrenſis.

Porrò de Octavarum origine, cauſis ac ritu, qui multa ſcitu digniſſima volet addiſcere, brevem ſed accuratum legat Gavanti de ea re tractatum, quem ipſe in fronte ſui Octavarii, proœmii loco appoſuit. Mihi ſat eſt unum hìc quod rei noſtræ conducit admodum, prænotare; Octavas videlicet, cùm præcipuæ ac dignioris præ aliis Feſtivitatis indices ſint ac notæ, haudquaquam tritas debere eſſe nec vulgares. Et verò quindecim dumtaxat in univerſali Eccleſia celebrantur; videlicet Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Nativitatis & Aſſumptionis B. Mariæ, S. Joannis Bapt. SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, S. Stephani, S. Joannis Apoſtoli & Evang. SS. Innocentium, & Laurentii, & Omnium Sanctorum: quarum tres S. Stephani, S. Joannis, & SS. Innocentium, ita ſunt cum Octava Nativitatis Domini & cum ſeſe invicem complicatæ, atque immixtæ, ut nonniſi pro una ferè computari queant. Quatuor verò aliæ S. Joannis Bapt. SS. Apoſt. Petri & Pauli, S. Laurentii, & Omnium Sanctorum, etiamnum adhuc in aliquibus Breviariis propriis deſiderantur. Imò & Octavam Aſcenſionis in Eccleſiis Moguntina, Conſtantienſi, & Herbipolenſi non celebrari refert Schultingius to. 3. parte 1. ubi de Aſcenſione; ſed hoc valdè heteroclitum eſt. Quod verò ad proprias locorum feſtivitates attinet, quàm parcæ

Gavanti Tractatus de Octavarum origine &c.

Octavæ non debent eſſe vulgares.

Octavæ 15. generales.

fuerint

Digitized by Google

fuerint hac in parte nobiliores Eccleſiæ, conſtabit ex dicendis ſequentibus quæſtionibus.

QUÆSTIO I.

Quorumnam Feſtorum propriorum fieri debeant Octavæ?

AUdi, vel lege, ſi vis, textum Rub. 7. de Oct. nu. 1. *In feſto Dedicationis propriæ Eccleſiæ, & in feſto principalis Patroni & Titularis loci vel Eccleſiæ, & in feſtis aliorum Sanctorum, quæ apud quaſdam Eccleſias, Congregationes, & Religiones conſueverunt ſolemniter cum Octavis celebrari*. Quæ tria capita ſuis quæque difficultatibus non carent, propriis quæſtionibus ſingillatim evolvendis.

QUÆSTIO II.

Cujuſnam Eccleſiæ Dedicationis Octavæ fieri debeant?

Non fit Octava Dedicationis niſi propriæ Eccleſiæ.

SIgnanter dicit Rubrica proximè cit. *In feſto Dedicationis propriæ Eccleſiæ*, nimirum ad excluſionem alienæ, cujus etſi fortè aliqua ex cauſa feſtum Dedicationis fiat, non ideo tamen Octava. Excipitur nihilominus Eccleſia Cathedralis, cujus Dedicationis feſtum cum Octava in Civitate celebrari debere, declaravit Sacra Rituum Congreg. 2. *Maii* 1619.

Item & Cathedralis in Civitate.

Non eſt facienda in Civitate ſi non fiat in ipſamet Cathedrali. Eccl. Bajoceſis.

At ſi nec ipſa Eccleſia Cathedralis de ſua propria Dedicatione Octavam facere conſuevit, uti Bajocis obſervavi, facientne aliæ Civitatis Eccleſiæ? Non puto, quia ſi propter quod unumquodque tale, & illud magis; certè ſi illud minus, minus & eſſe debet unumquodque, quod propter illud tale eſt. Nec obſtat quod de Patrono loci à pari ex Gavanto *ſect.* 3. *c.* 12. *n.* 8. poſſet objici, nam Patronus loci æquè primò ſingulas loci Eccleſias attingit, Dedicatio verò Eccleſiæ Cathedralis non item; primariò enim ipſam tantùm Cathedralem ſpectat, ſecundariò verò & ex conſequenti, cæteras.

Nulli feſto magis congruit Octava quàm Dedicationi Eccleſiæ.

Eſſet tamen operæ pretium, ſi in ipſamet Cathedrali Eccleſia Dedicationis propriæ Octava more communi inſtitueretur, ob hanc vel unam cauſam maximè, quòd nulli feſtivitati ratio ipſa Octavæ quadret magis quàm Eccleſiæ Dedicationi; quippe cùm Octavarum celebritas ab ipſis antiquis Judæorum ritibus ſanctè & piè mutuata ſit, ut docent communiter qui de Eccleſiæ ritibus ſcripſere, ſi reliquas feſtivitates, præter unam Tabernaculorum, non ultra ſeptimum diem prorogabant; at in Templi Dedicatione, vel Inſtauratione, aut Expiatione, totis octo diebus feſtum ſolemne agebant, ut conſtat ex Scripturæ teſtimoniis, 3. *Reg.* 8. 1. *Par.* 19. & 1. *Machab.* 4. Quòd ſi ad Myſterium inſuper attendas, cùm Octava ex communi SS. Patrum ſenſu æternam animarum corporumque glorificationem repræſentet, nulli certè feſtivitati congruentiùs debetur, quàm ipſimet Eccleſiæ Dedicationi, quæ tota quanta eſt, quantumque ſonat ejus Officium, futuræ illius glorificationis expreſſio eſt, & quaſi quædam delineatio: ſit enim, ait præclarè Durandus *lib.* 6. *c.* 1. *n.* 45. *in ſignum quòd dedicabitur Eccleſia, extrema & pleniſſima Dedicatione, id eſt, copulabitur Chriſto, dicari enim eſt copulari*: & S. Thomas 3. *p. qu.* 83. *art.* 3. *ad* 4. *Propter quod octo diebus ſolemnitas Dedicationis agitur, ad ſignificandam beatam Reſurrectionem Chriſti & membrorum Eccleſiæ.*

Octava æternam animarum corporumque glorificationem repræſentat.

Durandus.

S. Thomas.

QUÆSTIO III.

Quis ſit principalis ille Patronus & Titularis loci vel Eccleſiæ, in cujus feſto fieri debet Octava?

Patronus ſeu Titulus cujuſlibet Eccleſiæ.

PRimò, eſt Patronus ille ſeu Titulus cujuſlibet Eccleſiæ, quem deſcripſimus *quæſt.* 1. *cap.* 3. is videlicet Sanctus, ſeu id Myſterium, ſub cujus nomine fundata eſt quælibet Eccleſia, & à quo vulgariter nuncupatur.

Patronus loci.

Secundò, Eſt Patronus loci, non quilibet, ſed is quem unum præ aliis univerſus loci Clerus ac populus, ſive perpetuo uſu ac traditione à majoribus accepta, ſive legitima facta electione, tamquam peculiarem apud Deum interceſſorem, propriumque ſuffragatorem colit & obſervat, ut dictum eſt *q.* 1. *cap.* 6.

Patronus Ordinis.

Tertiò, His annumerandus haud dubiè apud Regulares, Fundator ſeu Inſtitutor Ordinis, ſive quilibet alius Patroni Titulive loco habitus, prout definivimus *q.* 2. *c.* 14.

His Patronis utpote Principalibus debetur Octava.

Et hi quidem Patroni cùm principales ſint in ſuo quique genere, tales omnino ſunt, in quorum feſto ex Rubricæ hujus textu quem tractamus, fieri debet Octava; nec de hoc ullam puto poſſe moveri controverſiam. Nam quod ait Rubrica *In feſto* in ſingulari, item *Loci vel Eccleſiæ*, ſub diſiunctione, non hoc innuit unius tantùm faciendam eſſe Octavam, & quidem alterutrius; ſed illius qui principalis eſt, ſupple, in ſuo genere; adeò ut & Patrono ſeu Titulo Eccleſiæ ſua debeatur Octava, & ſua item Patrono communi loci, vel Religionis, utpote in ſuo quibuſque genere principalibus. Quòd ſi, uti nonnunquam contingit, idem ſit & Eccleſiæ particularis, & loci ſeu Religionis Patronus ſeu Titularis, unica tum quoque erit Octava: & ob id fortè poſita eſt præfata diſiunctio, quæ poteſt facilè etiam explicari ex dictis *q.* 2. *c.* 3. nimirum Patronum ac Titulum ſive loci ſive Eccleſiæ in Rubricis ſæpè invicem confundi, & alterum pro altero ſumi.

QUÆSTIO IV.

An plures poſſint eſſe ejuſmodi principales Patroni?

Patronus ſeu Titulus Eccleſiæ non niſi unus eſt ut plurimùm.

COlligenda reſponſio ex dictis ſuperiùs variis in locis; & quidem quod ad Patronum attinet ſeu Titulum cujuſlibet Eccleſiæ, dictum eſt q. 3. c. 3. ut plurimùm non dari niſi unum, aut ſi plures numerentur, nonniſi per modum unius. Sicubi tamen contingat plures dari etiam ſeorſim ac diſiunctim, unus duntaxat ex mente Gavanti *ſect.* 3. c. 12. *n.* 6. pro principali eſt habendus, is videlicet, qui in Dedicatione primus fuit nominatus; cæteri ut minùs principales: adeòque ſolus ille, non item iſti Octava donandi.

Patroni loci & Religionis ſi plures fuerint unus tantum principalis habendus.

Patronos verò loci itidem & Religionis duos treſve aut etiam plures non rarò dari, noſtra fuit quidem aſſertio *qu.* 5. *c.* 6. & *q.* 3. *c.* 13. hoc tamen ordine, ut unus duntaxat principalis locum teneat, cæteri minùs principalium; & illi quidem certum eſt ex hocce textu tribuendam Octavam; illis verò non item, niſi alio ex capite corrogetur; de quo poſtea.

QUÆSTIO V.

An de principali Patrono plures poſſint fieri Octavæ?

FAcit huic dubio locum multarum Eccleſiarum uſus, quæ Patroni ſeu Tituli ſui plura feſta annuatim celebrantes, putà Tranſitus, Inventionis,

nis, Translarionis &c. plures quoque Octavas non paucæ adhibent. En tibi aliquatum exempla. In Eccleſia Aurelianenſi fiunt Octavæ utriuſque feſti tam Inventionis quàm Exaltationis S. Crucis. In Rhemenſi Viſitationis B. Mariæ. In Bajocenſi Conceptionis & Purificationis ejuſdem. In Ordine Carmelitano omnium ejuſdem Feſtivitatum, excepta Annunciatione. In Senonenſi, Bituricenſi, Cadurcenſi & aliis S. Stephano dicatis, Inventionis ejuſdem. Addit & Bituricenſis, Translationis. In Eccleſia S. Martini Turonenſis, Tranſitus & Translationis ejuſdem Sancti; ſicut & S. Auguſtini apud Præmonſtratenſes, & S. Genovefæ in Eccleſia propria Pariſiis, & aliorum plerorumque alibi: de quibus univerſim ſic ſtatuo.

In multis Eccleſiis plures fiunt Octavæ de Sancto Patrono ſeu Titulari.
Eccl. Aurel. Rhemenſis. Bajocenſis. Ordo Carm. Senon. Bitur. Cadurcenſis. Tur. S. Martini. Præmonſtrat. S. Genovefa Par.

Eccleſiæ quæ Breviarii proprii jure gaudent, quales ſunt ferè omnes recenſitæ, cùm Romani legibus haud teneantur, nulli hac in parte cenſuræ ſunt obnoxiæ, ſed ſuos poſſunt ipſæ proprios ritus tutò retinere: poſſunt verò etiam, ſi quid ex iis minùs congruat, cùm libuerit, immutare. Cæteræ quæ Romano uſui ſubjectæ ſunt, regulariter non poſſunt ſine privilegio niſi unam ſui Patroni ſeu Tituli Octavam admittere. Dixi regulariter, ut quoſdam caſus liberum eſſet excipere.

Regulariter nonniſi una Octava de Patrono ſeu Titulari admittitur.

Primò, Si eſt contraria conſuetudo legitima, eo modo quo de aliis Octavis ex conſuetudine declarabitur infrà q. 9.

Secundò, Si Eccleſiæ Titulus proprius fuerit Myſterium aliquod Chriſti Domini, putà Transfiguratio; vel B. Mariæ, putà Conceptio, Præſentatio, Viſitatio, Purificatio, &c. aut denique Sancti alicujus feſtum aliud quàm Natale; putà S. Petri ad Vincula, Converſio S. Pauli, S. Joannis ante portam Latinam, Decollatio S. Joannis Bapt. &c. certum eſt in eo caſu præter Octavas Feſtorum ipſius Chriſti Domini, aut B. Mariæ, aut Sanctorum illorum, quæ omnibus Eccleſiis communes ſunt, peculiarem aliam fieri debere de ejuſmodi Titulo proprio. Patet, tum ex Rubr. cit. *In feſto principalis Patroni & Titularis* &c. tum ex Octavario Gavanti à Pontifice approbato, in quo pro Octavis ejuſmodi feſtorum poſitæ ſunt lectiones propriæ. Hìc verò obſerves velim in Eccleſiis B. Virgini dicatis generatim, non autem ſub aliquo ejus myſterio ſpeciatim, haudquaquam omnium illius ſolemnitatum faciendas eſſe Octavas; (idemque à pari ſentiendum de Eccleſiis S. Petri, S. Joannis & ſimilibus) exemplo ſint nobiliſſimæ Eccleſiæ, Rothomagenſis, Pariſienſis, Carnutenſis, Ambianenſis, Noviomenſis, Atrobatenſis, Ebroicenſis, Conſtantienſis, & aliæ ejuſdem Virginis patrocinio inſignes, quæ omnes Octavis Aſſumptionis & Nativitatis contentæ, nullius alterius uſum habent. Si quæ verò aliæ ſecus faciunt, id legitimæ conſuetudini vel privilegio tribuendum, quod temerè ab aliis ac ſine majorum permiſſo non debet uſurpari. Obſerva item non duas propriè S. Crucis Octavas ab Eccleſia Aurelianenſi celebrari, ſed unam, videlicet Exaltationis: nam infra Octavas Inventionis, fit de Octava Dedicationis Eccleſiæ, quæ cum ipſomet Inventionis feſto pariter concurrit.

Fit Octava Tituli proprii, qui eſt de Myſterio aliquo Chriſti Domini aut B. Mariæ aut de feſto ſecundario Sancti.

In Eccleſiis B. Mariæ dicatis generatim, non ſunt faciendæ octavæ omnium illius feſtivitatum.
Ecc. Rothom. Pariſ. Carn. Ambian. Noviom. Atrebat. Ebroicenſis. Conſtantienſis.

Una tantùm fit Octava S. Crucis in Eccleſia Aurelianenſi.

Tertius caſus eſt, quando feſtum Patroni licèt ſecundarium duntaxat, ita tamen ſolemne evaſit, ſive ex concurſu & complicatione variarum ſolemnitatum, putà Ordinationis, Inventionis, Translationis, Dedicationis Eccleſiæ &c. ſive ex ſignorum eventu, quæ aliàs divinitus ea occaſione facta ſunt, ut Natali ſeu ipſimet primario ejuſdem feſto æquiparetur. Tunc enim feſto ejuſmodi Octavam, ut & Natali tribuere haud alienum putaverim. Sed obſerva id tantùm contingere in illis majoribus Eccleſiis, quæ illuſtris alicujus Sancti non tantùm nomine, ſed etiam corpore ſacriſque exuviis, jam inde ab illius tranſitu, aut celebri Translatione inſignes ſunt, ac proinde propriiſſima appellatione

Tribuitur Octava feſto ſecundario Patroni, quod æquale eſt primario ejuſdem.

In quibus Eccleſiis id contingat.

Guyet. Heortologia.

dicuntur memoriæ; qualis eſt Turonis Baſilica S. Martini, in qua præter Octavam Tranſitus ejuſdem Sancti, ſolemnis quoque eſt Octava Translationis, ob rationes quas adduxi ſuprà *quæſt. 9. capitis* 8. Hincque fortaſſis ortum habuit, quòd pia hujus Eccleſiæ æmulatione aliæ multæ ſuorum æquè Patronorum Translationes cum Octava celebrent: at non pari jure, niſi & paris ſint notæ ipſæ Eccleſiæ, & cauſa tantæ celebritatis iis æquè propria ſit: unde & ipſa Translatio S. Martini licèt ſolemni etiam feſto recolatur ab Eccleſia Majoris Monaſterii, imò & à tota Diœceſi Turonenſi, cujus ipſe Patronus eſt; non tamen cum Octava.

Eccl. S. Mart. Tur.

QUÆSTIO VI.

Patroni ſeu Tituli, cujus plura ac varia ſunt feſta, cui illorum tribuenda Octava?

Certum eſt ſolemni principali eſſe tribuendam. Solemne autem principale, (quod ita appellatur *Rub. 9. num. 4.*) quoad Sanctos attinet, eſt Natale ipſorum, ſeu dies, quo ex hac mortali vita ad æternam feliciter tranſierunt. Quoad verò Myſteria, dies, quo ipſa peracta ac completa ſunt; vel ſi fortè dies ille dubius ſit, quilibet alius, quo Natale ſeu Myſterium ejuſmodi in tabulis Eccleſiaſticis conſignatum habetur. Et hæc quidem eſt regula generalis, à qua duo treſve caſus ſunt excipiendi.

Octava regulariter tribuenda feſto principali, non aliis.

Primus, Quando in tota Eccleſia Sanctus aliquis alio die quam Natali colitur, v. g. S. Jacobus Apoſtolus, cujus feſtivitas præcipua agitur 25. Julii, cùm tamen ipſe circa feſtum Paſchæ ab Herode interfectus occubuerit; tunc ſatius eſt, ut Octava ejuſmodi feſto tribuatur.

Si feſtivitas præcipua alio die fit quàm Natali, ei tribuetur Octava.

Secundus, Quando dies natalis alicujus Sancti eo anni tempore incidit, quo liberum non eſt aut adeò commodum, ut fiat Octava, putà in Quadrageſima & Adventu, aut circa feſta Natalis Domini, Paſchæ & Pentecoſtes, tunc ſolet in multis Eccleſiis Octava rejici ad aliud ejuſdem Sancti feſtum, puta Translationis, Ordinationis &c. Sic Eccleſia Turonenſis de S. Gatiano Patrono ſuo principali, cujus Natalis occurrit *die* 18. *Decembris*, Octavam celebrat in feſto Translationis ejuſdem, *ad* 2. *Maij*. Iridem Eccleſia Leonienſis in Britannia minori de S. Paulo, non *ad* 12. *Martii* qui dies eſt Tranſitus, ſed *ad* 10. *Octobris*, qui æquè Translationis eſt. Sic Monachi Benedictini Gallicani, de S. Benedicto, in illius itidem Translatione *ad* 11. *Julii*. Sic in antiquo Proprio Eccleſiæ S. Germani à Pratis Pariſienſis de eodem S. Germano notatur Octava, non *ad* 28. *Junii*, qui illius Natalis eſt; ſed *ad* 25. *Julii*, qui dies eſt Translationis. Et hic quidem ritus placet ſatis, niſi quòd ſupponit diem illum Translationis celebrari ritu 1. vel ſaltem 2. claſſis; de quo eſt controverſia alibi agitanda.

Tribuitur octava feſto ſecundario quando primarium incidit in Quadrag. aut alio tempore impediente octavas.
Eccl. Turon.
Leonienſis.
Benedictini.
Eccl. S. Germani Pariſienſis.

Tertius caſus eſt proprius S. Joannis Bapt. cujus principalis feſtivitas non dies mortis ſeu Decollationis, ſed Nativitatis habetur; adeòque præter hujus Octavam, alia in feſto Decollationis facienda non eſt, niſi in iis Eccleſiis quæ ſub Titulo iſto Decollationis fundatæ exiſtunt. Quin & obſervatione dignum eſt, in ipſamet Eccleſia Ambianenſi, quæ pretioſiſſima Capitis hujus Sancti Reliquia divitem ſe prædicat, feſtum ipſum Decollationis carere Octava. Audite hoc vos boni, quos tàm actis prurigo tenet Octavarum.

Oct. S. Joann. Bapt. tribuitur ejus Nativitati non Decollationi.
Eccl. Ambian.

Dubitabis de S. Michaele Archangelo, quodnam ſit feſtum ejus principale, cui tribuatur Octava? utrumque enim illius feſtum recenſetur in Octavario Gavanti. Reſpondeo in iis Eccleſiis, quæ ipſi dicatæ ſunt in memoriam inſignis alicujus Apparitionis, eò loci quondam factæ, ut in

Cui feſto S. Michaelis tribuenda Octava?

monte Gargano in Apulia, & in monte Tumba in finibus Normanniæ; diem illum quo inſignis ejuſmodi apparitio contigit, haberi debere pro præcipuo, atque adeò ei tribuendam eſſe Octavam. Quod & ſentiendum de cæteris Angelis in pari caſu. Extra illum verò Eccleſiarum, S. Michaelis feſtivitas eſt ipſa Dedicatio *die 29. Septembris* conſignata,

QUÆSTIO VII.

An facienda Octava de Patrono loci, quando juxta uſum proprium ipſiuſmet loci, ea non fit?

Gavantus.

NEgant aliqui, affirmant alii, quibus magis aſſentitur Gavantus *ſect. 3. c. 12. nu. 8.* propoſito caſu S. Ambroſii, cujus feſtum Mediolani ritu Ambroſiano non habet Octavam; habere autem apud eos, qui ibidem ſecundùm ritum Romanum recitant, æquius judicat Author ille. Ego verò non illos damnaverim qui ſic faciunt, propiùs tamen ab iis ſtabo, qui ſecùs faciunt, ob hanc vel unam cauſam, quòd aqua nunquam altiùs ſua attollatur origine.

Placet magis ſequi uſum loci.

QUÆSTIO VIII.

An de aliis Patronis minùs principalibus fieri poſſint vel debeant Octavæ?

Multi Patroni minus principalibus tribuunt Octavas. Reiſ. Senon. Pariſ. Aurel. Bitur. Andeg. Auguſtinenſes. Prædicatores. Minores.

PAtronos ejuſmodi minùs principales deſcripſimus *quæſt. 5. cap. 7.* Et horum quidem Octavas celebrare, mos eſt multarum Eccleſiarum, in quibus tales habentur; v. g. Senonis, S. Lupi; Pariſiis, S. Genovefæ, & S. Marcelli olim; Aureliis S. Evurtii, & S. Aniani; Bituricis S. Sulpitii, & S. Auſtregeſili olim; Andegavi S. Renati &c. Maximè verò apud Regulares quoſdam, putà apud Auguſtinienſes Eremitas S. Monicæ, S. Nicolai Tolent. S. Guillelmi Erem. Apud Prædicatores, SS. Thomæ Aquin. Petri Martyris, Vincentii, Hyacinthi &c. Apud Minores, SS. Antonii de Padua, Bonaventuræ, Bernardini, Ludovici Epiſcopi, Didaci, Claræ. Apud Carmelitas, SS. Eliſei Prophetæ, Alberti, Tereſiæ &c. Qui uſus eatenus mihi probandus videtur, quatenus vel proprio jure Breviarii, vel conceſſione Apoſtolica, vel denique legitima conſuetudine firmatur: nam alioqui Rubricæ cit. repugnat, quæ feſto principalis duntaxat Patroni concedit Octavam.

Carmelitæ.

QUÆSTIO IX.

An & quatenus legitimæ ſint Octavæ aliorum Sanctorum apud quaſdam Eccleſias, Congregationes, & Religiones fieri conſuetæ?

Legitimæ ſunt Octavæ omnes propriæ ex conſuetudine legitima receptæ.

PRæter Dedicationis & Principalis Patroni ſeu Titularis Octavas, ſi quæ aliæ in particularibus Eccleſiis vel locis fiunt, ſive ex devotione, ſive ex fundatione, ſive ob inſignes Reliquias, aut alio quovis inſtituto, eæ omnes ad Titulum hunc conſuetudinis revocari debent; qui ſi legitimus fuerit, legitima quoque erit ejuſmodi Octavarum celebratio; ſin minùs, irrita prorſus & abroganda.

Dum requiſituntur ut ſit conſuetudo ejuſmodi legitima.

Porrò ad hoc ut talis conſuetudo in genere legitima cenſeatur, eaſdem conditiones adeſſe oportet, quæ ſuprà requiſitæ ſunt *quæſt. 4. cap. 13.* pro feſtis ex conſuetudine, videlicet, ut ſit Sanctus Canonizatus, ſeu Myſterium ab Eccleſia receptum & approbatum; item ut conſuetudo ipſa fuerit introducta ante datam Bullam Pii V. licèt abſolutè neceſſe non ſit ut fuerit præſcripta.

Octavæ de Beatificatis tantùm non ſunt legitimæ.

Atque jam inde ex limine colligas jure meritoque improbari Octavas omnes, quæ vel de Beatis ſunt nondum Canonizatis, vel quorumcunque ſunt, quæ poſt Bullam Pii V. in uſum de novo inductæ fuerunt. Nolo tu mihi fidem adhibeas, audi meliorem me Gavantum *ſect. 8. cap. 8. num. 1. Poſt editum à Pio V. Breviarium nulla poteſt induci Octava ultra prædictas* (communes videlicet, & Dedicationis, atque Patroni principalis) *ſine Sedis Apoſtolicæ authoritate. Ex quo qui addidit Recentior fieri feſtum cum Octava tum Canonizationis, tum Beatificationis Sanctorum, apertè fallitur, ſi loquatur præcluſa licentia S. Sedis Apoſtolicæ.*

Gavantus.

Eſt præterea ratio alia particularis pro Beatis nondum Canonizatis, quòd cùm, ut dictum eſt *cap. 5. quæſt. 10.* nullus iis cultus publicus impendi debeat, præter eum qui expreſſa Pontificis conceſſione permiſſus eſt; quantumcumque de iiſdem Officium in ipſorum die feſto celebrare conceſſerit Pontifex, ex hoc tamen non ſequitur poſſe fieri Octavam, niſi & ipſa expreſsè concedatur, maximè cùm Octava ex Rubricis tribuatur tantum Patrono ſeu Titulari Eccleſiæ, qualis citra privilegium nullus eſſe poteſt niſi Canonizatus.

Quod verò ad alias Octavas attinet, quarum conſuetudo præfatis conditionibus adſtruitur, ut de iis quid judicandum ſit meliùs ſtatuatur, obſerva in duplici eas reperiri differentia; aliæ ſiquidem conſuetudinis ſunt loci ſeu Eccleſiæ cujuslibet propriæ; aliæ verò multis locis ſeu Eccleſiis communes & uſitatæ. Primi generis ſunt Octavæ ſecundariorum Patronorum ſeu minùs principalium relatæ præcedenti quæſtione, aliæque iis perſimiles, putà Sanctorum quorum habentur corpora aut inſignes Reliquiæ, vel quorum memoria editis miraculis eò loci illuſtris eſt reddita: quas quidem Octavas, vi conſuetudinis, legitimè omnino retinendas ſentio, eò quia vel de nullis, vel de iis maximè intelligenda ſunt Rubricæ verba, *Et in feſtis aliorum Sanctorum qui apud quaſdam Eccleſias, Congregationes & Religiones conſueverunt cum Octavis ſolemniter celebrari.* Poſterioris generis ſunt certæ quædam Octavæ ex antiquo multis in locis receptæ, putà Viſitationis B. Mariæ, S. Michaelis, S. Andreæ, S. Martini, S. Mariæ Magdalenæ &c. Nam Viſitationis Octavam recenſent Calendaria Rhemenſe, Biturıcenſe antiquum, Cenomanenſe, Ciſtercienſe, imò & Romanum vetus editum anno 1483. S. Michaelis, Bituricenſe, Dolenſe vetus, Carmelitanum. S. Andreæ, Andegavenſe, Cenomanenſe vetus, Atrebatenſe, Conſtantienſe &c. S. Martini omnia antiqua & pleraque etiam recentiora Eccleſiarum Galliæ. S. Magdalenæ, Rhemenſe, Bituricenſe, Sylvanectenſe, Præmonſtratenſe, Dominicanum &c.

Octavæ Propriæ in duplici ſunt differentia.

Octavæ Patronorum minùs principalium & iis ſimiles retinendæ.

Octavæ aliquæ in multis locis ex conſuetudine receptæ.

Octavæ Viſitationis B. Mariæ. Oct. S. Michaelis. Oct. S. Andreæ. Oct. S. Magdalenæ.

An verò hæ & ſimiles Octavæ ex antiquo fieri ſolitæ adhuc retineri debeant ab iis qui Breviarium Romanum ſectantur, aut ſuum ipſorum Proprium ad Romani formam inſtaurant, ne id aſſeram, duo vetant, treſve haud leves admodum ſcrupuli.

Primus eſt, quòd Octava, uti ſtatim initio Capitis hujus dictum eſt, nota ſit & index magnæ præ aliis ſolemnitatis: ergo non frequens adeò nec trita eſſe debet, ut inde periculum ſit ne vileſcat, quæ vox eſt Durandi lib. 6. c. 1. nu. 42. Vileſcit autem maximè, ſi recenſitæ ſuprà Octavæ omnes retineantur.

Octavæ non debent eſſe frequentes.

Durandus.

Secundus, quòd eadem ſit prorogatio, & quaſi comitatus quidam feſti, ergo nonniſi principi feſto tribuendus. At præfatorum feſtorum nullum primi ordinis eſt, vix unum aut alterum ſecundi, reliqua nonniſi communis inter duplicia.

Octavæ nonniſi feſtis primi ordinis tribuendæ.

Tertius, quòd requirat Rubrica, ut Octavæ ejuſmodi *conſueverint ſolemniter celebrari.* Erant quippe olim Octavæ ritus duplicis; ſolemnes aliæ ſeu majores, aliæ non ſolemnes ſeu minores; quarum utrarumque inter ſe diſcrimen fusè refert Radulphus prop. 19. quòd videlicet in majoribus illis Officium diei Octavæ eſſet 9. lectionum, diebus verò intermediis trium cum ſolemnitate quaſi forent

Octavæ olim aliæ ſolemnes ſeu majores, aliæ non ſolemnes ſeu minores.

Radulphus.

tempo-

temporis Paſchalis, & de ſimplicibus occurrentibus fieret tantùm memoria. In minoribus verò Dies Octava trium tantùm erat lectionum, & in cæteris fiebat Officium de feria, vel de ſimplici feſto occurrente, adeò ut ejuſmodi Octavis Pſalterii ordo non interrumperetur, nec ceſſarent ſuffragia communia, preces, aliaque ejuſmodi. Hoc itaque poſteriori ritu, id eſt, non ſolemni, cùm Octavæ iſtæ, de quibus quæſtio eſt, agerentur, videntur propterea excludi à novo Breviario Pii V. præcipiente ſic Rubrica cit. *Et in feſtis Sanctorum qui apud quaſdam Eccleſias &c. conſueverunt ſolemniter cum Octavis celebrari.*

Octavæ minores ſic fiebant aliàs.

Octavæ minores à pleriſque Eccleſiis ablegatæ.

His præterea ſcrupulis pondus adjicit, multarum Eccleſiarum, & quidem inſignium praxis, quarum aliæ ex quo Romanum Breviarium admiſere, Octavas ejuſmodi prorſus ablegarunt, uti conſulenti fidem facient Propria Diœceſium novem minoris Britanniæ, ſicut & Burdigalenſe, Pictavienſe, Sagienſe, Abrincenſe & pleraque alia, in quibus omnibus Octava S. Martini juxta antiquum Breviarium fieri ſolita penitus deſideratur: Aliæ verò etiam retento Breviario proprio ejuſmodi Octavas ex ſuo Calendario expunxere, uti de eadem S. Martini Octava obſervavi in Breviariis novis Rothomagenſi & Ebroicenſi.

Neque tu mihi opponas ipſammet Octavam adhuc in Breviariis Rhemenſi, Senonenſi, Pariſienſi, Aurelianenſi, Carnutenſi, Cenomanenſi, Andegavenſi, Bajocenſi, Lexovienſi, Conſtantienſi, Attrebatenſi, Præmonſtratenſi, aliiſque plurimis ad Romani inſtar reformatis fuiſſe retentam; habeo enim tria, quæ tibi retorqueam. Primum, Octavam illam ab antiquis Rituum Obſervatoribus inter univerſim receptas recenſeri, unde & Durandus *lib. 7. c. 37. num.* 2. ipſam æquiparat Octavæ S. Laurentii. Et verò fuit olim per univerſam Galliam tanta hujus ſancti Præſulis gloria, tanta ex ſignorum virtutumque frequentia celebritas, ut mirum non ſit talem ipſi cultum quaſque olim Eccleſias rependiſſe, ac etiamnum rependere, maximè quæ Turonenſi Metropoli ſubjectæ ſunt; quippe qui, ait Severus Sulpitius, *fulgore virtutum ipſa reverberat aſtra*. Secundum, eamdem nihilominus Octavam in pleriſque ex allegatis Eccleſiis, puta Rhemenſi, Senonenſi, Pariſienſi, Aurelian. &c. nonniſi inter minores ac non ſolemnes recenſeri, adeoque in præfata ſuprà incommoda minùs incurrere. Tertium, ipſaſmet Eccleſias Octavarum aliunde eſſe parciſſimas, quippe quarum pleræque nullas alias præter communes & propriam unius aut alterius Patroni admittunt, ut mox videbitur.

Oct. S. Martini una eſt ex univerſim receptis. Durandus.

Commendatio S. Martini.

Oct. eadem S. Martini inter minores Octavas tantùm repoſita.

Eccleſiæ Octavarum ſunt parciſſimæ.

Interim miſſa omni argumentatione, retineant prædictam S. Martini Octavam, quibus id libet; præſtatne ideo plures alias confertim accumulare? Non diſſimulabo, mihi haudquaquam ſapere Eccleſiæ cujuſdam, illuſtris quidem ac multis nominibus venerandæ, uſum moremque hac in parte minùs accuratum. Præter enim præſcriptas in Breviario Rom. quindecim Octavas, alias inſuper quindecim aut ſexdecim enumerat, nempe duas de uno eodemque Sancto in duobus ejus feſtis ſecundariis præter præcipuum, cujus eſt Octava univerſali Eccleſiæ communis; duas itidem de alio Sancto, ac de tribus item aliis ſingulæ tres aliæ. Sint illi quidem Eccleſiæ vel Diœceſis Patroni ſeu Titulares, at quid neceſſe fuit omnibus Octavam adſcribere? Quid plures uni? Quid denique turbam aliarum Eccleſiæ Diœceſiſque illius non magis quàm cujuſvis alterius propriarum obtrudere, adeò ut paucis exceptis diebus, totos menſes Januarium, Auguſtum & Novembrem, non rarò etiam Majum perpetuæ Octavæ, Februarium verò, Julium & Decembrem, magna ex parte occupent? Neſcio ego quid ſit vileſcere, ſi iſtud non eſt. At, inquies, in more illius Eccleſiæ eſt, ut feſtum quodlibet ſupremi & alterius ſequentis ordinis cum Octava celebretur. Verùm, annon mos ille redigendus? & ſi ſteterit, non ſunt feſta prædicta hujuſce omnia celebritatis. Non ſunt equidem, ſed ex antiqua conſuetudine fiebant de iis Octavæ aliàs. Octavæ, ais, fiebant: Quænam amabo? An majores ſeu ſolemnes? An minores, ſeu non ſolemnes? Conſule, ſi placet, antiquum Breviarii illius Eccleſiæ ritum, & tu ipſe dicti mei fidem facito, quantum hodiernus ab illo diſcrepet.

Non probatur uſus inſignioris cujuſdam Eccleſiæ plures Octavas admittentis.

Plures menſes perpetuis ferè Octavis occupati.

Guyet. Heortologia.

Exempla aliarum Eccleſiarum pro paucitate Octavarũ. Rhemenſis. Rothomagenſis. Turonenſis.

Quin & aliarum tibi Eccleſiarum non minùs inſignium exemplum ſuppedito, eo potiſſimùm conſilio ut videant ambitioſi illi Octavarum corraſores, quàm ſint eæ omnes, ſaltem quas novi, hac in parte temperantes ac modeſtæ. Rhemenſis duas tantùm colit proprias, Viſitationis videlicet B. Mariæ, & S. Remigii: Rothomagenſis, unicam Patroni ſui S. Romani: Turonenſis, tres, nempe S. Mauritii Titularis, S. Gatiani Patroni primarii, & S. Martini, quam utpote toti Galliæ communem, Rhemenſis quoque, & ſequentes Eccleſiæ, exceptis Ambianenſi & Noviomenſi, omnes obſervant: Senonenſis, tres itidem proprias, Inventionis S. Stephani Titularis, SS. Saviniani & Potentiani Patronorum primariorum, & S. Lupi Patroni ſecundarii: Pariſienſis unicam propriam S. Dionyſii, cui addita eſt altera S. Genovefæ in poſtrema Breviarii recognitione, ſed quæ tota abſorbetur concurſu Epiphaniæ; fiebat etiam olim S. Marcelli Epiſcopi, ſed concurſus, credo, Octavæ omnium Sanctorum, removendæ cauſam dedit. Carnutenſis nullam prorſus. Nivernenſis unam SS. Cyrici & Julitæ Mart. Titularium. Ambianenſis unicam S. Firmini Epiſc. & Mart. licèt Inventionem ejuſdem celebret ritu 1. claſſis; itemque feſta SS. Fuſciani &c. Mart. S. Honorati Epiſc. & alterius S. Firmini Epiſc. & Conſ. Noviomi duas S. Eligii & S. Medardi ſuorum æquè Patronorum. Attrebatenſis unicam S. Vedaſti. Ebroicenſis unicam S. Taurini. Lexovienſis unicam S. Urſini. Bajocenſis præter Octavas Purificationis & Conceptionis, de quibus ſuprà, unicam SS. Ravenni & Raſiphi Mart. nullam de S. Exuperio Patrono ſuo principali. Conſtantienſis unicam S. Laudi. Cenomanenſis, unam S. Juliani, & alteram SS. Gervaſii & Protaſii priorum Titularium. Andegavenſem ultimam de induſtria recenſeo, quòd ea plures habeat, ſed nullam ſine cauſa, nempe S. Mauritii Titularis, S. Maurilii Patroni principalis, S. Renati Patroni ſecundarii, S. Martini Eccleſiæ ejuſdem fundatoris & Provinciæ Patroni, & hujus quidem Octava alteram S. Renati totam abſorbet, adeò ut ambæ nonniſi pro una ſint numerandæ; denique S. Andreæ Apoſtoli, cujus item feſtum celebrat ritu 2. claſſis ob inſignem brachii reliquiam quam poſſidet. Hoc inſuper attendas velim, Octavam S. Laurentii in novem ex ſuprà memoratis Eccleſiis deſiderari penitus; in cæteris, una Andegavenſi excepta, nonniſi ritu ſimplici, aut etiam cum commemoratione ſervari. Item omitti à Noviomenſi Octavas S. Joannis Bapt. & SS. Petri & Pauli, horum quoque ab Ambianenſi; denique Omnium Sanctorum ab eadem Noviomenſi, Lexovienſi, & paucis aliis; quod licèt nolim ego ſtatim ſuffragio meo tueri, haud tamen leve argumentum eſt, quantum ab uſu legitimo aliena ſit omnis iſta Octavarum redundantia.

Senonenſis. Pariſienſis. Carnutenſis. Nivernenſis. Ambianenſis. Noviomenſis. Attrebatenſis. Bajocenſis. Conſtantienſis. Cenomanenſis. Andegavenſis.

Quam & impugnant potiori adhuc jure Eccleſiæ aliæ Romano uſui addictæ, ex quarum ingenti numero paucas tantùm juvat attexere. In Burdegalenſi hæ tres recenſentur, Octava S. Andreæ Titularis, S. Severini Patroni, & S. Auguſtini ex conſuetudine. In Pictavienſi una S. Hilarii. In Cadurcenſi una quoque Inventionis S. Stephani. In Redonenſi & Venetenſi S. Petro dicatis, nulla præ-

Burdegalenſis. Cadurcenſis. Redon. Venetenſis.

F a   ter com-

Macloven-ſi. Coriſopiten-ſi. Brioceuſi. Trecorenſi. Abrincenſi. Sagienſi.

ter communes. In Macloviensi duæ, S. Vincentii Titularis, & ipſius S. Maclovii Patroni. In Coriſopitenſi una S. Corentini. In Briocenſi duæ, S. ipſius Brioci, & S. Gulielmi Patronorum. In Trecorenſi itidem duæ, S. Tugduali, & S. Juonis. In Abrincenſi una S. Andreæ Titularis. In Sagienſi duæ, SS. Gervaſii & Protaſii Titul. & S. Auguſtini, puto ex conſuetudine.

Exempla item Regularium.

Nulla Octavæ in Breviario Monaſtico.

Sed quoniam mihi maximè res eſt cum Regularibus, qui ſuorum utique Sanctorum octavas certatim ambiunt, (quibus nec ipſe repugno, modò id decenter & cum ordine fiat) facit opportunè ad hanc rem Breviarium Monaſticum Pauli V. authoritate editum pro omnibus qui militant ſub Regula S. Benedicti; in quo ne una quidem Octava propria deſcribitur. Cauſa eſt equidem quòd S. Benedicti feſtum ſemper in Quadrageſimam incidat, cui defectui ſupplent Galli noſtrates Benedictini in ejuſdem Sancti Translatione 11. Julii: at ſi tanta iis fuiſſet Octavarum fames, integrum planè erat eas adhibere in feſtis S. Mauri, S. Scholaſticæ, & S. Placidi; nec tamen adhibuerunt.

Dominicani plures habent octavas ſed ſimplices, ac trium tantum lectionum, imo & cum ſola commemoratione.

Oppones tu mihi ſtatim Dominicanos Octavis abundare. Abundant planè, ſed ea ratione, quam nec tibi, ſi Romanum uſum ſectaris, liberum eſt imitari; nec ſi liberum eſſet, fortè curares. In eorum ſiquidem Breviario proprio quatuor aut etiam quinque conſtituuntur Octavarum ritus diverſi. Primus ſolemniſſimarum, videlicet Nativitatis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti. Secundus ſolemnium, Aſcenſionis Domini, Aſſumptionis B. Mariæ, S. Dominici, & omnium Sanctorum. Tertius ſimplicium, quæ ſunt Epiphaniæ, Trinitatis, Nativitatis & Viſitationis B. Mariæ, S. Magdalenæ, S. Joannis Bapt. SS. Petri & Pauli, S. Auguſtini, S. Michaelis, S. Martini; & in his dicuntur Preces & Suffragia. Quartus trium lectionum, nempe S. Stephani, S. Joannis Evang. & SS. Innocentium. Quintus denique cum ſola memoria; ſunt autem hujus poſtremi Ordinis Octavæ S. Andreæ, S. Vincentii, & Sanctorum Ordinis, ſcilicet, Petri Martyris, Antonini, Thomæ Aquin. Vincentii, Hyacinthi, Raymundi, Catharinæ & Agnetis. Et præter has Octavas, (ſubdit Rubrica hujus Breviarii propria) nullæ aliæ fiant ſive Patronorum Eccleſiæ, ſive quorumlibet aliorum. Hoc ego ultimum non conceſſerim; libenter tamen iis objecerim, qui ſe omnimoda privilegiorum communicatione potentes ac validos glorioſè adeò jactitant. Æmulentur, per me licet, modò non abundantiori zelo.

Octavæ ex conſuetudine, quibus conditionibus retinendæ.

Ut ergo diſputationi huic paulò fuſiori finem tandem imponam, breviter ſic cenſeo, Octavas ex conſuetudine iis conditionibus retinendas. Prima, ut non excedant numero. Secunda, ut feſtum ſit ſolemne, hoc eſt 1. ſaltem vel 2. claſſis; cujus rei præter ſuperiùs allatas optima hæc ratio eſt, quòd dies Octava, diei feſti non debet eſſe æqualis, ſed inferior; ut conſtat inductione per omnes Octavas: ergo cùm ſit duplex illa ritu Romano, conſequens eſt ut iſta ſit duplex ſaltem 2. claſſis. Tertia denique conditio, fortè quidem non abſolutè neceſſaria, ſed quæ omnium opportuniſſima eſt, ut feſtum illud ad Eccleſiam peculiari aliquo titulo pertineat.

QUÆSTIO X.

An poſſit conſuetudo Octavæ alicujus celebrandæ de novo induci, aut obliterata denuo reſtaurari?

RESponſio quoad utramque partem quæſtionis hujus data jam fuit *quæſt. 6. cap. 13.* nec habeo quod addam, niſi tantò iniquius fore, ſi quid ſecus ſuſcipiatur, quantò dici uni præſtat continuata octo dierum ſeries. Unde non puteſt à periculo quolibet non improbari Proprium quoddam Sanctorum alicujus Eccleſiæ ante annos aliquot editum, (ſi fortè editum illud fuit abſque authoritate Pontificis) in quo reſtitutæ ſunt quinque Octavæ juxta Breviarii quidem proprii antiqui uſum fieri conſuetæ; ſed eo abrogato, tum ducentorum annorum per Bullam Pii V. requiſitorum defectu, tum etiam inducto alterius Pontificis conceſſione ac per 30. annos & ampliùs continuato Breviarii Romani uſu, extraneæ prorſus atque obſoletæ.

Improbatur quoddam Proprium.

QUÆSTIO XI.

Quibus anni temporibus interdictum ſit Octavis?

In Quadrageſima nullæ fiunt Octavæ. *Gavantus.*

TRia ſignantur cit. Rub. de Octavis nu. 1. Primum eſt tempus Quadrageſimæ, hoc eſt à feria 4. Cinerum uſque ad Octavam Paſchæ incluſivè. Nam ut rectè ratiocinatur Gavantus, ſi à feſtis in Quadrageſima convenienter abſtinetur ex Concilii Laodicenſis can. 5. relato *Can. Non oportet. 33. qu. 5.* & Concilio Martini, *Can. Non licet, ibidem:* quantò magis ab Octavis, quæ nihil aliud ſunt quàm feſtorum prorogationes? Et hoc quidem in univerſa Eccleſia uſu receptum eſt; nec ullos vidi hactenus ſecus facientes niſi ſolos Minimos, qui Octavam S. Franciſci de Paula, vel totam vel ex parte celebrant ex privilegio, quoties ea occurrit ante Dominicam Palmarum.

Nullæ item à die 17. Decemb. uſque ad diem Epiphaniæ.

Secundum tempus, eſt Adventus, non quidem integer, ſed à die 17. Decembris uſque ad diem Epiphaniæ incluſivè, ex poſtrema Breviarii recognitione, in qua refert Gavantus *ſect. 3. c. 8. nu. 8.* actum fuiſſe de Octavis à toto Adventu excludendis ſicuti à Quadrageſima: nec deerant optimæ id decernendi cauſæ, ſed illud ſaltem congruere viſum eſt, ne ab eo die fierent ampliùs, quo incipiunt Antiphonæ Laudum privilegiatæ; quod à priſco jam inde ævo ſervavit Eccleſia Turonenſis, nulla feſto S. Gatiani Patroni ſui adſcripta Octava. Similiter vanum & inutile viſum eſt eas permittere poſt Nativitatem uſque ad Epiphaniam, eo quòd dies omnes ac ſinguli proprium habent Officium nullo modo omittendum, ait idem Gavantus. Cui rationi hanc inſuper addo: Cùm infrà Oct. Epiphaniæ excludatur omne feſtum duplex, niſi illud ſit Patroni aut Dedicationis, ſeu 1. claſſis, conſequenter non poteſt fieri de die Octava, ſi tum incidat, ſi quidem non eſt ejus ordinis, ſed duplex minus duntaxat: ergo fruſtra poneretur talis Octava, de qua nec intrà Oct. nec in ipſa die Octava poſſet fieri Officium. Quare iis quibus talis caſus occurrit abſtinendum eſt ab ejuſmodi Octava, aut novum ſuper ea re indultum obtinendum; niſi ubi fuerit talis conſuetudo, quæ privilegii ſeu legis vim exæquet, juxta ea quæ diximus ſuprà de conſuetudine.

Eccl. Turon.

Inutilis eſt octava poſt Nativitatem uſque ad Epiph.

De Die octava non poteſt fieri infra oct. Epiphaniæ.

Hinc tamen haud inferas pari ratione ab Octava celebranda ceſſandum, ſi quando feſtum ita occurrat, ut tota ejus Octava deglutiatur, putà ob concurſum Octavæ Aſſumptionis B. Mariæ, aut feſti Omnium Sanctorum; nam vix unquam id contingat, ut non ipſa dies Octava, (cui utique loco cedit feſtum duplex, niſi ſit ex majoribus) vel etiam una aliqua intermedia libera occurrat; ut patet exemplo Octavæ S. Ignatii occurrentis die 31. Julii.

Non eſt ſummovenda octava eò quod ab aliqua alia tota ferè abſorbeatur.

Tertium tempus quo interdicitur Octavis, eſt à Vigilia Pentecoſtes uſque ad feſtum Trinitatis incluſivè. Hoc tamen obſtare non debet, quin eæ in proprio Calendario deſcribantur; contingit enim perſæpè, ut quæ uno anno ob ejuſmodi concurſum impediuntur, altero liberæ ſint.

Nulla Octava fit à Vigil. Pentec. uſque ad feſtum Trinitatis.

C A-

CAPUT XIX.

De Officio Hebdomadario, item & de Suffragio quotidiano Patronorum.

Ultimus eſt hic Titulus eorum omnium, quibus contingit mutari Officium diei generaliter præſcriptum; de quo, quoad Regulares attinet, diſſertum eſt jam ſuperiùs quæſt. 6. capitis 14. nunc quis ſit & quàm legitimus aliarum Eccleſiarum uſus, paucis declarandum.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Officium illud hebdomadarium?

Bernardus.

PRæclarè ac piè ſuo more S. Bernardus ſer. 2. de S. Victore, Sanctum illum unum ex ſui Monaſterii Patronis hiſce verbis compellat: *Quàm pium, quàm dulce, quàm ſuave ò Victor, in hoc loco afflictionis, & in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari! Nomen tuum & memoriale tuum favus diſtillans in labiis captivorum, mel & lac ſub lingua eorum qui tui memoria delectantur.* Ita eſt, Patronos ſuos apud Deum potentiſſimos, nunquam nimis poſſunt Eccleſiæ invocare, nunquam nimis venerari; imò ſemper iis jucundum, ſemper proficuum.

Officium de Patrono certo hebdomadæ die in multis Eccleſiis uſitatum aliàs.

Hic ſenſus multas olim induxit, ut præter Natale ſeu principale feſtum ſui Patroni, præter item feſta Inventionis Tranſlationis aliave ejuſcemodi, ſingulis inſuper hebdomadis per annum ſemel de eodem Officium inſtituerent, eo planè modo, quo de B. Maria ſingulis diebus Sabbati non impeditis extra Adventum & Quadrageſimam ab univerſa Eccleſia factitari ſolet.

Eccl. Dolenſis.

Sic olim in Eccleſia Dolenſi præſcriptum erat, ut de S. Samſone fieret Officium ſemel in hebdomada die vacuo. Sic etiamnum adhuc in Eccleſia

Bituricenſis. Ambianenſis. Sagienſis. S. Martini Turon.

Bituricenſi qualibet feria quinta non impedita fit de S. Stephano, in Eccleſia Ambianenſi item de S. Firmino, in Eccl. Sagienſi de SS. Gervaſio & Protaſio, in Eccleſia S. Martini Turonenſis de ipſo S. Martino feria tertia vel quinta &c.

QUÆSTIO II.

An legitimus ſit Officii hujus hebdomadarii uſus?

Radulphus.

CArpit eum Radulphus prop. 20. his verbis, quæ notata velim: *Quamvis in ſeptimanis vacantibus ſervari poſſit Miſſa de Patrono, tamen hujuſmodi laudatio extendi non debet ad horas principales, ne Officio feriali præjudicium nimium generetur, nec ſcripturam nec exemplum habemus hoc licitè fieri.* At cùm ſcripſerit iſta Radulphus ante ducentos annos & ampliùs, & jam inde ab eo tempore, imò etiam priùs potuerit ejuſmodi uſus legitima conſuetudine firmari, nolim ego illum reprehendere in iis Eccleſiis, quibus proprii Breviarii jus per Bullam Pii V. ſalvum adhuc integrumque reſtat; maximè, ſi tales ſint quæ propriiſſima appellatione Memoriæ dicantur, ob reconditum videlicet Corpus Sancti alicujus illuſtrioris notæ, ad quod frequentes olim populorum concurſus, aut crebra fuerint ſigna edita, ex quibus appareat Eccleſiam eo loci ideo potiſſimùm fuiſſe conditam, ut Sancti illius memoria præcipuæ eſſet venerationi, ac celebris in perpetuum haberetur; cujuſmodi ſunt Eccleſiæ S. Martini apud Turonas, S. Saturnini apud Toloſates, S. Quintini apud Viromanduos, S. Juliani Brivate, S. Aniani Aureliis, & aliæ multæ alibi. In aliis verò Eccleſiis quibuſcunque Romano uſui addictis, nefas eſt ejuſmodi uſum non tantùm inducere, ſed etiam inductum retinere, abſque expreſſa Pontificis, aut Sacræ Rituum Congregationis licentia, ea vel ſola ratione quòd tale Officium non concordat formæ Breviarii Romani, contra quam nihil à Rubrica permittitur; valet enim ubique clauſula illa Rubricæ 1. (*ſervata tamen forma hujus Breviarii.*)

Officium hebdomadarium legitimum eſt in Eccleſiis quæ Memoriæ propriè appellantur.

Non valet in Eccleſiis Romano uſui addictis.

Guyet. Heortologia.

Incommoda ex officio hebdomadario conſequentia.

An verò convenientius ſit alias quoque Eccleſias quæ ſui adhuc juris ſunt, uſum iſtum, ſi eo fortè gaudent, dimittere? nihil decerno, ſed unum tantùm aut alterum incommodum quod ex eo ſequitur, illis examinandum relinquo: nimirum, magnum præjudicium inferri tantillo, qui vixdum ſupereſt, feriarum numero; quæ fuit querela Radulphi: magnum item feſtis ſimplicibus, quæ inde adhuc multùm minuuntur. Vulnus denique Pſalterio lethale, ut ita dicam, infligi, nam cùm ita diſpoſitum ſit, ut nullo occurrente feſto integrum in tota hebdomada nullo omiſſo Pſalmo recitetur, neceſſe eſt Officii hujus interjectu Pſalmos ſaltem duos conſtanter omitti, nempe ſecundum tum Laudum, tum Primæ; multò verò etiam plures, ſi ipſum fiat ritu ſemiduplici. Quantum autem primariæ id Officii inſtitutioni repugnet, dictum eſt aliàs. Neque verò, quod quis forſan poſſet objicere, idem ſequitur incommodum ex Officio B. Mariæ in Sabbato, à quo nihil prorſus Pſalterii integritati officitur, cùm Pſalmus Laudum reponatur in Nocturno; ad Primam verò nullus die Sabbati eſt additititus.

Officium B. Mariæ in Sabb. nihil Pſalterio officit.

Cæterum Devotio erga Patronum proprium tanti non eſt habenda, ut præ illa ritus Eccleſiæ communis, dieſque beneficio Creationis memorando deſtinati negligantur, niſi in iis fortè Patronis quos paulò antè deſcripſimus. Utinam devotioni huic alas non addat, innatum pleriſque ſollicitandæ quibuſvis modis brevitatis ſtudium.

QUÆSTIO III.

Quæ anni tempora ab ejuſmodi Officio hebdomadario ſint immunia?

Officium hebdomadarium non fit in Adventu & Quadrag. nec etiam tempore Paſchali apud aliquos.

REſpondeo; Duo apud omnes, videlicet Adventus & Quadrageſima: Ecquis verò ſecus faceret? Addunt & alii Tempus Paſchale, quod ut iis liberum, ita nec cenſura ulla dignum exiſtimo. Dolenſe vetus de præfato S. Samſone ſic ſanciebat: Ab Octava Epiphaniæ uſque ad feriam 4. Cinerum, & ab Octava ejuſdem S. Samſonis, qui incidit in diem 28. Julii, uſque ad Adventum.

QUÆSTIO VI.

Qui Patroni locum habere debent in communibus Suffragiis?

PErtinet hæc utique quæſtio ad Appendices Patroni, cujus reſolutione, commodè huic libro primo finis imponetur. De Patrono itaque ſeu Titulari cujuſvis Eccleſiæ, ſine controverſia proprium fieri debet Suffragium, loco competenti inter Commomia, præcipiente id Rubrica expreſſiſſimè. Quid ſi duo fuerint, Patronus unus, & alter Titularis? Rectè ſtatuit Breviarium Pariſienſe novum, de utroque fieri Suffragium; ſi verò plures, præcipui tantùm habendam eſſe rationem. Sed an de aliis, præter Patronum ſeu Titularem ejuſmodi? Addunt Regulares, ſui quoque Ordinis Patronum, nec immeritò. Aliquæ etiam Eccleſiæ communem Loci ſeu Diœceſis aut Civitatis Patronum: aliæ item de Sanctis quorum habentur Reliquiæ, aliæ de omnibus Sanctis; quibus omnibus favet conſuetudo magis quàm ratio ulla ex Rubricis petita. Olim multis in uſu erant in feriali Officio, Suffragia de Angelis, de Apoſtolis, de Martyribus, de Confeſſoribus, &c. inſtar ferè Litaniarum; ſed uſus iſte nimis ſanè prolixus ferè jam obſolevit, nec ab iis ullibi uſquam retinendus qui Romano adhærent; ſicut nec tempora à Suffragiis exempta, iiſdem vel aliis, cujuſcumque conſuetudinis prætextu, ſunt oneranda: eſt enim hoc contra formam.

Suffragium fit de Patrono ſeu Titulari Eccleſiæ.

Brev. Pariſienſe.

Item de Patrono Ordinis.

De Patrono loci.

De Reliquiis.

De omnibus Sanctis.

HEORTOLOGIÆ
LIBER SECUNDUS.
DE RITU CELEBRANDI
Feſta Propria.

INveſtigata latè prioti libro Feſtorum propriorum natura, conſtitutiſque variis illorum generibus; proximè jam ſequitur, ut quoniam celebrandorum Feſtorum non unus eſt, ſed varius ac multiplex Ritus; quis qualiſque ſingulis Feſtis propriis tribuendus ſit, accuratè diſcutiamus. Quæ quidem operis hujus pars inſtar eſt perpendiculi, ſeu normæ, ad quam cæteræ deinceps quaſi ad oculum dirigantur,

Diſpoſitio rerum quæ hocce libro tractantur.

Porrò ad Ritum ejuſmodi congruè ſtabiliendum, tria ſunt potiſſimùm exploranda. Primò, Dies ſtatus ac certus in Calendario, cui feſtum proprium annuatim celebrandum adſtringatur. Secundò, Ratio ſeu forma feſtum ipſum in Calendario item ſtato die deſcribendi. Tertiò, Ritus demum ipſe ſeu qualitas, putà duplicis, aut ſemiduplicis, ſub qua feſtum celebrandum indicetur. Quibus ad pleniorem doctrinæ cumulum, duo item alia ſubjungenda; alterum de modo ac forma pronunciandi in Martyrologio Sanctorum propriorum nomina: alterum, quibuſnam demum in Eccleſiis & à quibus perſonis eorum Feſta ſint celebranda; ſicque libri hujus quinque univerſim erunt Sectiones; niſi & ſextam inſuper conficiat promiſſa ſuperiori libro, ſuoque hic loco rependenda opportuniùs, Tractatio de Feſtis propriis ex præcepto, ſeu de Præcepto Eccleſiaſtico quoad forum in Feſtis propriis itidem ſerendo ſervandoque, ut in aliis.

SECTIO PRIMA.

QUoniam in tempore fiunt, quæcunque fiunt; temporis autem partitio primaria dies eſt; exigit Feſtorum propriorum celebratio, ut primùm omnium dies ipſis fixus ac certus in anni circulo conſtituatur. Qua in re, alia Dedicationis Eccleſiæ ratio eſt, alia Natalis Sanctorum, alia Feſtorum ad ipſos ſecundariò ſpectantium; alia Feſtorum Chriſti Domini, Beatæ Mariæ, Sanctorum Angelorum, & ſimilium votivorum: alia denique Appendicum quæ ſolemnioribus Feſtis tribuuntur. De quibus ſingulis ſingula proponuntur capita.

CAPUT I.

De Constituendo Die Festo Dedicationis Eccleſiæ.

INvitat nos ordo ſuperiori libro ſervatus, ut cùm de conſtituendo cujuslibet Feſtivitatis die proprio diſſerimus, à Dedicatione Eccleſiæ itidem auſpicemur.

QUÆSTIO I.

Quis dies dedicandæ ſeu conſecrandæ Eccleſiæ decernendus?

PEracta novæ Eccleſiæ fabrica, nihil optabilius eſt, quàm ut ea opportuno, cùm primùm fieri poterit die, ab Epiſcopo ſolemni ritu dedicetur ac conſecretur. Opportunus autem ad id dies ut ſeligatur, duo triave attendenda ſunt.

Primò, Ne in hyemis tempus id rejiciatur: tum ob frigus quod vigiliis nocturnis, utique in ipſa Eccleſia tranſigendis, longiorique Dedicationis ipſius actioni, non poteſt non eſſe grave ac moleſtum; tum quòd ſudo opus ſit ad circuitiones extrorſum circa templi parietes commodè perficiendas; ut non mireris ob id fortè plurimas Eccleſiarum Dedicationes inſcriptas reperiri menſibus Majo, Junio, Julio, Auguſto, Septembri & Octobri; reliquis verò ſex menſibus pauciores.

Secundò, Vitanda item ſunt (ſi nihil urgeat) Adventus & Quadrageſimæ tempora, ne luctuoſorum Officiorum occurſu lætiſſimæ feſtivitatis ſplendor hebeſcat, ſuaque ipſi Octava vel ex toto vel majori ex parte reſecetur. Nec item in Adventu aut Quadrageſima.

Tertiò, Quibus verò diebus interdicitur à Rubricis Feſti cujuſcunque celebratio, iis pari jure nefas eſt indici Eccleſiæ Dedicationem. Non denique certis anni diebus. Sunt autem ii dies, *ex Rubr. de Tranſlatione feſtorum num.* 1. Dominica 1. Adventus, Vigilia, & à fortiori, dies ipſa Nativitatis Domini, Circumciſio, Epiphania & dies ejus Octava, Feria 4. Cinerum, Dom. 1. Quadrageſimæ, Dominica Paſſionis, Dominica Palmarum, & deinceps uſque ad Dominicam in Albis incluſivè: Aſcenſio Domini, Vigilia Pentecoſtes, & deinceps uſque ad Dominicam Trinitatis incluſivè: Feſtum Corporis Chriſti, Aſſumptio B. Mariæ, & Feſtum Omnium Sanctorum. An autem præter iſtos ſint & alii, aut ex iſtorum numero ſint aliqui expungendi, quæſtio eſt alibi fuſiùs pertractanda.

Extra verò dies iſtos liberum eſt, unum quem libuerit ex cæteris omnibus Eccleſiæ dicandæ decernere;

nere; nihil enim jure, aut Pontificalis Rubricæ hac in parte definiunt; quamquam æquius exiſtimo, ſi ex ſimilium ſolemnitatum ratione, dies Dominicus, aut quilibet alius feſtivus ad id deſtinetur.

Dies Dedicationis is eſt quo Eccleſia de facto dedicatur.

Dies porrò ille, quiſquis fuerit, verus ac proprius eſt Dedicationis dies; nam licèt Officium Dedicationis in ipſa Eccleſia dedicata incipiat tantùm in Miſſa, poſt completam videlicet Dedicationis actionem; debuerunt tamen primæ Veſperæ ac Matutinum cum Laudibus, necnon Prima ac Tertia à Clericis de ipſa Dedicatione antè cantari.

Brev. ord. Prædicatorum.

Eſt quidem in Breviario proprio Ordinis Prædicatorum Rubrica hæc ad rem præſentem valdè notabilis, In Feſto Dedicationis Eccleſiæ; *In primo anno Dedicationis Eccleſiæ Officium inchoatur in Miſſa; in hora verò quæ ſequitur Miſſam, & deinceps in omnibus horis, uſque ad Completorium ſequentis diei excluſivè, fiat Officium totum duplex, & die ſequenti in Matutino fiant novem lectiones, &c.* Ex quo poſſet quis arguere ipſum ſequentem diem eſſe proprium diem Dedicationis: verùm ſtatim ſubditur objectionis hujus ſolutio, hac clauſula, *Octava verò celebrabitur revoluta hebdomada, eo die quo Dedicatio facta fuerit.*

QUÆSTIO II.

Quis propriè dies anniverſarius Dedicationis alicujus Eccleſiæ?

RESpondeo, Ille eſt, qui à facta primitus Eccleſiæ Dedicatione idem ſingulis deinceps annis in ordine menſium recurrit, putà dies 1. Julii, 2. Auguſti, 3. Septembris &c. eodem planè modo quo dies Sancti alicujus natalis dicitur is, qui ab illius ex hac vita in cœlum tranſitu idem in Calendario retexitur. Unde ſicut dies natalis Sancti alicujus ordinariè non mutatur, ita nec Dedicationis Eccleſiæ proprius dies in alium mutari poteſt, niſi ab ipſo Conſecratore juſta de cauſa, ex Decreto Sacræ Rit. Congreg. *die 19. Febr. an.* 1585. & quidem in ipſo actu Conſecrationis, adeò ut extra ipſam non poſſit ampliùs mutari inconſulta Sede Apoſtolica, ex Decreto ejuſdem Congreg. 16. *Oct.* 1604. Quæ ſit autem juſta cauſa mutationis ejuſmodi, ſupereſt inquirendum.

Non mutandus dies Dedicationis niſi in ipſo actu Dedicandi.

QUÆSTIO III.

Quibus ex cauſis & qualiter mutari queat dies anniverſarius Dedicationis Eccleſiæ?

SI quæ ſuprà prima quæſt. notata ſunt incommoda in decernendo die Conſecrationis Eccleſiæ, ſtudiosè devitentur, vix ulla poteſt juſta cauſa contingere, ob quam neceſſe ſit diem anniverſarium mutare. Sin verò, ut facilè poteſt accidere; cautio tanta adhibita non fuit, caſus duo ſunt, in quibus mutationi ejuſmodi locus eſſe poterit.

Mutandus dies Dedicationis, ſi coincidat cum ſolemnioribus feſtis.

Primus eſt, ſi contingat, inquit Gavantus, *Comment. in Brev. ſect.* 8. *cap.* 5. *num.* 4. dedicari Eccleſiam in feſto ex ſolemnioribus, ne quotannis occurrentia duo feſta ſe invicem impediant: per ſolemniora autem feſta, intellige omnia quæ ſunt 1. claſſis, etiam feſta Nativit. S. Joan. Bapt. & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quæ ſuprà inter alia haud numerata fuere. Intellige item, ſi lubet, inter feſta 2. claſſis; præter Circuncíſionem Domini & feſtum SS. Trinitatis ſuprà memorata, tria quoque feſta B. Virginis, Purificationem, Annunciationem & Nativitatem, quòd ea ſolemniori apparatu ubique conſueverint celebrari; item diem 2. Novembris, fortè etiam 3. ob Commemorationem defunctorum in alterutro illorum fieri ſolitam. Reliqua verò omnia etiam duplicia ſecundæ

Quæ ſint ſolemniora feſta?

Guyet. Heortologia.

claſſis, qualia ſunt Natalitia Apoſtolorum, non potaverim ad mutandum Dedicationis diem obligare, ſi fortè hanc in iis fieri contingat, cùm ipſa utpote minoris ſolennitatis Dedicationis, facilè cedant, adeòque loco moveri magis deceat quàm ipſam Dedicationem. Si quibus tamen contrarium commodius videatur, haud repugno, motus exemplo Eccleſiæ Bituricenſis, quæ anniverſarium Dedicationis ſuæ feſtum non die 6. Maii, quo facta eſt ab Guillelmo de Broca 77. Archiepiſcopo anno 1324. ſed præcedenti, nimirum 5. celebrat per anticipationem, relicto in loco ſuo S. Joanne ante portam Latinam.

Dedicatio Eccleſiæ Bituricèſis anticipatur die 5. Maii.

Alter caſus, quo mutare convenit diem Dedicationis, eſt concurſus temporum Adventus & Quadrageſimæ, ac conſequentium Feſtorum Natalis Domini & Paſchæ, videlicet à die 10. vel 11. menſis Decembris, uſque ad Octavam Epiphaniæ incluſivè; & à medio circiter Februario, uſque ad finem Aprilis. Ex quo concurſu vix aliter contingit, ut non grave diſpendium Octava patiatur, multoſque ſecum Tranſlationum anfractus involvat.

Mutanda item Dedicatio ob concurſum Temporum Adventus & Quadrageſimæ.

His addi etiam poteſt concurſus Octavarum Aſcenſionis, Pentecoſtes & Corporis Chriſti, quæ menſes totos Majum & Junium implicant. Verùm cùm trium illorum feſtorum varia ſit collocatio, adeò ut qui menſis uno anno iis totus implicatur, altero vacuus ac liber ſatis exiſtat; facit hæc viciſſitudo, ut non adeo neceſſe ſit diem Dedicationis mutare. Idemque judicandum de menſe Aprili, ſaltem quoad poſtremos à medio dies, qui non raſò à Paſchatis occurſu immunes evadunt: ut proinde non miteris S. Germani à Pratis & S. Capellæ Pariſienſis Dedicationes iis diebus occurrentes minimè fuiſſe mutatas.

Non neceſſariò mutanda ob concurſum Octavarum Aſcenſionis, Pentecoſtes & Corp. Chriſti.

Poſſet & tertius adjici caſus, quando videlicet Dedicatio Eccleſiæ in eumdem incidit diem, qui Patrono ſeu Titulari eſt dicatus: ſic Dedicatio Eccleſiæ Aurelianenſis occurrit tertio die Maii, qui dies idem eſt Inventionis S. Crucis, Eccleſiæ ejuſdem Titularis; item Dedicatio Eccleſiæ S. Martini Turonenſis ſignata habetur 4. Julii, qui dies eſt Tranſlationis & Ordinationis ejuſdem Sancti. Verùm ſingulare eſt utrumque hoc exemplum, utrumque idem divina revelatione firmatum; ex quo factum eſt, ut ſuum utraque Eccleſia hac in parte ritum peculiarem habeat, qui ad alias Eccleſias traduci minimè debet; imò cavendum ne quid ſimile occurrat, jam inde ab ipſamet Eccleſiæ Dedicatione, quam utique fieri convenit alio die ab eo, quo fit feſtum Patroni ſeu Titularis.

Caſus particularis Dedicationis Eccleſiarum Aurelianenſis, & S. Martini Turonenſis.

Jam verò quod ad diem attinet, in quem mutari convenit ſic impedita anniverſaria Dedicationis feſtivitas, monet Gavantus citatus poſſe decerni vel diem Dominicum proximiorem, vel alium adeò commodum, ut poſſint Octavæ celebrari liberiùs, & populus præſertim ruſticus majori frequentia colere feſtum poſſit: quod equidem monitum multarum Eccleſiarum uſu firmatur. Nam Senonenſis verbi gratia ſuam Dedicationem celebrat Dominica poſt Octavam Apoſtolorum Petri & Pauli: Ambianenſis Dom. 2. Julii; Pictavienſis, Dominica ante feſtum S. Lucæ; Bajocenſis, Dom. 3. Julii; Noviomenſis Dom. ultima infra Calendas Auguſti &c. quem ego uſum haud equidem improbem, ubi receptus eſt; ſed & alium æquè præſtare aſſeruerim, ut videlicet Dedicatio ſuo loco mota, certo ac ſtato Calendarii die affigatur, putà eo, qui diem proprium, vel tempus impediens liberior ac commodior proximè ſequitur: haud tamen diſplicet uſus Eccleſiæ Cenomanenſis, quæ dedicata ab Hildeberto ejus Sedis Epiſcopo anno 1120. feria 2. poſt Dom. in Albis (quæ dies eo anno fuit 26. Aprilis) annuam tamen ſuæ Dedicationis feſtivitatem recolit

Poteſt mutari Dedicatio in Dominicam proximiorem, vel aliam commodiorem,

Poteſt æquè certo Calendarii die conſtitui.

Dedicatio Eccleſiæ Cenomanenſis.

non dictâ die 26. Aprilis, ſed ipſa feria 2. poſt Dom. in Albis ad inſtar feſti mobilis; non, inquam, diſplicet ille uſus, ſi in pari caſu alibi inducatur.

QUÆSTIO IV.

Quid agendum cùm neſcitur dies proprius Dedicationis alicujus Eccleſiæ?

Epiſcopi eſt diem Dedicationis decernere, cùm neſcitur.

DE Eccleſia id quæritur, quam ex certis indicibus, nempe ex Crucibus in parietum ſuperficie deſcriptis Altarique fixo & immobili conſtat fuiſſe olim dedicatam, ſed cujus Dedicationis dies ex omni hominum memoria prorſus excidit. Reſpondeo allatam ſuprà Sacræ Rit. Congr. Declarationem ad hunc caſum pari jure eſſe extendendam, adeòque ad Epiſcopum pertinere, diem quem ipſe opportuniorem judicaverit, Dedicationi huic annuatim celebrandæ decernere. Quo enim meliori tu modo dubium hocce queas ſolvere?

QUÆSTIO V.

An legitimus ſit uſus omnium Diœceſis totius Eccleſiarum Dedicationem una ſimul eademque die celebrandi?

In multis Diœceſibus Dedicatio omnium Eccleſiarum ſimul una die celebratur.

ESſe legitimum probat multarum earumque inſignium Diœceſium authoritas, Senonenſis, Rothomagenſis, Ebroicenſis, Lexovienſis, Carnutenſis, Ambianenſis, Noviomenſis, Rhedonenſis, Maclovienſis &c. quarum morem ſuſcepit quoque Aurelianenſis in nuperrima ſui Breviarii proprii reformatione. Sunt autem argumenta non pauca nec levia, quibus adducor ut inſtituti hujus rationem minùs probem.

Rationes ob quas ritus ille minùs probatur.

Primum, quòd mutatio diei Dedicationis (ſi is probè ſciatur) perperam fieri non debeat, nec niſi juſta ex cauſa; eſt enim Dedicatio, ut ex S. Leone diximus aliàs, natalis veluti Eccleſiæ, quem proinde abſurdum eſt alio die celebrari, quàm eo quo verè contigit: Cauſa autem mutationis ejuſmodi juſta alia ſubeſſe non poteſt, quàm ſi die, vel tempore minùs commodo occurrat; at multæ ſunt Eccleſiæ, quarum propria Dedicatio die ac tempore haudquaquam incommodo occurrit; imò æquè vel etiam magis commodo ac eo in quem mutatur: ergo in iis perperam ac ſine cauſa fit ejuſmodi mutatio.

Cauſa mutandæ Dedicationis non alia eſt, quàm tempus minùs commodū.

Secundum eſt, quòd contra relatum ſuprà Sacræ Rit. Congreg. Decretum, ejuſmodi mutatio fiat ab Epiſcopo non conſecratore, & extra actum conſecrationis; quod ſanè argumentum locum habere debet in omnibus Eccleſiis uſui Romano adſtrictis, ſaltem ab eo tempore quo ejuſmodi Decretum pronunciatum fuit.

Mutatio Dedicationis non debet fieri niſi ab Epiſcopo Conſecratore in actu ipſo conſecrationis.

Tertium, Quòd cùm ſingulæ ſic Eccleſiæ ſuam quælibet Dedicationem celebrent, multæ autem reverà dedicatæ non fuerint, conſequens eſt ejuſmodi feſtum à multis falſo titulo celebrari.

Eccleſiæ non conſecratæ fieri non debet feſtum Dedicationis.

Quartum, conſequens item eſt omitti in particularibus Eccleſiis celebrationem Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, contra Decretum Sacræ Rit. Congreg. 2. *Maii 1619.* nam cùm ejuſmodi ritus ad hoc inductus ſit, ut particulares Eccleſiæ cum Cathedrali in celebranda Dedicatione conveniant; fit ut dum quælibet ſuæ propriæ Dedicationi obſequitur, nulla Cathedralis ipſius Dedicationem recolat.

Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis fieri etiam debet ab Eccleſiis particularibus.

Quam ergo, inquies, reſolutionem dabis Eccleſiis locorum, in quibus prædictus uſus receptus eſt? Faciem ſatis; vel enim ipſæ proprium ſuæ Dedicationis diem ſciunt, vel neſciunt: (ſuppono enim eſſe dedicatas.) Si neſciunt; ſuam æquè ac aliæ omnes Eccleſiæ Dedicationem conſtituto communiter die celebrent, juxta quod definitum eſt præcedenti quæſtione; poſtridie verò Cathedralis, juxta deciſionem Rotæ Romanæ à Gavanto relatam *ſect. 8. c. 5. n. 6.* Si verò diem Dedicationis ſuæ proprium ſciunt, illum obſervent eo ritu quem decet; & quo die cæteræ Diœceſis Eccleſiæ ſuam quæque communiter Dedicationem celebrant, celebrabunt illæ Cathedralis Dedicationem: quod expreſsè declaravit Breviarium Senonenſe his verbis, quæ placuit integra exſcribere: *Dedicatio Eccleſiæ Senonenſis celebratur Dominica proxima poſt Octavam Apoſtolorum, Annuale cum Octava in Civitate, & ſic per Diœceſim, ubi non fuerit alio die propria Eccleſiæ Dedicatio: ubi fuerit, fiet Annuale ſine Octava.* Quòd ſi quæ ſint Eccleſiæ non dedicatæ, eo die, quo fit communiter feſtum Dedicationis Eccleſiarum totius Diœceſis, non ſuam illæ, ſed Cathedralis Dedicationem celebrabunt, modò & ipſa die Cathedralis quoque ſuam agat Dedicationem; nam ſi non ea die, ſed alia propriam ipſa Dedicationem celebrat, ut fit Carnuti & Aureliis, abſurdum eſſet illius Dedicationem diverſo ab ipſa die in aliis Eccleſiis celebrari.

Ut facienda Dedicatio propriæ Eccleſiæ in locis ubi celebratur una ſimul die Dedicatio omnium Eccleſiarum.

Breviarium Senonenſe.

QUÆSTIO VI.

An reſcitus, qui exciderat, vel mutatus perperam Dedicationis dies proprius reſtitui debeat?

REſtituendum ſuadet tum ſtudium nil niſi verum in divinis unquam Officiis pronunciandi, tum applicata ad id juris civilis par ratio de reſtitutione in integrum poſtulata *lib. 2. Codicis Tit. 50.* Si tamen uſus talis invaluit, qui abſque ſcandalo tolli non poſſit, Epiſcopi ſuper hoc, aut Superiorum ad quos ſpectat, conſenſus habeatur.

Reſtituendus dies Dedicationis proprius cū reſcitur.

CAPUT II.

DE DIE NATALI SEU FESTO PRÆCIPUO Sancti cujuslibet.

SAncti, inquam, cujuslibet; non enim refert ad præſens negotium, ſitne Patronus ſeu Titularis loci vel Eccleſiæ, aut Naturalis ſeu Indigena, aut cujus habeantur Reliquiæ &c. quando id unum in quæſtione verſatur, Quo die conſignandus ſit in Calendario cujuſque Natalis ſeu Feſtum præcipuum.

QUÆSTIO I.

Quis ſit dies Natalis ſeu Feſtum præcipuum cujuſque Sancti?

NAtalem in Martyribus frequentiùs dici, ut in Confeſſoribus Depoſitionem ſeu Tranſitum, jam obſervavimus aliàs, neque nunc retractamus; imò utramque hanc appellandi rationem adductis aliquot luculentis Patrum teſtimoniis ampliùs illuſtramus.

Lib. 1. cap. 8.

Et pro Natali quidem Martyrum, facit Eccleſia Smyrnenſis in Epiſtola Encyclica quam de Actis & morte ſancti Polycarpi Epiſcopi ſui ſcripſit, quamque Hiſtoriæ ſuæ intexuit Euſebius Cæſarienſis lib. 4. cap. 15. Vocat enim γενέθλιον ἡμέραν τοῦ μαρτυρίου, *natalem diem martyrii.* Facit item Auguſtinus ſer. 113. de diverſis, ubi S. Cyprianum laudibus proſequens, hæc habet: *Quod nomen ſic frequentat Eccleſia, id eſt natales, ut natales vocet pretioſas Martyrum mortes.* Tum paucis interjectis ſubdit: *Quid eſt hoc fratres? quando natus eſt ignoramus, & quia hodie paſſus eſt, natalem ejus hodie celebramus; ſed illum diem non celebraremus, etſi noſſemus; illo enim traxit originale peccatum, iſte* autem

Natalis de Martyribus ut plurimùm dicitur. *Euſebius Cæſar.*

Auguſtinus.

Digitized by Google

autem die vicit omne peccatum. Facit denique Origenes lib. 3. Comment. in Job, cujus tu prolixiorem textum conſule, ſi lubeat.

Origenes.

Depoſitio quid ſit. *Ambroſius*.

Depoſitionem verò ſic definit Ambroſius ſerm. de depoſitione S. Euſebii: *Quid eſt depoſitio? Non illa utique quæ ſepeliendis in terra membrorum Reliquiis, Clericorum manibus procuratur; ſed illa qua homo vinculis carnalibus abſolutus, liber iturus ad cœlum terrenum corpus exponit.*

Depoſitio nonniſi de Confeſſoribus dicitur, Natalis verò etiam de non Martyribus.

At his non obſtantibus, obtinuit uſus, nec is quidem recens adeò, ut quamvis Depoſitio nonniſi de Confeſſoribus dicatur, Natalis tamen de quocunque Sancto etiam non martyre indifferenter uſurpetur. Sic in Martyrologio legitur, Natalis S. Pauli Eremitæ 10. *Jan.* Natalis S. Hilarii 13. *ejuſdem*, Natalis S. Athanaſii 2. *Maji*, Natalis S. Franciſci 4. *Oct.* Natalis S. Martini 11. *Novembr.* Natalis S. Silveſtri 31. *Dec.* & aliàs ſæpiſſimè; Nec immeritò; nam ut addit citatus ſuprà Ambroſius, *Depoſitionis ipſa dies Natalis dicitur, quod delictorum carcere liberati, libertati naſcimur Salvatoris*. Fallor, ni tu hìc quoque libenter audias aptiſſima in hanc rem, paulò quidem longiora, ſed aurea planè verba Euſebii Emyſſeni, ſeu mavis Eucherii Lugdunenſis homil. 50. in Geneſim: *Meritò planè dicendi Natales dies, per quos illi qui nati fuerant in hanc fragilitatis miſeriam, ſubitò renaſcuntur in gloriam, vita perennis initium de morte ſumentes. Etenim ſi dies natales vocamus, quibus in hanc lucem in delictis & doloribus naſcimur ad dolores, juſtiùs illi celebrabuntur Natales, quibus Sancti ex corruptibili luce in novam illam futuri ſæculi veniunt claritatem, & filii hominum in adoptionem divinæ paternitatis aſcendunt*. Breviùs nec appoſitè minùs Albinus Flaccus libr. de Officiis divinis, ubi de feria 6. Paraſceves: *Jure naſci dicuntur, qui de preſſuris hujus mundi, tamquam de anguſtiis cujuſdam ventris, ad illam ſpatioſiſſimam & lucidiſſimam cœleſtis habitationis emittuntur latitudinem*.

Ambroſius.

Euſeb. Emiſſ.

Alcuinus.

Natalis idem quod feſtum præcipuum.

Is itaque dies, quo quiſque Sanctus ſive martyrio, ſive ſpontanea morte ex hac vita decedens ad cœleſtem tranſiit, Natalis propriè dicitur, idemque Sancti illius feſtum præcipuum, comparatum videlicet ad feſta Inventionis, Tranſlationis & ſimilia, quæ ſecundaria ſeu minùs principalia rectè appellari docuimus *libr. 1. cap.* 8. Et de his quidem agetur poſteà, nunc verò de ipſo Natali ſeu feſto præcipuo ſit

QUÆSTIO II.

Quo die conſignandus ſit in faſtis Natalis cujuſque Sancti?

Natalis Sanctorum dies magna olim cura annotatus.

Cyprianus.

QUantæ olim curæ fuerit Eccleſiarum Antiſtitibus Natalem Sanctorum diem annotare, eo fine ut recurrente ſingulis annis ipſa eadem die ſolemnis illorum memoria in ſacris myſteriis recoleretur, teſtis eſt locupletiſſimus S. Cyprianus, cujus hæc ſunt verba in Epiſtola 37. quam dedit ad Presbyteros & Diaconos Eccleſiæ Carthaginenſis: *Denique*, inquit, *& dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus. Quamquam Tertullus fideliſſimus & devotiſſimus frater noſter pro cætera ſolicitudine & cura ſua, quam fratribus in omni obſequio operationis impertit, qui nec illi circa curam corporum deeſt, ſcripſerit & ſcribat, ac ſignificet mihi dies, quibus in carne beati fratres noſtri ad immortalitatem, glorioſo mortis exitu tranſeunt, & celebrantur hìc à nobis oblationes & ſacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiſcum Deo protegente celebrabimus.*

Cypriano junge Chryſoſtomum, qui Sanctorum ſepulcra, Imperatorum ac Principum palatiis longè anteponens, diem quoque natalem illorum annuo ritu in Eccleſiis peragi ſolitum, ſua illa mirifica eloquentiæ vi ſic extollit homil. 26. in Epiſtol. 2. ad Corinth. *Dic mihi, ubi ſepulcrum eſt Alexandri illius Magni? Oſtende mihi, & dic qua die ſit mortuus? At verò ſervorum Chriſti vel monimenta ipſa ſunt illuſtria, quæ regiam ac dominam omnium Civitatem obtinuerunt; tum mortis illorum dies noti ſunt omnibus, qui feſti per totum orbem aguntur.*

Chryſoſtom.

Duplex computandi diei ratio.

Jam verò ut in propoſita quæſtione ſiſtamus, nodus hinc nectitur, quòd cùm alia ſit diei naturalis, & alia feſtivi Officii inchoandi terminandive ratio; poſtremum nempe hoc à veſpera ad veſperam, more fortaſſis ab Hebræis deducto; prior verò ille à media nocte ad mediam noctem computatur; dubitandi locus eſt, utra ex computatione decerni debeat dies Sancti cujuſque natalis?

Natalem diem à Veſpera ad Veſperam computandum, ſuadet ratio Officiorum.

Et quidem poſteriori inſiſtendum, hoc eſt à veſpera ad veſperam; adeò ut qui Sanctus, verbi gratia, obiit prima die Octobris à meridie, ſeu ab ea hora quæ decantandis Veſperis indicitur, putà ſecunda vel tertia, hujus dies natalis non ipſa prima die Octobris, ſed ſequenti, ſecunda videlicet conſignetur, ſuadet ipſa Officiorum ratio; quæ cùm ad Sancti cujuſque feliciſſimum ex hac vita tranſitum, inſtar ſe habeat triumphi ad victoriam, illum certè hanc non præcedere, ſed ſequi, aut ad ſummum comitari æquum eſt, Præcederet autem, ſi totum Officium, vel plenior illius pars abſoluta fuerit, ante horam qua Sanctus ex hac vita migravit; quod in ſimplici maximè feſto contingit, cujus Officium totum completur ad Nonam.

Uſu tamen communi à media nocte ad mediam noctem ſolet computari. Exemplis S. Franciſci de Paula, & aliorum.

At uſus communis priorem computandi rationem magis adhibet, ut videlicet dies ille cuique Sancto natalis aſſignetur, in cujus aliqua hora à media nocte ad mediam noctem contigit ipſum ex hac vita tranſire, ut patet multis exemplis; S. Franciſci de Paula, quem cùm certum ſit obiiſſe die 2. Aprilis, eodem videlicet die & eadem hora qua Chriſtus Dominus in Cruce ſpiritum emiſit, hoc eſt circiter tertia vel quarta poſt meridiem, eo ipſo die, non autem 3. Aprilis ejus natalis conſignatus habetur; S. Ludgeri, qui 26. Martii nocte ingruente defunctus, S. item Cuniberti Colonienſis Epiſcopi, qui 12. Novembris ſub extremum diem, iis ipſis diebus locum in faſtis obtinent.

Prior computandi ratio non improbatur, quæ patet exemplis S. Martini, S. Tereſiæ &c.

Haud tamen improbaverim, ſi Sanctorum, quos poſt horam Completorii inchoata jam nocte decedere contigerit, natalis computetur dies, non qui noctem illam præcedit, ſed qui ſequitur, cùm ob rationes antè dictas, tum quòd illorum tranſitum, eo potiſſimùm die celebrari deceat, quo is hominibus primùm vulgatus atque cognitus fuit. Sic S. Martini, quem media nocte Dominicæ deceſſiſſe aſſerit Severus Sulpitius, ſic recentioris S. Thereſiæ ad Veſperum diei 4. Octobris anni 1582. defunctæ, aliorumque item multorum feſtivitas diei noctem, in qua deceſſerunt, excipienti adſcribitur.

Pronatali is dies habendus, qui vel uſu pro pridem, vel Pontificis Decreto in cujuslibet Sancti Canonizatione præſcribitur.

Facilis concluſio, quod ad praxim attinet; Quorum enim Sanctorum ratus pridem ac fixus habetur dies, ſive in Calendario Martyrologiove Romano, ſive in Proprio cujuſque Eccleſiæ, is omnino retineri debet, nec in alium ullatenus mutari, niſi occurrente aliqua ex cauſis quæ infrà recenſebuntur. Aliis verò qui recenter in Sanctorum album referuntur, ſolet itidem Pontifex in Bulla Canonizationis, vel diem ipſum, quo obiere, vel alium, ſi is fortè minùs opportunus eſt, celebrandæ annuatim eorum feſtivitati decernere.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An & qualiter contingat diem Sanctorum natalem in alium mutari?

Mutari non eſt idem quod transferri.

NOn idem eſt mutari quod transferri. Nam feſta eùm transferuntur feſto alio ſeu Officio majori impedita, ſic à die ſuo proprio abſcedunt, ut ipſi nihilominus ſemper addicta remaneant, adeòque ſublato aliàs impedimento, in eo jugiter celebrentur. Quæ verò mutantur in alium diem, hunc abdicato penitùs priſtino die, firma deinceps ac perpetua ſtatione quaſi proprium ſibi vindicant. Præſens de Translatione ſermo noo eſt, (erit ſuo loco inferiùs) ſed de Mutatione dumtaxat, cujus quidem faciendæ quadruplex univerſim poteſt eſſe cauſa.

Mutatur Natalis Sanctorum dies, cùm is à digniore feſto occupatur. Exempla SS. Baſilii, Remigii, Dominici &c.

Prima, Quando dies Sancti alicujus natalis à digniore feſto occupatur. Sic S. Baſilius è die 1. Januarii, quo obiit, mutatus eſt in 14. Junii, qui eſt dies Ordinationis ipſius. S. quoque Remigius, è die 13. ejuſdem menſis, qui dies eſt Octava Epiphaniæ, in diem 1. Octobris Translatione corporis ipſius inſignem. Sic S. Dominici Natalis non proprio, die nempe 6. Auguſti, ſed 4. per anticipationem conſignatus habetur authoritate Pauli IV. cedens videlicet feſto Transfigurationis Domini. Sic S. Chryſoſtomi feſtum non 14. Septembr. quo die ipſum obire contigit, ob feſtum Exaltationis S. Crucis; ſed die 27. Januarii, qui Translationis ejuſdem Sancti dies eſt, celebratur. Sic denique S. Hyacinthus è die 15. Aug. mutatus eſt in 16. ob feſtum Aſſumptionis B. Mariæ. S. Romualdus è die 19. Junii, ne officeret Miſſæ SS. Gervaſii & Protaſii, in 7. Februar. quo translatum fuit corpus ipſius. S. Stanislaus è die 8. Maji in præcedentem 7. ob feſtum Apparitioois S. Michaelis, S. Ludovicus è die 24. Auguſti io 25. ob feſtum S. Bartholomæi. S. Catharina Senenſis è die 29. April. in ſequentem 30. ob feſtum S. Petri Mart. S. Birgitta è die 23. Julii, S. Apollioari pridem ſacrò in 7. Octobris primùm, quòd eo die canonizata fuerit; deinde ob S. Marcum Papam, in 8. S. Martina è die 1. Januarii in 30. S. Hilarius è 13. ejuſdem in 14. & S. Paulus Eremita è 10. in 15. quamquam de his duobus poſtremis dubium eſſe poteſt, ſitne Translatio magis quàm mutatio; quod examinabitur aliàs.

Mutatur item Natalis dies ob concurrentiam Temporis Quadrageſimæ ſeu Paſchatis. Exempla Annunciationis B. Mariæ, S. Jacobi, Decollationis S. Joannis Baptiſtæ &c.

Secunda cauſa mutationis prædictæ eſt tempus celebrando feſto minùs idoneum, nempe tempus Quadrageſimæ ſeu Paſchatis; quæ olim cauſa fuit, cur Synodus Tolerana X. Can. 1. feſtum Annunciationis B. Mariæ, quod eſt 25. Martii faciendum indixerit in Hiſpania 18. Decembr. Iode eſt quoque quòd feſtum S. Jacobi majoris Apoſtoli, qui circa Paſchæ feſtum, nempe Kalendis Aprilis ab Herode Agrippa decollatus fuit, ipſo die Translationis ejus in univerſa Eccleſia recolatur. Feſtum itidem Decollationis S. Joannis Bapt. ab alio Herode Antipa dicto circa idem Paſchæ Feſtum iuterfecti, indictum eſt die 29. Auguſt. quando, ut habet Martyrologium, *ejus venerandum Caput ſecundo inventum fuit, ac poſtea Romam translatum*. Sic etiam S. Ambroſii feſtum uſu Romano, (à quo tamen pleræque noſtrates Eccleſiæ diſcrepant) è die obitus ipſius, nempe 4. Aprilis, quòd is dies Paſchatis feriis frequenter implicetur, in 7. Decembris, qui eſt dies Ordinationis ipſius, mutatum fuit. S. Petri quoque Martyris Natalis ab Innocentio IV. diei 29. Aprilis affixus, cùm ipſe S. Martyr ab hæreticis interemptus anno 1252. occubuerit die 6. ejuſdem menſis, qui eo anno fuit Sabbatum in Albis.

Nonnunquam etiam mutatur propter majorem feſti ſecundarii celebritatem.

Tertia cauſa mutandi diem natalem inde oritur, quòd nonnunquam dies Translationis ſeu Ordinationis, aut quivis alius celebrior ſit die ipſo natali; quò fit ut tota in eum Natalis ipſius ſolemnitas transfundatur. Cujus rei exempla aliqua ſuppeditantur in ipſo Martyrologio Romano. Nam S. Adriani Mart. Natalis ponitur die 4. Martii, cùm tamen præcipua ejus memoria agatur 8. Septembr. SS. Ciriaci &c. mart. feſtivitas celebratur die 8. Auguſti, quorum tamen paſſio inſcripta eſt 16. Martii. Denique S. Frigdiani Lucenſis Epiſcopi Natalis ſignatur 18. Martii, cujus tamen feſtivitas 18. Novembr. potiſſimùm recolitur. Verùm quantum fas eſt conjicere, ideò fortaſſe celebritas major præfatis diebus indicta eſt, quòd Natalis Sanctorum illorum Quadrageſimali tempore eveniat, quo tempore à celebratione Feſtorum fuiſſe olim abſtentum penitus obſervavimus aliàs; ſicque tertia hæc mutationis cauſa in eamdem cum ſecunda recidit.

Exempla S. Adriani, SS. Ciriaci &c.

Ultima mutationis cauſa Sanctorum Societas, in iis videlicet qui plures ſimul paſſi ſunt.

Quarta denique in iis Martyribus locum habet, qui cùm plures ſint numero, nec omnes una die perempti, omnium tamen Natalis ſimul una die conſignatur, ut S. Mauritii & ſociorum &c. Item in iis Sanctis quibus ex ſocietate paſſionis, aut alio ſimili vinculo, putà affinitatis, conſanguinitatis &c. idem quoque cum aliis natalis dies attributus eſt, uti S. Domitillæ cum SS. Nereo & Achilleo, S. Baſiliſſæ cum S. Juliano Conjuge &c.

QUÆSTIO IV.

An mutatio natalis diei ſervari debeat etiam in propriis eorum Eccleſiis?

Prædictæ mutationis cauſæ non habent locū in propriis Sanctorum Eccleſiis.

RAtio dubitandi hinc oritur, quòd cùm prædicti Sancti io ſuis quique propriis Eccleſiis dignioris ſint ſtatus ac conditionis, (utpote Titulares vel Patroni) quàm feſta illa cum quibus eodem die ſimul occurrunt, nulla ex allatis cauſis urget, ut diem proprium mutent.

Noo prima, cùm ex Rubr. de Translatione Feſtorum, minus majori cedere debeat, adeòque illo retento transferri; putà feſtum Transfigurationis Domini retento S. Dominico, & Exaltationis S. Crucis, retento S. Chryſoſtomo.

Non ſecunda: eſto enim, impediatur uno anno feſti celebratio occurſu certorum dierum Quadrageſimæ, vel Paſchatis, non eſt hoc impedimentum perpetuum, cùm ii dies mobiles ſint, nec altero ſequenti anno feſtum prædictum in aliquem illorum caſurum ſit. Non denique tertia, cùm utrumque feſtum tam Natalis quàm Translationis, aut aliud ejuſmodi in Patronis ſeu Titularibus, nedum celebrari quidquam vetet, ut etiam rationes multæ perſuadeant.

Mutatio retinenda etiam in propriis Eccleſiis in duplici caſu.

His ego rationibus haud equidem repugno in caſu S. Jacobi, quem utpote Apoſtolum eodem cum tota Eccleſia die ſatius eſt venerari. Item in caſu S. Dominici & ſimilibus, quando nimirum per expreſſam Bullam Pontificis natalis alicujus Sancti, cujus Officium fit in univerſa Eccleſia, noo in diem Translationis, aut Ordinationis ejuſdem, ut fit in SS. Chryſoſtomo, Ambroſio &c. ſed vel in præcedentem, vel in ſequentem proximè diem commutatur: tunc enim æquius cenſeo Eccleſias etiam illas, quarum is Sanctus Patronus eſt, à communi uſu non recedere; uti non diſcedunt Dominicani in feſto dicti Inſtitutoris ſui S. Dominici. Scio diſcedere Præmonſtratenſes in feſto S. Norberti, ſed habent quo ſe tueantur Decretum ſuper hac re Urbani VIII. ipſis ac toti diœceſi Antuerpienſi, in qua Sanctus ille præcipuæ venerationi eſt, peculiariter conceſſum; nec immeritò, cùm dies ille Junii 6. Octavis Pentecoſtes & Corporis Chriſti frequentiſſimè interturbetur. Diſcedit item ab hujuſmodi uſu Eccleſia Cracovienſis, apud quam S. Stanislai feſtum non 7. ſed 8. Maji, qui dies natalis ipſius eſt, colitur. Quem ego uſum nolim aſſertione mea refigi.

Feſtum S. Norberti apud Præmonſtratenſes non fit eodem die cum univerſa Eccleſia.

Item nec feſtum S. Stanislai in Eccleſia Cracovienſi.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO V.

An & quo jure induci poſſit ſimilis mutatio in Sanctis locorum & Eccleſiarum propriis?

Adhiberi poteſt Mutatio in feſtis propriis, perinde atque in generalibus.

QUæ altera abhinc quæſtione relata ſunt mutationis Feſtorum generalium exempla, ea utique probant ſimilem mutationem in Feſtis locorum & Eccleſiarum particularibus poſſe æquè uſurpari, cùm opus eſt; pari ſiquidem incommodo paria ſunt adhibenda remedia. Et id quidem vel jure ordinario in iis Eccleſiis quibus teſtat adhuc legitimus proprii Breviarii uſus, vel jura conſuetudinis, ubi id pridem uſu receptum eſt, vel denique per Epickejam, *quæ ſervat intentionem legis in his ad quæ forma legis non ſe extendit*, inquit S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 120. *art.* 1. Non poteſt autem meliùs ſervari intentio legis, quàm ſi eam interpreteris eo planè ſenſu, quo eam legislator ipſe in pari caſu eſt interpretatus.

D. Thomas.

QUÆSTIO VI.

Quandonam uſurpanda eſt ejuſmodi mutatio in Sanctis propriis?

DIxi jam ſuprà, cùm opus eſt; quod duabus hiſce regulis exactè ſatis definitur.

Mutatio maximè adhibenda, quando feſtum ſic à die proprio excluditur, ut nunquam in eo fieri poſſit.

Prima eſt, Mutationem tum maximè adhibendam, quando Natalis Sancti alicujus ita excluditur à die proprio, ut nunquam in eo celebrari queat. Nam cùm tunc nonniſi perperam dies illi aſſignaretur, quid opportunius quàm alium ei certum ac ſtatum decernere? Dies autem à quibus ſic excluditur feſtum proprium, recenſentur iſti inprimis, *Rubr. de Tranſlatione Feſtorum numer.* 1. Vigilia & Feſtum Nativitatis Domini, Circumciſio, Epiphania & dies ejus Octava, Aſſumptio B. Mariæ, Feſtum Omnium Sanctorum: Sic à die Circumciſionis excluditur S. Odilo Cluniaci; à die Epiphaniæ S. Melanius Rhedonis; à die Aſſumpt. B. Mariæ S. Arnulphus Sueſſione; à die feſti Omnium Sanctorum, S. Marcellus Pariſiis, S. Auſtremonius Arvernis, S. Vigor Bajocis &c. & hi quidem dies feſtum omne, cujuſcunque ſit gradus ac dignitatis, abſolutè excludunt. Alii comparativè tantùm, prout videlicet feſtum unum ſuperat aliud gradu ac dignitate; qua ratione feſtum duplex excludit omne ſemiduplex, & duplex majus, duplex aliud minus: cùm enim de utroque ſic eodem ſimul die occurrente fieri non poſſit, ordo poſtulat, ut retento digniore, minùs dignum in alium diem rejiciatur. Sic Rothomagi Feſtum S. Mariæ Magdalenæ duplex excludit feſtum S. Vandregeſilli ſemid. & feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli duplex majus, feſtum S. Audoeni Epiſcopi minus. Sic Pariſiis, Carnuti & alibi feſtum S. Joannis Chryſoſtomi *die* 27. *Januarii* excludit feſtum S. Juliani Epiſcopi; ſic denique in multis Eccleſiis commemoratio S. Pauli *die* 30. *Junii* excludit feſtum S. Martialis, &c.

Dies à quibus feſtum quodcunque excluditur.

Alii dies excludunt tantùm feſta inferiora.

Ex paribus feſtis ſimul una die occurrentibus illud mutandum, quod juxta Rubricas eſſet transferendum.

Quòd ſi ambo paris fuerint ordinis ac dignitatis, illius dies in alium mutabitur, cujus erit Translatio facienda. Quodnam verò illud ſit, copioſiùs tractabitur ac commodiùs definietur aliàs, ubi de Translatione Feſtorum. Quò item remittimus cæteras omnes difficultates, quæ hic moveri poſſent circa ejuſmodi occurrentias; adeò ut quæ illic de Tranſlatione ſtatuentur, eadem hic reſpectivè de Mutatione dicta eſſe præſumantur.

Mutatio non eſt adhibenda cùm feſtum non excluditur à die proprio in perpetuum.

Secunda Regula. Quando Natalis Sancti alicujus non excluditur in perpetuum à die proprio, ſed ex accidenti tantùm, hoc eſt propter occurrentem verbi gratia Dominicam primæ vel ſecundæ claſſis, vel Feriam 4. Cinerum, aut ferias majoris hebdomadæ, aut Octavas Paſchæ & Pentecoſtes, tunc opus non eſt mutatione, cùm ſufficiat tranſlatio. Ratio eſt, quia in tali caſu ſtat ipſi nihilominus dies proprius, adeò ut ſi in uno anno impeditur, in altero futurus ſit liber. Hincque eſt quòd ratione Dominicarum majorum, aut Feſtorum mobilium, in quæ poteſt feſtum aliquod incidere, mutatio non ſoleat induci: ut exemplo ſunt plurima feſta iis menſibus inſerta, qui vel nunquam vel rarò ab Adventus, Quadrageſimæ, Paſchatis, aliarumve conſequentium ſolemnitatum finibus eximuntur. Eſt nihilominus exemplum unum contrarium Senonis, ubi feſtum S. Columbæ virg. & mart. celeberrimæ è die 31. Decembris mutatum habetur in 28. Julii, qui Tranſlationis ejus dies eſt, cedens utique S. Silveſtro. Verùm crediderim id non in gratiam S. Silveſtri factum fuiſſe, ſed potiùs SS. Saviniani & Potentiani, de quibus ea ipſa die fit in Eccleſia Senonenſi.

Feſtum S. Columbæ virg. Senonis mutatur in diem Tranſlationis.

Nec obſtat, quòd ex Concilii Laodicenſis Decreto can. 51. nulla olim Sanctorum feſta in Quadrageſima celebrarentur: Ritus enim ille præterquam in Eccleſia Ambroſiana, jam ubique pridem obſolevit.

Solvuntur oppoſita duo.

Nec obſtat item quod dictum eſt ſuprà quæſt. 3. capitis præcedentis, Dedicationis diem poſſe mutari ab Epiſcopo Conſecratore in actu Conſecrationis, ob prævisum inpoſterum concurſum temporum Adventus, Quadrageſimæ &c. Caſus enim ille Dedicationis proprius eſt, ad feſta Sanctorum minimè extendendus; niſi tu dixeris perinde mutandum diem Sancti natalem dum is moritur, ac diem Dedicationis Eccleſiæ dum ipſa dedicatur.

QUÆSTIO VII.

An feſta in Calendario Romano deſcripta, æquè poſſint per mutationem diei alteri aſſignari, quando contingit ea à feſtis propriis loco moveri?

VErbi gratia occurrit Biturigibus feſtum S. Sulpitii *die* 17. *Januarii*, quæ eadem dies eſt S. Antonii, de quo tamen ea die Officium fieri ibi nunquam poteſt. An itaque transferri ſimpliciter debet in primam diem minimè impeditam? An verò ſatius eſt mutari, ſic ut alteri certæ diei, quæ inſtar propriæ ſit, aſſignetur?

Mutari poſſunt ubi jus vel conſuetudo talis eſt, aliàs verò nequaquam.

Mutari poſſe ſuadent rationes ſuprà quæſt. 5. & 6. pro feſtis propriis allatæ, quibus non magnoperè repugno, maximè ubi Breviarii proprii jus integrum eſt, vel conſuetudo talis invaluit. Aliàs verò ne iis planè conſentiam, vetant hæc argumenta. Primò quòd Rubr. 10. de Tranſlatione Feſtorum num. 6. vel nunquam vel hìc maximè locum habeat, ut videlicet occurrentibus ſimul eodem die Feſtis duobus, fiat de digniori, tranſlato minùs digno: hunc autem textum per Epickejam, modo quo antè docuimus interpretandi par non eſt ratio, cùm Feſtum hìc transferendum non ſit proprium, ſed commune totius Eccleſiæ, adeòque jure communi regendum. Secundò, quia ſi mutaretur tale feſtum in alium diem ſtatum ac fixum, & ille dies incideret in Dominicam, periret Officium Dominicæ, quod incommodum caveri ſummoperè debere diximus aliàs. Item poſſet accidere, ut in Tranſlatione præferretur aliis ſibi æqualibus priùs in Calendario deſcriptis, contra Rubr. cit. num. 7.

In Tranſlatione dignius præferendum minùs digno.

Non debet perire Officium Dominicæ ob feſtum mutatum.

Tertiò denique, Non is eſt uſus multorum Propriorum, in quibus poſt deſignatum ſuo die feſtum proprium, ſi quid aliud eodem die in Calendario Romano deſcriptum habeatur, additur protinus illud eſſe transferendum, nullo die determinato. Sic in Proprio Briocenſi, deſignato feſto S. Brioci 1. die Maji, ſtatim ſubditur, *Feſtum SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi transfertur in primam diem non impeditam feſto novem lectionum*. Itidem die

Proprium Briocenſe.

Trans-

Digitized by Google

Tranſlationis ejuſdem S. Brioci die 18. Octobr. *quo die*, inquit Rubrica propria, *nihil fit de S. Luca, ſed transfertur &c.* Innumera ſunt ejuſmodi exempla.

QUÆSTIO VIII.

In quem diem fieri debeat mutatio feſti Natalis impediti?

Mutatio fit in diem proximam minimè impeditam.

HActenus de termino à quo mutationis, ſeu de die deſerendo; nunc de termino ad quem ſeu de die alio aſſumendo: in quo locum inprimis habet regula eadem quæ de Tranſlatione Feſtorum, ut videlicet fiat mutatio in primam diem liberam, ſeu feſto Duplici vel Semiduplici non impeditam. Sic Pariſiis feſtum S. Marcelli Epiſcopi è die Omnium Sanctorum mutatum eſt in diem 3. Novembr. Aureliæ feſtum S. Floſculi Epiſc. è die Purificationis B. Mariæ in ſequentem Februarii 3. Sic feſtum S. Martialis Senonis, Andegavi, & alibi ubi eſt duplex, è die Commemorationis S. Pauli in 3. Julii: Turonis verò, Biturigibus, & ubi eſt tantum ſemiduplex, in 7. ejuſdem &c.

Exempla S. Marcelli, S. Floſculi, S. Martialis.

Aliquando non in proximā diem.

Hic autem velim obſerves, aliquando non in diem quæ prima occurrit libera, mutationem fieri; ſed in ſequentem, quò locus detur feriali Officio primùm ponendo; quod à congruo non abeſſe demonſtrat exemplum S. Martinæ in ipſo Calendario Romano, mutatæ è die 1. Januarii in 30. interjecta nimirum 29. vacua. Quod verò notavi in veteri Calendario Cluniacenſi feſtum S. Odilonis è die 1. Januarii in ſequentem, die Octava S. Stephani occupatam, nihilominus mutatum; id ego in ſimili caſu haudquaquam probaverim, niſi vel privilegio vel conſuetudine legitima firmetur.

Exemplum S. Martinæ.

S. Odilonis in Calend. Cluniacenſi.

Mutatio fit nonnunquam per anticipationem. Exempla SS. Juliani & Hermetis, & S. Brioci.

Alicubi mutatio fit per anticipationem in diem præcedentem, uti Turonis anticipatur feſtum SS. Juliani & Hermetis mart. è die S. Auguſtini qui eſt 28. Aug. in 27. Maclovii feſtum S. Brioci è die 1. Maji SS. Philippo & Jacobo Apoſtolis ſacro, in præcedentem ultimum Aprilis; quod non improbaverim in ſimilibus caſibus, maximè cùm plures ſunt dies ſequentes impediti, & præcedens vacuus eſt; nam licèt anticipatio illa repugnare videatur tranſlationi, non tamen mutationi.

QUÆSTIO IX.

An ejuſmodi mutationem fieri deceat in certam diem Dominicam, aut alium certa hebdomada diem more Feſtorum mobilium?

Apud Regulares maximè uſitata eſt ejuſmodi mutatio.

EST hoc in uſu apud aliquos, ut Natalem Sanctorum ſuorum, non die quo occurrit, ſed conſequente Dominica celebrent, majoris, ut puto, commoditatis gratia, quò videlicet populus ab operibus ſervilibus vacans, libentiùs in proprias eorum Eccleſias conveniat. Sic Prædicatores feſtum S. Catharinæ Senenſis agunt Dominica poſt Inventionem S. Crucis, & feſtum S. Hyacinthi Dominica poſt Aſſumptionem B. Mariæ. Sic olim Minores feſtum S. Bonaventuræ celebrabant Dominica ſecunda menſis Julii, ex Conſtitutione Sixti IV. in Bulla Canonizationis ejuſdem. Hoc verò in majoribus Eccleſiis minimè uſitatum reperio, niſi pro feſto Dedicationis Eccleſiæ, ut obſervatum fuit *quæſt. 5. cap. præcedentis*; item pro certis Sanctorum Tranſlationibus, ac quibuſdam feſtis Chriſti Domini, B. Mariæ & ſimilibus, de quibus ſermo erit poſtea; pro die verò Natali, non item. Sed nec id, ſecluſo privilegio (quod habent Prædicatores) conſonum ſatis antiquo Eccleſiæ uſui judico: ſemper enim moris fuiſſe in Eccleſia Natalem Sanctorum eo die in faſtis conſignare, atque adeò recolere, quo vita functi in cœlum recepti ſunt, conſtat tum ex relatis ſuprà S. Cypriani, aliorumque Patrum teſtimoniis, tum ex antiquiſſimis Latinorum Martyrologiis, Græcorumque Menologiis: faſti autem non per hebdomadas, ſed per continuos ſingulorum menſium dies digeſti ſemper ac contexti fuere.

Duplicis motus cœli cum duplici Calendarii revolutione comparatio.

Sed nec ipſum myſterio vacat, quod in alio opere ſi Deus dederit, evolvemus pleniùs. Ut enim in cœlo alius eſt motus primi mobilis ab Oriente in Occidentem, quo motu fit quotidiana dierum revolutio, & alius proprius Solis ſingulorumque ſiderum ab Occidente in Orientem, qui motus diverſas anni tempeſtates efficit; ſic eſt in Calendario Eccleſiaſtico inſtar motus duplicis, duplex dierum computandorum ratio; alia per hebdomadas, quæ cùm ſeptem quidem diebus ſingulæ, ſed iis pro varia annorum diſpoſitione variis ac variis, perficiantur, labilis hujus atque inconſtantis vitæ curſum ſua revolutione innuunt; quo nempe curſu à primo noſtro in hanc lucem ortu ad occaſum perpetuò tendimus: unde & ex illa ratione digeſtum fuit per hebdomadas Officium de Tempore; quo Officii genere quæ comprehenſa ſunt feſta Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes &c. dicta ſunt inde feſta mobilia: alia verò computandi ratio per ſtatos menſium dies procedens, conſtans eſt, ac toto anno perpetua, ideòque futuræ perennis vitæ adeptionem ac fruitionem perfectiſſimè repræſentat; quippe quæ ab occaſu mortis uniuſcujuſque Sanctorum initium ſumens, in ipſo lucis æternæ ortu nunquam deſitura conſummatur. Ortus verò ille, qui & idem Natalis eſt, de quo agimus, quo aptiori potuit conſignari die, quàm eo ipſo, fixo quidem & immobili, quo contigit, & à quo feſti immobilis nuncupationem ſortitur?

Duplex incommodum ex tali mutatione.

His adde duplex incommodum, quod ex ejuſmodi inſtituto ſequitur; alterum, falsò plerumque enunciari in oratione vocem illam *Natalitia*, aliaſque formulas, quæ de alio quàm obitus die verificari facilè non poſſunt. Alterum, poſſe diem illam Dominicam, in quam ſic rejicitur feſtum proprium, alio quoque feſto impediri, ex quo neceſſe ſit in varias Tranſlationum & Concurrentiarum ambages impingere. Quæ omnia efficiunt, ut uſus ille minùs opportunus videatur.

QUÆSTIO X.

Quid ſi ignoretur, vel incertus ſit dies Sancti alicujus Natalis?

Baronius: Sancti ejuſdem nominis in unum diem congeſti.

EGregia eſt Baronii obſervatio in notis ad 12. Februarii, ubi de congeſtis ea die Sanctis tribus nomine Modeſtis, coacervationem ejuſmodi à Majoribus aliquando factam, quòd Natalis alicujus Martyris dies incertus eſſet; idipſumque probat exemplo S. Columbæ virg. & martyris Cordubenſis, cujus quamdiu natalis dies latuit ob deperditas ejus Eccleſiæ Tabulas, fiebat memoria ultimo die Decembris, quo item die Natalis eſt S. Columbæ Senonenſis æquè virginis ac martyris. Obſervat præterea idem Baronius ad 5. Nov. Eliſabetham Joannis Baptiſtæ parentem ea die recenſeri, non ea ratione quòd tali die obierit, ſed cùm dies ejus natalis neſciretur, conſultius viſum eſt in commemoratione Sanctorum eam viro ſuo adjungere. Qua ex utraque obſervatione

Dubium ejuſmodi locum non habet niſi in Sanctis antiquioribus.

Colliges primò, Dubio ejuſmodi locum non eſſe niſi in Sanctis antiquioribus, quorum monumenta, vel Scriptorum inopia nulla extant; vel ſi extiterint aliquando, temporum injuria periere: nam de recentioribus, major eſt poſteriorum ætatum ſedulitas, quàm ut eas tali oblivione capi poſſe ſuſpicemur.

In tali mutatione requiritur Epiſcopi conſenſus.

Colliges ſecundò, In pari caſu parem poſſe iniri rationem in conſtituendo natali Sancti alicujus

die:

die: æquius tamen videri, ſi dies ille, vel quiſquis alius viſus fuerit commodior, Epiſcopi ſeu Antiſtitum ad quos id ſpectat judicio decernatur.

Reſcitus dies proprius debet reſtitui.

Colliges tertiò, Reſcito poſtmodum qui antea ignotus erat, proprio die, Sancti quoque Natalem in eum pari jure reſtitui debere. Sic S. Vincentii Ferrarienſis Natalis, licèt à Calliſto III. in Bulla Canonizationis ejuſdem adſcriptus fuerit die 6. Aprilis, ſervatur nihilominus die 5. qua ipſum obiiſſe conſtat.

QUÆSTIO XI.

Quid ſi dies Natalis in uſu propriorum locorum alius ſit ab eo qui in Martyrologio deſignatur?

Sanctorum aliquot feſta in propriis locis, aliis à Martyrologio diebus adſcripta.

Caſus hujus obſervata ſunt à me exempla quæ ſequuntur: S. Urſini Epiſc. cujus Natalis celebratur Biturigibus *die* 29. *Decembris*, licèt in Martyrologio reponatur *die* 9. *Novembris*. S. Reguli Arelatenſis Epiſcopi in Martyrologio itidem, necnon in Proprio ipſo Arelatenſi *die* 30. *Martii*, recenſiti; Sylvanecti verò, ubi & proprius quoque Epiſcopus ac Patronus habetur, *die* 23. *Aprilis*. S. Solennis itidem Epiſcopi culti Bleſis ac in tota Diœceſi Carnutenſi *die* 24. *Septembr.* de quo tamen Martyrologium 25. S. Venantii Abb. quem Calendarium Turonenſe recenſet 11. *Octobr.* Martyrologium verò 13. S. Perpetui Epiſc. in Calendario item Turonenſi 29. *Decemb. diem* occupantis, cùm in Martyrol. 8. *Aprilis* memoretur. In his ergo exemplis & ſimilibus exiſtimo ſtandum potiùs uſibus cujuſque loci propriis, quàm temerè quidquam innovare; tum quia probabile eſt minùs potuiſſe errare indigenas in computando Sanctorum ſuorum Natali, quàm longè poſitos; tum quia conſuetudinem locorum hac in re ſervandam, præcipit expreſſè Breviarium Romanum in caſu particulari S. Bartholomæi, qui Romæ quidem 25. *Aug.* alibi verò 24. celebrari conſuevit.

In his ſtandum potius uſui locorum.

Standum item poteſt in aliis feſtis non propriis.

Ex quo item exemplo inferas retineri æquè legitimè uſum locorum, in quibuſdam aliis feſtis non ita quidem propriis, ſed quæ ab omni ævo, aliis à Calendario Romano diebus celebrari inibi conſueverunt, putà S. Pantaleonis Mart. *die* 28. *Julii*, S. Euſtachii & ſociorum Mart. 3. *Novembr.* S. Lini Papæ & Mart. 26. *ejuſdem*, SS. Vitalis & Agricolæ 27. maximè verò omnium S. Annæ, cujus Natalis colitur Pariſiis 28. *Julii*, Senonis 27. *&c.* ſive id factum ſit ex diverſa Martyrologiorum Bedæ ac Uſuardi, quorum uſus olim fuit in multis Galliæ Eccleſiis, conſignatione; ſive ob celebrem aliquam Reliquiarum Translationem iis diebus factam; ſive denique quòd dies eorum proprius alio feſto impediatur, uti Pariſiis dies 26. *Julii*, Translatione S. Marcelli.

S. Annæ feſtum diverſis diebus adſcriptum.

Laudabilius eſt ſi in his etiam Romanus uſus admittatur.

Nec minùs idcirco factum laudaverim, ſi ad conveniendum cum aliis in celebratione prædictorum Feſtorum, Romanus uſus ſuſcipiatur; maximè cùm nihil aliunde obeſt, tamque libera eſt dies iſta quàm illa.

QUÆSTIO XII.

An peti poſſit Natalis Sanctorum dies ex Menologio Græcorum?

Diverſi Græcorum Ritus à Latinis.

Arcudius.

Ut in adminiſtratione Sacramentorum præter materiam & formam, cæteri ſunt ritus Græcorum à Latinis planè diſſimiles, quantumlibet in his concordiam adſtruere conatur Arcudius in opere quod de hoc argumento edidit; ſic & in Officiorum divinorum ordinatione, longè adhuc major eſt inter utroſque diſcrepantia, uti colligitur ex Typico aliiſque Græcorum libris, quos recenſet ac diſcutit Leo Allatius diſſert. prima.

Leo Allatius.

Diverſa apud Græcos longè à nobis Feſtorum in Calendario conſignatio.

Et verò ne extra propoſitam quæſtionem vagemur, quod primum in celebratione Feſtorum caput eſt, diei aſſignatio pro unoquoque eam varia eſt, ut ſi præcipua Chriſti Domini & B. Mariæ feſta exceperis, cæterorum pauca admodum ſint, in quibus ii nobiſcum conveniant. Nam Apoſtolorum omnium, & Evangeliſtarum, præterquam Petri & Pauli, ac Andreæ, Lucæ ac Marci, Natalem diverſis à noſtro Calendario diebus obſervant, videlicet, Joannis Evangeliſtæ 26. *Septembr.* Thomæ 6. *Octobr.* Jacobi Minoris 9. *ejuſdem*, Philippi 14. *Novemb.* Matthæi 16. Jacobi Majoris 30. *Apr.* Simonis 10. *Maji*, Bartholomæi 11. *Junii*, Matthiæ 9. *Aug.* Thadæi denique 21. In reliquis verò Sanctis Martyribus & aliis perpetua ferè eſt toto anno dierum varietas, prout conſtabit conſulenti ipſorum Menologium, ac Scholion Theodori Balſamonis in Titulum 7. Photii. Quam quidem varietatem non poteſt quis in ullam Eccleſiam inducere, quin ſimul omnia horrendè miſceat ac ſuſquedeque pervertat. Quare ſuus cuique Eccleſiæ ritus hac in parte, perinde atque in aliis eſt retinendus, nec aliunde quàm ex Martyrologio ſeu Romano ſeu proprio petendus Natalis Sanctorum dies.

Theod. Balſamon.

Suus cuique Eccleſiæ ritus hac in parte retinendus.

QUÆSTIO XIII.

Quis dies Natalis Sancti ejus, qui in die Biſſexti obiiſſet?

Non incongruum ſi in anno biſſextili fiat die ipſo biſſexti.

Quiſquis Sanctus ea die obierit, certum eſt Natalem ejus eſſe aſſignendum 23. *Febr.* eaque die cunctis annis non Biſſextilibus celebrandum. Annis verò Biſſextilibus, an ipſo die qui interjicitur, nempe 24. ſeu pridie S. Matthiæ? Viderint ii, quorum intereſt. Ego non incongruum judico, vel ob id maximè quòd dierum intra Octavam (ſi fortè habeat) adeoque Octavæ ipſius nulla fiat variatio; ea enim æquè incidet in 2. Martii.

QUÆSTIO XIV.

An & qualiter ob Calendarii Reformationem mutandus ſit dies Natalis?

Pro emendatione Calendarii ſublati fuere decem dies anno 1582.

Anno 1582. facta eſt à Gregorio XIII. Pont. Max. correctio Calendarii, cujus primum caput illud fuit, ut decem dies eo anno omitterentur. Locus autem omiſſionis ejuſmodi indictus eſt menſe Octobri, inter diem 4. Octobris & 15. adeo ut celebrata de more 4. Nonas feſtivitate S. Franciſci, poſtridiè non 3. Nonas ſeu 5. dies menſis, ſed Idus ipſæ ſeu 15. dies numeratus ſit.

Natalis S. Tereſiæ 15. die Octobr. conſignatus ex recepta Calendarii emendatione.

Ipſa verò eadem die 4. Octobris ſub veſperam, contigit felix ad Deum tranſitus ſanctæ Virginis Tereſiæ, cujus proinde Natalis juxta id quod à nobis dictum eſt *quæſt. ſecunda hujuſce capitis*, poſtridie in faſtis conſignandus erat. Et verò conſignatus fuit primitus ipſa 5. die Octobris. Verùm cùm ipſamet dies fuerit prima ex omittendis, Romæque adeò, & alibi, ubi tum ſervatum fuit Pontificis Decretum, non 5. Octobris, ſed 15. numerata ſit, rectiùs poſtea inſcriptus fuit illius S. Virginis Natalis ipſis Idibus, ſeu 15. ejuſdem menſis.

Idem præſtandum in aliis Sanctis, qui poſt prædictam Calendarii emendationem deceſſere.

Quod æquè locum habere poteſt, imò & debet, in aliis Sanctis, ſi qui ſint qui poſt prædictam diem 4. Octobris è vivis exceſſerunt: etiam iis in locis, in quibus ne tunc quidem recepta adhuc erat præfata Correctio, ut in Gallia, in qua nonniſi ſequenti menſe Decembri, facta eſt decem dierum omiſſio, nempe à die 10. uſque ad 19. incluſivè.

Secus in anterioribus.

At non perinde eſt de Sanctis, qui ante dictum diem 4. Octobris illo quoque anno obiiſſe noſcuntur,

tur; ut enim firma ſtant acta omnia publica ſub antecedentibus ſignata diebus, ſic ſtare debet ſub iiſdem quoque notatus Sanctorum illorum ex hac vita tranſitus: alioqui pari æquè ratione mutandus eſſet priorum Sanctorum Natalis, juxta quod plus minuſve à recta anni ſupputatione abeſſe reperiretur; hoc verò quantam pareret confuſionem?

CAPUT III.

De Constituendo die Festis ſecundariis, ſeu minùs principalibus Sanctorum.

MUltiplicia illa feſta recenſita ſunt libr. 1. cap. 8. videlicet, Ordinatio, Inventio, Elevatio, Repoſitio, Exceptio, Relatio, Reverſio, & aliæ ſimiles; frequentiſſima verò omnium, Translatio: de quibus, quoad diem celebrationis, idem ferè ſtatuendum, quod de die Natali; ſi quid diſcriminis eſt, hiſce quæſtionibus explicabitur.

QUÆSTIO I.

Quo die celebranda ſint ejuſmodi feſta?

REſpondeo, eodem ipſo die, quo aliàs contigit Sanctum ipſum ordinari in Epiſcopum, aut corpus ejus elevari, reponi, transferri, ſuſcipi &c. ſunt enim feſta ejuſmodi inſtituta ad anniverſariam memoriam factæ olim Ordinationis, Translationis &c. ergo & eodem die fieri debent. Unum tantùm eſt in Translatione peculiariter obſervandum, quòd ſi nimirum ei faciendæ plures dies impenſi fuerint, (ut cùm corpus Sancti alicujus ex remotiori loco advehitur) tunc conſignari debet Translationis feſtivitas ultima die, hoc eſt ea qua Translatio ipſa perfecta eſt; perinde atque in Martyribus, qui cùm multis antè diebus torti ac vexati fuerint, Natalis tamen illorum ea tantùm die conſignatur, qua mortem obeuntes martyrium conſummarunt.

Translatio eo die recolenda quo perfecta fuit.

QUÆSTIO II.

An mutari poſſint ejuſmodi feſta?

POſſunt equidem, perinde ac Natalis ſeu Feſtum præcipuum, quando nimirum proprius illorum dies à digniore feſto occupatur. Quam tamen mutationem in feſtis Translationis, Elevationis, & aliis quæ de novo inſtituuntur, juvat antevertere, eo modo quo de Eccleſiæ Dedicatione dictum eſt ſuprà *cap.* 1. *quæſt.* 1. ut videlicet talis dies, Translationi, Elevationi, & alteri ejuſmodi Feſtivitati decernatur, quem mutare poſtmodum non ſit opus.

Præcavenda neceſſitas mutandi feſta ſecundaria.

QUÆSTIO III.

In quam diem mutari conveniat feſta ejuſmodi, quando impediuntur?

REſpondeo in primam liberam, prout de Natali definitum fuit *cap. precedenti quæſt.* 8. Hic autem adverte, non perinde idoneum eſſe, mutari diem Ordinationis, Translationis &c. in diem natalem, ſicut diem ipſum natalem obſervavimus mutari interdum in diem Ordinationis, Translationis &c. Ratio eſt, quia ejuſmodi feſta Ordinationis, Translationis &c. non fiunt niſi de Patronis, ſeu de iis Sanctis, quorum Natalis ſuo die ſolemniter celebratur: ergo in illum diem fruſtra rejicerentur. Quare reſtat, ut cùm ea die ſuo impediuntur, non in aliud tempus opportunius, ſed in proximam diem feſto duplici vel ſemiduplici non impeditam mutentur.

Feſta ſecundaria non mutantur in primarium.

Eſt qui ſtatim objiciat ex Baronio *in notis ad* 3. *Auguſti*, Inventionem S. Stephani, non eo die ab Eccleſia recoli, quo contigit: contigit enim, ut ex Epiſtola Luciani Presbyteri liquidò conſtat, ipſa die 26. Decembris, qua ipſiuſmet Protomartyris Natalis celebratur, è qua proinde in 3. Auguſti mutatam fuiſſe oportet. Quid ita? nimirum, ait Baronius, quòd is dies pridem celebris eſſet Anconæ, ex ejuſdem Protomartyris Reliquiarum ſuſceptione. Baronii reſponſionem eò libentiùs admitto, quò nihil aſſertioni meæ obſtat; quin & illius opinioni de die Natali prædicti Protomartyris non 3. Auguſti, ut vult Galeſinius, ſed 26. Decembris ex communi SS. Patrum ſenſu conſignando firmiter inhærens, conjicio ampliùs hac ipſa die 3. Auguſti potuiſſe contingere aliquam ex Revelationibus factis eidem Luciano, imò & ipſammet fortè Inventionem: nam cùm ipſe ſcribat tribus vicibus per tres ſeptimanas apparuiſſe ſibi in viſu Gamalielem, tum re ad Joannem Jeroſolymitanum Epiſcopum delata, ejus mandato plures ſe terræ cumulos effodiſſe, ac tandem inventis in uno tribus thecis aureis, eidem Joanni Epiſcopo, qui Dioſpolim ad Synodum abierat, id renunciaſſe: hunc verò Jeroſolymam reverſum, aſcitis duobus Epiſcopis Sacras Reliquias variis editis ſignis ac virtutibus in ſanctam Eccleſiam Sion tranſtuliſſe 7. Calendas Januarii; cùm, inquam, Lucianus hæc ſcribat, ex ejus teſtimonio conſtat haud translatas fuiſſe Reliquias ipſo die quo inventæ ſunt; habita ſiquidem fuit inter ejuſmodi Inventionem ac Translationem Synodus illa Dioſpolitana, ad quam perrexit Joannes Epiſcopus; quæ eadem Synodus eſt, quam memorat Auguſtinus libr. 2. Retract. cap. 47. in qua videlicet Pelagius auditus eſt, ac prava ſua dogmata damnans Catholicus pronunciatus. Quæ omnia cùm nonniſi multis diebus perfici potuerint, non errabit, qui tres quatuorve menſes ab Inventione, ſeu prima Reliquiarum revelatione, uſque ad Translationem poſitos fuiſſe tuebitur; adeòque Inventionem ipſam ſeu primam revelationem potuiſſe facilè in diem Auguſti 3. incidere, quatuor videlicet circiter menſibus ante Translationem.

Controverſia de Inventione S. Stephani, quo die contigerit.

Baronius.

Galeſinius;

Auguſtinus.

Non ita commodè ſe expedient, qui feſtum Reſuſcitationis S. Lazari adſcribunt diei 17. Decembr. (quo die Martyrologium Romanum ejuſdem Sancti Natalem pronunciat.) Nam cùm ex omnium interpretum conſenſu, imò & ex ipſius Evangeliſtæ S. Joannis contextu conſtet Lazarum ipſum à Chriſto Domino paulò ante Paſſionem ſuam fuiſſe ſuſcitatum: ipſe autem Chriſtus Dominus paſſus ſit ſub finem menſis Martii: qua veritate poteſt Lazari ſuſcitatio in Decembrem rejici?

Reſuſcitatio S. Lazari perperam adſcripta diei 17. Decembris.

Celebratur quidem S. Joannis Baptiſtæ Decollatio (quod poſſet quis retorquere) 29. *Auguſti*, licèt ipſe circa feſtum Paſchæ ab Herode decollatus ſit. Verùm adde ipſa die venerandum ejus caput fuiſſe inventum, quod legitimam dedit celebrando Decollationis feſto occaſionem. Nihil autem ſimile de S. Lazaro protuleris. Stat itaque noſtra reſponſio, feſta ſecundaria ſuo die impedita in alium haud eſſe mutanda, quàm in proximum aliquem nullo feſto occupatum.

Decollatio S. Joannis Baptiſtæ eo die fit, quo caput ipſius fuit inventum.

QUÆSTIO IV.

An feſta ejuſmodi addici poſſint certa Dominicæ aut Feria more feſtorum mobilium?

NOn eſt infrequens talis uſus, etiam in nonnullis majoribus Eccleſiis. Nam Pariſienſis Translationem S. Ludovici quotannis celebrat feria 3.

Aliqua feſta ſecundaria certis feriis addicta.

ria 3.

ria 3. intra Octavam Aſcenſionis, & Cenomanenſis Tranſlationem ſecundam S. Juliani feria itidem 3. poſt Dominicam in Albis poſtridie ſuæ Dedicationis. Hoc autem ideò fit, quòd cum ejuſmodi Tranſlationes iis feriis peractæ primùm fuerint, æquum viſum eſt ſacrorum Antiſtitibus qui tum præerant, earum anniverſariam ſolemnitatem iiſdem feriis aſſignare. Quibus ergo in Eccleſiis mos ille pridem receptus invaluit, retineatur vi conſuetudinis; ad ipſum verò de novo inducendum, ne tu meum expectes ſuffragium.

Exempla Eccl. Pariſienſis, & Cenomanenſis.

QUÆSTIO V.

Quis dies decernendus feſtis illis generalibus Reliquiarum Sanctorum omnium alicujus Ordinis, aliiſque ſimilibus?

Feſtis illis generalibus dies decernendus ex occaſione ipſa, aut ad devotionem inſtituentis.

FEſtum commune Reliquiarum à pleriſque Eccleſiis celebrari obſervavimus *libr.* 1. *cap.* 9. *quæſt.* 8. De die verò inter illas non convenit; nam hæ unum, aliæ alium, prout videlicet Reliquiæ ipſæ apud ſingulas earum, vel receptæ, vel revelatæ, vel ſigno aliquo nobilitatæ fuerunt. Itidem feſtum omnium Sanctorum ſui Ordinis celebrant Monachi Benedictini in ſuo novo Breviario authoritate Pauli V. edito, *ad diem* 13. *Novembris* (fortè quòd dies iſta prima occurrit vacua poſt feſtum Omnium Sanctorum,) Canonici verò Regulares S. Auguſtini *ad diem* 6. *Septembris*, biduo poſt Octavam ipſius S. Auguſtini. Item Eccleſia Rhemenſis feſtum omnium ſuorum Sanctorum Archiepiſcoporum 7. *Julii*. Cur hacce die magis quàm alia, dicant qui ſciunt. Eſt denique in Menologio Græcorum ſignata poſtridie Sanctorum Petri & Pauli, hoc eſt *die* 30. *Junii*, *Collectio duodecim Apoſtolorum*. Atque ex his inferas diem ejuſmodi feſtis (ſi quæ inſtituenda occurrunt) decernendum, vel ex facto, quod talis inſtitutionis occaſio eſt; vel eo deficiente, ex devotione inſtituentis ſeu concedentis.

Collectio duodecim Apoſtolorum.

CAPUT IV.

DE CONSTITUENDO DIE FESTIS Chriſti Domini, Beatæ Mariæ, Angelorum, aliiſque votivis.

SEorſim à præcedenti Caput hoc tractamus, quòd diſpar ſit aliquatenus hominum Beatorum, ac Chriſti Domini, B. Mariæ, Sanctorumque Angelorum hac ex parte ratio, licèt in nonnullis quoque conveniant.

QUÆSTIO I.

Quibus diebus aſſignanda ſint feſta Chriſti Domini, & B. Mariæ?

FEſta illa ſunt vel de Myſterio illorum, vel de Titulo gratiave inſigni, ſeu re quapiam veneranda ad ipſos pertinente, vel denique de ſigno factove mirabili, quod eorum ope editum eſt.

Myſteria Chriſti, & B. Mariæ nulla ferè ſunt quæ diem certum non habeant.

Myſteriorum tam Chriſti Domini, quàm B. Mariæ, nulla ſunt vel pauca admodum, quæ diem certum ſive in Calendario, ſive in Proprio de Tempore non habeant. Nam feſta illa quæ à quibuſdam Collectoribus referuntur, Inventionis pueri Jeſu, Electionis & prædeſtinationis B. Mariæ, Coronationis ejuſdem & ſimilia, neſcio an alicubi celebrentur; nec verò id opus eſt, cùm in aliis Myſteriis copioſè ſatis recolantur. Duo tantùm ſunt quæ à nonnullis Eccleſiis uſurpata lego, Deſponſationis videlicet, & Expectationis partus: & hujus quidem Solemnitatem 18. *Decembr.* nempe octiduo ante Natalem Domini ex Concilii Toletani X. Decreto, & Eccleſiarum Hiſpaniæ uſu; illius verò, aliæ 15. *Januarii*; ut Eccleſia Nannetenſis, aliæ 23. ut Atrebatenſis, aliæ 22. ut Ordo Prædicatorum, referente Sauſſayo, qui & Senonis, alibique paſſim eamdem ſolemnitatem fieri aſſerit 22. *Decembr.* quanquam nec Senonenſe, nec ullum aliud Calendarium quod legerim hoc habet. Cur autem potiùs iſta quàm illa die, quis dicat? Niſi quòd inſciis, quo die ſacrum illud conjugium initum fuit, nihil commodiùs occurrit, quàm ut illius memoriam non longè à partus feſto recolerent.

Feſta Deſponſationis B. Mariæ, & Expectationis partus.

Eſt item notatione dignum Eccleſiam Rhemenſem Viſitationem B. Virginis, non 2. die Julii cum reliqua Eccleſia, poſtridie videlicet Oct. S. Joannis Baptiſtæ, quo die probabilius eſt ipſam expleta Circumciſi Infantis ceremonia domum remeaſſe; ſed 8. ejuſdem menſis celebrare: ſicut & Bajocenſem ejuſdem Virginis Præſentationem non 21. *Novembris*, ſed Dominica ultima poſt Pentecoſtem. Cauſam diſcrepantiæ hujus putaverim ſatis eſſe legitimam, ut ſuo Eccleſiæ illæ uſu ſtent; non tamen ut id ab aliis æquè inducatur. Quin & conſonantius erit, ſi & generali uſui ſeſe ipſæ accommodent.

Viſitatio & Præſentatio B. Mariæ aliis à Calendario Romano diebus celebratæ.

Inter Titulos, eminet glorioſiſſimum Jeſu nomen; cujus ſolemnitatem primi omnium celebravere Minores ex conceſſione Clementis VIII. data anno 1598. quam integram refert Rodericus *tom.* 2. *quæſt.* 79. *artic.* 2. Ab iis ſuſcepere deinceps tum plerique alii Regulares, tum Eccleſiæ Cathedrales non paucæ. Dies autem huic ſolemnitati à Pontifice decreta eſt 14. *Januarii*, utpote quæ prima occurrit liberior à feſto Circumciſionis, quo die utique facta eſt Chriſto Domino ejus nominis impoſitio. Sunt tamen quæ in diem 15. rejiciant, ut S. Martini Turon. alii in 30. ut Rhedonenſis; imò & Senonenſis anticipat die 10. fortè ad evitandas congeſtas feſtorum Tranſlationes.

Feſtum nominis Jeſu 14. Januarii adſtrictum.

Vix differt niſi voce à Jeſu, Salvatoris nomen, cujus ſi qua ſit alicubi feſtivitas, cum ipſo Transfigurationis feſto, ſeu etiam Trinitatis confundi jam diximus aliàs. Quinque Plagarum nomine feſtum indictum eſt in Breviario Pariſienſi feria 6. poſt cineres, in Eccleſia verò Turonenſi *die* 9. *Julii*.

Feſtum S. Salvatoris.

Feſtum quinque plagarum.

Sunt & B. Mariæ titulo inſtitutæ variis in locis feſtivitates, putà Dolorum ſeu Compaſſionis ipſius feria 6. ante Dominicam Palmarum, Pariſiis, Andegavi, Pictavis, & alibi paſſim. Gaudiorum ejuſdem Ambiani Sabbato poſt feſtum Aſcenſionis; Noviomi, Dominica poſt feſtum Tranſlationis S. Martini menſe Julio, apud Molanum verò *die* 7. *Maji*; B. Mariæ de monte Carmelo, à Carmelitis *die* 16. *Julii*, ſeu Dominica ſequente; Roſarii B. Virginis, Dominica 1. *Octobr.* ex Decreto Gregorii XIII. dato *die* 1. *April.* 1573. &c.

Varia feſta B. Mariæ.

In his verò omnibus & ſimilibus, ut quiſque in ſuo ſenſu abundat, ita ſenſatorum hominum, rerumque Eccleſiaſticarum peritorum judicium maximè requiritur, ut attentis Myſterii ſeu Tituli ipſius, temporis item currentis circumſtantiis, dies, ſive certa alicujus menſis, ſive Dominica aliqua, quàm fieri poteſt opportuniſſima, accedente Superiorum ad quos id ſpectat, authoritate decernatur. Diem Dominicam expreſsè non excluſi, ſicut nec aliam quamcunque feriam; nimirum quòd hæ feſtivitates cùm votivæ ſint, nec ulli certæ diei addictæ, eas inſtar feſtorum mobilium haberi nihil vetat; imò plerumque convenire docet à pari feſtum SS. Trinitatis in univerſa Eccleſia addictum Dominicæ 1. poſt Pentecoſtem, itemque in multis Galliæ Eccleſiis ultimæ. Docet item feſtum Corporis Chriſti feria 5. poſt Octavam Pentecoſtes ubique ſolemniſſimum. Ejuſmodi

Poſſunt feſta ejuſmodi certæ Dominicæ aut feriæ inſtar mobilium addici.

modò quoque fuit olim celebre ſatis Feſtum dictum Paſcha Annotinum, de quo *lib.* 1. *cap.* 13. *quæſt.* 5.

Feſta in memoriam ſigni factive mirabilis, eo die fieri congruit quo cōtigere.

De feſtis verò tertii generis, quales ſunt pleriſque in locis Apparitiones miraculoſæ Chriſti Domini, aut Signi SS. Crucis, aut B. Virginis, item Inventiones aut Tranſlationes aut Suſceptiones imaginum miraculoſarum vel reliquiarum, memoriæ item victoriarum cælitus obtentarum, aut liberationis urbium, aut cujuslibet alterius ſimilis portenti; exiſtimaverim æquius eſſe, ſi eo certo die ſigna iſta recolantur, quo contigere. Sic in Menologio, ſignatur 7. *Maij* Commemoratio ſigni Crucis, quod apparuit Jeroſolymis Imperatore Conſtantino à ſancto Calvariæ monte per ſtellas uſque ad Olivarum montem. Itidem Aureliæ celebratur 19. *Aug.* Apparitio S. Crucis facta eidem Conſtantino Imperatori pugnanti adverſus Maxentium. Pariſiis quoque & paſſim in Gallia *die* 11. *Aug.* Suſceptio S. Coronæ Spineæ, quam S. Ludovicus à Venetis redemptam, ea die in Sacroſancta Regii ſui Palatii Cappella repoſuit. Habetur item in Menologio 2. *Julii* Depoſitio venerandæ Veſtis & Zonæ B. Virginis in Blachernis. Toleti 25. *Decemb.* Deſcenſio B. Virginis in ipſam Toletanam Eccleſiam. Carnuti 15. *Martii* Commemoratio B. Virginis, ob urbem ejuſdem B. Virginis ope liberatam &c.

Commemoratio ſigni S. Crucis.

Apparitio S. Crucis.

Suſceptio S. Coronæ.

Depoſitio Veſtis B. Mariæ.

Deſcenſio ejuſdem.

Commemoratio ejuſdem.

Quamquam non deſunt exempla quoque ſimilium feſtivitatum, diebus mobilibus aſſignatarum. Nam Inventionis Lanceæ & Clavorum Chriſti Domini, Coloniæ & Moguntiæ feria 6. poſt Oct. Paſchæ celeberrimum haberi, teſtis eſt Schultingius *tom.* 3. *parte* 1. ubi & alia recenſet ejuſmodi. In Eccleſia quoque Coriſopitenſi feria 4. ante Cineres agitur ſolemnitas Effuſionis ſanguinis ex imagine Crucifixi, quam ſuprà memoravimus *lib.* 1. *cap.* 12. *quæſt.* 1. Item in Eccleſia Pariſienſi Dominica 1. menſis Auguſti celebratur feſtum in memoriam ſuſceptæ circa annum 1100. partis non mediocris ligni S. Crucis. In poſtrema denique recognitione Breviarii Aurelianenſis, additum eſt Officium S. Salvatoris duplex, celebrandum die Dominica poſt Nativitatem S. Joannis Bap. in memoriam portenti illius, quod accidit anno 998. quando imago Crucifixi in Eccleſia S. Petri puellarum, viſa eſt omnibus ubertim lacrymas ex oculis fundere. Lis iſta parem ac prior ſeu Judicem ſeu Conſultorem poſtulat.

Fiunt tamen aliqua diebus mobili.

Inventio Lanceæ & Clavorum.

Effuſio ſanguinis.

Suſceptio S. Crucis.

Officium S. Salvatoris.

QUÆSTIO II.

Quis dies decernendus feſtis Angelorum?

Feſta Angelorum iis diebus conſignata, quibus ipſorum Apparitiones vel Eccleſiæ Dedicatione inſignes exiſtunt.

Nec naſcuntur, nec moriuntur Angeli, ut iis ſicut hominibus Beatis dies Natalis tribuatur. At cùm omnes ſint adminiſtratorii Spiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, ii propterea dies eorum venerationi decerni ſolent, qui aliqua ipſorum Apparitione, aut Baſilicæ ſub eorum nomine erectæ Dedicatione, vel denique auxilii hominibus præſtiti, aut miniſterii alicujus functione præ aliis inſignes exiſtunt. Sic ex Dedicatione Eccleſiæ in Gargano monte, ut habet Martyrologium Romanum, vel ut vult Ado, Romæ in mole Adriani, ad honorem S. Michaelis erectæ, dies 29. *Septembris*, quo illa Dedicatio contigit, dicatus eſt eidem S. Michaeli ſimul & omnibus Angelis; dies item 8. *Maij* eidem Archangelo ex ipſius in eodem Gargano monte inſigni apparitione. Eidem quoque ſacratus in Gallia dies 16. *Octobr.* ex ipſius itidem Apparitione facta temporibus Childeberti Francorum Regis S. Authberto Abrincenſi Epiſcopo in vertice montis qui dicitur Tumba in periculo maris, ac Dedicatione inſignis Eccleſiæ ibidem ſub ejus nomine extructæ. Eſt præterea in Menologio Græcorum ſignata dies 6. Septemb. *Commemoratio miraculi facti à S. Michaele Archangelo Coloſſis aut Chonis.* At latet me, cur ibidem *die* 8. *Novemb.* inſcriptus legatur *Michael princeps Exercitus & cæteri Angeli incorporei.*

Dedicatio S. Michaelis Archangeli.

Apparitio ejuſdem.

Feſta Angelorum ex Menologio.

Gabrieli æquè Archangelo diem 18. *Martii* tribuunt antiqua Galliæ Martyrologia, eoque die etiamnum à pleriſque celebratur illius feſtum, quod alii pridie Annunciationis, hoc eſt *die* 24. *ejuſdem menſis* reponunt, alii 1. *Aprilis*, quæ eadem eſt Octava dicti feſti; omnes puto ex affinitate, quam habet idem Archangelus cum Myſterio Incarnationis, cujus præco fuit ac Paranymphus, diem illi affinem præſtituentes. Græci verò (neſcio qua ex cauſa) ſic legunt in ſuo Menologio 13. *Julii*, *Collectio Archangeli Gabrielis.*

Gabrieli Archangelo varii dies dicati.

Raphaelis denique, qui tertius eſt Archangelus, cujus nomen ab Eccleſia ſuſcipitur, feſtivitatem pio ex more in nonnullis Eccleſiis 20. *Novemb.* recoli author eſt Molanus, & ex eo Sauſſayus ad illum diem. An quia illo die aut cœpit aut deſiit miniſtrare Tobiæ? Sed hoc tacet Serarius, qui tamen hiſtoriam illam totam curioſa ſatis indagatione proſecutus eſt.

Feſtum S. Raphaelis.

His adde feſtum ſanctorum Angelorum Cuſtodum, olim teſte Molano in quibuſdam Eccleſiis prima die Martii coli conſuetum: noviſſimè autem à Paulo V. Decreto dato *die* 27. *Sept.* 1608. ex occaſione feſti S. Michaelis, quibus illud celebrare placuerit, indictum prima ſtatim die non impedita poſt ipſummet feſtum S. Michaelis. Hæc ſunt Angelorum feſta omnia quæ obſervare potui. In aliis, ſi quæ occurrant, uſui erit Regula quæſt. præced. propoſita.

Feſtum SS. Angelorum Cuſtodum.

CAPUT V.

DE CONSTITUENDO DIE VIGILIIS, Octavis, & Officio hebdomadario.

Sunt iſtæ Appendices Feſtorum, de quibus ſuperiori libro actum eſt tribus ultimis Capitibus. Cùm autem feſtum vel præcundo, vel ſequendo comitari debeant; feſto ſemel conſtituto, facile eſt iis ſedem definire. Si quid dubii ſit, paucis hiſce quæſtionibus ſolvendum.

QUÆSTIO I.

Quis dies Vigiliis Feſtorum propriorum decernendus?

Vigilia pridie feſti aſſignanda.

Vigiliarum, quoad Officium, in propriis feſtis uſum *lib.* 1. *cap.* 17. *quæſt.* 3. nec reprobavimus, ubi conſuetudine legitima firmatur; nec admiſimus, ubi extraneus fuit & ignotus hactenus. Apud quos igitur ejuſmodi perſeverat, certum eſt Vigiliam omnem pridie feſti nec ullo alio unquam die eſſe conſignandam. Cùm verò incidit in Dominicam, certum eſt Officium ejus ſeu commemorationem anticipari debere more Vigiliis omnibus communi, niſi alicubi fortè ratio proprii uſus aliud exigat; de qua re aliàs.

Anticipanda Sabbato cùm incidit in Dominicam.

Eſt autem hic difficultas una ſolvenda, quæ in duobus præcipuè Galliæ noſtræ locis occurrit; nimirum Toloſæ, quæ ſedes eſt Metropolitana, & Auguſtæ Veromanduorum ſeu Quintinopoli in Picardia ſic dictæ ab inſigni Eccleſia Collegiata S. Quintini. Hìc enim occurrit Sancti hujus Martyris feſtum in vigilia feſti Omnium

Vigilia occurrens in feſto Patroni, anticipatur quoad jejunium, non autẽ quoad officium.

San-

Digitized by Google

Sanctorum, nempe *die 31. Octobr.* Illic verò feſtum S. Saturnini primi ejuſdem Civitatis Epiſc. & Mart. in vigilia S. Andreæ, hoc eſt *die 29. Nov.* Utrobique verò ex uſu, quem Gavantus ipſe commendat *Comment. in Rubr. Breviar. ſect. 3. cap. 7. num. 3.* ob Patroni ſolemnitatem anticipatur Vigiliæ jejunium die præcedenti: An & ibi quoque anticipandum pariter Vigiliæ Officium? Negat citat. Gavantus, cui facilè aſſentior, eo ductus argumento, quòd anticipata ex Leonis X. præſcripto Vigilia S. Joannis Baptiſtæ pridie feſti Corporis Chriſti, non ideirco tamen anticipetur Officium. Quare nec in Calendario proprio mutandus erit dies Vigiliæ proprius, ſed tantùm jejunium ipſum deſignandum erit his aut ſimilibus verbis, *Jejunium propter Vigiliam Sancti N.*

QUÆSTIO II.

Qualiter dies infra Octavas ſint deſcribendi?

DE Octava fit per octo dies continuos, ait *Rubrica 7. de Octavis num. 1.* quorum primus eſt Feſtum ipſum, & Octavus, dies Octava: reliqui ſex intermedii inſcribuntur, *De Octava*, vel ſi occurrat feſtum, *Commemoratio Octavæ*. In plerique antiquis Breviariis Diœceſum, ſicut & in Proprio Prædicatorum, ſola dies Octava deſcribitur reliquis tacitis: ſed hoc non eſt ex uſu Romano.

QUÆSTIO III.

An legitimum ſit anticipare diem Octavam?

Dies Octava in quibuſdam Eccleſiis anticipari ſolita, quando impeditur.

ACcidit nimirum ſatis frequenter diem Octavam incidere in feſtum aliquod ſolemne: in eo verò caſu multarum Eccleſiarum uſus eſt diem ipſam Octavam pridie anticipare. Sic in Breviario Turonenſi anticipatur Octava S. Mauritii pridie Dedicationis S. Michaelis, in quam incidit. In Senonenſi, Octava Inventionis S. Stephani pridie S. Laurentii, & Octava S. Lupi pridie Nativitatis B. Mariæ. In Aurelianenſi Octava S. Evurtii pridie Exaltationis S. Crucis, & Octava ipſiuſmet Exaltationis S. Crucis pridie S. Matthæi. Quin & Pictavis, ubi Romani Breviarii uſus eſt, anticipatur dies Octava Epiphaniæ pridie S. Hilarii, & Octava ipſius S. Hilarii pridie SS. Fabiani & Sebaſtiani: & Pariſiis Octava Corporis Chriſti, pridie Nativitatis S. Joannis Baptiſt. & SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, quando in hunc vel illum diem incidit. An verò id fit legitimè?

Videtur quòd non, tum quia falsò appellaretur dies illa Octava, cùm ſit tantùm ſeptima à die feſti, unde in antiquo Calendario Ambianenſi pro Octavis Epiphaniæ, & Inventionis S. Firmini ſic anticipatis ſcriptum reperi, *Septava Epiphania, Septava S. Firmini*: tum quia ſi contingat impediri quoque diem illam ſeptimam, erit denuò anticipatio pari jure facienda in diem ſextam, & ſic conſequenter; quod omnino eſt abſurdum. Et verò hunc à ſe uſum ablegarunt nobiliſſimæ Eccleſiæ Bituricenſis & Andegavenſis in poſtrema ſuorum Breviariorum recognitione, hæc quidem in Octava S. Mauritii, illa verò in Octavis Inventionis & Tranſlationis S. Stephani, ac S. Martini, quas ſimiliter anticipabant, & nunc ſuo proprio dici reſtituerunt. Ego more meo litem hanc dirimo, ut videlicet, quibus in Eccleſiis Breviario Romano adſtrictis uſus ejuſmodi minimè eſt inductus, haudquaquam inducatur: eſt enim contra formam præſcriptam à Rubricis. In aliis verò vel quæ ſui juris ſunt, propriumque habent Breviarium, vel licèt Romano utantur, quæ conſuetudinem ejuſmodi legitimè inductam hactenus retinuere, retineatur. Cùm enim Eccleſiæ illæ Titulares ſint, ſeu Cathedrales, aut Collegiatæ inſignes, valet in iis clauſula illa, quam alibi fuſius explicabimus, *Rubr. 10. num. 1. Niſi Titularis Eccleſiæ privilegio aliter fieri oporteat*. Cauſa verò ob quam vix aliter fieri poſſe judico, non ex ipſa Officii ratione provenit; perinde enim eſt ſi fiat Officium de die Octava in ipſa die ſeptima, ac commemoratio in die Octava: ſed ex ratione Ritus ſeu Ceremoniarum Chori. Nam cùm in Eccleſia Turonenſi verbi gratia Octava S. Mauritii, utpote Titularis, celebretur ritu, quem vocant *quinque Candelabrorum*; neque fas eſt ritum illum, qui ſolemnis eſt admodum, penitus omittere, neque item illum tribuere Officio dici infra Octavam, quod ampliùs non eſt quàm ſemiduplex; aliundè verò durum eſſet feſtum S. Michaelis transferre; certè id unum reſtat, ut Octava ipſa anticipetur. Quem uſum retinere opus non habuit Eccleſia Andegavenſis, aliæque conſimiles, quibus in more non erat ſolemnes adeò ritus in die Octava admittere.

Ceſſarunt ab ejuſmodi Eccleſiæ Bituric. & Andeg.

Admitti non debet juxta Breviarium Rom.

Retineri poteſt juxta uſum proprium, uti retinuit Eccleſia Turonenſis.

QUÆSTIO IV.

An & qualiter ceſſatio Octavæ debeat deſignari?

CEſſatur à qualibet Octava jam incepta, ſuperveniente Quadrageſima, aut feſto Pentecoſtes, aut die 17. Decembris, *ex Rubrica 7. De Octavis num. 1.* In duplici autem caſu priori, nihil quoad Octavam in Calendario proprio deſignandam (quod unum eſt jam in quæſtione) mutari debet; cùm enim impedimentum ejuſmodi nonniſi ex feſtorum mobilium occurrentia procedat, fit ferè ſemper, ut Octava quæ uno anno impeditur, altero libera ſit. At in 3. caſu, cùm dies 17. Decembris ſuperveniens, ſtabilis ac fixa ſit, non poteſt non quolibet anno inceptam Octavam abrumpere. Habes exemplum hujuſce rei in Eccleſia Coriſopitenſi, ubi feſtum S. Corentini Patroni occurrens *die 12. Decembris*, quatuor dies dumtaxat Octavæ ſuæ reſiduos habet, (ſexta enim dies incidit in diem 17. ejus menſis) fruſtra itaque reliqui deſignarentur in proprio, cùm de iis nunquam accidat ut fiat Officium. Concluſio iſta legitimè procedit; quare ſecluſo privilegio, non debent illi dies in proprio deſignari. Idem dicito de Octava S. Luciæ, & aliis, ubi ſimiles occurrunt.

Adveniente die 17. Decembris Octava in Calendario non ultrà deſcribenda. *Eccleſia Coriſopitenſis.*

QUÆSTIO V.

Qua hebdomadæ feria aſſignandum ſit Officium votivum de Patrono?

ASſignant aliqui feria 3. alii communiùs feria 5. alii in alterutra, de quibus actum eſt *libr. 1. capit. 14. quæſt. 6. & cap. ultimo quæſt. 1.* Utri melius? Reſpondeo, nulli bene, niſi qui vel privilegio à Pontifice obtento, vel uſu Breviaris proprii gaudent. Et hi quidem ſervent quod tali privilegio vel uſu ipſis conceditur. Videntur autem ad id commodiores dictæ feriæ 3. vel 5.

SECTIO II.

COnſtituto die, quo feſtum quodlibet proprium ſingulis annis eſt celebrandum, reſtat ut ipſum ſub eodem ipſo die inſcribatur ſive in Calendario, ſive in brevi Codice proprio. Hujus autem inſcriptionis forma duobus conſtat, enunciatione videlicet nominis Sancti illius, ſeu

Myſterii, cujus eſt feſtum, & dignitatis ſeu conditionis ejuſdem, putà ſi ſit Apoſtolus, Martyr, Confeſſor &c.

CAPUT VI.

De forma inscribendi Festa propria, quantum ad enunciationem nominis Sancti, ſeu Myſterii.

SUppono in qualibet Diœceſi, imò & in qualibet Eccleſia, haberi tabulam ſeu indicem, in quo ordine menſium deſcripta ſint ſuo quoque die Feſta omnia propria quotannis celebranda; de qua re agetur alibi commodiùs & copioſiùs. Nunc de ipſamet inſcribendi formula, in qua primum omnium, Sancti cujuslibet, ſeu Myſterii nomen eſt exprimendum.

QUÆSTIO I.

Quomodo exprimendum in Calendario ſeu Codice proprio, feſtum Dedicationis Eccleſiæ?

Forma inſcribendi Dedicationem Eccleſiæ propriæ, item Cathedralis.

PRopriæ quidem Eccleſiæ, hoc ſolo verbo, *Dedicatio noſtræ*, vel, *hujus Eccleſiæ*: Cathedralis verò expreſſo nomine Epiſcopatus, putà *Senonenſis*, *Bituricenſis*, *Aurelianenſis &c.* Imò *Dedicatio Eccleſiæ*, nullo adjuncto, importat Eccleſiam Cathedralem juxta ſtylum Curiæ Romanæ, advertente id Barboſa *libr. de Canonicis & Dignitatibus capit.* 2. Hincque opinor olim evenit, ut quod de Eccleſia Cathedrali dumtaxat intelligendum erat, cùm aliæ diœceſis Eccleſiæ æquè ſibi tribuerent, omnium ſimul una die Dedicatio in pleriſque Diœceſibus celebretur. Juxta quem uſum talis in Calendariis propriis habetur inſcriptio, *Dedicatio omnium Eccleſiarum diœceſis*, vel, *per Diœceſim*; vel ſic, *Dedicatio Eccleſiæ Rothomagenſis & totius diœceſis*.

Barboſa.

Inſcriptio Dedicationis omnium ſimul Eccleſiarum Diœceſis vel Ordinis.

Ego verò juxta aſſerta ſuperiùs cap. 1. hujus libri quæſt. 5. rectiùs fieri judicarem, ſi propriæ Eccleſiæ Dedicatio ſeorſim à Cathedralis, ſuo utique quælibet die proprio deſignetur. Unde nec placet clauſula illa in Breviario proprio Ordinis Carmelitarum apposita *die* 31. *Auguſti*, poſt indictam Dedicationem Eccleſiarum Ordinis, *Nec ullibi fiat Officium Dedicationis alicujus Eccleſiæ particularis*. Dedicatio Eccleſiarum, quæ eventu aliquo mirabili, aut alia de cauſa inſignes ſunt, exprimitur nomine illarum proprio, ut *Dedicatio Eccleſiæ S. Mariæ ad Martyres*, *S. Mariæ Angelorum &c.* Abbatiarum denique quæ ſui Ordinis ſeu Congregationis caput ſunt, Dedicatio ad morem Cathedralium ſic ſolet inſcribi, *Dedicatio Eccleſiæ Cluniacenſis*, *Ciſtercienſis*, *Præmonſtratenſis &c.* An verò de iis fieri debeat in ſubditis Monaſteriis, dictum eſt *libr.* 1. *quæſt.* 11.

QUÆSTIO II.

Quomodo exprimendus ſit Natalis cujuſque Sancti?

Paſſio, Decollatio, Tranſitus Sancti &c.

HAs ego formulas in nonnullis veteribus Calendariis uſitatas lego, *Paſſio S. Andreæ*, *Decollatio S. Firmini*, *Tranſitus S. Martini &c.* Singularis eſt, nec uſitata ullibi, quam ex antiquiſſimo Miſſali Benedictino Anglicano refert Cornelius Schultingius libr. 4. Bibliothecæ, *Aſſumptio Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ*; ad innuendum, credo, ipſum mortem haudquaquam oppetiiſſe. Communior uſus Romano conformis nomen dumtaxat in Genitivo caſu exprimit, *Hilarii*, *Antonii*, *Agnetis &c.* ſubintellecto ſemper Epitheto *Sancti*, vel *Sanctæ*. Breviarium proprium Eccleſiæ S. Martini Turonenſis ex uſu antiquo Conciliis & veteribus Hiſtoricis Galliæ Scriptoribus conſono, Epithetum illud, *Beatiſſimi*, in indicendis ejuſdem Sancti feſtis, illius ſemper nomini præfigit.

Epithetum Beatiſſimi S. Martino attributum.

Solemne eſt ut Sanctis ejuſdem cum inſigni alio Sancto, qui antè extitit, nominis, cognomen addatur, deſumptum, vel ex patria, vel ex loco, in quo præcipuè verſati ſunt, vel ex ſingulari aliquo munere ſeu dono, quod in iis excelluit; putà *Joannis Chryſoſtomi*, *Gregorii Nazianzeni*, *Gregorii Thaumaturgi*, *Petri Alexandrini*, *Thomæ Aquinatis*, *Thomæ Cantuarienſis*, *Antonii de Padua*, *Nicolai Tolentinatis*, *Franciſci de Paula*, *Catharinæ Senenſis &c.* Singulare eſt, quòd S. Baſilio *Magni* cognomen, ipſi jam inde dum in vivis ageret, impoſitum, adjiciatur. An verò cognomen ejuſmodi etiam in Oratione debeat exprimi, diſcutietur aliàs.

Cognomen Sanctis quibuſdam additum.

Regulares denique ut plurimum Sancto Ordinis ſui inſtitutori præfigunt literas *S. P. N.* hoc eſt *Sancti Patris noſtri*; ſicut & aliquæ Eccleſiæ addunt *Sancti Patroni noſtri*. Nolo ego quempiam in re tam parva vellicare.

QUÆSTIO III.

Quomodo exprimenda feſta ſecundaria Sanctorum?

Inventio, Ordinatio, Translatio Sancti &c.

REſpondeo, uſitato rei ab ipſis aut circa ipſos patratæ nomine, putà *Inventio*, *Ordinatio*, *Revelatio*, *Apparitio*, *Translatio*, *Receptio*, *Elevatio &c. Sancti N.* Hìc verò unum obſerva, quòd ſicut omittuntur voces illæ, quando in die Ordinationis, verbi gratia, ſeu Translationis Sancti alicujus, celebratur feſtum illius præcipuum, ut videre eſt in SS. Chryſoſtomo, Baſilio, Ambroſio &c. Ita & in Eccleſiis, in quibus ii Sancti Patroni ſunt, reponendæ erunt eædem voces, quando illorum Natalis proprio die ab iiſdem celebratur.

QUÆSTIO IV.

Quomodo exprimenda feſta Votiva Chriſti Domini, B. Mariæ &c.

VIx eſt quidquam certi quod reſpondeam; pendet enim id ex multimoda feſtorum ejuſmodi inſtitutione. Hæ ſunt frequentiores appellationes, *Feſtum glorioſiſſimi Nominis Jeſu*, vel *De nomine Jeſu*. *Feſtum quinque Plagarum*, vel *De quinque Plagis Chriſti Domini*. *Apparitio S. Crucis*. *Suſceptio S. Coronæ, &c. Deſponſatio B. Mariæ*, ſeu *Feſtum ſacri Conjugii B. Mariæ*. *Expectatio partus ejuſdem*. *Feſtum Dolorum*, ſeu *Compaſſionis B. Mariæ*, vel *Beatæ Mariæ Pietatis*. *Feſtum gaudiorum ejuſdem*. *Apparitio*, *Inventio Imaginis*, *Translatio*, *Suſceptio*, *&c. Solemnitas Roſarii Beatiſſimæ Virginis*. *Commemoratio B. Mariæ de Monte Carmelo*, *de Victoria*, *de Auxiliis*, *de Miraculis &c.*

CAPUT VII.

De forma inscribendi Festa propria, quoad dignitatem ſeu conditionem Perſonæ.

Sanctorum varii ac multiplices ſtatus ſeu Ordines.

ALterum inſcriptionis Caput hoc eſt, ut videlicet poſt Sancti cujuſque nomen exprimatur, cujus ſit ordinis. Sunt quippe Sanctorum ſtatus ſeu ordines varii ac multiplices; alii quidem à diverſitate naturæ periti, ut Angelorum & Sanctorum hominum; alii à munere ſeu officio, ut Prophetarum, Apoſtolorum, Evangeliſtarum, Pontificum, Doctorum, Abbatum, Sacerdotum & Levitarum; alii à ſtatu, quem in præ-

ſente

Digitized by Google

ſenti vita tenuere, ut Monachorum, Eremitarum, virginum & viduarum: alii denique (quod hic maximè omnium attenditur) à genere mortis, quo ex hac vita quiſque eorum deceſſit; ut videlicet dicantur Martyres, qui pro tuenda Chriſti fide ſanguinem fuderunt, aut quodcunque tormenti genus experti uſque ad mortem fortiter dimicarunt: Confeſſores verò, qui in Eccleſiæ pace virtutum cumulis ac meritis pleni feliciter in Dominò quieverunt.

Confeſſores qui olim dicti.

Quamquam non ſum neſcius, Confeſſores olim dictos fuiſſe eos dumtaxat, qui Chriſti fidem, interpellati coram fidei hoſtibus, confeſſi fuiſſent: ſive iidem tormentis citra necem urgerentur, quos perinde *Martyres* Cyprianus nonnunquam appellat, & Tertullianus *Deſignatos Martyres*; ſive etiam immunes à pœnis evaſiſſent. Jam verò Eccleſiæ univerſæ uſus pridem obtinuit, ut quamquam utriuſque illius vocis eadem in ſe ſignificatio ſit, ambæ nihilominus ſic contradiſtinguantur, ut Confeſſorum nomine ii omnes inter Sanctos appellentur, qui Martyres non ſunt: ex quo fit ut alterutra appellatio ſingulis illorum competat, eorumque nomini ac dignitati, ſi quam aliam habent, adjiciatur hac forma: *N. Epiſcopi & Martyris*, vel, *Epiſcopi & Confeſſoris &c.*

Cyprianus. Tertullianus. Confeſſores jam dicti Sancti omnes, non Martyres.

Sunt itaque gradus illi ſeu ordines inter ſe ſic diſtinguendi; eo planè modo quo in Litaniis ſeſe conſequuntur.

Angeli & Archangeli.
Patriarchæ & Prophetæ.
Apoſtoli & Evangeliſtæ.
Diſcipuli Domini.

Martyres { *Pontifices*, } *Papæ*, *Epiſcopi*, ; *Non Pontifices*,

Confeſſores { *Pontifices*, } *Papæ*, *Epiſcopi*, *Doctores*, ; *Non Pontifices*, { *Abbates*, *Sacerdotes & Levitæ*, *Monachi & Eremitæ*.

Virgines { *Martyres*, *Non Martyres*.

Non Virgines { *Martyres*, *Viduæ, ſeu nec Virgines nec Martyres.*

De quibus ſingulis quæſtiones ſequentes curioſæ non minùs quàm ad praxim utiles proponuntur.

QUÆSTIO I.

An in Angelis exprimendum, cujus ſint ordinis?

Angelorum Ordines ut diſpoſiti. S. Dionyſius.

NOvem quippe ſunt Angelorum ordines, quos S. Dionyſius *cæleſtis Hier. cap. 7. 8. & 9.* ſic collocat: Angelos, Archangelos, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Dominationes, Thronos, Cherubim & Seraphim. S. verò Gregorius *hom. 34. in Evang.* ſtatuit Principatus in medio Dominationum & Poteſtatum, Virtutes verò in medio Poteſtatum & Archangelorum; cujus varietatis rationem affert S. Thomas *1. part. quæſt. 108. art. 6.* ſed hoc nihil ad rem noſtram facit.

S. Gregorius. D. Thomas.

Michael, Gabriel, & Raphael cujus ſint Ordinis?

Nam cùm tria dumtaxat Angelorum nomina in Eccleſia recepta ſint, Michael videlicet, Gabriel & Raphael; cæterorum verò omnium, ut nomen, ſic & cujus quiſque ſit ordinis planè incompertum ſit, de iis tantùm tribus, quod ad ſingulares attinet, poteſt eſſe controverſia. Et illos quidem Viegaz *in cap. 12. Apoc. ſect. 18.* licèt firmis ſatis argumentis ex ſupremo eſſe aſſerat ſupremæ Hierarchiæ ordine, Seraphim videlicet; non aliter tamen quàm Archangelos conſtans Eccleſiæ uſus *Guyet. Heortologia.* pronunciat. Imò Raphaelem nonniſi Angelum ſtatuunt aliqui apud Magiſtrum *in 2. diſt. 10.* Sed rectiùs ipſum æquè Archangelum vindicat Serarius *in cap. 3. Tobiæ quæſt. 2.* nixus authoritate SS. Patrum, quos non paucos allegat. Si verò alterius alicujus in ſingulari celebretur feſtivitas, ea ratione quam declaravi *lib. 1. cap. 5. quæſt. 5.* cùm incertum ſit, cujuſnam ipſe ſit ordinis, Angelus ſimpliciter inſcribendus erit, hoc modo, *Apparitio Sancti Angeli in N.*

Viegaz. Serarius.

Plurium ſimul Angelorum inſcriptio.

Quòd ſi quæſtio eſt de Feſtis ſub aliquo plurium Angelorum titulo indictis, putà Sanctorum Seraphim, SS. Cherubim, Sanctorum ſeptem Spirituum &c. poſſent utcunque tolerari ejuſmodi inſcriptiones, cùm alioqui in veritate fundatæ ſint: ſed cùm id ab uſu Eccleſiæ alieniſſimum ſit, ac extra feſtum Sanctorum Angelorum Cuſtodum hactenus inauditum, abſit ut meo velim comprobare ſuffragio.

QUÆSTIO II.

Qualiter cenſendi Patriarchæ & Prophetæ, aliique Sancti veteris Teſtamenti?

Patriarchæ SS. Abraham, Iſaac, Jacob, Joſeph, Noe, Adamus.

UNus dumtaxat Patriarcha in Martyrologio Romano recenſetur, videlicet Abraham, *die 9. Octobr.* Cui abſque controverſia hoc eodem nomine adjungendi, ſi fortè alicubi eorum fiat feſtivitas, (quod vix crediderim) Iſaac, Jacob, Joſeph, & præ illis Noe mundi poſt diluvium inſtaurator; omnium verò primus, Protoplaſtes ipſe Adamus, quem expleta per nongentos & ampliùs annos, admiſſi à ſe peccati pœnitentia, ſanctiſſimè diem extremum clauſiſſe, refert ex Irenæo, Epiphanio & Auguſtino, Sallianus ad annum mundi 930. quin & ejus Natalem diem, neſcio quo authore conſignat Molanus 10. *Cal. Septembr.* ſeu 23. *Auguſti.*

Prophetæ Sancti Moyſes, David &c.

Prophetarum verò nomine inſcripti habentur itidem in Martyrologio, Moſes legiſlator 4. *Sept.* Job 10. *Maji*, Samuel 20. *Aug.* David Rex 29. *Dec.* Elias 20. *Julii*, Eliſeus 14. *Jun.* Iſaias 6. *Julii*, Jeremias 1. *Maji*, Ezechiel 10. *Apr.* Daniel 21. *Julii*, Oſeas & Aggæus 4. *ejuſdem*, Joel & Eſdras 13. Malachias 14. *Jan.* Habacuc & Michæas 15. Amos 31. *Mar.* Zacharias 6. *Sept.* Jonas 21. Abdias 19. *Nov.* Nahum 1. *Dec.* Sophonias 3. Inter Prophetas quoque reponendi qui in Martyrologio deſunt, licèt pro Sanctis æquè habiti, Baruch, Neemias, Jeſus filius Sirach, & Tobias.

Alii Sancti veteris Teſtamenti.

Præter hos ſuperſunt adhuc ex veteri Teſtamento, Aaron Sacerdos ordinis Levitici 1. *Julii*, Joſue & Gedeon Duces 1. *Sept.* Machabæi mart. 1. *Aug.* tres pueri Ananias, Azarias, & Miſael 16. *Dec.* Item extra Martyrologium incerto die, Abel ſecundò genitus Adami; Enos qui cœpit invocare nomen Domini; Enoch, *quem tulit Deus*. Sunt hi tres inter Patriarchas computandi: inter Duces verò ſeu Reges, Samſon, Joſias, Ezechias, Matthatias, Judas Machabæus. Denique inter ſanctas fœminas Eva, Ruth, Judith, Eſther, Suſanna. Sed de illis omnibus, neſcio an uſpiam ullibi Eccleſiarum contingat fieri feſtum, ut quæſtioni propoſitæ locus eſſe poſſit.

QUÆSTIO III.

An prædictis Sanctis veteris Teſtamenti Patriarchis & Prophetis, addendus ſit Titulus Martyris vel Confeſſoris?

Iſaias, Jeremias, Ezechiel & Daniel Martyres.

MArtyres verè inter illos habendi ſunt quatuor Prophetæ majores, Iſaias, Jeremias, Ezechiel & Daniel. Poſtremus namque hic licèt in pace vitam finierit, cùm tamen pro tuenda veri Dei fide adverſus idololatras, rabidis leonibus

devorandus traditus fuerit, Martyris inde nomen illi æquè vindicant, quantumvis illæſo, Tertull. *Scorpiaci cap.* 8. & Cyprianus *epiſt.* 58. atque in lege nova tribuitur Joanni è ferventis olei dolio immuni regreſſo, aliiſque referendis ſequenti qu. 8.

Tertullianus. Cyprianus.

Martyres item pari jure tres pueri ejuſdem Danielis ſocii, in fornacem Babylonicam à Nabuchodonoſore miſſi; eoſque ſic appellant, cum iiſdem Cypriano & Tertulliano, Athanaſius *ſerm.* 3. *contra Arianos*, *O Martyrium*, ait Tertull. citat. *& ſine paſſione perfectum! ſatis paſſi, ſatis exuſti ſunt, quos propterea Deus texit, ne poteſtatem ejus mentiti viderentur.* Eſt qui Samſonem quoque Martyrem aſſerat vetus author Bracchiarius apud Serarium *in cap.* 26. *Jud. quæſt.* 32.

Tres item pueri fornacis Babylonicæ Martyres. *Athanaſius.*

Samſon Martyr.

Denique quem locum obtinet Stephanus in poſteriori Teſtamento, eumdem ex mente Irenæi, Tertulliani, Auguſtini &c. juſto Abeli tribuendum, adeoque Protomartyrem appellandum, probat tum cauſa ob quam ab impiiſſimo fratre Caino trucidatus eſt, tum ipſa Chriſti Domini facta Judæis exprobratio, *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus à ſanguine juſti Abel &c.* Abel, inquam, de quo præclara eſt illa Tertulliani loco cit. ſententia: *Qui Deo placuerat, ſtatim occiditur, & quidem à fratre, quo proclivius impietas alienum ſanguinem inſectaretur à ſuo auſpicata.*

Abel Protomartyr.

Matthæi 23.

Tertullianus.

Cæteri omnes nonniſi in Confeſſorum numero reponendi. Neutrum tamen nec Martyrum, nec Confeſſorum gradum, crediderim opus eſſe addere titulo Patriarchæ, vel Prophetæ: ſatiſque eit ſi id in præſcriptione Officii indicabitur his verbis, *Officium de Communi unius Martyris, vel de Communi Confeſſoris &c.*

Nec Martyris nec Confeſſoris Titulus apponendus Sanctis veteris Teſtamenti.

QUÆSTIO IV.

An inter Patriarchas ſeu Prophetas reponendi Sancti illi, qui poſt Chriſti quidem ortum, ſed ante ejus Paſſionem fato functi fuere?

PRophetas omnino compellandos Joannem Baptiſtam, Clauſulam legis ac Prophetarum à Tertulliano dictum, Chorique hujus Ducem ac Magiſtrum; itemque Zachariam & Eliſabetham parentes ejus ſanctiſſimos, ſicut & Simeonem ſenem & Annam Prophetiſſam, probant vel ipſa de ſingulis elogia in Evangelio poſita.

Prophetæ Joannes Baptiſta & alii ex Evangelio.

Inde tamen duo nolim ut tu arguas. Primum pertinere illos ad vetus Teſtamentum, quod de S. Joanne expreſsè negat S. Thomas alibi citatus, & nos pari jure de aliis. Secundum, ſi fortè in Litaniis inſerantur (de qua re aliàs) jungendos eſſe protinus poſt Joannem Baptiſtam ante Apoſtolos. Cùm enim ad gratiam novi teſtamenti pertineant, nullatenus Apoſtolis præmitti debent. Idemque eſto judicium de SS. Joachimo & Anna, ipſoque Joſepho B. Virginis ſponſo, quibus nec Patriarchæ titulus, nec locus ante Apoſtolos ulla ratione eſt tribuendus, quidquid ſecùs tentaverint devoti Recentiores aliqui.

Non pertinent ad vetus Teſtamentum.

Non inſerendi in Litaniis ante Apoſtolos.

Item nec Sancti Joachim, Anna & Joſeph.

Quòd ſi præfati omnes uno excepto Joanne Bapt. non ſunt recenſendi; certè nec alii, quotquot poſt Chriſti Aſcenſionem Prophetiæ dono inſignes fuere, ut Agabus ille de quo *Act.* 11. & 21. qui & idem Propheta appellatur in Martyrol. *die* 13. *Febr.* Nullus ſiquidem poſt Joannem Baptiſt. Chriſti adventum prophetavit, cujus tamen reſpectu Prophetæ omnes ſic appellati ſunt, unde & ipſe Joannes à Chryſologo ſelecto elogio dictus eſt *Silentium Prophetarum.*

Nec denique alii poſteriores.

Chryſologus.

QUÆSTIO V.

An inter Apoſtolos, præter nominatos in Litaniis, reponi poſſint aliqui alii?

MUlta ſunt, quæ in eam te pronius mentem inducant, ut id nullatenus prohibitum credas. Inprimis nomen ipſum Apoſtoli, ab ipſomet Apoſtolo Paulo in ſuis Epiſtolis tributum, Andronico & Juniæ, *Rom.* 16. *Qui ſunt*, ait, *nobiles in Apoſtolis*; Epaphrodito, *Philipp.* 2. Tito, & aliis fratribus, quos *Apoſtolos Eccleſiarum* appellat 2. *Cor.* 8. Et verò addit interpres Cornelius in hunc locum, *Non ſoli illi duodecim vocati à Chriſto, ſed & Paulus, Silas, Barnabas, aliique ſimiles, apud Ethnicos & infideles evangelizantes, fuerunt, & etiamnum ſunt Apoſtoli.* Quod & uſu ipſo firmatur. Nam & in Martyrologio S. Gregorius Papa Anglorum nominatur Apoſtolus; ut & S. Bonifacius Germanorum, S. Severinus Noricorum; & vulgò Apoſtoli nuncupantur, S. Dionyſius Galliæ, S. Martialis Aquitaniæ, S. Benignus Burgundiæ, S. Remigius Francorum &c. Nec verò id immeritò; nam ut Paulus de ſe ipſo prædicat, *Etſi aliis non ſum Apoſtolus, ſed tamen vobis ſum, nam & ſigna Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino.* Quidni & primis illis fidei ſatoribus & Anteſignanis, in ſua quibuſque Provincia idem uſurpare licebit?

Apoſtoli multi appellati in Epiſtolis Pauli.

Cornelius à Lap.

Dicti item primi in regionibus fidei ſatores.

His præterea accedit authoritas, eaque non levis Zoſimi Papæ, cujus eſt hoc inſigne elogium ex allegatione Sauſſayii ad laudem S. Trophimi Arelatenſis Epiſcopi depromptum, *Ipſum revera fuiſſe, quem Gallia primum ſenſit Apoſtolum, & ex cujus prædicationis fonte tota Gallia fidei rivulos accepit.* Leonis item Papæ IX. qui de ſervanda ad inſtar Apoſtoli S. Remigii feſtivitate ad univerſos regni Franciæ Epiſcopos ſcribens hæc habet: *Quia etſi aliis gentibus non ſit Apoſtolus, Francis tamen proprius eſt, qui ſunt primitiæ Apoſtolatus ejus in Domino.* Inſignis quoque eſt in hanc rem Odonis Abbatis Cluniacenſis Apologia hocce Titulo inſcripta, *Quòd Martinus Apoſtolis compar dicitur*; ubi pluribus dictum illud, quod etiamnum in pleriſque Galliæ Eccleſiis, in ejus Officio proprio impenditur, contra malevolos quoſdam obtrectatores vindicare contendit, his verbis concludens, *Non eſt igitur hæreticum, virum per omnia Apoſtolicum ad Apoſtolicæ dignitatis conſortium ſublimari.*

S. Trophimus dictus Apoſtolus.

S. item Remigius. *Leo IX.*

S. Martinus Apoſtolus compar. *Odo Cluniac.*

Sed præſtat his adhuc omnibus Synodus Lemovicenſis habita anno 1029. hujus unius quæſtionis ſolvendæ gratia, eſſetne S. Martialis Chriſti diſcipulus, ac primus Evangelii in Aquitania prædicator inter Apoſtolos, an inter Confeſſores tantummodo computandus? Qua in Synodo Oldericus Archidiaconus Engoliſmenſis, citato etiam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ uſu, ad quam miſſi fuerant ea de re Legati, cenſuit retinendum eſſe antiquum Aquitanicæ Eccleſiæ uſum circa S. Martialis Apoſtolatum, ſic ipſe profatus: *Etſi nomen ejus permutarem in eum Catalogum, in quo Sanctos Benedictum, Hilarium, & Martinum pronuntio, metuerem, ne iram Sanctorum Benedicti, Hilarii, & Martini incurrerem, qui eum in cœlo gaudent ordine Apoſtolico irradiari.* Quæ eadem concluſio iteratò decreta eſt in tribus aliis Synodis de hac quæſtione celebratis Pictavis, Biturigibus, ac denuò Lemovicibus; imò & reſcripto Joannis Papæ XX. ad quem res delata fuit, cujus reſcripti tenor ſic habet, referente Spondano ad prædictum annum: *Nos verò in firma pietate educati, Martialem Apoſtolum nominari poſſe definimus, & æquè officia Apoſtolica in divinis myſteriis exhiberi ſibi cenſemus, nec de illius beatitudine guſtare nequaquam poſſe confidimus, qui ſibi reſpondenti nomini ſacris operibus Apoſtolicam dignitatem ſubtrahere invidioſè conatur.*

Controverſia de Apoſtolatu S. Martialis.

Joan. XX.

Stat

Reſolutio contraria S. Thomæ.

Stat nihilominus ex adverſo, Eccleſiæ uſui conformior S. Thomæ reſolutio; ſcribentis *in cap. 1. epiſt. ad Epheſ.* ubi ad illa verba Pauli, *Quæ gratia ſuperabundavit in nobis in omni ſapientia & prudentia*; ſic pronunciat lect. 6. *Licet omnibus Sanctis abundanter gloria ſua divitias tribuat, ſupereminentius tamen tribuit Apoſtolis*; quibus verbis cenſuram iſtam adſtruit, quam antè tulerat lect. 3. *Ex quo apparet temeritas illorum, ne dicam error, qui aliquos Sanctorum præſumunt comparare cum Apoſtolis in gratia & gloria.* Sunt ii nempe *amici nimis honorati, nimis confortatus principatus eorum*, ad quem nemo alius poſſit attingere. *Cæterorum*, inquit Lucas Act. 5. *nemo audebat ſe conjungere illis. Nemo*, inquit Paraphraſtem agens Cornelius, *audebat ſe iis inſerere, ſe profiteri Apoſtolum aut Apoſtolis familiarem; idque partim metu Magiſtratuum, partim admiratione & reverentia Apoſtolorum, quod ad eorum dignitatem & virtutem ſe aſſurgere poſſe diffiderent.* Hoc de iis dictum, dum in vivis agerent, longè ampliùs quadrat æterna jam potitis gloria: ut non immeritò aſſerat Auguſtinus Triumphus *de poteſtate Eccleſiæ quæſt. 16. art. 4.* in Canonizatione Sanctorum neminem referri poſſe in ordinem Apoſtolorum, ſicut poteſt in Martyrum & Confeſſorum.

Cornelius.

Auguſtinus Triumphus.

Nonniſi Apoſtolorum Diſcipuli aut ab iis miſſi, Apoſtoli dicti reperiuntur.

Hujus ego controverſiæ, quod ad Officii Eccleſiaſtici rationem attinet, arbitrum me præſto, te judice, non iniquum, ſi duo adverteris. Primum, Contentionem iſtam moveri duntaxat pro iis Sanctis, qui & de numero Diſcipulorum Domini fuiſſe, & vel Apoſtolis in Evangelii prædicatione collaboraſſe, vel ab iis miſſi fidem primi omnium in certas terrarum plagas intuliſſe creduntur; quorum proinde locorum, ut ipſi communiter Apoſtoli nuncuparentur, uſus obtinuit: quales recenſentur Silas, Pauli ac Barnabæ comes in Actis ſæpè laudatus, Titus, Silvanus, Epaphras, Andronicus, & alii, quos frequenter memorat Paulus in ſuis Epiſtolis. Quin & Apoſtolorum titulo inſcribuntur in Menologio Græcorum, SS. Stephanus, Timotheus, Oneſimus, Philemon, Stachis &c. Eodem etiam jure apud noſtrates, Lazarus Maſſilienſium, Maximinus Aquenſium, Trophimus Arelatenſium, Martialis Lemovicenſium, Julianus Cenomanenſium, aliique diverſarum Sedium Protopræſules. Secundum, Nec de iis ipſis quæſtionem verſari, an inter Apoſtolos novi uſus inductione computandi ſint; id enim quis niſi temerè audeat? ſed an quibus proprio Eccleſiarum particularium uſu ab omni ævo recepto id competit, jure quaſi poſſeſſionis iis ſervari debeat; quæ tota fuit de S. Martiale in prædictis Conciliis controverſia.

Nulli jam de novo inter Apoſtolos computandi.

Uſus faciendi de aliquibus Sanctis more Apoſtolorum retineri poteſt ubi receptus eſt, non autē de novo induci aut extendi.

Dico itaque in iis Eccleſiis, in quibus talis uſus pridem eſt inductus, ut de Sanctis ejuſmodi fiat more Apoſtolorum, poſſe uſum illum retineri, putà Arelate de S. Trophimo, Lemovicis, Pictavis, & alibi in Aquitania de S. Martiale, de S. Juliano in Eccleſia Cenomanenſi; quæ tria tantùm exempla mihi comperta ſunt: neque aliud quid amplius inferre licet ex citatis pro priori ſententia teſtimoniis. Nullibi verò fas eſſe ejuſmodi uſum de novo inducere, ut cuiquam Sancto etiam ex prædictis, Apoſtoli Titulus aut Officium tribuatur, ob rationem S. Thomæ, cui communis Eccleſiæ ſenſus adſtipulatur. Imò ſicubi deſtitum fuit ab ejuſmodi uſu, uti de S. Martiale paſſim in multis Eccleſiis Galliæ, non debet is denuò inſtaurari, ſicut nec extendi ab una Eccleſia etiam ſuperiore ad aliam etiam inferiorem; ideo in Breviario Cenomanenſi expreſsè cautum eſt, ut de S. Juliano fiat more Apoſtoli in Eccleſia Cathedrali tantùm.

Præmiſſa locum habent quoad officium tantum.

Et hæc quidem ſic definita ſunto, quoad rationem Officii divini in Choro celebrandi ſeu privatim recitandi; de cætero enim ſciunt Panegyriſtæ ſacri, quid ſibi inter ſcribendum aut concionandum minimè ſit interdictum; imò quantus dicendi campus pateat ex Gloſſa in can. *Videntes*, 12. qu. 1. qua dicitur, *Epiſcopos Apoſtolorum tenere locum quoad dignitatem, Monachos quoad renunciationem propriorum & communem vitam, omnes Sacerdotes quoad Sacramentorum adminiſtrationem.*

Guyet. Heortologia.

Evangeliſtæ nec plures nec pauciores quàm quatuor.

De Evangeliſtis quæſtio propoſita non fuit, ſunt enim ii quatuor, nec plures nec pauciores unquam futuri. Horum verò duo Apoſtoli cùm ſint, eorum nomini titulus uterque adſcribitur, *Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ, Joannis &c.* Cæteri verò Tituli, Martyris, Epiſcopi &c. nunquam Apoſtoli titulo ſubnectuntur; non quòd Apoſtoli omnes & Martyres & Epiſcopi non fuerint, ſed quòd ſit munus Apoſtolicum, ut definit Chryſoſtom. hom. 1. in Epiſt. ad Rom. *res bonis infinitis exundans, gratiis omnibus major, bona omnia complectens.*

Chryſoſtom.

QUÆSTIO VI.

An Diſcipuli Domini gradus ſit exprimendus?

Diſcipuli Domini in varias regiones diſperſi.

D*Eſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos*, ait Lucas *cap.* 10. Verè alios ab Apoſtolis, quia gradu inferiores, ſed cæteris quoque eo vel nomine ſuperiores, quòd Chriſti Domini ſummi omnium Magiſtri diſcipuli extiterint, ipſius ore edocti, & ab eo miſſi in omnem civitatem & locum, quò erat ipſe venturus; imò & poſt ipſius Aſcenſionem, in varias æquè ac Apoſtoli regiones ad prædicandum Evangelium diſperſi. Nomina verò illorum cùm Evangeliſtæ nullibi referant, in obſcuro remanſere. Extat quidem in Bibliotheca Patrum Synopſis de vita Prophetarum & Diſcipulorum Chriſti ſub nomine S. Dorothei mart. & Epiſcopi Tyri, ſingulos nominatim recenſens; ſed opus ejuſmodi, utpote inſulſum, ac tanto authore indignum, reprobant Bellarminus, Maldonatus & alii probati authores. Paucorum duntaxat mentionem facit Martyrologium Roman. Joſephi ab Arimathia, 17. *Martii*, Cleophæ 25. *Septembris*, Ariſtionis 22. *Febr.* Appellis & Lucii 22. *Aprilis*, Maximini 8. *Junii*, Jaſonis 12. *Jul.* Priſci 1. *Sept.* quibus ex probabili conjectura annumerari facilè ſinam, Lazarum Mariæ & Marthæ fratrem, Marcum cognomento Juſtum, Ananiam, Silam, alioſque ut Apoſtolorum diſcipulos in eodem Martyrol. commendatos. At nec iſtorum, nec aliorum quos proferre libuerit, privilegium ullum aliud eſt, quàm ut in Litaniis ſtatim poſt Apoſtolos ſub Diſcipulorum Domini titulo generatim invocentur, & in dicto Martyrol. memoria eorum pronuncietur præ aliis Sanctis, de quibus non fit Officium. De cætero nonniſi Martyrum vel Confeſſorum titulo ſingillatim afficiendi ſunt, Officiumque adeò nonniſi de iiſdem, cuique reſpectivè tribuendum.

Synopſis de vita Prophetarum & Diſcipulorum Chriſti.

Diſcipuli Titulus quoad Officium nihil importat.

QUÆSTIO VII.

Quinam Sanctorum inter Martyres computandi?

Martyrium ex Dei dono proficiſcitur.

ÆQuè de Martyrio dici poteſt, quod in alio ſenſu pronunciavit Apoſtolus Rom. 9. *Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Martyrii deſiderio SS. Romualdus, Franciſcus, Antonius de Padua, aliique plurimi, in remotas oras profecti, vel morbo, qui progredientes acriùs vexabat, vel liberali, ſecùs quàm ſperaverant infidelium tractatione, redire compulſi ſunt. Utique de hacce corona effatum illud verius eſt quàm de quacunque regia, *Deus dat cui vult.* Ut ergo non eſt in Sancti cujuslibet poteſtate illam ſibi aſſumere, ita nec fas eſt nobis proprium hujus Coronæ titulum cultumque cuilibet Sancto tribuere,

re, niſi ei quem ſcimus verè illam, Deo dante, adeptum fuiſſe. Eſt enim corona illa una ex aureolis, quæ ut loquitur S. Thomas *in 4. diſt. 49. qu. 5. art. 5. quoddam ſunt privilegiatum præmium, privilegiatæ victoriæ reſpondens*; adeòque iis ſolis conferendum qui ejuſmodi victoriam reportarunt.

Martyrii corona una eſt ex aureolis. D. Thomas.

Quales ſunt ii omnes qui pro confeſſione Chriſti nominis, capitali ſententia damnati, quocunque tandem ſupplicii genere fortiter occubuerunt. Quorum numerum, ſæviente tam decem priorum, quàm aliarum ubilibet perſecutionum atrocitate, ſuper arenam multiplicatum prodit liber ipſe inde dictus Martyrologium; quamquam plures longè adhuc ſint qui in eo deſiderantur. An verò præter iſtos alii quoque in hunc ordinem ſint referendi, ſupereſt inquirendum.

Martyres dicti omnes qui pro confeſſione nominis Chriſti occubuerunt.

Martyrologium.

QUÆSTIO VIII.

An pro Martyribus habendi, qui tormentis ſuperſtites, in pace poſtmodum quieverunt?

SS. Melchiades, Euſebius Vercell. Felix Nolanus, & Thecla Martyres.

TAles habentur SS. Melchiades Papa, Euſebius Vercellenſis, Felix Nolanus, Thecla dicta ipſa inter fœminas Protomartyr; quos tamen omnes tormenta olim expertos, conſtat ſpontanea deinceps morte deceſſiſſe. Ac licèt Confeſſorum duntaxat titulo inſcribantur prædicti Felix & Euſebius, hic à S. Ambroſio & aliis antiquis ſcriptoribus, ille in veteribus omnibus Calendariis ac Martyrologiis, etiam Romano Galeſinii; ambos tamen ut Martyres colendos poſt noviſſimas Martyrologii & Calendarii recognitiones, jam extra controverſiam eſt. Nec immeritò; nam, ut ait S. Cyprianus, Epiſt. 58. ad Lucium, *In Confeſſoribus Chriſti dilata martyria non meritum Confeſſionis minuunt, ſed magnalia divinæ protectionis oſtendunt*. Idque trium puerorum Babyloniorum ac Danielis Prophetæ adductis exemplis ampliùs confirmat: *Neque enim in tribus pueris minor fuit Martyrii dignitas, quia morte fruſtrata de camino ignis incolumes exierunt; aut non conſummatus Daniel extitit in ſuis laudibus, quia qui leonibus miſſus fuerat ad prædam, protectus à Domino vixit ad gloriam*. Quin & ob id *epiſt. 9. ad Martyres & Confeſſores* eos ſolatur, quos ante conſummatam fidei Confeſſionem liberos dimitti contingit: *Quod ſi ante diem certaminis veſtri de indulgentia Domini pax ſupervenerit, vobis tamen manet voluntas integra, & conſcientia glorioſa. Nec contriſtetur aliquis ex vobis, quaſi illis minor, qui ante vos tormenta perpeſſi, victo & calcato ſæculo, ad Dominum glorioſo itinere pervenerunt*.

Ambroſius.

Cyprianus.

S. Victricius Rothomagenſis Epiſc. an dicendus Martyr?

Hæc cùm certò conſtent, mirari ſatis non poſſum S. Victricium Rothomagenſem Archiepiſcopum, cujus natalis conſcribitur 7. Auguſti, in ipſa Rothomagenſi Eccleſia Confeſſoris duntaxat, non autem Martyris nomen, adeòque Officium obtinere; cùm & à S. Paulino, *Epiſtola* 26. ad ipſummet Victricium data laudetur, quòd, *diſtrictus in verbera, & vaſtis fuſtibus fractus, non tamen victus fuerit, quia Crucis ligno innitebatur, geminataque mox corpori pœna, acuta teſtarum fragmine laniata immanibus plagis membra ſubſtratus fuerit, tunc molliùs fulciente Chriſto, cujus gremium lectulus erat & dextra pulvinar*. An quia *Confeſſorem in pace Chriſti quievisse* aſſerit Martyrologium Romanum? Sed & martyrem prædicat Paulinus author probatiſſimus, & Confeſſores tortos, Martyres à Tertulliano & Cypriano plerumque appellatos jam ſuprà monuimus, adſtipulanturque Baronius in notis ad 2. Januarii, & Pammelius annot. in Epiſt. 9. ejuſdem Cypriani. An quia ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 124. *art.* 4. ad perfectam Martyrii rationem pertinet, ut aliquis mortem ſuſtineat? Sed ſe D. ipſe Thomas explicat in fine articuli: *Contingit tamen quandoque quod aliquis poſt mortalia vulnera pro Chriſto ſuſcepta, vel quaſcunque alias tribulationes continuatas uſque ad mortem, quas à perſecutoribus patitur pro fide Chriſti, diu vivat: in quo ſtatu actus Martyrii meritorius eſt, etiam ipſo tempore quo hujuſmodi afflictiones patitur*. Ex quibus videas quàm appoſitè idem Paulinus Victricium de quo agimus, *Martyrem vivum* loco eodem appellet.

Paulinus.

Martyrol. Rom.

Baronius, Pammelius.

D. Thomas.

Multi inter Martyres repoſiti, qui tormentis ſuperſtites fuere.

Ergo, ais, non improbares, ſi uſus ille mutaretur, ut de Confeſſore in Martyrem tranſeat? Utique non improbarem. Nam & paris ſortis numerantur inter Martyres in ipſo Martyrol. S. Numidicus 10. *Aug.* S. Eutychius diſcipulus S. Joannis, & S. Soſthenes diſcipulus S. Pauli 28. *Nov.* S. Maxima 16. *Octobr.* Nec ab eo itidem ordine removentur S. Theodoſius Cœnobiarcha 11. *Januar.* S. Matthias Jeroſol. Epiſcopus 30. *ejuſdem*, S. Lazarus Monachus 23. *Febr.* S. Theodotus Epiſcopus Cyriniæ 6. *Maji*, SS. Epiſcopi Maternus Mediolanenſis, & Philaſtrius Brixienſis, 18. *Jul.* S. Paphnutius 11. *Sept*, aliique conſimiles. Quin & Baronius *ad 9. Januarii*, de S. Baſiliſſa virgine uxore S. Juliani mart. illuſtre hoc profert teſtimonium: *Baſiliſſa autem licèt Martyrium non obierit, tamen quia multa graviaque paſſa eſt, & dux Martyrum extitit, cenſita etiam inter Martyres reperitur*.

QUÆSTIO IX.

An qui à tormentis nihil læſi, nihilque doloris paſſi fuere?

Auguſtinus.

AUdi Auguſtinum *ſerm. 106. de Diverſis* quæſtioni huic reſpondentem, perinde ac ſi tu eam ipſi feciſſes: *Non enim quia Joanni Apoſtolo paſſio defuit, ideo paſſioni animus præparatus deeſſe potuit. Non eſt paſſus, ſed pati potuit, præparationem ejus Deus noverat; quemadmodum tres pueri arſuri miſſi ſunt, non victuri. Negabimus eos Martyres, quia flamma eos urere non potuit? Interroga ignes, paſſi non ſunt: interroga voluntatem, coronati ſunt*.

Nihil iis ad martyrium deſideratur.

Et verò, quid hic ad martyrium propriiſſimè dictum ampliùs deſideres, cùm adſit actus heroicus fortitudinis circa mortis periculum adeò præſens, ut ſecluſo miraculo mortem certiſſimè fuiſſet illaturum? Rarum id quidem eſt, ut qui ab igne, aut beſtiarum dentibus, aut rotarum aculeis ſalvi integrique evaſiſſent, non ſtatim gladio, aut alio ſupplicii genere à Tyrannis interempti martyrium non compleverint, ut conſtat de Sanctis Tiburtio, Torpete, Cindeo, Euphemia, Catharina, Tatiana & aliis. Verùm etſi non compleviſſent, annon æquè Martyres habendi, ac ipſe S. Joannes Evangeliſta, qui à fervente oleo in quod demerſus fuerat, nihil læſus, Martyris nihilominus & nomine ab Hieronymo & Petro Damiano, & cultu ab univerſa Eccleſia afficitur?

Joannes Evang. mſſus in ferventis olei dolium verè Martyr.

Haud tamen celebratur martyr S. Benedictus in ardentem clibanum incluſus.

Eſt quem mihi opponas, S. Benedictus Monachus, qui à Gothis in ardenti clibano incluſus, ſequenti die inventus eſt illæſus, nec tamen inter Martyres in Martyrol. computatur *die* 23. *Martii*.

QUÆSTIO X.

An qui in carcere vel exilio ærumnis confecti interierunt?

Actus fortitudinis ex charitate ad rationem martyrii requiſitus.

CAuſa dubitandi eſt, quòd neque carcer, neque exilium, mortis periculum per ſe contineant, circa quod actus ille heroicæ fortitudinis ex Dei charitate exercetur: quod tamen ad Martyrii rationem omnino requiri, communis eſt tam Patrum quàm Theologorum opinio.

Martyres in exilio conſumpti.

Cenſentur nihilominus ex uſu Eccleſiæ inter Martyres SS. Romani Pontifices Marcellus & Joannes, in carcere; Silverius, Martinus & Pon-

tianus

tiatus in exilio conſumpti. Quibus annumerandi ex Martyrologio SS. Florentius Viennenſis Epiſcopus 3. *Januar.* Voluſianus Turonenſis, 18. Theophilus Epiſcopus Nicomed. & Paulus Peluſinus 7. *Martii*, Pontius S. Cypriani Diaconus 8. Theophanes Monachus 12. Nicephorus Epiſcopus Conſtantinopol. 13. Septem fratres Armenii 24. *Junii*, Eugenius Carthagin. Epiſc. cum ſociis 13. *Jul.* Paulinus Epiſc. Trevir. 31. *Aug.* Theophilus Monachus 2. *Oct.* Sanctæ Palarialis & Laurentia 8. Quòdvultdeus Epiſcop. Carthagin. 26. Valentinus & alii plures Epiſcopi 28. *Nov.* Chæremon & ſocii 22. *Decembr.* &c. Carceris verò Titulo prioribus accenſendi SS. Gabinus 19. *Febr.* Victor & Victorinus 6. *Mar.* Alexander Epiſc. 7. Saturninus & ſocii 2. *Maji*, Geruntius Epiſc. 25. *Aug.* Deuſdedit Abbas Caſſinenſis 9. *Oct.* Felix 6. *Novembr.*

Conſumpti item in carcere.

Satis eſt ad Martyrium ſi periculum mortis ex carcere vel exilio ſecuturæ apprehendatur.

Nil autem obſtat quod oppoſitum fuit initio, nec carcerem, nec exilium, mortis periculum per ſe continere; ſatis enim eſt ut mente apprehendatur ejuſmodi periculum ab eo qui hæc patitur, tamquam præſens aut brevi ſecuturum, attentis cauſa ob quam patitur, profeſſione videlicet nominis Chriſti, & perſona à qua patitur, Tyranno huic profeſſioni infenſiſſimo. Qui ſenſus eſt Cypriani *Epiſt.* 37. ubi eorum curam commendans, qui etſi torti non ſunt in carcere, tamen glorioſo exitu mortis excedunt, hæc habet: *Neque enim virtus eorum aut honor minor eſt, quominus ipſi quoque inter beatos Martyres aggregentur. Quod in illis eſt, toleraverunt quidquid tolerare parati & prompti fuerunt. Qui ſe tormentis & morti ſub oculis Dei obtulit, paſſus eſt quidquid pati voluit: Non enim ipſe tormentis, ſed tormenta ipſi defuerunt.*

Cyprianus.

D. Thomas.

Nec opponas item S. Thomam *qu. & art. nuper cit. ad* 4. aſſerentem *Martyrium propriè non dici pro ſola tolerantia carceris, vel exilii, vel rapina divitiarum*; ſtatim enim ſubdit, unde liquidò videas in noſtram ipſum mentem prorſus venire: *Niſi fortè*, inquit, *ſecundum quod ex his ſequitur mors*. At in omnibus ſuprà relatis, aliiſque plurimis, mors de facto ſequuta eſt: ergo verum in iis martyrium fuit, atteſtante id eodem Cypriano paulò à præmiſſis verbis, *Cùm voluntati & confeſſioni noſtra in carcere & vinculis, accedit & moriendi terminus, conſummata Martyris gloria eſt.*

Cyprianus.

Morte non ſecuta qui exilium vel carcerem paſſi ſunt. Martyrum quidem præmio, haud tamen Officio donantur.

Quid ſi mors ex carcere, exiliove ſecuta non eſt: an cenſendi nihilominus Martyres qui illa ſuſtinuerunt? Si de gloria ſeu aureola Martyrii quæris, ajo ego tales eam haud dubiè promereri apud Deum, imò & conſequi, aſſertoremque dicti hujus habeo Auguſtinum *lib. de Virginit. c.* 46. ubi coronam martyrii agnoſcens, vel in habitu animi, vel in ipſa paſſionis experientia conſtitutam, de illa ſubdit, *Neminem dubitare hoc donum occultum eſſe, ſi examinatrix deſit tentatio.* Donum verò illud cùm occultum ſit, nec niſi ſoli obtinenti cognitum, ſi de nomine ſeu titulo Martyris apud homines Officioque illi reſpondente quæſtionem intelligis, ajo tales eo minimè potiri, vel ob id maximè quòd martyrii eorum ſignum, aut ut cum Apoſtolo loquar *ſtigma* nullum extrinſecùs appareat. Sic SS. Athanaſius, Hilarius, Cyrillus Hieroſolymitanus & alii multi, exilia etiam diuturniora paſſi, haudquaquam tamen Martyrum titulo in tabulis Eccleſiaſticis inſigniuntur.

QUÆSTIO XI.

An Extorres?

Baronius.

Extorres ſic deſcribit Baronius ex Cypriano in notis ad 2. Januar. *Si quis timore correptus, ne fidem proderet, ſua ſuoſque relinquens exilio ſpontaneo procul à patria vitam degeret, hic appellabatur extorris: cujus non erat deſpicienda conditio, nam & numero Martyrum recenſendus erat, ſi ea de cauſa mortem appetiiſſet.* Huic, quod poſtremò

Guyet. Heortologia.

dixit, extorres inter Martyres recenſendos, reſtagatur S. Hieronymus *lib. 2. adverſus Jovinianum*, ubi Martyrem à fugiente ſeu extorre ſic diſtinguit: *In Martyre voluntas, ex qua ipſa mors naſcitur, coronatur. Meum eſt opponere me Gentilium furori, & Dominum non negare; jam in illorum arbitrio eſt, aut decollare, aut urere, aut recludere in carcerem, aut varia adhibere genera pœnarum. Quod ſi fugero & in ſolitudine obiero, non erit eadem corona morientis, quia non eadem cauſa mortis eſt Chriſtus.*

Hieronymus.

Extorres edicto pulſi, vel ob perſecutionem ſolum vertere coacti, verè Martyres habendi.

Utrumque dictum facilè conciliari poſſe puto hac diſtinctione, ut extorres illi verè dicantur Martyres, qui ſive edicto pulſi, ſive dira Tyranni perſecutione coacti ſolum vertere, bonis omnibus ſpoliati, in ſumma deinceps egeſtate, ſeu vagi & errantes, ſeu latentes in montibus & ſpeluncis, gravibus iiſque perpetuis periculis obnoxii reliquum vitæ tempus traduxere; quos egregiè deſcribit Cyprianus *Epiſt.* 56. *ad Thybaritanos de exhortatione Martyrii: Si fugientem in ſolitudine ac montibus latro oppreſſerit, fera invaſerit, fames, aut ſitis, aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti navigatione properantem tempeſtas ac procella ſubmerſerit, expectat militem ſuum Chriſtus ubicumque pugnantem, & perſecutionis cauſa pro ſui nominis honore morienti præmium reddit, quod daturum ſe in reſurrectione promittit. Nec minor eſt Martyrii gloria, non publicè & inter multos periiſſe, cum pereundi cauſa ſit propter Chriſtum perire. Sufficit ad teſtimonium martyrii ſui teſtis ille qui probat Martyres & coronat.*

Cyprianus.

Exempla Martyrum extorrium.

Tales ii ſunt quos recenſet Martyrol. 23. *Junii, Nicomediæ Commemoratio plurimorum SS. Martyrum, qui in montibus & ſpeluncis tempore Diocletiani latitantes pro Chriſti nomine martyrium læto animo ſubierunt.* Tales Septem illi Dormientes dicti, de quibus 27. *Julii*, qui perſecutionis Decii atrocitatem fugientes, in ea ſpelunca in quam ſe receperant vel interierunt, vel obdormierunt. Talis etiam haberi poteſt Valerianus ille Epiſcopus, quem refert idem Martyrol. 15. *Dec.* extra civitatem pulſum, domoque & agro interdictum, multo tempore in ſtrata publica nudo ſub aere jacentem, in confeſſione & defenſione Catholicæ veritatis curſum beatæ vitæ compleviſſe.

Septem Dormientes Mart.

Valerianus Epiſc. extorris obiit.

Si quieta ſit fuga vel exilium, Titulus Martyris non tribuitur.

Si autem ea ſit fuga vel exilium, quod extorribus quietem aliquam permittat, aut eos non tam gravibus vitæ periculis objiciat, poſſunt illi quidem & eſſe tum Martyres, per actum illum internum & occultum, quem præcedenti quæſt. deſcripſimus: ut autem Titulo Officioque Martyrum donentur, non eſt in uſu Eccleſiæ, uti conſtat exemplis SS. Baſilii, & Emmeliæ conjugis ejus parentum S. Baſilii Magni 30. *Maji*, S. Euthymii cum uxore itidem ac Creſcentio filio 29. *Aug.* & S. Gaudioſi Epiſc. Africani 28. *Oct.* & in hoc ſenſu vera eſt Hieronymi ſententia.

QUÆSTIO XII.

An Profeſſores?

Qui non interpellatus ſe martyrio ingerebat, hic dicebatur Profeſſor, ait cit. non ita pridem Baronius, ex eodem Cypriano *Epiſt. ultima*, ubi de ſuo deceſſu paulò ante paſſionem ad Clerum plebemque ſuam Carthaginenſem inter cætera hoc iis monitum dat: *Ne quiſquam veſtrum aliquem tumultum de fratribus moveat, aut ultro ſe gentilibus offerat, apprehenſus enim & traditus loqui debet: ſiquidem in nobis Dominus poſitus illa hora loquatur, qui nos confiteri magis voluit quàm profiteri.* Rectè *profiteri*; ut enim ex Cicerone obſervat Pammelius in huncce locum, profiteri plus eſt quàm confiteri, ut profiteri ſit ultro & palam confiteri. Profeſſores itaque ejuſmodi nedum Martyrum nomine digni ſunt, ut eos Patres

Cyprianus.

Profiteri quid ſit? Pammelius.

Profeſſores nedum Martyres, ut nec Sancti habeantur.

tamquam temeritatis & audaciæ reos acriter perſtringant, Origenes *in Joann. cap.* 31. Clemens Alexandr. *ſtrom. libr.* 4. & alii (reclamante nequicquam Montani erroribus afflato Tertulliano in eo quem de fuga in perſecutione edidit Commentario.)

Sunt tamen verè Martyres qui Spiritus Sancti impulſu in mortem ſponte ruerunt.

Quæ tamen Cenſura nihil eos attingit, qui Spiritus Sancti impulſu, vel in ignem paratasque flammas præcipites ſe dedere, ut Apollonia Virgo Alexandrina, & trecenti illi Martyres Carthaginienſes appellati Maſſa candida; vel gladio ſibi pectus transfixere, ut Sophronia Matrona Romana; vel denique alio quovis modo ſibi vim intulere, ut Pelagia illa virgo Antiochena, quæ ſe è ſublimi domo dejecit, mater verò cum ſororibus aquis ſe immerſit; aliæque ſimiles, tum fœminæ, tum viri etiam, quos ut veros ac probatos Martyres ſemper agnovit Eccleſia.

QUÆSTIO XIII.

An occiſi alia ex cauſa quàm ob defenſionem Nominis Chriſti?

Martyres Prophetæ pro Juſtitia & Religione interempti.

FUere Martyres Prophetæ illi omnes, Machabæique Fratres, qui tempore Legis ante Chriſti adventum ab impiis pro juſtitia vel religione tuenda necati ſunt. Martyr fuit Joannes ipſe Baptiſta, medius legem inter ac gratiam veluti limes, qui pro reprehenſione adulterii contumelioſa cæde truncatus eſt, *in puellæ ſalticæ lucar*, hoc eſt præmium, ait Tertull. *Scorpiaci cap.* 8. Martyres denique cenſentur in lege ipſa gratiæ, occiſi plurimi, ſive à Gothis, Vvandalis, Hunnis, Northmannis aliiſque Barbaris, ex innato ipſis furore, ut SS. Deſiderius Lingonienſis Epiſcopus, Bonifacius Moguntinus, Gohardus Nannetenſis, Aureus cum ſorore Juſtina &c. ſive à nefariis hominibus, ex privato odio, ſeu invidia aut ulciſcendi libidine, ut SS. Eduardus Angliæ Rex, Venceslaus Dux Bohemiæ, Deſiderius Epiſc. Vienenſis, Leodegarius Auguſtodunenſis, &c. ſive denique à factioſis ſicariis ob jurium Eccleſiæ defenſionem, vel ad tuendam pauperum cauſam, aut mulierum caſtimoniam, ut SS. Thomas Epiſcop. Cantuarienſis, Stanislaus Cracovienſis, Didymus, Ptolemæus &c. Ergo non ſola nominis ſeu fidei Chriſti expreſſa, ac voce prolata Confeſſio poteſt eſſe cauſa martyrii; ſed ut ait S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 124. *artic.* 5. *Omnia virtutum opera, ſecundum quod referuntur in Deum. Referuntur autem, quatenus ſunt quædam proteſtationes fidei, per quam nobis innoteſcit quod Deus hujuſmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat.* Quæ ratio handquaquam pugnat pro militibus, quos in bello cæſos perperam ut Martyres haberi voluit Phocas Imperator.

Martyr itidem S. Joan. Bapt.

Martyres plurimi à Barbaris, ex odio aut innato ipſis furore occiſi.

D. Thomas.

QUÆSTIO XIV.

An mortui in obſequio peſte laborantium?

DE Martyrio per peſtem tractatum ſcripſit Theophylus Raynaudus, quo eos contendit verè ac propriè eſſe Martyres, nixus potiſſimùm authoritate Martyrologii Romani, quod ſic habet ultima die Februarii: *Alexandriæ commemoratio Sanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cùm peſtis ſæviſſima graſſaretur, morbo laborantibus miniſtrantes, libentiſſimè mortem oppetiere; quos velut Martyres religioſa piorum fides venerari conſuevit.*

Martyrol. Rom.

Præter hoc exemplum, aliud nullum reperio. Sint itaque illi Martyres, & Martyrum Officio colantur, ſicubi ſit eorum feſtivitas, propterea quòd, ut ait Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus apud Euſebium *lib.* 7. *hiſt. cap.* 17. *genus iſtud mortis propter incredibilem pietatem & robuſtam fidem ſuſceptum, nihil à ſplendore Martyrii abeſſe videatur*; imò martyrii præmium ſeu aureolam apud Deum promereantur quicunque in tam excellenti charitatis officio vitam ponunt, ob eaſdem vel pares rationes iis quæ ſuprà *quæſt.* 10. allatæ ſunt, non repugnabo; at nomen Officiumque Martyrum iis rependere (ſi fortè inter Sanctos poſtmodum allegentur) hand fas putaverim abſque expreſſiori Sedis Apoſtolicæ declaratione; tum quia novum hoc eſt, nec in uſum propria authoritate temerè inducendum; tum quia Martyrii hujuſmodi par non eſt cum aliis ubique ratio. Poteſt ſiquidem alius lucri gratia ei ſe muneri præſtare, quod non adeò perfectæ charitatis eſt; alius talibus ſe munire remediis, quæ metum incurrendæ mortis, vel arceant penitus, vel multùm minuant, ex quo deſit objectum proprium heroicæ illius fortitudinis. Poteſt denique aliquis, ſi in eo munere diutiùs perſtet, labi in peccata aliqua, quæ obſequio illo non perinde ac ſanguinis effuſione deleantur. Quæ quidem omnia peculiari probatione indigent, adeo ut quæ in aliis Martyribus ad Canonizationem ſola requiritur mortis informatio, in his ſufficere non videatur, ſed alia quoque morum ac vitæ priùs tranſactæ ſit adjungenda.

Euſebius.

Licèt Martyrum præmium apud Deum obtineant, qui in obſequio peſte laborantium occumbunt, haud tamen Martyrum officio colendi abſque expreſſa Sedis Apoſtolicæ declaratione.

QUÆSTIO XV.

An infantes & alii uſum rationis non habentes occiſi propter Chriſtum?

DE infantibus dubitationem omnem tollit, SS. Innocentium ab Herode interfectorum exemplum, quibus abſque acceleratione uſus rationis tam potuit meritum Chriſti prodeſſe ad palmam Martyrii per effuſionem ſanguinis conſequendam, quàm cæteris prodeſt per lavacrum baptiſmi ad gratiam. Unde Auguſt. ſic eos alloquitur *ſerm.* 6. *de diverſis*: *Ille de veſtra corona dubitabit in paſſione pro Chriſto, qui etiam parvulis baptiſmum prodeſſe non æſtimat Chriſti. Non habebatis ætatem, qua in paſſurum Chriſtum crederetis; ſed habebatis carnem, in qua pro Chriſto paſſura paſſionem ſuſtineretis.* Quæ ratio æquè probat de cæteris infantibus pro Chriſto jam paſſo interfectis, ut de Quirico trienni filio Julittæ, & alio quinquenni, de quo Martyrologium 24. *Octobr.* Imò & pro nondum natis, ſi qui cum matre ſimul interfecti fuerint: cujus rei vix ullum puto ſuppetere exemplum, jubente lege differri ſupplicium mulieris prægnantis uſque dum pariat, *l. Prægnantis, ff. de pœnis*: quod in Felicitate Martyre ſorore Perpetuæ ſervatum fuiſſe teſtatur Auguſtinus.

Infantes ab Herode interfecti verè Martyres.

Auguſtinus.

Alii itidem infantes pro Chriſto interempti.

Amentium rariora adhuc ſunt exempla, nec aliter puto poſſe contingere ut ii Martyres evadant, quàm cùm tota aliqua Civitas aut numeroſus populus turmatim ac promiſcuè pro Chriſto trucidatur, qualis memoratur in Martyrol. Lugduni *die* 2. *Junii*, & Treviris *die* 6. *Oct.* In eo ſiquidem caſu ſi qui amentes in turba illa necati fuerint, de iis perinde judicandum atque de infantibus, dummodo ii tales fuerint à nativitate; nam ſi antea ſanæ mentis extitiſſent, nec ullam unquam, ſi ſe offerret occaſio martyrii ſubeundi, voluntatem ſeu propoſitum ſaltem implicitum habuiſſent, non eos ego martyrii magis quàm baptiſmi capaces eſſe putaverim: atqui ex D. Thoma 3. *part. quæſt.* 68. *artic.* 12. *& ex cap. Majores, de baptiſmo & ejus effectu*, baptiſmi capaces non ſunt, igitur nec martyrii. Secùs ſi tale propoſitum aliquando habuiſſent, quod non retractaverint. Atque hactenus de Martyribus.

Amentes ut poſſunt fieri Martyres.

D. Thomas.

QUÆ-

QUÆSTIO XVI.

Quinam Sancti cenſendi inter Confeſſores?

RELiqui planè omnes, qui ſupradictis Martyrum claſſibus non continentur. Brevis æquè ac vera reſponſio.

Confeſſores dicti Martyres metaphoricè.

Nec obſtat quod de S. Martino dicitur, *O ſanctiſſima anima, quam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrii non amiſit.* Item quod de S. Paula habet Martyrologium 26. *Jan. quod longo coronata martyrio ad cæleſtia regna tranſierit.* Item quod S. Franciſco, ac pleriſque aliis, in Officio eorum proprio tribuitur, *O Martyr deſiderio*, Martyrii enim vox in iſtis omnibus non propriè, ſed metaphoricè accipitur, ſicut & quando dicit Auguſt. ſer. 32. de diverſis, *Tota vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundùm Evangelium vivat, Crux eſt atque Martyrium.*

Auguſtinus.

Confeſſores dicti olim tam qui tormentis probati, quàm qui de fide ſimpliciter interrogati fuiſſent.

Poſſet etiam quis objicere Confeſſores quoſdam, flagella, aliaque ejuſmodi ab fidei hoſtibus paſſos, (quod de S. Martino inprimis teſtatur Severus Sulpitius) ob quæ Martyrum titulo ex dictis *ſuperiori quæſt.* 8. legitimè decorarentur. Verùm cùm ex obſervatis ibidem & alibi antea, Confeſſores olim dicerentur, tam qui tormentorum ſævitiam conſtantia ſuperaſſent, licèt mortem nondum obiiſſent, quàm qui ſimpliciter interrogati, & carceri mancipati nondum ſuſtinuiſſent in quæſtione tormenta; frequentiùs tamen occurrit, ut hi Confeſſores, & illi Martyres appellentur: hincque etiam factum puto, ut ſicut Martyris nomen iis qui duriora paſſi eſſent, licèt ſuperſtitibus poſtmodum remanſit, ita & Confeſſoris iis qui leviora nec ex ſe mortem inferentia. A quo uſu non eſt temerè diſcedendum.

QUÆSTIO XVII.

An Papæ Dignitas exprimi debeat in inſcriptione Sanctorum?

Micrologus. Feſta Sanctorum Rom. Pontificum ubique pleno officio celebrari præcepit Greg. VII.

REfert Micrologus cap. 43. Gregorium VII. ſtatuiſſe ut Sanctorum omnium Romanorum Pontificum ſolemnitates ubique cum pleno Officio celebrarentur. *Nam*, ſubdit ille, *cum qualibet Eccleſia ſui Patroni, etiamſi Confeſſor fuerit, feſtum ſolemniter obſervet, quantò magis eorum, qui totius Eccleſiæ non tam Patroni, quàm Patres extiterunt, quam etiam uſque ad martyrium verbis & exemplis inſtituere non deſtiterunt?* Solemne eſt autem omnibus Breviariis, Papæ titulum, cujuslibet illorum nomini præfigere, hac forma, *S. N. Papæ & martyris*, vel *Papæ & Confeſſoris*: adeo ut nec ipſum Græcorum Menologium in tribus quatuorve, quos recenſet, Romanis Pontificibus, id omiſerit. Rationem verò uſus ejuſmodi hanc innuit idem Micrologus, quòd cùm Miſſa illorum ex ejuſdem Gregorii VII. inſtituto eſſet ut de Pontifice; Officium verò vel totum, vel majori ex parte de Martyre, utroque Titulo utrumque debuit indicari.

QUÆSTIO XVIII.

An Epiſcopi?

Epiſcopi nomen apponendum.

USus ac ratio eadem quæ in præcedenti quæſtione, nequidem dubitare ſinunt. Uſus quidem omnium Eccleſiarum, in quarum Calendariis propriis legere eſt *S. N. Epiſcopi & martyr.* vel *Epiſcopi & Confeſſoris*. Ratio verò, quia aliæ Miſſæ ſunt pro Martyre Pontifice, & aliæ pro non Pontifice, ſicut & diverſum magna ex parte Officium Confeſſoris Pontificis & non Pontificis: ergo ad hoc ſaltem opus eſt, ut Epiſcopi titulus deſignetur. Dixi, ad hoc ſaltem; nam Epiſcopum inter ac Presbyterum nullum diſcrimen ſtatuere, & ad unum eumdemque ordinem utrumque redigere, Aerii hæretici jampridem damnatum ab Epiphanio dogma fuit, à Petavio noſtro doctiſſima adverſus hoſtem Catholici oppugnatoremque nominis diſſertatione, decem ante circiter annos reprobatum.

Petavius.

QUÆSTIO XIX.

An Patriarchæ, Primatis, Archiepiſcopi?

Patriarchæ & Primatis nomen nullibi apponitur.

NUllibi duorum priorum Titulorum inſcriptionem reperio, ne in ipſo quidem Græcorum, qui tamen Patriarchis abundant, Menologio. Archiepiſcopi verò ſatis frequenter tam in dicto Menologio, quàm in Calendariis propriis Eccleſiarum Metropolitanarum, nimirum, Rhemenſis, Bituricenſis, Senonenſis, Turonenſis, Rothomagenſis &c. Nec id ego quaquam improbandum cenſeo; ſicut nec quod in cujuſque Diœceſis Calendario, Sanctis Epiſcopis, Sedis quoque propriæ nomen adjiciatur, putà, *Hilarii Pictavienſis Epiſcopi, Aniani Aurelianenſis, Albini Andegavenſis &c.* Tres verò tituli illi, cùm nihil ſupra Epiſcopi dignitatem, quod ad divina Officia attinet, ſicut nec quoad poteſtatem Ordinis apponant, mirum non eſt, ſi in Calendariis ordinariè non exprimantur.

Archiepiſcopi in Eccleſiis Metropolitanis.

QUÆSTIO XX.

An Cardinalis?

Cardinalis Dignitas Eminentiſſima.

ESt ampliſſima illa quidem, imò & Eminentiſſima Dignitas, ſed quæ nullam per ſe conferat Ordinis poteſtatem; unde ait Gloſſa in C. *Quamquam 2. qu. 7. Quilibet Epiſcopus major eſt Presbytero Cardinali, major inquam, dignitate reſpectu Ordinis Epiſcopalis*; ſive ut interpretatur Bartolus *in l. 1. Si quis, ff. de Appellat. major dignitate non officio*; vel meliùs ex Auguſtino Triumpho, *de Eccleſiaſtica poteſtate quæſt.* 102. *art.* 2. major Ordinis poteſtate, non loci ſeu honoris dignitate. Ex hoc itaque nihil Sancto advenit, unde ipſi aliud Officium tribuatur quàm Confeſſoris; Pontificis quidem, ſi Epiſcopus fuit; non Pontificis verò, ſi tantùm Presbyter aut Diaconus. Ideòque non ſolet exprimi hic titulus in inſcriptione, ut patet in SS. Bonaventura & Carolo, qui duo tantùm Cardinales ſunt Sancti, de quibus fit Officium, niſi tertium ex multorum opinione Hieronymum adjicias.

Bartolus. Aug. Triumphus.

Non apponitur in Calendariis.

QUÆSTIO XXI.

An Doctoris?

Doctorum ordo præcipuus.

HAbentur in Breviario & Miſſali, quædam propria pro Doctoribus; *Eſt quippe Doctorum Ordo quaſi præcipuus in Eccleſia. Cap. Cum ex injuncto. De hæreticis.*

Doctores decem. Latini quatuor, Græci totidem, & duo Scholaſtici.

Cenſentur autem Doctores numero decem: Quatuor videlicet Latini, S. Gregorius, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, & S. Hieronymus: Quatuor Græci, S. Athanaſius, S. Joannes Chryſoſtomus, S. Baſilius, & S. Gregorius Nazianzenus: ac demum duo recentiores Scholaſtici, S. Thomas Aquinas, & S. Bonaventura. His omnibus licèt tribuantur, quæ pro Doctoribus poſita ſunt; Doctoris tamen Titulus in Inſcriptione non apponitur; niſi primis quatuor, & poſtremis duobus hac forma, *S. N. Papæ, vel Epiſcopi, vel Presbyteri & Confeſſoris & Eccleſiæ Doctoris*: Aliis verò ullis, nec Titulus, nec Officium. Unus eſt S. Hilarius, de quo in Doctore Officium inſtituunt,

non

Nulli Martyri tribuantur, quæ Doctorum propria ſunt.

non tantùm Pictavienſis, ſed & Pariſienſis, Andegavenſis & aliæ Eccleſiæ. Gaudeant jure ſuo quibus uſu eſt acquiſitum; in ſimili autem de novo id aſſumere fas non puto, maximè in Martyribus; quales ſunt SS. Ignatius, Irenæus, Cyprianus &c. Pauca ſiquidem illa, quæ pro Doctoribus poſita ſunt, ſupponunt Officium Confeſſorum, à quo nunquam ſeparantur.

QUÆSTIO XXII.

An Abbatis?

Abbas accipiendus pro Regulari.

ORatio, Homilia, & Miſſa propria pro Abbatibus poſita indicant ſatis ipſum Abbatis Titulum inſcriptioni eſſe addendum, uti ſit hac forma, *Antonii Abbatis*, *Benedicti Abbatis &c.* Sed eadem quoque innuunt Abbatem hìc accipi pro Regulari, non pro ſæculari. Pro Regulari, inquam, qui ſit Monachorum Præpoſitus, ipſeque Monachus; quales fuere iidem SS. Antonius, Benedictus & alii. Eſt enim nomen hoc venerationis, idem ſonans quod Pater, ab Anachoretis Thebaidos primùm teſte Hieronymo frequentari cœptum, ac ſenioribus inditum, à quibus juniores vivendi formam & inſtitutum accipiebant. Inde verò Eremi cultu in cœtum translato, ſolis Monaſteriorum Præfectis attributum, qui & ipſi ſolemni benedictione ad hoc munus initiantur.

Abbates ſæculares & Commendatarii haud verè Abbates.

Quæ omnia non conveniunt Abbatibus illis, quos ſæculares vocant, ſive ii ſint quarumdam Eccleſiarum Collegiatarum primarii, vero quidem Titulo ſic appellati, ſed qui in aliis Eccleſiis, Prior, aut Decanus, aut Præpoſitus communiter dicitur: ſive Commendatarii illi, qui Monaſteria in Commendam obtinent, habitus ipſi Regulæque Monaſticæ prorſus expertes: ſive denique Adoleſcentes illi Optimatum filii, quibus ſolemne eſt hodie jam inde à cunis Abbatis cognomen, tamquam futuris Prælaturæ Candidatis imponere. De quibus ſanè omnibus longè veriùs dicat quis, quàm ſe S. Benedicto comparans dixit Bernardus, *O Abbas & Abbas.*

Si qui ergo illorum in Sanctos evadant, (quod faxit Deus, ac nulla ſed rara ſaltem avis ſit iſta in cœlis) haud putaverim idcirco Abbatis Titulum ac Officium iis impendendum; illorum ſiquidem inſtituto parum quadrat vel ipſum Evangelium, *Ecce nos reliquimus omnia*; quod tamen Abbatum maximè proprium eſt.

Abbatibus Martyribus nihil tribuendum eorum, quæ pro Abbatibus Confeſſoribus poſita ſunt.

Quòd ſi Abbas, idem & Martyr fuerit, an addendus Martyris Titulus Titulo Abbatis? Additur quidem in Martyrologio SS. Liberato 17. *Auguſti*, Aigulpho 3. *Septemb.* Berchario 16. *Octob.* & aliis; ſed ne id pro Calendario probem, unum obſtat, quòd nimirum Officium totum Martyrum iis tribuendum ſit, cui miſceri idonea non ſunt pro Abbatibus poſita in communi Confeſſorum; uti de Doctoribus in caſu ſimili dictum eſt quæſt. præcedenti.

QUÆSTIO XXIII.

An Sacerdotis ſeu Presbyteri, Levitæ ſeu Diaconi, Monachi, Eremitæ?

HI omnes Tituli, in Martyrologio quidem propriis Sanctorum nominibus adſcribi ſolent; in Calendario verò, non item; ob id credo, quòd otioſa eſſent, cùm ſimplici Titulo Confeſſoris, quantum ad Officii directionem opus eſt, ſufficienter exprimantur. Neque in exemplum trahi debent hæ tres inſcriptiones, *Pauli primi Eremitæ* (unus eſt enim ille primus,) *Valentini Presbyteri & Mart. Hieronymi Presbyteri & Conf.* (An fortè quia Presbyter Cardinalis?) Addunt Regulares ſuis Sanctis notam hanc *Ordinis noſtri*; addant, per me licet.

QUÆSTIO XXIV.

An Imperatoris, Regis &c.

TRia ſunt in Calendario exempla, ex quibus ejuſmodi Titulos apponi poſſe colligas, Henrici Imperatoris Conſ. 14. *Julii*, Stephani Ungarorum 10. *Aug.* & Ludovici Francorum Regis 25. *ejuſdem*. Id tamen ad Officii directionem minimè opus eſt; ſed ſi quid in aliis Sanctis juvare poteſt, maximè ad eos ab aliis ejuſdem nominis diſcernendos, uti ſi ſic ſcribas, *Zachariæ patris S. Joannis Baptiſtæ*, *Cornelii Centurionis*, *Alexandri Carbonarii* &c.

QUÆSTIO XXV.

Quæ Sanctæ Virginum Titulo & Officio colendæ?

POſtremum in hac Sanctorum ſerie locum obtinent, poſtremæ quidem ſexu, ſed non gloria virgines; *Flos ille*, ut ait Cyprianus, *Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum & incorruptum, Dei imago reſplendens ad caſtimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti*. Harum verò numero recenſendæ fœminæ omnes ſanctæ, quas nunquam ſive nuptiis, ſive illegitimo concubitu, cui conſenſerint, conſtat fuiſſe corruptas: ſive, ut ait Ambroſius *lib.* 1. *de Virginibus*, in quibus fuit expers contagionis integritas.

Cyprianus;

Quæ ſanctæ dicendæ Virgines.

Ambroſius;

D. Thomas;

Scio ad aureolam Virginum conſequendam requiri à Theologis poſt D. Thomam *in* 4. *diſt.* 49. *qu.* 5. *art.* 3. non tantùm integritatem carnis, quæ nonniſi ut materiale ſe habet ad virginitatem; ſed præterea propoſitum ejus perpetuò ſervandæ, quod eſt veluti forma & ſigillum ipſius virginitatis; ſive propoſitum illud voto firmatum fuerit, ſive non. Verùm de aureola nobis quæſtio non eſt, ſed de actu ipſo virginitatis, cui abſque tali propoſito, deberi etiam aureolam, quorumdam fuit opinio, modò is qui ſic virginitatem habet, ſit de numero ſalvandorum. Quin & concedit ipſemet S. Thomas aureolam latè acceptam pro quocunque gaudio eſſentiali Beatitudini ſuperaddito incorruptis carne etiam abſque illo propoſito convenire.

Propoſitum non requiritur ad Titulum Virginis conſequendum.

Quidquid ſit de aureola, ego propoſitum ejuſmodi, cùm internum ſit, nec ſe foris niſi per actum prodat, haud abſolutè requiri puto, ad hoc ut Sancta aliqua Titulo Virginis colatur; ſed ſufficere probatam ipſius integritatem. Non quòd plurimæ, imò omnes fortè Virgines ſanctæ propoſitum illud non habuerint; ſed etſi cui defuerint, putà puellæ ante uſum rationis pro Chriſto interfectæ, eam haud minùs ut Virginem colendam eſſe exiſtimo eo vel maximè, quòd de SS. Innocentibus pueris ac puellis canat Eccleſia, *Virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum, quocunque ierit.*

In Martyrologio Uſuardi, Viduæ Sanctimoniales Virginum titulo decoratæ reperiuntur, quod monuiſſe putavit ſatis Joannes Molanus, in Ep. ad lectorem nu. 7. ſed emendavit penitus Martyrologium Romanum in Monegunde 2. *Julii*.

QUÆSTIO XXVI.

An Virgines habendæ quæ vim paſſæ, in ſtuprum nullatenus conſenſere?

Virgo illa ſtuprum paſſa legentur, & ſi quæ paſſæ fuerint, an

QUæſtio hæc propemodum inutilis, cùm ex tam multis Virginibus Chriſtianis, quæ ſub Ethnicis Imperatoribus ad lupanar damnatæ, eo-

que

ſtante propoſito non minùs virgines.

que deductæ leguntur, mirabili ſanè Dei providentia, nulli unquam vitium illarum fuiſſe prodatur. Sed etſi id alicui contigiſſet, eam nihilominus habendam virginem, ſtante ſemper in animo inviolabili propoſito, aſſerit D. Thomas cit. probatque celebri illo S. Luciæ reſponſo, *Si me invitam violari feceris, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam:* duplici nimirum reportata aureola, & ſervatæ virginitatis, & illatæ injuriæ. *Nec tamen* (addit. Sanctus Doctor) *Matri Chriſti æquabitur, in qua fuit cum integritate mentis etiam integritas carnis.*

QUÆSTIO XXVII.

An quæ in conjugio Virginitatem ſervaverunt?

Virgines etiam in Conjugio.

QUalis memoratur in Tabulis Eccleſiaſticis S. Baſiliſſa uxor S. Juliani, mart. item S. Cunegundes, S. Henrici Imperatoris, & S. Delphina S. Elzearii Comitis conjuges, quæ raro ac mirabili exemplo virgines ſimul & nuptæ fuerunt. Eas verò ac ſimiles, nedum à Virginum choro excludit ſtatus conjugalis, ut etiam ad Virginis Virginum & Parentis excellentiam propiùs attollat.

QUÆSTIO XXVIII.

Quibus Titulis afficiendæ Sanctæ aliæ non Virgines?

SI Martyres fuerint, illud unum exprimendum erit, verbi gratia, S. Felicitatis Martyris, SS. Perpetuæ & Felicitatis Martyrum. Itidem, ſi viduæ, ut patet exemplis SS. Monicæ & Birgittæ. At ſi fuerint conjugatæ? Non ad exprobrandum dixerim, nullas ejuſmodi reperiri in Tabulis Eccleſiaſticis: ſed neſcio quo id fato accidit, ut omnes vel maritis ſuperſtites fuerint, adeòque ad viduarum ſtatum pertineant, vel maritis ipſis adjunctæ unà ſimul cum iis eademque die recolantur. Primi generis exemplo ſunt Helena Conſtantini mater 19. *Aug.* Paula Euſtochii virginis parens 26. *Jan.* Galla filia Symmachi Conſulis 5. *Oct.* Clotildes Regina Franciæ 3. *Junii*, Baſildes item 26. *Jan.* & Radegundes 13. *Aug.* Mathildes Ottonis Imper. mater 14. *Martii*, Margarita Regina Scotiæ 10. *Jun.* ambæ Eliſabethæ, Portugalliæ 4. *Jul.* & Ungariæ 19. *Novemb.* Hedwigis Duciſſa Poloniæ 15. *Oct.* Secundi verò, Vitalis & Valeria SS. Gervaſii & Protaſii Parentes 28. *Apr.* Chryſanthus & Daria 25. *Oct.* Bonifacius & Thecla parentes 12. fratrum mart. 30. *Aug.* Andronicus & Anaſtaſia 9. *Oct.* Baſilius & Emmelia S. Baſilii magni pater & mater &c.

Nullæ conjugatæ in Calendario deſcriptæ.

Conjugatæ ſic inſcribendæ.

Si quæ tamen occurrant Conjugatæ, aut aliæ non Virgines nec Martyres, ſufficiet ejuſmodi inſcriptio, *S. N. non Virginis*. Antiqua quædam Breviaria ſic habebant, *N. Electa*. Abbatiſſæ dignitas non perinde debet exprimi atque Abbatis, cùm nullum pro ejuſcemodi poſitum ſit peculiare Officium. Imperatricis quoque ſeu Reginæ inutilis eſt ad directionem Officii, ut de Imperatore ac Rege dictum eſt ſuperiùs.

Mariæ Magdalenæ, & aliæ inſcriptiones ex Evangelio petitæ.

Singulares ſunt iſtæ inſcriptiones ex Evangelio petitæ, Mariæ Magdalenæ, Mariæ Cleophæ, ſcilicet uxor, quæ eadem mater eſt Jacobi Minoris & Joſeph Juſti. Singularis quoque eſt Annæ matris B. Mariæ.

CAPUT VIII.

DE JUNGENDIS SIMUL SUB UNA inſcriptione pluribus Sanctis, aut junctis è contra ab invicem diſtrahendis.

QUæ de Feſtorum inſcriptione diſcuſſa ſunt à nobis hactenus, ea Sanctos nonniſi ſingulariter, ac prout cujuslibet feſtum ſeorſim celebratur, reſpiciunt. Operæ pretium eſt, ut de ratione etiam plures illorum ſimul in una celebritate jungendi, aut junctos ab invicem diſtrahendi, ſi quid ſupereſt difficultatis, breviter evolvamus.

QUÆSTIO I.

An plurium Sanctorum celebritas ſub una ſimul inſcriptione jungi poſſit?

Martyres plures ſimul jungi frequentiſſimum eſt.

DE iis quæſtio non eſt, qui jam ſimul juncti in Calendario ſeu Martyrologio reperiuntur, quales ſunt Apoſtoli aliquot & plurimi Martyres. Neque item de iis Martyribus, qui in propriis locis ſimul paſſi, una quoque ſimul celebritate coli conſueverunt, uti Senonis SS. Sanctianus, Auguſtinus, Felix, Aubertus & Beata, Ambiani SS. Achius & Achiolus, Bajocis SS. Ravennus & Raſiphus, Turonis S. Maura cum novem filiis &c. Ad hos ſiquidem æquè pertinet atque ad alios Commune plurimorum Martyrum in Breviario poſitum; ſed quæſtio eſt maximè de Confeſſoribus tam Pontificibus quàm non Pontificibus, item de Virginibus & non Virginibus, pro quibus nullum ejuſmodi Commune præſcriptum habetur. Verùm cùm ſtatim poſt Commune Confeſſoris Pontificis inſerta ſit ejuſmodi Rubrica: *Si occurrat celebrari feſtum plurimorum Pontificum & Confeſſorum* &c. Itidemque poſt Commune Confeſſoris non Pontificis, Virginis &c. Hinc manifeſtò liquet poſſe id aliquando contingere, uti de facto in Martyrologio ipſo, ac plerisque Galliæ Calendariis juncti ſimul pronunciantur 6. *Feb.* SS. Vedaſtus & Amandus Epiſcopi, & 3. *ejuſdem* SS. Tigides & Remedius, Lupicinus & Felix, 1. *Aug.* SS. Virgines & Martyres, Fides, Spes, & Charitas, 24. *Apr.* SS. Bona & Doda Virgines. Similiter in Calendario Senonenſi 5. *Jan.* SS. Honobertus & Honulphus ejus Sedis Archiepiſcopi, Cabilone 30. *Apr.* SS. Silveſter & Tranquillinus itidem Epiſcopi. In agro Cameracenſi 8. *Octobris* SS. Virgines & ſorores Valeria & Pollena &c.

Contingit etiam jungi ſimul plures Confeſſores, item & Virgines.

QUÆSTIO II.

An poſſint etiam jungi per accidens?

Duplex ratio plures Sanctos ſimul jungendi, per ſe, vel per accidens.

DUplicem Sanctorum ſimul junctorum rationem obſervavi *lib.* 1. *cap.* 5. *qu.* 14. alteram per ſe & quaſi ex natura rei, quando videlicet eodem die ac loco vel paſſi vel fato functi fuere, ut SS. Gervaſius & Protaſius, Mauritius cum ſociis, Antonius, Merulus, & Joannes &c. & de his præcedenti quæſtione actum fuit: alteram verò per accidens, & ex occaſione duntaxat, quando nimirum nulla alia inter eos neceſſitudo aut affinitas intervenit, quàm quòd ipſorum natalis in eumdem diem incidit, ut SS. Fabiani & Sebaſtiani, Vincentii & Anaſtaſii, Vedaſti & Amandi &c. & de iſtis poſſet aliquod moveri dubium, quod hacce brevi diſtinctione dirimo; ut videlicet qui uſu pridem recepto ſimul juncti ſunt, in eo ſtatu permaneant. Ita fit in Breviario Turonenſi de SS. Juliano & Hermete 27. *Aug.* & in Proprio Sagienſi de SS. Arnulpho & Claro 18. *Julii*. Ali-

quos

Digitized by Google

Non probatur, ſi plures Sſcti de novo ſimul jungantur.

quos verò de novo ſic jungere, haud ſtatim approbem, niſi probante Sede Apoſtolica aut Sacra Rituum Congregatione pro iis qui Breviario Romano adſtricti ſunt; maximè ſi deſcriptis in Calendario alii proprii addendi ſunt, ut ſi in aliqua Eccleſia S. Timotheo v. g. adjungatur *die* 24. *Jannar.* S. Babylas æquè Epiſcopus & Martyr, aut S. Gregorio Thaumaturgo *die* 17. *Nov.* S. Anianus vel S. Gregorius Turonenſis, ambo æquè Epiſcopi & Confeſſores. Hoc enim inuſitatum hactenus, & à Rubricis, nullibi, ne levi quidem veſtigio expreſſum, cùm tamen fuiſſet ratio illa pergnàm commoda ad vitandos translationum anfractus.

QUÆSTIO III.

An poſſint æquè jungi qui ſunt diverſi Ordinis?

Ubi tales uſu jam recepto juncti fuerint, non improbatur.

PUta Confeſſores cum Martyribus, non Pontifices cum Pontificibus, & cum iis quoque Virgines val aliæ fœminæ. Id verò non incongruè fieri poſſe arguitur ex ipſo Calendario Romano, in quo ſic juncti habentur 3. *Maji*, SS. Alexander, Eventius & Theodulus Martyres, ac Juvenalis Epiſcopus & Confeſſor. 28. *Julii*, SS. Nazarius, Celſus & Victor Papa, Martyres, & Innocentius Papa & Confeſſor. 17. *Sept.* SS. Euphemia & Lucia Virgines & Martyres, cum Geminiano Mart. &c. Non incongruum equidem judien, ubi uiir pridem ita receptum eſt in propriis locis; aut ubi Sancti ipſi jam ex ſe vel martyrii loco ac die, vel aliqua alia affinitate conſtricti, unius proinde ejuſdemque feſti ſocietatem quodammodo exigunt.

Cavenda quædam in ejuſmodi junctione.

In his autem caſibus inſcriptio ſic facienda eſt, ut qui tituli omnibus non conveniunt, iis tantùm apponantur, quorum proprii ſunt, ut videre eſt in allatis exemplis. Quòd ſi vox aliqua pluribus diverſi ordinis æquè conveniat, ea impendatur, ut in inſcriptione SS. Cornelu & Cypriani Pontificum & Martyrum, vox *Pontificum*, utrique & Papæ & Epiſcopo convenit. Cavendum tamen ne mulier viro, aut Confeſſor Martyri, aut non Epiſcopus Epiſcopo, vel Epiſcnpus Papæ in ejuſmodi inſcriptione anteponatur.

QUÆSTIO IV.

An & qua ratione ſimul juncti debeant interdum diſtrahi?

Patronus diſtingui debet ab aliis Sanctis quibus junctus eſt tantum per accidens. Secus ſi per ſe jungatur.

QUantum ad Patronum ſeu Titnlarem attinet ſoluta jam fuit quæſtio hæc *lib.* 1. *cap.* 5. *quæſt.* 14. dictumque Patronum debere diſtingui ab aliis Sanctis, quibuſcum in Calendario junctus eſt per accidens, & ex occaſione tantùm, putà S. Fabianum à S. Sebaſtiano, S. Vincentium à S. Anaſtaſio. Secùs, ſi loco, tempore, aliiſque circunſtantiis ita jungatur cum aliis, ut ſit conjunctio velut ex natura rei, qualis eſt inter SS. Gervaſium & Protaſium, Jnannem & Paulum, Dionyſium ac ſocins, &c. In eo enim caſu omnes ſic juncti ſe habent per mndum unius, ſuntque ſimul ex æquo Patroni. An valet ea diſtinctio pro aliis Sanctis, qui Patroni non ſunt, ſed tantùm alio quovis titulo ad Eccleſiam ſeu locum aliquem peculiariter ſpectant?

In aliis quàm Patronis non videtur uſurpanda talis diſiunctio.

Non valere ullatenus, colliges ex textu Rubricæ poſt primam Tabellam de occurrentia, quæ ſic habet, *Si occurrat ut Patronus vel Titulus Eccleſiæ deſcriptus ſit eadem die cum aliis Sanctis, &c.* Ubi cùm de ſolo Patrono fiat mentio, nequaquam videtur hoc ad alios debere extendi. Placet hæc reſolutio, tum ne pro uno feſtn fiant duo, quod grave ſatis incommodum eſt; tum quia non admodum neceſſaria videtur illa diſiunctio. Vel enim Sanctus ille cum aliis junctus elevatur ad altiorem ritum eo, ſub quo cum aliis in Calendario deſcriptus habetur, vel non. Si non elevatur, quorſum illum ab aliis diſiungas, cùm ex ejuſmodi adjunctione nihil ipſi detrahatur? Si verò elevatur, vel fit ex ſemiduplici duplex, ut in caſu S. Vincentii; & tunc de S. Anaſtaſio conjunctim fieri duplex nedum nihil vetat, ut etiam docturus ſim aliàs convenire maximè; ergo nulla diſiunctione opus eſt. Quòd ſi ex ſimplici fiat duplex vel ſemiduplex, ut in caſu SS. Hyppoliti & Caſſiani; concedo tum fieri debere diſiunctionem, ſic ut de eo qui elevatur fiat Officium duplex vel ſemiduplex, de altero verò commemoratio.

Caſus particularis SS. Fabiani & Sebaſtiani.

Quæ omnia intelligenda ſunt de iis Sanctis, qui per accidens tantùm conjuncti ſunt; nam de aliis per ſe conjunctis ſtat æquè certa ac pro Patronis definitio illos ab invicem haud eſſe diſiungendos. Quòd autem nihil dixerim de elevatione Duplicium minorum ad gradum Duplicium majorum, ſeu 1. vel 2. claſſis, nolim id omiſſioni tribuas, ſed cùm unus dumtaxat occurrat caſus ejuſmodi, nempe SS. Fabiani & Sebaſtiani, opus non fuit illum adducere, cùm neuter ad altiorem gradum elevandus ſit, niſi fuerit Patronus ſeu Titularis; & tunc locum habet Rubrica citata, ut is ſeorſim ab alio celebretur.

QUÆSTIO V.

An plura feſta Chriſti Domini & B. Mariæ ſimul celebranda occurrant?

OCcurrunt iſta quidem, Annunciatio B. Mariæ cum Chriſti Domini Conceptione ſeu Incarnatione, Puerperium B. Virginis cum ejuſdem Chriſti Nativitate, cum Adoratione Magorum Baptiſmus item Chriſti, ac primum ipſius miraculum. Purificatio B. Mariæ, ſimul cum ipſius Chriſti Domini Præſentatione in templo. Cum Aſſumptione ejuſdem B. Mariæ, ipſius quoque Dormitio, atque Coronatio; ſed illa omnia cùm ſub uno nomine comprehendantur, quod totum myſterium quantum eſt involuit, non plurium ſed unius dumtaxat feſti loco habenda ſunt. In Menologio quidem Græcorum, Puerperium B. Virginis ſeorſim à Nativitate Domini deſcribitur poſtridie ipſius Nativitatis; ſed hoc ne illis invideas.

QUÆSTIO VI.

An fieri contingat feſtum Dedicationis plurium ſimul Eccleſiarum?

Caſus unus aut alter in quo plures Dedicationes ſimul junguntur aliàs vix id contingit.

QUidni verò, cùm in Calendario ipſo ſimul inſcripta habeatur 18. *Nov.* Dedicatio Baſilicarum Petri & Pauli? At cùm præter propriæ & Cathedralis Eccleſiæ, nullius alterius Dedicationem fieri debere docuerimus *lib.* 1. *c.* 3. *quæſt.* 11. nullus ſanè reſtat caſui propoſito locus, niſi fortè in iis Diœceſibus, in quibus una eademque die celebratur omnium Eccleſiarum Dedicatio. Verùm nec ibi aliæ aliarum, ſed ſuam quælibet Eccleſia propriam Dedicationem celebrat. Imò & Cathedralis Dedicationem ſeorſim à propria celebrandam (ſi fortè ambæ in eundem diem cadant) æquius duximus *cap.* 1. *hujuſce libri quæſt.* 5. parique adeò ratione concludendum, ſi propriæ Eccleſiæ Dedicatio in diem 9. *vel* 18. *Nov.* (quibus diebus aſſignatæ ſunt Dedicationes Baſilicæ Salvatoris, & Baſilicarum Petri & Pauli) non ſimul cum iis, ſed ſeorſim Dedicationem propriam eſſe celebrandam. Ad quæſtionem itaque propoſitam in eo tantùm caſu affirmativè reſpondendum, in quo plurium Eccleſiarum Dedicationes miraculoſè ſimul occurrerent, prout diximus ad finem

citat.

Digitized by Google

citat. quaſt. 11. *capitis* 3. *lib.* 1, ſed caſus ille aut nullus eſt, aut rarus admodum.

SECTIO III.

DE die, nomine, & qualitate Sanctorum in Calendariis propriis inſcribendorum, huc uſque diſputavimus. Ritus impoſterum nobis evolvendus occurrit. Nodalis quæſtio, à qua reliquæ totius tractationis ſeries, dubiorumque omnium ſolvendorum ratio pendet, & ad normam veluti dirigitur.

CAPUT IX.

DE MULTIPLICI FESTORUM celebrandorum Ritu.

Par non eſt Sanctorum gloria.

SAnctorum qui in cœlis regnant, ſicut paria non ſunt merita, ita nec parem eſſe gloriam, conſtans eſt fidei aſſertio. Si quidem, ut ait Apoſtolus, *Alias claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum, ſtella enim à ſtella differt in claritate.* Hincque ortum habet multimoda illa Officiorum in Eccleſia ratio; quam idcirco cœleſti Hierarchiæ ex doctrina S. Dionyſii egregiè comparat Durandus *in Ration. lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 33. Imò & ex Auguſtino, *Epiſtola* 86. decor is eſt, qui Reginam à dextris ſponſi aſtantem plurimùm exornat, ut ſit *in fimbriis ſuis aureis circumamicta varietatibus.* Hanc porro varietatem cùm in Sanctis generaliter celebratis uſus ſit, ex cujuſque meritis dimetiendi, quantum videlicet ea per vitæ actus nota ſunt, ſeu per beneficia eorum laboribus aut interceſſione toti Eccleſiæ impenſa: in Sanctis particularibus haud ea potiſſimùm attenditur ratio; ſed hoc ſpectatur maximè, ut quo ii propiori titulo Eccleſiam ſeu locum quemlibet attingunt, in eo ſolemniori ſeu ſublimiori ritu celebrentur. Quis ergo cuique ritus tribuendus ſic ſupereſt jam ut inveſtigemus; præmiſſa ut par eſt in genere varii illius ac multiplicis ritus inquiſitione.

1. Cor. 15.

Durandus, Auguſtinus.

QUÆSTIO I.

Quotuplex ſit ritus celebrandi feſta.

Officii diviſio in duplex, ſemiduplex & ſimplex.

PRima ac generali diviſione ſtatim in fronte Rubricarum generalium Breviarii poſita, triplex aſſignatur Officii genus, videlicet Duplex, Semiduplex ac Simplex. Jam verò Duplex non unius generis eſt, ſed aliud primæ claſſis, aliud ſecundæ claſſis, & aliud dictum ſimpliciter Duplex per annum. Rurſus Duplex per annum unum dicitur majus, & alterum minus, (quæ duo poſtrema an diverſi ſint inter ſe generis, quæretur poſtea.) Ad horum ergo genus aliquod neceſſe eſt revocari feſtum quodlibet Eccleſiæ ſeu loci proprium, ut ſit videlicet, aut duplex 1. claſſis, aut duplex 2. claſſis, aut duplex majus per annum, aut duplex minus, aut ſemiduplex, aut ſimplex.

QUÆSTIO II.

Unde originem habet multiplicis illius ritus ratio?

ETſi ad praxim quæſtio hæc parum aut nihil pertineat, haud tamen ſcitu injucunda erit. Illam quoad duplicia primùm, ſemiduplicia, ac ſimplicia, lubet agitare.

Edidit nuper Joannes Fronto Canonicus Regularis Monaſterii S. Genovefæ Pariſ. Calendarium quoddam ex M. S. ejuſdem Monaſterii depromptum, quod Romanum eſſe vult, & nongentis annis antiquius. Eſto illud; ſed quod ſubdit §. 11. ex eo colligi originem feſtorum ſimplicium ac duplicium in Calendario Romano, parum habet, meo judicio, firmitatis. Ait ſiquidem, cùm unica Miſſa, atque adeo unicum Officium (quæ duo ſe ſequuntur) in dicto Calendario notatur, feſtum dici ſimplex; duplex verò, cùm duplex Officium & duplex Miſſa præſcribitur.

Calendarium S. Genovefæ Pariſienſis a Frontone editum.

Refutatur Frontonis conjectura.

Audi me, lector. Septies dumtaxat in dicto Calendario occurrit, ut duplex ſic Officium ac Miſſa præſcribatur, videlicet die 20. Januarii *Natale S. Sebaſtiani & Natale S. Fabiani*, die 12. Maii *Natale SS. Nerei & Achillei, & Natale S. Pancratii*, die 28. Jun. *Tranſlatio Corporis Beati Leonis, & Vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli*, die 11. Auguſti *Natale S. Tiburtii, & Natale S. Suſanna*. Item 30. ejuſdem *Natale SS. Felicis & Adaucti, & de Decollatione S. Joannis Baptiſta*, die 8. Septembris *Nativitas S. Maria, & Natale S. Adriani*, die 23. Nov. *Natale S. Clementis, & Natale S. Felicitatis*. Ergo ſeptem dumtaxat erant tum Feſta Duplicia, nec ea quidem Sanctorum majorum, qui aliis dignitate ſeu celebritate præſtent, ut patet feſta illa cum aliis comparanti. Imò nec Duplicia erant Natale Domini, Natale S. Stephani, Natale S. Joannis, &c. Quis hoc ſibi perſuadeat? Vel ergo fuit nota illa majoris ſeu excellentioris celebritatis, vel non fuit: ſi fuit, iniquum planè eſt eam minoribus tribui, & majoribus denegari: ſi non fuit, quomodo ex ea poteſt erui origo ejus inſtituti, quod perpetua traditione uſui fuit in Eccleſia Romana ad indicandam majorem certorum feſtorum præ aliis celebritatem?

Vox Duplex, non numerantis, ſed excellentiam ſonat.

Præterea, vox hæc *Duplex*, cujus vim & originem hac in parte quærimus, non numerantis, ſed extollentis eſt, ad exprimendam videlicet digniorem Officii qualitatem. At juxta Frontonis mentem, hoc tantùm indicabat, duo una die fieri Officia, alterum de uno Sancto, alterum de alio eadem die occurrente, ſeu, ut conjecturis pergit dicere non ſatis veroſimilibus, alterum de feria vel de feſto Martyris, alterum de feſto Confeſſoris: quod utrumque Officium vitandæ prolixitatis gratia, primo omiſſo, aut ſola commemoratione tranſacto, in unum deinceps coaluiſſe aſſerit, illudque brevius, ac pauciora complectens, quippe quod præter Antiphonas nihil conduplicatum haberet. Pende quæſo, ut iſta conveniant, fuiſſe Officium illud brevius, quod ex duobus eſſet compactum, & conduplicatas haberet Antiphonas; ſeu, ſi in eadem nominis vi ſtare velis, geminas, ex uno videlicet alias, alias ex alio Officio deſumptas: Imo etſi de altero ſola facta fuiſſet commemoratio, eo adhuc vel tantillum erat Officium longius. Deinde pende quale illud erat Officium, quod ex utriſque Antiphonis, Martyris videlicet & Confeſſoris eſſet conſarcinatum: Proprias namque ait, utriuſque Officii Antiphonas remanſiſſe, quæ tamen poſtea propriæ factæ ſunt illius Sancti, cujus una feſtivitas peracta eſt. At quomodo Martyris, verbi gratia, factæ ſunt propriæ Antiphonæ, quæ erant Confeſſoris; aut Confeſſoris, quæ priùs erant Martyris?

Semiduplex unde dictum, juxta Frontonem.

Subdit demum alias poſtea ſuperveniſſe feſtivitates, quæ partim diei, ſeu Temporis Officium, retinuere, partim Sancti cujus erant, dictumque ejuſmodi Officium Semiduplex. Quidni & erat illud quoque ſemiduplex, quod partim de Martyre, partim de Confeſſore fuiſſe ipſemet fatetur? Mirabilis profectò conjecturarum ſtrues, quæ nullis fulta Scriptorum antiquorum authoritatibus, nullis firmata exemplis, nonniſi in chimæram motumque ens rationis aſſurgit, quod vel ſua ipſius

mox

mox inanitate corruat, vel levi oris exſufflatione diſſipetur.

Officia quò ſunt digniora, eò magis ſola fiunt.

His adde modum illum ratiocinandi alienum eſſe prorſus à vera & germana diſtinctionis Officiorum ratione; Officia enim quò digniora ſunt, eò magis per ſe ſola fiunt, minùſque ut ita dicam, aliorum ſecum adjunctione vileſcunt; ut patet in eo quòd duplicia primæ claſſis ea ſint, quæ omnem omnino commemorationem excludunt; ſecundæ claſſis, quæ admittunt in Laudibus & Miſſis privatis tantùm; reliqua verò duplicia per annum præ ſemiduplicibus & ſimplicibus Commemorationes ſeu Suffragia communia abjiciunt: Fronto è contra, duplicia, adeoque digniora cenſet Officia, quæ non ipſa ſola ſtant, ſed ex plurium vel copulatione vel etiam mixtione coaleſcunt. Quam porrò fidem facere poteſt, aut argumento vim tribuere, collecta ſic ex diſpari, imò contraria prorſus obſervatione conjectura? Si tamen Frontonis conjecturam dixeris, quæ tota Durandi eſt à Frontone tacito nomine exſcripta, ſed non benè intellecta notatio.

Durandus.

Durandus enim citatus *lib. 7. cap.* 1. ubi de nativa, ac genuina Duplicium ratione (quam & nos ſtatim ex eo referemus) copioſè locutus eſt, continenti ſtatim ſermone ſubdit num. 35. *Quandoque alia conſideratione dici feſta duplicia, quando videlicet eadem die duo feſta concurrunt, tuncque minus cedere majori;* facta videlicet ipſius vel ſola commemoratione in Officio majoris, vel Translatione in alium diem; ex quo ipſe occaſionem captat de feſtorum Translatione diſſerendi.

Duplex unde dicitur ex Durando.

At nec Durandus, nec quivis alius ſacrorum Rituum interpres, poſtremam hanc acceptionem eo fine profert, ut velit multiplicem inde feſtorum celebrandorum rationem ſeu ritum fuiſſe derivatum. Unde ergo? Audi meliorem Frontone non Conjectorem, ſed Aſſertorem ipſummet Durandum *loco cit. num.* 31. *Dicuntur quædam Duplicia in quibuſdam Eccleſiis pro eo quod Reſponſoria tam majora quàm brevia & Verſus, à duobus cantantur, & omnia incipienda à duobus incipiuntur, & quia Antiphonæ in Matutinis & Veſperis duplicantur, dicuntur enim completè (hoc eſt integrè) ante Pſalmum & poſt.* Durando adſtipulantur Gloſſa in cap. *Glorioſus* de Reliquiis & Veneratione Sanctorum *nu.* 2. & Gavantus Comment. in Rubr. Brev. *ſect.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. recentior ille quidem, ſed cui primas in inveſtiganda ejuſmodi origine nemo negaverit. Nec video ego quid aſſertioni huic tam planæ ac facili, remque ſimul cum voce juxta ac vocem cum re componenti poſſit objici.

Gavantus.

Ratio jungendi Pſalmis Antiphonas à S. Ignatio Antiocheno derivata.

An uſitatas jam inde à primis Eccleſiæ temporibus, Pſalmiſque junctas non fuiſſe Antiphonas? At reclamantes habebis Iſidorum, Alcuinum, Amalarium cæteroſque omnes, ſacrorum Rituum Commentatores antiquos ac recentiores, qui unanimi omnes conſenſu, inſtituti hujus authorem primum faciunt Ignatium Antiochenum Joannis Apoſtoli diſcipulum, ex objecta illi viſione quadam Angelorum alternis vicibus Sanctam Trinitatem, ut olim duo illi Seraphim *Iſaiæ* 6. collaudantium; unde in Antiochena primùm Eccleſia recepta illa cantandi forma ad alias deinceps Orientis Eccleſias dimanavit, quam & Ambroſius Græcos imitatus in ſuam Mediolanenſem primus induxit.

In aliquibus Eccleſiis non duplicantur Antiphonæ.

Negabis fortè duplicari ſolitas fuiſſe tum Antiphonas, hoc eſt integras ante & poſt Pſalmum decantari, cùm nec in aliquibus etiamnum Eccleſiis talis uſus habeatur: citabiſque inter alias, Bituricenſem, Rothomagenſem, Pariſienſem, Carnutenſem, Aurelianenſem &c. At oppono tibi ego Turonenſem, Cenomanenſem, Andegavenſem, unamque præ cæteris Romanam omnium matrem; cujus uſum vel ex toto ſectantes, vel æmulantes propiùs, aliæ ferè omnes, morem duplicandi Antiphonas retinent; quem nec reſcindere auſus eſt Cardinalis ipſe Quignonius, in ſuo illo undequaque decurtato Breviario, adeò viſa eſt illi, vel uſu perpetuo ac traditione venerabilis, vel etiam conſtituendæ Officiorum diſtinctioni intrinſeca; ſuoque modo penè dicam eſſentialis. Et verò legitimus necne ſit contrarius præfatarum Eccleſiarum uſus (cujus examinandi locus erit aliàs) duo tamen haud negaveris, ex quibus noſtra nihilominus adſtruitur firmaturque opinio; alterum in illis etiam Eccleſiis, (una Pariſienſi excepta) in duplicibus duplicari ſaltem Antiphonas ad Cantica *Benedictus* & *Magnificat*; alterum ſervari in iiſdem quoque ut & in aliis ritum illum à Durando ſuprà memoratum, ut Reſponſoria & Verſus à duobus cantentur, & omnia incipienda à duobus incipiantur; Campanæ item, Cerei, aliaque id genus ſolemnitatis indicia, juxta cujuſque Eccleſiæ normam geminentur. Quæ quidem omnia, aut iis paria, uſu ac traditione immemoriali recepta, jam inde ab ipſis Chriſtianæ Religionis exordiis (ſaltem ut palam ac liberè Chriſtianorum Imperatorum indulgentia coli cœpta eſt) inducta fuiſſe, ſi quis inficias ierit, mihi ſibilo explodendus magis quàm ratione confutandus videtur.

Vox Duplex etiam unam rem ſignificat, ſive duplici materia conſtantem, ſive mole & extenſione auctiorem. Virgilius.

Ex his verò nihil pronum magis eſſe, quàm ut tota Duplicium ratio deducta fuerit, vel ipſa nominis notatio demonſtrat. Vox enim *Duplex* ut ab Authoribus Latinis uſurpatur, non tantùm ſuo duas res ſignificatò exprimit, ut cùm ait Virgilius 1. Æneidos.

—— *Duplices tendens ad ſydera palmas*,

hoc eſt, ambas manus; ſed frequentiùs nec minùs eleganter, pro una eademque re accipitur, quæ vel duplici materia conſtat; ut cùm ait idem Poeta,

—— *Duplicem gemmis auroque coronam*,

hoc eſt, habentem duos quaſi ordines gemmarum & auri, ſeu habentem gemmas & aurum: vel quæ magna ſui parte, ſeu mole, ſeu extenſione auctior eſt; ſic illud ejuſdem Poetæ Georg. 3. *Duplex agitur per lumbos ſpina*, explicat Servius, ut & illud Georg. 1.

—— *Duplici aptantur dentalia dorſo*,

id eſt, *craſſo*. Pari itaque ratione Duplex dicitur Officium, non quòd duo olim una eademque die fierent Officia, ut fruſtra Fronto conjicit; ſed quòd certis diebus in uno eodemque Officio ad majorem ſolemnitatem, eædem bis, ante videlicet & poſt Pſalmum decantarentur Antiphonæ; aut quòd Reſponſoria brevia, aliaque ejuſmodi, ab uno aliàs inchoari ſolita, à duobus inchoarentur. Sic non pluris ſemper æſtimanda eruditio, quo abſtruſior, ſed quo planior plerumque ac rationi congruentior.

Semiduplicium ac ſimplicium origo.

Ex hac porrò ſic conſtituta Duplicium ratione, facile eſt æquè ſemiduplicium ac ſimplicium originem ac formam uno ſimul tramite deducere. Quibus enim Officiis ritus ille Duplicium proprius minimè tributus, ut videlicet nec in iis Antiphonæ integræ dicantur ante & poſt Pſalmum, nec à duobus Reſponſoria, Verſus, aliaque ejuſmodi inchoentur, ea protinus haud duplicia fuiſſe conſequens eſt, ſed vel ſemiduplicia, vel ſimplicia.

Semiduplicium ac ſimplicium cum Duplicibus oppoſitio.

Horum verò utrorumque cum Duplicibus par non eſt oppoſitio. Rectè enim obſervat Gavantus cit. *cap.* 3. *num.* 1. ipſum Semiduplex, quod vocamus, in pleriſque antiquis Breviariis *ſolemne* aut 9. *lectionum*; Simplex verò, *trium lectionum* frequentiùs inſcribi conſueviſſe; adeò ut primò & per ſe Simplex Duplici olim oppoſitum fuiſſe videatur: cujus inſuper duplex eſſet ratio, ut aliud diceretur *novem lectionum*, & aliud *trium*; quòd nimirum prius illud cum novem lectionibus, & Officio pleno, ut ajunt, perinde ac duplex celebraretur, unde & dictum fuit poſtmodum Semiduplex; poſterius verò cum tribus tantùm lectionibus more feriali, cui proinde Simplicis nomen reman-

Digitized by Google

remanſit. Hincque patet utrumque non ex æquo Duplici opponi. Eſt enim Semiduplex, medium quid inter Duplex ac Simplex, adeò ut quatenus gaudet Officio integro, cum Duplici conveniat, & Simplici opponatur; quatenus verò nec Antiphonas, nec alia ſolemnitatis indicia duplicat, Simplicis magis quàm Duplicis rationem participet. Simplex verò ſic in uno cum Semiduplici convenit, ut in utroque à Duplici diſcrepet. Quæ tota ratiocinatio ſatis perhibet, quàm inanis ſit relata ſuperiùs de Semiduplicium origine Frontonis conjectura, cùm nec Duplicia ita ſe habuerint, ut dicit; nec ſi ita ſe habuiſſent, ideò conſequens eſſet Semiduplicia, ab iis eo quo recitat modo promanaſſe.

Duplex nomen à duabus veſperis.

Unum addo, Duplicis rationem (ſi pro numero vox illa accipiatur, uti eam Fronto accipit) rectiùs inde deduci, quòd Duplex duas olim, ut & hodie, haberet Veſperas pridie videlicet, & ipſo die feſti: Simplex verò unas dumtaxat, nempe primas. Nec id myſterio vacat, aſſerente Durando *lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 10. utriſque illis Veſperis, utramque Sanctorum, animæ videlicet ac corporis glorificationem deſignari; primis quidem priorem illam jam perceptam, ſecundis verò poſteriorem in reſurrectione generali percipiendam; non quòd duplicem æquè ſtolam percepturi non ſint Sancti illi, qui primas tantùm habent Veſperas; ſed hoc ex Officiorum diverſitate procedit, quæ ad majoris ſolemnitatis indicium ſic inducta fuit. Unde in Breviario proprio Eccleſiæ S. Martini Turonenſis, cùm nulla habeantur feſta ſemiduplicia, quæ ſimplicia ſunt novem lectionum, æquè carent ſecundis Veſperis, ac ſimplicia trium lectionum.

Durandus.

Breviarium S. Martini Tur.

Favet huic quoque poſtremæ interpretationi plurimùm Quignoniani Breviarii uſus, in quo Semiduplicibus expunctis ſola Duplicium ac Simplicium diſtinctio ſervatur; quorum inter ſe diſcrimen in hoc maximè poſitum eſt, quòd illa duas, pridie videlicet atque ipſo die, iſta verò unas dumtaxat ipſo die Veſperas habeant. Sed cùm exploſum ſit à Pio V. ejuſmodi Breviarum, ipſaque contra antiquiſſimum ac receptum ubique morem ſecundas Veſperas demptis primis, feſtis Simplicibus tribuat, nullius apud me eſt authoritatis.

Breviarium Quignonianum.

QUÆSTIO III.

Unde originem habeat diverſa Duplicium inter ſe feſtorum ratio.

Duplicia primæ & ſecundæ claſſis unde ſic dicta.

SUnt quippe Duplicium alia *primæ claſſis*, alia *ſecundæ*, & alia *per annum ſive majora*, *ſive minora*; quæ tres quatuorve ipſorum ordines diſtinctos inter ſe conſtituunt. Primæ & ſecundæ claſſis, neſcio an ante Pium V. uſus eſſet in Breviario; nam nec in Romano ſive MS. anni 1519. ſive editionis annorum 1550. & 1555. nec in ullo alio Diœceſis alicujus proprio ejuſmodi nomenclaturam reperi; niſi fortè in uno veteri Lemovicenſi, ubi in majoribus feſtis habetur quòd ſit *princlas* correpto, ut ſuſpicor, vocabulo ex abbreviatione primæ claſſis. Utut ſit, quod ad Romanum attinet, in prædictis exemplaribus ſola erat inſcriptio Duplicium majorum & minorum (Durandus appellat Duplicia in totum, & Duplicia ſimpliciter:) at cùm ea non ſufficeret ad exprimendam variam feſtorum inter ſe dignitatem ac præſtantiam, Duplicium majorum in novo Pii V. Breviario duæ ſunt conſtitutæ claſſes, vocabulo benè Latino, adeò ut ſicut Urbem Livius *lib.* 1. ſcribit à Servio Tullio in quinque claſſes pro cenſus ratione fuiſſe diviſam; ſic feſta illa majora pro ſua quæque dignitate, ac jure vario, in duas claſſes diſtributa fuere; primam videlicet eorum, in quibus quorumcumque aliorum feſtorum occurrentium nulla ſit commemoratio: ſecundam eorum, in quibus ſimplicium ſit quidem commemoratio, ſed in Laudibus tantùm. Alia ſunt præterea ſingulorum privilegia, ſed in his duobus ſtabilita eſt iſtorum ab illis ſpecifica, ut ita dicam, differentia; quod unum in quæſtione verſatur.

Brev. antiquum Lemovicenſe.

Durandus.

Livius.

QUÆSTIO IV.

An Duplicium per annum duæ ſint ſpecies, majorum, & minorum?

NOn levis momenti eſt quæſtio hæc, ob multas quæ ex ea elici poſſunt concluſiones. Ad quam ſuppono ex Rubr. 9. *de Commemorationibus*, *num.* 5. *&* 6. Duplicia majora primò & per ſe dici quæcunque ſunt primæ & ſecundæ claſſis: nam ſequenti Rubr. *de Tranſlatione feſtorum*, *num.* 2. dicitur expreſsè: *Si in die Octava occurrat aliquod feſtum Duplex ex majoribus ſuprà in Rubrica de Commemorationibus enumeratis*. Ergo omnia ibi enumerata majora ſunt. Quæ verò majora per annum dicuntur, non ejuſdem cenſenda ſunt cum illis ordinis, ſed alterius inferioris; adeòque haud abſolutè majora, ſed reſpectivè ad alia per annum illis minora. De his ergo utriſque quæritur, an inter ſe differant pari diſcrimine atque Duplicia primæ claſſis à Duplicibus ſecundæ claſſis, adeò ut duo hæc duobus iſtis addita, quatuor univerſim duplicium genera conficiant.

Duplicia majora per annum, alia ſunt à Duplicibus majoribus primæ & ſecundæ claſſis.

Affirmat Gavantus, *Comment. in Rubr. Brev. ſect.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. nulla, quam proferat, ductus ratione, niſi quòd in recognitione Clementis VIII. ad calcem Rubricarum, poſt Duplicia primæ & ſecundæ claſſis, enumerentur diſtincta ſerie duplicia majora per annum, aliis minoribus præferenda. Ego verò ſeriem illam majoris quidem facilitatis gratia additam fuiſſe non diffiteor, ad pleniorem videlicet intelligentiam verborum illorum *Rubricæ* 11. *de concurrentia Officii num* 2. *Inter feſta æqualis ſolemnitatis*, *&c.* At diverſum Duplicium genus ſeu claſſem ab Duplicibus minoribus per annum diſtinctam conſtituere, ne id concedam, vetor hiſce rationibus.

Gavantus.

Duplicia majora & minora per annum, non conſtituunt duo genera Duplicium.

Prima. Quæ feſta æqualis ſunt inter ſe ſolemnitatis, non poſſunt diverſum genus ab iis conſtituere, quibuſcum ſunt æqualis ſolemnitatis; ſed duplicia illa majora per annum, æqualis ſunt ſolemnitatis cum minoribus; ergo diverſum ab iis genus non poſſunt conſtituere. Major propoſitio clara eſt ex terminis: minor conſtat ex verbis præfatæ Rubricæ, quæ ſic habent, *Inter feſta æqualis ſolemnitatis ſervetur hic ordo, ut feſta Domini præferantur omnibus aliis, & habeant utraſque veſperas integras, ſicut feſta B. Mariæ feſtis Sanctorum; item feſta Angelorum & Apoſtolorum cæteris aliis, & feſta illorum Sanctorum qui in propriis locis vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, aliis in Calendario deſcriptis*. Ex quibus verbis liquet, totum privilegium Duplicium iſtorum majorum in eo poſitum eſſe, ut in concurrentia cum aliis ejuſdem ſecum ſolemnitatis, hoc eſt æquè Duplicibus, iis præferantur, habeantque integras Veſperas. Id verò privilegii ipſis tribuitur ratione perſonæ, quam utpote digniorem in tali concurſu, alteri minùs dignæ præferri æquiſſimum eſt: At dignitas illa perſonæ ſupponit æqualitatem ſolemnitatis, ſeu utrumque feſtum eſſe in eodem gradu Duplicis, ipſomet teſte Gavanto *ſect.* 3. *c.* 10. *n.* 5. adeò ut ſi feſtum Transfigurationis Domini verbi gratia, concurreret cum feſto S. Laurentii, non haberet locum præfata Rubrica, ſed fierent Veſperæ integræ de S. Laurentio cum commemoratione Transfigurationis; quia videlicet quantumcumque dignior ſit perſona Chriſti, quàm S. Laurentii; non eſt tamen feſtum Transfigurationis ejuſdem ſolemnitatis cum feſto S. Laurentii, quod eſt ſe-

Duplicia majora cum ſint æqualis ſolemnitatis cum minoribus, non poſſunt diverſum ab iis genus conſtituere.

Privilegium Duplicium majorum conſiſtit in præferentia concurrentiæ.

cundæ

cundæ claſſis. Ergo verum eſt, ſupponi omnino æqualitatem ſolemnitatis, quæ proinde nullatenus fundare poteſt differentiam diverſum feſti Duplicis genus conſtituentem. Eſſet enim genus illud enim oppoſito idem ſimul ac diverſum; quod eſt contradictorium.

Æquè eſſent conſtituenda genera duo Duplicium primæ & ſecundæ claſſis.

Secundò. Quod æquè convenit multis ejuſdem generis, non poteſt diverſum inter illa genus conſtituere: ſed Duplicibus primæ, & ſecundæ claſſis æquè convenit ut alia aliis præferantur pro dignitate perſonæ, atque duplicibus per annum: tam enim præfertur feſtum primæ claſſis, verbi gratia, Corporis Chriſti, Nativitati S. Joannis Baptiſtæ itidem primæ claſſis, aut feſtum ſecundæ claſſis, puta Purificationis, Annunciationis aut Nativitatis B. Mariæ, feſto alicujus Sancti, quod ſit æquè ſecundæ claſſis, ſi concurrant, quàm præfertur feſtum Transfigurationis feſto S. Mariæ ad Nives: ergo, vel præferentia illa nullum in hoc diverſum genus conſtituit, vel ſi conſtituit, æquè & in illis debet conſtituere; ſicque non tantum quatuor, ut vult Gavantus, ſed ſex omnino Duplicium genera numeranda erunt, videlicet Duplex primæ claſſis majus, Duplex primæ claſſis minus; Duplex ſecundæ claſſis majus, & Duplex ſecundæ claſſis minus; Duplex per annum majus, & Duplex per annum minus. Imò longè etiam plura, tot videlicet, quot ſunt diverſæ perſonarum Dignitates, quarum ratio in æqualitate ſolemnitatis attenditur. Cùm enim tam præferatur, verbi gratia, feſtum Transfigurationis Domini, feſto S. Mariæ ad Nives, quàm ipſum feſtum S. Mariæ ad Nives feſto S. Dominici; certè ſi per hanc præferentiam cenſetur feſtum S. Mariæ ad Nives diverſi generis à feſto S. Dominici, æquè cenſendum erit feſtum Transfigurationis à feſto S. Mariæ ad Nives.

Duplicibus majoribus per annum nullum tribuitur privilegium quoad occurrentiam præ aliis minoribus.

Tertiò. Id quo conſtituitur diverſum genus Duplicium primæ & ſecundæ claſſis, eſt privilegium ſe tenens ex parte occurrentiæ, quo videlicet ejuſmodi feſta ſuo ſe die firmiùs tuentur, aliis ſimul eodem die incidentibus vel ſummotis atque in alium diem dilatis, vel omiſſis penitus, aut ad aliqualem commemorationem redactis, ut colligitur ex *Rubr. 9. de Commemor. nu. 5. & 6. & ex Rubr. de Translatione feſtorum, num.* 1. 2. 3. 6. *&* 7. Atqui nihil tale conceſſum eſt feſtis illis majoribus per annum, neque enim ſuo die firmiora ſtant, aut incidentium Officiorum commemorationem magis excludunt quàm alia Duplicia minora: Ergo nullum habent privilegium, quo diverſum ab iſtis genus conſtituant. Quòd enim iis in concurſu præferantur, perinde id convenit duplicibus primæ & ſecundæ claſſis, uti demonſtratum fuit antè.

Series Duplicium majorum per annum non excluditur.

Abſit tamen ut hiſce rationibus ſeriem illam Duplicium majorum in calce Rubricarum appoſitam damnare velim. Eſt enim ea, ut dixi, perutilis ad hoc ut ſub oculis habeantur feſta illa æqualibus in concurſu præferenda, quæ in Rubr. citata haud enumerata fuerant: eoque fine ac ſenſu ſeriem ejuſmodi etiam in Feſtis propriis non dedignabor deinceps admittere.

Q U Æ S T I O V.

An Duplicium inſcriptioni addi debeat nota illa prima vel ſecunda claſſis, aut majoris per annum.

In Calendariis minimè apponitur nota duplicis primæ & ſecundæ claſſis.

CUm in Calendario Romano notæ iſtæ haud exprimantur, ſed feſta quæ ſub illis ſunt, particulari ſeorſim elencho Rubricis generalibus adjuncto recenſeantur: idem omnino in aliis Calendariis locorum propriis convenientiùs ſervari exiſtimo, uti de facto ſervatur in Breviariis, Rothomagenſi, Pariſienſi, Andegavenſi, & aliis. Quibus verò Breviarium aliud non eſt quàm ipſum Romanum, addito codice perbrevi feſtorum propriorum, cùm inane ſit bis eadem feſta deſcribere, ſatius videtur in Indice, qui juxta menſium ordinem continenter texitur, uniuſcujuſque Duplicis appellationi ſtatim addere (ſi lubet) *prima* vel *ſecunda claſſis*, vel *Duplex majus*. Ita ſervatur in proprio Ordinis Minorum, & in propriis Sagienſi, Abrincenſi, Nannetenſi, Macloviensi aliiſque plurimis.

In Codice poteſt apponi.

Q U Æ S T I O VI.

An inter ſemiduplicia ſint itidem alia aliis majora?

Uſu Romano nulla ſunt ſemiduplicia majora aliis.

NUlla ſunt in Calendario Romano, nec verò alibi ulla eſſe poſſunt, ſi eadem ratio ſervetur, ut feſta omnia Chriſti Domini, Beatæ Mariæ & SS. Angelorum & Apoſtolòrum Duplicia inſcribantur. At cùm in propriis locorum Calendariis nonnunquam id reperire ſit, ut ejuſmodi feſta in ſemiduplicium numero dumtaxat habeantur, (probandum id ſit necne, jam non quæro) putà in Breviario Bituricenſi feſtum Miraculorum Beatæ Mariæ Dolenſis 31. *Maii*, in Turonenſi feſtum Quinque Plagarum Chriſti Domini 9. *Julii*, feſtum Sancti Michaelis in monte Tumba 16. *Octob.* & feſtum Sancti Gabrielis 18. *Martii*, in Aurelianenſi Diviſio Apoſtolorum 15. *Julii*, &c. putaverim ego ejuſmodi feſta in concurſu aliis æquè ſemiduplicibus eſſe præferenda, adeòque eorum reſpectu majora cenſenda. Rubrica ſiquidem illa, *Inter feſta æqualis ſolemnitatis*, (quæ tota majoritatis illius ac præferentiæ ratio eſt) æquè valet pro ſemiduplicibus atque pro duplicibus. Imò clarè id innuit *Rub.* 10. *de Translatione feſtorum*, ubi dicitur æquè de ſemiduplici ac duplici, ut cùm duo ſimul occurrunt, *fiat de digniori ſeu ſolemniori, translato minùs ſolemni*. An verò perinde valeat pro feſtis ſemiduplicibus Sanctorum loci propriorum, ut ii videlicet aliis ſemiduplicibus in Calendario Romano deſcriptis præferantur, diſcutietur ſuo loco inferiùs.

Sunt aliqua in aliis uſibus.

Q U Æ S T I O VII.

In quo potiſſimum reſpectu fundetur varius ille ac multiplex Duplicium gradus?

Reſpectus unus ſolemnitatis, alter ſtabilitatis.

NUcleus hic eſt, in quo multarum controverſiarum definitio latet. Hunc ut frangas faciliùs, obſerva reſpectum hic duplicem poſſe attendi; ſolemnitatis alterum, alterum ſtabilitatis. Hunc ſtabilitatis appello ad ſignificandam feſtorum in ſuo quorumque die firmitatem, qua utique habent, ut non tam facilè propter aliorum occurrentiam loco moveantur. Illum verò ſolemnitatis, quòd eo ſpectetur maximè cultus, ſeu apparatus, qui in Officio celebrando juxta cujuſque Eccleſiæ morem major vel minor pro ratione feſtorum adhibetur. Quæſtio itaque eſt ab utro ex illis reſpectu feſta habeant ut ſint alia primæ, alia ſecundæ claſſis, & alia majora?

Duplicia quo majora eo firmiùs ſtant in ſuo die.

A priori illo ſtabilitatis reſpectu id habere colliget quis primò, quia de facto duplicia primæ claſſis ſunt ejuſmodi, ut paucis dumtaxat Dominicis cedant; duplicia verò ſecundæ claſſis pluribus; utraque verò inferioribus feſtis in occurſu ſemper præferantur, ſic ut de illis fiat, translatis aliis. Cujus quidem inſtituti ratio hæc commoda ſatis ac veroſimillima afferri poteſt, quòd quemadmodum ex Concilii Nicæni Decreto Paſcha, quia feſtorum omnium præſtantiſſimum eſt, ubique in tota Eccleſia ab omnibus ſimul fidelibus eodem die celebrari debet; ita ſimili proportione, cætera feſta quo digniora ſunt, eo firmiùs certæ diei affigi

par eſt,

par eſt, ut in illa ſemper ab omnibus quantum fieri poteſt, ſimul obſerventur. Ex quo fit ut ea primæ claſſis cenſeantur, quæ nullis cedunt, ſed omnibus præferuntur: ſecundæ verò, quæ Patrono dumtaxat ſeu Titulo, ac propriæ Eccleſiæ Dedicationis loco cedunt, cætera rejiciunt. Et licèt feſta ipſa primæ claſſis Dominicis primæ claſſis, & feſta ſecundæ claſſis Dominicis itidem ſecundæ claſſis cedant; hoc tamen non impedit quin reſpectu aliorum feſtorum ipſis inferiorum eamdem firmitatem obtineant.

A pari de Dominicis primæ & ſecundæ claſſis.

Colligitur item ex ipſis Dominicis primæ & ſecundæ claſſis, quæ ſic dictæ ſunt, quòd illæ nunquam omittantur, iſtæ verò nonniſi occurrente Patrono vel Titulari Eccleſiæ, & ejuſdem Dedicatione; quæ eadem cum Duplicibus primæ & ſecundæ claſſis æquè conveniant, quidni etiam ab eo reſpectu gradus illorum adſtruatur? Nec obſtat, quòd non exinde ſed ex occurſu Simplicium à Rubricis definiantur, prout ea videlicet vel ex toto, vel ex parte excludunt; nec enim id cætera removet, ſed ejus quod frequentiùs accidit, ratio habita fuit.

In concurrentia attendendus primò reſpectus ſtabilitatis.

. Tertiò denique colligitur ex ratione concurſus, niſi enim prior illa ſtabilitatis reſpectus primò attendatur, accidet aliquando ut concurrente verbi gratia, Duplici ſecundæ claſſis, cum altero Duplici non ſecundæ claſſis, ſed quod alicubi ſolemniori fortè apparatu celebretur, putet quis veſperas de iſto integras eſſe faciendas cum commemoratione duplicis ſecundæ claſſis; ſed hoc eſt manifeſtè contra *Rub.* 10. *de Concurrentia n.* 2. ergo, &c.

In multis Eccleſiis diſtinctio Feſtorum petitur à diverſa ratione apparatus.

A poſteriori verò ſolemnitatis quem diximus reſpectu petendam eſſe feſtorum præferentiam ſuadet id unum maximè, quòd pleræque Eccleſiæ ſuas Feſtorum diſtinctiones, non aliunde metiantur quàm ex majori vel minori apparatu, quem in ſingulis uſitant; puta ut ſint Duplicia alia quinque, alia trium capparum; alia Cantoris, alia Succentoris; alia ſeptem, alia quinque, alia trium candelabrorum, &c. Quin & ſolent aliquæ etiam Romano uſui addictæ in quibuſdam feſtis celebrandis, rationem habere non claſſis, ſed ritus illius ſolemnioris, adeò ut Duplicia quædam inferioris vel etiam nullius claſſis in occurſu & concurſu præferat nonnullis aliis primæ vel ſecundæ claſſis.

Ceremoniale Epiſcoporum.

Nec verò id aliquo fundamento caret; Nam in Ceremoniali Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 34. ubi recenſentur feſta, in quibus decet Epiſcopum celebrare, vel ſaltem veſperis & Miſſæ ſolemni intereſſe, duo conſtituuntur ordines, in quorum primo reponitur feſtum Annunciationis B. Mariæ, quod tamen non eſt niſi ſecundæ claſſis. In ſecundo verò feſtum S. Joannis Baptiſtæ, quod eſt primæ. Similiter in Ceremoniali Monaſtico *libr.* 4. *cap.* 1. quatuor deſcribuntur feſtorum ordines, in quorum primo deeſt idem feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ. In ſecundo verò reponitur feſtum Conceptionis, quod nullius eſt claſſis. In tertio feſta Apoſtolorum & alia ſecundæ claſſis.

Ceremoniale monaſticum.

Jam ut certi aliquid in hac rationum utrimque controverſia definiri poſſit, unum præmoneo, nihil me hic de alienis à Romano uſibus loqui. Servent ſuos proprios ritus quælibet Eccleſiæ, vel eos pro ſuo quæque jure, mutent, corrigant, aliterve ordinent, per me licet (quamquam nec in his niſi maturo prudentique conſilio procedendum ſapiens quiſque judicabit.) At verò quibus uſus alius non eſt quàm Romanus, cui ſe utique in omnibus conformare tenentur, iis in opportunitate ſequentes præſto eſſe poſſunt Reſolutiones.

Officium cujuſlibet feſti diſponendum juxta gradum qui illi tribuitur.

Prima. In cujuſcunque feſti celebratione hoc primum omnium attendendum ut Officium totum diſponatur, juxta gradum, in quo feſtum quodlibet collocatum eſt, puta Duplicis ſive primæ ſive ſecundæ claſſis, ſive majoris, ſive minoris per annum, ſive etiam ſemiduplicis; nihilque adeò circa occurrentiam vel concurrentiam cum aliis feſtis, cujuſcunque ſolemnioris apparatus occaſione, immutetur, aut à præſcripto Rubricarum, in ullo recedatur. Hoc probant argumenta omnia pro priori ſtabilitatis reſpectu initio allata; ideòque in Ceremoniali Monaſtico, licèt feſtum S. Martini ponatur ſecundi ordinis quoad ſolemnitatem Chori, expreſsè tamen ſignificatur haud omittendam S. Mennæ commemorationem.

Guyet. Heortologia.

Solemnitas ſeu apparatus chori reſpondere debet dignitati gradus feſti.

Secunda. Curandum quantùm fieri poteſt, ut ſolemnitas Chori reſpondeat dignitati gradus feſti; adeo ut in quibus Eccleſiis varii ſunt ſolemnitatis ritus, ii variis feſtorum gradibus conformiter tribuantur, videlicet ſummus duplicibus primæ claſſis, mediocris duplicibus ſecundæ, & ſic conſequenter. Hoc probat uſus omnium ferè Eccleſiarum Cathedralium aliarumque majorum, in quibus, ut dictum eſt, ipſa feſtorum denominatio ab ejuſmodi vario ritu deſumi ſolet; & quidem tanta cum religione, ut in pleriſque illarum, nullus alius feſtorum ordo ſit, quàm qui inde petitur. In aliis verò quæ primam & ſecundam claſſem more Romano appellarunt, ad eas præcisè claſſes feſta omnia relata ſunt, quæ proportione habita iiſdem in antiquo uſu reſpondebant. Et hac quidem agendi ratione nihil eſt æquius.

Poteſt major adhiberi ſolemnitas in aliquibus feſtis quàm in aliis ejuſdem gradus.

Tertia. Tolerabile ſatis nec penitus improbandum videtur, ſi in aliquibus feſtis major ſolemnitas impendatur, quàm in aliis quidem cum illis claſſis ſeu dignitatis; quod locum habet in iis maximè Eccleſiis, quæ nonniſi unico ſolemnitatis genere uti ſolent, quem ubi non adhibent, communi ac quotidiano quem vocant ritu cætera Officia celebrant. Ratio eſt, quia trita nimis, viliſque adeò evaderet illa ſolemnitas, ſi in omnibus feſtis verbi gratia, Apoſtolorum, ea perinde adhiberetur, atque in feſtis Purificationis, Annunciationis & Nativitatis B. Mariæ. Quam ob cauſam, puto ego prædictos varios ſolemnitatis gradus in majoribus Eccleſiis inductos fuiſſe; ſicut & quod Ceremoniale Monaſticum quatuor feſtorum ordines præſcripſit, non ſervata præcisè claſſium ratione. Et verò nullibi uſus Romanus ſtatuit, ut in omnibus feſtis æqualis ſolemnitas ſervetur, imò cùm ſolemnis Miſſæ formam ſeu ritum nonniſi unicum præſcribat, nec cum certis ac ſtatis diebus addicat; hinc liberum relinquere arguas, ut pro cujuſque Eccleſiæ more, cùm opus erit, adhibeatur; ſicut & quoad Veſperas, reliquumque Officium, laudabilem cujuſque Eccleſiæ morem retinendum Sacra Rituum Congregatio declaravit, teſte Gavanto in *comment. in Rubr. Brev. ſect.* 10. *cap.* 2.

Ceremoniale monaſticum.

Gavantus.

Nulli feſto inferioris gradus ſolemnitas tribuenda, quam non obtineant feſta ſuperioris.

Quarta. In præſcribendo certis feſtis ſolemni ritu ea cautio adhiberi debet, ut licèt æqualibus feſtis diverſus ritus aſſignari poſſit, nunquam tamen inferioribus claſſe ſeu dignitate, talis aſſignetur, quem ſuperiora non habeant, præſertim quoad Veſperas ſeu Officium. Rationem hujuſce Reſolutionis collige ex hoc paradigmate. In pleriſque Aquitaniæ Eccleſiis poſtridie SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, hoc eſt die ultima Junii, celebratur feſtum S. Martialis ſolemniore ritu, ſic tamen ut ubi Patronus non eſt ſeu Titulus, non poſſit eſſe niſi duplex ſecundæ claſſis. In iiſdem verò Eccleſiis uſus non eſt tantum adhibere ritum in ipſo feſto Apoſtolorum: Quæro itaque, ut fiet in concurrentia Veſperarum? vel enim propter ſolemnitatem majorem erunt integræ de S. Martiale cum commemoratione Apoſtolorum, vel integræ de Apoſtolis cum commemoratione S. Martialis. Si primum, eſt contra Rubricas ut feſtum quod tantùm eſt ſecundæ claſſis, præferatur feſto primæ claſſis: ſi ſecundum, abſurdum eſt ſolemnitatem quæ pro S. Martiale eſt, adhiberi Veſperis

Apoſtolorum. Vides non poſſe magnum utrimque vitari incommodum, niſi ea lex ſervetur, ut nulli inferiori ejuſmodi ritus tribuatur, quem ſuperios æquè ſaltem non obtineat. Addidi in reſolutione *Quoad Veſperas ſeu Officium*, propter caſum propoſitum; nam cum Miſſæ diei unius cum Miſſa ſequentis diei nulla ſit concurrentia, minùs proinde refert ſi ſolemnitatem uni feſto tribuas præ altero etiam altioris claſſis: quanquam nec id, ſi temerè ac ſine gravi cauſa fiat, ullatenus probaverim.

Miſſæ alia ratio quàm officii quoad ſolemnitatem adhibendam.

Ex his reſolutionibus generatim ſic propoſitis, multa poſtmodum in particulari definientur, quæ ad occurrentiam & concurrentiam feſtorum aliaſque controverſias ſpectant, ut non mireris nucleum me quæſtionem hanc appellaſſe.

QUÆSTIO VIII.

Quæ ſit ratio debitum ſingulis feſtis ritum tribuendi?

SOlvenda plenius quæſtio hæc ubi de unoquoque ritu ſingillatim agetur ſequentibus capitibus, ſufficiat nunc reſponſionem ad duo generatim præcepta revocare.

Alterum, attendendam inprimis cujuſque Feſti proprii naturam & conditionem, ſitne verbi gratia, Patroni ſeu Titularis Eccleſiæ, vel loci? ſitne Sancti dies Natalis, ſeu Feſtum præcipuum? an verò Translatio, Inventio, Ordinatio, aut tale aliud feſtum ſecundarium? ſitne feſtum Sancti in Eccleſia propria quieſcentis, aut cujus habeantur Reliquiæ? ſitne propriæ Religionis ſeu Congregationis Authoris vel Profeſſoria inſignis, &c. In his ſiquidem obvium ſatis eſt ex Rubricis ipſis colligere, quis ritus ſit adhibendus?

Attendenda Feſti cujuſque natura & conditio.

In aliis verò feſtis, quæ vel ſunt Sanctorum loci naturalium, vel fiunt ex Voto, Fundatione, Eccleſiarum Affinitate, Uſu denique & Conſuetudine pridem recepta; quod non ſatis conſtabit ex Rubricis, illud ſupplendum erit ex proprio cujuſque loci Calendario; reducendo videlicet ritum in ipſo præſcriptum, quàm fieri poteſt proximè ad uſum Breviarii Romani. Qua etiam arte uti debens qui Breviaria Diœceſum propria juxta Romani itidem formam propiùs inſtaurant; in quorum præcipuè gratiam placuit ſequentem quæſtionem inſtar paradigmatis apponere.

Attendendum item proprium cujuſque loci Calendarium.

QUÆSTIO IX.

Quæ ſit ratio veteres feſtorum propriorum ritus ad Romani Breviarii formam reducendi?

JUvat inprimis veteres ejuſmodi ritus ex nonnullis inſignioribus Galliæ noſtræ Eccleſiis recenſere.

Annuale, voce corrupta pro eo quod eſt annuum, Eccleſiis Turonenſi, Senonenſi, Pariſienſi, Aurelianenſi, Bellovacenſi, Noviomenſi, Lexovienſi, multiſque aliis, erat olim, & eſt etiamnum uſitatum ad ſignanda feſta omnium præcipua; quæ quatuor dumtaxat numerat Pariſienſis Eccleſia, videlicet Natale Domini, Paſcha, Pentecoſtem & Aſſumptionem B. Mariæ; plura aliæ. Aurelianenſis & Lexovienſis *Annuale* item bifariam dividunt, ut ſit aliud *majus*, & aliud *minus*, ſeu ut vocat Senonenſis, *ſemiannuale*.

Feſtum Annuale & ſemiannuale.

Annuali conſonat *Summum*, elegantiori ſtylo in antiquo Breviario proprio Congregationis Caſalis Benedicti ſex ſeptemve principibus feſtis addictum, quæ Cluniacenſe ſic aliter exprimebat, *De quinque*, ſupple primariis feſtis, vel *inſtar quinque*.

Summum, de quinque.

Solemne æquivocum eſt, nam præfatis Eccleſiis Pariſienſi, Bellovacenſi & Lexovienſi, Duplici præſtat, & primum eſt ab Annuali: quin & Carnutenſis id unum habet ſupra Duplicia communia. Uſurpat quoque illud, hoc item ſenſu, trifariam Radulphus Tungrenſis in ſuo Calendario, nimirum, *Totum ſolemne*, *Omnino ſolemne*, & *ſolemniſſimum*. De ſolemni autem, ut ſubeſt duplici, dicetur paulò inferiùs.

Solemne.

Rad. Tungrenſis.

Cantoris & Succentoris notam tribuunt primariis feſtis Eccleſiæ Bituricenſis, Pictavienſis, aliæque Aquitanicæ, quòd Cantor in unis, in aliis Succentor Chorum regat, idque aliàs cum Trunco ſeu Baculo, aliàs ſine eo.

Cantoris & Succentoris.

A numero candelabrorum, quæ per pueros ſymphoniacos in majori Sacro ante Sacerdotem ad Altare procedentem deferuntur, appellant ambæ Eccleſiæ Turonenſes, tam Metropolitana quàm Collegiata S. Martini, feſta Duplicia, alia *ſeptem*, alia *quinque*, alia *trium Candelabrorum*.

Septem, Quinque & Trium Candelabrorū.

A triplicatione Antiphonarum, quòd nimirum integræ decantatæ ante Pſalmi ſeu Cantici inchoationem, integræ item repetantur ante ℣. *Gloria Patri*, & poſt, *Triplicia feſta* denominantur in Breviariis Rothomagenſi & Ebroicenſi, ut & olim in Rhedonenſi, Dolenſi & Maclovienſi minoris Britanniæ, & nunc quoque in Præmonſtratenſi, quod præterea dividis in *Triplex* 1. 2. & *tertiæ claſſis*. Rothomagenſe verò tantùm in *Triplex primæ & ſecundæ claſſis*.

Triplex.

Duplicis nota omnium receptiſſima eſt, & quidem cum alio & alio additamento. Nam Rhemenſe Calendarium ſic numerat, *primum Duplum*, *ſecundum Duplum*, *tertium Duplum*, & *parvum Duplum*. Aurelianenſe *majus & minus*, quod veteri Romano aliiſque plurimis commune erat; itidem Carmelitanum. *Totum duplex* appellat Calendarium Ordinis Prædicatorum, cujus oppoſitum eſt *duplex* ſimpliciter.

Duplex, majus & minus.

Uſus Eccleſiæ Cenomanenſis hac in parte ſingularis eſt. *Duplicis* ſiquidem titulum non tribuit niſi præcipuis Chriſti Domini, B. Mariæ, ac paucis aliis feſtivitatibus, quas item in recentiore Breviario ſecrevit *in primæ & ſecundæ claſſis*. Aliis verò celebrioribus, puta S. Andreæ, S. Stephani, S. Laurentii, S. Martini &c. *ſemiduplicis* ritum aſſignat. Cætera etiam Apoſtolorum, *9. lectionum* inſcribuntur, & quidem in antiquo Breviario alia *cum ſequentia*, alia *ſine ſequentia*: hoc inſuper in feſtis Apoſtolorum & Doctorum addito, *Et duplicantur Antiphonæ*.

Singularis uſus Eccleſiæ Cenoman, circa feſtorum diſtinctionem.

Semiduplex in pleriſque veteribus Calendariis, uti etiam adhuc in Atrebatenſi, & Conſtantienſi medium eſt *Duplex* inter ac *novem lectionum*, iſto quidem ſuperius, illo verò inferius. Quod aliter Præmonſtratenſe etiam modernum appellat *Celebre*. Sumptum ut in Romano, iterum ſubdividitus à Rhemenſi in *ſemiduplex*, *9. 7. & 5. Cereorum*: ab Aurelianenſi & Bajocenſi *in 9. & 3. lectionum*.

Semiduplex & illud quidem varium.

Celebre.

Pro ſemiduplici pleraque antiqua Breviaria reponunt, *9. lectionum*, ſeu ritu Monaſtico 12. additque S. Martini Turonenſis Breviarium, *trium*, vel, *unius candelabri*.

Novem ſeu duodecim Lectionum.

Solemne in antiquo Romano anni 1555. minus erat ſemiduplici, & majus ſimplici. Locum tenet ſemiduplicis in Breviario Prædicatorum. In Ambroſiano nulla alia aſſignatur feſtorum differentia, quàm *ſolemnis & non ſolemnis*.

Solemne aliud minus Duplici.

Simplex pleraque etiam recentiora, *trium lectionum* appellant. Et verò utrumque coincidit. In antiquo Pariſienſi, legitur quandoque hæc nota *trium lectionum quaſi novem*, quòd nimirum licèt tres tantùm eſſent lectiones, ritus tamen Chori more feſti 9. lectionum ſervaretur. Conſtantienſe pro ſimplici, notam hanc habet, *ſine regimine Chori*; quòd videlicet cùm in Officio duplici & ſemi-

Simplex ſeu trium lectionum.

duplici

duplici ſemper ſit aliquis, qui cappa indutus Chorum inambulando regat, nullus ejuſmodi ſit in ſimplici. Præter *ſimplex*, *ſimpliciſſimum* adhuc habet Breviarium Carmelitanum. In antiquo Monaſtico Caſalis Benedicti & pleriſque aliis nullum erat neque *ſimplex*, neque *trium lectionum*, ſed de ejuſmodi ſola fiebat commemoratio in Officio diei currentis. In Atrebatenſi, fit tantùm Miſſa, eaque voce deſignantur ſimplicia. In antiquo Cenomanenſi, alia erant *trium lectionum cum Miſſa*, & alia *ſine Miſſa*, quæ partitio habetur etiam apud Radulphum Tungrenſem.

Simpliciſſimum.

Cum Miſſa, ſine Miſſa.

Non eſt omittendum in Ciſtercienſi Calendario, omiſſis duplicium, ſemiduplicium, & ſimplicium vocibus, varios feſtorum ritus hiſce caracteribus deſignari, *Conc.* †. hoc eſt, haberi Concionem & Communionem fratrum. *M. M.* †. hoc eſt, duæ Miſſæ, cum Communione fratrum. *M. M.* hoc eſt, duæ Miſſæ. *M.* hoc eſt, una Miſſa. Similiter in Cartuſiano *Solemnitas* præcipuis feſtis tribuitur, necnon *Sermo* aliquibus illorum. *Capitulum* verò ſequentibus, aliis abſolutè; aliis *non converſorum*: demum 12. *lectionum*. Item *Miſſa* & *Commemoratio*. Legi & vetuſtiſſimum Ambianenſe, in quo feſtorum varietas his notis indicabatur, *IIII. III. II. I. 9. lect. 3. lectionum*.

Notæ Ciſtercienſes ad indicandam feſtorum varietatem.

Notæ iiſdem Cartuſianæ.

Noſtrum verò jam opus eſt varias illas denominationes ad unius Breviarii Romani, tamquam omnium ordinatiſſimi formam revocare: quod difficile non eſt admodum; ſi obſervaveris quinque vel ſex diſtinctos feſtorum ritus, in ſingulis prædictis uſibus ſemper reperiri. Quo ergo itaque ordine ii ſe ſe ſuperant, eodem ad diverſas Romani uſus claſſes & ordines ſunt reducendi, puta *Annuale*, *Summum*, *Cantoris*, *ſeptem Candelabrorum*, &c. ad duplicia primæ claſſis; *Solemne*, *Succentoris*, *quinque Candelabrorum*, &c. ad duplicia ſecundæ claſſis. Duplicia ad duplicia itidem per annum, ſive majora ſive minora; reliqua novem lectionum ad ſemiduplicia, & trium lectionum ad ſimplicia. Hæc generatim dicta accipe, quæ ſequentibus deinceps capitibus majori cum diſtinctione explanabuntur.

Reductio prædictorum Rituum ad uſum Romanum.

CAPUT X.

DE RITU DUPLICIS PRIMÆ & ſecundæ claſſis.

RItus hujus utriuſque ratio deſcribitur Rubrica 9. de Commemorationibus: prioris quidem *num.* 3. 4. & 5. poſterioris verò *num.* 6. ſic autem ſe habet, ut ea unus alium proportione ſuperet, qua & ſuo loco feſtum firmiùs conſiſtit, & occurrentia alia Officia à ſe pleniùs excludit.

Primò enim de occurrente Duplici primæ claſſis fit in quibuſcunque Dominicis, quæ non ſunt primæ claſſis; item in quacunque Die Octava non privilegiata, item infra Octavam Epiphaniæ. De Duplici verò ſecundæ claſſis fit quidem in Die Octava non privilegiata, non tamen in Dominicis ſecundæ claſſis, nec infra Oct. Epiphaniæ.

Privilegia Duplicium primæ & ſecundæ claſſis quoad occurrentiam.

Secundò: Duplex primæ claſſis nullam admittit commemorationem feſti ſimplicis, nullam item diei infra Octavam, nec vigiliæ non privilegiatæ. Duplex ſecundæ claſſis, Simplicis commemorationem admittit in Laudibus & Miſſis privatis tantùm, item cujuſcunque Vigiliæ more aliorum Duplicium.

Privilegia eorumdem quoad commemorationes.

Tertiò denique, in primis Veſperis Duplicis primæ claſſis nulla fit commemoratio præcedentium niſi Duplicis primæ & ſecundæ claſſis, Dominicæ & Octavæ privilegiatarum; & in ſecundis nulla Simplicis ſequentis. At in primis veſperis

Giryet. Heortologia.

Duplicis ſecundæ claſſis admittitur commemoratio Duplicis cujuſcunque præcedentis, & in ſecundis, feſti ſimplicis ſequentis; item cujuſcunque Octavæ ſi de ea poſtridie fit Officium. Commemoratio verò feriarum Adventus & Quadrageſimæ, ſicut & Octavarum, Nativitatis Domini, Epiphaniæ & Corporis Chriſti, in utriſque tam primæ quàm ſecundæ claſſis integrè admittitur.

Hæc ſunt privilegia, quibus præ aliis gaudent feſta Duplicia, dicta inde primæ & ſecundæ claſſis.

QUÆSTIO I.

Quænam feſta propria celebranda ſunt ritu Duplicis primæ claſſis.

DE duobus nullum eſt dubium, videlicet Dedicatione propriæ Eccleſiæ, & feſto Principalis Patroni ſeu Tituli cujuſlibet quoque Eccleſiæ; in ea videlicet Eccleſia, cujus eſt Patronus vel Titulus, aut Dedicatio. Duo ſiquidem illa diſertè exprimuntur *Rub.* 4. *num.* 1. *Rub.* 7. *num.* 3. *Rub.* 9. *num.* 3. & 4. Quo maximè loco deſcripta habetur ratio Duplicis primæ claſſis: quam utique Patroni ſeu Tituli ac Dedicationis eamdem eſſe declaratur etiam additione ad primam Tabulam de occurrentia in fine, ubi ſic legitur: *Si verò aliqua Vigilia occurrat in diebus feſtorum Duplicium primæ claſſis, ſive Patroni vel Tituli, aut Dedicationis Eccleſiæ, &c.*

Dedicatio propriæ Eccleſiæ, & feſtum Patroni ſeu Tituli cujuſlibet Eccleſiæ eſt duplex primæ claſſis.

His addenda duo quoque alia nemo non concedet, nempe feſtum principalis Patroni loci, qualem deſcripſimus *lib.* 1. *c.* 7. *q.* 1. & apud Regulares feſtum Patroni ſeu Inſtitutoris aut Titularis cujuſque Ordinis in ipſo Ordine, qualem quoque deſcripſimus *lib.* 1. *c.* 14. *qu.* 2. Et prioris quidem ratio eſt authoritas *Rubr.* 4. *n.* 2. quæ diſertè habet, *De principali Titulo vel Patrono alicujus Eccleſiæ vel loci*. Nec obſtat, quòd vox illa *loci*, deſit in textu *Rub.* 9. *n.* 3. ſatis enim ſuppletur ex præfato textu, imò & ex ſequentibus ſtatim verbis eo ipſo loco: *Et tunc de hujuſmodi feſto fit tantùm in eo loco vel Eccleſia, cujus eſt Patronus vel Titulus, &c.* Nec obſtat item quòd in ſerie Duplicium primæ claſſis recenſentur dumtaxat Patronus vel Titulus Eccleſiæ; tum quòd non rarò idem eſt Patronus ſeu Titulus loci, qui & Eccleſiæ, ut obſervatum eſt aliàs; tum quòd ex frequenti Rubricarum uſu, ambo alibi ſæpè conjunguntur, iiſdemque ex æquo juribus gaudent. Denique diſertè aſſerit Gavantus tam de Patrono principali quàm de Titulari Eccleſiæ fieri debere Officium, ut de Duplici primæ claſſis, *Comment. in Brev. ſection.* 3. *capit.* 12. *num.* 4.

Item feſtum Principalis Patroni loci; & apud Regulares Patroni ſeu Inſtitutoris Ordinis.

Pro Patrono verò ſeu Inſtitutore cujuslibet Ordinis, Religionis aut Congregationis in eodem gradu habendo, pugnant citatæ omnes Rubricæ, ex conſtanti omnium Ordinum uſu, de eo juxta ac de Patrono loci ſeu Eccleſiæ intelligendæ. Nec video quidquam, quod legitimè in contrarium poſſit allegari, id ipſum aſſerente Gavanto *Comment. Brev. ſect.* 3. *cap.* 12. *num.* 4.

QUÆSTIO II.

An plures poſſint eſſe Patroni ſeu Tituli ejuſdem Eccleſiæ vel loci, quibus tribuatur Ritus Dupl. primæ claſſis?

NEgativam adſtruunt varii Rubricarum textus, in quibus ſingulari ſemper numero principalis Patroni ſeu Tituli mentio ingeritur. *Rubr.* 4. *num.* 1. *Niſi illud feſtum ſit de principali Titulo vel Patrono alicujus Eccleſiæ vel loci, &c. Rub.* 7. *num.* 1. *In feſto principalis Patroni & Titularis loci vel Eccleſiæ.* Ibid. *num.* 3. *Dum fit de aliquo*

etiam principali Patroni vel Titulari Eccleſiæ. Rub. 9. num. 3. *Niſi illud feſtum fuerit principalis Patroni vel Tituli Eccleſiæ.* Ibid. num. 4. *Niſi illud feſtum fuerit ſolemne principale alicujus loci,* Rub. 10. num. 2. *Excepto quoque feſto ſolemni alicujus loci,* Denique in ſerie Duplicium primæ claſſis recenſetur ſingulariter, *Patronus vel Titulus Eccleſiæ.*

Unus tantum Patronus ſeu Titulus Eccleſiæ celebrandus ritu primæ claſſis; aut ſi plures, nonniſi per modum unius.

Ex quibus omnibus locis ratum illud habetur, Patronum ſeu Titulum Eccleſiæ principalem, cùm nonniſi unus ſit, vel ſi plures fuerint nonniſi ſimul juncti ac per modum unius, puta Sancti Gervaſius & Protaſius, Sancti Mauritius cum ſociis, &c. prout monuimus *lib. 1. cap. 4. quæſt. 3.* illum quoque unum ritu Duplicis primæ claſſis eſſe colendum. Quia tamen circa quæſtione conceſſimus geminum nonnunquam etiam disjunctim dari Eccleſiæ Patronum ſeu Titularem, eumque vel ſimul, hoc eſt à fundata primum Eccleſia, ut ſunt SS. Silveſter & Martinus, SS. Lupus & Ægidius in exemplis quæ adduximus; vel ſucceſſivè atque adſcititium, ut ſunt S. Mauritius & S. Gatianus in Eccleſia Turonenſi, S. Vincentius & S. Germanus in Eccleſia Pariſienſi S. Germani à Pratis, &c. In eo caſu, cùm uſus ſit Eccleſiarum ut uterque æquè principalis habeatur, uterque perinde etiam primæ claſſis cenſendus erit. Secus ſi non uterque pro principali habeatur, aut ſi tres quatuorve ſeu etiam plures numerentur Patroni Eccleſiæ, ut de Catalaunenſi aliiſque notavimus loco cit. Atque hæc de Patrono ſeu Titulari Eccleſiæ.

Patronus loci unus, ſi ſit principalis tantum celebrandus ritu duplici primæ claſſis.

De Patrono quoque loci non alio ferè modo pronunciandum, nam cùm ex multis quos in una Diœceſi coli plerumque contingit, uti enarravimus *lib. 1. cap. 7. quæſt. 5.* unus dumtaxat principalis haberi ſoleat, is profectò unus in primam claſſem eſt referendus; puta Rhemis S. Remigius, Rotomagi S. Romanus, Senonis SS. Savinianus & Potentianus, Ambiani S. Firminus Epiſcopus & Martyr; cui tamen in proprio uſu additi ſunt S. alter Firminus Epiſc. & Conf. S. Honoratus Epiſcopus item & Confeſſor, & SS. Fuſcianus, Victoricus & Gentianus Martyres; quos tamen uſu Romano non ampliùs ſecunda claſſe donandos arbitror.

Patronus Religionis unus tantùm eſt primæ claſſis, niſi & alius adſit inſtar Tituli, aut ratione Congregationis.

Patronus denique Ordinis ſeu Religionis primarius, (de quo ut & de aliis ſequentibus actum quoque eſt *lib. 1. cap. 14. quæſt. 2. & 3.*) cùm nonniſi unus ſit, idem videlicet qui eſt Inſtituti author, uti S. Benedictus Benedictinorum, S. Dominicus Prædicatorum, S. Franciſcus Minorum, &c. Hic quoque unus eſt primæ claſſis, niſi cùm & huic accedit alius vel Tituli inſtar, ut eſt apud Hoſpitalarios ſeu Milites Melitenſes S. Joannes Baptiſta; apud Moniales Urſulinas S. Urſula; in Ordine Crucigerorum Titulus S. Crucis, &c. vel ratione Congregationis erectæ ſub primaria Regula, quales ſunt ſub Regula S. Benedicti S. Romualdus Camaldulenſium Pater, S. Petrus Cæleſtinus, Cæleſtinorum, &c. ſub Regula S. Auguſtini S. Norbertus Præmonſtratenſium, S. Dominicus Prædicatorum: S. Hugo in Congregatione Cluniacenſi, S. Maurus in Congregatione ſui nominis, Sancta Tereſia Reformatrix Ordinis Carmelitarum, &c. Hi namque omnes in ſuis quique Congregationibus ſeu reformatis Ordinibus ſolent etiam ſupremo ritu hoc eſt primæ claſſis donari.

Ex his verò ſi rei illico arguas ſequi, ut in una eademque Eccleſia plura habeantur feſta ſolemnia, contra quod præmiſſis initio quæſtionis Rubricarum textibus cautum vidimus; facilis occurrit reſponſio, plura ejuſmodi feſta vetari quidem in uno eodemque genere, ſed non in diverſo; ſi videlicet alterum eſt Patroni ſeu Titularis Eccleſiæ, alterum Patroni loci, alterum denique Ordinis ſeu Congregationis regularis; uti Pariſiis Eccleſia Abbatialis S. Germani Pratenſis habet pro Titulari S. Vincentium Mart. pro Patrono loci ipſum S. Germanum Epiſcopum, ratione Ordinis Regularis S. Benedictum, cui item addidere S. Maurum qui ipſum incolunt Recentiores Monachi Congregationis ejuſdem S. Mauri. Ibidem quoque Eccleſia Abbatialis S. Genovefæ, Titulares agnoſcit SS. Apoſtolos Petrum & Paulum, Patronam loci ipſam S. Genovefam, Ordinis verò S. Auguſtinum, &c. qui quidem reſpectus omnes, planè ſunt inter ſe diviſi.

Plura ſunt quidem poſſunt primæ claſſis in una eademque Eccleſia, ſed diverſis reſpectibus.

Exempla Eccleſiarum S. Germani & S. Genovefæ Pariſiis.

QUÆSTIO III.

An alia item feſta hocce ritu celebranda occurrant?

Dedicatio Eccleſiæ Cathedr. per Civitatem ac Diœceſim eſt primæ claſſis, ubi talis uſus eſt, alias Duplex minus tantum.

CONTROVERTI poteſt primò de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis per Civitatem & Diœceſim. Aſſerit Gavantus *Commentar. Brev. ſect. 8. cap. 5. num. 5.* nec eo ego inficias, ubi talis uſus receptus eſt, puta Senonis; At quoniam in pleriſque Galliæ noſtræ locis, ne de ejuſmodi quidem Dedicatione fieri ſolet Officium extra Cathedralem, uti obſervavimus *lib. 1. cap. 3. quæſt. 5.* in eam propterea mentem adducor, ut ſi in quibuſdam jam fiat, quod decere omnino docuimus *cap. 1. hujuſce libri quæſt. 5.* ſufficiat illud ritu duplicis per annum celebrare, more utique Dedicationis Baſilicæ Salvatoris, & Baſilicarum Petri & Pauli. Nec verò Gavantus ullum adducit Decretum, quo aliter fieri præcipiatur. Imò ſi habetur ratio Rubricarum, cùm & Rubrica 9. de Commemorationibus *num. 5.* & Tabula ipſa Duplicium primæ claſſis expreſsè habeant Dedicationem propriæ Eccleſiæ, videntur profectò aliam omnem ab hoc gradu removere.

Alia item feſta poſſunt fieri primæ claſſis, ubi talis eſt conſuetudo.

Secundò. De feſtis Sanctorum, quorum memoria ab omni ævo in aliquibus Eccleſiis maximæ venerationi eſt, ſive ob Reliquias inſignes, ſive ob gratias ſanitatum, ſive ex fundatione, voto, conſuetudine, aut alia ſimili ex cauſa; ut & de feſtis quibuſdam votivis, putà inventionis Reliquiarum in Eccleſiis Senonenſi & Bajocenſi, &c. De his, inquam, ſic mihi ſtatuendum videtur; cùm Eccleſiæ, in quibus ejuſmodi feſta ſolemniter fiunt, Cathedrales ſint, aut aliàs inſignis nominis, habeantque plurimæ uſum proprium, legitima conſuetudine præſcriptum, haud facilè ab eo diſcedendum putaverim, non tantùm quoad celebritatem Chori, verùm etiam quoad rationem ritus, ſi is nimirum cum Romano conveniat, iiſdem ductus argumentis, quibus legitimas conſuetudines retinendas eſſe cenſui *lib. 1. cap. 13.* ubi de feſtis ex conſuetudine; adeòque feſta omnia, quæ apud illas Eccleſias, vel *Annualia*, vel *Cantoris*, vel *ſeptem candelabrorum*, vel *Summa*, aut alio ejuſmodi nomine inſcribebantur, ea ad ritum primæ claſſis revocari convenit, niſi fortè aliud Præſulibus, ad quos ſpectat, ſtatuendum videatur. In aliis verò Eccleſiis, quæ nec adeo inſignes ſunt, nec uſum proprium habent, ſed Romano addictæ, ejus ſe legibus omnimodè conformare debent, eſto, ſolemnitas & Chori apparatus in ejuſmodi feſtis qualiſcunque adhibeatur, prout fieri poſſe conceſſimus cap. præcedenti, quæſt. 7. At ritum primæ claſſis iis velle tribuere, quo cæteris Officiis tam in occurrentia quàm concurrentia, more feſti ſolemnis principalis præferantur, nec Rubricarum legibus, nec rationi ulatenus conſentaneum eſſe judico.

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

An unius ejuſdemque Patroni ſeu Titularis plurima feſta celebrari poſſint ritu Duplicis primæ claſſis?

In pleriſque Eccleſiis feſta ſecundaria Patronorum celebrantur ritu primæ claſſis.

SAncti Stephani Protomartyris tam Inventionem, quàm diem Natalem, pari cultu, nempè ſummo celebrant Eccleſiæ Bituricenſis, Senonenſis, aliæque eidem Sancto dicatæ. S. Gatiani & S. Martini Tranſlationem æquè ac Tranſitum ambæ Turonenſes, prioris quidem Metropolitana, poſterioris verò Collegiata ſui nominis. S. Firmini Inventionem ac Decollationem Ambianenſis. S. Eligii Tranſlationem ac Tranſitum Novinmenſis. S. Benedicti Tranſlationem ac Tranſitum Galli noſtrates Benedictini. Et ut verbo uno abſolvam, communis multarum Eccleſiarum uſus eſt SS. Joanni Baptiſtæ & Evangeliſtæ, Petro, Paulo, Andreæ, Stephano, Martino, Nicolao, aliiſque dicatarum, quorum geminum datur feſtum, utrumque illud ex æquo celebrare. Hoc non videtur probare Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 3. *num.* 4. feſtis illis ſecundariis ritum dumtaxat ſemiduplicis tribuendum ſentiens. Cujus ego judicium ſic tempero, ut pari illa quidem cum feſtis primariis ritu haud colenda exiſtimem, adeòque nec primæ claſſis, eo vel maximè, quòd ut ait ille, debet eſſe aliqua differentia feſtorum principalium. At verò etiam parcè nimis cum iis agas, ſi in ſemiduplicium, ut ille vult, ordinem dumtaxat redegeris. In quem igitur? dicetur inferiùs. Tres interim dicti mei cautiones auſculta.

Tres caſus in quibus celebrantur feſta ſecundaria primæ claſſis.

Prima. Quando Tranſlatio ſeu feſtum aliud ejuſmodi ſecundarium vel junctum eſt cum Dedicatione Eccleſiæ, vel adeò rei geſtæ, ſignorumve editorum excellentia celebre evaſit, ut principali feſto jure æquiparetur; ut de Tranſlatione S. Martini obſervavimus *lib.* 1. *cap.* 8. *quæſt.* 10. hoc autem vix contingit, niſi in nobilioribus illis Eccleſiis, quas ob reconditum Sancti alicujus corpus, *memorias* propriiſſimè appellari docuimus *eodem lib.* 1. *cap.* 18. *quæſt.* 5.

Secunda. Quibus Eccleſiis ſuus eſt proprius uſus à Romano diverſus, legitimaque conſuetudine præſcriptus, etſi alia non ſubſit cauſa, hac tamen ex parte, ſi quid ſecùs deſignatum eſt, haud in ullo detractum eſſe intendimus.

Tertia. Nec verò etiam abnuo, ut ſolemniſſimo primæ claſſis ritu celebrentur feſta illa, quæ ex occaſione dumtaxat, unaque tantùm vice fiunt, puta Canonizatio Sancti alicujus proprii, Tranſlatio facienda Corporis ſeu Reliquiarum inſignium. Quòd ſi ſequentibus poſtmodum annis, ejus feſtivitatis memoria ſtato die recolatur, prout haud inhibitum eſſe defendimus *lib.* 1. *cap.* 8. *quæſt.* 8. id nonniſi inferiori ritu fieri debet. In quo mihi liberaliores fuiſſe videntur quàm par ſit Monachi inſignis alicujus Monaſterii, qui recentem S. Patroni Reliquiarum exceptionem ritu primæ claſſis in ſuo Calendario proprio conſignarunt.

QUÆSTIO V.

Quid ſi feſta aliqua ritu primæ claſſis non celebrentur, cùm debeant?

Eccl. Bitur.

UNum hujuſce rei dumtaxat mihi ſuppetit exemplum Eccleſiæ Bituricenſis, cujus Dedicatio in ipſamet Eccleſia non fit, niſi more Duplicium communium: ſed ſi alicubi fortè aut Dedicationis aut Patroni ſeu Titularis feſtum è ſuo ordine exciderit, fateor id minimè placere, adeòque præſtabilius eſſe ut reſtituatur.

Guyet. Heortologia.

QUÆSTIO VI.

An ritus Duplicis ſecundæ claſſis pertinere poſſit ad feſta aliqua propria.

DUbitandi occaſio hinc oritur, quòd nuſquam Rubricæ id permittant, imò ſuo de hac re perpetuo ſilentio vetare magis videantur. Etenim ſi intendiſſent, annon æquè opportunum erat, enumeratis Duplicibus ſecundæ claſſis adjicere feſta propria in eum ordinem cooptanda, atque poſt enumerata Duplicia primæ claſſis addita ſunt feſta Dedicationis propriæ Eccleſiæ & Patroni ſeu Titularis? item atque in recognitione Urbani VIII. recenſitis Duplicibus majoribus per annum additi ſunt Patroni minùs principales? Sed cùm aliunde multarum Eccleſiarum uſus talia feſta ſuſcipiat, ut ſequenti quæſt. videbitur; malim ego eum quoque ut legitimum admittere, maximè cùm nullum habeam refragatorem, ne Gavantum ipſum quidem, cujus ſilentium hac in parte perinde ac Rubricarum latè licet ac benignè interpretari.

Uſus multarum Eccleſiarum, ut inter duplicia ſecundæ claſſis, referantur aliqua etiam feſta propria.

Porrò antequam ulteriùs pergam, unum te hìc monitum volo, quæcunque de feſtis propriis certo ritu celebrandis tam in hocce reliquo, quàm ſequentibus duobus tribuſve Capitibus ſum dicturus, ea non ſic accipienda, ut iis abſolutè definiam ejuſmodi feſta celebrari debere, (quod totum fuit prioris libri argumentum:) ſed eo deinceps ſuppoſito id quæſtionis jam eſſe, quo demum ritu celebranda ſint feſta illa, quæ utique ex prædictis quocunque tandem titulo legitimè celebranda ſunt: nam de aliis, quæ vel expungenda diximus, vel nullatenus admittenda, ſermo hìc nullus eſt.

QUÆSTIO VII.

Quænam feſta propria ritu Duplicium ſecundæ claſſis celebranda ſunt?

UT id ritè definiatur, puto feſta ipſa propria invicem eſſe comparanda, ea proportione, quam inter feſta generalia licet obſervare; ut ſicut videlicet in primam claſſem, tanquam ſuprema omnium referuntur feſta quinque præcipuorum Chriſti Domini Myſteriorum; præcipuum quoque Beatæ Mariæ Deiparæ; videlicet Aſſumptionis; feſta item Nativitatis S. Joannis Bapt. ac SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, utpote præcipuæ inter Sanctos venerationis; ac demum feſtum Omnium Sanctorum; ita ad eamdem quoque claſſem referre oportet feſta cujuſque Eccleſiæ, ſeu loci vel Ordinis primaria, videlicet Dedicationis ac Patroni ſeu Tituli principalis. Et ſicut ad ſecundam claſſem pertinent, unum duove Chriſti Domini ac tria Beatæ Virginis, excellentia illa quidem, ſed prioribus inferiora Myſteria, Natalitia item Apoſtolorum primorum ac præcipuorum Eccleſiæ Patrum atque Antiſtitum, cum paucis aliis inſignioris notæ Sanctis; ſic in eamdem pariter claſſem admittantur

Feſta Dedicationis propriæ Eccleſiæ, ac Patroni ſeu Tituli principalis debent eſſe primæ claſſis.

Primò: feſta quædam ſecundaria principalium Patronorum, non omnia quidem, ſed quæ ſuis circumſtantiis illuſtriora feruntur, puta Converſio S. Pauli, Decollatio S. Joannis Bapt. Inventio S. Stephani, &c. in propriis eorum Eccleſiis: cujuſmodi etiam habentur Converſio S. Auguſtini apud Canonicos Regulares, & Impreſſio ſtigmatum S. Franciſci apud Minores; Tranſlationes item atque Inventiones Patronorum, quæ in propriis paſſim Eccleſiis æquali propè, aut non longè inferiori cultu ac Natale ipſum, ſeu feſtum præcipuum conſueverunt celebrari. In quo tamen cautio aliqua mihi adhibenda videtur, ut videlicet feſta illa

Feſta quædam ſecundaria Patronorum ad duplicia ſecundæ claſſis referenda.

ſta illa tali quidem cultu vel etiam majori celebrentur in iis Eccleſiis ſeu locis ubi Translationes ſeu Inventiones ejuſmodi contigere olim non ſine ſignis ac portentis : in aliis verò locis ſeu Eccleſiis ſub eorumdem Sanctorum nomine ſimpliciter dicatis, non item, ſed inferiori ; niſi ubi uſus ac recepta pridem conſuetudo aliud ſuadebit. Quòd ſi feſta ejuſmodi non adeo illuſtria ſunt, aut quæcumque tandem fuerint, nonniſi Duplicium communium vel etiam ſemiduplicium ritu in propriis Eccleſiis (ut multarum uſus eſt) hactenus celebrari conſueverint, haudquaquam ea ad hunc ſecundæ claſſis gradum revocanda putaverim. Ad quem tamen pertinere arbitror, Natale Patronorum illorum, quorum feſtum præcipuum in Translatione, aut ſimili aliqua ſecundaria ſolemnitate recolitur, puta Sanctorum Ambroſii, Baſilii, Chryſoſtomi, &c.

Feſta Patronorum ſecundariorum communiter cenſentur ſecundæ claſſis.

Secundò. In hunc ſecundæ claſſis gradum admittuntur communiter feſta Patronorum illorum, quos ſecundarios ſeu minùs principales appellavimus *cap. 7. lib. 1. quæſt. 5.* quales ſunt Turonis S. Lidorius & S. Martinus, Senonis S. Lupus, Pariſiis S. Marcellus & S. Genovefa, Andegavi S. Renatus, &c. Quales item in Religionibus ſeu Congregationibus habentur inſignes ac primarii Inſtituti profeſſores, puta S. Maurus, S. Placidus, & S. Scholaſtica apud Benedictinos : SS. Antonius de Padua, Bonaventura, Bernardinus & S. Clara apud Minores : S. Monica, S. Guillelmus, & S. Nicolaus Tolentinas apud Eremitas Auguſtinienſes. Nec obſtat quòd in Breviario Romano, Clementis VIII. authoritate recognito, Patroni ejuſmodi minùs principales in ſerie Duplicium duntaxat majorum per annum recenſeantur : per id enim juri eorum qui ſolemniori ritu coli pridem conſuevere, quidquam detractum fuiſſe, nemo juris hujus peritus judicabit ; ſed accreviſſe potiùs aliis, quibus vel humilior cultus quàm par erat, antea impendebatur, vel jam certus de novo eſt decernendus.

Aliqua item feſta Reliquiarum.

Tertiò. Admittuntur item nonnulla feſta Sanctorum, quorum Corpora integra aut Reliquiæ inſignes in propriis Eccleſiis quieſcunt, non ſine magna interdum ſignorum oſtenſione, ac frequenti populorum concurſu, uti Senonis S. Paulæ viduæ, & S. Victoris Martyris Thebaidos, Andegavi S. Serenedi Conſ. Doli S. Margaritæ Virg. & Mart. &c. Nonnulla dixi, quæ videlicet ex antiquo uſu receptaque pridem conſuetudine talia ſunt, aliàs nonniſi Duplicia per annum habenda videntur, ut ſequenti capite declarabitur. Idem eſto judicium de feſto Reliquiarum, quod alicubi quoque, ut Noviomi, ritu Duplicis ſecundæ claſſis celebratur.

Aliqua denique ex voto, fundatione & conſuetudine.

Quartò denique. Huc revocanda feſta quædam ex voto, fundatione, conſuetudine, aut alio quovis titulo (modò is ſit legitimus,) quæ in certis Eccleſiis ſolemniori ritu quàm Duplicia communia celebrantur, appellanturque proprio uſu, vel Solemnia, vel Succentoris, vel Quinque candelabrorum, &c. qualia ſunt in Eccleſiis Turonenſi, Andegavenſi, Cenomanenſi, Pictavienſi & pleriſque aliis feſtum Nominis Jeſu, & in Eccleſiis Senonenſi, Meldenſi &c. feſtum S. Dionyſii : in Rothomagenſi, S. Caroli Magni : in Andegavenſi, S. Juonis & S. Ludovici : in multis denique S. Martini, S. Mariæ Magdalenæ, S. Annæ &c. De quibus omnibus idem eſto judicium, quod de aliis primæ claſſis latum fuit *ſuperiore quæſt* 3.

CAPUT XI.

De Ritu duplicis per annum ſive majoris ſive minoris.

Diſcrimen duplicium primæ & ſecundæ claſſis ab aliis duplicibus inferioribus.

USitatior eſt Ritus iſte, & à Patrono ſeu Titulari aliiſque ſuprà memoratis, reliquis ferè omnibus feſtis propriis frequentiùs tribui ſolitus. In hoc autem differt à Ritu Duplicis primæ & ſecundæ claſſis, quòd non iiſdem gaudeat privilegiis, neque quoad occurrentiam, ut excludat commemorationem feſtorum ſimplicium, aut ſedem retineat in Dominicis primæ & ſecundæ claſſis ; neque quoad concurrentiam, ut præcedentis ullius aut ſequentis Officii commemorationem ſupprimat. Quòd verò inferioribus in concurſu præferatur, aut occurrens in Dominicis per annum locum ſervet, non privilegium eſt, ſed ratio communis omni Duplici. Imò quòd inter hujuſce ritus Duplicia alia aliis in concurſu præferantur, dicanturque inde illa majora, iſta verò minora, diverſum hacce differentia Duplicium genus conſtitui, pluribus argumentis negando definivimus contra Gavanti opinionem ſuprà *cap. 9. quæſt.* 4. Quamquam ut quibus id juris competat, faciliùs diſcernatur, de utriſque quæſtiones ſenſim proponentur.

QUÆSTIO I.

Quænam feſta propria inter Duplicia majora per annum recenſenda ?

Non omnes Sancti de quibus fit officium, ſunt Patroni.

PAtronos minùs principales recenſet ſeries Duplicium majorum ad calcem Rubricarum appoſita, in poſtrema recognitione Breviarii. At ambiguum, quinam ii ſint Patroni minùs principales ? An Sancti omnes, qui in aliqua Eccleſia ſeu loco peculiariter coluntur ? An certi aliqui tantùm ? Primum ſibi perſuadent plerique imperiti, de his perperam, nulloque adhibito diſcrimine judicantes, adeòque feſta quæcunque propria æqualibus aliis hoc titulo præferentes. Sed hos nequaquam moror, cùm manifeſtum ſit, non omnes Sanctos, de quibus Officium fit in aliqua Eccleſia ſeu loco, illius loci ſeu Eccleſiæ eſſe Patronos. Qui ſint tales, jam ſæpè aliàs definivimus, ii nimirum Sancti qui vel Eccleſiæ cuilibet nomen imponunt, vel toti alicui Diœceſi alterive loco, ſive perpetuo uſu ac traditione à majoribus accepta, ſive legitima electione recens facta præſunt, tamquam peculiares apud Deum interceſſores. Quo nomine venire etiam diximus Religioſorum Ordinum Inſtitutores, ac primarios Profeſſores. Inter quos omnes, (ubi plures eſſe contingit) unus in unoquoque genere principalis habetur, cui proinde Duplicis primæ claſſis ritum deberi docuimus cap. præcedenti. Reliqui utique minùs principales ii ſunt, quos in Duplicium majorum per annum ſerie collocandos Urbani VIII. recognitio præcipit.

Quod tamen haud obeſſe arbitror iis quæ poſtrema quæſt. capitis præcedentis à nobis aſſerta ſunt, de quibuſdam Patronis ejuſmodi in Duplicium ſecundæ claſſis ordinem vindicandis ; iis nimirum qui Eccleſiarum propriarum uſu legitimaque conſuetudine, in eo ſemper aut pari gradu habiti fuerunt. Non enim recognitionis hujus ſcopus eſt ut minuatur, ſed magis ut augeatur Sanctorum cultus Patronorum. Sic itaque exiſtimo, Patronos omnes minùs principales, qui altiorem ritum aliunde non obtinent, hoc ſaltem Duplicium majorum grado eſſe donandos. Nec verò illos tantùm, ſed ipſos quoque principales, qui

Patroni omnes minùs principales ſaltem in Duplicium majorum ordinem reponendi.

in pro-

in propriis locis non pluſquam Duplicium communium ritu hactenus culti fuere, ita ut quotquot univerſim Patroni habentur, defectu dignioris in hunc ſaltem ordinem ſint cooptandi, putà S. Urſinus, S. Sulpitius & S. Guillelmus Biturigibus; S. Mellonus & S. Audoenus Rothomagi; S. Evurtius & S. Anianus Aureliis, &c. Quin ſi ru dicti mei rationem aliquam exigas, placere hæc debet. Cùm ut plurimùm feſta hujuſmodi in propriis locis de præcepto ſint æquè ac feſta Apoſtolorum, æquiſſimum videri, ut aliis non majoribus in concurſu Veſperarum præferantur, quæ tota eſt hujuſce ordinis ratio ſeu prærogativa.

Item & principales, ubi altiorem ritum non obtinent.

QUÆSTIO II.

An ad hunc quoque ritum pertineant feſta ſecundaria Patronorum?

RETuli ſuprà *quæſt. 4. & 7. cap. præcedentis* nonnullarum Eccleſiarum exempla, apud quas feſta Inventionis, Translationis, & ſimilia ritu primæ & ſecundæ claſſis agi conſueverunt. Stent illa ut ſunt, ſed annon alia, majora ſaltem per annum cenſenda ſunt? Nodum hunc ſolvent tibi verba iſta *Rubr. 9. de Concurrentia Officii, num.* 2. ubi inter feſta hæcce majora, aliis minoribus per annum præferenda, numerantur quoque *feſta illorum Sanctorum, qui in propriis locis vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur*. Nam cùm vox iſta *Solemniter* in comparativo ſenſu hìc accipiatur, quatenus videlicet major ſolemnitas (in quocunque tandem ea conſiſtat) in feſtis illis propriis adhibetur, quàm in aliis feſtis ejuſdem alioqui cum illis ordinis; conſequens profectò eſt ut ea omnia feſta, in quibus adhibetur major ejuſmodi ſolemnitas, vi Rubricæ hujus majora cenſeantur.

Feſta in quibus adhiberi ſolet major ſolemnitas, in duplicium majorum numero habenda.

Hincque adeò majora cenſenda ſunt in Eccleſia Senonenſi Translatio SS. Saviniani & Potentiani. In Turonenſi Revelatio S. Gatiani, & Exceptio Reliquiarum S. Mauritii. In Eccleſia S. Martini ibidem Reverſio, Subventio, & Translatio capitis ejuſdem Sancti. In Aurelianenſi Apparitio S. Crucis, & Translatio utraque S. Mamerti. In Cenomanenſi Translatio ſecunda S. Juliani &c. In quibus verò feſtis talis major ſolemnitas non adhibetur, ea nonniſi Duplicia minora cenſenda ſunt, ut in Eccleſia Pariſienſi Inventio S. Dionyſii, Translatio S. Marcelli: in Pictavienſi Translatio S. Hilarii: in Andegavenſi Translatio S. Maurilii: in Nannetenſi Translatio SS. Donatiani & Rogatiani, &c. Imò ſi quæ ſemiduplicia dumtaxat fuerint, ut in Turonenſi Translatio S. Lidorii, in Dolenſi Ordinatio S. Samſonis, in Andeg. Receptio brachii S. Mauritii, in Aurel. Translatio S. Evurtii & S. Aniani, &c. non videntur ea ad altiorem gradum promovenda; & in hoc cum Gavanto convenimus *ſect. 3. cap. 3. num. 4.*

Confirmatur exemplis.

QUÆSTIO III.

An alia item præter ſuperiora.

QUæri poteſt primò. De feſtis Sanctorum quorum habentur inſignes Reliquiæ: nam de his Duplex minus dumtaxat faciendum decrevit Sacra Rit. Congr. 23. *Novembris* 1602. Dici tamen poteſt Decretum iſtud haud officere, ne majora habeantur, quæ uſu pridem recepto ſolemniter celebrari conſuevere, juxta citata quæſt. præcedenti Rubricæ 9. verba.

Feſta Reliquiarum inſignium poſſunt eſſe duplicia majora.

Secundò. De feſtis SS. Epiſcoporum & aliorum naturalium, par reſponſio ac præcedenti quæſt. nimirum ea eſſe cenſenda, quibus major utique quàm aliis ſolemnitas impenditur modo explicato; quibus verò non impenditur talis ſolemnitas, non item.

Feſta aliqua Sanctorum naturalium.

Guyet. Heortologia.

Tertiò. An feſta Chriſti Domini, B. Mariæ, Angelorum & Apoſtolorum? Utique, ſi quæ propria alicubi habeantur, uti multis in locis feſtum Nominis Jeſu, & Suſceptio S. Coronæ, feſtum item B. Mariæ Pietatis ſeu Compaſſionis, Deſponſatio ejuſdem, Nannetis, Attrebati, &c. feſtum S. Gabrielis Archangeli, Nannetis itidem, Andegavi, Pictavis, in Ordine Minorum, &c. Translationes Apoſtolorum, ubicumque de iis fit Officium duplex (fieri autem decere, ſi fortè celebrentur, dicemus poſtmodum.) Ratio dicti hujus eſt, quòd iis feſtis æquè conveniat atque aliis in Calendario deſcriptis Rubrica illa, *Inter feſta æqualis ſolemnitatis ſervetur hic ordo, ut feſta Domini, &c. Rubr. 11. num.* 2. Nec urget admodum quod opponi poteſt de Commemoratione S. Pauli, & feſto SS. Angelorum Cuſtodum, inter Duplicia minora dumtaxat repoſitis; jus enim eſt hoc utrique illi feſto proprium, quod in Communis præjudicium, citra ampliorem declarationem fas non eſt extendere.

Feſta propria Chriſti Domini, B. Mariæ, Angelorum, & Apoſtolorum.

Quartò. Feſtis omnibus quæ de præcepto ſunt, contendunt aliqui eo ipſo deberi jus illud Duplicium majorum, ut videlicet in concurſu æqualibus præferantur; favetque iis uſus Eccleſiarum Rothomagenſis & Andegavenſis, in quarum Breviariis ejuſmodi feſta omnia in Duplicium majorum ſerie deſcribuntur. At repugnat evinciteque penitus unum Breviarii Romani exemplum, in quo feſtum SS. Fabiani & Sebaſtiani rubeo charactere, more feſtorum de præcepto, deſignatum, ſecat nihilominus Veſperas cum ſequente S. Agnetis: quod argumento eſt majus nequaquam haberi.

Non omne feſtum, quod eſt de præcepto, ideo cenſendum Duplex majus.

Quintò. Futile eſt, quod ſuggerunt nonnulli à Gavanto rejecti *ſect. 3. cap. 2. num.* 8. majora Duplicia, dici feſta Canonizatorum præ feſtis Beatificatorum, quæ dumtaxat minora ſunt. Futile inquam illud eſt, tum quia nullibi legitur hæc diſtinctio; tum quia licet Beatificati (quæ mea etiam opinio eſt) non poſſint, niſi concedente expreſsè Pontifice, ad gradum primæ vel ſecundæ claſſis provehi; ex quo tamen duplex Officium de iis conceſſit Pontifex, nihil refert ad ejuſmodi conceſſionem, ſitne majus vel minus per annum, cùm ex dictis ſuperiùs non ſint duo illa diſtincta Duplicium genera, ſed unum dumtaxat; nec aliunde vetitum ſit, Beatificatos, ſi res ferat, in concurſu Canonizatis anteponi: abſque controverſia anteponuntur iis, quorum Officium eſt tantùm ſemiduplex, aut ſimplex.

Feſta propria Sanctorum Canonizatorum, non eo nomine majora ſunt præ feſtis paribus Beatificatorum.

QUÆSTIO IV.

Quænam feſta propria in Duplicium minorum ordinem referenda?

REſpondeo, reliqua omnia à ſuprà recenſitis, ſive in prima & ſecunda claſſe, ſive inter majora per annum, reliqua inquam omnia, *quæ apud quaſdam Eccleſias, Religiones, vel Congregationes conſueverunt ſolemniter celebrari*, ait Rubr. 1. de Officio Duplici *num.* 1. qualia ſunt.

Primò, feſta Sanctorum cujuſque Sedis Antiſtitum, ſive omnium quotquot habentur, ut in Eccleſiis Senonenſi & Andegavenſi, quem morem æmulata eſt Eccleſia Aurelianenſis, in poſtrema ſui Breviarii recognitione; ſive aliquot dumtaxat celebriorum, ut in Pariſienſi S. Germani, in Carnutenſi S. Leobini, in Meldenſi S. Faronis, in Pictavienſi S. Victorini & S. Fortunati, &c. quæ ratio mihi Romano uſui conformior videtur, in quo præter S. Gregorium Doctorem duo tantùm Pontifices Romani, S. Silveſter & Sanctus Leo, duplici ritu inſcribuntur.

Duplicia minora ſunt feſta Sanctorum Epiſcoporum loci.

Secundò, feſta Sanctorum loci naturalium, aut

Item feſta Sanctorum naturalium inſigniorum.

vicinorum, aut affinium, non omnium quidem, ſed inſigniorum aliquot, puta S. Quintini mart. Noviomi, S. Columbæ Senonis, S. Martialis in Aquitania, S. Juliani Cenomanenſis & S. Germani Antiſſiodorenſis in multis Galliæ Eccleſiis, &c.

Item feſta ſecundaria Patronorum.

Tertiò, Translationes, & alia feſta ſecundaria Patronorum, quæ in propriis Eccleſiis, nec ollius ſunt claſſis ſeu majora, nec etiam ſemiduplicia, ut Translatio S. Martini in Eccleſia Turonenſi, Translatio S. Marcelli in Pariſienſi, Translatio S. Maurilii in Andegavenſi, &c.

Feſta Sanctorum propriorum ordinis apud Regulares.

Quartò, apud Regulares feſta Sanctorum propriorum Ordinis, quæ ſimiliter majori ritu non conſueverunt celebrari, ut ſunt in Monaſtico SS. Romualdus, Petrus Cœleſtinus, Joannes Gualbertus, &c.

Feſta ex voto ſeu Fundatione.

Quintò denique feſta quæ ex voto publico ſeu fundatione aliqua hocce ritu pridem celebrari conſuevere, puta S. Alexii in Eccleſia Turonenſi, S. Mauderi Abbatis in Bitoricenſi, S. Barbaræ multis in Eccleſiis, ut ex citatis Rubricæ verbis liquet. Quoniam verò horum omnium potiſſima ratio ea eſt, quòd conſueverint ejuſmodi feſta ſolemniter celebrari, quis horum verborum legitimus ſit ſenſus, propoſita ſeorſim quæſtione juvat expendere.

QUÆSTIO V.

Quid ſit feſtum aliquod conſueviſſe ſolemniter celebrari?

HUc revoca quod dictum eſt *lib.* 1. *cap.* 13. *quæſt.* 4. ſolemne dici feſtum id omne, quod ſtato die ſolet in anno celebrari, ſic ut nunquam omittatur, ſive de eo fiat die proprio, nimirum eo quo in Calendario ſignatum habetur, ſive alio conſequenti, ſi quando illud transferri contingit; qua ratione ſemiduplex perinde ſolemne dicitur atque duplex. Quia verò conſequens illud eſſe docuimus, ut quo firmiùs ſtant feſta in ſuo die, ab eoque difficiliùs amoventur, eo ſolemniora quoque cenſeri; hinc proculdubio petenda eſt major duplicis ſolemnitas quàm ſemiduplicis, quòd videlicet feſtum ſemiduplex occurrens in quacumque Dominica transferatur, duplex non item, ſed de eo fiat in Dominicis per annum. Quæcunque ergo feſta in propriis locis ſeu Eccleſiis ejuſmodi ſunt, ut de iis occurrentibus in Dominicis per annum fieri conſueverit, ea protinus Duplicia eſſe debere ſuadet præfatus Rubricæ textus. Quare in iſtis conſulenda eſt cujuſque Eccleſiæ conſuetudo, modò tamen ea ſit legitima, iiſque inſtructa conditionibus, quas deſcripſimus *loco cit. quæſt.* 5. Ubi autem nulla eſt conſuetudo, nihil de novo in ſupra memoratis feſtis privata authoritate ſtatuendum, ſed conſulenda prorſus Sacra Rit. Congr. prout fert ipſius Decretum *die* 8. *Aprilis* 1628. aut ipſi locorum Antiſtites, ubi receptus non eſt Breviarii Romani uſus.

Feſta quo firmiùs ſtant in ſuo die eo ſunt ſolemniora.

QUÆSTIO VI.

Quid de feſtis Sanctorum, quorum habentur Reliquiæ?

Inſignis Reliquia exigit officium duplex; notabilis verò non inſignis ſemiduplex, exigua, nullum.

DE Sancto cujus habetur inſignis Reliquia, conceſſit fieri Officium duplex minus Sacra Rit. Congreg. 23. *Nov.* 1602. Inſignem autem Reliquiam eadem Congregatio declaravit eſſe caput, brachium, crus, aut illam partem corporis in qua paſſus eſt Martyr, modò ſit integra & non parva, & legitimè ab Ordinariis approbata. Quæ verò notabilis eſt, nec tamen inſignis, qualem deſcripſimus *lib.* 1. *cap.* 9. *quæſt.* 2. ea ſemiduplex duntaxat Officium exigit, ex mente Gavanti *ſect.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. cui facilè aſſentior. De exiguis denique nec uſus nec authoritas ullum admittit Officium.

Conſuetudo Eccleſiarum ſervanda, quoad feſta Reliquiarum.

Hæc autem ſic concluſa velim, nihil ut præjudicii afferant conſuetudini legitimæ Eccleſiarum, apud quas feſta quædam ob Reliquias inſignes ſolemniori ritu celebrari mos eſt, puta duplicis primæ vel ſecundæ claſſis, ſeu majoris per annum, prout ſuprà ſuis quibuſque locis adnotavimus. Nec item aliarum quæ aliqua ejuſmodi ſemiduplici duntaxat ritu celebrant, quod uſitatum maximè obſervavi in Eccleſia Senonenſi, in qua feſta SS. Macarii Abbatis, Siviardi item Abbatis, Colloquilli Regis, SS. Cantii, Gervaſii & Protaſii, Felicis & Feliciſſimi Mart. tantùm ſemiduplicia ſunt, licèt ipſorum omnium inſignes ſatis habeantur Reliquiæ. Præſtat in his cuilibet rationi uſus cujuſque Eccleſiæ proprius.

QUÆSTIO VII.

An Officium diei currentis ex occaſione fieri poſſit Duplex, cum ex ſe tale non eſt?

Uſus particularis Eccleſiarum Pariſienſis & Aurelianenſis.

EXemplum habes in Eccleſia Pariſienſi, ubi *die* 18. *Auguſti* fit Officium Duplex, de die infra Octavam Aſſumptionis, ob memoriam Victoriæ Regis Philippi Valeſii de Flandris reportatæ. Itidem in Eccleſia Aurelianenſi *die* 8. *Maji*, de die infra Octavam Inventionis S. Crucis, ob liberationem urbis ea die factam ope Joannæ puellæ. Utuntur ſuis juribus ambæ illæ Eccleſiæ, quibus nihil derogatum volo. At quibus incumbit Officium ritu Romano perſolvere, nequaquam id fas eſſe pronunciaverim, ob id vel maximè, quòd ſimiliter de Dominica, imò & de feria poſſet in pari occaſione fieri Officium Duplex, quod abſurdum omnino atque inauditum eſt. Communis verò uſus ac legitimus hoc habet, ut pro ejuſmodi Gratiarum Actionibus Miſſa votiva de Trinitate, aut alia ſimilis ſolemniter celebretur, eo ipſo die, quo beneficium olim acceptum fuit, aut res memorabilis contigit; addita item ſi lubet Proceſſione ſolemni.

Uſus Romanus contrarius.

QUÆSTIO VIII.

An feſtum omne quod in præcepto eſt, eo vel nomine fieri debeat Duplex?

PRo rato habent plerique anticipata quadam opinione magis quàm certa rationis regula inducti, feſtum omne, quod in propriis quibuſque locis feſtivatur in foro, ut ajunt, ſeu quod non tantùm à clero quoad Officium divinum, ſed & à populo, impoſito ab operibus ſervilibus abſtinendi præcepto, ſervatur, fieri debere Duplex. Quæ tamen lex cùm nullibi Rubricarum ſcripta reperiatur, nullius quoque roboris mihi habenda videtur. Fateor quidem vix ferè aliter ullibi contingere, ut quæ feſta ſunt in præcepto, eadem non æquè duplicia ſint; ſive quia talia ſignantur in Calendario Romano, ſive quia Patronorum ſunt, aut aliorum ejuſmodi quos legitimo titulo ritu duplici celebrari debere diximus. At nego feſtivationem ſeu cultum illum publicum id ex ſe præciſè exigere. Hoc enim ſi verum eſſet, Dominicæ omnes, cùm hac ex parte feſtis quibuſcunque feſtivatis præſtent, duplici quoque ritu fuiſſent donandæ, & tamen nonniſi ſemiduplices ubique habentur.

Feſtivatio publica ex ſe non exigit officium Duplex.

Dominicæ quamvis feſtivæ, non ſunt niſi ſemiduplices.

Adde quòd in aliquibus adhuc Diœceſibus feſta quædam ſunt in præcepto, quæ tamen in Calendario proprio non pluſquam ſemiduplicia notantur, ut Turonis feſtum SS. Fabiani & Sebaſtiani, Converſionis S. Pauli Apoſtoli, & Inventionis S. Crucis; Macluviopoli feſtum Sancti

Feſta aliqua ſemiduplicia in propriis Calendariis feſtivata.

Nico-

Nicolai, imò & quod ejus loci propriom eſt S. Mevenni Abbatis: cojus rei ratio mihi hæc opportuniſſima afferri poſſe videtur, quòd nimirum pauca eſſent olim feſta duplicia, (uti ſequenti quæſt. declarabitur) nec alia ferè quàm ſolemniſſima Chriſti Domini, B. Mariæ, & SS. Patronorum; reliqua verò quæ non adeò ſolemnia erant, ſed quæ tamen cum 9. lectionibus fieri, ac publico etiam cultu pleraque inſtar Dominicarum obſervari conſueverant, qualia recenſet Durandus *libr. 7. cap. 1. num.* 33. feſta SS. Andreæ, Nicolai, Luciæ, Thomæ Apoſtoli, & alia plurima, ea 9. lectionum titulo communiter inſcripta erant, vel ut ipſemet Durandus expreſsè appellat, *ſemiduplicia*, quæ aliter etiam *Dominicalia* in quibuſdam antiquis Calendariis dicta reperi, quòd, ut ait Radulphus Tungrenſis *propoſit.* 18. *ſicut Dominica de Veſpera in Veſperam inofficiarentur*. Ac licèt poſtmodum feſta 12. Apoſtolorum, 4. Evangeliſtarum & 4. Doctorum, ex Bonifacii VIII. Decreto, Cap. *Glorioſus, in ſexto, de Reliq. & veneratione Sanctorum*, duplicia ubique facta fuerint, cætera tamen, putà SS. Fabiani & Sebaſtiani, S. Vincentii, S. Georgii, &c. imò & ſecundaria Apoſtolorum, nimirum Cathedra S. Petri, Converſio S. Pauli, S. Joannis ante portam Lat. & Decollatio S. Joannis Bapt. item Inventio & Exaltatio S. Crucis, quæ multis in locis ſervantur à populo, nonniſi ſemiduplicium ritum, uti olim, ſtante licèt feriandi præcepto retinuere.

Durandus.

Feſta ſemiduplicia ſeu Dominicalia.

Radulphus Tungr.

Ex quibus videas, quàm vera ſit mea iſta aſſertio, publicæ feſtorum feriationi ut ſic, haudquaquam imoendendum eſſe duplicis ritum, niſi alio ex capite ipſis debeatur. Nec contrarius eſt mihi Gavantus *ſect.* 2. *cap.* 2. *num.* 29. ubi explicans adverbium illud *ſolemniter*, inter cauſas cur fiat de aliquo feſto, recenſet feſtivitatem populi; nullatenus enim ibi determinat, ſitne duplex an ſemiduplex; ſed tantùm in genere, de feſto ſic feriato faciendum eſſe Officium, quod & ultro conceſſerim. At ideo præcisè faciendum eſſe duplex, nec ille mecum, nec cum illo ego, ſtante jure ut eſt, unquam aſſeram. Imò aſſerit ille eo ipſo loco *numer.* 26. *non ideo faciendum Officium, quia feſtum populi eſt de præcepto, vel conſuetudine, quod poteſt eſſe ſine Officio, ut Romæ feſtum S. Rochi*. Quo item ſenſu locutus eſt Radulphus Tungr. prop. 57. cum ait, *Sub novem lectionibus Sancti venerantur, vel quia à Clero & populo celebrantur, vel quia habent duplicia feſta, &c.* ubi clarè legis aliqua feſta à populo obſervata non eſſe duplicia, ſed tantùm novem lectionum, hoc eſt noſtro ritu ſemiduplicia.

Gavantus.

Radulphus Tungr.

QUÆSTIO IX.

Praſtetne plura eſſe feſta propria Duplicia?

Coincidit ferè quæſtio hæc cum quæſtione 19. capitis 1. libri 1. cui titulus, *Sitne è re vel dignitate alicujus Eccleſiæ, ut pluribus abundet feſtis propriis*; quo fit ut iiſdem quoque ferè modis hìc reſpondeam.

Ajo itaque inprimis, in nullo magis Eccleſiæ alicujus decus eminere, quàm ſi talibus Sanctis referta ſit, quorum celebritas Duplicis gradum, quocunque tandem legitimo ſibi titulo vindicet; cujuſmodi ſunt Sancti plurimarum Sedium Antiſtites, aliique locorum Naturales inſignioris notæ, aut quorum inſignes habentur Reliquiæ. Item primarii Ordinum Profeſſores, aut Inſtauratores, quorum omnium dignitati, ac ritus, quem in ſuis quique Eccleſiis locisve obtinent, præſtantiæ quantum nihil nos detractum eſſe velimus, quæ præcedentibus quæſtionibus definita ſunt, ſatis ſuperque demonſtrant, nullam adeo ut exprobrationem hac ex parte metuamus.

Facit ad Eccleſiæ alicujus decus, ſi multa habeat feſta propria duplicia.

At nec ipſe quoque verebor, multorum hìc, inſcitiamne dixerim an incuriam, accuſare, quorum ſtudium omne eſt in obtrudendis coacervandiſque opportunè importunè duplicibus, fortè prolixioris feriæ tædio magis, quàm pio erga Sanctos ipſos affectu. Ut ut ſit, auſcultent quis ſit juris hujus peritorum ſenſus ſuper hac re, voxque communis.

Inſcitia eſt aut incuria coacervantium feſta duplicia.

Durandus *libr. 7. Rationalis cap.* 1. enumeratis, quæ per totum anni curſum publico cultu etiam à populo celebrandæ ſunt, feſtivitatibus; ſingularum ritum in Officio ſervandum recenſens, hæc dumtaxat inter duplicia collocat, Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Joannis Evang. Circumciſionis Domini, Epiphaniæ, Purificat. Annunciationis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Sancti Joannis Baptiſtæ, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, S. Laurentii, Aſſumptionis Beatæ Mariæ, Nativitatis, & Dedicationis Eccleſiæ; & hæc quidem duplicia majora appellat: minora verò, fer. 2. & 3. infra Oct. Paſchæ & Pentec. Converſionem Sancti Pauli, & Oct. Apoſtolorum Petri & Pauli, & Aſſumptionis, & quodlibet feſtum, quod unaquæque Eccleſia duplex ordinaverit celebrari: reliqua verò S. Andreæ & aliorum Apoſtolorum, S. Mariæ Magdalenæ, SS. Nicolai, Martini, Luciæ, Agnetis, &c. inter ſemiduplicia reponit, (nondum videlicet edito Bonifacii VIII. Decreto, de feſtis Apoſtolorum & Doctorum in duplicium ordinem referendis.) Fate quæſo, hocne eſt abundare feſtis duplicibus?

Durandus pauca recenſet feſta duplicia.

Radulphus Decanus ille Tungrenſis, cujus verba retulimus *libr.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 19. copiosè tractans *propoſit.* 17. quinam Sancti in Calendario ſint inſcribendi, hæc habet. Primò, non omnes æquali eſſe veneratione colendos, ſed alios ſub ſimplici commemoratione, alios ſub 3. lect. & alios ſub novem. Secundò, ſub novem lectionibus obſervandos, qui à Clero & populo celebrantur, & qui duplex habent feſtum, cujuſmodi enumerat feſta Chriſti Domini & Beatæ Virginis, Inventionis S. Crucis, 12. Apoſtolorum, Nativit. S. Joannis Baptiſtæ, Converſionis S. Pauli, Cathedræ S. Petri, & ejuſdem Vincula, S. Martini, S. Nicolai, S. Magdalenæ & S. Catharinæ: item Exaltationis S. Crucis, Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, Barnabæ Apoſtoli, SS. quatuor Evangeliſtarum & quatuor Doctorum, quæ ex Conſtitut. Bonifacii VIII. uti feſta principalia Apoſtolorum ſub duplici Officio celebrantur; SS. Fabiani & Sebaſtiani, Clementis Papæ, Georgii Mart. Dionyſii & ſoc. Mart. Benedicti Conf. Agnetis, Agathæ, & Cæciliæ, quibus addit alia quædam ex ſtatutis Leodienſium & Colonienſium. Tertiò, his præterea addenda decernit Sanctorum cujuſque Diœceſis feſta propria, ſic tamen ut diſcretio magna ſuper hoc adhibeatur, *adhibita videlicet*, verba ſunt ipſius, *ut non faciliter multa ſub novem lectionibus acceptentur*: laudatque eo nomine Colonienſes ipſos ac Leodienſes, Carthuſienſes item, Ciſtercienſes ac Prædicatores, quòd paucas haberent feſtivitates ſpeciales. Quartò, objicit ſibi contrarium Fratrum Minorum uſum; quem multis reprobat, utpote ab antiquo Romano ordine prorſus aberrantem; ſubditque in eam rem, quæ aliàs ex ipſo retulimus, de comparatione feriarum ad Dominicas, & Diſcipulorum ad Apoſtolos, ſic demum concludens, *Non enim Sancti Dei appetunt laudes indebitas, ſed ut rationabile fiat obſequium noſtrum*. Quintò. Deinceps enumerat feſta, quæ vel ſub tribus lectionibus, vel etiam ſub ſimplici commemoratione fiunt, tam ex uſu generali quàm particulari cujuſque Diœceſis; laudatque ſub finem Carthuſienſes & Teutonicos, qui propter Officium de Tempore, quod Dei ſummi Officium appellat, paucos Sanctorum ſub feſtivitate & tribus lectionibus obſervant.

Radulphus cenſet rara eſſe debere feſta duplicia.

Micro-

Micrologus.

Micrologi authorem (quiſquis ille ſit) quingentis annis antiquiorem, & à Pamelio magnopeſè laudatum, Radulpho adjungimus. Hujus verba ſunt hæc cap. 62. & ultimo : *Juxta Romanam conſuetudinem, in omni Dominica Eccleſiaſtico conventui, cum Officio Dominica ſatisfacimus, niſi aliqua multum celebris feſtivitas in ipſa die occurrat, ut feſtum S. Joan. Bapt. vel S. Petri Apoſtoli, pro quibus non minus quàm pro Dominica populus ſolet congregari*. En tibi veram, genuinamque duplicium indolem, ut videlicet talia ſint, quæ parem diei Dominicæ populi conventum exigant. Et verò annon illud æquiſſimum eſt, quandoquidem & ipſa duplicia Dominicis præferuntur? Vides autem ex allegatis S. Joannis Baptiſtæ & S. Petri feſtis, quàm non infimi ordinis ac meriti debeant eſſe Sancti, de quibus fit Officium duplex. Scio quidem ab hac tam ſtricta regula in multis hodie eſſe diſpenſatum; at manere ſemper debet propior quantum fieri poteſt ad ipſam acceſſio.

Vera Duplicium indoles.

Solvitur objectio.

Ergo, inquies, etiam nunc juxta hanc regulam omnia duplicia in præcepto eſſe debent, (quo utique populus in iis uti in Dominico die conveniat) & è converſo nulla duplicia niſi de præcepto, contra id quod præcedenti quæſtione definitum fuit. Reſpondeo nulla quidem fuiſſe olim duplicia quæ ſimul non eſſent de præcepto, pauca nimirum, ut dictum eſt, erant nec niſi ſolemniſſima. At multa erant 9. lectionum non duplicia, de quibus etiam fiebat in Dominica: poſtremis verò temporibus, videlicet à Pii V. reformatione, nulla quidem feſta fiunt in Dominica, niſi ſint ipſa duplicia; ſed multa duplicia ſunt, quæ nullatenus in præcepto habentur; quod ideo factum puto, quia de quibuſcunque olim fiebat in Dominica, ſatius viſum eſt, ad pleniorem rituum concordiam ea deinceps duplicium ordini adſeribere : ſicque non valet argumentatio propoſita contra facta hactenus authoritate majorum, ſed contra ea dumtaxat, quæ ab aliis jus non habentibus, temerè tentata in uſum quotidie inducuntur.

Ratio cur multa duplicia non ſint jam de præcepto.

Probatur aſſertio ex uſu multarū Eccleſiarum.

Sed nihil æquè ſenſum hunc confirmat atque uſus perantiquus multarum inſignium Eccleſiarum, puta Turonenſis, Rothomagenſis, Pariſienſis, & aliarum, in quarum veteribus, imò & recentioribus etiam Calendariis, præter jam nominata feſta Chriſti Domini, Beatæ Mariæ, Michaelis Archangeli & Joannis Baptiſtæ, Natalitia 12. Apoſtolorum, quatuor Evangeliſtarum & quatuor Doctorum, SS. Innocentium, SS. Stephani, Laurentii, Martini, Nicolai, Mariæ Magdalenæ, Annæ, Catharinæ, pauca eſt reperire duplicia propria, nec alia ferè niſi præcipua Patronorum, aut Reliquiarum. Quin & in uſitato etiamnum Conſtantienſe Breviario, Natalitia Apoſtolorum, aliaque præfata mox feſta Sanctorum, nonniſi ſemiduplicia inſcribuntur; adeò non erant illæ olim Eccleſiæ, nec verò ſunt adhuc ritus illius ſolemnioris prodigæ.

Breviarium Conſtantienſe.

Duplicia rara eſſe debent, quia rarus debet eſſe ſplendidior chori apparatus.

Neque id cuiquam mirum videri debet, nam cùm ratio duplicis in majoribus illis inſignioribuſque Eccleſiis, quemdam Paramentorum, Altaris, Campanarum, Luminarium, Incenſi, Capparum, cantus muſici & ſimilium ſumptum exigat, hunc nec impenſæ majores, nec vilitatis metus, ſi frequentiùs promatur quod pretioſum eſſe debet, multiplicare ſinunt. At minoribus Eccleſiis, in quibus Chori ordo idem ſemper exiſtit, nec pro Officii dignitate niſi ſolemnioribus diebus auctior adhibetur, nedum impenſæ obſunt ne multa congerantur feſta duplicia, ut ad id magnus ſit aculeus ipſa inde proveniens penſi brevioris exolutio. Verùm ex tam fraudulento commodo diviniorum Officiorum ordinationem peti debere, nemo ſapiens non minùs quàm pius arbitrabitur.

Gavanti authoritas.

Accedit denique Gavanti, quò recentior, eò gravior hac in parte authoritas. Hic itaque Comment. in Rubr. Brev. *ſect.* 3. *cap.* 2. 3. & 4. feſtorum cujuſque ordinis numerum iniens, recenſet duplicia primæ claſſis in univerſali Eccleſia 18. ſecundæ 22. majora per annum 56. minora 35. Duplicia univerſim, 98. Semiduplicia ultra 40. computatiſque Dominicis & diebus infra Octavas 130. Simplicia denique ſupra centum; qua ex ſupputatione id demum conficit, ut quo ſunt feſta excellentioris ordinis, eo rariora ac pauciora numero eſſe debeant; ſicut è contra quo humilioris, eo frequentiora. Unde cap. 6. poſtquam dixit occurrere per annum Officium feriale ferè quadragies, ſtatim ſubdit, haud expedire hunc amplius numerum minui, nimirum *pretioſum omne dicitur, quod rarum eſt*, ait S. Hieronymus ad illud 1. Reg. 3. *Sermo Domini erat pretioſus*, id eſt, rarus & infrequens : quæ autem obvia ſunt & plurima, vileſcunt; & ex Tertulliano, *libr. de habitu mulierum cap.* 7. *ſemper abundantia contumelioſa in ſemetipſam eſt. Apud barbaros quoſdam, quia vernaculum eſt aurum & copioſum, auro vinctos in ergaſtulis habent, & divitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores.*

Quæ pretioſa ſunt rariora eſſe convenit.

Tertullianus.

CAPUT XII.

De Ritu Semiduplici & Simplici.

Reliqui ſunt hi duo Ritus omnium infimi; cujus utriuſque naturam jam ex parte deſcripſimus, ſuprà *cap.* 9. *quæſt.* 2. Addendum verò feſtum Semiduplex dici & eſſe ſolemne perinde ac Duplex, quatenus nunquam in anno omittitur: impeditum ſiquidem die ſuo, ſemper in alium transfertur; ſed quoniam non tam firmiter ſuo loco ſtat, removeturque à quacunque Dominica, certiſque Octavis; ideo cùm aliunde, tum ex hoc capite, non tam ſolemne eſt quàm duplex.

Feſtum ſemiduplex eſt ſolemne.

Simplex verò nequaquam eſt ſolemne, cùm enim impeditur die ſuo, non in alium transfertur, ſed vel tranſit in ſolam commemorationem, vel etiam interdum penitus omittitur, ut in duplici primæ claſſis, ſicque non fit de eo quotannis.

Simplex non eſt ſolemne.

Porrò cujuslibet ſive Semiduplicis ſive Simplicis haud ſunt diverſæ ſpecies, ſicut Duplicis, ſed quod ad noſtrum inſtitutum ſpectat unica eſt ratio. Nam licèt & Dominica, & Octava ad rationem Officii ſemiduplicis pertineant, ut & Vigilia & Feria ad rationem ſimplicis; non tamen ſolet Dominica feſtum appellari, prout videlicet feſtum opponitur Officio de Tempore : Octava verò, non feſtum, ſed continuatio feſti eſt, de qua ſequenti capite, ut & de Vigilia, ſi aliqua fortè alicubi fiat. Feria denique cùm nonniſi deficiente feſto locum habeat, nullus de ea nobis, ſicut nec de Dominica, ſermo hic eſſe debet.

Dominica non dicitur feſtum.

Octava non feſtum, ſed feſti continuatio eſt.

QUÆSTIO I.

Quænam feſta propria ritu ſemiduplici ſunt celebranda?

Celebrari enim aliqua, nec uſus Eccleſiarum, nec Rubrica ipſa de Officio ſemiduplici ſinit dubitare. Quænam verò illa ſint, haud illico planum eſt definire, id unùm aſſerente Rubrica, *In feſtis propriis quorumdam locorum ſeu Congregationum, quæ ſolemnius apud illas, quàm ſimplicia conſueverunt celebrari*. Niſi tu, *ſolemniter celebrari*, in eo ſenſu accipias, quem modò declaravimus *quæſt.* 5. *capitis præcedentis*, ut videlicet idem ſit, quod ſtato quotannis die feſtum aliquod

ſemper

Digitized by Google

ſemper celebrari, ſive proprio, ſive eo impedito, alio primùm occurrente libero, adeò ut numquam omittatur, aut ſolâ Commemoratione peragatur.

Aliqua feſta trium lectionum olim ritu feſtorum novem lectionum celebrata.

Ejuſmodi erant in nonnullis antiquis Breviariis feſta aliqua, trium illa quidem lectionum ſeu ſimplicia, ſed quæ nihilominus occurrentia infra Octavas, vel in Dominica, haberent Officium, aut certè ſuo die impedito, in alium transferrentur; quin & in iis ſervabatur interdum Ritus Chori, more feſti 9. lectionum; unde etiam in antiquo Pariſienſi inſcripta leguntur, 3. *lectionum quaſi novem*. Et hæc quidem ad formam Romanam reducta, ſemiduplicia in primis cenſenda eſſe præfatus Rubricæ textus evincit.

Feſta Sanctorum loci naturalium ſemiduplicia.

Sunt item ex feſtis propriis in hunc ſemiduplicium ordinem referenda. Primò feſta Sanctorum Epiſcoporum, aut aliorum loci naturalium, qui aliis præcedenti cap. quæſt. 4. deſcriptis, fama ac nominis celebritate inferiores ſunt. Tales habentur in Eccleſia Rothomagenſi SS. Hugo, Gildardus, Victricius, & Evodius Archiepiſcopi, S. Vandregiſillus Abbas, S. Auſtreberta virgo. In Pariſienſi S. Landericus & S. Ceraunus Epiſcopi, S. Juſtinus, & S. Lucanus Martyres, S. Clodoaldus & S. Severinus Confeſſores. In Pictavienſi S. Anthemius Epiſcopus, Sanctus Maxentius Abbas, SS. Agnes & Diſciola Virgines, &c.

Feſta item ſecundaria Patronorum

Secundò: Translationes, & alia feſta ſecundaria ſive Patronorum, ſive aliorum feſtorum propriorum, quæ nec adeò celebria ſunt, ut Duplicis ritum exigant, nec verò etiam omitti aut ſimplici commemoratione obiri conſueverunt; quales habentur in Breviario Bituricenſi Translatio Sancti Urſini, in Pariſienſi S. Genoveſæ Ardentium, in Aurelianenſi Translatio S. Evurtii, & Sancti Aniani, &c. Conſentit Gavantus adducto exemplo Inventionis S. Stephani, *ſect.* 3. *cap.* 3. *num.* 4.

Gavantus.

Item de Reliquia non inſigni.

Tertiò: Addit idem Gavantus, cui & nos ſæpè ſuprà, & nunc facilè aſſentimur, de Sancto cujus Reliquia non inſignis habetur.

Item feſta Sanctorum naturalium regni ſeu Provinciæ.

Quartò: Addit præterea, *De Sanctis locorum, in iis locis, ubi neque nati, neque mortui ſunt, neque Reliquiæ inſignes extant*; quibus verbis Sanctos illos mihi deſignare videtur, qui Regni alicujus ſeu Provinciæ Naturales, per omne Regnum aut Provinciam celebres ſemper habiti fuere, quales ſunt quos ſuprà deſcripſimus *lib.* 1. *cap.* 10. *quæſt.* 4. SS. Martialis, Eligius, Julianus, Germanus Antiſſiodorenſis, aliique ſimiles, paſſim in omnibus ferè Galliæ Calendariis inſerti. Id ſi Gavantus intelligit, & nos ultro admittimus, ut de iis utique fiat Officium ſemiduplex. At quod ſubdit, conſueviſſe id concedi à Sede Apoſtolica, ſic temperamus, ut ea quidem conceſſione opus ſit, ubi ejuſmodi feſta de novo inducuntur, ſecus ſi legitima conſuetudine pridem ſervata retineantur.

Item de Sanctis minùs principalibus Religionum.

Quintò: Idem proportione habita ſentiendum de Sanctis minùs principalibus Religionum ſeu Congregationum propriis, quales ſunt apud Minores SS. Ivo, Elzearius, Eliſabetha, &c. tertii videlicet Ordinis S. Franciſci; apud Auguſtinenſes B. Ritta, & B. Joannes à S. Facundo, cujus poſtremi Officium ſemiduplex referente Gavanto, non autem duplex expreſsè conceſſit Clemens VIII. ne ab eo Dominicæ Officium impediretur.

Vicinitas aut Affinitas Eccleſiarum non dat jus faciendi officium ſemiduplex de Sancto.

Sextò denique: De Sancto, cujus habetur in loco Eccleſia Abbatialis, Parochialis, vel Regularis, fiebat aliàs multis in locis ſemiduplex, ut Gavantus cit. *num.* 5. multis hoc improbans, quod & damnavit Decretum Sacræ Congregationis initio Breviarii appoſitum, noſque itidem damnamus, ſi eo præciſè titulo fiat, ob vicinitatem videlicet, aut affinitatem: at ſi aliunde legitima id conſuetudine firmetur, nedum abrogatum dixerim, ut præfato etiam Rubricæ textu niti inprimis videatur. Qua item ratione toleranda ſi quæ ſint hujus ordinis feſta ex voto ſeu fundatione, juxta doctrinam à nobis traditam *lib.* 1. *cap.* 12. *quæſt.* 4.

Fit tamen ex conſuetudine.

QUÆSTIO II.

An aliqua Chriſti Domini, aut B. Mariæ, aut Angelorum, aut Apoſtolorum, aut Patroni ſeu Titularis Eccleſiæ feſta propria poſſint fieri tantum ſemiduplicia?

Fiunt ſic in Eccleſia Turonenſi, præter feſta Inventionis & Exaltationis S. Crucis, S. Mariæ ad Nives, S. Petri ad vincula, & Cathedræ ejuſdem, Converſionis S. Pauli, & S. Joannis ante portam Latinam, feſta item Quinque plagarum Chriſti Domini, & S. Michaelis in monte Tumba; ut & in Eccleſia Bituricenſi ultima die Maji feſtum Miraculorum B. Mariæ Dolenſis, & in Dolenſi minoris Britanniæ Ordinatio S. Samſonis Patroni: Quarum ego Eccleſiarum uſum nec laudo nec vitupero. Non vitupero quidem, quia cùm titulares ſint illæ Eccleſiæ, ſuis poſſunt uti juribus, præſcriptiſque ſtare conſuetudinibus: At nec laudo quoque, tum ob perſonarum dignitatem, cui Duplicis ritum attribuere conſtanter Romana conſuevit Eccleſia; tum ob aliqua quæ ex eo oriri poſſunt dubia, nec facilè ſolvi ex Rubricis, putà an ejuſmodi feſta aliis ſemiduplicibus in concurſu ſint præferenda? an in Miſſa dicendum Symbolum, prout ſuadet uſus in ſimilibus, cùm tamen illud ſemiduplici per ſe non debeatur? an in Officio omittendum tum ſuffragium de Apoſtolis, & de Patrono, cùm de iiſdem ſit Officium.

Non probatur ritus ſemiduplex in feſtis Chriſti Domini, B. Mariæ, Angelorum, & Apoſtolorū.

QUÆSTIO III.

An in uſu ſit ut plura dentur feſta propria ſemiduplicia?

Quæſtio hæc movetur ex eo quòd Gavantus aſſerit *ſect.* 3. *cap.* 4. talem duplicia feſta inter ac ſemiduplicia ſimpliciaque proportionem ſervari decere, ut inferiora numero excedant ſuperiora: Adeòque, ait, cùm Duplicia Sanctorum in Calendario Romano ſint 64. ſemiduplicia numerantur ad 40. non computatis Octavis, ſimplicia verò ſupra centum. Verum eſto, proportio hæc locum habeat inter feſta Calendario Romano contenta, habeat item in Calendariis Eccleſiarum quæ proprium habent Breviarium; vix tamen id poteſt contingere inter feſta cujuſvis loci ſeu Eccleſiæ propria Romano Calendario ſuperaddita, quorum plura ſolent eſſe duplicia quàm ſemiduplicia: Imò hæc aliquando nulla occurrunt. Neque eſt quòd mireris, cùm ex Titulis illis duodecim, quos lib. 1. recenſuimus, & ad quos feſta omnia propria revocantur, plures ſint qui ritum exigant duplicium, ut ſingulos conſulenti patebit; ſed exigui momenti eſt iſta quæſtio.

Non eſt neceſſe ut plura ſint feſta propria ſemiduplicia quàm duplicia.

QUÆSTIO IV.

An dentur feſta propria ſimplicia?

Dantur certè in Calendariis propriis Eccleſiarum, quæ jus habent Breviarii, non pauca, quæ in Romano non habentur, ſub titulo videlicet ſimplicium, aut trium lectionum, aut etiam Commemorationis. Sed quæſtio intelligitur

tur

tur de iis duntaxat Eccleſiis, quæ Romano uſui adſtrictæ, ſua ei ex adjectitio Codice ſuperſtruunt feſta propria, an ut duplicia illæ, ac ſemiduplicia, ſic etiam poſſint aliqua inſerere ſimplicia?

Non conceduntur à Rubricis feſta ſimplicia propria.

Inſeruere Pictavienſis, Abrincenſis, Sagienſis, Nannetenſis, Redonenſis & Venetenſis. Abſtinuere cæteræ omnes, quarum Propria ad me perlata ſunt, & id meo judicio convenientius. Nam cùm in Rubricis de Officio Duplici & Semiduplici, tam expreſsè habeatur fieri Officium duplex & ſemiduplex in certis feſtis locorum & Eccleſiarum propriis; in Rubrica autem de ſimplici, quæ immediatè duas illas ſequitur, nihil ſimile legatur, quis non ſtatim arguat, non tantùm non extendi, ſed etiam reſtringi, adeoque prohiberi iſta poſteriori, quod duabus illis prioribus conceſſum fuerat? Unde ſi quæ ſint alicubi feſta propria, quæ omitti penitus fas non ſit, de jure eſt, ut ea fiant ſemiduplicia; ſunt etiam eo ipſo ſolemniora quàm ſimplicia, quod ex dictis quæſt. 1. ſufficit, ad hoc ut in ſemiduplicium ordinem referantur.

CAPUT XIII.

De Ritu servando in Vigiliis, Octavis, & Officio hebdomadario Patronorum.

DE tribus his feſtorum Appendicibus, quatenus illarum uſus legitimus eſt, actum fuit tribus poſtremis libri primi capitibus. Actum item hocce libro capite quinto de die illis præſtituendo: nunc eſt inveſtigandum, quis ritus in iis ſingulis celebrandis adhibendus.

QUÆSTIO I.

Quo Ritu celebrandæ feſtorum propriorum Vigiliæ?

Ritus ſimplex ſervandus in vigiliis propriis.

RItum ferialem, prout Rubrica 6. de Vigiliis num. 4. præſcribitur, ſervant Eccleſiæ Pariſienſis & Meldenſis in vigilia Sancti Dionyſii, Ambianenſis in vigilia S. Firmini, & SS. Fuſciani &c. Item Auguſtinienſes Eremitæ in vigilia S. Auguſtini. Et verò Rubricis eſt ritus iſte conformior, ſervanduſque omnino, ſicubi de Vigilia alicujus Sancti, vel ex conceſſione, vel ex conſuetudine recepta fieri contingat.

Ritus Vigiliarum ad inſtar Vigiliæ Nativitatis Domini.

Haud tamen damnaverim extraordinarios alios ritus, ad normam Vigiliarum Nativitatis Domini, & Epiphaniæ conformatos, auſpicandi videlicet Vigiliæ Officium duplex ab ipſis Laudibus, aut ad Tertiam, pronunciato ſtatim Martyrologio, ut fert uſus Eccleſiarum Pariſienſis in vigilia Aſſumptionis B. Mariæ, Andegavenſis in vigilia Omnium Sanctorum, & S. Andreæ; S. Martini Turonenſis in vigiliis feſtorum Tranſitus & Tranſlationis ejuſdem Sancti. Item Miſſam de vigilia, abſque tamen Officio, celebrandi, ut obſervat eadem Andegavenſis, in vigiliis Nativitatis B. Mariæ, S. Maurilii, & S. Martini. Sunt iſtæ Eccleſiæ omnes titulares, & inſignes admodum, quibus ſui haudquaquam ritus proprii ſunt invidendi; ſed nec eos etiam ad alias Eccleſias abſque legitimâ facultate traducere ſapiens quiſque fas putaverit. Fas ad ſummum in Miſſa vigiliæ feſtorum præcipuorum, apparatum ſolemniorem Altaris Chorive ab antiquo uſitari ſolitum retinere.

QUÆSTIO II.

Quo Ritu celebrandæ feſtorum propriorum Octavæ?

BRevis juxtà ac facilis reſponſio, ſi præſcripto Rubricarum Breviarii Romani ſteteris; ſtare autem debes, quiſquis uſum Romanum ſectaris. Cujuſcunque Octavæ dies omnes infra Octavam, ſemiduplici; ipſa verò dies Octava duplici ritu eſt celebranda. Ita *Rubr. 7. de Octavis num. 5.* Sed annon Octavæ aliæ aliis majores ſunt ſeu ſolemniores, eo ſaltem ſenſu, ut aliæ aliis in concurſu præferantur, putà Octavæ Chriſti Domini, Octavis Beatæ Mariæ, & hæ Octavis Sanctorum, &c. Item habent aliquæ præ aliis certa privilegia, ut Octavæ Paſchæ & Pentecoſtes, quòd in iis de nullo feſto fiat, Octavæ Epiphaniæ, quòd de Patrono tantùm ſeu Titulari, aut Dedicatione Eccleſiæ; Octavæ Corporis Chriſti, quòd non admittat ſemiduplicia. Verùm cùm propter ejuſmodi privilegia Octavæ ipſæ haudquaquam gradu augeantur, ſed maneant æquè omnes ſemiduplices; hinc fit ut locum non habeat in uſu Romano, antiqua illa differentia Octavarum majorum ſeu ſolemnium, & minorum ſeu non ſolemnium aut ſimplicium, de quibus actum *libr. 1. cap.* 18. *quæſt. 9.* adeoque vel ſunt dimittendæ penitus (prout ibidem docuimus) Octavæ illæ ſimplices, ſi quæ olim in uſu erant; vel ſi retineantur, more cæterarum ritu ſemiduplici per Octavam, in die verò Octava duplici celebrandæ. Eſto, ſit aliqualis differentia quoad ritus & cæremonias Chori.

Uſu Romano non dantur octavæ majores & minores, ut aliàs.

QUÆSTIO III.

An legitimi ſint certi alii ritus in Octavis celebrandis adhibiti?

Uſu Cenomanenſi duo primi dies infra quaſdam octavas, ſunt ſolemniores aliis ſequentibus.

PEculiaris eſt Eccleſiæ Cenomanenſis conſuetudo, etiam poſt reformatum nuperrimè ſuum Breviarium, ut duos dies proximè ſequentes poſt feſtum Aſſumptionis Beatæ Mariæ, & poſt feſtum S. Juliani Patroni ſui, celebret ritu admodum ſolemni, eo nempe quem vocat Semiduplicem, hoc eſt, ſi ad Romanum reduxeris, Duplici ſecundæ claſſis; ad inſtar crediderim feſtorum Paſchæ & Pentecoſtes, à quibus proximi duo dies, ritu admodum celebri ipſiſque feſtis haud impari ubique in Eccleſia coluntur; quæ utique conſuetudo à nonnullis quoque Eccleſiis in ſimili olim uſitata erat.

Dies Octava ſolemnior in aliquibus uſibus.

Eſt item uſus, tum ejuſdem Eccleſiæ Cenomanenſis, tum aliarum non paucarum, putà Senonenſis, Turonenſis, Bajocenſis, Pictavienſis, &c. ut feſtorum præcipuorum ſeu primæ claſſis diem Octavam ritu ſolemniori peragant, putà qui apud eas dicitur Semiannuale, aut quinque Candelabrorum, aut Succentoris, &c. Legitimum id illis quidem, utpote jus Breviarii ſartum integrumque habentibus; haud tamen ab aliis Romanum uſum ſequentibus admittendum, niſi fortè quoad ritus & cæremonias attinet, quantum videlicet ex Officio Octavæ poſſunt tribui; quod ſi fiat, haud averſamur.

Dies Octava uſu Romano non eſt minùs quàm duplex.

Averſamur autem, ſi quis diem Octavam quamcunque ad ſemiduplicis ritum deprimeret, ideò quia in quibuſdam uſibus major non habetur. Eſt enim id formæ Romanæ penitus repugnans.

QUÆSTIO IV.

Quis ritus Officio Patronorum per hebdomadam uſitato tribuendus?

ECcleſiæ Rhemenſis, Rothomagenſis, Carnutenſis (neſcio annon præter has etiam aliæ)

B. Vir-

Digitized by Google

Officium B. Mariæ in Sabb. in caſtus aliibus ſemiduplex.

B. Virgini dicatæ, ipſius Officium in Sabbato inſtituunt ritu ſemiduplici. Quod verò ad Sanctos attinet, in pleriſque Breviariis propriis tribuitur ejuſmodi Officio ritus ſimplex duntaxat, ad inſtar Officii B. Mariæ in Sabbato. Ita fit de S. Stephano in Breviario Bituricenſi, de S. Firmino in Ambianenſi, de Sancto Martino in Breviario Eccleſiæ propriæ ejuſdem, de SS. Gervaſio & Protaſio in proprio Sagienſi, &c. Liberaliores ſunt hac ex parte Regulares, quorum plerique ejuſmodi Officia ſemiduplici ritu peragunt: Ita Minores ſingulis diebus Sabbati de Conceptione B. Mariæ, & prima die cujuslibet menſis libera, de Stigmatibus S. Franciſci; Eremitæ Auguſtinienſes de S. Auguſtino ſemel in menſe, & omnes ferè de Sanctiſſimo Sacramento ſingulis feriis quintis. Imò quod magis miror, prædictam S. Auguſtini commemorationem menſtruam ritu duplici celebrant Canonici itidem Auguſtinienſes, ſicut & Commemorationem Beatæ Mariæ ſingulis Sabbatis Carmelitæ. Habent illi quidem, ut reor, facultates ſic agendi à Pontifice legitimè obtentas, quibus abſit ut vel tantillum velim refragari. Verùm ſi res ex regulis artis perpendatur, præſtat longè prior agendi modus, non brevitate quidem, at certè majori divinorum Officiorum conſonantia.

Officium de Patrono ſimplex.

Apud Regulares officia ejuſmodi ſunt ſemiduplicia.

Aliqua ſunt etiam duplicia.

S E C T I O IV.

QUæ de ſingulis Feſtorum propriorum Titulis huc uſque tractavimus, inſtar ſunt tuti ac vindicati legitimi Patrimonii, quod ut jam adire liceat, ab ipſa cujuslibet Feſti, quæ pridie in Martyrologio fieri debet, annunciatione, velut in primo limine tantiſper hærendum.

C A P U T XIV.

De Annunciatione Festorum propriorum in Martyrologio facienda.

Variorum Martyrologiorum uſus.

MArtyrologium ſuum proprium habuere olim nonnullæ inſigniores Eccleſiæ. Fuere aliis in uſu aut Bedæ, aut Adonis, aut frequentiſſimè omnium Uſuardi; quo & uſam fuiſſe ipſam Romanam Eccleſiam exiſtimavit Molanus, mirante Baronio, vetuſtiſſimum Romanum Martyrologium tanto viro fuiſſe incognitum. Hoc verò unum eſt hodie, quod Baronii ipſius Cardinalis Illuſtriſſimi opera primùm reſtitutum, abrogatis quibuſvis aliis, ac deinceps Urbani VIII. juſſu recognitum, ex Gregorii XIII. Decreto, in omnibus Eccleſiis legi debet in Choro ad Primam, additis, ſi in eo defuerint, cujuſque loci vel Eccleſiæ Sanctis propriis: ſic tamen, ut ii non in ipſum Martyrologii volumen inſerantur, id enim diſertè vetat prædictum Gregorii Decretum, ſed ſeorſum in chartula ſeu codice proprio deſcribantur.

Martyrologium Romanum à Baronio reſtitutum, ſolum eſt hodie in Eccleſiis uſitatum.

Q U Æ S T I O I.

Quorumnam feſtorum propriorum annunciatio in Martyrologio fieri debeat?

Annunciantur feſta omnia de quibus fit Officium.

REſpondeo, omnium de quibus fit Officium, & quidem primo loco: ſic enim præcipit Rubrica 4. Martyrologii. Sed an etiam Ordinationum, Tranſlationum, & aliorum feſtorum ſecundariorum? Quidni, quando de iis fit Officium? An feſtorum votivorum, putà Nominis Jeſu, Compaſſionis Beatæ Mariæ, &c. Et illa feſti nomine comprehenduntur. An Dedicationis Eccleſiæ? Dubitandi locum dat, quòd cùm feſtum illud celebre ſit admodum, & commune omnibus Eccleſiis quæ dedicatæ fuerunt, nihil tamen de ejus annunciatione præſcribat Rubrica Martyrologii; ex quo ſanè ſilentio inferri poſſe videtur, nihil opus eſſe ejuſmodi annunciationem fieri. At cùm in Martyrologio ipſo deſcriptæ habeantur nonnullæ Dedicationes, putà Eccleſiarum S. Salvatoris, & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Sancti Martini Turonenſis, haud inficias ito Ceremoniali Monaſtico, Dedicationis feſtum inter enuncianda numeranti *libr. 2. capit. 7. §. 2. num. 3.* & quidem Dedicationis tam propriæ Eccleſiæ, quàm Cathedralis & alterius cujuslibet, cujus Officium legitimè fieri poſſe docuimus *libr. 1. cap. 3. quæſt. 11.*

Item feſtum Dedicationis Eccleſiæ.

Ceremoniale Monaſt.

Q U Æ S T I O II.

An dies Octava feſtorum propriorum Octavas habentium annunciari debeat? An Vigiliæ?

Dies Octavæ feſtorum propriorum poſſunt annunciari in Martyrologio.

DE Octava aſſeris citatum proximè Ceremoniale Monaſticum, cui uſus ipſe adſtipulari videtur. Nam quorumcunque feſtorum Octavæ in Calendario Romano deſcribuntur, eaſdem quoque ſuo omnes recenſet die Martyrologium, putà S. Stephani, S. Laurentii, &c. Movet tamen ſcrupulum non levem, quòd nec dici Paſchæ, nec Aſcenſionis, nec feſti Corporis Chriſti Octavarum annunciatio in Martyrologio ipſo, in ſerie feſtorum mobilium præſcribatur; quod utique fieri oportuerat, ſi de jure eſſet ut Octavæ omnes annuncientur. Et verò nihil pronius erat, quàm ut in præfatâ Rubrica Martyrologii, feſtis propriis adderentur ſimul & eorum dies Octavæ, ſi earum annunciatio æquè fieri debuerat. Fiat, ſi quibus id magis placet; ego ſecùs ſentientibus (qui uſus eſt ferè omnium) haud repugnabo.

De Vigiliis non eſt quod addam, cùm ſecluſo Titularium Eccleſiarum vel privilegio vel uſu proprio legitimo, de iis fieri poſſe Officium ſuprà negaverim *lib. 1. cap. 17. quæſt. 2.* Imò nec ubi fieri contingit, magis putaverim, illarum annunciationem in Martyrologio præmittendam, quàm Vigiliarum Aſcenſionis & Pentecoſtes, quibus nulla in Martyrologio communi tribuitur.

Vigiliarum propriarum annunciatio haud facienda eſt.

Q U Æ S T I O III.

An è contra omitti debeat Octavarum & Vigiliarum annunciatio in Martyrologio Romano deſcripta, in iis Eccleſiis, in quibus non ſervantur?

Non debet omitti Vigiliarum & Octavarum in Martyrologio deſcriptarum annunciatio, etiamſi de iis non fiat Officium.

VErbi gratia, Octava S. Laurentii in Eccleſiis Turonenſi, Rothomagenſi, Senonenſi, Pariſienſi, Carnutenſi, &c. Octava S. Joannis Baptiſtæ & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli in Noviomenſi, Octava omnium Sanctorum in eadem Noviomenſi, in Bajocenſi, Lexovienſi, & paucis aliis. Itidem Vigiliæ SS. Matthiæ, Jacobi, Bartholomæi & Thomæ, ſervari non ſolitæ in pleriſque Galliæ Diœceſibus. Reſpondeo, nequaquam, haud ſecùs atque non omittuntur feſta in eodem Martyrologio contenta, de quibus juxta uſum Eccleſiarum particularium nihil in Officio fieri non rarò contingit. Satiſque eſt ad hoc ut Martyrologii verba omnia retineantur, quòd ea verum enuncient; enunciant autem, ſi ut feſta iſta, ſic & Vigiliæ illæ & Octavæ alibi celebrantur. Adde quòd nulla id Rubrica ne remotiſſimè quidem indicat.

QUÆ

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

An præmittenda ſemper feſtorum propriorum annunciatio aliis in Martyrologio eadem die deſcriptis?

DIſertè aſſerit citata Rubrica quarta Martyrologii. At dubium eſſe poteſt

Annunciatio feſti proprii non præmittitur annunciationi Vigiliarum.

Primò. De Vigiliis; quibus ſanè præmitti non debere colligitur ex ſimili exemplo Vigiliæ Apoſtolorum Petri & Pauli, quæ ante S. Leonem in Martyrologio ipſo deſcribitur, licèt eidem in Calendario, utpote ſemiduplici, poſtponatur.

Neque iiſdem octavarum.

Secundò. De Octavis perinde judico, verbi gratia, Octavam Aſſumptionis Beatæ Mariæ ante feſtum S. Symphoriani in propria ipſiuſmet Sancti Eccleſia. Sunt enim tam Vigiliæ quàm Octavæ non feſta, ſed feſtorum appendices, quæ certis diebus addictæ, eos primæ omnium veluti afficere videntur.

Feſtorum Mobilium annunciatio omnibus aliis præmittenda.

Tertiò. De feſtis mobilibus plana eſt Martyrologii Rubrica, ea videlicet immediatè poſt Calendarum & Lunæ pronunciationem cæteris, adeoque propriis feſtis eſſe præponenda; nec immeritò, excludunt enim ac rejiciunt feſta etiam ſolenniora, iis diebus ſecum occurrentia.

Æqualium ſimul occurrentium illa prius annunciantur de quibus fit Officium.

Quartò denique de æqualibus, putà iiſdem duplicibus vel ſemiduplicibus obvia ſtatim reſponſio; vel enim de propriis fit Officium, translatis aliis, & tunc propriorum pronunciatio in Martyrologio aliorum pronunciationi æquè præponi debet; vel è contra, transferuntur propria retentis aliis, & in eo caſu propriorum pronunciatio aliis poſtponitur, niſi fortè propria ipſa in alium diem mutari ſatius videatur, juxta quod dicetur ſequenti quæſtione.

QUÆSTIO V.

An ſuo ſemper ſtato die annuncianda ſint in Martyrologio feſta propria?

Translato feſto non idcirco transfertur ejus annunciatio in Martyrologio.

OMnino; neque enim moris eſt, ut translato feſto alicujus Sancti, ipſius propterea appellatio transferatur in lectione Martyrologii; ut patet exemplis Sancti Pauli Eremitæ, Sancti Hilarii, & SS. Cornelii & Cypriani, &c. qui in Martyrologio non iis diebus pronunciantur, quibus fit de iis Officium, ſed quibus verè occurrunt, & quidem non priori loco, ſed ſuo ordine, putà Confeſſores poſt Martyres, &c. Addit Gavantus *ſect. 5. cap. 21. num. 9. Niſi in caſibus in Martyrologio expreſſis*; qualis eſt S. Dominici, cujus Natalis dies non ſexto Auguſti, qui proprius eſt, pronunciatur, ſed quarto, in quem diem à Paulo IV. rejectus eſt.

Feſtorum propriorum quæ mutantur quoad Officium poteſt etiam mutari annunciatio in Martyrologio.

An verò idem pati in caſu, quòd Sanctos proprios induci queat, ut videlicet, ſi contingat eos non transferri ſimpliciter, ſed mutari penitus à die proprio, in quo ſemper impediuntur; in alium, cui perpetuò addicantur, illorum quoque in Martyrologio pronunciatio, huic diei apponatur? Ajo ego, haud nefas id eſſe quidem, ſi fiat ab Eccleſiarum Præſidibus, quòd videlicet ſic interpretandi locus ſit non importunus; æquè tamen conventè, nullam hac in parte fieri mutationem.

Annunciatio feſtorum propriorum in eum diem fieri debet, quo in proprio loco celebrantur, licèt alius ſit à Martyrologio.

Si tamen, quod obſervavimus ſuprà *cap. 2. libri hujus quæſt. 14.* alius à Romano in uſu proprio, Sancto alicui dies aſſignatus habeatur; is omnino retinendus erit, atque adeò annunciatio Sancti illius; non eo die, quo in Martyrologio deſcribitur, ſed eo, quo fit in uſu proprio, ponenda erit; ut patet in exemplo S. Bartholomæi, cujus annunciatio Romæ fit 25. Auguſti, alibi verò 24. non enim hæc eſt mutatio, ſed potiùs diei propriæ retentio.

Feſtorum quæ ad inſtar ſunt mobilium annunciatio facienda in eum diē quo celebrantur.

De feſtis quæ ad inſtar mobilium, modò uno die, modò altero celebrantur, qualia ſunt, feſta Coronationis Domini, vel Compaſſionis Beatæ Mariæ, & ſimilia, Dedicatio Eccleſiæ in multis locis, Translationes item aliquæ Sanctorum certis Dominicis affixæ, &c. nihil commodius ſtatui poteſt, quàm ut ea pridie ejus diei, quo fiunt, in Martyrologio pronuncientur.

QUÆSTIO VI.

An Sanctorum propriorum, de quibus non fit Officium, annunciatio nihilominus in Martyrologio fieri debeat?

Rubrica Martyrologii.

DUbitare non ſinit expreſſus Rubricæ Martyrologii textus, qui ſic habet: *Et in Sanctis particularium Eccleſiarum in hoc Martyrologio non appoſitis, qui in iis tantùm Eccleſiis & locis ubi præcipuè memoria eorum celebris habetur, legi poterunt etiam primo loco, ſi de illis ibidem agatur Officium; ſi verò non agatur, poſt Sanctos in hoc Martyrologio deſcriptos, ordine ſuo, videlicet Martyres poſt Martyres, Confeſſores poſt Confeſſores, & Virgines poſt Virgines.* Quinam verò illi ſint Sancti, non ita pervium eſt declarare. Nam celebriores illi, ſive locorum ipſorum naturales, ſive ex vicinitate, affinitate aliove ſimili vinculo conjuncti, de quibus *libr. 1. cap. 10. & 11.* ut plurimum in Martyrologio ipſo inſerti habentur. Quare reliquum eſt, ut ſi qui in eo deſint ejuſmodi, de iis potiſſimùm intelligatur hæc Rubrica, qui videlicet in aliqua civitate vel oppido defuncti, ſeu quomodocunque culti, celebres inde in tota diœceſi, aut vicinis circumquaque locis habentur; quales ſunt in Armorica S. Corentinus Coriſopitenſis Epiſcopus, S. Briocus, & alii particularium Diœceſum dictæ Provinciæ Patroni: in Diœceſi Turonenſi S. Maura cum novem filiis Martyribus, S. Florentinus Confeſſor: in Bituricenſi SS. Deſideratus, Palladius, & Aigulphus Epiſcopi: in Carnutenſi S. Launomarus Confeſſor, &c. Iis addendi probabiliter & alii, quorum feſtum olim in uſu veteri fieri ſolitum, poſt admiſſum deinceps Romanum Breviarium obliteratum fuit, ut memoriæ illorum vel hoc leve ſaltem veſtigium ſuperſit. Addendi item à Regularibus Sancti locorum naturales, de quibus ipſi Officium minimè recitant, quòd tamen à reliquis Diœceſis ſeu loci Clericis uſu proprio celebratur.

Exempla Sanctorum, quorum fieri debet annunciatio in Martyrologio, licèt de iis non fiat Officium.

Ordo in annunciatione feſtorum propriorum ſervandus.

Quod verò ad ordinem illum ſpectat, ut Martyres poſt Martyres; Confeſſores poſt Confeſſores, & Virgines poſt Virgines collocentur, id præciſè ut ſonat accipe, nulla habita ratione Dignitatis Epiſcopi, vel Abbatis. Nam in textu ipſo Martyrologii, videre eſt ſæpiùs Martyres Epiſcopos aliis non Epiſcopis poſtpoſitos. Et licèt in Confeſſoribus Epiſcopi ut plurimum, ut ferè ſemper aliis præponantur; hunc tamen ordinem inter addititios ſervari debere, haud facilè ſtatuerim; nulla id indicante Rubrica. Virgines verò Martyres inter ipſos Martyres, adeoque præ Confeſſoribus quibuſcunque nominandas, ſatis innuit perpetuus ipſiuſmet Martyrologii uſus. Ex quo item colligas Translationes, Ordinationes, aliaſque ejuſmodi feſtivitates ſecundarias, quorumcunque tandem Sanctorum fuerint, etiam Apoſtolorum, nonniſi in fine, etiam poſt Virgines eſſe collocandas; ut patet exemplis Translationum S. Matthæi 6. *Maji*, SS. Andreæ & Lucæ 9. S. Thomæ 3. *Julii*, & aliis.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO VII.

An Beatificatorum ſeu nondum Canonizatorum annunciatio fieri debeat in Martyrologio?

Beatificati in Martyrologio annunciandi.

FIeri debet haud dubiè, ſi de iis ex conceſſione Pontificis fiat alicubi Officium; conceſſo ſiquidem principali, concedi quoque cenſetur acceſſorium. Quid ſi de iis non fiat Officium? Reſpondeo; quamvis verum ſit quod aſſeruimus *lib.* 1. *cap.* 4. *quæſt.* 10. nihil quod ad cultus publici rationem pertinet, impendi debere Beatificatis abſque expreſſa Pontificis licentia; ex quo tamen tales; hoc eſt Beatificati à Pontifice ſunt declarati, non videtur alienum, ſi eorum nomina in propriis locis palam pronuncientur; æquè ac in ipſo Martyrologio recenſentur B. Rochus, B. Joannes Columbinus, & alii nondum Canonizati. Et verò is eſt, ſi quis alius, prædictæ declarationis primus ac maximè proprius effectus.

CAPUT XV.

De forma seu stylo annunciandi Feſta Propria in Martyrologio.

NIhil de hac re præcipiunt Rubricæ Martyrologii, ſed liberum cuique Eccleſiæ relinquunt, ſtatuere quid congruum magis videbitur, cum hac tamen reſtrictione, ne quid in ipſum Martyrologii librum inſeratur, ſed ſeorſim deſcribatur & in ſeparato Codice, juxta monitum Gregorii XIII. in citato priùs ſuper hac re Decreto. Curandum verò, ut ad ipſum Martyrologii ſtylum propiùs quàm fieri poteſt, accedatur; ad quod juvabit pauca hæc præcepta ſuggerere.

QUÆSTIO I.

Quis ſtylus univerſim eſſe debeat ejuſmodi annunciationis?

S. Gregorius.

STrictus ac perbrevis, quo videlicet, *præter nomen, locus tantum & dies paſſionis*, inquit S. Gregorius Epiſt. 29. ad Eulogium Presbyterum, *indicetur*. Et verò ſuum Ado ipſe Viennenſis Martyrologium, quantumvis additionibus ad Bedam & Uſuardum factis longè auctius, *compendioſam* nihilominus *lectionem*, *atque in parvo codicillo comprehenſam* appellat. Quin & hoc uno potiſſimum argumento probat Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius *præfationis capit.* 6. librum Euſebii Cæſarienſis de Martyribus, haud fuiſſe Martyrologium, de quo circumfertur Epiſtola Hieronymi nomine ad Chromatium & Heliodorum, quòd liber hic ipſiuſmet Euſebii teſtimonio prægrande eſſet volumen, imò nec fortè unum, ſed multiplex; quippe quod Acta ipſa Martyrum, imò & eorumdem rogata, reſponſa, aliaque plurima contineret; tantùm abeſt, ut brevis illa fuerit, & in compendium ex Actis Martyrum redacta narratio, quam Martyrologii voce ſignificari volunt.

Stylus Martyrologii ſtrictus ac brevis. Ado.

Baronius.

Sauſſayius.

Alienum itaque eſt à Martyrologii ſerie ac methodo, *ſi plus hiſtoriam referat, quàm ſacrum indicem*, quod de ſuo recenti Gallicano Martyrologio fatetur ultro Andreas Sauſſayius, idipſum ſibimet objiciens *cap.* 25. ſui Apparatus. Quam ob cauſam, haud ægrè feret Vir clariſſimus, ſi aliunde nunquam ſatis laudatum opus, minùs tamen idoneum dixerim, quod pro Martyrologio ſit annunciandis feſtis locorum propriis; niſi vel ipſe, vel alius ex fuſiori illo contextu ea ſeligat, quæ locum dumtaxat, nomen, ac Sancti cujuslibet qualitatem, uno aut altero verſu exprimant, addito ad ſummum ſi lubet perbrevi elogio.

QUÆSTIO II.

Ut locus eſt exprimendus?

POſitus habetur in calce Martyrologii Romani index Topographicus, Provinciarum, Urbium, Oppidorum ac locorum omnium in Martyrologio memoratorum, cujus ad amuſſim, cæteras alias provincias, urbes, oppida ac loca, quorum occurrunt Sancti proprii annunciandi, exprimere par eſt. Ipſa verò loca ſic expreſſa, ſi eadem appellanda ſunt, haudquaquam immutanda. En tibi ſyntaxeos hujus regulæ.

Locorum expreſſio per genitivum.

Per gignendi caſum exprimuntur, quorum nominativus deſinit in *a*, vel *us*, vel *um*, verbi gratia, *Romæ*, *Alexandriæ*, *Antiochiæ*, *Lutetiæ*, & *Damaſci*, *Corinthi*, *Epheſi*, *Tyri*, &c. *Mediolani*, *Taurini*, *Aſſiſii*, *Ambiani*. Per dativum ſingularem, quorum nominativus eſt *is*, verbi gratia, *Bibli*, *Hiſpali*, *Conſtantinopoli*, &c. Per pluralem verò, quorum nominativus pluralis eſt *a*, vel *es*, vel *i*, verbi gratia, *Hieroſolymis*, *Athenis*, *Syracuſis*, *Treviris*, *Rhemis*, *Arvernis*, *Lemovicis*, *Turonis*, &c. Per accuſativum cum præpoſitione *Apud*, nonnulla tam ſingularia quàm pluralia, verbi gratia, *Apud Rhegium*, *Montempeſſulanum*, *Forum*, *Julii*, &c. *Apud Belgas*, *Indos*, *Bituricas*, *Oſtia Tiberina*. Per ablativum denique, quorum nominativus eſt *o*, vel *e*, verbi gratia, *Carthagine*, *Avenione*, *Barcinone*, *Uliſſipone*, *Nannete*, &c. Quando vel plures ſunt urbes ejuſdem nominis, vel locus quiſquis ſit, non eſt ita notus, nomini proprio additur nomen regionis ſeu Provinciæ, verbi gratia, *Antiochiæ in Syria*, *Antiochiæ Piſidiæ*, *Cæſarea in Cappadocia*, *in Mauritania*, *in Paleſtina Philippi*, *Valentiæ in Gallia*, *Valentiæ in Hiſpania*, &c. *Myra in Lycia*, *Abulæ in Hiſpania*, *Albæ in Pannonia*, *Niciæ in Gallia*, &c. Ipſa verò nomina Provinciarum ſi ſola efferuntur, uti efferri par eſt, cùm proprius locus ignoratur aut dubius eſt, ſemper in ablativo cum præpoſitione *in* efferuntur, *in Ægypto*, *in Gallia*, *in Hiſpania*, *in Anglia*.

Per dativum.

Per accuſativum.

Per ablativum.

Urbis nomini addendũ aliquando nomen Provinciæ.

Nomini proprio loci, additur etiam quandoque eorum appellativum.

Nonnunquam proprio nomini loci adjungitur appellativum, puta Civitas, Caſtrum, Oppidum, Inſula, Mons, Portus, Diœceſis, Monaſterium, Cœnobium, Pagus, Ager, Territorium, &c. & utrumque per ablativum exprimitur cum præpoſitione *in*; verbi gratia, *in Urbe Aſtenſi*, *in Civitate Caſalenſi*, *Dienſi*, &c. *in Caſtro Divione*, *Blavio*, *Cainone*, &c. *in oppido Milleduno*, *in Ægina inſula*, *in monte Gargano*, *in portu Gandenſi Diœceſis Namurcenſis*, *in Monaſterio Lerinenſi*, *Romarico*, *Malbodio*, &c. *in Cœnobio Cluniacenſi*, *in Territorio Argentoratenſi*, *Agathenſi*, *Vivarienſi*, &c. *in pago Vaſtinenſi*, *Turonico*, &c. Quæ duæ poſtremæ Territorii ac Pagi appellationes tum maximè adhiberi debent, cùm locus obſcurus eſt ac nullius ferè nominis. Eſt & alius Index in calce Martyrologii Sanctorum, quorum locus in Martyrologio non indicatur, quod vix in Sanctis propriis poteſt accidere; ſemper enim nominari poteſt is locus, ſaltem in quo celebris habetur eorum memoria.

Quoniam verò noſtrum hoc opus in gratiam Eccleſiarum Galliæ noſtræ præcipuè ſuſceptum eſt; non abs re futurum putavimus, ex præfato indice Topographico deprompta urbium ac locorum Galliæ propria nomina hic attexere, additis inſuper aliis ex Sauſſayii Martyrologio, utriſque mixtim ordine alphabetico.

INDEX

INDEX TOPOGRAPHICUS

Urbium, Oppidorum, & aliorum Galliæ locorum, in Martyrologii lectione Sanctis propriis præmittendorum.

A

Abrincis, & in agro Abrincenſi.
Agathe in Gallia Narbonenſi in territorio Agathenſi.
In Agaunenſi monaſterio in finibus Sedunorum,
Agenni in Aquitania.
Albani Galliæ Narbonenſi oppido,
Albenaci in territorio Vivarienſi,
In Albigenſi civitate,
Alboconii in Tractu Lemovicenſi.
Altovillarii Monaſterio diœceſis Remenſis.
Ambaſia caſtro diœc. Turonenſis.
Ambiani, apud Ambianenſes, & in Ambianenſi territorio.
Andegavi, & in agro Andegavenſi.
Andeliaci ad Sequanam diœc. Rotomagenſis.
Anderlaci prope Bruxellam.
In Angeliaco monaſterio diœceſis Santonenſis,
Aniſula in agro Cenomanenſi.
Anicii Vellaunorum, ſeu apud Podium Vellaunicum.
Antiſſiodori, & in pago, & in territorio Antiſſiodorenſi.
In Antro inſula Ligeris.
Apamia in Aquitania.
Apta Julia in Provincia.
Aqua Auguſta ſeu Tarbella.
In Aquilina Sylva diœc. Carnutenſis.
Aquiniaci in diœc. Ebroicenſi.
Aquis Sextiis in Provincia,
Aquiſgrani.
In Aquitania, loco incerto.
Arauſica in Provincia.
Archiaci in diœc. Trecenſi,
Area in Arteſia,
Arelate.
In Argentonio Caſtro in Bituricis.
In Armorica, ſeu minori Britannia.
Arvernis, & in territorio Arvernenſi.
Attrebati, & in pago, & in territorio Attrebatenſi.
Atura, ſive Adura in Vaſconia,
Audomaropoli in Flandria,
Avenione.
Avenioneti prope Toloſam.
Avenna cœnobio diœc. Catalaunenſis,
Auga cœnobio diœc. Rotomagenſis.
Auguſta Tricaſtinorum.
Auguſta Viromanduorum, ſeu Quintinopoli.
Auguſtoduni Æduorum, & in territorio Auguſtodunenſi.
Aureliis, & in territorio Aurelianenſi.
Auſcii, ſive Auguſta Auſciorum.

B

Bajocis in Normannia, & in agro Bajocenſi.
Bajona, ſeu apud Caſtrum Lampurdenſium.
In Becco cœnobio diœc. Rotomagenſis.
In Belgio. Apud Belgas.
Bellicii.
Bellovaci, & in agro Bellovacenſi.
Belna in Æduis.
Bethunia in Arteſia.
In Bigoritano Tractu.
Biterris.
Bituricis, ſive apud Bituricas, & in territorio Bituricenſi.
In Blavio Caſtro in Aquitania.
Bleſis in diœceſi Carnutenſi.
Bolonia in Morinis.
In Bonævallis cœnobio diœc. Carnutenſis:
In Bonævallis monaſterio diœc. Viennenſis;
Brincola in Phocenſi Provincia.
Brioci in Armorica.
Brivate apud Arvernos.
Burdigala, & in territ. Burdigalenſi,
In Burgidolio monaſterio diœc. Bituricenſis,
In Burgundia,

C

Cabellione Cavarum;
Cabilone in Æduis.
Cadomi in Normania.
Cainone oppido diœc. Turonenſis.
Cameraci.
In Campania,
Carcaſſone.
Carnuti, & in diœc. Carnutenſi.
Carobria apud Bituriges.
Caſa Dei monaſterio in Arvernia;
Caſtellione diœc. Senonenſis.
Caſtro Theodorici diœc. Sueſſionenſis.
Catalauni, & in territ. Catalaunenſi,
Caturci, & in territ. Caturcenſi.
Cellis Biturigum.
Cenomanis, & apud Cenomanos.
Centula in Ambianis.
In Charitatis monaſterio ad Ligerim;
Ciſtercii.
Claravallis in diœc. Lingonenſi.
Claromonte Arvernorum.
Cluniaci in agro Matiſconenſi.
Compendii, & prope Compendium diœceſis Sueſſionenſis.
Condomii ſub Metropoli Burdegalenſi,
Conſeranis in Vaſconia.
Conſtantia in Normania.
Convenis in Aquitania.
Corbolio caſtro ad Sequanam, diœceſis Pariſienſis.
Corbeja in Ambianis.
Corbiniaci in diœceſi Æduenſi,
Coriſopiti in Armorica.

D

Deſiza ad Ligerim, in agro Nivernenſi.
Dia, ſive Auguſta Colonia Dienſium Vocontiorum.
Dinia Santiorum,
Dionyſiopoli.
Divione.
Apud Dolum in Armorica.
In Dunenſi caſtro, diœceſis Carnutenſis;

E

Ebreduni.
Ebroicis, & in pago Ebroicenſi.
Engoliſma.

F

In Ferrariarum monaſterio, diœceſis Senonenſis;
In Firmitatis monaſterio, diœceſis Cabilonenſis.
Apud Firmitatem Milonis.
Fiſcanii, in diœceſi Rotomagenſi.
Flaviniaci, cœnobio in Æduis.
In Floriacenſi monaſterio, in Aurelianis;
Floriopoli in Arvernis.
In monaſterio Fontanellæ, diœceſis Rotomagenſis,
Fontaneti, monaſterio diœceſis Lemovicenſis.
In Fontis Ebraldi monaſterio.
Foro Julii, in Gallia Narbonenſi,
Fuſniaci, diœceſis Laudunenſis.

G

Gavalis, & in territorio Gavalitano.
In Gemeticenſi monaſterio, diœceſis Rotomagenſis,
Genua, ſeu Gebena.
Glanofolii cœnobio, diœceſis Andegavenſis.
In Grandimontenſi monaſterio, diœceſis Lemovicenſis.
In Grandiſſylvæ monaſterio, diœceſis Toloſanæ.
Gratianopoli,

Jargo-

I

Jargolii in agro Aurelianenſi.
Icciodori in Arvernis.
Igniaci cœnobio diœceſis Remenſis.
Jotro monaſterio diœceſis Meldenſis.
In Jorenſi monaſterio.

K

Kala monaſterio diœceſis Pariſienſis.

L

Laſcara in Bearno.
Latiniaci cœnobio diœceſis Pariſienſis.
Apud Lavallium oppidum diœceſis Cenomanenſis.
Landuni, & in territorio Laudunenſi.
Lectora, & in agro Subjacenſi.
Lemovicis, & in agro Lemovicenſi.
Leodii in Belgio.
Leonii in Armorica.
Lerini, ſive in monaſterio Lerinenſi.
Lexovii in Normania.
Lingonis, & in territorio Lingonenſi.
Lochis in diœceſi Turonenſi.
Lodeve, ſive Luteva.
In diœceſi Lombarienſi.
In Lotharingia.
Lugduni, & in territorio Lugdunenſi.
Luſarchiarum caſtro diœceſis Pariſienſis.
Lutetiæ Pariſiorum.
In Luxovienſi monaſterio in Burgundia.

M

Macloviopoli in Armorica.
In Magalona inſula.
Magduni in territorio Aurelianenſi.
In Majori monaſterio Turonenſi.
Maleaci in Pictavis.
Maſſilia, & in territorio Maſſilienſi.
Matiſcone.
Medunta, in diœceſi Carnutenſi.
Meldis, & in agro Meldenſi.
Meloduni in diœceſi Senonenſi.
Metis.
In Monaſterio Miciacenſi, diœceſis Aurelianenſis.
Mimote Gabalorum.
Apud Mirapicenſes.
In Monaſterio Moliſmenſi, diœceſis Cabilonenſis.
Apud Monaſterium Caſtrum in Ambianis.
Apud Montem Albanum.
Apud Montem Calvum.
Apud Montempeſſulanum.
Apud Montem Verdunum in Foreſia.
Morimundi cœnobio diœceſis Lingonenſis.
Muſſiponti in Lotharingia.

N

Nannetis in Armorica.
In Nantonienſi caſtro diœceſis Senonenſis.
Narbona, & in territorio Narbonenſi.
Nemauſi.
Niciæ in Provincia.
Nigella monaſterio diœceſis Trecenſis.
Nivernis.
Nobiliaci monaſterio in Pictavia.
In Normania.
Noviomi.

P

Pariſiis, & in diœceſi Pariſienſi.
Perona in agro Noviomenſi.
Perpiniani.
Petracoriis.
Pictavis, & in territorio Pictavienſi.
Pithiveris in diœceſi Aurelianenſi.
Pontœſia, ſeu Ponſiſara.
In Civitate S. Pontii Tomeriarum.
In Pontivio diœceſis Venetenſis.
Pontiniaci cœnobio.
Præmonſtrati diœceſis Laudunenſis.
Primuliaci in Aquitania.
Pruvino caſtro diœceſis Senonenſis.

Pulteria ad Sequanam diœceſis Lingonenſis.
Pyrenæis in Montibus.

Q

Quintinopoli.

R

In Ratenſi inſula.
Redonis.
Remis, & in territorio Remenſi.
In Reomenſi cœnobio diœceſis Lingonenſis.
Ricomagi in Arvernis.
In Diœceſi Rivorum.
Apud Caſtrum Radulphi diœceſis Bituricenſis.
Romarici montis monaſterio diœceſis Tullenſis.
Rotomagi, & in diœceſi Rotomagenſi.
Rua ſub ſede Ambianenſi.
Rutena in Aquitania.

S

Sagii, & in territorio Sagienſi in Normania.
Salmurii in Andibus.
Sanctonis in Aquitania.
Sarlati, & in agro Sarlatenſi.
Savigniaci in diœceſi Abrincenſi.
Seduni ad Rodanum.
Senonis, & in territorio Senonenſi.
Sezanna in territorio Trecenſi.
Silvanecti, & in agro Silvanectenſi.
Silviniaci in territorio Arvernenſi.
Siſtarci, ſive Sigiſterici in Provincia.
Solemniaci in agro Lemovicenſi.
Soliaci ad Ligerim diœceſis Aurelianenſis.
Solodori in Genuenſi diœceſi.
Stampis diœceſis Senonenſis.
Sueſſione, & in diœceſi Sueſſionenſi.
In Sylva Gotia prope Compendium.

T

Taraſci in Provincia.
Tarbia in Vaſconia.
Tarentaſia.
Tarvanna, ſive Teroana in Morinis.
Telone Martio in Provincia.
Toloſa, & in agro Toloſano.
Tornaci in Flandria.
Tornodori diœceſis Lingonenſis.
Trajecto ad Moſam.
Trecis in Campania.
Trecora in Armorica.
Treviris, ſeu Auguſta Trevirorum.
Tricaſtria, ſeu in Civitate & diœceſi S. Pauli Tricaſtinenſis.
Tulli Leucorum, & in diœceſi Tullenſi.
In Monte Tumba in Normania.
Turonis, & in agro Turonenſi.

V

Valencenis in Belgio.
Valentia Segalaunorum.
Vapingi.
Vaſati in Aquitania.
In Vaſconia.
Vaſione Vocontiorum.
In Vaſtinio diœceſis Senonenſis.
Apud Vaorum in Gallia Narbonenſi.
Ucetica in Gallia Narbonenſi.
Vencia in Provincia.
Veneti in Armorica.
Vernoni ad Sequanam diœceſis Ebroicenſis.
Veſontione, & in territorio Veſontionenſi.
Vezeliaco monaſterio in Æduis.
Vienna Allobrogum, & in territorio Viennenſi.
Viganti inter montes Cevennicos diœceſis Nemauſenſis.
In Caſtro Vindocinenſi diœceſis Carnutenſis.
Virduni.
Vivarii ſub metropoli Viennenſi.
In Vogeſo monte diœceſis Tullenſis.
In Tractu Vulcaſſino.

QUÆSTIO III.

Quis locus nominandus?

Locus obitus nominandus potiùs, quàm commemorationis.

AN is in quo Sanctus diem extremum obiit? An potiùs in quo celebris ejus habetur memoria (ubi videlicet utrumque diverſum eſſe contingit?) Recole quæ de hoc ferè eodem argumento aſſerta ſunt *lib.* 1. *cap.* 10. *quæſt.* 1. & 2. & pariter conclude locum in quo Sanctus obiit eſſe potiùs exprimendum, ſi quidem is certò conſtat, & in eo ipſius Sancti viget adhuc memoria; ſin minùs, poteſt legitimè nominari locus, in quo majori jam tum venerationi eſſe conſuevit, quacunque tandem ex cauſa id fiat; niſi malueris omiſſa loci mentione Sancti ipſius nomen abſolutè pronunciare.

QUÆSTIO IV.

Ut Sancti cujuſque nomen & qualitas exprimenda?

Nomen in genitivo caſu exprimitur.

NOmen quidem, ut in gignendi caſu exprimatur, perpetuus adeo conſtanſque uſus eſt, ut ne unum quidem contrarium exemplum obſervare liceat. Nomini inſuper additur cognomen, putà Stephani de Mureto, Joannis de Craticula, & ſi quod aliud occurrat undequaque petitum.

Cognomen quandoque additur.

Præmittitur nonnunquam in Martyribus, vox, *Paſſio*; in Confeſſoribus, *Depoſitio*; putà *Paſſio S. N. Epiſcopi & Mart. Depoſitio S. N. Epiſcopi & Confeſſ.* frequentiſſimè verò tam Confeſſoribus quàm Martyribus tribuitur vox *Natalis*, de qua dictum fusè ſuprà *capit.* 2. *quæſt.* 1. Utramvis illarum vocum in ſimili potes adhibere.

Paſſio, Depoſitio, Natalis.

Qualitas verò, ſeu Dignitas, in viris quidem ſic eſt exprimenda, *Sancti N. Epiſcopi & Mart.* vel *Epiſcopi & Confeſſoris*, vel, *Abbatis*, *Monachi*, *Eremitæ*, vel *Confeſſoris* ſimpliciter. In fœminis verò, *Virginis & Martyris*, vel *Virginis* tantùm, aut *Martyris* tantùm, vel denique *Viduæ*. Omitto monere de Apoſtolis ac Diſcipulis Domini, imò & de Sanctis veteris Teſtamenti; ii enim omnes, ſicut & Papæ, & Doctores, quotquot Sancti habentur, cùm in ipſo Martyrologio locum jam obtineant; non addendi, ubi celebrantur, ſed ad primum locum ex poſteriore duntaxat ſunt promovendi. Sunt & aliæ qualitates propriæ, quas allegare nihil vetat, verbi gratia, *Sancti N. primi Sedis hujus Antiſtitis ac Patroni noſtri*, vel, *Fundatoris Ordinis N*, vel *Ordinis noſtri*, item *Imperatoris*, *Regis Francorum*, *Anglorum*, &c. in iis videlicet, qui tales extiterint.

Ratio exprimendi qualitates Sanctorum.

Feſta Tranſlationum, & alia ſecundaria, ipſa Tranſlationis, ſeu alio nomine proprio ſunt exprimenda; memoratis etiam ſi lubet locis, ex quo, & in quem facta eſt ejuſmodi Tranſlatio; ut videre eſt in Tranſlationibus S. Andreæ, S. Hieronymi, & S. Nicolai in Martyrologio recenſitis 9. *Maji*.

Forma annunciandi feſta Tranſlationum, &c.

Feſta votiva Chriſti Domini, aut Beatæ Mariæ, aut Angelorum, aut alia ejuſmodi ſimplici ſunt Myſterii ſeu eventus recenſione annunciandа, verbi gratia, *Feſtum glorioſiſſimi Nominis Jeſu*, *Feſtum Compaſſionis, ſeu Dolorum Beatæ Mariæ Virginis*: ſic legas apud Molanum die 11. Auguſti, *Pariſiis*, *Suſceptio Sacræ Coronæ ſpineæ Domini, ab Infidelibus per Beatum Ludovicum feliciter erepta*. Item die ultima Septembris, *Pariſiis*, *Solemnitas Sacratiſſimarum noſtræ Redemptionis Reliquiarum ibidem in Sacra Cappella Regia à Beato Ludovico honorificè reconditarum*, &c.

Forma annunciandi feſta votiva Chriſti Domini, &c.

QUÆSTIO V.

An ad Sancti nomen liberum ſit Elogium aliquod inſuper addere.

Elogiorum varia ratio petita à genere martyrii.

ELogium, inquam, ſive à Martyrii genere petitum, quale eſt illud, *Qui per Crucem inſigne Martyrium conſummavit*, vel illud, *Qui in ignem miſſus beatum pro Chriſto finem ſortitus eſt*, vel illud, *Qui cum aſpide & cane inſutus culeo, in mare demerſus fuit*, &c. ſive à multiplici tormentorum inflictione, ut cùm de Sancto Vincentio legitur, *Qui ſub Daciano impiiſſimo præſide, carceres, famem, equuleum, diſtorſiones membrorum, laminas candentes, cratem ferream ignicam, aliaque tormentorum genera perpeſſus ad Martyrii præmium evolavit in cœlum*, &c. ſive generali laudabilis vitæ commendatione, ut cùm pleriſque Confeſſoribus illud frequentiſſimè tribuitur, *Qui vita & verbo clarus ſancto fine quievit*, *cujus vita virtutibus & miraculis plena refulſit*, *cujus vita ſanctitate & miraculis extitit glorioſa*, *qui ſepultus in terris, in cœlo ſe vivere multis virtutibus manifeſtat*: & ſimilia: ſive ab facto aliquo particulari, quale illud eſt S. Alexii, *Qui prima nocte nuptiarum ſponſa intacta è domo ſua abſcedens*, &c. S. Deuſdedit, *Qui quod in hebdomada manibus ſuis operando lucrabatur, die Sabbati pauperibus erogabat*. S. Ivonis, *Qui pro Chriſti amore, cauſas pupillorum, viduarum ac pauperum defendebat*, &c. Illud quoque S. Alipii Epiſcopi, *Qui Beati Auguſtini olim diſcipulus, in converſione ſocius, in munere paſtorali collega, & in certaminibus adverſus hæreticos commilito ſtrenuus in cœleſti gloria conſors fuit*. Sive denique à SS. Patrum teſtificatione, ut cùm de S. Antonio legis, *Cujus geſta S. Anaſtaſius inſigni volumine proſecutus eſt*; de SS. Salvio, Quadrato, & aliis, *In cujus ſolemnitate S. Auguſtinus ſermonem habuit ad populum*; de S. Agnete citatum Hieronymi locum, *Omnium gentium litteris atque linguis præcipuè in Eccleſiis Agnetis vita laudata eſt*, &c.

A multiplici tormentorum inflictione.

A generali vitæ commendatione.

A facto aliquo laudabili.

A SS. Patrum teſtificatione.

Quæ omnia conſultò retulimus, ut ſi quibus placet elogium aliquod Sanctorum ſuorum nuncupationi attexere, (quod nos utique non licere modò, verùm etiam convenire ultro concedimus) ii ad duo potiſſimùm advertant; alterum ut quæcunque allegabuntur, ea vel certis authoribus, vel probata traditione ſic conſtent, ut ab omni ſint procul falſitatis ſuſpicione vindicata; alterum, ne prolixum texant ſermonem, qui paginam impleat, Lectioniſque integræ rationem magis habeat, quàm compendioſæ indicationis.

In elogiis texendis duo advertenda.

Optandum verò eſſet, ut quod in uno Cabilonenſi proprio obſervatum adverti, cæteræ omnes Eccleſiæ perinde ſuſciperent; ut videlicet in calce ſui Proprii, vel etiam Breviarii, (quæ nimirum Gentilitium adhuc ſervant) integrum deſcribi curent textum Feſtorum propriorum in Martyrologio per totam Diœceſim pronunciandorum; ne cui videlicet liberum ſit quicquam temerè & abſque delectu proferre.

Proprium Cabilonenſe habet annunciationes omnium ſiſtorum feſtorum propriorum.

SECTIO V.

DE re quapiam, ut præſtari debet, fruſtra ſtatueris, niſi ad quos eam præſtare ſpectet, ipſe quoque definias. Definiendum nobis itaque jam eſt, quibuſnam ex officio incumbat feſta quælibet locorum ſeu Eccleſiarum propria celebrare. Quam quæſtionem licèt magna jam ex parte attigerimus *libr.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 8. 9. & 10. juvat tamen eamdem hìc denuo, quatenus in praxim cadit, pleniùs atque accuratiùs expendere. Praxis verò cùm utramque Officii divini perſo-

perſolutionem & publicam & privatam involvat, nec aliunde utriuſque par ſit in tuendo ſe ab objectis ratio; non erit abs re ſuum cuique caput ſeorſim tribuere.

CAPUT XVI.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI Feſta Propria quoad Chorum, ſeu publicam decantationem.

Eccleſiæ aliæ aliis ſuperiores.

CUjuſcunque Eccleſiæ feſtum aliquod proprium eſt, aut nullibi ipſum, aut in ea potiſſimùm debet celebrari; (neque de hoc ulla poteſt à quoquam moveri controverſia.) Verùm quoniam Eccleſiarum aliæ ſunt aliis ſuperiores, aliæ inferiores prioribus iſtis ſubditæ ac dependentes quacunque tandem ratione; quæſtio hinc oritur, ſintne ſuperiorum Eccleſiarum feſta propria, æquè ab inferioribus celebranda? Reſponſio multiplex, pro multiplici ac varia aliarum ab aliis dependentia.

QUÆSTIO I.

An feſta Eccleſiæ Metropolitanæ propria ad omnes Provinciæ Eccleſias pertineant?

Feſta Metropolitanæ Eccleſiæ non ſunt in tota Provincia.

SAtisfactum huic quæſtioni *lib.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 8. negatumque dari communiter feſta totius Provinciæ propria; non quòd non aliqui ſint Sancti, quorum feſtivitas in tota Provincia peragitur, ut in Remenſi S. Remigius, in Rothomagenſi S. Romanus, in Senonenſi SS. Savinianus & Potentianus, &c. Verùm id non fit ratione dependentiæ, ſeu vi juriſdictionis, quam obtineat Metropolitana in ſubditas diœceſes; hanc enim politicæ juriſdictioni magis quàm hierarchicæ ſimilem eſſe aſſeruimus *loco citato:* Sed ſunt Sancti illi cujuſque diœceſis proprii, ſive ex affinitate, aut vicinitate, ſive quòd Naturales regni aut regionis habeantur, ſive denique ex conſuetudine, aliove titulo ex recenſitis. Ut ut ſit, non ab ipſa Metropolitana, ſed à Cathedrali cujuſque Diœceſis Eccleſia peti ſolet ratio ſeu norma ejuſmodi feſta celebrandi. Ad hanc itaque primò ac per ſe recurrendum.

QUÆSTIO II.

An omnia & ſingula Eccleſiæ Cathedralis feſta propria ad omnes Diœceſis Eccleſias æquè pertineant?

Ubi Breviarii proprii uſus eſt Feſta Eccleſiæ Cathedralis ſiunt per totam diœceſim.

PErtinere ſaltem aliqua, conſtat ex dictis *lib.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 8. *&* 9. Annon verò omnia, aut quænam præ aliis, reſtat indagandum. Et facilis quidem reſolutio pro iis Cathedralibus, quæ Breviarii proprii uſum legitimum adhuc retinent. Nam cùm Breviarii ejuſmodi uſus ex jure communis ſit reliquis Diœceſis Eccleſiis, præſertim Parochialibus, & aliis quibuslibet non exemptis; eadem proinde feſta neceſſe eſt in iis omnibus celebrari, quæ in ipſa Cathedrali; niſi fortè aliquibus, ut ſæpè fit, reſtrictio hæc adhibeatur (*in Eccleſia Cathedrali tantum*, vel *in civitate tantum*.)

Ubi Romani Breviarii uſus eſt, non omnia feſta Eccleſiæ Cathedralis ſiunt per Diœceſim.

Quoad verò Diœceſes, in quibus abrogato jam uſu proprio, unus ſupereſt Romanus; aut ſi ſupereſt in Cathedrali proprius, ex legitima Epiſcopi conceſſione Romanus in aliquibus particularibus Eccleſiis receptus eſt; ratum inprimis habeo, quod non ſemel pronunciavi aliàs, quæcunque feſta in Eccleſia Cathedrali celebrantur, haud ea protinus in reliquis Diœceſis totius Eccleſiis celebrari poſſe, ſeu etiam debere, cum multas graves ob cauſas, tum ob id maximè, quòd toto ferè Calendario feſtis occupato, majorem feriarum anni partem plerumque omitti contingeret. Quod ſanè incommodum ſolicitè caveri debere, multis docuimus *lib.* 1. *cap.* 7. *quæſt.* 19. *& cap.* 10. *quæſt.* 3. Quænam ergo ex omnibus feſtis Eccleſiæ Cathedralis propriis, ad alias ipſi ſubditas Diœceſis Eccleſias ſic pertineant, ut in iis æquè celebrari poſtulent, in genere quidem definivimus ſuprà *lib.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 9. nunc verò ſpeciatim accipe.

Feſta Eccleſiæ Cathedralis per Diœceſim facienda.

Primò, Feſtum Patroni ſeu Tituli ipſiuſmet Eccleſiæ Cathedralis, item ejuſdem Dedicatio, juxta ea quæ dicta ſunt *lib.* 1. *cap.* 3. *quæſt.* 11.

Secundò, feſta Patronorum Diœceſis, qui ut tales nimirum coluntur in ipſa Cathedrali, ſive ii ſint primarii, ſive ſecundarii, quales multos retulimus *lib.* 1. *cap.* 7. *quæſt.* 4.

Tertiò, feſta ſecundaria eorumdem, putà Tranſlationis, Ordinationis, &c. de quibus actum *toto cap.* 9. *libri* 1.

Quartò, feſta Sanctorum Epiſcoporum, & aliorum loci naturalium, non quidem fortè omnium, ſed præcipuorum, ſeu eorum ſaltem qui ad diœceſim maximè pertinent, juxta prænotata *lib.* 1. *cap.* 11. *quæſt.* 3. 4. *&* 5. quæ loca, cùm opus fuerit, conſule diligenter.

Feſta Reliquiarum Eccleſiæ Cathedralis non pertinent ad reliquas Diœceſis Eccleſias.

Quintò, feſta Reliquiarum (niſi & ipſæ prædictorum Sanctorum fuerint) non videntur ab aliis Eccleſiis celebranda, quàm ab ipſamet Cathedrali: habent enim ſuas & aliæ Eccleſiæ Reliquias, quarum feſtivitatem recolere ſingulis incumbit; neque ad Eccleſiam Cathedralem, ut Cathedralis eſt, pertinet, quòd tales & tales poſſideat Reliquias, cùm id ſit merè per accidens.

Non pertinent quoque feſta ex Vicinitate, Affinitate, &c.

Sextò, de feſtis quæ in Cathedrali fieri contingit, ex Vicinitate locorum, Affinitate, ſeu Confraternitate Sanctorum, aut Cognatione Eccleſiarum, & aliis, de quibus *lib.* 1. *cap.* 12. reſpondi jam *præfati capitis quæſt.* 4. hoc præciſè titulo, Officium extra ipſam Cathedralem minimè eſſe extendendum.

Neque item feſta ex Voto ſeu Fundatione.

Septimò, neque item de feſtis ex voto ſeu devotione generali, niſi ipſum votum fuerit totius Civitatis, tunc enim de ejuſmodi feſto votivo fiet quidem in omnibus Civitatis Eccleſiis, at minimè per Diœceſim extendi debet. Feſta verò fundationum ut vocant, quæ frequentiſſima ſunt in aliquibus Eccleſiis Cathedralibus, extra ipſas fieri, omni jure nefas eſſe cenſeo.

Neque ex conſuetudine, niſi in iis Eccleſiis ubi recepta eſt.

Octavò, Feſta ex conſuetudine (ſi nimirum ea legitima ſit) poſſe quidem retineri in iis Eccleſiis, in quibus ejuſmodi conſuetudo recepta eſt, pronunciavimus *lib.* 1. *cap.* 13. *quæſt.* 6. at conſuetudinem illam ex unis Eccleſiis, etiam ipſamet Cathedrali ad alias, abſque alia cauſa traduci penitus improbamus.

De Vigiliis non ſit Officium, licèt ex jejunentur.

Decimò, Vigilias Sanctorum propriorum more Cathedralis Eccleſiæ jejunari quidem debere concedimus; Officium verò ab Eccleſiis Romano Breviario utentibus uſurpari neceſſarium non ducimus.

Fiunt per diœceſim Octavæ Patroni ſeu Titularis, item & Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis.

Undecimò, Octavam Patroni ſeu Titularis Eccleſiæ Cathedralis per omnes ſubditas Eccleſias celebrari debere, ſaltem in civitate, æquè concedimus, imò & aſſerimus atque Octavam Dedicationis. Ut quid enim una magis præciperetur quàm altera, cùm utraque ex æquo, imò Patroni fortè magis quàm Dedicationis ad totam Diœceſim pertineat? Dedicationis autem Octavæ in Civitate celebrandæ Decretum habetur Sacræ Rituum Congreg. 2. *Maji* 1619. Patroni itidem principalis Diœceſis, ſi alius eſt à Patrono Eccleſiæ Cathedralis, ut & aliorum quoque Patronorum celebrium; putà S. Dionyſii Pariſiis, S. Martini Turonibus, &c. Octavas celebrandas nemo negare poteſt, ſaltem titulo conſuetudinis *ex Rubrica* 7. *num.* 2.

Officium hebdomadarium de Patrono inuſitatum ritu Romano.

Duodecimò, Officium hebdomadarium Patroni, quod fit in Eccleſia Cathedrali, inauditum eſt in uſu Romano, ut ad Diœceſim extendatur; ſi tamen aut ipſummet, aut ad ejus inſtar de cujuſvis Eccleſiæ Patrono fieri alicubi conſueverit, eſto, valeat quantum poteſt ejuſmodi conſuetudo.

Fuiſſet non abs re hic & ſequentibus quæſtionibus ſubjicere paradigmatis inſtar feſta majorum aliquot Eccleſiarum ab inferioribus celebranda. Verùm abſtineo, ne quis non benevolus, leges me aliis velle imponere calumnietur. Locus id præſtandi, dabit ſe aliàs tutior fortè & opportunior.

QUÆSTIO III.

An Abbatiales, Collegiatæ, aliæque Eccleſiæ per ſe exemptæ, juriſdictionem quoque ac quaſi diœceſim habentes, ad ſupradicta Eccleſiæ Cathedralis feſta celebranda teneantur?

Præter Patronum Eccleſiæ Cathedralis ſanctoſque loci naturales celebriores, vix aliorum feſta in Eccleſiis exemptis fieri opus eſt.

VIx aliquid addendum occurit iis quæ reſoluta fuere *libr.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 10. niſi quòd præter Patronum ſeu Titularem Eccleſiæ Cathedralis, præter Patronum item loci (ubi alter ab illo eſt) videntur etiam Patroni minus principales, necnon Sancti Epiſcopi aliique loci naturales, ſaltem celebriores ab ejuſmodi Eccleſiis haud rejiciendi; non quidem titulo dependentiæ, quam nullam habent à Cathedrali Eccleſiæ illæ ſic exemptæ per ſe, ſed ne debito Sancti illi cultu & obſequio fraudentur, quorum charitatem erga cunctos loci incolas, ejuſmodi privilegiis & immunitatibus haudquaquam arctari credendum eſt: Quin & ipſaſmet plerumque Eccleſias ſtrictiori vinculo iidem Sancti ſibi devinctas habent, putà quòd eas extruxerint, aut in iis habitaverint, aut eorum corpora in iis quieſcant, &c. De Dedicatione verò & cæteris feſtis ſecundariis Patronorum, votivis, fundationis, aliiſque quæſtione præcedenti memoratis, nihil eſt quòd ſolicitæ ſint ejuſmodi Eccleſiæ, niſi vel conſuetudo, vel alius quiſpiam legitimus titulus ea illis æquè vindicet.

QUÆSTIO IV.

An & quibus feſtis Diœceſanis Regularium exemptorum Eccleſiæ teneantur?

TEneri Regulares ad obſervantiam feſtorum quæ de præcepto ſunt in Diœceſi, clarum eſt ex his verbis Concilii Tridentini ſeſſ. 25. capit. 12. *Dies etiam feſti, quos in diœceſi ſua ſervandos Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus ſerventur.* An verò ad Officium? Negant aliqui, nixi declaratione quadam Congregationis Concilii, quam refert ex Quaranta Rodericus *tomo* 4. *tit.* 4. *cap.* 29. *num.* 47. Ea verò ſic habet: *Prædicta verba ſic intelligenda, ut Regularium ritus illis feſtis ſemper permaneant quoad Miſſas celebrandas, & cætera divina Officia tam publicè quàm privatim ab ipſis Regularibus in eorum Eccleſiis perſolvenda; nec circa hæc ab Epiſcopis quoquo modo quicquam in contrarium eiſdem Regularibus præcipi poſſe. Verùm quoad conciones & lectiones, quas iidem Regulares ad populum habuerint, debere ſe conformare Evangeliis & Epiſtolis, quibus Clerus ſæcularis utitur illis diebus feſtis.* Ajunt etiam aliqui eo ſe donatos privilegio, ut ad feſta localia minimè teneantur attendere, modò ſe in Miſſarum celebratione populorum devotioni accommodent.

Concil. Trid.

Rodericus.

Sacratiora ſunt iſta privilegia, quàm ut ea auſim tangere. Referam tamen quæ in contrarium ipſimet proprii Regularium ritus præſcribunt. *De Patronis Eccleſiæ Cathedralis fit Officium Duplex tertii ordinis.* Ita Ceremoniale Monaſticum lib. 4. cap. 16. *In feſto proprio Diœceſis vel Eccleſiæ, &c.* Breviarium Præmonſtratenſe in obſervationibus generalibus pro Officii diſtinctione. Expreſſiùs adhuc Breviarium Ordinis Prædicatorum, titulo de feſtis extraordinariis: *Feſtivitates extraordinariæ Sanctorum, quæ ſolemnes & de præcepto habentur in locis, in quibus fratres commorantur, poſſunt ab eis ſolemniter celebrari ſub feſto toto duplici:* & paulo pòſt, *Quandocunque verò occurrerit aliquod ſimile feſtum ſolemne & de præcepto in patria, in die alicujus Sancti Calendarii noſtri, etiamſi ſit ejuſdem vel majoris ſolemnitatis, fiet Officium de Sancto patriæ, & noſtrum transferatur.* Iiſdem ferè verbis Breviarium Carmelitarum Rubr. 1. de Officio Duplici; *Item de Sanctis patriæ, ſcilicet de illis, qui illius loci, ubi fratres noſtri commorantur, ſunt nativi, vel qui ibi martyrium ſubierunt, ſeu loci illius Epiſcopi fuerunt, aut quorum feſta univerſali devotione à populo coluntur, &c.* Omitto cæteros, quibus omnibus adſtipulatur Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 12. *num.* 5. affirmans Sacram Rituum Congregationem decreviſſe ſæpiùs Regulares etiam teneri ad feſtum de Patrono loci, & Officium ſolemne, juxta Bullam Gregorii XIII. *die* 30. *Decemb.* 1573. Quid autem importent præfata privilegia, ſi quæ ſint, dixi jam *libr.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 10.

Ceremoniale Monaſt.

Brev. Præmonſtr.

Brev. ord. Præd.

Brev. Carmelit.

Gavantus.

Raram itaque ſit Regulares, quantumvis exemptos, teneri ſaltem ad hæc feſta celebranda, nimirum Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ Cathedralis; Dedicationis ejuſdem Eccleſiæ (ſi nimirum ea in Diœceſi fiat, juxta quod dictum eſt *libr.* 1. *capit.* 3. *quæſt.* 11. quamvis nec ad hanc Gavantus Regulares teneri dicat, niſi ex congruentia quadam *ſect.* 8. *capit.* 5. *num.* 5.) Patroni item loci ſeu Diœceſis, ſi fortè alius eſt à Patrono Cathedralis; item Patronorum minùs principalium, ubi tales etiam coluntur; ad quos tamen idem Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 12. *num.* 7. ait nulla lege obligari, nihilominus laudabile eſſe ſi faciant. De feſtis verò ſecundariis Patronorum, litem iis non movebo, ſi nihil fecerint (niſi in quibus locis & ipſa fortè ſolemniora habentur.) Item nec de feſtis SS. Epiſcoporum & aliorum loci naturalium, quæ tamen ſi cum aliis Diœceſis Eccleſiis communiter peragere ſatius duxerint, maximè quæ celebriora ſunt, non improbabo, eo ſanè titulo quòd verè loci propria ſint. Cætera ſive Reliquiarum, ſive Vicinitatis, aut Affinitatis, ſive Fundationis, aut Voti, ſive denique conſuetudinis, nihil ad Regulares ſpectare certum eſt; ſicut nec Octavas quaſcunque cenſuit ſæpiùs Sacra Rituum Congregatio. Sunt tamen Patroni quidam locorum adeò eximii, putà S. Dionyſius Pariſiis, S. Martinus Turonis, &c. ut ſi eorum Octavam unà cum reliquo Clero celebrent Regulares, laudandum magis ſit quàm damnandum; id nullatenus prohibente Congregatione, ſed tantùm decernente ad id eos minimè teneri.

Regulares tenentur celebrare feſtũ Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ Cathedralis, & Dedicationis ejuſdem.

Item feſtum Patroni loci, &c.

Non tenentur ad feſta Sanctorum Naturalium.

Feſta Reliquiarum, Vicinitatis, Affinitatis, &c. nihil ad Regulares pertinent.

Octava Patronorum celebrium à Regularibus nonnunquam ſervanda.

QUÆSTIO V.

An prædicta feſta omnia eodem ritu per Diœceſim, quo in Eccleſia Cathedrali celebranda ſint?

RItus nomine ſi externum Chori apparatum intelligas, ut ſuum habent ſingulæ ferè Cathedrales ritum proprium, inferioribus Eccleſiis haud omni ex parte communem, ita nec eumdem in ſupradictis feſtis inferiores ſervare poſſunt aut debent. De ritu ergo quæritur, hoc eſt qualitate feſti, an videlicet ritu duplici, adeoque primæ vel ſecundæ claſſis, majori vel minori, aut ſemiduplici more Cathedralis feſta illa ab inferioribus Eccleſiis ſint peragenda? Sic itaque reſpondeo pro Eccleſiis Breviario Romano utentibus.

Primò

Feſtum Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ Cathedralis ritu primæ claſſis celebrandum.

Primò feſtum ſolemne principale Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ Cathedralis, adeoque ut plurimùm totius Diœceſis, omnino ritu primæ claſſis eſſe celebrandum, putà feſtum S. Gatiani Turonis, feſtum S. Juliani Cenomanis, feſtum S. Corentini Coriſopiti, &c.

Item Dedicatio ejuſdem.

Secundò, eodem quoque ritu celebranda ejuſdem Eccleſiæ Dedicatio, modò in ipſamet Eccleſia ita celebretur; nam ubi more dumtaxat duplicis per annum ſervatur, uti Biturigibus, nihil plus addendum videtur.

Feſta Patronorum ſecundariorum ritu ſecundæ claſſis celebranda.

Tertiò, feſta Patronorum minùs principalium, ubi in Cathedrali ad inſtar Duplicium ſecundæ claſſis habentur, eo pariter ritu per totam diœceſim erunt celebranda. Ejuſmodi habes Turonis feſta S. Lidorii & S. Martini, Senonis feſtum S. Lupi, Pariſiis feſta S. Marcelli & S. Genoveſæ, &c.

Aliqua ritu duplicium majorum.

Quartò. At ubi feſta Patronorum ejuſmodi, non plus quàm duplicia per annum in Cathedrali habentur, neque etiam putaverim per Diœceſim altiori ritu peragenda. Exemplo ſint feſta S. Urſini & S. Sulpitii Biturigibus, S. Evurtii & S. Aniani Aureliis, &c. quæ omnia & ſimilia duplicibus majoribus per annum annumeranda cenſeo, prout fert ſeries ejuſmodi Duplicium in Breviario Urbani VIII. de novo addita.

Feſta antiquorum Titularium convenit eſſe duplicia majora.

Quintò. Annumeranda item Duplicibus majoribus feſta antiquorum Titularium, putà S. Mauritii Turonis, SS. Gervaſii & Protaſii Cenomanis, S. Vincentii Macloviopoli, &c. Item feſta ſecundaria Patronorum primariorum, ubi in Cathedrali ſolemniori ritu, & ſæpè quidem ſub præcepto à populo ſervantur; qualia ſunt Biturigibus, & alibi ubi Titulus eſt S. Stephanus, Inventio ejuſdem Protomartyris, Turonis Tranſlatio S. Gatiani, itemque S. Martini, Macloviopoli Tranſlatio ejuſdem S. Maclovii, &c.

Reliqua feſta duplicia ſunt, vel ſemiduplicia.

Sextò. Reliqua feſta omnia SS. Epiſcoporum & aliorum loci propriorum, alia duplicium minorum, alia ſemiduplicium ritu celebranda ſunt, prout videlicet in ipſo Diœceſis Calendario proprio ſingula deſignantur.

Hæc porro omnia ſic à me definita velim, non quaſi legem ponendo, quod ſcio ſatis quàm non ſit meum; ſed ne in tanta uſuum varietate, quid Romano propiùs accedere viſum eſt, ſuggererem; ſecùs ſentientibus, ſi quid veroſimilius ſtatuerint, non inviſurus.

QUÆSTIO VI.

An feſta omnia Eccleſiarum Abbatialium, Collegiatarum & aliarum per ſe exemptarum, ac juriſdictionem habentium, in omnibus Eccleſiis juriſdictioni illarum ſubjectis ſint celebranda?

PRæter feſtum Patroni ſeu Tituli illarum, vix ullum aliud occurrit, de quo quæſtio moveatur. Nam præter feſta Ordinis (ſi Regularis eſt Eccleſia) & feſta Reliquiarum, quorum hæc nonniſi in Eccleſia, illa verò à Regularibus dumtaxat fieri debere compertum eſt, ſi qua ſunt alia, propria Diœceſis ſunt, adeoque Diœceſis more componenda.

Feſtum Patroni Eccleſiæ exemptæ aliquando eſt primæ claſſis.

Ipſum verò Patroni ſeu Tituli feſtum ab omnibus juriſdictionis Eccleſiis æquè celebrandum jam definivimus *lib. 1. cap. 1. quæſt.* 8. ſed quo ritu? an primæ claſſis? non auſim penitus affirmare, niſi fortè iis in oppidis, in quibus Sanctus ille communis & primarius loci Patronus habetur, uti Veromanduis S. Quintinus, Brivate S. Julianus, Cainone S. Maximus, &c. Alioqui ſufficere videtur ritus duplicis majoris per annum, juxta mentem Urbani VIII. in novo ejuſmodi Duplicium Catalogo. Hujuſque adeò ordinis cenſenda Pariſiis in ſuburbio S. Germani Pratenſis feſta S. Vincentii & ipſius S. Germani. Tranſlationes verò ejuſmodi

Guyet. Heortologia.

Sanctorum, ſeu feſta alia ſecundaria, ſi quæ ſint, ſatis eſſe videtur, ſi in ſubditis Eccleſiis, ſemiduplici ritu fiant, ex mente Gavanti *ſect. 3. cap. 3. numer.* 4. De Dedicatione, niſi quid aliud conſuetudinis ratio poſtulet, author non ſum ut extra ipſammet Eccleſiam fiat, extenſo ad illam Cathedralium privilegio, de quo *libr. 1. cap. 3. quæſt.* 11.

Feſta verò ſecundaria ut plurimùm Semiduplicia.

In Cathedralibus Regularibus, feſta propria Ordinis per Diœceſim minimè celebranda.

Monere hic quoque operæ pretium eſt, Eccleſiarum Regularium, quæ & eædem Cathedrales ſunt, quales numerat Gallia Malleacenſem, & Uzetenſem, feſta Ordinis propria, putà S. Benedicti & S. Auguſtini, haudquaquam ab Eccleſiis ſæcularibus Diœceſis eſſe facienda, ſed à Regularibus tantùm Eccleſiæ ipſius Monachis aut Canonicis.

QUÆSTIO VII.

An feſta Parochialium Eccleſiarum ab aliis quoque Eccleſiis intra Parochiæ fines ſint celebranda?

Quæſtio tantùm eſt de feſto Patroni ſeu Tituli & Dedicationis Eccleſiæ.

FEſta illa non ſunt niſi Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ, & Dedicationis ejuſdem; cætera enim quæ ad Diœceſim aliunde ſpectant, non hinc metienda; ſicut nec quæ Reliquiarum ſunt, aut Confraternitatum, & ſimilia, quiſquam putaverit extra ipſammet Eccleſiam proroganda.

Probatur fieri debere.

Feſtum itaque illud unum aut alterum ab Eccleſiis quibuſcunque intra Parochiæ fines conſtitutis fieri debere qui aſſeret, his niti poteſt argumentis.

Primò, Quòd ſit verè feſtum loci, ejus nimirum totius, ad quem ſe extendit juriſdictio Eccleſiæ Parochialis: ergo *ex Rubrica 1. num. 1.* de ipſo fieri debet Officium in toto loco. Secundò, Feſtum illud obligat quoſcunque in Parochia exiſtentes, quoad feriationem, ſeu abſtinentiam ab operibus: ergo & quoad Officium. Tertiò, ſicut jure communi omnes Eccleſiæ in Diœceſi conſtitutæ ad Epiſcopum pertinent, adeoque ab Eccleſia Cathedrali dependent; ita & ad Parochum, Parochialemque Eccleſiam omnes in Parochiæ finibus conſtitutæ; ergo ſicut Cathedralis Eccleſiæ feſta propria per omnes Diœceſis Eccleſias ſervari debere demonſtratum eſt ſuperiùs, ita & concludendum feſta itidem propria Parochialis Eccleſiæ ſervari debere ab omnibus Eccleſiis intra Parochiæ fines conſtitutis. Quartò, cùm ideò Parochiani ad feſta Parochiæ teneantur, quòd ea ſit propria ipſorum Eccleſia, quippe in qua Sacramenta à Parocho percipiunt, Monachi olim æquè Parocho ſuberant quoad Sacramentorum receptionem, ut docet Abbas *in capit. Dilectus de Capellis Monachorum*: ergo ſicut Monachi quantumvis deinceps immunes facti à juriſdictione Epiſcoporum, tenentur nihilominus ad feſta propria Diœceſis, ex citato Concilii Tridentini Decreto *ſeſſ. 25. cap.* 12. ita & exempti à Parochis, nihilominus ad feſta Parochiæ propria teneri præſumuntur. Quintò denique, favet uſus multorum Regularium, qui feſta Parochiæ perinde atque Diœceſis ſolent cum Officio colere. Quin & ad Ceremoniale Monaſticum *libr. 4. cap.* 16. ſic expreſsè declarat, *De Patrono Eccleſiæ Parochialis, decet ut fiat Officium duplex majus, præſertim ſi feſtum ſit de præcepto, aut conſuetudo.* Eſtque exemplum in Proprio S. Germani Pratenſis ad calcem veteris Breviarii Caſalis Benedicti ante centum annos edito, in quo feſtum S. Sulpitii Patroni Parochialis deſcriptum habetur ſub ritu Duplicis minoris.

Monachi olim à Parochis recipiebant Sacramenta.

Ceremoniale Monaſt.

Solvuntur argumenta propoſita.

Hæc tamen argumenta meo judicio non ſatis probant intentum. Nam quod dicitur primò, feſtum Parochiæ eſſe feſtum loci, non eo ſenſu ſtat quem nos explicuimus *libr. 1. capit. 1. quæſt. 7. & 8.* Cùm enim Eccleſia Parochialis ut ſic nullam

habeat juriſdictionem in alias intra ditionis ſuæ ambitum contentas, ratione cujus ipſis præeſſe cenſeatur, imò ipſamet plerumque iis ſubjiciatur, puta Collegiatæ alicui ſeu Abbatiali aut Conventuali, nullus quoque erit reſpectus aliarum ad ipſam, vi cujus feſta illius propria tamquam feſta loci reputentur, ſuntque adeo feſta Eccleſiæ propria in ipſa tantùm Eccleſia celebranda.

Nec multò validius eſt quod ſecundo loco poſitum fuit argumentum. Eſto enim, quod examinabitur aliàs, Feſtum Parochiæ proprium obliget ad feriationem ſeu abſtinentiam ab operibus, (à qua tamen obligatione conceſſam ab Eugenio IV. Monachis S. Benedicti, Congregationis Hiſpaniæ, immunitatem refert Rodericus *tom.* 2. *quæſt.* 71. *art.* 1.) quàm inde perperam inferatur obligatio ad Officium, docent quæ diximus ſtatim initio *lib.* 1. *quæſt.* 2. Et verò diverſa ſunt penitus feriandi, & Officii faciendi præcepta; hoc quippe ad Chorum, illud ad forum ſpectat; hoc ad ſolos Clericos, illud ad omnes quidem, ſed maximè ad laicos: illud ſi tu non ſervas, aliis ſcandalo es, quiſquis fueris; ab hoc ſi receſſeris, cùm non tenearis, quis niſi vel inſcius, vel dicax offendatur?

Diverſa ſunt feriandi & Officii faciendi præcepta.

Eccleſiæ Parochialis cum matrice, ſeu Cathedrali par non eſt juriſdictio.

Tertium verò argumentum nedum urget, ut laborare in hoc etiam videatur, quòd Parochialis Eccleſiæ, adeoque Parochi ipſius juriſdictionem Eccleſiæ Matrici, necnon & Epiſcopi poteſtati æquiparare præſumat; quod quàm à vero ſit alienum, noſtri non eſt inſtituti, nec verò etiam otii proſequi; id abundè ſatis præſtitit Auguſtinus Barboſa *lib. de Canonicis & Dignitatibus cap.* 2.

Quartum argumentum ſupponit quod controverſum eſt, incertumque admodum, fuiſſe veteres Monachos Parocho ſæculari ſubditos ſaltem in Sacramentis ſuſcipiendis. In quo magnam ſe vim facere rentur nuperi quidam ſcriptores ad convellenda privilegia Monachorum, & amplificandam Parochorum authoritatem. Sed ut demus verum id eſſe, Monachos olim Parochis fuiſſe ſubjectos, quoad uſum adminiſtrationemque Sacramentorum, eò quòd, ut expreſsè ſubdit Panormitanus citatus

Panormitanus.

in capit. Dilectus, *Monachi tum non erant clerici* (quod tamen ſi quis univerſim affirmanti negaverit, negatum ſuum egregiè tuebitur locis ſat luculentis Severi Sulpitii *dial.* 1. *cap.* 3. tractantis de controverſia S. Hieronymi cum Joanne Jeroſolymitano Epiſcopo, quo tempore Bethleemi degebat; necnon S. Epiphanii *in Epiſtola ad eumdem Joannem*, ipſiuſque S. Hieronymi *in ſua quoque Epiſtola ad Pamachium ſub finem.*) Sed ut demus, inquam, rem ita ſe habere; annon ſaltem ab eo tempore, quo in Clerum admiſſi Monachi ad ſacros Ordines promoveri, vitamque communem in cœnobio ſub Regulis approbatis vel S. Baſilii, vel S. Benedicti, aut aliis ducere cœperunt, habuere & ipſi ſuas Eccleſias proprias, in quibus haudquaquam à ſæcularibus Parochis, ſed à ſuis ipſi Sacerdotibus pleno jure in ſacris curabantur? Nolo ego aliud aſſertionis hujus teſtimonium proferre quàm ipſummet textum *cap. Dilectus*, in quo Oeconomus Eccleſiæ Regularis, & quidem Monialium S. Laurentii, id inprimis pro dictæ Eccleſiæ jure tuendo adducit, *Cum enim*, inquit, *Monaſterium Monialium fuerit*, *& generaliter ſervetur in urbe*, *ut nullum Monaſterium Titulo*, id eſt Eccleſiæ Parochiali, *ſit ſubjectum*, *incongruum videbatur*, *ut Regulares ſecularibus ſupponantur*. Quin & Panormitanus ipſe in hunc eumdem textum reprobata Gloſſa, Canonibuſque peream fruſtra allegatis diſertè aſſerit, concludere hic Innocentium & Doctores communiter poſt eum, *quod Eccleſia inferior citra Cathedralem*, *non poteſt de jure communi petere aliquam ſubjectionem in aliis Eccleſiis inferioribus*, *licet ſint ſite infra Parochiam ſuam*. Non ergo verum eſt quod ſupponitur hoc argumento; imò cùm multæ Parochiales Eccleſiæ jure Patronatus aliiſque titulis etiamnum à Monaſteriis pendeant, probabilius longè eſt, Parochiales illas Eccleſias fuiſſe olim Monaſteriis ſubjectas, quàm Monaſteria Eccleſiis illis Parochialibus.

Severus Sulpitius.

Epiphanius. Hieronymus.

Monachi in Clerum admiſſi ſuas deinceps Eccleſias, ſuoſque Sacerdotes habuere proprios.

Hincque tandem ſequitur paritatem illam non rectè inferri, ex eo quòd Monachi, quantumvis exempti à juriſdictione Epiſcoporum, teneantur ad feſta propria Diœceſis, teneri quoque ad feſta Parochiæ, quantumvis à Parochorum cura ſint immunes. Sic enim ſunt exempti à juriſdictione Epiſcoporum, ut ceſſante privilegio, in eorum ſtatim juriſdictionem jure communi ſint redituri; imò & ab ea etiamnum pendent, quoad Ordines ſuſcipiendos, aliaque Characteris Epiſcopalis propria. At jure ipſo communi, ſic à Parochorum dependentia liberi ſunt, ut ſecluſo etiam privilegio poſſint ſibi invicem Sacramenta miniſtrare, *cap. Placuit*, 16. *quæſt.* 1. Sed nec Parochialis Eccleſia ita

Regularis Eccleſia non pendet à Cathedrali mediante Parochiali.

Cathedralem proximè ſequi cenſenda eſt, ut nonniſi mediante ipſa Regularis ad eam revocetur. Ambæ enim ex æquo ab illâ ut communi matre deſcendunt: eſto, major natu ſit una, minor altera, neutra tamen alterius mater.

Uſus non faciendi Officium de feſtis Parochialibus conformior eſt decretis Sacræ Rit. Congreg.

Quod ad uſum attinet quinto argumento allegatum, fuit olim & eſt etiamnum apud multos Regulares contrarius uſus æquè receptus, iſque mihi vel eo nomine præferendus videtur, quòd ſit conformior nominato ſæpiùs Decreto Sacræ Rituum Congregationis, vetantis fieri feſtum cum Officio, *eò quod in loco adſit Eccleſia Parochialis*: alteri item Decreto dato 2. *Maji* 1619. quo videlicet præcipitur ut Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis in tota Diœceſi fiat; quidni & Dedicationem Eccleſiæ Parochialis Decretum illud expreſſiſſet, ſi de ea Officium in tota Parochia perinde fuerat celebrandum? Quòd ſi hinc evidenter arguas ejuſmodi Dedicationem extra Eccleſiam ipſammet Parochialem minimè eſſe celebrandam, par certè, vel etiam minor eſt ratio Tituli ipſius, ſeu Patroni.

De feſtis Parochialibus non convenit fieri Officium in Eccleſiis Collegiatis.

Ut ergo apertam jam ſatis ſuper quæſtione propoſita mentem meam paucis concludendo depromam, ajo feſta Parochialium Eccleſiarum propria haud videri ab aliis Eccleſiis intra Parochiæ fines celebranda quoad Officium. Non à Collegiatis, ſive eæ ſint exemptæ, ſive non ſint, cùm utræque nedum Parochialibus ſubdantur, ut eas etiam & ordine & dignitate ſuperent. Non item ab Abbatialibus, aliiſque ſive Monachorum, ſive Canonicorum Regularium Conventualibus; par enim illarum eſt atque Collegiatarum, imò & potior nonnunquam ratio. Non denique à Conventualibus Mendicantium, quibus præter exemptionis privilegium ſua quoque ſunt, & Eccleſiæ cujuſque particularis, & Ordinis inſuper totius feſta propria non pauca, quibus utique onus ſit plura addere.

Nec in Abbatialibus ſive Conventualibus Monachorum.

Nec à Conventualibus Mendicantium.

Excipe ſi feſta illa aliunde ad Diœceſim pertineant.

Addo ego tamen quòd ſi feſtum ejuſmodi Parochiæ proprium, ad Diœceſim aliunde pertineat, aut ſit Sanctus aliquis eximius idemque loci Naturalis, quales aliquot allegavi quæſt. præcedenti, non erit in eo caſu hiſce reſtrictionibus ſcrupuloſè adeò inſiſtendum.

Cæterum nequis mihi uni hanc opinionem imponat, Gavantum à meis partibus ſtare audacter pronuncio. Is enim *ſect.* 3. *cap.* 12. *num.* 19. quærens utrum cultus Titularis alicujus Eccleſiæ poſſit extendi ad alios de Clero extra propriam Eccleſiam, ita ut debeant omnes in Civitate aut Diœceſi celebrare feſtum particularis Eccleſiæ ritu ſemiduplici, diſertè pergit negare, ut antè negaverat *cap.* 3. *num.* 5. Hic autem non de Cathedrali Eccleſia ipſum loqui, ſed de Abbatiali & Parochiali, textus ipſe loci ab ipſomet citati non ſinit dubitare.

* Gavantus hujus eſt ſententiæ.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO VIII.

An Regularium Eccleſiæ inferiores ad ſuperiorum feſta propria teneantur?

Contingit hoc maximè in Prioratibus illis Conventualibus, qui ab aliqua majori Abbatia dependent. Quæſtio autem non eſt de feſtis Ordinis, ſunt enim ea ab omnibus Ordinis Eccleſiis æquè ſervanda, ſive ex Breviario, ſive ex Codice proprio; neque de feſtis diœceſis, quæ utique ab una diœceſi ad aliam non tranſmittuntur: ſed de feſto Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ ſuperioris, aut Dedicationis ejuſdem, aut aliquo alio ſolemniori; an videlicet ejuſmodi feſtum fieri etiam debeat ab Eccleſia inferiori? Reſpondeo, ſi Regulares inferioris Eccleſiæ ſint de gremio ſuperioris, ita ut cum ea unum duntaxat Capitulum ſeu Conventum faciant, debere eos ex integro Officium recitare ut in ſuperiori. Sin autem duo ſunt diſtincti Conventus, æquum ſatis videtur ut de Patrono ſeu Titulo ſuperioris fiat Officium duplex ab inferiori, argumento à pari de Patrono Eccleſiæ Cathedralis per Diœceſim. De Dedicatione ſecùs jam reſpondimus *libr.* 1. *capit.* 3. *quæſt.* 11.

Regulares inferioris Eccleſiæ tenentur ad feſta ſuperioris, de cujus gremio ſunt.

Tenentur ad feſtum Patroni ſeu Tituli ſuperioris à qua pendent, licèt non ſint de gremio.

QUÆSTIO IX.

An è contrà par ſit ſuperiores Eccleſias inferiorum à ſe dependentium vel ſibi unitarum feſta celebrare?

Exemplo ſit fundus aliquis Parochiam totam continens, dictam verbi gratia, S. Firmini, quam pleno jure tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus poſſideat aliqua Eccleſia Cathedralis vel Collegiata; item Prioratus aliquis S. Eulaliæ dictus, unitus Conventui alicui Mendicantium; an dicta Eccleſia Cathedralis vel Collegiata S. Firmini feſtum, & Conventus ille S. Eulaliæ celebrabit? Reſpondeo, ſi eſt fundatio aliqua legitima, ut aſſolet, ſervandum eſſe illius tenorem quoad fieri poteſt, juxta ea quæ dicta ſunt *libr.* 1. *capit.* 12. de feſtis fundationum; ſin minùs, de ejuſmodi feſto perinde ſentiendum, atque de feſto Altaris ſeu Cappellæ, de quo vide *libr.* 1. *cap.* 16.

Ob unionem vel fundationem poteſt Eccleſia ſuperior facere feſtum inferioris.

QUÆSTIO X.

An feſtorum à Principe vel Magiſtratu civili indictorum Officium in Choro faciendum ſit?

Quærunt Doctores an ejuſmodi dies feſtos poſſint indicere Princeps aut Magiſtratus Civilis? Reſpondet Azor. *libr.* 2. *partis ſecundæ cap.* 26. *quæſt.* 5. non poſſe tamquam dies ſacros aut ſanctos, citatque pro ſe Abbatem *in cap. Quoniam de feriis, num.* 2. Et verò Epiſcoporum jus illud eſſe proprium jura omnia clamant. Poſſunt quidem Princeps aut Magiſtratus Civilis præcipere, ut certis diebus à forenſi ſtrepitu aliiſque operibus abſtineatur; at nec præceptum ejuſmodi in foro conſcientiæ obligat, nec ad actus Religionis proprios ac publicos extenditur, ut propterea opus ſit Officium diei in aliud commutare. Ad ſummum institui poteſt aut Miſſa votiva, aut Supplicatio aliqua ſolemnis in gratiarum actionem, ſeu impetrationem beneficii, aliumve finem bonum qui intenditur.

Azor.

Officium non fit de Feſtis à ſeculari poteſtate indictis.

CAPUT XVII.

De obligatione Feſtorum propriorum quoad privatam recitationem.

Magnum eſt diſcrimen quoad circumſtantias inter Officium, quod palam in Choro decantatur, & quod ſeorſim ac privatim ab unoquoque recitatur: hoc in quocunque honeſto loco, illud in Choro tantùm perſolvi debet. Ratio temporis, ſi non exactè adeò ſervetur, in hoc faciliùs quàm in illo excuſanda: mutationes, cunctationes, interruptiones, aliaque id genus, quæ in publica decantatione vix à ſcandalo abſunt, in privata ut plurimum, vel nulla, vel nonniſi levi culpa laborant. Illud verò maximè omnium ad rem præſentem facit, quòd feſta propria in Choro certa ſemper ſint ac determinata; privatim verò alia & alia interdum occurrant, prout cuilibet contingit mutare locum, & de una Civitate vel Diœceſi in aliam commigrare. Ideo quæſtiones ad hunc caſum pertinentes viſum eſt opportunius peculiari capite tractare.

Diſcrimen inter publicam & privatam recitationem Officii.

QUÆSTIO I.

Ad quænam feſta propria teneatur privatus quilibet?

Quiſquis eſt de gremio Eccleſiæ alicujus, debet privatim recitare Officium, quod in Choro Eccleſiæ illius decantatur, adeoque feſta illius propria celebrare, licèt ipſe moretur alibi. Ita declaravit Sacra Rituum Congregatio *die* 8. *Septembris* 1602. Et hæc quidem Declaratio tam ad eos ſpectat qui Breviario proprio Diœceſis, aut alio quocunque legitimo utuntur, quàm qui Romano. Eſſe autem de gremio Eccleſiæ alicujus, non eſt tantùm obtinere in ea Beneficium quod obliget ad Chorum, putà Canonicatum ſeu Præbendam; ſed quocumque alio titulo ei eſſe adſcriptum, ſive initiationis, ſive aggregationis, ſive etiam ſtipendii in ſæcularibus; in Regularibus autem habitationis, ac domicilii, ita ut Chorum quis unà cum aliis Clericis frequentans, Eccleſiæ illius verè eſſe incola alumnuſque cenſeatur.

Tenetur quilibet ad feſta propria Eccleſiæ, de cujus gremio eſt.

Quid ſit eſſe de gremio alicujus Eccleſiæ?

QUÆSTIO II.

An abſens à loco ad eadem teneatur?

Tenetur: habet enim expreſsè præfatum Decretum clauſulam hanc, *Licèt moretur alibi*. Et verò cùm obligatio recitandi Officii à Choro profecta, ad privatum quemlibet eatenus extendatur, quatenus ordinatus omnis ex Concilio Chalcedonenſi, *can. neminem*, *diſt.* 70. Eccleſiæ alicui mancipatus præſumitur, ut in ea divinis Officiis interſit & inſerviat; conſequens profectò eſt, ut idem Officium abſens quiſque perſolvat, adeoque eadem feſta celebret, quæ in Eccleſia, cui addictus eſt, celebrantur.

Ex quo præterea ſequitur tamdiu eam obligationem perdurare, quamdiu quiſque vel titulo illo præbendæ, aut ſtipendii, aut habitationis ei Eccleſiæ adſcriptus manebit.

Abſens tenetur ad feſta Eccleſiæ, cui adſcriptus eſt.

QUÆSTIO III.

An ad aliqua feſta propria teneatur, qui de nullius Eccleſiæ eſt gremio?

Qualis eſt qui ſolo patrimonii titulo ordinatus, nec Beneficium ullum poſſidet, nec

Qui nulli Eccleſiæ adſtrictus eſt, tenetur tantùm ad feſta propria Diœceſis, non autem Parochiæ.

nulli Eccleſiæ inſervit. Is, ſi Breviario utitur proprio Diœceſi, ſive in qua habitat, ſive ex qua eſt oriundus, (quod liberum ipſi Doctores relinquunt) nihil ſollicitus eſſe debet de addendis feſtis propriis, ſunt enim omnia ejuſmodi in Calendario ſui Breviarii expreſſa. Sin autem Breviario Romano utitur, (quod æquè ipſi liberum eſt) de iis duntaxat feſtis propriis tenetur Officium facere, quæ ad totam diœceſim, in qua ſedem habet, pertinent: de Parochialibus verò & aliis inferiorum Eccleſiarum non item; de illo enim in hocce ſtatu perinde cenſeo atque de Regularibus.

QUÆSTIO IV.

An cui Altare ſeu Cappella Titulus eſt Beneficii, teneatur ad feſtum Patroni Altaris illius ſeu Cappellæ?

Gremium plures connotat.

Diſcrimen quod eſt Altare inter & Cappellam attulimus *libr. 1. cap. 16. quæſt. 1.* Eſt autem utrique commune, quòd gremium de iis propriè non dicatur, ſicut de Eccleſia; gremium enim plures connotat in eo contentos, Altare autem & Cappella unius ſunt. Quod verò ad propoſitam quæſtionem attinet, jam reſpondi *loco cit. quæſt.* 3. & ex dictis conſequenter, ajo cum Gavanto Feſtum Patroni Altaris à poſſeſſore non debere fieri; ſecus de Patrono Cappellæ, ſi ea ſit ſeparata, ac titulo Prioratus aliove ſimili inſignis, æde inſuper ac populi concurſu, &, quod pluris ſit, annuis redditibus non parum commendabilis: Talis ſiquidem Cappella, Eccleſiæ nomine utcumque venire poteſt, dignaque prorſus, cujus Patronus Officio duplici ſaltem minori per annum à poſſeſſore etiam alibi reſidente die proprio celebretur.

Feſtum Patroni Cappellæ fieri debet à poſſeſſore illius, non itidem altaris.

QUÆSTIO V.

An qui in pluribus Eccleſiis habet Titulum, ad ſingularum feſta propria teneatur?

Carpuntur qui plura beneficia obtinent.

Si ſuum habet gremium quælibet Eccleſia, quo Clericos obſequiis ſuis devinctos piæ matris inſtar fovet & alit, nihil ſanè æquius ac naturæ juri conformius eſt, quàm ut ſicut unius infantis mater non pluſquam una eſt, ſic & unus Clericus non pluſquam uni Eccleſiæ Beneficii titulo adſtringatur. Hoc jura clamant, hoc Doctores eſſantur, hoc nemo pius non ſentit. Diſſentiunt tamen plerique, ut & aliàs, etiamnum hodie, quibus, jure an injuria, gratum eſt, ad ubera multa portari, multorumque genuum blandimentis excipi; ut non mitteris incraſſatos, impinguatos, dilatatos, utinam & non recalcitrantes, qui tot matrum gremiis delitiosè enutriuntur. Commodè id quidem ad ſaginam, ſed vereor, ne *dum ſit aliquis Decanus eſt in una Eccleſia, Præpoſitus in alia, Cantor in tertia, Archidiaconus in quarta*, quod monſtro ſimile querebatur olim Guillelmus Arvernus inſignis ille Theologus & Epiſcopus Pariſienſis, *libr. de vitiis & peccatis cap. 9.* quàm nimis verum illud ſit Apoſtoli, *Multi filii deſertæ*. Viderint iſti ſeriòque perpendant, quid in hac re Eccleſiarum bono, ſuæque ipſorum æternæ ſaluti interſit: nos interim propoſitæ quæſtioni ſatisfacientes ſic ex Doctorum placitis pronunciamus.

Guillelmus Pariſienſis.

Qui beneficium in pluribus Eccleſiis obtinet, ad illius feſta propria tenetur, apud quam reſidet.

Primò. Qui Dignitatem, aut Canonicatum, aut aliud ſimile Beneficium in duabus pluribuſve Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis obtinet, debet in privata recitatione illius Eccleſiæ feſta propria celebrare, apud quam reſidet, non autem aliarum. Quòd ſi in nulla reſideat, ſatis eſt ut in feſtis propriis celebrandis rationem habeat dignioris: aut ſi æquales ſunt, utrius volet. Prima pars, quòd illius Eccleſiæ in qua reſidet feſta propria debeat celebrare, probatur à pari, ex eo quòd ſentiat D. Thomas *quodlibeto* 1. *artic.* 3. cæterique poſt eum Doctores, quos citat & ſequitur Azor. *libr.* 10. *primæ partis cap.* 11. *quæſt.* 11. eum qui in duabus Eccleſiis Beneficia poſſidet, ſi diverſam ambæ illæ Eccleſiæ Breviarii formam habeant, jure communi antiquo, ea privatim uti debere quæ illius Eccleſiæ propria eſt, apud quam reſidet; ergo & jure novo utens Breviario Romano, debet illius Eccleſiæ feſta celebrare, apud quam commoratur. Secunda pars, quòd aliarum non debeat, inde colligi poteſt, quòd quamdiu in una Eccleſia moratur, illius Eccleſiæ morem ex dictis ſequi debet: atqui Eccleſia illa tam prohibet aliena feſta fieri, quàm jubet propria; ergo apud eam reſidens, debet tantùm propria illius facere, non verò aliena. Adde quòd magna hinc confuſio oriretur, magnaque feriarum ſtrages, ſi de cujuſque illarum Eccleſiarum feſtis propriis à Beneficiato iſto recitaretur Officium. Tertia denique pars conſequens eſt ex duabus prioribus, ac ſimili conſtans argumentatione, quæ itidem valet pro eo qui in una eademque Civitate domicilium habens, in pluribus Eccleſiis beneficium obtinet, quas viciſſim adire poteſt, is enim dignioris duntaxat in privata recitatione debet habere rationem.

Reſolutio pro eo qui in nulla reſidet.

In hac tamen & priori reſponſione caſus unus excipiendus mihi videtur, ſi nimirum Beneficiatus præſens adſit in feſto ſolemni principali Eccleſiæ minùs dignæ; ut enim tum in Choro cantans cum aliis Officio ſatisfacit, ſic & privatim recitans ſatisfacere omnino putandus eſt.

Reſolutio pro eo qui beneficium obtinet Curatum cum Canonicatu in eadem civitate.

Secundò. Qui præter alia ſimplicia Beneficium poſſidet Curatum, cùm ad reſidentiam jure divino & naturali (ut eſt Concilio Tridentino, & veritati conformior opinio) teneatur; ejus quoque Eccleſiæ, cui præeſt, feſta propria ſervare debet, non aliarum. Patet ex dictis priori reſponſo; ſupponitur enim & quòd in illa reſideat, & quòd ea ſit Eccleſia aliis dignior. Quòd ſi Beneficium ejuſmodi Curatum, ſitum eſt in ipſamet civitate in qua poſſeſſor illius Canonicatum aut etiam Dignitatem in Cathedrali obtineat, nihil ob id de hacce reſolutione mutandum, cùm Cathedralis ipſius feſta propria ſaltem principalia ex dictis præcedenti capite, etiam in Parochiali ſint peragenda. Si verò Collegiata tantùm eſt, in qua Beneficium aliud obtinet, ſtandum priori reſolutioni, ut videlicet de ejus Eccleſiæ, in qua reſidet, feſtis propriis privatim agat, de alterius nequaquam, niſi de ſolemni principali cùm adfuerit.

Reſolutio pro obtinente plura beneficia ſimplicia.

Tertiò. Qui plura poſſidet Beneficia ſimplicia, ad reſidentiam minimè obligantia (quocunque tandem id jure fieri queat) vix tenetur abſens ad ullius feſtum proprium, niſi ejus ad ſummum quod tale ſit, quale antè deſcripſimus *quæſt.* 4.

QUÆSTIO VI.

An Regularis ſæculari Eccleſiæ Præfectus teneatur ad utriuſque feſta propria, Eccleſiæ videlicet illius & ſui Ordinis?

Epiſcopus Regularis præterire debet feſta Eccleſiæ ſuæ feſtis Ordinis.

De Epiſcopo Regulari, ſic cenſuit Sacra Rituum Congregatio 11. *Junii* 1605. *debere ipſum recitare Officium juxta ritum ſuæ Diœceſis, non Regulæ.* Ex quo infert Gavantus, occurrente feſto Regulæ in feſto Diœceſis, hoc præferri debere. Verùm pace Gavanti dixerim, æquè poteſt contrarium ex præfata Declaratione elici. Vel enim ea ita accipi debet, ut ſi fortè fuerit Breviarium Diœceſis proprium, aliud à Breviario Ordinis, hoc deſerat factus ex Regulari Epiſcopus,

Digitized by Google

pus, & illud accipiat; vel ſic ut, ſtante utrobique eodem Breviario, Romano videlicet, ritum deinceps Eccleſiæ ſuæ, in iis quæ propria ſunt, non verò Ordinis, ſequatur. At quocunque modo accipias, ſi hoc vis tantùm, ut feſta unius propria, feſtis alterius dumtaxat præferat, non eſt hoc ſequi, ſed potiùs miſcere ritum unum cum alio. Solvat nodum hunc cujus intereſt. Erit etiam qui urgeat, quòd ſicut Epiſcopus ex una Eccleſia ad aliam translatus, prioris ritus, adeoque feſta propria penitus deſerit, ita & Regularis deſerere debet ſuus feſtaque propria Ordinis ex quo aſſumptus eſt. At cùm ille prioris Sedis non ſit ampliùs Epiſcopus, hic verò Regularis ſemper exiſtat, omnimoda non eſt utrobique ratio.

Regularis itidem ſæculari Eccleſiæ Præfectus.

Idem verò quod de Epiſcopo dictum eſt, affirmat quoque Rodericus *lib. 1. cap. 42. art. 17.* de omni alio Regulari, qui ad Eccleſiæ ſæcularis regimen perpetuum evehitur; perpetuum, inquit; nam ad tempus dumtaxat translatus, Monaſterii ritum non debet deſerere.

Q U Æ S T I O VII.

An peregrinus & hoſpes teneatur ad feſta propria loci per quem tranſit, aut in quo ad breve tempus moratur?

Breviarium Carmelitanum.

Regulares dum ſunt hoſpites, propria hoſpitii feſta unà cum choro decantent.

SIngularis eſt, nec ullibi à me lecta de hac re Rubrica Breviarii Carmelitarum editionis poſtremæ, quæ ſic habet, ubi de feſtis localibus Rub. 2. *Fratres hoſpites dum ſunt in Conventu aliquo, faciant Officium ſicut fit à Conventu, ſervata tamen regula concurrentia cum Officio diei eorum adventus; quod item fiat de Dedicatione Eccleſia vel Patrono: poſtquam autem receſſerint, redeant ad Officium conſuetum.* Quam ego ordinationem ut congruentiſſimam probo, iis præſertim Regularibus, qui etiam dum ſunt hoſpites & peregrini in aliquo Conventu Chorum adeunt, idemque proinde cum aliis Officium cantant. Clericis verò

Clerici hoſpites & peregrini non tenentur ad feſta propria locorum per quæ tranſeunt.

ſæcularibus viatoribus ac peregrinis, qui ſoli apud ſe recitant, nullam ejuſmodi obligationem incumbere, ſic colligo à pari de lege Jejunii, & audiendi Sacri in die feſto, qua utraque lege eùm minimè teneantur peregrini tranſeuntes, ſtatimque diſceſſuri, ex communi Doctorum opinione apud Azorium *lib. 1. partis primæ cap. 26. quæſt. 9. & lib. 6. ſecundæ partis cap. 30. quæſt. 4.* certè longè adhuc minùs ii tenentur lege Officii de feſto locali proprio recitandi; tum quia minùs lex iſta obligat (ſi & ipſa etiam lex eſt:) tum quia qualiſcunque ea ſit, non infringitur à peregrino cum aliorum offenſione ac ſcandalo, ſicut interdum infringitur lex Jejunii & audiendi Sacri; quæ unica ratio eſt, ob quam talis infractio, in certis caſibus, peccati à Doctoribus damnatur, juxta Ambroſii ſententiam Auguſtino ſic reſpondentis, cap. *Illa* diſt. 13.

Ambroſius.

Ad quamcunque Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalum, nec quemquam tibi.

Non tenentur item aliquandiu commorantes.

Et hanc quoque reſolutionem extendere liceat ad eum, qui per aliquot dies, aut etiam menſes alicubi moratur, haud tamen animo figendi ibi domicilium; non obſtante ſiquidem tali commoratione, peregrinus ſemper eſt & advena, ac proinde ejuſmodi loci conſuetudinibus minimè obſtrictus, *l. Hæres abſens, Dig. de judiciis, & l. Debitor, Dig. de Pignoribus.*

Q U Æ S T I O VIII.

An qui morbi tempore, vel per oblivionem feſtum aliquod proprio die omiſit, poſſit, aut debeat illud alio die convenienti reſumere?

Oblivioſus poteſt omiſſum à ſe feſti officium alio die reſumere.

DE morbo negativè, de oblivione affirmativè reſpondendum judico. Ratio diſcriminis hujus eſt, quòd licèt præceptum de divino Officio, ut & præceptum Jejunii & Miſſæ audiendæ diei ſit affixum, quo elapſo ceſſat illius obligatio, nec in alium diem tranſit; ſicque nec infirmus, nec oblivioſus, omiſſum uno die Officium, alio die reſumere minimè teneantur; tamen non eadem eſt omnino utriuſque conditio: oblivioſus ſiquidem recitato Officio feriæ verbi gratia, pro Officio feſti, ex probabili Doctorum ſententia, ſatisfecit præcepto quoad ſubſtantiam, non autem quoad modum. Et licèt obligatio illa quoad modum etiam tranſacto die abſolutè deſiſtat, reſumi tamen poſſe alio die, à pari inde colligo, quòd impeditum ab aliquo alio Officio feſti illius aut alterius ſimilis Officium, ex Rubricarum præſcripto prima die non impedita reſumatur; unde & per oblivionem à particulari omiſſum, convenienter videtur æquè poſſe alia die non impedita ab ipſomet reſumi. At verò infirmus, per morbum ſolutus eſt à

Non ſic infirmus.

præcepto, & quoad ſubſtantiam, & quoad modum, ita ut nihil ipſi reſumere neceſſe ſit: imò ſi reſumere vellet quæcunque feſta in diuturno morbo à ſe omiſſa fuiſſent, nimiis ſe ambagibus atque incommodis ex multiplici Officiorum occurſu concurſuque implicaret.

Neque tu dicas contra priorem rationem, illo quoque die quo omiſſum ſic Officium reſumetur, non ſatisfactum iri præcepto illius diei quoad modum; falſum enim id eſt, ſiquidem modus ille qui ſervatur, conformis eſt Rubricis, paſſimque aliàs uſitatus, ut videlicet Officium feriæ cedat Officio feſti aliunde translati.

S E C T I O VI.

QUam utroque præcedenti Capite diſcuſſimus circa Feſta propria obligationem, ea ad Chorum dumtaxat, Officiique divini à Clericis decantandi, ſeu recitandi rationem pertinent: ſupereſt evolvenda alia ad forum ipſa civile ſpectans, indictamque populo Feſtorum propriorum obſervationem. Feſti ſiquidem, ut ſtatim initio libri 1. diximus, duplex acceptio eſt; altera pro Officio, quod eſt de Sancto ſeu de Myſterio occurrente, cujus oppoſitum eſt Officium de Tempore; in eoque ſenſu Feſti rationem inveſtigavimus hactenus: altera pro feriatione ſeu ceſſatione à ſtrepitu forenſi, ſervilibuſque operibus; de qua jam nobis ſermo erit, ne quid in hoc argumento de Feſtis propriis omiſiſſe videamur.

Porrò cùm Feſtorum etiam à populo ſervandorum alia generalia ſint, ſeu ubique locorum communia, licèt fortè illorum aliqua alicubi non ſerventur: alia loci ſeu Eccleſiæ propria, de his quidem argumentum noſtrum præcipuè exigit ut agamus; at cùm nec ipſorum hac in parte indoles aliunde meliùs quàm ex generalium recenſione conſtare poſſit, quod aliàs in ſimili præſtitimus, etiam hic proſequemur, ut videlicet de ipſis generalibus, quæſtiones primùm proponamus, tum de particularibus ſeu propriis.

CAPUT XVIII.

De Festis Generalibus, ſeu ubique locorum ſervandis ex præcepto cum feriatione publica.

FActum haudquaquam facimus. De Feſtorum inſtitutione, obſervatione, obligatione, ipſaque demum feriandi ratione, quatenus ea omnia ad mores, vel ad diſciplinæ Chriſtianæ normam pertinent, edidere tractatus ampliſſimos Theologi ferè omnes, qui vel de Conſcientiæ caſibus, vel de controverſiis adverſus hæreticos uno abhinc ſæculo ſcripſere. Ex quibus unum illud ad id quod noſtri inſtituti eſt, tamquam ratum fixumque ſuppono, ex Covarruvia *lib. 4. var. reſol. cap.* 19. juris eſſe divini, adeòque naturalis, quòd feſta aliqua ad divinum cultum in genere inſtituta habeantur; quippe manet adhuc quoad morale præceptum veteris legis de ſanctificando, non quidem die Sabbato, ſed quocunque alio, adeò ut non poſſit diſpenſare Eccleſia, ut nullus ſit dies feſtivus divino cultui deputatus: quòd autem hi vel illi dies præ aliis ad id ſelecti fuerint, humani juris eſt Eccleſiaſticæque poteſtatis.

Non poteſt diſpenſare Eccleſia, ut nullus ſit dies divino cultui deputatus.

QUÆSTIO I.

Quænam ſint feſta jure communi per totam Eccleſiam obſervanda?

DUo ſunt præcipui textus Juris Canonici, ex quibus illorum ſeries depromitur, videlicet Can. *Pronunciandum. In Decreto. De conſecratione diſt.* 3. & cap. *Conqueſtus*, *lib.* 2. *Decretalium titul.* 9. *de Feriis*. In quo utroque recenſentur

Dominicæ de jure communi feriandæ.

Primò: Dominicæ omnes, quarum cultus vice Sabbati Apoſtolica inſtitutione inductus, ſtetit in univerſa Eccleſia hactenus, ſtabitque deinceps jugiter; adeò ut tollendum unquam, aut conſuetudine ulla abrogandum negent, non tantùm Juris Canonici interpretes, quotquot præceptum illud juris eſſe divini, ſeu quaſi divini exiſtimant, Covarruvias ſuprà cit. Panormitanus *in cap.* 3. *de feriis*, Ancharanus ibidem & alii; ſed etiam boni Theologi, Suarez *lib.* 2. *de Relig. cap.* 4. Azor *parte* 2. *lib.* 1. *cap.* 2. Fagundez *lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 3. aliique permulti, nonniſi Eccleſiaſticum in eo præceptum agnoſcentes, ſed illud tam propinquum divino, tamque conforme legi naturali, ut de potentia ordinaria nunquam ſit irritandum, licèt in particulari poſſit ob neceſſitatem aliquam in eo diſpenſari.

Covarruvias. Panormitanus. Suarez. Azor. Fagundez.

Feſta Chriſti Domini de jure.

Secundò: Feſta ad Chriſtum Dominum pertinentia, utroque illo textu recenſita hæc ſunt, Nativitas, Circumciſio, Epiphania, Paſcha Reſurrectionis cum duobus ſequentibus diebus: Aſcenſio: Pentecoſte cum duobus item ſequentibus diebus; de quorum omnium inſtitutione, antiquitate ac veneratione, vide præfatos Suarez, Azor, Filliucium, & alios fusè id proſequentes.

Hebdomada Paſchæ & ſeptem dies Paſſionis conſuetudine abrogati.

Quòd verò iiſdem textibus recenſeatur quoque tota Hebdomada Paſchæ, ſicut & cap. *Conqueſtus*, ſeptem dies Paſſionis, ſeu tota hebdomada major, jam conſuetudine generali abrogatum eſt, redactumque quoad hebdomadam Paſchæ ad feriam ſecundam & tertiam: quoad verò hebdomadam Paſſionis, ad feriam 6. Paraſceves mane *uſque ad oſculum Crucis*, ait Silveſter, *verbo Dominica quæſt.* 1. §. 7. ſeu uſque ad meridiem. Alicubi etiam quoad feriam 5. in Cœna Domini, matutinis horis ſimiliter. In utraque tamen tota illa hebdomada retinetur adhuc feriatio à ſtrepitu forenſi, juxta *l. ut die*, & l. *Omnes dies*, *Cod. de Feriis*.

Quòd item Can. *Pronunciandum* intexantur tres dies Rogationum, contraria itidem conſuetudine ubique jam abolitum eſt. Et verò cùm feſti ratio gaudium per ſe ac lætitiam ſonet, uti aliàs obſervavimus, parum idonei erant dies illi, qui feſtivi haberentur, cùm ex inſtitutione ſua nonniſi luctum ac mœrorem exhibeant: unde ſi qua in iis, ſicut & in hebdomada Paſſionis, ſervata fuit feriatio aliàs, ea non tam ad relaxationem, quæ in aliis feſtis intenditur, quàm ut feriùs fletibus & lacrymis vacare liceret, referenda eſt.

Tres dies Rogationum à Feriatione immunes.

Feſtis verò præfatis, quæ Chriſti Domini ſunt, duo item addenda ex jure poſteriori, nempe feſtum Corporis Chriſti ab Urbano IV. inſtitutum & à Clemente V. confirmatum, ac ubique præceptum, Clementina *Si Dominus*, *de Reliquiis & Venerat. Sanctorum*. Item feſtum Inventionis S. Crucis, Can. *Crucis*, *de Conſecr. diſt.* 3. de quo tamen dubitant Summiſtæ aliqui, ſitne jure communi præceptum, eò quòd deſit in duobus aliis præfatis textibus.

Feſtum Corporis Chriſti.

Feſtum Inventionis S. Crucis.

Omittimus his annumerare feſtum SS. Trinitatis, tum quia nullum extat in jure de eo præceptum, tum quia, ſi quod tulit Joannes XXII. uti aſſerit Author Summæ Piſanæ *verbo Feria* §. 3. ipſum ſatis præcepto Dominicæ, cui adſtrictum eſt ejuſmodi feſtum, comprehenditur: qua item ratione novum non debet cenſeri præceptum, quòd in recenti Conſtitutione Urbani VIII. inſertum habeatur.

Feſtum SS. Trinitatis.

Feſta B. Mariæ de jure communi.

Tertiò: Feſtorum Beatæ Mariæ quatuor dumtaxat de jure communi in præcepto habentur, videlicet Purificatio 2. *Febr.* Annunciatio 25. *Martii*, Aſſumptio 15. *Aug.* & Nativitas 8. *Septemb.* quæ in textu cap. *Conqueſtus*, ſub generali diſtributione omnium Feſtivitatum Beatæ Virginis involvi, uſus communis Doctorumque conſenſus adſtruit. Ac licèt in textu Can. *Pronunciandum* deſit Annunciatio, haud tamen inde inferas non fuiſſe tum feſtum illud inſtitutum, cùm etiam longè antiquius certò agnoſcatur: imò & aſſerat Hoſtienſis in dictum cap. *Conqueſtus*, ideo celebrari, in vere Annunciationem, Aſſumptionem in æſtate, in autumno Nativitatem, ac denique in hyeme Purificationem, *ut ipſa quatuor* anni tempora *ſingulari B. Virginis patrocinio decorentur, ſintque Solemnitates ipſa veluti gemmæ quatuor in corona anni mirabiliter conſtituta: aut ſicut flumina quatuor Paradiſum irrigabant, ſic & quatuor illa celebritates totum annum fœcundent: denique ut quemadmodum venti principales quatuor mundi partes perflant, ſic & quatuor feſti illi dies Virginis Deipara quatuor anni tempora illuſtrent & exornent, & nos ejuſdem Virginis meritis & precibus per quatuor anni tempora recreemur, foveamur, & ſervemur incolumes.* Mirari verò ſatis non poſſum in Capitulis Caroli Magni, ubi de feſtis agitur *lib.* 1. *cap.* 164. feſtum Aſſumptionis quaſi in dubium revocari hacce clauſula, *De Aſſumptione B. Mariæ interrogandum relinquimus*, cùm ipſum ſit Feſtorum omnium Beatæ Virginis antiquiſſimum juxta & eminentiſſimum, ita ut aliqui etiam ad Apoſtolicam inſtitutionem referant. Ita Jo. Andreas in cap. *Licet*, *de Feriis*.

Hoſtienſis.

Alluſiones quatuor Feſtorum B. Mariæ.

Aſſumptio Feſtorum B. Virginis digniſſimum.

Quartò: Quod denique ad feſta Sanctorum attinet, hæc in utroque illo Textu recenſentur. Nativitas S. Joannis Bapt. 24. *Junii*, Feſta 12. Apoſtolorum, ac præcipuè Petri & Pauli. Intellige feſta præcipua, ſeu Natalitia, nempe S. Mathiæ 24. *Febr.* Philippi & Jacobi 1. *Maii*, Petri, & Pauli 29. *Junii*, Jacobi 25. *Julii*, Bartholomæi 24. *Auguſt.* Matthæi 21. *Septem.* Simonis & Judæ 28. *Oct.* Andreæ 30. *Nov.* Thomæ 21. *Decemb.* & Joannis 27. Laurentii Mart. 10. *Aug.* Dedicatio S. Michaelis Arch. 29. *Sept.* Stephani Protomart. 26. *Dec.* SS. Innocentium 28. S. Silveſtri 31. Solemnitas Omnium Sanctorum 1. *Novemb.* Additur & in cap. *Pronunciandum*, feſtum S. Martini.

Feſta Sanctorum de jure communi.

Item

Item ex jure novo Urbani VIII. S. Joſeph 19. *Martii*, & S. Annæ 26. *Julii*.

Capitula Caroli Magni.

Balſamon.

Porrò hæc eadem feſta ferè omnia recenſentur in Capitulis Caroli Magni *lib. 1. cap. ſuprà cit. & lib. 2. cap. 35. & lib. 6. cap. 186.* Eadem quoque, quod ad Græcos attinet, paucis additis habet Theodorus Balſamon *Comment. in Photium tit. 7. cap. 1.* licèt magna ſit, quoad dies in quibus ſingula celebrantur, diverſitas, quam aliquando fortè juvabit expendere.

QUÆSTIO II.

Sintne feſta illa omnia æqualis inter ſe obligationis?

Paritas & diſcrimen inter ſe feſtorum de jure communi.

SUnt equidem quoad tempus, durant enim ſpatio 24. horarum, à media nocte ad mediam noctem. Item quoad actiones exercendas vel omittendas: nam in omnibus eſt audienda Miſſa, & ceſſandum ab operibus ſervilibus. At non ſunt primò quoad ſolemnitatem, quæ par non eſt in omnibus, ut liquet ex iis quæ de vario feſtivitatum ritu copiosè diſputata ſunt. Secundò quoad relaxationem ſeu diſpenſationem concedendam interdum ab obſervatione præcepti, quæ majorem exigit cauſam in præcipuis feſtis quàm aliis.

Quæ ſunt in Jure Feſta præcipua.

Præcipua autem feſta declarat Gloſſa in cap. *Licet, de Feriis*, eſſe Nativitatem Domini, Epiphaniam, Paſcha, Aſcenſionem, & Pentecoſtem, quibus addunt Doctores Aſſumptionem Beatæ Mariæ, & feſtum Corporis Chriſti. Congregatio quoque Rituum *ſub die* 1. *Dec.* 1639. inhærendo alteri reſolutioni *ſub die* 17. *Nov.* 1607. declaravit præter ſuperiores, cenſendas item inter ſolemnes feſtivitates feriam 5. in Cœna Domini, Feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Feſtum Omnium Sanctorum, referente Barboſa *in Deciſionibus Apoſtolicis, Collectione* 99.

Feſta privilegiata quoad interdictum.

Ex illis verò omnibus feſtis præcipuis, quatuor tantùm ſunt privilegiata, ad hoc ut in iis tempore interdicti à divinis non ceſſetur, ex cap. *Alma, de ſent. Excom. in ſexto*, nempe Nativitas Domini, Paſcha, Pentecoſte, & Aſſumptio Beatæ Mariæ. Additum eſt deinceps feſtum Corporis Chriſti cum tota Octava, ex conſtitutione Martini V. quæ incipit *Ineffabile Sacramentum*, & alia item Eugenii IV. *Excellentiſſimum*. Plura verò numerantur, in quibus non licet in privato Oratorio celebrare, nempe Nativitas Domini, Epiph. Paſcha, Pentecoſte, Annunciatio & Aſſumptio Beatæ Mariæ, feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Omnium Sanctorum. Ita Gavantus *parte prima Comment. in Rubr. Miſſalis Titulo 20. ſub finem §. Sciendum*, quem putaverim ego omiſiſſe feſtum Aſcenſionis, & Corporis Chriſti.

Feſta in quibus fas non eſt in oratorio privato celebrare.

QUÆSTIO III.

Unde fit ut aliqua ex præfatis feſtis de jure alicubi non ſerventur?

Feſta de jure non ubique ſervata.

VIdelicet Inventio S. Crucis, Dedicatio S. Michaelis, SS. Innocentium, S. Silveſtri & S. Martini. An quia nunquam univerſaliter recepta fuere? Id de SS. Silveſtro & Martino pronunciat Filliucius *Tract. 27. cap. 3. quæſt. 7.* Et verò de primo ſatis uſu liquet, cùm in una tantùm Diœceſi nempe Cenomanenſi à populo in hiſce regionibus coli obſervaverim. Pro ſecundo facit cap. *Conqueſtus*, in quo prorſus omiſſum eſt.

Aliqua nunquam recepta fuere.

In aliquibus diſpenſavit Pontif.

Navarrus.

An diſpenſatione ſeu relaxatione à Pontifice conceſſa? Suſpicor nonnihil ex eo quod refert Navarrus *in Enchir. cap. 13. num. 15.* Eugenium IV. ut habetur in Compendio Privilegiorum *fol. 69.* conſtituiſſe, ut laici qui operarentur in feſtis S. Crucis Maii, S. Michaelis menſis Septembris, SS. Innocentium, & S. Silveſtri, non peccent mortaliter, niſi hujuſmodi dies Dominici fuerint.

Factaeſt aliquorumcum aliis permutatio.

An commutatione unius cum altero? Sic fortè pro Inventione Sanctæ Crucis in Majo ſubrogata fuit in multis locis Exaltatio menſe Septembri; pro Dedicatione S. Michaelis ejuſdem menſis Septembris, Apparitio ipſius in monte Tumba menſe Octobri, ut fit in diœceſi Cenomanenſi & paucis aliis; pro Sancto Silveſtro aut Sancto Martino, aliquis Sanctus loci Epiſcopus, aliuſve Patronus.

Conſuetudo aliqua abrogavit.

Suarez.

An denique conſuetudine non colendi? Nec is titulus eſt reprobandus, tum quia talis conſuetudo, ſi legitimè præſcripta eſt, legem abrogat, ex dictis aliàs de conſuetudine: tum quia non ſatis colligitur ex duobus illis textibus generale præceptum, niſi aliunde traditio ſeu conſuetudo accedat, inquit Suarez *lib. 2. cap. 9. num. 20.* Canon ſiquidem *Pronunciandum* non eſt Jus Pontificium, neque alicujus Concilii generalis, ſed tantùm Provincialis, nempe Lugdunenſis. Caput verò *Conqueſtus*, quod eſt Gregorii ipſius IX. loquitur de diebus feriatis in ordine ad judiciorum ſtrepitum, non autem ad cultum divinum. Qua etiam ratione vindicatur uſus non adeò laudabilis diœceſis Meldenſis, in qua tria feſta Apoſtolorum, videlicet Mathiæ, Bartholomæi & Thomæ, à popularis feriationis obligatione, vel nullo quod ſciam, vel raro exemplo immunia habentur.

QUÆSTIO IV.

Poſſitne prædictorum de jure feſtorum generalium numerus adhuc augeri, poſſitne minui?

Solus Summus Pontifex poteſt feſtum toti Eccleſiæ præcipere.

POteſtas illa non eſt niſi penes Summum Pontificem. Nullus ſiquidem præter ipſum toti Eccleſiæ præeſt, ut toti Eccleſiæ tale præceptum de novo imponere valeat. Imò nec Metropolitanus ipſe, nec Patriarcha jus ejuſmodi ullum habent in ſubditas ſibi Provincias, tantùmque tribuitur à Doctoribus Epiſcopo in ſua Diœceſi pro Feſtis in ea ſervandis, ut ſequenti capite declarabitur. Similiter cùm nullus inferior poſſit abrogare legem ſuperioris, nullus quoque præter ipſummet Summum Pontificem poteſt ulli ex ejuſmodi feſtis generalibus, præceptum à jure communi latum adimere. Poteſt quidem conſuetudo non ſervandi tale præceptum, vim illius, tum cùm præſcripta fuerit, abrogare; ſed cùm antequam ipſa præſcribatur, peccati reatum involvat, non eſt in Epiſcopi poteſtate ut reatum ejuſmodi à præcepti tranſgreſſione removeat. Nam eſto (quod ex Suarez retulimus præcedenti quæſt.) non ſatis colligatur præceptum generale ex duobus illis textibus can. *Pronunciandum* & cap. *Conqueſtus*, (quod tamen aſſerit Sylveſter ſuprà cit.) fatetur nihilominus Suarez ipſe præceptum ejuſmodi abundè vindicari ex qualitate materiæ, & ex aliis juribus, maximè verò omnium ex Traditione Eccleſiæ.

De jure communi à ſolo Summo Pontif. poſſunt abrogari.

Ut poſſint per conſuetudinem non colendi.

Sylveſter.

Urbanus VIII.

Porrò hac uſus eſt poteſtate Urbanus VIII. in ſua Conſtitutione *Univerſa per orbem*. In qua recenſitis omnibus ac ſingulis feſtis deinceps ubique ſervandis, cætera ab omni feriandi præcepto abſolvit. Cujus Conſtitutionis tenorem ex integro poſthac referemus & expendemus.

QUÆSTIO V.

Quæ ſint feſta generalia ex conſuetudine ſervanda?

Generalia, non quòd ubique ſerventur, ſed quòd multis in locis.

GEneralia appello, non quòd ubique omnia ejuſmodi ſervari aſſeram, ſed alia & alia in aliis & aliis, iiſque variis ac pluribus locis, nonnulla fortè etiam in omnibus. Idcirco autem dicuntur ex conſuetudine, quia cùm in jure nullibi habeantur, ſupereſt ut præceptum de iis quodcunque il-

que illud ſit ex conſuetudine vim legis habente provenerit. En tibi illa omnia, quotquot colligere licuit ex propriis variarum Diœceſium Calendariis, juxta ordinem menſium, nuncupatis etiam locis aliquot, in quibus ſingula ſervantur.

MENSE JANUARIO.

13. *Hilarii & Remigii Epiſcoporum*. Habetur in Ritualibus Lingonenſi 1556. Trecenſi 1530. & paucis aliis, ex Synodalibus, ut credere eſt, Eccleſiæ Rhemenſis. Sed vix hodie ullibi ſervatur quàm Rhemis, idque Sancti Remigii Patroni gratia.

17. *Antonii Abbatis*. Romæ, ideòque in Calendario rubeo charactere deſcribitur, quamquam Bonacina ait eſſe tantùm de devotione, *diſp. in 3. præceptum qu. unica, p. 1.* Lugduni item, Viennæ, Niverni, &c.

20. *Fabiani & Sebaſtiani Mart.* Romæ ex voto urbis, ait Bonacina cit. vel ſaltem conſuetudine. Lugduni, Turoni, Senonis, Aureliis, Meldis; & alibi ſatis frequenter, ad avertendam peſtilentiam.

22. *Vincentii Martyris*. Lugduni, Rothomagi, Andegavi, Abrincis, &c.

25. *Converſio Sancti Pauli Apoſtoli*. Biturigibus, Turonis, Andegavi, & paſſim alibi.

MENSE FEBRUARIO.

3. *Blaſii Epiſc. & Mart.* ubi conſuevit, ajunt Statuta Synodalia Claromontenſia *anni* 1552. ſed jam nullibi conſuevit.

22. *Cathedra S. Petri Antiochiæ*. Rhedonis, Pictavis, Bellovaci, & paucis aliis locis, quorum Eccleſia Cathedralis eſt S. Petri.

MENSE MARTIO.

7. *Thomæ Aquinatis*. Una eſt diœceſis Sagienſis, in qua deprehendi feſtum hoc eſſe de præcepto; rationem taceo, quam vulgus affert. Miror quidni potiùs Toloſæ. Juſſit Pius V. ſub præcepto ſervari in toto Regno Neapolitano, Conſtitutione data *Idibus Apr.* 1567.

12. *Gregorii Papæ & Conf. & Eccleſiæ Doctoris*. Feſta quatuor Doctorum Coriſopiti in Armorica ſervabantur ex ſtatutis Synodalibus, necnon alibi ante receptam Conſtit. Urbani VIII. quin & Joan. Andreas, Butrius, & Panormitanus exiſtimant eſſe de jure communi; ſed caput *Glorioſus*, *de Reliq. & Vener. Sanctorum*, quo nituntur, agit tantùm de Officio, ut fiat duplex.

19. *Joſeph Confeſſoris*. Præcepit populo Gregorius XV. cum decreto Sacræ Rit. Congreg. 8. *Maii* 1621. ſed vix adhuc ſervatur, niſi ubi recepta eſt Conſtit. Urbani VIII.

MENSE APRILI.

4. *Ambroſii Epiſc. & Conf. & Eccleſiæ Doctoris* (fit enim hac die in pleriſque Galliæ Eccleſiis,) perinde ac S. Gregorii *ſuprà*.

23. *Georgii Martyris*, paucis in locis.

25. *Marci Evangeliſtæ*. Ubique ferè, alicubi uſque poſt Miſſam.

MENSE MAJO.

6. *Joannis ante portam Latinam*. Abrincis, Lingonis; habent & Conſtitutiones Burdegalenſes in Copriniaco.

8. *Apparitio S. Michaelis*. Nullibi Galliarum ſervatur. Servatur verò alicubi menſe Octobri ejuſdem Apparitio in monte Tumba.

MENSE JUNIO.

11. *Barnabæ Apoſtoli*. Ubique ferè.

MENSE JULIO.

2. *Viſitatio B. Mariæ*. Andegavi, Cenomanis, Nannetis, Rhedonis, Maclovii, Sagii, &c.

22. *Mariæ Magdalenæ*. Ubique ferè in Gallia.

26. *Annæ*. Lugduni, Turonis, Rothomagi, Carnuti, Meldis, Nannetis, Sagii, &c. Pariſiis quoque, ſed *die* 28. Præcepit ubique Gregor. XV. Conſtitutione edita 23. *Aprilis* 1622. quam firmavit Urbanus VIII. poſtrema ſua Conſtit.

MENSE AUGUSTO.

1. *Petri ad vincula*. Rhedonis, Nannetis, Pictavii, Trecis, Bellovaci, & ubique ferè alibi, ubi Eccleſia Cathedralis eſt S. Petri.

3. *Inventio S. Stephani*. Vix alibi quàm ubi ipſe Sanctus Titulus eſt Eccleſiæ Cathedralis, uti Senonis, Meldis, &c.

5. *Feſtum S. Mariæ ad Nives*. Vix alibi quàm Romæ.

6. *Transfiguratio Domini*. Rothomagi, Andegavi, Cenomanis, Nannetis, Maclovii, &c. Aquis verò Sextiis maximè ob Eccleſiam Metropolitanam Salvatoris nomine nuncupatam.

16. *Rochi Confeſſoris*. Pariſiis, Turonis, Romæ etiam & alibi ſatis frequenter, ſed magis devotione populi ad avertendam peſtilentiam, quàm præcepto ullo Eccleſiaſtico, ſiquidem nec de eo fit Officium in laudatis uſibus.

25. *Ludovici Regis Franciæ Conf.* Jam ubique ferè Galliarum ſervatur à dato diplomate Gregorii XV.

28. *Auguſtini Epiſc. & Conf. & Eccleſiæ Doctoris*. Perinde atque de S. Gregorio ſuprà. Servatur Sagii, Maclovii, &c.

29. *Decollatio S. Joannis Bapt.* Lugduni, Rothomagi, Ambiani, Conſtantiæ, Nannetis, &c.

MENSE SEPTEMBRI.

1. *SS. Ægidii & Lupi*, ſive conjunctim, ſive ſeorſim. Senonis, Conſtantiæ, Coriſopiti aliàs; ſed vix jam ullibi niſi fortè in Provincia Narbonenſi.

14. *Exaltatio Sanctæ Crucis*. Pariſiis, Rothomagi, Maclovii, Rhedonis, & ferè ubicunque non colitur Inventio ejuſdem; quamquam alicubi neutra feriatur, uti Carnuti, Meldis; alicubi verò utraque, uti Rhemis, Aureliis, &c.

30. *Hieronymi Conf. & Eccleſiæ Doctoris*, perinde atque de aliis Doctoribus ſuprà.

MENSE OCTOBRI.

1. *Remigii Epiſc. & Conf.* habetur *lib.* 2. *Capit. Caroli Magni cap.* 35. *& in Concilio Mogunt. I. can.* 63. Nullibi jam ſervari puto, ne Rhemis quidem, ubi fit *die* 13. *Januarii*.

4. *Franciſci Conf.* Eſſe de præcepto ubique locorum ex Decreto Sixti IV. aſſerit Gavantus ad hunc diem ex Sylveſtro, idemque præcepiſſe Sacram Rit. Congreg. *die* 3. *Jan.* 1622. annuente Sanctiſſimo: ſed uſus ejuſmodi nullibi quod ſciam in hiſce partibus receptus fuit.

9. *Dionyſii & Soc. Martyrum*. Senonis, Meldis, Rothomagi, Sylvanecti, Carnuti, Rhemis, &c. omitto dicere Pariſiis, ubi eſt Patronus. Præceptum fuit à Leone IX. in Epiſcopatu Bambergenſi, ex Sculthingio, *tom.* 1. *parte* 1. *cap.* 29.

18. *Lucæ Evangeliſtæ*. Ubique ferè.

MENSE NOVEMBRI.

2. *Commemoratio omnium Fidelium Def.* ubique ferè ſervatur uſque ad meridiem. Turonis reliquo etiam die, ita ut habeat ſecundas veſperas: quod parum probatur.

21. *Præſentatio B. Mariæ*. Nannetis, Maclovii.

23. *Clementis Papæ & Mart.* Signatur in Concilio Oxonienſi *an.* 1225. allegatur quoque in Synodalibus Rhemenſis Eccleſiæ.

25. *Catharinæ Virg. & Mart.* Turoni, Rothomagi, Pariſiis, Aureliæ, & alibi paſſim.

MENSE DECEMBRI.

1. *Eligii Epiſc. & Conf.* Abrincis, necnon alibi olim; nunc verò ceſſavit ubique niſi Noviomi ubi eſt Patronus.

6. *Nicolai Epiſc. & Conf.* Rothomagi, Turonis, Biturigibus, Rhemis, Senonis, & ubique ferè in Gallia.

8. *Conceptio B. Mariæ*. Volunt nonnulli eſſe ubique de præcepto ex decreto Sixti IV. *Extravag. Cum præ excelſa, de Reliquiis & Vener. Sanct.*

verùm

Digitized by Google

verùm laudat tantùm Pontifex & conſulit, latis in eos pœnis qui dixerint non eſſe licitum feſtum illud celebrare. Conſuetudo autem ubique induxit.

13. *Luciæ Virg. & Mart.* Habetur in aliquibus Italiæ Ritualibus, ſed vix ullibi in Gallia colitur.

FESTA MOBILIA.

Feria Quarta Cinerum, Maclovii uſque ad meridiem.

Feria V. in Cœna Domini. Maclovii itidem uſque ad meridiem.

Feria IV. poſt Paſcha & Pentecoſtem. Olim Turonis, Andegavi, Cenomanis, &c. nunc etiam Nannetis in Civitate & ſuburbiis. Hucque pertinet, quòd in Concilio Moguntino ſub Carolo præcipitur obſervari Paſcha uſque ad quartam feriam ſimpliciter, & quintam cum moderatione. Sic autem laudanda eſt hujus quartæ feriæ abrogatio, ut non extendatur ad feriam tertiam præcedentem, uti factum eſt alicubi non ſatis cautè; eſt enim feſtum illud de jure communi, in quod nihil poſſunt Epiſcopi.

Octava Corporis Chriſti. Pariſiis ex conſuetudine magis quàm præcepto.

Hæc eadem ferè omnia, nonnullaque inſuper alia, ſed propria magis quàm communia, enumerantur in Concilio Oxonienſi, *anno* 1225. apud Cornel. Scultingium *tom. 1. parte 1. cap. 9.* ut non mireris generalia ipſa à nobis dici, quæ in tam multis locis ſervari conſtat, ſeu ſervata fuiſſe aliàs.

QUÆSTIO VI.

Poſſintne prædicta feſta, vel omnia, vel aliqua, abrogari?

Actum ſæpe de feſtis reſcindendis.

DE moderandis feſtis aliquorum abrogatione ſæpè mota quæſtio fuit duobus abhinc ſæculis. Et quidem in Concilio Conſtantienſi tractatum id fuiſſe indicat Gerſon *ſer. de Nat. Beatæ Mariæ, quarta conſid. ſub finem, tomo* 3. ubi pro inducenda celebritate Virginalis Connubii Joſeph cum Maria, rationes afferens, non id ſe perſuadere profitetur, ut apud vulgus fiat, quod labore manuum vitam comparat, ſed tantùm apud Eccleſiaſticos, ſeu quoad Officium.

Gerſon.

Concil. Sueſſion. Senon. & Carnut. Feſta brachiorum ſeu operum manualium.

Idem poſtmodum tentatum fuit & ex parte perfectum in pleriſque Synodis Provincialibus ac Diœceſanis, maximè in Sueſſionenſi anno 1502. Senonenſi 1524. & Carnutenſi 1526. in quibus feſta vulgò dicta Brachiorum, ſeu operum manualium, quæ ferè omnia ſunt aut plurima ex enumeratis præcedenti quæſt. revocata fuere, & à præcepto Eccleſiæ excluſa, ac devotioni populi relicta.

Cardinalis Oſſatus.

Deinceps quoque *anno* 1599. Henrici IV. Galliarum Regis Chriſtianiſſimi nomine, inſtitit Cardinalis Oſſatus ipſius Orator apud Clementem VIII. Summum Pontificem, ut ejus mandato feſta aliqua ſupprimerentur in Galliis, quòd præ nimia eorum multitudine arva plurima inculta remanerent, magno totius Regni damno. Noluit Pontifex gravibus de cauſis, id per ſe præſtare, ſed negotium totum ad Regni Antiſtites remiſit: qua facultate, quæ aliunde ipſis jure communi competebat, uſi plurimi, aliqua in ſuis quique Diœceſibus ex proximè enumeratis feſtis expunxere; imò aliqui omnia, ut in diœceſi Bajocenſi; plures verò feſta SS. Lucæ, Marci, Barnabæ, Magdalenæ, Nicolai, Catharinæ, aliaque pauca retinuere, cæteris à feriandi onere excluſis.

Cauſæ ob quas feſta minuenda.

Nec deſuit juri ſic agendi urgens ſatis ratio, pauperum videlicet quotidianum victum manuum labore ſibi comparantium frequens querela, deinde etiam effrænata multorum irreligioſitas, feſtis ad vanitates vitiaque abutentium. Quæ utraque ratio ita firmat quod factum eſt, ut ſicubi adhuc ſupereſt nimia feſtorum ejuſmodi multiplicitas, eam perinde, vel ex toto, vel ex parte ab Epiſcopis amputari poſſe, nemo futurus ſit, qui aſſerenti repugnet: ab Epiſcopis, inquam, quia bene negat Layman *lib. 4. tract. 7. cap. 1. num.* 3. feſtum conſuetudine inductum ac ſtabilitum poſſe à populo abrogari, ſed à ſolo Epiſcopo, idque non tantùm populo petente, ſed etiam abnuente. Verùm reſtrictione iſta jam non opus eſt, poſt admiſſam Urbani VIII. Conſtitutionem, qua Feſta omnia, quæ de jure non ſunt, à præcepto eximuntur.

QUÆSTIO VII.

Quodnam ſit jus novum Urbani VIII. circa feſtorum obſervationem.

EDidit ſanctæ memoriæ Urbanus Papa VIII. anno 1642. Conſtitutionem circa Feſta in poſterum ex præcepto ubique ſervanda, cujus tenorem, quoniam ad rem noſtram plurimum facit, viſum eſt æquum hic ex toto deſcribere.

CONSTITUTIO

SANCTISSIMI D. N. D. URBANI divina providentia Papæ Octavi, PRO OBSERVATIONE FESTORUM.

URBANUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

UNiverſa *per orbem novit Eccleſia Romani Pontificis ſupremæ incumbere ſollicitudini, Dominicum gregem ad æternam dirigere ſalutem, & Apoſtolica ſic explicare præcepta, ut fideles in viam mandatorum currere, & ad beatitudinem valeant feliciter pervenire.*

Cauſa hujus Conſtitutionis.

§. 1. *Plurimorum ſiquidem venerabilium fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum per varias regiones conſtitutorum relatione ad nos pervenit, feſtorum multitudinem per ſingulas eorum diœceſes atque provincias adeò creviſſe, devotione, atque conſuetudine nova in dies introducente, ut multi jam dubitare videantur quænam ex præcepto, quæve ex libera cujuſque voluntate ſint ſervanda, pietatis fervore ob nimiam eorumdem numeroſitatem tepeſcente; quinimo & clamor pauperum frequens ad nos aſcendit, eamdem multitudinem ob quotidiani victus laboribus ſuis comparandi neceſſitatem ſibi valdè damnoſam conquerentium; & quod ſummoperè dolendum eſt, magno cum animi noſtri mœrore didicimus tanta ſæpè ſæpius malignatum inimicum in ſancto, ut ipſa multitudine non ad ædificationem, & ad laudandum in Eccleſiis Deum populi utantur, ſed ad otia, vanitates; & vitia frequenter abuti non reformident, ita ut quæ ad glorificandum divinum nomen ſunt primitus inſtituta temporis decurſu inimicus homo corruperit, & in magnam illius offenſionem, gravemque jacturam converterit animarum. Quamobrem dicti venerabiles fratres Archiepiſcopi & Epiſcopi nobis fecerunt humiliter ſupplicari, ut in prædictis de Apoſtolica poteſtatis plenitudine congruam aliquam iniremus rationem.*

Eos tantùm dies pro Feſtis ex præcepto colendos eſſe ſtatuit Pontifex, qui hic recenſentur.

§. 2. *Nos itaque volentes ex debito paſtoralis officii providere, & ſanctificationis feſtorum certum deinceps firmare præceptum, antiquam Eccleſiæ in hoc conſuetudinem ſectantes, habitis priùs frequentibus per dictos, pioſque viros, quos ad hæc ſpecialiter deputavimus, conſultationibus, ut rei videtur gravitas poſtulare, motu proprio & ex certa ſcientia meraque deliberatione noſtris, necnon de prædicta Apoſtolica poteſtatis plenitudine hac perpetuò*

valitu-

valitura Conſtitutione, de voto etiam venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum, Apoſtolica auctoritate decernimus, & declaramus, infraſcriptos dumtaxat dies pro feſtis ex præcepto colendos eſſe, quos nempe vel ab initio veneranda ſacravit antiquitas, vel univerſalis Eccleſiæ probavit conſuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur; Dominicos ſcilicet dies totius anni, Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis cum duabus ſequentibus feriis, Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duabus pariter ſequentibus feriis, Sanctiſſimæ Trinitatis, ſolemnitatis Corporis Chriſti, & Inventionis Sanctæ Crucis, necnon feſtivitatum Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, & Nativitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli, Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ, SS. Petri & Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi, & Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis, & Judæ, & S. Mathiæ, Chriſti Domini Apoſtolorum; item S. Stephani protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Silveſtri Papæ, & Confeſſoris, S. Joſephi, etiam Confeſſoris, & Sanctæ Annæ, Deiparæ reſpectivè ſponſi, ac genitricis, Solemnitatis Omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, ſive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit.

Ad reliquorum verò obſervantiam Chriſti fideles non teneri.

§. 3. *Ad reliquorum verò dierum obſervantiam, quos hactenus ſive in univerſa Eccleſia, in quavis natione, aut regno, provincia, diœceſi, aut loco quomodocumque, ſive ex præcepto, ſive ex conſuetudine, ſive ex devotione Chriſti fideles tanquam feſtivos celebrarunt, nequaquam ex præcepto ipſos teneri, dicta auctoritate tenore præſentium perpetuò etiam decernimus & declaramus. Ne autem dies feſtos à locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eoſdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad Eccleſiaſticam ubique ſervandam æqualitatem, de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione ſub præcepto novorum feſtorum ſtudeant abſtinere. Ut verò ea quæ ſuperius expreſſa ſunt, ferventiori quàm decet veneratione, ac devotione colantur, eiſdem Ordinariis antiquorum Canonum obſervantiam ad memoriam revocamus in concedendis licentiis laborandi diebus feſtis; quæ quidem licentia non aliter quàm ad formam prædictorum Canonum, ut præmittitur, concedenda, nonniſi gratis, liberè, & ſine ullo prorſus pretio, aut pacto directè, vel indirectè concedantur, ſub pœnis etiam gravioribus noſtro, ſucceſſorumque noſtrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc noſtram Conſtitutionem dies feriatos circa judicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus erant ante ejuſdem promulgationem.*

Mandat præſentes publicari & ad unguem obſervari.

§. 4. *Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ pœna, nunc & pro tempore exiſtenti noſtro in urbe ejuſque diſtrictu Vicario in ſpiritualibus generali, ac univerſis, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Prælatis, ac cujuſcumque generis locorum Ordinariis, etſi Cardinalatus honore fulgeant, ut has præſentes literas, omniaque, & ſingula in eis contenta ſinguli videlicet in eorum reſpectivè diœceſibus publicent, & ab omnibus eorum ſubditis ad unguem obſervari faciant.*

Contrariis quibuſcumque derogat.

§. 5. *Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, etiam in provincialibus, ſynodalibus & univerſalibus Conciliis editis, & edendis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac ſingularum provinciarum, civitatum, oppidorum, & locorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus longiſſimo tempore præſcriptis ac obſervatis etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, decretis, declarationibus, & litteris Apoſtolicis, aliiſque gratiis, tam per ipſos Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos etiam motu ſimili, etiam conſiſtorialiter, quàm per Ordinarios locorum cujuſcunque qualitatis, etiam Cardinalatus honore, ut præfertur, fulgentes, legatos etiam de latere, & Sedis Apoſtolicæ nuncios, ipſis provinciis, civitatibus, oppidis, & locis, aliiſque quibuſcumque etiam quantumvis privilegiatis perſonis, etiam Imperatoris, Regum, Regnorum, Rerumpublicarum, Ducum, aut aliorum Principum contemplatione, vel intuitu, ac aliàs in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, etſi aliàs pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenore hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, eiſdem præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.*

Tranſumptis credi jubet.

§. 6. *Volumus autem ut earumdem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, & manu Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum tam in judicio quàm extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

Sanctio pœnalis.

§. 7. *Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrorum decretorum, declarationum, monitionis, intentionis, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, nec ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationis omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ M.DC.XLII. idibus Septembris, Pontificatus noſtri anno vigeſimo.

Die 22. Decembris 1642. ſupradictæ litteræ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & in acie campi Floræ, ac aliis locis ſolitis & conſuetis urbis, per me Joannem Garziam S. D. N. Papæ Curſ.

Raymundus Brambilla *Mag. Curſ.*

Hac Conſtitutione, duo quæ in antiquo jure dubia erant, jam planè certa ſunt ac definita. Alterum, quænam ſint Feſta de præcepto ubique generatim ſervanda: cùm enim cæteris abrogatis recenſeantur hìc nominatim quæcunque talia ſunt, de nullo jam controverſia erit, ſitne de jure, an de conſuetudine, eoque ſpectant verba illa Pontificis, *Volentes ſanctificationis feſtorum certum deinceps firmare præceptum*. Nullum verò hìc feſtum præcipitur, quod non ſit expreſſum in jure cit. Can. *Pronunciandum*, & cap. *Conqueſtus*, præter feſtum S. Joſeph, & S. Annæ, à Gregorio XV. noviſſimè præceptum. Alterum, cùm dubium eſſet de præcepto juris, pertineretne tantùm ad feriationem forenſem, an etiam ad publicam ab operibus ſervilibus, in qua videlicet unà cum obligatione audiendæ Miſſæ conſiſtit propriè ſanctificatio feſti; ait expreſsè Pontifex de hac una, Conſtitutionem ſuam eſſe intelligendam, *neque ſe intendere dies feriatos circa Judicialia in aliquo immutare*. Alia dubia circa præfatam Conſtitutionem ſolventur plenius ſequentibus quæſtionibus.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

An feſta omnia in præfata Conſtitutione deſcripta, ubique jam ſervanda ſint ex præcepto ?

SUnt quippe ex iis aliqua, quæ ante præfatam Conſtitutionem alicubi non ſervabantur, videlicet Inventio S. Crucis, Dedicatio S. Michaelis Archangeli, feſta SS. Innocentium, S. Silveſtri, S. Joſeph, & S. Annæ in multis locis. Item in Meldenſi Diœceſi, quod jam ſuprà obſervatum eſt, feſta S. Mathiæ, S. Bartholomæi, & S. Thomæ Apoſtolorum, & ſi quæ alia alibi. An igitur vi Conſtitutionis hujus ſervanda erunt in poſterum iis in locis ejuſmodi feſta ? Affirmabit quiſquis Conſtitutionis verba, præciſè prout ſonant, accipienda judicaverit. At ſalvis etiam verbis ipſis, neganti aſſentior magis, duobus his ductus argumentis.

Conſtitutio non obligat ſervare de novo Feſta, quæ antè non ſervabantur.

Primum. Quòd non intendat Pontifex hacce Conſtitutione feſta ulla de novo præcipere, imò potiùs tollere & abrogare aliqua, ut patet ex cauſis Conſtitutionis faciendæ, quas ipſemet adducit: ergo ſi aliqua illorum quæ recenſet non ſunt in præcepto alicubi, non eſt veroſimile velle ipſum iis onus imponere, quod ab aliis quibus adſtrictum erat, ipſemet Conſtitutione removet.

Secundum. Quòd eorumdem Feſtorum omnium, quæ recenſet, ſupponat vigere præceptum; decernit ſiquidem, & declarat *eos dumtaxat dies pro feſtis ex præcepto retinendos, quos vel ab initio veneranda ſacravit antiquitas, vel univerſalis Eccleſia probavit conſuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur*; ergo ſi qui ſunt dies alicubi ab initio, aut ex conſuetudine minimè ſervati, eos haudquaquam decernit Pontifex pro Feſtis eſſe retinendos. Retineri enim pro Feſtis non poſſunt niſi qui antè feſti erant: ſed tales antè feſti non erant. Nec obſtat quòd alibi eſſent, ſemper enim infertur ex eo quòd non eſſent in tali & tali loco, non fuiſſe ex eorum numero, *quos vel ab initio veneranda ſacravit antiquitas, vel univerſalis Eccleſia probavit conſuetudo*, &c. Item non obſtat quòd extaret in jure ſeu ex conſuetudine Pontificium latum de iis præceptum; vel enim præceptum ejuſmodi nunquam ibi uſu receptum fuit, ut conſtat de feſtis S. Silveſtri, S. Joſeph, & S. Annæ; vel certè contraria conſuetudine legitimè præſcripta fuit abrogatum, uti contigit in præceptis de Inventione S. Crucis, Dedicatione S. Michaelis, feſto SS. Innocentium & aliis. Quocumque verò id modo factum fuerit, certum eſt nullum vigere præceptum: ergo non retinetur à Pontifice in Conſtitutione prædicta.

QUÆSTIO IX.

An ex reliquis, quæ per Conſtitutionem abrogata ſunt, poſſint nihilominus retineri aliqua in præcepto ?

NOndum de Feſtis propriis quæſtio verſatur, ſed de aliis, quæ generali, ſeu multis in locis recepta conſuetudine hactenus ſervata ſunt, putà de feſtis S. Lucæ, SS. Fabiani & Sebaſtiani Mart. S. Magdalenæ & ſimilibus, maximè verò de Conceptione B. Mariæ, cujus præceptum, quodcunque illud ſit, dolent plerique pii fuiſſe reſciſſum.

Nulla ex abrogatis feſtis perſtant in præcepto.

Stat verò pro quibuſcunque Feſtis ejuſmodi plana ac perſpicua Pontificis Declaratio: *Ad reliquorum verò*, inquit, *dierum obſervantiam, quos hactenus, ſive in univerſa Eccleſia, ſive in quavis natione, aut regno, provincia, diœceſi, aut loco, quomodocumque, ſive ex præcepto, ſive ex conſuetudine, ſive ex devotione, Chriſti fideles tamquam feſtivos celebrarunt, nequaquam ex præcepto teneri dicta authoritate tenore præſentium, perpetuo etiam decernimus & declaramus.*

Paſqualigus.

Quin & illam extendit Paſqualigus *tomo* 2. *quæſt.* 49. ad feſta etiam ex voto obligantia; tum quia feſta ejuſmodi ex præcepto ſunt, votum quippe Communitatis obligat per modum legis: tum quia derogatoria illa, *Ad reliquorum*, &c. univerſalis eſt, & vox *quomodocumque*, quamcunque obligationem exprimit; ſicut & in præcedenti dictio *dumtaxat*, afficiens dies, quos vult Pontifex eſſe de præcepto, excludit quoſcunque alios. Quare ſupereſt, ut ſi quæ ejuſmodi feſta alicubi colantur à populis, id deinceps non ex præcepto fiat obligationis vim retinente, ſed ex devotione, ac pio eoque laudabili colentium affectu. Quo nomine Romæ etiamnum coli audio, quæ antè erant in præcepto; neque id Conſtitutioni Pontificis ullatenus repugnat. Sed nec uſus ejuſmodi novus eſt admodum, reperi enim in antiquo Rituali Meldenſi appoſitam ſingulis feſtis alterutram hanc notam, *per totum diem*, vel, *ad devotionem*. Item in ſynodalibus ſtatutis Sueſſionenſibus anni 1502. *obſervationis*, vel *devotionis*.

Rituale Meldenſe.

Et hæc quidem dicta ſint quoad feſta ex inolito uſu retinenda: Quoad verò alia de novo inducenda in poſterum, quia id vix aliter quàm in feſtis propriis poteſt contingere, idcirco quæſtionem hanc in ſequens quod reliquum eſt caput tractandam rejicimus.

QUÆSTIO X.

Liberumne jam cuilibet in quocumque loco, feſta per Conſtitutionem prædictam à præcepto exempta non ſervare ?

LIberum haud dubiè iis in locis, in quibus promulgata atque uſu recepta eſt præfata Urbani VIII. Conſtitutio. In aliis verò ubi nondum ab Epiſcopis admiſſa fuit, nec in uſum inducta, controverſum.

Conſtitutio uſu non recepta non obligat.

Pro negativa enim facit id ipſum, quòd uſu recepta non eſt; ſi quidem Lex Canonica perinde ac Civilis, ſeu Conſtitutio Pontificia, etiam promulgata, ſed uſu non recepta, *vim & authoritatem aut non retinet aut non ſumit*, inquit Azor. *lib.* 5. *cap.* 3. *quæſt.* 3. ex communi juris tum Canonici tum Civilis peritorum ſententia, quam fusè explicat *cap.* 4. *quæſt.* 1. Et verò *leges inſtituuntur cum promulgantur*, ait Gratianus can. *In iſtis*, diſt. 4. & *l. De quibus*, *dig. de legibus*: *Illud receptum eſt, quòd leges non ſolum ſuffragio legiſlatoris, ſed etiam tacito conſenſu hominum per deſuetudinem abrogentur*. Quod & Navarrus valere vult tam pro iis qui ſciunt Conſtitutionem eſſe latam & promulgatam, quàm pro iis qui ignorant. *Conſil.* 1. *de Conſtit. quæſt.* 6. *num.* 25.

Navarrus.

Affirmativæ verò favet, quòd novæ Conſtitutiones quæ abrogant antiquas, incipiant vim & authoritatem habere ſtatim atque legitimè promulgatæ ſunt, ex eodem Azorio cit. *cap.* 3. *quæſt.* 7. Filliucio *Tract.* 21. *cap.* 11. *num.* 399. qui & citat Panormitanum *in cap.* 6. *de Conſtit. & cap. Noverit. de ſententia excom.* Ergo prædicta Conſtitutio, quæ abrogat legem & conſuetudinem colendi feſta, vim & authoritatem habet ab eo die quo Romæ promulgata fuit; ſiquidem Conſtitutiones Pontificiæ neceſſe non habent alibi promulgari ut valeant, ex communi item opinione Canoniſtarum, quos refert idem Azor. cit. *quæſt.* 3.

Nova Conſtitutio abrogans antiquam vim habet ſtatim atque promulgata eſt. Azor. Filliucius.

Adde quòd Conſtitutio illa non tam lex eſt, quàm legis derogatio, quippe non tam imponit onus quàm ſolvit, unde & rationem privilegii habet magis quàm legis; privilegia autem ſuam vim & authoritatem habere incipiunt cùm primùm conce-

Conſtitutio illa inſtar eſt privilegii.

Digitized by Google

concedumtur à Principe, aut ſaltem cùm nota fuerint ei, cui conceduntur, id aſſerente eodem Azorio *quæſt.* 5. poſt ſummos Canoniſtas in cap. *Cognoſcentes* de Conſtitut.

Conſtitutio Urbani VIII. ſolvit unumquemque in conſcientia ab obligatione feſta colendi.

Juxta hanc reſolutionem, quæ probabili ſatis ratione nititur, immunes ſunt deinceps à peccato, etiam ubi nondum præfata Conſtitutio uſu recepta eſt, qui vel Miſſam non audiunt, vel laborant diebus illis feſtis, quos eadem Conſtitutio à præcepti rigore liberos facit; modò id ipſi probè ſciant, ſcandalumque vitent. Hoc tamen quia nullo authore aſſero, nolim contra prudentiorum judicium pertinaciùs tueri.

QUÆSTIO XI.

An ſit legitimus uſus, tranſlato Feſto quoad Officium, feriationem quoque ipſam transferendi?

Authores negantes feriationem unquam eſſe transferendam.

Conveniunt ferè omnes ut dicant non eſſe legitimum, D. Antoninus 2. *part. titul.* 9. *cap.* 7. in principio, Tabiena verbo *Feria numer.* 15. *verſu* 14. Silveſter verbo *Dominica*, *quæſt.* 2, Sayrus *in Clavi regia lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 10. Azor. *p.* 2. *lib.* 1. *cap.* 28. *quæſt.* 8. Suarez *lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 7. Fagundez *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 18. Quin & Gavantus *Com. in Rubr. Miſſalis parte* 4. *titul.* 9. *num.* 24. agens de feſto Annunciationis occurrente in Paraſceve, miratur Epiſcopum in tali caſu tranſtuliſſe feſtum hoc cum ſuo præcepto in diem, quo ex Rubricis recitandum erat Officium, quòd inquit, hæc mutatio feſti univerſalis excedat facultatem Epiſcopi. Rationem verò omnes dicti hujus aliam non afferunt quàm conſuetudinem Eccleſiæ, quæ ordinavit ut iis diebus feſtum ſervaretur, *De remiſſione*, inquit Silveſter, *ſeu de tranſlatione in alium diem, nihil ſtatuit.* Addit Sayrus quòd ſicut jejunium ex voto, cùm incidit in eumdem diem cum jejunio Eccleſiaſtico, non eſt reſumendum alio die, nec item jejunium vigiliæ quando incidit in quatuor Tempora; ita nec feſtum, cùm incidit in Dominicam ſeu aliam diem Officium impedientem, maximè cùm uno actu audiendi Sacrum & abſtinendi à ſervilibus utrique præcepto ſatisfiat.

Laudatur uſus transferendi feſti quoad feriationem.

Nolo ego contra torrentem obniti, doque ſi vis libentiſſimè, uſum illum haud eſſe admittendum, iis in locis ubi hactenus non extitit, aut jam exolevit: at in aliis, in quibus conſtat viguiſſe hactenus, nedum reprobandum judicaverim, ut author ſim ipſe eſſe retinendum tamquam laudabilem, rationique valdè conſentaneum, maximè tum cùm feſtum eſt de ſolemnioribus. Quid enim conſonantius quàm ut ad dextri motum moveatur & ipſe oculus ſiniſter, ita Chori rationem forum imitetur, & cujus gratia Clerus celebritatem in ſacris exhibet, ejuſdem cultum populus à profanis abſtinendo ſuo more ſuſcipiat ac profiteatur? Sicut è contrario, ratio illa mihi ſemper minùs quadrare viſa eſt, ut populo feriante, verbi gratia, in aliquo die majoris hebdomadæ, divinaque Officia in honorem Annunciatæ Virginis cum lætitia frequentante, ipſorum Officiorum ritus, hoc eſt Chori Altariſque ornatus, veſtimentorum color, cantus, ceremoniarumque ordo nonniſi ferialis, adeòque lugubris admodum impendatur: Ipſa verò die qua de prædicto feſto fiet in Choro Officium, puta feria ſecunda poſt Dominicam in Albis, ſtrepente feſtivo Campanarum ſonitu, Cleroque divina Officia ſolemni apparatu obeunte, populus ſæcularibus negotiis diſtentus, nullam tanto Myſterio venerationem exhibeat. Præclarior longè, divinorumque Officiorum ſplendori aptior & congruentior altera illa agendi ratio in Diœceſibus Rhemenſi, Ambianenſi, Noviomenſi, Bituricenſi, Turonenſi, Pariſienſi, Carnutenſi, Aurelianenſi, Meldenſi, multiſque aliis uſitata, nempe ut in caſu propoſito Annunciationis B. Mariæ, itidem & Conceptionis, addit item Aurelianenſis, Inventionis S. Crucis, & Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, Sagienſis, SS. Gervaſii & Protaſii Patronorum, Noviomenſis verò omnium liberaliſſimè, S. Andreæ, Sancti Eligii, Sancti Thomæ, & quorumcumque feſtorum de præcepto ſuo die impeditorum tranſlato Officio, feſtivatio quoque ipſa, ut ajunt, transferatur.

Uſus iſte in multis Diœceſibus receptus.

Solvuntur argumenta oppoſita.

Neque verò multùm urgent, quæ in contrarium opponi poſſunt: Non ſtatutum aliquod Eccleſiæ, quod nullum univerſale extat; particularia verò extra Diœceſes particulares minimè extenduntur: Non uſus, qui alius & alius eſt pro varietate locorum; adeo ut ſicut Feſtum S. Bartholomæi celebratur ſecundùm conſuetudinem cujuſque loci 24. vel 25. Auguſti, ita feſta ſic tranſlata hoc vel illo die pro conſuetudine Diœceſum obſervari nihil repugnet. Qua inſuper reſponſione ſolvitur quod poſſet quis objicere, præceptum feriandi tali diei putà 25. Martii eſſe adſtrictum; hoc enim ſi ita eſt, nonniſi ob Myſterium ipſum quod tali die recolitur; unde ſi alio die ex uſu recepto recolatur, æquè dici poterit præceptum ei diei eſſe affixum. Non denique onus feriandi populis impoſitum: leve enim eſt, quod nonniſi bis terve ſex annorum ſpatio contingit, imò nullum, quando incidit Annunciatio in aliquam ex feriis majoris hebdomadæ; tunc enim ceſſat pro eo die præceptum feriandi, & reſervatur in diem, quo celebrandum erit Officium.

Rejicitur diſtinctio quædam officii & feſti.

Quo in caſu otioſa erit, quam nec aliunde ſatis probo, uſitata in Ordinibus annuis diſtinctio illa, qua feſtum tranſlatum, non *feſtum* ſed *Officium* inſcribitur, putà *Officium S. Mathiæ*, *S. Gregorii*, *S. Joſeph*, *&c.* Quaſi verò deſinat verum eſſe feſtum, ideò quia non fit die proprio. Confundunt Boni illi, quam ſtatim initio hujus operis diſtinximus utramque vocis *Feſti* acceptionem.

Retorquetur ratio Sayri.

Ad rationem verò Sayri ſic retorqueo: Jejunium ipſum (quod objicit) anticipatur in Sabbato, quando vigilia aliqua incidit in Dominicam: quidni feſtum æquè transferri poterit, quando ſuo die impeditur? Sicut autem in priori illo caſu non eſt obligatio bis jejunandi, ita nec in poſteriore bis erit obligatio ſanctificandi, quando dies à qua feſtum transferetur, ex ſe non eſt colibilis, uti non ſunt feriæ majoris hebdomadæ; quòd ſi fuerit colibilis, ut ſunt Dominicæ, ſanctificatio erit tantùm propter illas, non autem propter feſtum tranſlatum, quod tum perinde ſe habet in die in quem transfertur, atque ſi in eo occurreret. Et quòd duplici tum actu utrique præcepto ſatisfaciendum ſit, inde oritur, quòd duplex illud præceptum non unum diem, ſed duos diverſos afficiat.

Solvitur illatum ex ſuperiori doctrina incommodum.

Eſt gravior alia hæc objectio, ex ea ratione contingere aliquando, ut feſtum aliquod de præcepto bis uno anno ab eodem homine cum feriatione ſervetur, & contra ne ſemel quidem ab alio. Verbi gratia, anno 1652. qui verſabatur in diœceſi Andegavenſi, ſervavit feſtum Annunciationis die ſuo, nempe 25. *Martii*, qui incidit in feriam 2. majoris hebdomadæ. Migraverit ille poſthac in Diœceſim Turonenſem, iterum feriandum illi fuit prædictum feſtum 7. *Aprilis*, hoc eſt feria 2. poſt Dominicam in Albis, in quam tranſlatum fuit tam quoad feriationem quàm quoad Officium. Contra verò, ſi degebat quis in diœceſi Turonenſi feria 2. majoris hebdomadæ, non ſervavit ille prædictum feſtum Annunciationis, quia tunc ibi non feriabatur; ſed nec ſervaturus fuit feria 2. poſt Dominicam in Albis, ſi veniſſet in diœceſim Andegavenſem, quia in illa feriatio nunquam transfertur. Reſpondeo ſolvendam eſſe quæſtionem hanc ex juris conſcientiæ conſultorum placitis de

obliga-

obligatione Peregrinorum ad Feſta propria tam ſui territorii, dum ab eo abſunt, quàm alieni, quamdiu in eo morantur; & ex hypoteſi quòd teneantur, vel non teneantur, conclude nihil abſurdi eſſe ſi dixeris Peregrinum illum, vel in utraque Diœceſi juxta unam opinionem, vel in neutra juxta aliam obligari ad prædicti feſti obſervantiam.

QUÆSTIO XII.

An translato feſto quoad forum transferatur ſimul Indulgentia in eo conceſſa?

Doctores aſſerentes non eſſe transferenda Indulgentiam.

UT rivus fonti, ſic præcedenti quæſtioni contigua eſt præſens quæſtio, quam negando ſolvit Azor. *parte* 2. *lib.* 1. *cap.* 28. *quæſt.* 8. & ex eo Fagundez *in* 1. *præceptum Eccleſiæ lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 10. Diana quoque *parte* 6. *Tract.* 7. *Reſol.* 31. Rationem verò hanc afferunt, quòd ex tenore verborum Summi Pontificis, Indulgentia ejuſmodi annexa ſit certo diei, à quo transferri, aut ultra quem extendi non poteſt, niſi id ſpeciali conceſſione exprimatur, qualis indulta fuit à Gregorio XIII. PP. Minimis pro S. Franciſco de Paula, ut videlicet translato illius feſto, quod ſæpè contingit, transferatur quoque Indulgentia pro eo conceſſa. Hoc tamen indultum Pellizzarius *Tract.* 8. *cap.* 5. *ſect.* 5. *num.* 227. non putat communicari Religioſis aliorum Ordinum reſpectu Sancti ipſorum Fundatoris: eo quòd privilegium ejuſmodi vi verborum conceſſionis affixum ſit S. Franciſco de Paula, ideòque extendi non debet ad alios Sanctos in conceſſione minimè expreſſos.

Pelizzarius.

Contraria ſententia magis probatur in duabus circumſtantiis. *Sylvius.*

Aſſentior ego iis, ſic tamen ut non diſſentiam à Sylvio idipſum affirmante, in ſuis Reſolutionibus, verbo *Indulgentia* 2. in duabus conditionibus: altera ſi conceſſa ſit indulgentia viſitantibus Eccleſiam N. die feſto talis aut talis Sancti, nulla mentione facta diei Menſis, vel diei Depoſitionis, aut Mortis, aut Translationis, aut ſimilis. Altera ſi contingat Feſtum illud non celebrari die præſcripto, ſed alio in quem & Officium & feſtum ſeu feriatio transferatur: tunc enim, inquit, veriſimile eſt Indulgentiam quoque transferri, cùm ea concedatur pro die feſto talis Sancti, & dies feſtus illius ſit, quando illius feſtum ac Officium celebratur. Unde, pergit ille dicere, ſi conceditur Indulgentia in feſto Annunciationis B. Mariæ, & illud transferatur cum Officio ex hebdomada majori uſque poſt Dominicam in Albis, probabile eſt Indulgentiam lucrandam eſſe, non die 25. Martii, qui proprius eſt Annunciationis, ſed eo die, quo poſt Paſcha celebratur.

Cùm Indulgentia conceſſa ſit in favorem populi tunc maximè lucranda videtur cùm populus ad Eccleſiam frequens convenit.

Ego non tantùm probabile id, ſed planè certum judico, ob hanc inſuper rationem, quòd cùm talis Indulgentia conceſſa ſit maximè in gratiam populi, quò videlicet frequentior ad talem Eccleſiam conveniat; populus verò ad eam non ſit conventurus eo die, quo nec Officium, nec feſtum ipſum, ſeu feriatio ſervatur; non crediderim eo die lucrandam Indulgentiam, ſed eo in quem utrumque transfertur. Quòd ſi retenta feriatione Officium dumtaxat transferatur, quia eo die convenit populus, non quo Officium, ſed quo feriatio exolvitur, eo quoque die lucrandam Indulgentiam arbitror cum Azorio & aliis Doctoribus ſuprà, qui de hoc tantùm caſu agunt, non autem de alio in quo transfertur feſtum ſimul cum Officio. Ideòque non mireris me cum utriſque poſita hac diſtinctione tam negando quàm affirmando ſentire.

Ex qua item ratione id ſequitur, parum referre, quod primò dixit Sylvius, ſi in diplomate exprimatur dies Menſis, ſeu dies Depoſitionis, aut Translationis, &c. Is enim dies ex mente Pontificis capiendus, quo populus convenit in talem Eccleſiam ad tale Feſtum celebrandum.

Guyet. Heortologia.

CAPUT XIX.

DE FESTIS PROPRIIS ſub præcepto ſervandis.

FInem libro huic imponimus eodem ferè argumento, quod prioris initium fuit, imò quod totius operis titulus eſt, vulgari ſaltem modo loquendi: agimuſque hîc de Feſtorum propriorum cujuſque loci ſeu Eccleſiæ ſanctificatione, hoc eſt feriatione in iis ſervanda, perinde atque in aliis feſtis generalibus, ab forenſi ſtrepitu, ſervilibuſque operibus.

QUÆSTIO I.

An ſint Feſta propria ex præcepto ſervanda?

Feſta propria ſaltem aliqua, eſſe ſub præcepto.

ESſe aliqua dubitare non ſinunt ambo textus ex Jure ſuprà ſæpè allegati. Nam can. *Pronunciandum*, expreſsè habetur, *Et illæ Feſtivitates, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus cum populo collaudaverint, quæ vicinis tantum commorantibus indicendæ ſunt, non generaliter omnibus;* & cap. *Conqueſtus, Cæteriſque ſolemnitatibus, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Diœceſibus cum Clero & populo duxerint ſolemniter venerandas.*

Probatur à triplici fine feſtorum.

Adde uſum ejuſmodi ubique paſſim in tota Eccleſia eſſe receptum, notumque adeo, ut ſupervacaneum fuerit ullum proferre exemplum. Et verò, ſi in eum finem inſtituta ſunt feſta generalia, primò, ut fideles vacantes ab operibus ſervilibus orationi & devotioni liberiùs inſiſtant; ſecundò, ut eorum feſta recolentes ad eorum imitationem excitentur, & ut ait S. Gregorius, *imitari non pigeat, quod celebrare delectat*; tertiò, ut ad illam æternam requiem aſpirent, in qua eſt feſtum perpetuum, & continuò *Alleluja* cantatur; eò certè ſunt colenda diligentiùs feſta propria, quò pro collatis Sanctorum propriorum ope beneficiis, gratiæ Deo ampliores ſunt exolvendæ, quò item eorumdem exemplis propiùs ac ſtrictiùs inſiſtere debent, qui eos propiores habent apud Deum interceſſores; quò denique acrior ſpes eſt ad eorum aliquando conſortium perveniendi, ut poſſit quiſque idem profiteri, quod Sanctus Paulinus Nolanus *Natali* 9. *de S. Felice Patrono ſuo:*

Vel feſtis Domino ſtudeam me offerre diebus,
Ut vel parte mei tangam confinia vitæ,
Corpore ne toto trahar in conſortia mortis.

QUÆSTIO II.

Quænam Feſta propria ex præcepto ſervanda?

Feſta propria de præcepto, alia Diœceſana, alia Parochialia.

QUæſtionem hanc definio ex jure communi, non attenta Conſtitutione Urbani VIII. de qua poſtea. Propria itaque Feſta ex præcepto ſervanda, alia ſunt Diœceſana, alia Parochialia.

Inter diœceſana primum eſt Feſtum Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ Cathedralis.

Diœceſana ſunt. Primò: Feſtum ſolemne principale Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ Cathedralis, puta S. Mauritii in Diœceſibus Viennenſi, Turonenſi, Andegavenſi, Mirapicenſi: S. Vincentii in Cabilonenſi, Matiſconenſi, Maclovienſi: SS. Gervaſii, & Protaſii in Sueſſion. Cenoman. Sagienſi, Lectorenſi: SS. Cyrici & Julitæ in Nivernenſi: S. Mamantis in Lingonenſi, &c. nunquam finiero, ſi omnes numeraverim, cùm nullum, quod ſciam, adduci poſſit contrarii uſus exemplum. Tantùm legi in Conſtitutionibus Synodalibus Auximanæ Eccleſiæ in Italia anni 1593. Decretum Antonii Mariæ Cardinalis Galli Auximani Epiſcopi, quo præcipit feſtum S. Theclæ Patronæ Eccleſiæ

Digitized by Google

Cathedralis Auximanæ, in Civitate ac Diœceſi pio ac ſolemni cultu in poſterum obſervari.

Item Feſta Patronorum Diœceſis.

Secundò: Feſta Patronorum Civitatis ſeu Diœceſi, ſive unus tantùm habeatur, ſive plures, putà Rhemis S. Remigii, & SS. Nicaſii & ſociorum Mart. Ambiani S. Firmini Epiſc. & Mart. SS. Gentiani, Fuſciani & Victorici Mart. S. Firmini Ep. & Conf. & S. Honorati. Sylvanecti, S. Reguli. Rothomagi, S. Romani. Senonis, SS. Saviniani, & Potentiani, & S. Lupi. Antiſſiodori, S. Peregrini Ep. & Mart. & S. Germani. Pariſiis, S. Dionyſii, & Soc. S. Marcelli, & S. Genovefæ. Meldis, S. Fiacrii Conf. Aurelianis, S. Evurtii, & S. Aniani. Biturigibus, S. Urſini, S. Sulpitii & S. Gullelmi, in Civitate tantùm. Turonis S. Gatiani, S. Lidorii, S. Martini. Cenomanis, S. Juliani. Andegavi, S. Maurilii, S. Renati. Nannetis SS. Donatiani & Rogatiani Mart. & S. Clari Epiſc. Pictavii, S. Hilarii, & S. Radegundis, hujus in Civitate tantùm. Et ut adducam unum aut alterum exemplum extra Galliam, venit in manus meas Proprium Diœceſis Cracovienſis in Polonia, in quo hæc feſta Diœceſana notantur ex præcepto, S. Caſimiri 4. *Martii*, S. Adalberti Epiſc. & Mart. 23. *Apr.* S. Floriani Mart. 4. *Maii*, S. Staniſlai Epiſc. & Mart. 8. S. Hyacinthi Conf. *Dominica poſt Aſſumptionem Beatæ Mariæ*, S. Venceslai Mart. 28. *Septemb.* Neapoli quoque in Italia cùm olim ſervarentur feſta SS. Epiſcoporum & Civitatis illius Patronorum Januarii, Agrippini, Athanaſii, Aſpremi, Euphebii, Severi & Agnelli, primo & ultimo retentis, cæterorum ſicut & S. Thomæ Aquin. præceptum *per horas Miſſarum tantùm* urgere declaravit Synodus habita anno 1562. ſub Mario Caraffa Archiepiſcopo Neapolitano. Novariæ itidem in Italia duo tantùm S. Gaudentii primi Epiſcopi 22. *Jan.* & S. Agapii ſecundi Epiſc. 10. *Sept.* ex Synodo anni 1590. ſub Cæſare Speciano Epiſcopo.

Exempla Eccleſiarum Cracovienſis in Polonia, & Neapolitanæ in Italia.

Aliqua feſta ſecundaria Patronorum de præcepto.

Tertiò: Feſta aliqua ſecundaria eorumdem Patronorum, puta S. Petri ad Vincula, & Cathedræ ejuſdem Pictavii, Nannetis, Bellovaci, &c. Inventionis S. Stephani, Senonis, Meldis, &c. Inventio itidem S. Firmini, Ambiani. Translatio S. Andreæ, Abrincis. Translatio SS. Gervaſii & Protaſii, Sagii. Translatio Sancti Gatiani, item & S. Martini, Turonis. Pictavis itidem S. Hilarii, ſed in civitate duntaxat.

Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis raro eſt in præcepto.

Quartò: Cathedralis Eccleſiæ Dedicationem per totam Diœceſim, aut ſaltem extra Civitatem, ex præcepto ſervari vix ullibi uſu receptum eſt, niſi in iis Diœceſibus, in quibus omnium ſimul Eccleſiarum Dedicatio una die celebratur, uti Rothomagi, Abrincis, Sagii, &c. Tantùm obſervavi Cenomanenſis Eccleſiæ Dedicationem per totam Diœceſim eſſe de præcepto, dubito num & Conſtantienſis.

Feſta Reliquiarum alicubi ex præcepto.

Quintò: Sunt præterea in certis Diœceſibus feſta quædam particularia de præcepto, vel ob Sanctorum Reliquias quæ in Cathedrali Eccleſia aſſervantur; ſic Senonis 7. *Januarii*, Meldis *Dominica poſt Feſtum Sancti Lucæ*, Conſtantiæ 30. *Septembris* præcipitur Feſtum Reliquiarum: vel ob inſigne aliquod prodigium divinitus factum, ut Coriſopiti Feſtum Effuſionis Sanguinis ex imagine Crucifixi, *feria 4. ante Cineres*.

Feſta Parochialia ex præcepto.

Parochialia verò Feſta nonniſi duo ſolent eſſe de præcepto, Patroni videlicet ſeu Titularis, ac Dedicationis. Et Patroni quidem uſus eſt non infrequens, ut utrumque Feſtum Tranſitus videlicet & Translationis ſub præcepto colatur. In pleriſque etiam Eccleſiis præter Patronum Primarium, colitur item ſub præcepto alter adſcititius, aut cujus Corpus, inſigniſve Reliquia poſſidetur.

QUÆSTIO III.

Sintne alia item Feſta propria de præcepto?

Feſta propria Regni aut Provinciæ nulla in ſe ex præcepto.

ALia, inquam, quæ nec Diœceſana ſint nec Parochialia; omnene inprimis Feſta propria Regni ſeu Provinciæ? Sed cùm ex uſu communi & ex ipſamet Bulla Urbani VIII. Feſta de præcepto non ſint, niſi principalium Patronorum; Patroni autem ejuſmodi strictè ac propriè non dicuntur, niſi Diœceſis, non autem Regni aut Provinciæ, ut docuimus *libr. 1. capit. 7. quæſtion. tertia*: conſequens eſt, ut nulla quoque ſint feſta de præcepto Patronorum Regni ac Provinciæ. Quod enim objiciet quis de Sancto Ludovico in Gallia, ſi quod eſt præceptum, non tamquam Patroni cenſendum eſt, ſed ex peculiari indulto Pontificis.

Feſta propria Eccleſiarum exemptarum ſunt de præcepto in loco juriſdictionis.

Secundò. Quæritur de Feſtis Eccleſiarum Abbatialium, ſeu Collegiatarum, aut ſimilium Exemptarum, ac juriſdictionem in certum territorium obtinentium, quas deſcripſimus *libr. 1. capit. 1. quæſt.* 8. Reſpondeo, cùm ſit ejuſmodi territorium quaſi Diœceſis quædam, Feſta quoque illa cenſenda quaſi Diœceſana. Ejuſmodi ſunt Feſta S. Vincentii, & S. Germani, in ſuburbio Pariſienſi, S. Quintini in Veromanduis, S. Maximi Caineone, &c. quorum præceptum utique obligat in omni juriſdictionis loco.

Feſta propria Regularium aliqua de præcepto.

Tertiò. Sintne etiam apud Regulares Feſta aliqua de præcepto? Nulla quidem ſunt in jure expreſſa, ſed cùm ex dictis *lib. 1. cap. 14. quæſt. 2. 3. & 4.* Feſta propria Regularium ita ſe habeant ad ipſorum Eccleſias, ſeu loca quorum propria ſunt, pari quoque proportione, aliqua illorum debent eſſe in præcepto, puta Feſtum Fundatoris ſeu Inſtitutoris, qui inſtar Patroni habetur: Feſta item inſigniorum Ordinis Profeſſorum, putà Sancti Thomæ Aquin. Sancti Petri Mart. &c. apud Prædicatores; S. Antonii de Padua, S. Bonaventuræ, &c. apud Minores. Hoc autem ſtatuere Superiorum eſt, non quidem omnium, ſed majorum, qui hac in parte, ut in aliis juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuo Ordine obtinent.

Feſta propria Cappellarum nulla de præcepto.

Quartò. Cappellarum ſeu Oratoriorum ab Eccleſia ſeparatorum, cùm nulla eſſe ſoleat juriſdictio, nec in locum nec in perſonas, nulla quoque feſta ſunt de præcepto, niſi ad ſummum Feſtum Patroni ſeu Tituli reſpectivè ad Beneficiatum qui ea obtinet, ejuſque domeſticos ac familiares ibidem commorantes; idque extenſione juris potiùs, quàm lege ulla expreſſa.

Nulla item Altarium.

Altaris verò ſeu Cappellaniæ intra Eccleſiam concluſæ poteſt quidem contingere ut fiat Officium de Patrono ſeu Titulo die ipſius feſto, prout dictum eſt *lib. 1. cap. 16. q. 3.* at feſtum ipſum ſub præcepto coli, nec lege nec conſuetudine ulla conſtat.

QUÆSTIO IV.

Sintne Feſta aliqua dimidia diei ex præcepto?

Semifeſta ſeu Dies intercisi, ut ſunt de præcepto.

SEmifeſta appellantur ab aliquibus, ab aliis Dies interciſi, quales habentur in quibuſdam Diœceſibus Dies Cinerum & Feria 5. in Cœna Domini, & ubique Feria ſexta Paraſceves, & Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum *die 2. Novembris*. Quales item, quos poſtremo loco recenſet Theodorus Balſamon *Comment. in Photium cap. 7. Tit. 1. Qui*, ut ait, *ex parte quidem ceſſant à judiciis, & non ſunt omnino à negotiis immunes*. Ejuſmodi autem multos ſervari in Civitate Senenſi teſtis eſt Filliucius *tract. 27. cap. 6. quæſt.* 10. Neapoli quoque, ut notavi ſuprà ex Synodo anni 1562. in qua dicuntur Feſta quædam obſervari *per horas Miſſarum tantùm*, id eſt uſque ad meridiem. Neſcio annon talia quoque eſſent, quæ in Synodalibus Remenſibus appellantur

Theodorus Balſamon.

Filliucius.

Feſta

Feſta minùs ſolemnia. Utut ſit, non ita frequens eſt hodie uſus iſte, vixque aliter, quàm in gratiam Proceſſionis alicujus ſolemnioris, ad quam frequentem populum convenire oporteat, ut Aurelis *die* 8. *Maji*, pro liberatione Urbis ab obſidione Anglorum.

Quacunque autem de cauſa id fiat, legitimum eſſe aſſerunt Doctores communiter, Suarez, Azor, Bonacina, Layman & alii, qui etiam prudenter addunt obligationem eſſe tum audiendi Sacri, ſi præceptum latum fuerit ab Epiſcopo; ſecus, ſi ſola Principis, Magiſtratus vel populi authoritate.

QUÆSTIO V.

Quo jure prædicta Feſta propria ſervanda ſint ſub præcepto?

Suarez.

Poteſt feſtum loci proprium eſſe de jure communi.

DOcet Suarez *lib.* 2. *cap.* 11. poſſe Feſtum aliquod eſſe ſub obligatione in uno loco ex vi juris communis, licèt ad illud non obligetur univerſa Eccleſia; nempe ſi jus commune ſtatuat in genere tale feſtum eſſe ſervandum, puta feſtum Patroni aut Dedicationis uniuſcujuſque Eccleſiæ: tunc enim obligatio illa particularis eſt Parochiæ hujus ſeu Diœceſis, & non totius Eccleſiæ. Hæc diſtinctio vera eſt, ſed dubium an ſint feſta aliqua ejuſmodi, quæ jure communi ſint de præcepto in propriis locis.

Feſtum Dedicationis eſt de jure communi.

Id aſſeritur primò, de feſto Dedicationis; nam *Can. Pronunciandum*, inter obſervanda proponitur *Dedicatio cujuſque Oratorii*: Oratorii verò nomine intelligenda hìc Eccleſia. Quia tamen deeſt in *cap. Conqueſtus*, idcirco exiſtimarunt aliqui Can. illo priori agi tantùm de Feſtis quoad Officium; ſed refelluntur ex eo quòd dicatur expreſsè, *Pronunciandum eſt laicis, ut ſciant tempora feriandi per annum*. Verius itaque eſt, aut conſuetudine contraria feſtum Dedicationis deſiiſſe eſſe ſub præcepto multis in locis, aut certè Canonem illum cùm non ſit Concilii Generalis, ſed tantùm Provincialis Lugdunenſis, non conſtituere per ſe jus generale; quod ubique obliget, ſicut nec quod in Concilio Oxonienſi in principio inter obſervanda ponitur *Feſtum Dedicationis cujuslibet Eccleſiæ in ſua Parochia*. At ubi de facto ſervatur, exiſtimo juris eſſe communis, per conſuetudinem extenſi, eoque nomine ſervandam cujuslibet Eccleſiæ Dedicationem ab iis, qui ſubſunt illi Eccleſiæ tamquam propriæ; putà Parochialis in tota Parochia, Collegiatæ aut Conventualis à ſuo Clero, & Populo, ſi habeat. An verò etiam Cathedralis per totam Diœceſim? vix id conſuevit ullibi, ut jam ſuprà notavi, ideòque addidi (tamquam propriæ) ſeu de cujus gremio ſit Clericus, aut ad quam laicus pertineat perceptione Sacramentorum, quod non habet Cathedralis reſpectu omnium Clericorum & laicorum Diœceſis.

Concil. Oxon.

Feſtum principale Patroni ſeu Tituli cujuslibet Eccleſiæ cenſendum de jure communi.

Secundò. Aſſeritur item de Feſto principali Patroni ſeu Tituli cujuslibet Eccleſiæ. Nam licèt in neutro Capite Juris id exprimatur, extenſione tamen perinde colligitur; tum quia æquale eſt Feſto Dedicationis, niſi etiam præſtare dixeris, quod non improbavi aliàs; tum quia talis eſt uſus in tota Eccleſia univerſim receptus, adeò ut in nullis Actis Synodalibus, aut in nullo Rituali proprio, cùm tamen pluſquam centum in manus meas venerint, deeſſe obſervaverim; in quibus omnibus poſt ſeriem Feſtorum de præcepto ſervandorum conſtanter ſic legas: *Hìc additur Feſtum Patroni aut Titularis Eccleſiæ*; vel, *Ad hæc unaquaque Eccleſia ſolemniter celebrabit Feſtum Sancti, quem in Patronum aſſumpſit*; vel quod habet Concilium Oxonienſe anni 1225. *Quodlibet Feſtum illius Sancti, in cujus honorem fundata eſt Eccleſia*. Signanter verò dixi de feſto principali Patroni, quia ſi Patronus ille plura habeat feſta, putà Inventionis, Translationis, &c. jus commune id tantùm videtur exigere, ut præcipuum illorum in præcepto ſit apud populum, quod cautè omnino ac prudenter expreſſum eſt in Rituali Bituricenſi.

Guyet. Heortologiæ.

Feſta Reliquiarum non ſunt de jure communi.

Tertiò. Placet aliquibus addere præter Patronos feſta Sanctorum quorum habentur inſignes Reliquiæ, citaturque pro iis Concilium Moguntinum ſub Carolo, *cap.* 36. his verbis, *Et illas Feſtivitates Martyrum vel Confeſſorum obſevare decrevimus, quorum in unaquaque Parochia Sancta Corpora requieſcunt*. Sed hoc, inquit Suarez, licèt pium ſit ac ſanctum, non poteſt habere vim legis univerſalis, quia nonniſi privatum eſt Concilium, quod in jure communi non invenitur. Idemque dicendum de ſtatuto illo Synodi Neapolitanæ anni 1565. cujus tamen verba referre placet, quòd ſint conſona admodum, iis quæ hìc definivimus: *Reſervantur etiam Feſta ſpecialia quarumlibet Eccleſiarum Parochialium, & locorum ſingularium, præſertim in villis cuſtodienda inter eos, apud quos hactenus obſervari conſueverunt; veluti Natales ſeu feſtivitates Martyrum, quorum in unaquaque Sancta Corpora requieſcunt*, &c.

Suarez.

Synodus Neapolitana.

Reliqua feſta propria ſunt de jure particulari.

Cætera omnia feſta locorum ſeu Eccleſiarum propria, quæ in præcepto habentur, juris particularis ſunt, ex mandato videlicet Epiſcoporum, ad quos jure ſpectat in ſua quoſque Diœceſi Feſta inſtituere, ut conſtat tum ex cit. cap. *Pronunciandum* & *Conqueſtus*; tum ex uſu antiquiſſimo, ac Traditione univerſalis Eccleſiæ; idque, addit Suarez, abſque ſpeciali facultate vel confirmatione Pontificis.

QUÆSTIO VI.

An Regulares aliique Exempti teneantur ad obſervantiam feſtorum propriorum?

Tenentur Regulares ad obſervantiam Feſtorum Diœceſanorum.

Pelizzarius.

TEneri omnino ad Diœceſana, docuimus jam ſuprà *lib.* 2. *cap.* 16. *quæſt.* 4. adductis verbis expreſſis Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. nec eſt qui contradicat. Ad Parochialia verò negat teneri Pelizzarius *Tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 10. item *Tract.* 8. *cap.* 6. *num.* 62. & rationem affert quòd Decretum Concilii reſpectu Regularium ſit odioſum, adeòque debet reſtringi ad Feſta Diœceſana ſimpliciter, ſeu ad ea quæ communia ſunt toti Diœceſi, non autem extendi ad ea quæ ſunt unius tantùm Parochiæ: prætertquàm quòd verba ipſa Decreti id videntur innuere, quæ ſic habent, *Dies etiam feſti quos in Diœceſi ſua ſervandos Epiſcopus præceperit*; hoc enim ipſo quòd dicit *in Diœceſi*, videtur excludere quæ ab Ordinario indicuntur pro hac vel illa Parochia in particulari.

Tenentur item Regulares ad obſervantiam Feſtorum Parochialium.

Non placet mihi hæc opinio: Cùm enim feſta Parochialia, non à Parocho, qui nullum ad id jus habet, ſed vel authoritate Epiſcopi inducta fuerint, vel certè de jure ſint, ſeu jus explicante conſuetudine, quod de feſto Dedicationis & Patroni aſſeruimus ſuprà *quæſt.* 5. Si primum, æquè ad illa tenebuntur Regulares atque ad Diœceſana: ſi ſecundum, ne ipſe quidem Epiſcopus jus habet ea abrogandi, quantò minùs Regularis non obſervandi? Quod verò dicitur eſſe Decretum illud Concilii reſpectu Regularium odioſum, eſto, non tamen idcirco reſtringendum, imò cùm legem novam minimè condat, ſed pridem conditam, ac Regulares ipſos ex ſe obligantem explicet, ſtandum præcisè illius explicationi, quam non ſolvit acceptio *Diœceſis* pro tota Diœceſi: poteſt ſiquidem Epiſcopus Feſtum aliquod præcipere in Civitate, aut aliquo Oppido ſuæ Diœceſis tantùm, & quis dicat ad illud non teneri Regulares, quia non eſt præceptum in tota Diœceſi?

Solvuntur rationes contrariæ.

Tenentur item Regulares ad feſta ex conſuetudine.

Non placet quoque ejuſdem Pelizzarii opinio aſſerentis *eodem tract. cap. 4. num.* 14. non teneri Regulares ad feſta ex conſuetudine loci etiam legitimè præſcripta; eò quia, inquit, ſicut conſuetudines laicorum non ligant Clericos, ita nec Clericorum Regulares. At quidni conſuetudo in re ſacra ad Regularium ſtatum, æquè ac Sæcularium ſpectante ligabit?

Non tenentur ad Feſta ex voto. *Layman*.

Non diſplicet verò, quod idem Author nec non Layman, aliique Doctores addunt, non teneri Regulares ad Feſta ex voto populi, etiam approbata ab Epiſcopo, ſi ipſi in votum minimè conſenſerint; quia hæc non cenſentur promanare ex præcepto Epiſcopali, ſed primordialem naturam obligationis perſonalis ex voto ſervant.

QUÆSTIO VII.

An teneantur peregrini & hoſpites ad obſervantiam Feſtorum propriorum?

Negativa ſententia minimè admittenda. *Suarez*, *Fagundez*, *Sanchez*, *Caſtro*.

CItantur ab aliquo Authores octodecim pro negativa ſententia, quos omnes abnego, judicans cum Suarez *lib. 2. cap. 14. num. 2.* ſententiam illam eſſe contra communem ſenſum, & contra omnem bonam gubernationem, & etiam contra rationem; cum Fagundez *lib. 1. cap. 8. nu. 6.* eſſe practicè improbabilem, & contra bonos mores; cum Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp.* 18. *nu. 9.* valdè oppoſitam rationi: cum Caſtro Palao *1. p. tract. 3. puncto 24. §. 3. num.* 2. non eſſe admittendam.

Tenentur peregrini ad feſta localia, etiam tranſeuntes.

Affimativa verò ſic intelligenda, ut non tantùm obligentur ad Feſta localia peregrini, qui in aliquo loco permanenter hærent, ſive per diuturnum, ſive per breve tempus; ſed etiam qui tranſeunter & per modum hoſpitii. Ratio petitur tum ex vi conſuetudinis, qua ubique fideles id ita perſuaſum habent; conſuetudo autem ejuſmodi legitimè inducta obligat, cùm ſit rationabilis: tum etiam ex vi juriſdictionis, puniunt enim Epiſcopi aut Magiſtratus peregrinos, ſi non obſervent conſuetudinem loci, ut docet Abbas *in cap. Concilium, num. 6. de obſervatione jejun.* Et verò neceſſaria eſt ejuſmodi juriſdictio in ordine ad bonum regimen, alioquin exemplo peregrinorum non ſervantium feſta depravarentur quoque & ipſi incolæ. Adde quòd ſicut peregrini levantur oneribus patriæ, ita par eſt gravari oneribus loci, in quo morantur, *Qui enim ſentit commodum, debet & onus ſentire, ex Reg. juris in ſexto*. Plura vide apud Suarez cit. qui etiam contrarias rationes pleniſſimè ſolvit.

Tenentur hoſpites præcepto Feſtorum quà affirmativum eſt, non autem quà negativum. *Filliucius*.

Ne autem id rigidum nimis eſſe arguas reſpectu peregrinorum hoſpitantium dumtaxat, ſic tempera cum Filliucio *tract. 27. cap. 7. quæſt. 8.* ut ii obligentur quidem quoad obligationem præcepti negativi abſtinendi ab operibus ſervilibus, non autem quoad obligationem præcepti affirmativi audiendi ſacrum, niſi in eo loco hæreant toto tempore quod conceditur ad implendum actum præceptum, nempe toto mane; vel hoſpitati per noctem, poſtridie ſint per totum matutinum tempus iter facturi per loca in quibus viget præceptum.

Idem judica de obligatione jejunii, quæ urget in ſimili caſu, quoad abſtinentiam à carnibus, quæ rationem habet præcepti negativi; non autem quoad unicam refectionem, quæ inſtar eſt præcepti poſitivi.

QUÆSTIO VIII.

An abſentes teneantur Feſtis propriis ſuæ patriæ?

Non tenentur abſentes Feſtis ſuæ patriæ.

REſpondeo non teneri, ſi non eſt feſtum ubi verſantur. Ita Doctores communiter, & colligitur ex *cap. Ut animarum, de Conſtit. in ſexto*. Ratio verò eſt, quia tale præceptum cùm ſit locale, reſpicit per ſe territorium, illique eſt affixum, adeòque non obligat ſubditos, niſi dum degunt intra limites illius: quod habet locum, etiamſi eodem die reverſuri ſint in patriam; reſpicitur enim tantùm abſentia, non duratio abſentiæ, inquit Filliucius citat. *quæſtione 4.*

QUÆSTIO IX.

An poſſint Feſta propria abrogari vel reſtringi?

Poſſunt abrogari Feſta à Summo Pont. & ab Epiſcopo in ſua Diœceſi.

POſſunt juſtis de cauſis ab iis, qui jus habent eadem inſtituendi. Primò, à Summo Pontifice, quod præſtitit ex parte Urbanus VIII. in ſua Conſtitutione *Univerſa per orbem*, quam mox elucidabimus.

Secundò, ab Epiſcopo, non petito populi conſenſu, imò ipſo etiam renuente; non enim par eſt ratio feſti inſtituendi & abrogandi; in primo ſiquidem gravatur populus, ideòque fortè requiritur ipſius conſenſus: in ſecundo nedum gravatur, ut etiam ab onere ſublevetur.

Cauſa abrogandi juſta eſt ſublevatio populi.

Cauſa autem abrogationis tam à Pontifice quàm ab Epiſcopo faciendæ ſatis juſta eſt ſublevatio ipſa populorum, præſertim ubi magna eſt feſtorum propriorum multitudo. Sic Biturigibus abrogata ſunt per Diœceſim ante 60. annos à Domino Reginaldo de Beaulne Archiepiſcopo, & reſtricta ad civitatem dumtaxat, feſta S. Urſini, Sancti Guillelmi, Sancti Sulpitii, ac Inventionis Sancti Stephani.

Non poſſunt abrogari ab Epiſcopo feſta Patroni & Dedicationis cujuslibet Eccleſiæ.

Haud tamen putaverim abrogari poſſe ab Epiſcopo feſtum principale Patroni ſeu Titularis cujuslibet Eccleſiæ, ſicut nec Dedicationis, ubi hujus præceptum adhuc in uſu eſt, ex hypotheſi quòd utrumque ſit de jure communi; cui ſententiæ ſuprà favimus.

Tertiò denique, poteſt conſuetudine feſtum proprium periode ac generale abrogari: conſuetudine, inquam, legitimè præſcripta, quæ ſit videlicet quadraginta annorum, Epiſcopo tacitè conſentiente, ſeu non reclamante inducta.

QUÆSTIO X.

An poſſint de novo induci Feſta propria ſub præcepto?

Poſſunt de novo induci feſta propria.

QUidni, accedente juſta cauſa id præſtandi, necnon authoritate legitima præcipientis? Cauſa autem juſta eſt Sanctus aliquis novus colendus ſpeciatim alicubi, vel ob frequentiam miraculorum, quæ ad ejus ſepulcrum ſeu Reliquias divinitus patrantur, vel ob præſidium, ingentiaque beneficia ejus interceſſione à Deo obtenta. Præcipiens verò præter Summum Pontificem ſolus eſt proprius loci Epiſcopus, ad quem de jure id ſpectat ex ſæpè cit. Can. *Pronunciandum*, & *Conqueſtus*. Ad nullum verò alium ipſo inferiorem, niſi ab habente juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſubditos. Porrò de cauſæ ipſius ſeu ſubjecti conditione, itemque de Præcipientis authoritate communiter proponuntur à Doctoribus graviores aliquot difficultates, quas lubet hîc etiam enodare.

QUÆSTIO XI.

Poſſitne Epiſcopus præcipere Feſtum de Sancto non Canonizato?

EXiſtimarunt veteres Canoniſtæ, teſte Abbate *in cap. Conqueſtus, numero ſecundo*, Epiſcopum id juris habere, eò quòd dicto *cap. & can. Pronunciandum*, abſolutè & ſine limitatione

habea-

habeatur, *eos dies agi oportere, quos ſinguli Epiſcopi in ſuis Diœceſibus duxerint colendos*. Verùm cito, fuerit olim uſus iſte in Eccleſia receptus, ut ſi publico teſtimonio de alicujus martyrio ſeu ſanctitate conſtaret, illum Epiſcopus cum populi collaudatione, ſeu aſſenſu, cultu publico afficiendum decerneret: huic tamen juri penitus derogatum eſt Decreto Alexandri III. *cap. primo de Reliquiis & Veneratione Sanctorum*; nec poteſt jam Epiſcopus ullus feſtum inſtituere niſi de Sancto Canonizato, ſeu tali à Summo Pontifice declarato. Authores non refero, quia certa eſt reſolutio.

Non poſſunt amplius Epiſcopi Canonizare.

Sed an poteſt etiam de Beatificato? Affirmant diſertè Caſtro Palao *Tract. 8. diſputat. 2. puncto 2. num. 3.* Fagundez *lib. 1. cap. 3. num. 14. & 15.* ac noviſſimè Leander *Tract. 1. diſput. 3. queſt. 7.* qui item citat pro hacce opinione Suarez *lib. 2. cap. 11. numero 4. & 5.* qui tamen valdè indifferenter ſe habet. Citant etiam Azot, Sanchez, Filliucium, & alios, ſed omnino perperam, cùm ii omnes nonniſi de Canonizatione loquantur.

Caſtro. Facundez. Leander. Suarez.

Negant verò æquè boni ſaltem authores recentes & ipſi, Bonacina *in tertium præceptum diſput. 5. quæſt. unica puncto 1. num. 3.* Villaloboz *in Summa tom. 2. tract. 32. dub. 1. num. 3.* Diana *parte 3. tract. 5. reſol. 9. & citatus* ab ipſo Lucas Caſtellinus *de Canonizatione Sanctorum cap. 1. puncto 34. §. 7.* Quorum ſententiæ ita ſubſcribo ego, ut contrariam tanquam uſui ac rationi repugnantem penitus averſer.

Non poteſt Epiſcopus præcipere feſtum de Beatificato. Bonacina. Villaloboz. Diana. Lucas Caſtellinus.

Et quoad uſum quidem refert Diana cit. tempore Pauli V. humiliter petiiſſe Rempubl. Venetam, ut feſtum B. Salonii in eadem Civitate coleretur: idemque eveniſſe tempore Gregorii XV. pro Beato Alberto Magno, id poſtulante Archiepiſcopo Ratisbonenſi. Quod verò allegat Leander de Beato Thoma de Villanova Archiepiſcopo Valentino, cujus feſtum celebratur in Diœceſi Valentina, non dubitaverim ſimili conceſſione inductum fuiſſe, cùm & eamdem obtinuerint pro ejus Officio celebrando in ſuo Ordine Eremitæ Auguſtinienſes. Ratio verò inde petitur, quòd ex dictis jus non ſit Epiſcopo inſtituendi feſtum ullum niſi Sancti Canonizati: atqui Beatificatus tantùm Canonizatus non eſt, quidquid confundant Adverſarii Beatificationem cum Canonizatione. Cùm enim ex Bellarmino *libro primo de Beatitudine Sanctorum capite ſeptimo*, per Canonizationem decernantur Beato honores debiti iis, qui cum Deo feliciter regnant, nempe primò, ut ejus nomen inſcribatur in Catalogo Sanctorum, ac publicè ab omnibus habeatur dicaturque Sanctus. Secundò, ut invocetur in publicis Eccleſiæ precibus. Tertiò, ut templa & Aræ in ejus memoriam extruantur. Quartò, ut Officium & Miſſa de eo celebretur. Quintò, ut dies feſtus de eo inſtituatur. Sextò, ut pingatur cum lumine gloriæ, quod vocant. Septimò, ut ejus Reliquiæ in thecis ad venerationem recondantur; per Beatificationem nequaquam hæc omnia conceduntur, ſed tantùm aliqua: verbi gratia, de Beatis Franciſco Borgia, & Aloyſio Gonzaga Societatis Jeſu Officium & Miſſa conceſſa ſunt iis de Societate tantùm, non autem aliis: itidem de Beato Stanislao Koſta in Polonia dumtaxat, non verò alibi. Sic B. quoque Franciſci Salexii Genevenſis Epiſcopi conceſſum eſt Imaginem Altaribus appendere, Officium verò aut Miſſam celebrare nemo auſus eſt hactenus, quamquam magno ipſum Gallia tota honore atque amore, uti par eſt, proſequatur.

Bellarminus.

Honores Sanctis per Canonizationem ab Eccleſia exhiberi ſoliti.

Quòd ergo ajunt Doctores contrarii, Beatificationem eſſe Canonizationem minori apparatu celebratam, verum non eſt, niſi addiderint, eſſe item limitatam, tam reſpectu cultus exhibendi, quàm perſonarum & locorum à quibus exhiberi

Beatificatio ſi Canonizatio eſt, nonniſi limitata.

Gyor. Heortologia.

concedicur. Hoc autem poſito ruit funditus omnis illorum ratio. Cùm enim ſic Beatificatis nulla pars cultus publici exhiberi poſſit, niſi quæ, & quantum à Summo Pontifice decernitur, certè niſi id expreſsè conceſſerit Pontifex, ut feſtum de iis à populo ſervandum inſtituatur, nequaquam id erit in Epiſcopi poteſtate.

Pari jure infert Turrianus, *in ſecundam ſecundæ diſput. 17. dub. 8.* quòd quando Pontifex concedit certis Sacerdotibus, ut certo die recitent Officium ac Miſſam de aliquo Sancto Beatificato, non poſſe eos idcirco facere Octavam, nec dicere Miſſam votivam de eo quolibet die anni. Quin & addit Congregationem Sacrorum Rituum interrogatam an liceret celebrare Miſſam votivam de Sancto non Canonizato, reſpondiſſe non licere. Item rogatam, ut poteſtatem faceret celebrandi illam extra diem obitus, noluiſſe concedere; adeò verum univerſim illud eſt quod habet Diana alibi, nempe *parte 4. Tract. 4. Reſol. 231. non licere Sancto Beatificato deferre cultum publicum, niſi quando & quibus Pontifex concedit*.

Turrianus.

Non poteſt fieri Octava, nec dici Miſſa votiva de Beatificatis.

Diana.

QUÆSTIO XII.

An ut Epiſcopus Feſtum inſtituat, requiratur conſenſus Cleri ac populi?

Communis Doctorum opinio eſt, vi juris requiri. Nam *Can. Pronunciandum*, diſertè habetur, *Feſtivitates, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus cum populo collaudaverint*. Collaudatio autem denotat conſenſum & approbationem. Et cap. *Conqueſtus*, *Quas ſingulis Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, cum Clero & populo duxerint ſolemniter venerandas*. Ubi particula copulativa *Et*, tam populi quàm Cleri conſenſum deſignat. Cauſa verò cur Epiſcoporum poteſtas hac in parte à jure limitata ſit, eſt quædam æquitatis ratio, ait Layman *Tractat. de Feſtis, capite primo, numero tertio*: ne videlicet populus multitudine Feſtorum gravetur, & à neceſſariis laboribus impediatur. *Quod enim omnes tangit, debet ab omnibus approbari, ex regula vigeſimanona juris, in ſexto*.

Ex jure requiritur Cleri ac populi conſenſus.

Layman.

Hanc tamen Juris Communis vim ſic temperant Doctores: primò, ut ei contraria conſuetudine non ſit derogatum: nam ait Azot. *parte ſecunda, libro primo, capite vigeſimoſexto, queſtione ſecunda*, conſenſum populi minimè jam requiri ſolere. Fagundez *libro primo, capite tertio, numero undecimo*, Cleri quidem conſilium adhiberi, non autem ſuffragium exigi ſolitum. Quæ utraque conſuetudo planè ſervanda eſt, ubi introducta fuerit. At mihi non conſtat uſſibi eſſe introductam, ſaltem quoad Cleri conſilium, aut etiam conſenſum. Imò in Actis Synodi Neapolitanæ anni 1565. ſub Cardinali Caraffa expreſsè habetur, intromiſſos fuiſſe laicos & aliquos de populo, ut hujuſmodi feſtorum ſanctioni, ſi quid forſan ſua intereſſe putarent, adeſſent; licèt ibidem aſſeratur ex verbis Decreti Concilii Tridentini videri Epiſcopos ſua poteſtate dies feſtos ſervandos præcipere poſſe; ſic enim habet *ſeſſione 25. capite 12. Dies etiam feſti quos in Diœceſi ſua ſervandos Epiſcopi præceperint ab exemptis omnibus, &c.*

Non valet jus illud, ubi eſt contraria conſuetudo. Azor. Fagundez.

Synodus Neapolitana.

Concil. Trid.

Secundò, ſufficiens cenſetur Cleri populique conſenſus, quando Epiſcopo proponente nemo contradicit; aut contradicentibus, ſive paucis, ſive pluribus de populo, cæteri cum Epiſcopo & Clero conſentiunt; maximè ubi ratio contradictionis juſta & clara non videtur: ita Suarez cit. *numero nono*, poſt Panormitanum *in cap. ultimum de Feriis*.

Sufficiens eſt conſenſus, ſi nemo contradicat.

Tertiò, jus commune reſtringunt Fagundez

 libro

Fagundez. Palao.

Feſta pro una aut altera vice præcepta non exigunt conſenſum cleri nec populi.

libro primo, capite tertio, numero undecimo, & Palao *diſputatione ſecunda, puncto ſecunda, numero ſexto*, ad Feſta in perpetuum ab Epiſcopo inſtituenda, non autem unica aut altera vice; putà ſi Epiſcopus Sancti recens Canonizati feſtum ſemel obiervandum præcipiat: in eo ſiquidem caſu non ita populus gravatur, ut ejus conſenſus expectari debeat. Rarum tamen eſt, ut Epiſcopi ejuſmodi Feſta præcipiant, nec ullibi, quod ſciam, uſitatum.

Præſitus ſemel conſenſus non poteſt revocari.

Quartò denique valet jus illud tantummodo ante latum præceptum, nam præſtito ſemel conſenſu & ſtabilito præcepto non erit in poteſtate populi contradicere, & illud abrogare, niſi Epiſcopus conſentiat. Poteſt autem Epiſcopus ſolus abrogare, ut dictum eſt ſuprà *quæſt.* 9. quia poteſtas ejus quoad hoc nullo eſt jure limitata. Ita Suarez cit. *num.* 9.

QUÆSTIO XIII.

An Principes & Magiſtratus poſſint diem Feſtum præcipere ſine Epiſcopo?

Non poſſunt laici feſta ſacra præcipere.

EX occaſione jam reſponſum fuit ſuprà *capite decimoſexto, quæſtione decima*, poſſe quidem Principes aut Magiſtratus vacationem à foro, aliiſque actionibus publicis præcipere, putà ob natalem Principis, vel ob inſignem victoriam, aliudve ſimile: ſed cùm præceptum ejuſmodi merè ſit politicum, non autem religioſum, nulla ex eo ſequitur obligatio in conſcientia, ſaltem quoad culpam; ratio eſt, quia poteſtas laica nullam habet in ſpiritualibus authoritatem, ex *cap. Cùm laicis, de rebus Eccleſiæ non alienandis, & ex tota diſtinct. 96.* Obſervatio autem Feſtorum non tantùm quoad auditionem Miſſæ, ſed etiam quoad ceſſationem ab opere ſervili, quatenus ea ad Dei cultum pertinet, ſpiritualis eſt, ſeu religioſa ac ſacra, ergo non poteſt præcipi ab laica poteſtate. Ita Suarez *capite duodecimo*, Azor. *parte ſecunda libro primo, capite 26. quæſtione 5.* Caſtro Palao *diſput. 2. puncto ſecundo, numero 8.* Bonacina *diſput. 5. punct. 1.* aliique communiter.

Suarez. Azor. Caſtro. Bonacina.

QUÆSTIO XIV.

An conſuetudo poſſit inducere præceptum ſervandi alicujus Feſti?

Conditiones requiſitæ ut feſtum conſuetudine inducatur.

COnſuetudo ejuſmodi vel eſt populi tantùm, vel populi ſimul & Cleri. Si primum, non poteſt, quia obſervatio diei feſti debet eſſe communis Clericis & laicis, imò magis pertinet ad Clericos quàm ad laicos. Si ſecundum, nec etiam poteſt niſi accedente Epiſcopi conſenſu expreſſo vel tacito, quia ut docetur communiter in materia de legibus, conſuetudo non habet vim obligandi, niſi de conſenſu ejus, qui poteſt legem ferre. Talis præterea conſuetudo ut obliget, debet eſſe inducta, non ex mera devotione, ſed cum exiſtimatione obligationis, quam ſcit Epiſcopus eſſe communem totius civitatis, & non corrigit, ſed tacitè approbat: Ita Doctores communiter. Ad inducendam verò talem conſuetudinem, ex Fagundez *lib. 1. cap. 6. nu. 9.* ſufficit tempus decem annorum, id enim in jure cenſetur longum, *Cod. de praſcr. longi temporis.*

Fagundez.

QUÆSTIO XV.

An ex voto Civitatis & Communitatis laicorum poſſit aliquod feſtum eſſe de præcepto?

Non obligantur ad feſtum ex voto, niſi qui voverunt.

DIſtingue, præcepto quod obliget ſingulos voti reos; omnino, cùm actus religionis verè ſit materia voti: præcepto quod tranſmittatur in poſteros vel in abſentes, nequaquam, niſi vel fiat ſtatutum aliquod, vel inducatur conſuetudo legitima cum approbatione Prælati. Ita Doctores communiter.

Cæterùm quia tum hæc, tum præcedentes quinque quæſtiones jure communi antiquo à nobis ſic definitæ ſunt, ut nullam juris novi per Conſtitutionem Urbani VIII. inducti rationem habuerimus, juvat nunc eaſdem ex præfato jure iteratis quæſtionibus retexere.

QUÆSTIO XVI.

An per Conſtitutionem Urbani VIII. abrogata ſint quoque Feſta propria de præcepto?

DUbio locum facit ipſemet Conſtitutionis textus. Cùm enim dicat Pontifex, *velle ſe ſanctificationis feſtorum certum deinceps firmare præceptum*, tale autem dari non poſſit de Feſtis propriis, utpote quæ alia ſunt & alia pro varietate locorum; conſequens profectò videtur Pontificem non de iis, ſed de generalibus dumtaxat agere. Item cùm eos dies feſtos retinendos decernat, *quos vel ab initio veneranda ſacravit antiquitas, vel univerſalis Eccleſiæ probavit conſuetudo, vel unanimis gentium pietas veneratur*; nec poſſit in Feſtis propriis utraque poſtrema hæc conditio exigi, ea certè ex mente Pontificis retinenda videntur, quæ ab initio veneranda ſacravit antiquitas; ſunt autem ejuſmodi vel omnia, vel pleraque ſaltem feſta propria: ergo &c.

Abrogata ſunt quoque per Conſtitutionem feſta propria.

Verùm diſertè nimis loquitur Pontifex, cùm ſubdit, *atque unius ex principalioribus Patronis*, &c. quàm ut poſſint ex ejus verbis ſalvari quæcunque Feſta propria. Supereſt itaque inveſtigare, quænam ipſe retinenda cenſuit. Et de his quidem intendit certum firmare præceptum, non eo ſenſu ut velit ubique eadem eſſe Feſta propria, ſeu de iiſdem Sanctis, ſed ut eorum certa ſit ratio numeruſve in ſingulis Eccleſiis & locis: in quo certè potuit univerſalis quoque Eccleſiæ conſuetudinis, omniumque gentium unanimis pietatis ratio aliqua haberi.

QUÆSTIO XVII.

Quot & quænam ſint Feſta propria in ſingulis locis ex præfata Conſtitutione retinenda?

AUſculta Pontificem ſic edicentem, *atque unius ex principalioribus Patronis, in quocumque Regno ſive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacunque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi contigerit*; quæ verba ſi accuratiùs expenderis

Loquitur Pontifex de Patronis loci tantùm, non autem de Patronis Eccleſiarum.

Colliges primò, Pontificem non agere hìc de Patrono ſeu Titulo cujuslibet Eccleſiæ ſingularis, ſed de Patrono dumtaxat loci, qualem deſcripſimus *libro primo, capite ſeptimo*; idque manifeſtum eſt in eo quod expreſsè nominat Patronum Regni, ſeu Provinciæ. Nec obſtat quod ſubdit de Patrono civitatis, oppidi, vel pagi: datur enim Patronus civitatis, imò etiam oppidi & pagi, qui non eſt Patronus ſeu Titularis ullius Eccleſiæ; aut ſi eſt alicujus, non ideo colitur in tota civitate, oppido vel pago, quòd ſit Titularis illius Eccleſiæ, ſed quòd ſit ipſiuſmet loci Patronus. Unde non putaverim errare qui dixerit nihil hacce Conſtitutione detrahi Feſtis prædictis Patronorum ſeu Titularium cujuslibet Eccleſiæ, ſed ea remanere in priori obſervantia, quæ ipſis à jure communi tribuitur; nempe Conſtitutio eſt de feſtis generalibus, ſeu quæ ad omnes univerſim Eccleſias Regni, Provinciæ, Diœceſis aut Civitatis alicujus ſpectant, non verò privatim ad ſingulas.

Nihil per Conſtitutionem detrahitur Patronis ſeu Titulis Eccleſiarum ſingularium.

Colli-

Digitized by Google

De Patronis tantùm, iiſque principalioribus, ut retineantur, agit Conſtitutio.

Colliges ſecundò, agi tantùm de Patronis, iiſque principalioribus; non autem de aliis Sanctis, qui in eo gradu non ſunt, quamvis aliunde celebres habeantur. Patronos item ſtrictè ſumptos intellige, quos nimirum definivimus *lib.* 1. *cap.* 7. *quæſt.* 3.

In Gallia Conſtitutioni ſervandæ locus tantùm eſt quoad Patronos Diœceſum.

Colliges tertiò, nihil urgere Conſtitutionem hanc illis in locis, ubi non datur Patronus communis Regni totius ſeu Provinciæ, prout diximus loco proximè citato non dari communiter in Gallia; in qua proinde ſupereſt, ut locum maximè habeat Conſtitutio illa quoad Patronos Diœceſis, quorum unum dumtaxat vult retineri ſub præcepto, eumque de principalioribus, ſi plures fuerint, imò præſtat primarium omnium: qui ſi plura item feſta habeat, nonniſi præcipuum (quod ipſum decet eſſe Natale) in præcepto eſſe debet.

Atque hæc ſufficiat generatim explicuiſſe. Nam ad particularia deſcendere, præterquam quòd immenſum nimis ac tædio obnoxium, odioſum item illud eſt, nec ab eorum, quorum intereſt, exprobratione tutum ſatis. Cùm enim in aliquibus Diœceſibus plura ſint ejuſmodi Patronorum feſta propria, antiquiſſima traditione palam coli ſolita, non facile eſt ſuadere populis eorum relaxationem; imò rixarum ac litium gravium occaſio erit, ſi id invitis Eccleſiis ſuſcipiatur. Ut enim ſuorum pleræque jurium tenaciſſimæ ſunt, eo ſe lædi ſtatim, ſuaque minui privilegia, opportunè importunè expoſtulabunt.

QUÆSTIO XVIII.

Sitne jus ademptum Epiſcopis per præfatam Conſtitutionem feſta ulla in poſterum præcipiendi?

Ex Textu Conſtitutionis colligitur non eſſe ademptum jus Epiſcopis feſta præcipiendi.

Audivi ego, qui id aſſerant; ſed mitiora ſunt, meo judicio, Conſtitutionis verba, quàm ut in eo rigore accipiantur; ſic enim habent: *Ne autem dies feſtivos à locorum Ordinariis, nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eoſdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad Eccleſiaſticam ubique ſervandam æqualitatem, de cætero futuris perpetuis temporibus ab indictione ſub præcepto novorum Feſtorum ſtudeant abſtinere.* Ubi vides nulla hic verba præceptum ſonantia adhiberi, qualia ſunt, *jubemus, obligamus, præcipimus, præcipiendo mandamus, injungimus, prohibemus, vetamus, interdicimus, debeant, teneantur, obligentur, non poteſt, neceſſe eſt, oportet, non licet.* Imò nec iſta alia, quæ ex Doctorum conſenſu, nonniſi ad ſummum in materia gravi ſtrictiorem obligationem important, *ſancimus, intendimus, volumus, innovamus, ſtatuimus, decernimus, ſtabilimus, ordinamus.* Sed tantùm illud, *monemus in Domino*; quod iidem Doctores communiter aſſerunt gravem obligationem haudquaquam præ ſe ferre, ſed uſurpari magis ad permovendos animos, ut præſtent, quod vel ex præcedenti obligatione, vel aliqua congruentia præſtare convenit.

Verba præceptum ſonantia.

Verbum ſtudeant non involvit præceptum.

Verbum autem *ſtudeant*, licèt imperativum modum ſonet, æquè ac iſta *caveant, audiant, faciant, dicant, facite, abſtinete*, &c. haud tamen ſuo ipſum ſignificato aliud involvit, quàm affectum & conatum inferioris, ad efficiendum id quod Superior ſuadet & hortatur. Unde ſi quid occurrit, quod executionem difficilem, turbiſque implicatam, aut minùs proficuam reddat, nedum ullum Superioris præceptum urgere tum præſumitur, ut ab eo recedere omnino ſecurius ſit ac plerumque opportunius. Talemque eſſe Pontificis mentem in re, qua de agimus, leniori illo verbo ſatis indicatur; quippe res eſt, non de fide, aut morum caſtigatione, ſed de externo religionis cultu rectiùs concinniùſque dumtaxat ordinando.

Nec obſtat, quod in præcedentibus decernitur, ad reliquorum dierum obſervantiam, præter memoratos in dicta Conſtitutione, Chriſti fideles nequaquam ex præcepto teneri: ſupponit enim ea relaxatio nullum ab Epiſcopis indici præceptum, quod ſi adeſt, ſervari omnino debere à ſubditis, inde arguitur, quòd ſtante jure in integro, ſtat quoque reſpondens ipſi debitum ſeu obligatio.

HEORTOLOGIÆ
LIBER TERTIUS.
DE ORDINANDO OFFICIO
in Feſtis Propriis.

Partitio hujus libri.

PRæ foribus ſtare viſi ſumus hactenus, Feſtorum propriorum Titulos, Ritus, externaque decora prioribus duobus libris interpretati; nunc ipſa Templi adyta ſubeamus, Ipſummet intelligo Officium, quod qua ratione in Feſtis propriis ordinari debeat, libri hujus tertii labor eſt inveſtigare; & quidem hac methodo, ut cùm Officium, ſicut & res quælibet, duobus conſtet, materia videlicet & forma: materia, inquam, ſeu rebus ipſis, quibus tanquam partibus integratur ac perficitur, putà Antiphonis, Pſalmis, Lectionibus, Reſponſoriis, Capitulis, Hymnis, Verſibus &c. forma verò, quæ nihil aliud eſt, quàm rerum ſeu partium ipſarum apta, & ex inſtituto cohærens inter ſeſe collocatio; hinc eſt quòd futuræ ſint libri hujus ſectiones quatuor: prior quidem de ipſa materia quatenus propria eſt: altera de eadem, quatenus de Communi eſt ſupplenda: tertia de forma: quibus demum accedet quarta de Miſſa itidem in iiſdem Feſtis propriis ordinanda.

SECTIO PRIMA.

Materia Officii tota eſt oratio.

UT lignum aut lapis tota eſt materia ſtatuæ, ſic Officii divini materia tota oratio eſt. At oratio non unius eſt generis, ſed varia ac multiplex, pro multiplici ac varia ratione, quâ ipſa tendit in Deum; unde Apoſtolus 1. Tim. 2. jubet fieri in Eccleſia, *Obſecrationes, orationes, poſtulationes & gratiarum actiones*: quæ quatuor non pro eodem ſumi, ſed ut voce, ſic & ſignificatione diverſa eſſe aſſerit D. Thomas 2. 2. *quæſt*. 82. *art*. 17. Cornelius item in hunc locum, adductis aliis & aliis SS. Patrum explicationibus, quibus omnibus ſuperſedeo, hac una obſervatione contentus, quæ ad inſtituti noſtri rationem facit præcipuè: nimirum, Horarum Canonicarum ſeriem ſic eſſe contextam, ut cùm duplex ſit hominis facultas, qua ſeſe orando in Deum erigat, intellectus videlicet & voluntas, huic utrique afficiendæ, partes omnes ex æquo, ac mutua veluti ſorte inſerviunt. Intellectui quidem illuminando, Lectiones & Capitula, quæ continenti tono, quaſi ad faciliorem captum pronunciantur; voluntati verò inflammandæ, Antiphonæ & Reſponſoria, quæ pluribus notis cantum elevando ac deprimendo, veluti concitatis ac repetitis identidem animi motibus efferuntur; unde & *Cantus* abſolutè appellantur à Radulpho Tungrenſi *lib. de Obſervantia Canonum prop*. 12. Medium inter illa obtinent Pſalmi & Hymni, ut æquabili cantus, ſic & docendi movendique ratione temperati; Cantica itidem, niſi quòd plura habent provocandis affectibus idonea. Collectæ ſeu Orationes ad calcem cujuſque Horæ reſervatæ, intentum precando finem breviter ac dilucidè, quaſi perorando exponunt.

Orationis genus multiplex.

D. Thomas. Cornelius à Lap.

Intellectui ac voluntati ad Deum elevandis inſerviunt partes omnes Officii.

Rad. Tungrenſis.

Quæ mirabilis textura in tam perfectum aſſurgit opus, ut nulla ſit precandi methodus gratior & convenientior, nulla ſuis omnibus numeris magis abſoluta; hancque adeo qui voluit poſteriori ſæculo infringere Cardinalis ille Quignonius, ſuppeditata alia orandi forma, quæ Clericos expeditos magis & leves redderet quàm pios, meritò à Pio V. Pont. Max. proſcriptus ac damnatus eſt. Ergo ut in reliquis Officiis, ſic & in Feſtis propriis, orthodoxa illa ſemper ratio retinenda eſt, quam proinde juvat univerſim primùm, ac per ſingulas deinde partes diſtinctis Capitibus inquirendo evolvere.

Breviarium Quignonii proſcriptum à Pio V.

CAPUT I.

De Officiis Propriis univerſim.

OFfert ſe ab ipſo ſtatim Rubricarum generalium limine vulgatus ille Textus, de celebrando ritu Duplici Feſto Patroni unius vel plurium alicujus loci vel Titularis Eccleſiæ: item Feſtis Sanctorum, qui apud quaſdam Eccleſias, Religiones, vel Congregationes conſueverunt ſolemniter celebrari, *Cum Officiis propriis à Sede Apoſtolica approbatis, aut ex ejuſdem Sedis authoritate receptis vel recipiendis*. Qui Textus, quantum ad Ritus Duplicis rationem attinet, ſuperiori libro abundè fuit enucleatus. Nunc quæ circa Officia ipſa propria moveri poſſunt variæ ac non parvi momenti quæſtiones in medium adducendæ; ſi priùs obſervaveris Officii nomine hìc & deinceps intelligi, non ritum, putà Duplicis, aut Semiduplicis uti aliàs; ſed ipſummet materiale Officii, ſeu id quod in quolibet Officio recitandum præſcribitur.

QUÆ.

Digitized by Google

QUÆSTIO I.

Quænam dicantur Officia Propria?

In Breviario habetur proprium & commune Sanctorum.

QUæ videlicet ex Communi deſumpta non ſunt. Cùm enim Officium omne de Sanctis bifariam in Breviario diſpoſitum ſit, ita ut pars una *Proprium*, altera verò *Commune Sanctorum* dicatur; Proprium illud eſt, in quo habentur quæcunque propria ſunt cujuſque Sancti, putà Oratio, Lectiones, & ſi qua fortè ſunt alia: Commune verò, in quo pro ſingulis generibus Sanctorum, poſitum eſt Officium integrum; ex quo Officio ſupplenda in quolibet feſto quæ deſunt in Proprio; imò, ſi nihil adſit proprium, totum ipſum Officium de Communi eſt aſſumendum.

Officium proprium vel ex toto, vel ex parte.

Proprium itaque dicitur Officium id omne, quod ex Communi deſumptum non eſt, ſive fuerit totum, ſeu quoad hiſtoriam integram, quale habetur in feſtis S. Andreæ, S. Laurentii, S. Martini, S. Agnetis &c. ſive quoad majorem illius partem, ut in feſtis S. Mariæ Magdalenæ, S. Clementis, SS. Joannis & Pauli, S. Luciæ &c. ſive denique quoad Orationem & Lectiones tantùm, ut in SS. Bartholomæo, Nicolao, Franciſco, Catharina & aliis frequentiſſimè. Itidem & in feſtis propriis dicuntur Officia propria ſive tota, ſive ex parte, quæ cùm ipſis ſpeciatim attributa ſint, non indigent ex Communi ſuppleri.

QUÆSTIO II.

Præſtetne haberi Officia propria in Feſtis propriis locorum?

Cauſa una Officii proprii, defectus communis.

CAuſæ duæ ſunt, ob quas præſtare id nonnunquam aſſero: altera eſt defectus Officii Communis, ut in Feſtis illis Dei Omnipotentis, aut Chriſti Domini, aut B. Mariæ, aut SS. Angelorum, quæ alicubi fiunt, & de quibus nullum eſt Commune. Sic in pleriſque Breviariis habentur Officia propria de Quinque Plagis Chriſti, de Nomine Jeſu, de Coronatione ejuſdem, de Compaſſione B. Mariæ, de S. Gabriele, & ſimilia alia, de quibus ſingulis feretur judicium ſuis quibuſque locis.

Cauſa altera, major Feſti proprii celebritas.

Altera cauſa eſt ipſa Sanctorum celebritas, quæ eò major eſſe videtur, quò eorum laudes non mutuatis aliunde aut vulgaribus, ſed germanis & innatis præconiis efferuntur: Hincque eſt, quòd in omnibus ferè Breviariis aut Codicibus Diœceſum propriis habentur Officia propria Patronorum præcipuorum, ſicut & in Ordinibus Regularibus SS. Fundatorum, & primariorum Profeſſorum; imò & pleræque Eccleſiæ particulares circa ſuos Patronos ſeu Titulares id etiam juris uſu ſibi vendicant. An verò id legitimè, quæſtio ſequens edocebit.

QUÆSTIO III.

Qualia eſſe debeant Officia Propria, ut legitimè uſurpari queant?

Officia propria debent eſſe approbata à Sede Apoſtolica, aut ex ejuſdem Sedis authoritate recepta vel recipienda.
Gavantus.
Rodericus.

RUbrica expreſſis verbis id exigit, *ut ſint à Sede Apoſtolica approbata, aut ex ejuſdem Sedis authoritate recepta vel recipienda*. Quæ verba Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 12. *num.* 14. univerſim accipit, adeo ut nihil in Officio legendum affirmet, quod ab eadem Sede Apoſtolica non ſit approbatum. Rodericus verò *tom.* 1. *quæſt.* 42. *art.* 21. ſic temperat in favorem Religioſorum, ut poſſint illi quidem Officia propria de ſuis Sanctis recitare, *etiamſi à Sede Apoſtolica non ſint approbata, dummodo digna ſint ut approbentur, vel Religio eis utatur, animo ea à Sede Apoſtolica confirmandi*. Dicitur autem Doctor ille ut ſic ſentiat, verbis illis Rubricæ, *Recepta vel recipienda*, quaſi vox illa *Recipienda* idem ſit quod *digna recipi*.

Recipienda idem quod digna recipi.

Layman.

Hanc quoque ſententiam ſuſcipit Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 6. eamque ad quaſcunque Eccleſias extendit, cum hocce tamen diſcrimine, ut ſi Officia illa omni ſuſpicione falſi carentia, antehac in Eccleſia recitari conſueverint, prædicta approbatione opus non ſit; ſecùs, ſi de novo introducantur. Placet hæc reſolutio, niſi quòd curſim, velut in re extranea data, plus moræ à nobis exigit, ut pro varia Officiorum Propriorum ratione explicetur.

Tres conditiones ad hoc ut Officium proprium receptum pro approbato habeatur.

Et quidem cùm id tantùm requirat Layman, ut Officia illa uſu pridem recepta omni ſuſpicione falſi careant; addo ego & ſecundum, ut nulla alia labe inficiantur; tertium quoque, ut uſus ea recitandi probatus ſit ac legitimus; quæ tria ſingulis quæſtionibus ſunt enodanda.

QUÆSTIO IV.

Quænam Officia Propria ſuſpicione falſi laborent?

Mendacio Deus coli non poteſt.

MEndacio, quodcunque illud fuerit, coli poſſe Deum veritatis, qui & ipſe veritas eſt, quis ſibi perſuadeat, niſi à patre ipſo mendacii turpiter deceptus? Imò recenſitis octo mendacii generibus ſubdit Auguſtinus libr. de mendacio cap. ultimo, *Non eſt mentiendum in doctrina pietatis: magnum enim ſcelus eſt, & primum genus deteſtabilis mendacii*. Quidni enim de eo, qui falſas laudes Deo litat, dixeris meliùs, quàm de offerente ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, *Quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui*? Ut non mireris tam ſedulam adhibuiſſe operam Pium V. Pont. Max. quò remotis, ut ipſe profitetur in Bulla, *iis quæ aliena & incerta eſſent*, Breviarium ad rectam precandi formam revocaretur. Alienorum verò, & incertorum, ſeu, quod idem eſt, falſi ſuſpicione laborantium nomine veniunt

Auguſtinus.

Eccli. 34.

Pius V.

Aliena & incerta Officia, ſeu falſi ſuſpicione laborantia, ſunt primò ea quæ errores continent.
Errores contra fidem in Officiis Græcorum.

1. Quæcunque Orthodoxæ fidei contraria ſunt, aut non ſatis cum Eccleſiæ Dogmatibus cohærentia; qualia multa reperiuntur in libris Eccleſiaſticis Græcorum, Triodio, Pentecoſtario, & Paracletice, putà, quòd Chriſtus Dominus, ſuo ad inferos deſcenſu, omnes quotquot ab orbe condito fuerunt homines, à pœnis illis & poteſtate Dæmonis liberaverit; Quòd reſurgens omnes itidem qui in monumentis erant ad vitam excitaverit; Quòd neque Beati jam cœli bonis fruantur, neque pœnas inferni ſentiant damnati, ſed alii ab aliis ſeorſim poſiti, judicii diem expectent; Quòd damnatorum pœnæ finem aliquando ſint habituræ; Quòd Beata Virgo in Paſſione Filii modum non tenuerit, ejulans, genaſque dilanians, aliaque permulta, quæ collegit, refutavitque graviter Leo Allatius in ſua doctiſſima ſuper ejuſmodi libris diſſertatione. Nihil equidem ſimile habent Latinorum libri, nec in tam apertos errores noſtra, quamvis ſimpliciſſima antiquitas unquam impegit. Unum tantùm obſervavi in veteri legenda S. Hilarii, in antiquo Turonenſi aliiſque Breviariis olim uſitata, quod ſanam fidem minus ſapit, nimirum Leonem quemdam Papam, Ariana hæreſi infectum, conteſtante coram S. Hilario, pari cum Ario interitu ſubitò extinctum fuiſſe. Fateor, occurrunt cætera ſatis multa, emendatione digna, quorum aliqua recenſebuntur inferiùs; vix ulla tamen extremæ illius cenſuræ ſtylo figenda. Non quòd defuerint in hiſce partibus Hæretici Schiſmaticique procacitate atque audacia haudquaquam impares Nicephoro Calliſto Xantopulo, & Philotheo Patriarchæ Conſtantinopolitano, præcipuis apud Græcos prædictorum errorum inſpertoribus; ſed quòd ſimilia tentantibus par non fuerit Eccleſiaſticos Codices immutandi facultas.

Leo Allatius.

Nonnulli etiam errores erant in antiquis Latinorum Officiis.

Novum

Hæreticorũ dolus errores ſuos officiis ſacris inſpergentium. Epiphanius.

Novum verò non eſt ejuſmodi Hæreticorum inventum, quo ſuos in vulgus errores protrudant. Sic enim Hieracem hæreſiarcham Pſalmos à ſe editos palam diſcipulis ſuis cantandos tradidiſſe refert Epiphanius *Hæreſi 67.* Sic Donatiſtæ ebrietates ſuas ad canticum Pſalmorum humano ingenio compoſitorum *quaſi tubas exhortationis inflabant*, ait Auguſtinus *Epiſt. 119. capit. 18.* Sic denique Ariani, referente Socrate *libr. 6. cap. 8.* Hymnos & Antiphonas ex ſuo pravo dogmate compoſitas in ſuis conventibus decantabant, illud inprimis importunè Orthodoxis inſultando garrientes, *Ubi ſunt, qui dicunt tria virtute eſſe unum?* Quæ cauſa fuit S. Chryſoſtomo, ut & ipſe populum ſuum nocturnis quoque hymnis canendis erudierit, quibus & illorum obſcuraretur opus, & fidelium profeſſio firmaretur.

Auguſtinus. Chryſoſtom.

Rara eſſe debet authoritas quidquam decernendi in divinis Officiis.

Ex quibus videas quàm non vulgaris & cuilibet libera eſſe debeat, imò rara, & ad paucos admodum reſtricta, quidquam in Eccleſiaſticis Officiis decernendi authoritas. Quo nomine, fraudiſne, an temeritatis? niſi fortè utriuſque reos dixerim, nuperos illos media parte nominis, totaque doctrina Calviniſtis haud abſimiles, qui, quod tribus quatuorve hymnis, tamquam ſtatum fidei dogma de Chriſto Domino aſſeritur, quòd videlicet ſit ipſe *Redemptor omnium*, diſtorta perperam ac planè doloſa verſione Gallica, id ſibi juris arrogarunt, ut ſupprimerent, alia multa, imò omnia ſuſque deque verſuri, niſi perverſis eorum conatibus, maturè, atque acriter reſtitum fuiſſet.

Janſeniſtarum error, Chriſtum pro omnibus mortuũ non fuiſſe.

Aliena item ſunt Apocrypha.

2. Falſi ſuſpicione laborant, niſi & ipſa penitus falſa ſint, Apocrypha, non ea duntaxat quæ incerti authoris ſunt, prout appellat Gloſſa *in Can. 1. diſt. 16.* (poſſunt enim illorum aliqua à vero non eſſe aliena) ſed ea potiſſimùm, quæ uti rectè definit Covarruvias *var. reſol. libr. 4. cap. 17.* *falſa veris admixta, aut peregrina quædam ac portentoſa continent, quæ nec piè nec commodè credi poſſunt.* Qualia ſunt, quæ refert idem qui ſuprà Leo Allatius ex Græcorum Synaxario, de primo omnium Evangelio à Nicodemo ſcripto, & de Maria Magdalena, quæ, ut ibi habetur, *poſt Aſcenſionem Chriſti Romam perveniens in cauſa fuit, ut novo mortis genere Pilatus ac ſummi Sacerdotes enecarentur, quæ Chriſto contigerant, omnibus Cæſari Tiberio renunciatis.*

Covarruvias. Apocrypha quæ? Apocrypha in Officiis Græcorum. Leo Allatius.

Triplex ratio diſcernendi Apocrypha.

Referta ſunt ejuſmodi Apocryphis Officia non pauca in pleriſque Eccleſiis olim, neſcio annon etiam nunc in aliquibus uſitata; quæ quidem tribus hiſce indiciis, vel altero illorum facilè deprehendes.

Multa peregrina ac portentoſa jactantur in quibuſdam legendis Sanctorum, quæ vix fidem faciant. Bollandus.

1. Si nulla alia ferè continent, quàm peregrina quædam, ut dixi, ac portentoſa, cujuſmodi multa jactari de Sanctis Hiberniæ, Scotiæ, Britanniæ tam majoris quàm minoris ſeu Armoricæ fatetur Bollandus noſter, *cap. 3. Præfationis generalis in vitas Sanctorum*, quas ingenti labore vir eruditiſſimus noviſſimè collegit, digeſſit, notiſque illuſtravit. Ejuſmodi exempla aliquot accipe de nonnullis Sanctis noſtratis Britanniæ: putà de S. Corentino Epiſcopo Cornubienſi, cui in eremo degenti ex rivulo, quem ipſe circa horam prandii aquam hauſturus frequentabat, piſcis exiliens ſic ſeipſum ultro commodabat, ut abſciſſa in cibum particula integrum ſe denuò ad idem munus quotidie repræſentaret: De S. Guingualoeo Abbate, qui ſorori oculum ab anſere erutum & abſorptum mirabiliter reſtituit: De S. Meloro Martyre, qui interfectus, minutatimque conciſus, redivivus extemplò apparuit: De S. Budoco, cujus ortus ex matre quintum jam menſem dolio incluſa, marique ad ſubmerſionem tradita, formata recens nati ad ipſammet matrem locutio, ruta ex Hiberno littore in Leonenſem oram arcæ lapideæ remeatio, multaque alia ejuſmodi fidem omnem ſuperant: De S. Tugalo ſeu Tugdualo, qui ex Romano Pontifice factus Epiſcopus Trecorenſis eo in loco dæmonem interfecit.

Legenda SS. Corentini, Guingaloei, Melori, Budoci, Tugali.

Etſi enim iſta omnia extra ſummam Dei Optimi Maximi, cujus ſolius eſt per ſe facere miracula, poteſtatem poſita non ſint; cùm tamen ex D. Thoma *1. parte, quæſt. 105. artic. 7. ad* 2. & 1. 2. *quæſt. 113. art. 10. in cor.* miraculum hoc ex ſe inprimis habeat, ut ſit arduum & inſolitum, non levis in hiſce ſuſpicio ſubeſt, quòd tam facilia tamque crebra referantur. Celebres equidem ſunt Thaumaturgi illi, S. Gregorius Neocæſarienſis, S. Martinus, & poſtremis temporibus S. Franciſcus de Paula, quibus miracula quaſi ad manum fuiſſe perhibetur. At gratiam illam tam multis aliis communem facere, neſcio annon id tribuendum ſit magis ſimpliciorum quorundam affectui, quàm rei veritati; uti refert S. Hieronymus de eo, qui ex amore in S. Paulum, ejus ac Theclæ periodos, baptizatique Leonis fabulam induxit.

D. Thomas. Sancti Thaumaturgi.

Miraculorum inutilitas falſitatis indicium. D. Thomas.

Alterum detegendæ in his falſitatis indicium eſt, miraculorum inutilitas. Nam cùm ex eodem D. Thoma 2. 2. *quæſt. 178. art.* 2. miracula Deus operetur ad hominum utilitatem, eo fine videlicet, ut vel ijs fidei veritas innoteſcat, aut ſanctitas alicujus demonſtretur, quem vult in exemplum virtutis proponere; utraque ratio pleromque in antiquis illis Officiis deficit, cùm ſic facta referantur, ut nulla ex iis hominum ad fidem aut meliorem frugem converſio conſecuta ſit, nulla itidem virtutis exempla imitatione digna prodierint. Imò ut ait Bollandus citatus, *etiam addubites decueritne Majeſtatem æterni Numinis, ita humanæ vel neceſſitati ſubvenire, vel voluntati obſecundare.*

Legenda SS. Hervei, & Gendulphi.

Quæ enim, amabo, iſta virtus eſt, qua S. Hærveus, cùm cæcus eſſet, paſtoribus pueris, quòd tranſeuntem ipſum irriſiſſent, cæculumque vocaſſent, maledicendo imprecatus eſt, ut ipſi nunquam grandiores evaderent? nec verò evaſerunt. Lapidibus item regionis, quòd ad unum gravius offendiſſet, duritiem à Deo optavit tantam, nulli ut unquam uſui eſſe poſſent. Hæc de eo Breviarium Leonienſe vetus, ſicut & de S. Gendulpho Pariſienſe item vetus, quòd *beſtiola, quæ vulgò vulpes dicitur*, juſſa ab ipſo ablatam gallinam reponere, mox obtemperaverit, ſtatimque aufugiens ad fores Eccleſiæ mortua conciderit. Non eſſet inutile miraculum, ſi vulpinis hominibus ſimile quid interdum accideret.

Authores dubii, & notæ temporis incertæ, falſitatis indicia ſunt.

Tertium denique falſitatis indicium eſt, carentia certorum authorum, ut & notarum temporis; veteres enim illæ Eccleſiarum Chartæ, ex quibus deſumpta ſunt ejuſmodi Officia propria, ut plurimum nullius nomen præ ſe ferunt, magiſque traditione quàm authoritate nituntur. Traditio autem, cujus origo nonniſi à rudi ferreoque ſæculo, qualia fuere quinque ſexve præcedentia, deduci poteſt, dubia eſt, exiguæque admodum fidei; præſertim ſi & ipſa, aut nullis, aut etiam falſis temporum notis inſcribatur; uti perſæpè contingit in illis antiquis Sanctorum localium actis, quæ inſuper tam gravibus & abſurdis parachroniſmis plerumque laborant, ut inde totius Hiſtoriæ falſitas haud inaniter conjiciatur.

Fabula Leonis Papæ Ariani reſecata.

Exemplum promuli *lib. 1. cap. 5. quæſt. 9.* quod & manifeſtum redditur, exemplo Leonis illius Papæ, quem ſimili Arii pœna, ad S. Hilarii vocem corruiſſe mentiuntur Officia propria ſtatim initio hujuſce quæſtionis relata. Cùm enim in omni bona Chronologia, integro ſæculo S. Leonem, qui ejus nominis primus eſt, præceſſerit S. Hilarius, quis niſi fictitius eſſe poteſt Leo ille, quem bellæ hujus fabellæ Scriptores S. Hilario componunt?

Legendæ Sanctorum Britanniæ pleræque incertæ.

Simili quoque vitio infectæ ſunt plurimæ ex Legendis illis Sanctorum Britanniæ, in quibus legas ferè ſemper aliquid interceſſiſſe commercii

alio-

aliorum cum aliis, purà S. Corentini cum SS. Maclovio & Paterno, hujus cum S. Samſone, Samſonis cum Budoco & Hidulto, horum cum omnibus ferè aliis, maximè Hidulti, qui cæterorum Præceptor fuiſſe aſſeritur; ex quo contemporaneos illos fuiſſe judices, cùm tamen ſi recta temporum ratio habeatur, longo intervallo diſtantes fuiſſe oporteat; ut hinc ex probabili ſatis conjectura inferre liceat Authores Legendarum iſtarum non Dei more omnia tempora habuiſſe præſentia; ſed magis confudiſſe, ac promiſcuè pro nutu diſpertiiſſe, conjunxiſſe, acceleraſſe, tardaſſe, qua nulla major eſt nota falſitatis.

Præter hanc aleam ſunt acta S. Dionyſii & ſimilia.

Et hæc quidem de ſuſpicione falſi, quam nolim ego Officiis impingi Sanctorum illorum, de quibus controverſia aliqua circa locum, aut qualitatem agitatur, purà S. Dionyſii, quem eſſe ipſummet Areopagitam tota ſemper Gallia pro rato habuit. Litem de hac re movent Scriptores nuperi viri docti, nec fortè inani fundamento fulti. Utut ſit, cùm uſus legitimaque poſſeſſio hac in parte inſtar ſint argumenti à ratione ducti, niſi etiam fortè præſtent, valet ſi unquam aliàs in hoc caſu & ſimilibus, vulgata Juris Regula, *In pari cauſa potior eſt conditio poſſidentis:* Favetque par Gavanti reſolutio *ſect. 5. cap. 12. num. 16.*

QUÆSTIO V.

Quæ ſint aliæ labes Officiorum Propriorum?

PRæter falſi ſuſpicionem tres alias præcipuas lubet hic recenſere olim non infrequentes admodum.

Latini ſermonis impuritas.

Prima eſt Latini ſermonis impuritas, qua laborabant antiquæ omnes Legendæ, Hiſtoriæque ex iis deſumptæ, ſive quæ ſolœciſmis, barbariſmis, aliiſque mendis contra rectam ſyntaxeos normam ſcatebant; ſive quæ ſtylo ſcriptæ erant humili nimis ac depreſſo, qui vel pueris rudimenta addiſcentibus ſtomachum moveret; ſive etiam quæ verſibus conſtabant corruptis ac planè ruſticis, aut quæ per Etruſcos rhythmos inſulſaque homioptota decurrebant, eujuſmodi extant adhuc plurima Mendicantium Officia, aliave tribus abhinc quatuorve ſæculis exarata, quorum omnium fragmenta commodiùs alibi referentur. Et verò licet cultior ille ſtyli verborumque apparatus in his fortè haud ita probetur, eam tamen ut minimùm adhiberi ſermonis elegantiam par eſt, à qua ut ait Urbanus VIII. in ſua poſtremæ recognitionis Bulla, abſit omne id, *quod pſallentium animos avocare aliò ac diſtrahere poſſit.* En tibi ſpecimen ex antiquo Breviario Pariſienſi deſumptum, in Lectionibus S. Aureæ, die 4. Octobris: *Quodam tempore exigentibus culpis Pariſiaca urbis Civitas tota cernitur inflammata, Monaſteria quoque quæ intra muros erant & cunctorum civium cœnacula planguntur inde cremata, omnia penè loca Vulcanus poſſidebat, proh dolor! Neptunus extra urbem currebat, nec urbem penetrabat; ideoque nihil Vulcano nocebat, nec civibus ſuccurrebat.* Riſum contine, ſi potes, qui hæc legis.

Urbanus VIII.

Legenda S. Aureæ.

Ludicra & inania in quibuſdam Legendis.

Alia Officiorum Propriorum labes eſt, ſi ludicra quædam & inania contineant, nullum apta pietatis ſenſum animis pſallentium, aut legentium injicere: quale eſt illud in antiquo Officio Tranſlationis S. Corentini, *Gaudent ergo Monachi, & Sanctum plus ſolito venerantur, qui vinum illis ſervavit.* Item illud in Officio Inventionis S. Firmini, *Et Dominus Baugentiaci Sancto fit homo ligius.* Multa ſimilia pro occaſione alibi ſuppeditabuntur, quæ omnia S. Bernardus *Epiſtola* 312. hac cenſura perſtringit: *In ſolemnitate celebri non novella audiri decet vel levia, ſed authentica & antiqua, quæ & Eccleſiam ædificent, & Eccleſiaſticam redoleant gravitatem.*

S. Bernardus.

Tertium denique labis genus computo, ſi debitam ſibi quæque proportionem non ſervent partes Officii; puta ſi fuerint Lectiones, aut Collectæ, aut Antiphonæ prolixiores, quales in multis Propriis obſervare licet; ſi Reſponſoria arctiora, aut illorum verſus cum parte reſumenda minùs appoſita ſint; ſi cuncta more aliorum Officiorum, non ſatis inter ſe quadrent atque cohæreant. Ut enim monſtrum efficit in corpore humano quælibet ejus pars aut exuberans aut mutila, aut ſuo non bene aptata loco; ſic non poteſt pro nævo ſaltem non haberi, ſi quid ejuſmodi in Officii partibus delinquatur.

Incompoſitio partium Officii.

QUÆSTIO VI.

Quis uſus Officiorum Propriorum cenſendus ſit probatus ac legitimus?

USum ſeu conſuetudinem recitandi Propria Officia in quacunque Eccleſia pridem receptam, quidam volunt valere ſatis ad hoc ut Officia illa legitima & approbata cenſeantur. Ego verò non item, niſi & uſus ipſe per ſe ſe quoque ſit legitimus. Ad quod exigitur, primò ut Officia ipſa nulla ſuſpicione falſi aliave graviori nota laborent; ut enim talibus inducendis nullum jus, ſic & retinendis nulla poteſt favere conſuetudo, quæ tollenda magis eſt, utpote prava & abſurda ex Juribus ſuprà citatis *lib. 1. cap. 13. quæſt. 4.*

Nulla conſuetudo valet pro retinendis Officiis ſuſpicione falſi laborantibus.

Secundò. Requiritur etiam, ut cùm Officia ejuſmodi, in uſum induci cœpere, ab Epiſcopo ſeu alio quovis id juris habente approbata fuerint. Nam cùm jure communi divinorum Officiorum ratio ad Epiſcopos pertineat, non poteſt legitimè quidquam in iis de novo induci abſque ipſorum authoritate & approbatione; quæ ſi defuerit, perperam factum fuiſſe cenſendum eſt, irritumque quidquid factum eſt, quod nec proinde uſu ipſo tractuque temporis firmari poteſt, cùm de jure ab initio non ſubſtiterit *ex Regulis Juris in ſexto.*

Nullum Officium proprium induci debuit, niſi ab Epiſcopo approbatum.

De prædicta verò approbatione, quia ut plurimùm nullo diplomate, nullove alio teſtimonio conſtat, dubitabis, An uſus ipſe à tempore immemoriali ſervatus approbationis loco ſufficere queat? Affirmaverim pro iis Eccleſiis in quibus præſumi poteſt, nonniſi ſpectante Epiſcopo adeoque probante, ejuſmodi Officia fuiſſe olim introducta, quales ſunt Eccleſiæ Cathedrales, aliæque Majores, in quibus cùm ſit Clerus numeroſior, Chorique diſciplina ſtrictior, pervium non eſt privato cuilibet novitates inducere: in aliis verò minoribus, quæ unius, paucorumve Clericorum arbitrio reguntur, nec in oculis ſunt Epiſcopi, non item; in iis ſiquidem plerumque facilior patet mutationibus aditus.

Uſus à tempore immemoriali, quando approbationis loco habeatur.

Tertiò denique, debet uſus ejuſcemodi Officiorum non fuiſſe revocatus. Ut enim judicium ſolvitur, vetante eo, qui judicare juſſerat, *lege Judicium, dig. de judiciis;* ita & concedentis, aut ſuperioris revocatione ceſſat facultas, uſus, conſuetudoque omnis antè habita præſtandi quidpiam. Sic Pius V. in ſua Bulla revocat omnes & quaſcunque permiſſiones, conſuetudines, &c. Hunc quoque uſum circa Officia Propria haud dubiè revocaſſe creditur, ſaltem reſpectu eorum, quorum Breviaria propria per eamdem Bullam abrogavit. Sic etiam Epiſcopi, qui ſuo adhuc jure hac in parte potiuntur, ubicunque ſimilem revocationem in locis ſuæ juriſdictionis indixerint: (indicere verò maximè convenit, ad vitandos abuſus nimium hac in re frequentes) ceſſabit ſtatim iis in locis præfatæ conſuetudinis vis omnis, prætenſaque indulgentia.

Uſus Officiorum ejuſmodi debet non fuiſſe revocatus.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

An & qualiter antiqua Officia Propria retinenda ſint?

Omnia Officia propria aliena & incerta penitus abroganda.

FAcilis ex præmiſſis quæſtionibus ad præſentem reſponſio. Nam inprimis quæcunque Officia propria falſi ſuſpicione laborant, ſeu ut loquitur Pius V. aliena ſunt & incerta, ea ſummovenda penitus & abroganda, reclamantibus nequicquam antiqui uſus Patronis, qui abuſus magis cenſendus eſt. Id præſtitit primus omnium Pius ipſe V. In prima emendatione Breviarii Romani, & ab eo Clemens VIII. rejectis verbi gratia Antiphonis Laudum Inventionis S. Crucis, toto Officio S. Catharinæ, Lectionibus S. Georgii, S. Margaritæ, S. Petronillæ, aliiſque plurimis dubiæ fidei, quæ paſſim memorat Gavantus *tota ſect.* 7. quæ eſt de Proprio Sanctorum.

Acceſſere deinceps, ut alios taceam, omnium propè Eccleſiarum Galliæ Antiſtites, qui vel Breviaria ſuarum Diœceſum ad Romani formam propiùs emendantes, vel Romano ipſo ex toto aſſumpto propria Sanctorum ſuorum Officia in brevem Codicem redigentes, id unum præ cæteris intenderunt, ut apocrypha omnia fabulaſque redolentia, vana item ac ludicra, quæ pia quidem ſed erudita minùs antiquitas facilè nimis admiſerat, penitus expungerent & obliterarent. Quod & reliquos itidem æmulari juvat, ſi quibus fortè ejuſmodi adhuc in uſu ſunt aut Breviaria, aut Officia propria, ſcombris thureque longè quàm Choro ſacriſque legibus digniora.

Emendanda quæ ſtylo vel indebita compoſitione laborant.

Quæ verò pura quidem ab omni falſi vanique admixtione, impurioris dumtaxat ſtyli, aut minùs ſervatæ proportionis debitæ vitio deturpantur, non ea ſummovenda quidem, ſed ad probatas Latinitatis leges, & æquioris formæ normam, quàm proximè fieri poteſt ad eumdem ſenſum revocanda ſunt: uti revocavere Lectiones omnes Pius V. & noviſſimè Hymnos Urbanus VIII. Idemque Præſules ferè omnes in ſuis quique Eccleſiis præſtitere, præſtantque adhuc quotidie. Niſi quòd nonnulli Officia quædam abſona ſatius ducunt expungere penitus, inductis aliis vel de Communi, vel recens elegantiori arte fabricatis, uti ſuis infrà locis obſervabitur pleniùs.

Theodorus Balſamon. Vita S. Paraſceves ineptè ſcripta rejecta fuit.

Facit verò hìc appoſitè, quod refert Theodorus Balſamon *in Can. 63. ſexta Synodi Conſtantinopolitana*, de Nicolao Muzalone Patriarcha, qui cùm vitam S. Paraſceves, quæ in quodam Calictatiæ vico colebatur, à Vicario quodam ineptè, & indoctè, ac pro Angelica vivendi ratione indignè compoſitam inveniſſet, eam igni mandari juſſit, & Diacono Baſilico mandavit Deo gratam & acceptam ejus vitam conſcribere.

Officia ſana & integra laudabiliter poſſunt retineri.

His demum duobus Officiorum Propriorum generibus vel expunctis, vel reſarcitis, ubi ſuperſunt alia ſana & integra, non tantùm nihil vetat ea retinere, ut id vel maximè, & Eccleſiarum decori, & Sanctorum laudi conducat; huncque eſſe morem omnium Eccleſiarum, & Ordinum Regularium adeò cuique notum eſt, ut ſupervacaneum ſit enarrare. Gravior eſt difficultas quæ ſequitur.

QUÆSTIO VIII.

An ad ejuſmodi Officia antiqua, ſive pura, ſive emendata retinenda, neceſſaria ſit Approbatio Sedis Apoſtolicæ?

AUdivimus ſexta abhinc quæſtione affirmantem Gavantum, negantes verò Laymanum & Rodericum Authores optimæ notæ. A quorum parte ſtabimus? Neutrorum, aut ſi mavis, omnium, Ita quippe diſtinguimus.

Eccleſiæ jus Breviarii proprii retinentes, poſſunt illud ſua authoritate emendare, reformare, &c.

Primò. Quibus Eccleſiis ſuum ſupereſt Breviarium proprium ducentis annis Bulla Pii V. antiquius, cùm per dictam Bullam nihil eis de ſuo antiquo jure detractum ſit, poſſunt Breviarium ipſæ ſuum, prout opportunum videbitur, emendare, reformare, ordinare, adeoque Officia in eo contenta approbare, nulla alia ad id requiſita authoritate, quàm proprii Epiſcopi & Capituli conſenſu. Hoc ut minimùm aſſerunt Rodericus & Layman citati; quibus haud invitus accedit Gavantus ipſe *ſect.* 1. *cap.* 2. dum *num.* 13. *& ſequentibus*, alia præter Romanum Pii V. concedit eſſe legitima Breviaria, quibus uti certi Clerici vel Monachi non tantùm poſſint, ſed etiam teneantur. Et verò quantumcumque Bulla illa Pii V. Epiſcopis adimat antiquas facultates circa feſtorum Officia, cùm tamen ad eos dumtaxat ſpectet qui Breviario Romano addicti ſunt, remanent cæteri in eo toto jure quod ipſis tribuunt antiqui Canones, quos refert Quaranta in Summario Bullarii *verbo Archiepiſcopus num.* 23.

Rodericus. Layman. Gavantus.

Officia propria ex antiquis Breviariis propria per Bullam minimè abrogatis retenta, non egent alia approbatione quàm Epiſcopi.

Secundò. Quæ Eccleſiæ Breviaria propria olim habuere per Bullam Pii V. minimè abrogata, utpote ducentis annis antiquiora, ſed iis ſponte relictis, de Epiſcopi & totius Capituli conſenſu (quod liberum relinquit ipſemet Pius V.) Romanum deinceps aſſumpſere, poſſunt antiqua ſuorum Feſtorum propriorum Officia, ſive integra quæ nulla egent caſtigatione, ſive emendata retinere, abſque alia authoritate & approbatione quàm Epiſcopi proprii. Hoc eſt quod vult Layman, dum ait, Officia ſuſpicione falſi carentia antehac recitari conſueta, approbatione Sedis Apoſtolicæ opus non habere. Id ipſum ſi tantùm dicat Rodericus de Officiis Regularium priùs uſitatis, nec ad nova inſuper extendat, non refragabimur. Gavantus verò, neque noſter eſt hac in parte, neque etiam adverſarius, cùm hancce quæſtionem in terminis nuſquam habeat. Ratio verò reſponſionis noſtræ eſt, quòd cùm Bulla Pii V. quando lata fuit, Eccleſias illas ſua obligatione minimè attigerit, imò eas expreſſa clauſula exemerit: neque etiam earum Officia propria tum abrogaſſe ullatenus cenſenda eſt, adeoque perſeverarunt ejuſmodi tamquam legitima ritèque approbata, quamdiu ſtetit vetus Eccleſiarum illarum Breviarium ducentis annis antiquius. Nemo autem dixerit per ſpontaneam aſſumptionem Breviarii Romani excidiſſe illa poſtmodum à ſua priſca approbatione; tum quia Eccleſiæ illæ ea ſe conditione prædictæ Bullæ ſubmiſere, ut ſui ſibi ritus, ſuaque integra Officia propria aliunde non illegitima remanerent; (quæ conditio non iniqua fuit in ſponte ſe ſubdentibus) tum quia ſecluſa etiam hacce conditione, conſuetudo ejuſmodi Officiorum legitimè introducta, imò & præſcripta ante Bullam Pii V. nequaquam per ſubſequentem ipſius receptionem abolita eſt, ut in caſu pari docuimus ex communiori Canoniſtarum ſententia *lib.* 1. *cap.* 13. *quæſt.* 4. Hocque ſenſu acceptionem illam Roderici haud rejicimus, qua vult Officia Sedis Apoſtolicæ authoritate recipienda, dici quoque ea, quæ per ſe digna ſunt ut recipiantur.

Layman. Rodericus. Gavantus.

Officia propria Breviariorum per Bullam abrogatorum non poſſunt retineri abſque Pont. approbatione.

Tertiò. Quæ Eccleſiæ Breviarium proprium habebant ducentis annis haud antiquius, cùm per Bullam Pii V. eo penitus ſpoliatæ fuerint, omnique jure ad id ſpectante, non potuerunt antiqua ſua Officia retinere abſque Sedis Apoſtolicæ approbatione. Hoc diſertè aſſerit Gavantus proximè citatus *num.* 23. à quo nec volo ipſe abire, quidquid fortè ſecùs ſentiant Layman & Rodericus. Clara enim ſunt & expreſſa Pontificis verba revocantis omnes *Permiſſiones, Conſuetudines, Statuta, Privilegia, Licentias, & Indulta precandi & pſallendi more ac ritu Breviariorum illorum quæ ſupprimit.* Et quamvis poſſet quis ea ſic interpretari, ut ritus dumtaxat, ſeu forma prædictorum

Brevia-

Breviariorum à Pontifice interdictorum, putà quòd tres tantùm Pſalmos treſque habeant Lectiones ad Matutinum &c. non autem ipſa Officia propria, ſi aliunde pura ſint, improbentur; haud tamen conſtare poſſe ejuſmodi interpretationem, ex eo colligitur, quòd æquè fuerit mens Pii V. imò etiam fortè potior ſummovendi per dictam Bullam ex Officio Divino incerta & aliena quæ irrepſerant, atque ejus legitimam formam reſtituendi. Irrepſerant autem incerta & aliena maximè omnium in Officia propria, ergo ea voluit maximè ſummoveri, niſi à Sede Apoſtolica fuerint approbata.

QUÆSTIO IX.

An intermiſſus aliquandiu Officiorum Propriorum uſus poſſit denuò reſtitui?

SUpponitur uſus ejuſmodi fuiſſe aliàs probatus ac legitimus, alioquin Officia ipſa quantumvis antiqua, novorum ac recentiorum numero perinde habenda. Quæſtio verò non ad eas Eccleſias ſpectat, quæ Breviarii proprii uſu etiamnum potiuntur; poſſunt enim illarum Prælati pro ſuo jure Officia tam nova quàm vetera approbare. Nec ad eas item, quæ jure omni per Bullam Pii V. exciderunt, utpote quibus nihil hac in re fas eſt ampliùs decernere. Reſtat igitur ut de iis dumtaxat Eccleſiis ſermo ſit, quæ relicto Breviario proprio legitimo Romanum admiſere: An videlicet uſitata olim, ſed intermiſſa poſtmodum Officia propria poſſint abſque Sedis Apoſtolicæ authoritate reſumere?

Ratio dubitandi eſt, quòd ſuſcepto ſemel Breviario Romano, cùm ejus deinceps legibus ex integro teneantur, non poſſunt de novo ampliùs aliquid addere, demere, aut immutare; ergo nec antiqua Officia reſtituere. Item relicto ſemel Breviario proprio ut Romanum inducatur, non poteſt ampliùs relictum repeti, ajunt Suarez *tomo 2. de Religione libr. 4. cap. 11. num. 5.* Bonacina, Gavantus & alii; ergo nec à pari poteſt Officium ſemel dimiſſum ampliùs reſumi. Aliunde verò, cùm facultas præſtandi aliquid per ſimplicem non uſum minimè amittatur, integrum videtur ejuſmodi Officia repetere, quorum uſus propriè non rejectus fuit, ſed ad ſummum neglectus.

Officia propria ſemel dimiſſa non poſſunt ampliùs reſumi.

Suarez.

Hac poſtrema nixus ratione Canoniſta celebris haud ita pridem conſultus, num legitimè reſtituta eſſent in aliquo Sanctimonialium Proprio, antiqua quædam Officia, mendoſa prorſus & multis undique labibus reſperſa, laudavit ille ac probavit, eò quòd antiqua eſſent, cùm tamen eo vel titulo antiquanda potiùs judicare debuiſſet, adeò quibuſdam pronum eſt ad rogantium ſe mentem plauſumque reſpondendo conformare. Audi Panormitanum *in cap. fin. de Conſuetudine*, propoſitam quæſtionem ex Juris principiis conſultiùs enodantem. Conſuetudo, ait, ſi non eſt adhuc perfecta & completa, per unicum actum contrarium abrumpitur; ſi verò perfecta eſt & completa, eo tempore & modo tolli debet, quibus inducta fuit, quia jam lex eſt: lex autem jure Civili decem annorum præſcriptione tollitur; unde concludit decem annorum tempus tollendæ conſuetudini ſufficere. Eſto ergo fuerint antiqua illa Officia inſtar conſuetudinis perfectæ & completæ, ſi ab iis recitandis per decem annos deſitum fuit, ſublata ſunt penitus, nec fas eſt ea deinceps revocare ob rationes allatas; ſin minùs, & aliunde in nullo peccent, haud negaverim poſſe reſtitui.

Panormitanus.

QUÆSTIO X.

An, & qualiter Officia Propria de novo induci queant?

DE Officiis antiquis ſermo fuit hactenus, nunc de novis, quæ videlicet feſti alicujus recens inſtituti occaſione, de novo inducuntur. Et id quidem abſque legitima approbatione haudquaquam fas eſſe, multis conſtat SS. Patrum & Conciliorum Decretis. Nam in Concilio Carthaginienſi Tertio, *Can.* 23. ſic legitur: *Quaſcumque ſibi preces aliquis deſcribit, non eis utatur, niſi prius eas cum inſtructioribus fratribus contulerit.* Et in Concilio Milevitano ſub Innocentio I. *Can.* 12. *Placuit etiam illud, ut preces vel orationes, ſeu Miſſæ, quæ probata fuerint in Concilio, ab omnibus celebrentur, nec aliæ omnino dicantur in Eccleſia, niſi quæ à prudentioribus tractata vel comprobata in Synodo fuerint, ne fortè aliquid contra fidem vel ignorantiam, vel per minus ſtudium ſit compoſitum.* Plura congerit Leo Allatius diſſert. ſecunda, ubi de Pentecoſtario. Ex quibus colligas, quàm prudenter, quàm ad rem Chriſtianam opportunè, poſtremis hiſce temporibus, jure novo Pii V. Apoſtolicæ Sedi reſervata ſit omnis & quæcunque divinorum Officiorum approbatio, quò videlicet arctiùs falſitati aliiſque mendis aditus omnis intercludatur. Unde non placet relata ſuperiùs Roderici explicatio, verba illa Rubricæ 1. *Cum Officiis propriis à Sede Apoſtolica approbatis, aut ex ejuſdem Sedis authoritate receptis vel recipiendis*, ſic in favorem Religioſorum temperantis, ut poſſint illi quidem Officia propria de ſuis Sanctis recitare, etiamſi à Sede Apoſtolica non ſint approbata, dummodo digna ſint ut approbentur, vel Religio eis utatur animo obtinendi à Sede Apoſtolica approbationem. Non placet, inquam, ejuſmodi explicatio; tum quia voces illæ *receptis & recipiendis* ſimul junctæ in pari ſenſu ſunt accipiendæ: ergo ſicut voce *receptis*, intelliguntur Officia de facto priùs recepta; ita & voce *recipiendis*, intelligi debent Officia quæ de facto in poſterum recipientur, non autem quæ digna erunt recipi; tum quia talis explicatio deſtruit mentem & intentum Pontificis; cùm enim reſervatione illa ſeu Juris reſtrictione intendat Pontifex id efficere, ne uti aliàs incerta & aliena poſtmodum in divina Officia irrepant; ſtaret nihilominus integrum, aut certè parum imminutum ſubreptionis ejuſmodi periculum, ſi tam multorum arbitrio reliquiſſet de Officiorum qualitate judicare.

Nulla Officia nova abſque legitima approbatione induci poſſunt.

Leo Allatius.

Refutatur Roderici explicatio.

Et verò quis credat Regulares unos ea lege, contrà quam jus nullum habebant, minimè comprehendi, comprehendi verò & ſtrictiſſimè adſtringi Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & cæteros Eccleſiarum Prælatos, quibus id olim juris erat, quod iis jam, lege illa nova interdicitur? Imò cùm Sixtus V. Pii V. poſt Gregorium XIII. ſucceſſor, Conſtitutione quam citat Gavantus *ſect. 3. cap. 12. num. 14.* concedens varias facultates Sacræ Rituum Congregationi, Officia tamen Sanctorum Patronorum ab ipſa Congregatione noluerit approbari poſſe, inconſulto ipſomet Summo Pontifice; erit qui dicat id ipſum planum Religioſis liberumque reliquiſſe? à quorum aliquibus, ſi Radulpho fides eſt *propoſ. 17. & 22.* perturbata olim maximèque omnium everſa divinorum Officiorum ratio eſt. Legenda ſuper hoc argumento Epiſtola 312. planè aurea S. Bernardi ad Guidonem Abbatem Arremarenſem de ſeipſo ſic loquentis, cùm rogatus fuiſſet à prædicto Abbate & fratribus Officium in Feſtivitate S. Victoris cantandum conſcribere: *Sanè*, inquit, *altitudo negotii non amicum deſiderat, ſed eruditum,*

Sixtus V.

S. Bernardus.

tum,

rum, ſed dignum, cujus authoritas potior, vita ſanctior, ſtylus maturior, & opus illuſtret, & conſonet ſanctitati. Quantulus ego in populo Chriſtiano, cujus litera in Eccleſiis lectitentur? &c.

QUÆSTIO XI.

An poſſint Epiſcopi nova Officia in ſuis quique Diœceſibus approbare?

Gavantus.

NEgat Gavantus non ſemel, ſupponens videlicet receptam & obligantem Bullam Pii V. quod ubicunque de facto ita ſe habet, & nos pariter cum ipſo negamus. Verùm in Gallia, ubi prædicta Bulla recepta non eſt, de jure illo aliter diſceptandum.

Eccleſiarum Breviario proprio legitimo utentium Epiſcopi poſſunt approbare nova Officia.

Et quidem Eccleſiarum omnium, quæ Breviaria ſua propria legitima retinuere hactenus, emendata illa quidem & ad Romani formam propiùs redacta, certum eſt poſſe Epiſcopos approbare nova ſuarum Eccleſiarum ac Diœceſum Officia. Cùm enim dictæ Bullæ obligatione nullatenus teneantur, libera iis remanet facultas omnis, quam jure communi antiquo obtinebant; obtinebant autem ordinandi Officia, ergo &c. Unde in Breviario Noviomenſi reformato additur expreſsè, *Cum Officiis propriis à Sede Apoſtolica, vel Ordinario approbatis*. In Meldenſi verò dumtaxat, *Ab Epiſcopo approbatis*.

Quoad verò Eccleſias quæ relicto Breviario proprio Romanum ſuſcepere, videtur contraria reſolutio tenenda. Nam cùm ſint illæ deinceps ipſius Breviarii Romani legibus, adeoque Bullæ Pii V. ſic adſtrictæ, ut ab iis (quod antè docuimus) reſilire non poſſint; nec etiam poſſunt earum Prælati Officia nova approbare, cùm id per Rubricas & per prædictam Bullam Sedi Apoſtolicæ ſit reſervatum.

Romano utentium non poſſunt.

Verùm, ſicui fortè rigidior videatur hæc opinio, poteſt commodè ſatis, nec tutè minùs, ſic temperari, ut fas quidem non ſit Epiſcopis illis quidquam contra leges formamque Breviarii Romani in ſuis Eccleſiis decernere; hoc enim ſibi oneris, Breviarium ipſum ultro ſuſcipiendo, ſibi impoſuere: at Officia propria Sanctorum Localium juxta formam illam recitanda præmiſſo debito examine approbare, cùm id ad ipſos jure communi ſpectet, nec niſi prædicta Bulla Pii V. revocatum ſit: ipſa verò Bulla, modo requiſito recepta non ſit in Gallia; ea proinde non ſic adſtringi Epiſcopos putaverim, ut vi illius ſuo illo antiquo jure, cùm opus eſt, uti prohibeantur. Sed hæc obiter, alibi pleniùs pertractanda. Illud verò certiſſimum, à quocunque tandem approbari debeant Officia propria, ſive à Summo Pontifice, ſive ab Epiſcopo, aut alio jus ejuſmodi habente, ſi quis eſt qui habeat, approbationem illam ſic requiri, ut ſi deſit, neque cantando, neque recitando Officio ejuſmodi quiſquam præcepto Eccleſiæ ſatisfacturus ſit, cùm aliter non ſint preces illæ publicæ, nec ab Eccleſia decretæ.

Temperatur prædicta opinio.

QUÆSTIO XII.

An Officia approbata pro uno loco ſeu Eccleſia, aque ab aliis poſſint uſurpari?

MIratus ſum Doctorem bonum, non ita pridem, tamquam legitima ſuo calculo approbaſſe Officia quædam Sanctimonialium propria, mendis undique ſcatentia, eo inter alia nomine, quòd in aliquo alio Ordine, aut aliqua Diœceſi eſſent uſitata. Sed ò Bone, quid ſi non ſunt? fuiſſe quidem aliàs, ſed jam blattis tineiſque ablegata, certum te facio, quod te inveſtigare oportuerat, antequam reſponderes. Et verò ſint uſitata alibi, & quidem legitimè, ut ſupponis; annon valet ſaltem pro Romano utentibus Sacræ Congregationis Decretum juſſu Urbani VIII. initio Breviarii appoſitum, prohibens *extendere conceſſa Officia de loco ad locum*? Imò ſi, ut rectè argumentatur Gavantus *ſect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 11.* non poteſt Epiſcopus extendere Officium quod fieri ſolet in Civitate, ad ſuam Diœceſim, ex alio Decreto ejuſdem Congregationis *die 16. Januar.* 1607. multo minùs Officium, ſeu Lectiones approbatas pro una Eccleſia, poterit extendere ad alienas ſuique Cleri uſum. Pende item quæ ſequuntur.

Non licet extendere conceſſa Officia de loco ad locum.

Gavantus.

Conceſſum eſt Placentinis ac Nettinis ſolis S. Conradi Officium, conceſſa Dominicanis, non aliis, Miſſa Roſarii &c. Inanes profectò ſunt reſtrictiones illæ, ſi quod unis eſt conceſſum, cæteris protinus liceat uſurpare: Eritque pari ratione liberum quibus placuerit, die S. Dominici recitare Officium Proprium Ordinis Prædicatorum, die S. Franciſci Minorum, cæteraqua ſimiliter: ſunt enim illa Officia in iis Ordinibus legitimè approbata. Sapereme vel tuo judicio, qui ſic agat? Quaſi verò non ſicut municipalia jura olim propria erant cujuſque Civitatis, aliis haud uſitata, *lege 3. §. Plane, Dig. Quod vi clam, & lege 3. §. Divus, Dig. de ſepulcro violato*; ſic & Officia propria ſunt cujuſque loci vel Eccleſiæ: quæ ſi dicas fas eſſe & aliis uſurpare, fas erit quoque Turonis, Andegavi, Nannetis, & alibi, verbi gratia, uti Pariſiis, toto Paſchali tempore tres Pſalmos cum tribus Lectionibus ad Matutinum recitare; fas Officium parvum B. Mariæ toto Adventu, & uſque ad Purificationem in Choro omittere; quin & fas erit carnes etiam diebus Sabbati à Nativitate ad Purificationem uſque comedere; cæteraque ejuſmodi inferas, planè abſurdiſſima.

Ut ſunt leges municipales cujuſque civitatis propriæ; ſic & Officia cujuſque loci ſeu Eccleſiæ.

Denique ſi extranea illa Officia quæ tu uſurpari poſſe aſſeris, quia alibi uſitata, ſunt ipſamet inſulſa atque incertis & alienis paſſim interſperſa, qualia erant quæ præfatus Doctor laudavit: quid prodeſt Pium V. ſua id Conſtitutione primum omnium ſpectaſſe, ut quæ aliena & incerta eſſent, removerentur, quandoquidem ea tu libenter adeò facilèque reſtituis? Apage ludicras iſtas aſſentandi magis quàm ad rogata reſpondendi artes. Eſt quidem integrum Prælatis Eccleſiarum proprii Breviarii jus retinentium aliena Officia, ſi quando opportunum iis videbitur, ſua ipſorum authoritate ad ſe traducere, quandoquidem & nova poſſunt. Cæteris verò Romano uſui mancipatis, ſtat indubitata Gavanti reſolutio *ſect. 3. cap. 12. num. 14. Approbata pro certo loco negavit ſæpiùs Sacra Congreg. extendi poſſe ad alia loca, non conſulta eadem Congregatione, quæ juſtis de cauſis alicui loco concedit, alicui negat.*

Fruſtra Pius V. aliena & incerta removit, ſi cuilibet liberum eſt extranea Officia aſſumere.

Gavantus.

QUÆSTIO XIII.

An congruum ſit feſtis aliis quàm Patronorum Principalium tribui Officia propria?

SI Officiorum propriorum nomine intelligas Orationem dumtaxat & Lectiones, opportunum ſatis eſt eas ſingulis Feſtis propriis adhiberi, dummodo probatæ ſint ac legitimæ. Si verò hiſtoriam integram accipis, hoc eſt Antiphonas, Reſponſoria &c. fuit quidem antiquorum Breviariorum uſus iſte non infrequens, ut Feſta propria propriam ferè omnia haberent hiſtoriam: ſed cùm fides in aliquibus laboraret, mendiſque aliis plurima abundarent, uſus recentior obtinuit, ut nonniſi rarò extra Patronorum Feſta, Officia propria habeantur; imò nec in iis niſi ſelecta, & ab omni prorſus labe vindicata. Sic habetur in Breviario Rothomagenſi Officium integrum unius Sancti Romani principalis Patroni, & Antiphonæ aliquot S. Mellonii: in Turonenſi, integrum itidem S. Mau-

Officia propria quoad Orationem & Lectiones dari ſæpe contingit, quoad hiſtoriam verò, nonniſi in Feſtis Patronorum principalium.

S. Mauritii Titularis, & S. Gatiani præcipui Patroni: in Pariſienſi, integrum S. Dionyſii & ſociorum, Antiphonæ aliquæ S. Marcelli, & S. Genovefæ: in Ordine Minorum, integrum de S. Franciſco, item de S. Antonio & S. Clara, cæterorum de Communi &c. Abſtineo à pluribus exemplis ut in ſe ſatis communi.

QUÆSTIO XIV.

An in Feſtis Locorum & Eccleſiarum, quæ Officium Proprium in Breviario Romano habent, poſſit Officium aliud æquè proprium loco alterius ſubſtitui?

Layman.

PUta in Feſto S. Nicolai, aliæ Orationes & aliæ Lectiones; in Feſto S. Martini aliæ Antiphonæ & Reſponſoria &c. Negat Layman *lib. 4. tract. 1. capit. 5. numer. 6.* hac ductus ratione: Quòd Eccleſiis recipientibus Breviarium Romanum non ſit conceſſum retinere proprium Breviarium, niſi in defectum, ſi videlicet de Sanctis ſuis nullum Proprium aut accommodatum Officium deſignetur. Quæ ratio placet omnino, quando ejuſmodi Officia antiqua minùs, aut certè non magis Feſto conveniunt, quàm Proprium quod ponitur in Romano. Sin autem quacunque tandem ratione ei præſtant, author ego quidem ſtatim non eſſem, ut ab uſu illo probato, ſuaque vetuſtate haud contemnendo recedatur, præſertim in inſignioribus illis Eccleſiis, quæ ſuarum ſunt antiquarum obſervantiarum tenaciſſimæ. Quòd ſi ab iis aliquæ ſeſe revocare ſatius ducant, ſtimulum addent exempla Eccleſiarum Nannetenſis, Redonenſis, Venetenſis, aliarumque S. Petri titulo dicatarum, quæ ſe Antiphonis Nocturnorum ac primarum Veſperarum propriis pro Feſto ejuſdem S. Petri abdicarunt, quò ſic Romano propriis & ex integro inhærerent.

Non retinenda Officia Propria, alia ab Officiis Romani Breviarii, niſi eo ipſis præſtent.

QUÆSTIO XV.

An Feſtis non propriis, propria tribui poſſint Officia?

COmici Horatianæ ſimiles propè dixerim neſcio quos & neſcio quas, qui corrogatis undequaque Officiis, jure an injuria, utendum ſibi codicem ambitioſè conſarcientes, proprium inaniter jactitant, quem ſi non communem, at planè alienum produnt reſtituta ſuis quibuſque locis, quæ detracta fuerant. Furtum ejuſmodi, quamvis pium fortè, nec adeò probroſum, damnat textus ille celebris *s. Rub. num. 1. Officium ſit Duplex &c. in feſto Patroni unius vel plurium alicujus loci vel Titularis Eccleſiæ, & in Feſtis Sanctorum &c. cum Officiis propriis à Sede Apoſtolica approbatis, &c.* Ex quo textu manifeſtum eſt Officia Propria concedi in Feſtis dumtaxat propriis, ergo non in aliis. Et verò cùm uti Breviario Romano, nihil aliud ſit, quàm Antiphonas, Reſponſoria, Hymnos, cæteraque pro quolibet die in eo præſcripta, ſervata item forma & ordine quo præſcripta ſunt, cantare vel recitare; ſi tu diverſa ab his, pro nutu ex aliis uſibus deſumpta cantes vel recites, utrumne Romanum tenere dicendus es? aut non magis alienum, ſeu ut veriùs loquar, nec Romanum nec alienum, ſed nullius nominis, ex utroque temerè, ne dicam monſtroſè fabricatum?

Officia propria tribuuntur tantùm Feſtis propriis, non verò aliis.

Expreſſum eſt Pii V. & Clementis VIII. Summorum Pont. mandatum in ſuis Bullis: *Statuentes ipſum Breviarium, nullo unquam tempore, vel totum, vel ex parte mutandum.* Profectò vel nihil, vel tuas illas hiſce verbis mutationes additioneſve Pontifices illi duo vetant penituſque proſcribunt.

Denique ut dicti mei, adducta etiam authoritate, fidem faciam, conſule Codices proprios Eccleſiarum Arelatenſis, Burdegalenſis, Pictavienſis, omnium Britanniæ minoris, Abrincenſis, Sagienſis, aliosque plurimos, careamque ego oculis, ſi tu in iis deſcripta legas alia quàm Feſtorum ſuorum Officia propria.

In Breviariis propriis uſus recentior obtinuit ut Officia propriis aliis de aſſumpta dimittantur.

De Breviariis propriis par non eſt ratio; ut enim illa, nec omnia, nec eadem Feſta Officiaque habent atque Romanum, ita & multa habent, quæ deſunt in Romano. Hincque eſt quòd diverſus ſit hujus & illorum uſus. Nec verò illa quoque uſquam quod ſciam ejuſmodi conſarcinationes admittunt. Imò cùm in antiquis Breviariis plurima reperiantur congeſta Sanctorum Officia propria, uti præcipuè obſervavi in Pariſienſi ante ducentos annos edito, item in Bellovacenſi, Sylvanectenſi, multiſque aliis ex illo eodem Pariſienſi, ut opinor, deſcriptis; Recentiorum ſanè uſus, hac in parte, ut & in aliis terſior eſt & emendatior, quippe quæ ejuſmodi Officia cuncta penè incerta, aliena, multiſque referta labibus expunxerunt, abrogarunt, ablegaruntque longiùs. Et hæc ipſa devoti illi tamquam margaritas ex luto colligunt, quæ tamen meræ quiſquiliæ ſunt & ramenta, viliaque rejectanea.

Solvitur objectio petita ex textu notabili S. Gregorii.

Nec eſt quòd quis ſe tueatur celebri illo S. Gregorii Papæ reſcripto ad Beatum Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, quod refertur *Can. Novit, diſt. 12. Ex ſingulis Eccleſiis, quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt elige, & hæc quaſi in faſciculum collecta apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone.* Sunt enim multa alia in ritibus ſacris, ad quæ ſe reſcriptum illud extendit; nec ſi ad Officia extendatur, probabile eſt uſquam valere in iis quæ nec pia, nec religioſa, nec recta eſſe conſtiterit; imò etſi talia fuerint, abſque tamen expreſſa Pontificis conceſſione electionem hujuſmodi uſurpare vetant contraria Pii V. Clementis VIII. & Urbani VIII. poſteriora Decreta.

QUÆSTIO XVI.

An in Officio de Tempore poſſint aliqua quoque propria inſeri?

Negativa reſolutio.

PAr præcedenti quæſtio, negativè itidem ſolvenda; imò eo efficaciori argumento, quo non ſicut Sanctorum diverſa eſt diverſis in locis ratio, ita & Temporis: hujus ſiquidem per omnem ubique Eccleſiam curſus idem, eademque partitio ſervatur, unde & Officium ubique idem quoque eſt; ita ut à Romano hac ex parte niſi in paucis vix diſcrepent Breviaria ipſa propria; in nullo verò Codices additití. Et verò cùm Antiphonæ, Lectiones, Reſponſoria &c. quæ Dominicis aliiſve diebus in Proprio de Tempore adſcribuntur, dierum illorum maximè propria ſint; ſi tu alia eorum loco reponas, haud ipſa magis propria dixeris, ſed veriùs aliena & extranea; quæ ſic obtrudere, judicem teipſum appello num illud non ſit Breviarium Romanum, contra expreſſam Pii V. prohibitionem, ex parte mutare. Si quid eſt quod mutationem aliquam exigere videatur, Oratio maximè Feriæ 5. poſt Dom. 3. Quadrageſimæ, quæ de Sanctis eſt Coſma & Damiano, ad quorum Eccleſiam Romæ eſt ſtatio diei illius. Et verò in Breviariis Rhemenſi, Senonenſi, Pariſienſi, Andegavenſi, & aliis habetur alia: ſed cùm in pleriſque etiam prædicta retineatur, nihilque in ea ſit incommodi, haudquaquam Romano utentibus mutatio illa probari debet.

Genealogia legi ſolita in aliquibus Eccleſiis in Feſtis Nativitatis & Epiphaniæ.

Eſt quidem in aliquibus Eccleſiis ex antiquo uſu retentum, ut Genealogia ſolemniter decantetur ad Matutinum ante hymnum *Te Deum*; altera ſecundùm Matthæum in Nativitate Domini; altera ſecundùm Lucam in Epiphania: cujus utriuſque ritus meminit, myſteriaque explicat Durandus *lib. 6. cap. 13. & 16.* Eſt item in Paſchate receptus

Durandus.

paſſim

Veſperæ Paſchales. Ordo Romanus.

paſſim in Gallia ordo Veſperarum pro Choro, qualis ferè deſcribitur in libro cui titulus *Ordo Romanus*. Sed hæc & ſimilia ſicubi adhuc uſitata reperiuntur, cùm ad laudabilem conſuetudinem facilè referri queant, ne tu à me expectes ut reprobem; quin de his abrogandis non ſemel conſultus, haud ſum auſus hactenus affirmando reſpondere.

QUÆSTIO XVII.

Quâ ratione diſponendum Officium duobus vel pluribus Sanctis in Breviario Proprium, quando eos contingit ſeorſim celebrari?

Quæ cujuslibet propria ſunt ipſi tribuenda.

QUacumque de cauſa Sancti illi ab invicem disjunguntur, de qua re dictum eſt *lib. 2. cap. 8. quæſt.* 4. cuiſibet tribuendum quod ipſi proprium eſt: verbi gratia, S. Philippo, Evangelium cum homilia, item Antiphonæ ad Laudes & ad Benedictus & Magnificat, & S. Jacobo Lectiones primi Nocturni de illius Epiſtola; utrique verò ſupplendum de Communi quod ipſi detrahitur. At ſi minimè dignoſcitur cujus è duobus pluribuſve pars ſit aliqua propria, putà Oratio illis æquè attributa; aut ſi quæ ut utriuſque propria ſunt, ſic conjunguntur ut vix ab invicem ſeponi queant, putà cùm eſt Lectio unica amborum vitam complectens, cujuſmodi eſt Lectio SS. Simeonis & Judæ, quid in his caſibus agendum ſit, declarabitur infrà commodiùs, ubi de ſingulis illis partibus ſpeciatim agetur; item cùm de Sanctis iiſdem ordine Menſium tractabitur.

QUÆSTIO XVIII.

An Officia Propria Vigiliis & Octavis Feſtorum Propriorum aſſignari conveniat?

Vigiliis tribuitur tantùm Oratio & Homilia.

VIgiliis quidem, ſicubi de iis legitimè ſit Officium, aſſignari poteſt Oratio & Homilia in Evangelium, nec plura, cùm reliquum Officium totum ſit de Feria; ubi verò aliter ſit, proprii Breviarii uſus eſt à Romano exors & alienus.

Octavis Officium Feſti communiter tribuitur.

Octavis verò non aliud ſolet tribui Officium quàm ipſummet Feſti, ſive Proprium, ſive de Communi. Nec præjudicio eſſe debet quòd ſecus fiat in Octava Apoſtolorum Petri & Pauli; id enim ex eo procedit quòd Officium diei, non utriuſque ſit proprium, ſed alterius tantùm, videlicet Petri. Eſt item privilegium diei Octavæ Nativitatis Domini, quòd Officium totum proprium habeat diverſum ab Officio diei, quod ex parte etiam habebat olim Octava Epiphaniæ, ſed jam obſolevit. Lectiones, ſi propriæ & approbatæ non habeantur, ſuppeditabit Octavarium Romanum. Non improbatur Oratio propria in die Octava, more Octavarum S. Stephani, & SS. Petri & Pauli, & S. Laurentii.

QUÆSTIO XIX.

An Officia Propria principalis Feſti Sanctorum, aſſumi quoque debeant in Feſtis ſecundariis ipſorum?

Officia propria Feſti principalis, ut plurimùm uſitata in Feſtis ſecundariis.

UT plurimùm ita ſit, ſaltem quoad hiſtoriam, ſi propriam habuerint: quod & firmatur exemplo Inventionis S. Stephani, cujus idem Officium eſt quod Feſti principalis ejuſdem S. Protomartyris, exceptis Invitatorio & Lectionibus 2. Nocturni quæ non quadrarent. Sic in Breviario Senonenſi idem ponitur Officium in Tranſlatione SS. Saviniani & Potentiani, quod in eorumdem Natali. Similiter in Pariſienſi idem in Tranſlatione S. Marcelli, quod in ejuſdem Feſto præcipuo, &c.

Alicubi ex parte tantùm.

Alii non integrum Officium Feſti principalis, ſed partes aliquas dumtaxat mutuo accipiunt, putà Antiphonas ad *Benedictus* & *Magnificat*, aut etiam Laudum, vel Reſponſoria aliquot, prout magis quadrare videntur; cætera verò de Communi, more Feſtorum S. Petri ad vincula, & utriuſque Cathedræ ejuſdem, in quibus aliqua de principali ejus Feſto deſumuntur. Sic ſit Rothomagi in Tranſlatione S. Romani, Cenomanis in Tranſlatione S. Juliani, & paſſim à multis in Tranſlatione S. Nicolai.

Alibi de Communi.

Alii totum Officium de Communi accipiunt, excepta fortaſſe Oratione & Lectionibus 2. Nocturni propriis, eo ferè modo, quo in Feſto S. Joannis ante Portam Latinam, nihil accipitur de Officio proprio alterius Feſti ejuſdem, fortè quia aptius eſt Officium Commune Apoſtolum Temporis Paſchalis; huncque morem ſecuta eſt Eccleſia Pariſienſis in Inventione S. Dionyſii tempore itidem Paſchali incidente.

Alibi Officia habentur propria etiam in Feſtis ſecundariis.

Alii denique Officium habent proprium æquè in Tranſlatione, ſeu alio quovis Feſto ſecundario, atque in principali, ad inſtar ferè Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, cujus eſt Officium proprium aliud ab Officio Nativitatis. Sic in Breviario Turonenſi, Tranſlatio S. Martini habet Officium proprium aliud à Feſto Tranſitus; & in Ambianenſi, Inventio S. Firmini aliud à Decollatione &c.

Cavendum ne quid Officii Feſti principalis minùs quadret Feſto ſecundario.

Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundat, quem non improbavero, ſaltem ubi ad uſum ratio quoque accedet. Ratio autem id attendit præcipuè, ne quid fortè quod diei obitus dumtaxat proprium eſt, ad diem Tranſlationis, aliumve traducatur, cui aptè ſatis non conveniat. Qua item ratione Lectiones de vita poſitæ in die Natali non adeò quadrare videntur diei Tranſlationis; unde cùm non habentur propriæ, commodiùs de Communi, ſive etiam ex Octavario deſumi poſſe, ſi quis affirmet, facilè me ſibi conſentientem habebit.

QUÆSTIO XX.

An quicunque Feſta locorum propria celebrant, Officiis eorum propriis uti teneantur?

Aſſumenda Officia propria in Feſtis locorum, etiam uſu Romano.

DE iis ſolis quæſtio eſt, qui Breviario Romano, vel alio quàm loci proprio utuntur. Proprio ſiquidem utentibus dubium non eſt, quin Officium, uti ſemper aliàs, & in Feſtis propriis, totum ſit ex ejus præſcripto recitandum. Romanum itaque ſectantibus in promptu eſt affirmativa reſolutio ex citatis ſæpè ſuperiùs Rubr. 1. verbis, *Cum Officiis propriis à Sede Apoſtolica approbatis, aut ex ejuſdem Sedis authoritate receptis vel recipiendis*; ſeu etiam uſu ipſo, eòque legitimo pridem in eo loco, Eccleſiave frequentatis, juxta ea quæ diximus *quæſt.* 6. 7. & 8.

Explicatur Decretum Sacræ Congreg. à Gavanto relatum.

Nec obſtat relatum à Gavanto *ſect.* 1. *cap.* 5. *tit.* 2. *num.* 5. Sacræ Rituum Congreg. decretum, datum 8. *Septembris* 1602. quo videlicet declaratur Clericos adſcriptos alicui Eccleſiæ, non tamen Choro obbligatos, alioſve tam Seculares, quàm Regulares in Civitate vel Diœceſi commorantes, non teneri recitare Officia propria Sanctorum illius Diœceſis, vel quæ de conſuetudine in eadem Eccleſia recitantur in Choro: Non, inquam, obſtat ejuſmodi Decretum, tum quia non de Officio proprio, ut hìc ſumimus, mentionem facit, quaſi is ſit ſenſus, prædictos Clericos, etiamſi de Feſtis loci propriis Officium agant, juxta quod præſcribitur Rub. 1. non tamen teneri ad recitanda Officia, quæ pro iiſdem Feſtis propria eò loci aſſignantur, ſed de Communi poſſe recitare; alium namque Decreti illius eſſe ſenſum vel ex ipſo Gavanti contextu ſatis colligitur, nimirum non teneri

neri

Digitized by Google

neri prædictos Clericos, ut ſe Eccleſiæ conforment, locove in quo morantur, de omnibus ac ſingulis Feſtis, quæ ibidem in Choro fiunt, privatim facere; id enim eſſet mutare Officium Divinum, qui expreſſus eſt loci hujus Gavanti titulus: Tum quia, etſi is eſſet, quem priori loco recenſuimus, Decreti ſenſus, cùm tamen lex non ſit, ſed potiùs legis diſpenſatio, erit quidem liberum cuivis ea uti diſpenſatione; at nec damnandus ideo, imò laudandus præ alio, qui ex lege malet agere, adeoque Officia propria (cùm legitima habentur) in Feſtis locorum propriis, ſervata tamen Breviarii Romani forma, recitare. Eſto, ad Commune recurrant, ſive in Choro, quibus paratus non eſt hiſtoriæ propriæ cantus; ſive privatim, quibus labori aut tædio eſt Breviarium ſeu Codicem loci proprium perveſtigare: At hoc ut minimùm exigit commendatum tantoperè concordiæ ſtudium, ut eadem Oratione iiſdemque Lectionibus in Officio, eodemque pariter Evangelio, imò & tota Miſſa ſive propria ſive de Communi utantur, quorum uſus eſt in loco ipſo ſeu Eccleſia, cujus eſt Feſtum proprium.

Eadem ſaltem Oratio, Idemque Evangelium, imò & eædem Lectiones, totaque Miſſa eadem aſſumendæ, quarum uſus eſt in loco.

CAPUT II.

De Collecta, ſeu Oratione propria.

DIſcuſſis quæ ad Officiorum Propriorum rationem generatim pertinent, ſequitur ut de ſingulis illorum partibus jam ſeorſim agamus: initio facto ab Oratione ſeu Collecta, quòd ea ferè ſemper prima occurrat in ſerie eorum quæ propria pro quolibet Feſto deſcribuntur. In hoc autem & ſequentibus Capitibus Lectorem monitum velim, cùm plurima potuiſſent adduci ex diverſis uſibus Paradigmata propriarum Orationum, hiſtoriarum &c. latius viſum eſſe, paucis duntaxat, prout opus erit, inſertis, reliqua ad tomum alterum rejicere, in quo juxta Calendarii ſeriem, opportuniùs referentur, ſuoque ſingula calculo donabuntur. De Orationum verò ſeu Collectarum origine ac laude, multa præclara habet Cornelius Schultingius *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 9.

QUÆSTIO I.

Quæ Collecta ſeu Oratio dicatur propria?

REſpondeo, ea omnis, quæ de Communi ſumpta non eſt. Talis verò duplicis poteſt eſſe rationis: alia enim ſic de Communi deſumpta non eſt, adeoque propria, ut & aliis Sanctis, ejuſdem ſaltem ordinis, poſſit æquè convenire, exempli gratia Oratio S. Vincentii, *Adeſto Domine*, S. Vincentii propria, eadem eſt quæ S. Chryſogoni; & Oratio *Da quæſumus*, SS. Gordiani & Epimachi, eadem quæ S. Boniſacii, itemque S. Urbani; & Oratio *Deus qui nos annua*, S. Agnetis ſecundo, quæ S. Cæciliæ &c. Alia verò Oratio ſic Sancti vel Sanctæ alicujus eſt propria, ut nulli alteri poſſit adaptari, cujuſmodi ſunt Orationes S. Petri, *Deus qui B. Petro Apoſtolo tuo collatis clavibus*; S. Franciſci, *Deus qui Eccleſiam tuam Beati Franciſci meritis fœtu novo prolis &c.* S. Catharinæ, *Deus qui dediſti legem Moyſi in ſummitate montis Sinai &c.* & hæ quidem Orationes maximè propriæ ſunt, quippe in quibus vel peculiaris aliqua Sancti gratia recenſeatur, in ea videlicet parte, quæ propriè eſt Gratiarum actio, putà in Oratione illa S. Franciſci de Paula, *Deus qui ſuperbis reſiſtis, & gratiam præſtas humilibus &c.* & in iſta S. Alexii, *Deus qui B. Alexio tribuiſti ut novo mundum arte deluderet &c.* vel in petitione quæ gra-

Aliquæ Orationes ſic Sanctorum aliquorum propriæ ſunt, ut aliis item conveniant.

Aliæ nulli alteri poſſunt adaptari.

tiarum actioni ſubjungitur, fiat alluſio ad inſtitutionem in fide, aliave beneficia Sancti ope eò loci olim accepta, aut ad corporis Translationem, aliamve celebritatem, cujuſmodi ſunt hæ formulæ, *ut per iter ſalutis, quo idem Paſtor inceſſit, dono tuæ pietatis ad te gradiamur*, in Oratione propria S. Remigii; *ut excellentiam verbi, quam aſſeruit, & convenienter intelligere valeamus, & veraciter confiteri*, in Oratione propria S. Hilarii: *Quæſumus ejus precibus glorioſis nos de terrenis transferri ad conſortia beatorum*, in Oratione propria Translationis S. Auguſtini. Accipe & hanc integram, ſed brevem juxta & appoſitam ex antiquo Breviario Lemovicenſi depromptam: *Revela quæſumus Domine intercedente Beato Aureliano Confeſſore tuo atque Pontifice viam nobis qua ad te gradiamur, cujus Corporis hodierna Revelatione gloriamur.*

QUÆSTIO II.

Præſtetne haberi in Feſtis propriis Collectam ſeu Orationem propriam?

PRæſtat omnino, tum ad vitandam in concurſu Feſtorum ſimilium mutandi neceſſitatem, tum ad Sanctos ipſos hacce etiam non infima cultus ſacri parte donandos. Iſque fuit uſus antiquorum omnium Breviariorum, ut ſingulis propè Sanctorum Feſtis Oratio propria adſcriberetur; quin & pluſquam ſexcentas ejuſmodi Orationes proprias ex diverſis uſibus collegi, non indignas fortè, quæ cum ſelectis aliis aliquando typis edantur. Sintne verò illæ omnes probandæ & admittendæ, ſupereſt inquirendum.

Præſtat haberi Orationem propriam, in Feſtis propriis.

QUÆSTIO III.

Quæ Collectæ ſeu Orationes probandæ, quæ rejiciendæ?

DE Authenticis Orationibus inſcribitur Micrologi Caput v. cujuſmodi author ille non vult eſſe niſi antiquas & Gregorianas, ex antiquioribus videlicet, & emendatioribus Sacramentariis depromptas; eoque refert Concilii Carthaginienſis tertii, & Milevitani ſub Innocentio I. habiti relata *ſuperiori Capite quæſt.* 10. teſtimonia. Addit verò Radulphus *propoſ.* 13. *ad finem*, *Omnes Orationes quorumcumque uſuum, de quibus certitudo non habetur, juxta præmiſſa Concilia, tamquam apocrypha reſpuantur.* Cui ego cenſuræ haudquaquam refragabor, pro iis Orationibus, quarum uſus olim erat in Feſtis ſeu Officiis generalibus, ita ut quæcumque ejuſmodi, vel S. Ambroſii, vel S. Gregorii poſt Gelaſium Papam authoris ſeu Collectoris, non ſunt, nec in libro hujus Sacramentario dicto reperiuntur, eæ pro incertis habendæ, adeoque expungendæ. Quæ verò Feſtis propriis aſſignatæ erant, continuoque pridem uſu præſcriptæ, non omnes perinde removendas judicaverim, quòd incerti ſint authoris, cùm iis ſufficientem, utpote in re ſibi propria, uſus ipſe authoritatem vindicet; ſed eas duntaxat, quæ vel falſi aliquid dubiive continent, aut ſtylo rudi extraneoque conſcriptæ ſunt, aut denique pluribus verbis abundant, ſuaque nimia prolixitate juſtam Collectæ, utique brevioris, menſuram excedunt, juxta ſuperiùs tradita *quæſt.* 7. *cap. præcedentis*.

Micrologus.

Orationes authenticæ, ſeu Gregorianæ retinendæ. Radulphus.

Orationes incertæ rejiciendæ.

Orationes Feſtorum propriorum pridem uſitatæ retinendæ, modò ſint probatæ.

Eſt in multis Eccleſiis uſu recepta hæc Oratio pro omnibus Sanctis quorum habentur Reliquiæ, *Propitiare quæſumus Domine &c.* in qua tamen nihil apparet admodum proprium, præter verba illa, *per hujus Sancti N. qui in præſenti requieſcit Eccleſia, merita glorioſa &c.* quæ alteri cuilibet æquè facilè poſſunt intexi.

Grjet. Heortologia. L QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Qua condendarum forma, & qualiter approbanda?

Orationum textus debet eſſe brevis. Valfridus.

TExtus in primis conciſus ſit ac perbrevis, qui non pluſquam quinque ſexve lineas totus expleat. Inde enim Orationes dictæ ſunt Collectæ, *quia neceſſarias earum petitiones compendioſa brevitate colligimus*, ait Valfridus Strabo *libr. de rebus Eccleſiaſticis cap. 22.*

Stylus purus ac facilis. S. Bonaventura.

Stylus purus juxta ac facilis, qui propriis haudque extraneis verbis poſteriorem priori ſententiam appoſitè & cohærenter plerumque etiam non ſine aliquo acumine innectat. Nam & Collecta S. Bonaventuræ *de myſteriis Miſſæ* ideo dicta, *quia aſtantes ſe debent colligere ut orent*; ad quod opus eſt ut nihil ſit diſſonum in verbis, nihil obſcurum in ſententiis, quod attendentis animum implicet aut diſtrahat.

Collectæ partes quatuor. D. Thomas.

Sic denique tota Collectæ ſeries conſtrui debet, ut ſuis ipſa quatuor partibus ſeu explicitè ſeu implicitè conſtet, nimirum Oratinne, Gratiarum actione, Poſtulatione, & Obſecratione, juxta Apoſtoli monitum 1. *Tim.* 2. quod & huc quoque refert D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 17. explicatque in hunc modum adducto Collectæ Trinitatis exemplo.

Oratio ſeu ſupremi Numinis compellatio.

Primò. Oratio cùm ſit elevatio mentis in Deum, ſtatim initio præmitti ſolet, compellato ſummo Numine hiſce verbis, *Omnipotens ſempiterne Deus*, vel *Omnipotens & miſericors Deus*, vel frequentiùs hac una voce *Deus*, vel alia *Domine*, vel utraque juncta *Domine Deus*. Inuſitatum verò eſt ut præter primaria illa duo nomina *Deus & Domine*, ullæ aliæ recenſeantur attributæ quàm *Omnipotentis*, *Sempiterni & Miſericordis*; ſemel duntaxat legitur in Miſſali *Omnipotens & mitiſſime Deus*.

Exprimuntur quidem aliquæ Dei Optimi Maximi perfectiones periphraſi integra, ut cùm dicitur, *Protector in te ſperantium Deus, ſine quo nihil validum, nihil ſanctum: Deus fidelium remunerator animarum &c.* Sed hæc & ſimilia magis ad gratiarum actionem pertinere videntur.

Gratiarum actio.

Secundò. Orationem excipit Gratiarum actio, ſive pro myſterio quod ea die recolitur, ut cùm dicimus, *Qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei &c. Qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti &c.* Sive pro gloria, aut certa aliqua gratia collata Sancto cujus Feſtum eſt, vel etiam nobis ipſis illius ope & interceſſione, cujuſmodi ſunt iſtæ, *Qui Beatum Petrum à vinculis abſolutum &c. Qui univerſum mundum Beati Pauli Apoſtoli prædicatione docuiſti &c. Qui animæ famuli tui Gregorii æternæ Beatitudinis præmia contuliſti &c. Qui populo tuo æternæ ſalutis B. Ambroſium miniſtrum tribuiſti &c.*

Poſtulatio.

Tertiò, Poſtulatione, quæ Collectæ præcipua pars eſt, continetur gratia ſeu beneficium quod à Deo poſcitur, purà liberatio à peccatis, ereptio à periculis, vitæ æternæ adeptio, terrenorum contemptus, dona charitatis, humilitatis, patientiæ &c. Exprimitur verò ejuſmodi poſtulatio, cujuſcunque rei fiat, altero ſequentium verborum, *Concede, Da, Largire, Præſta, Tribue, Quæſumus ut &c.* ſubjuncta protinus Sancti vel Sanctorum, quorum cultus eſt, invocatione, ea forma quam ſequenti quæſtione deſcribemus. Leporem non exiguum habent Collectæ illæ, in quibus alluſio fit in Poſtulatione ad id, quod in Gratiarum actione memoratum fuit, cujuſmodi aliquot recenſuimus ſuprà quæſtione 1.

Obſecratio terminans Collectam.

Quartò. Obſecratio Collectam terminat hiſce verbis, *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.* vel *Qui vivis & regnas &c.* vel *Qui tecum vivit & regnat &c.* inſerta item voce, *Per eumdem*, vel, *In unitate ejuſdem*, prout præſcribitur *Rubrica 30. num. 4.* Quam Rubricam antiquæ quædam Breviaria, quinque his ſexve verſibus reddebant, haud planè indignis qui à ſitu eximantur:

Per Dominum dicas Patrem ſi Presbyter oras:
Dum loqueris Nate, Qui vivis dicere cures:
Commemorans Natũ, Tu Patri dic Per eumdem:
Si circa finem, Qui tecum dicere debes:
Commemorans Flamen, Ejuſdem dic prope finem:
Dæmonium pellens dicas in fine Per ignem.

Orationes dirigendæ ad Patrem & Filium.

Non eſt autem hìc omittendum celebre illud monitum, ut ad illud ſe conforment novarum Collectarum authores, Orationes ferè omnes dirigi ad Patrem, paucas ad Filium, nullas ad Spiritum Sanctum; de qua re, ne molem operi noſtro ex aliorum dictis facere videamur, vide Bellarminum *libr. 2. de Miſſa cap. 16.* & Gavantum *ſect. 5. capit. 16. num. 13.*

Bellarminus. Gavantus.

Non ſemper idem eſt ordo prædictarum partium.

Cæterum neceſſe non eſt quatuor illas partes eodem ſemper quo deſcripſimus ordine ſeſe conſequi. Sæpè enim Poſtulatio præmittitur Gratiarum actioni, ut in Collecta S. Stephani, *Da nobis quæſumus Domine imitari quod colimus &c.* S. Laurentii, *Da nobis quæſumus Omnipotens Deus vitiorum noſtrorum flammas extinguere, qui Beato Laurentio &c.* Oratio verò quæ ut plurimum unica voce *Deus*, vel *Domine* continetur, modò Gratiarum actioni, modò Poſtulationi inſeritur, idque eſt quod ſuprà inſinuavimus, Collectam omnem quatuor hiſce partibus explicitè, vel implicitè conſtare.

Novæ Collectæ approbandæ.

Ad extremum deſcriberem hìc paradigmatis inſtar Orationes SS. Caſimiri, Hermenigildi, Henrici, Ignatii, aliaſque recentiores, niſi eas cuilibet pervium eſſet in Breviario ipſo legere, ex iiſque veram ac rectam Collectæ condendæ formam addiſcere. Quæcunque autem Collecta ſeu Oratio nova inducatur, extra dubium eſt eam approbari debere ſive ab ipſo Summo Pontifice, ſive ab Epiſcopo loci, prout in genere definivimus *quæſt. 11. Capitis præcedentis.*

QUÆSTIO V.

An & qua ratione exprimenda Sanctorum Nomina & Qualitates?

Sanctorum aliquorum nomina in Oratione minimè expreſſa.

NOmen in Orationibus S. Felicis Mart. 14. *Jan.* SS. Marii, Marthæ &c. 19. *ejuſdem*, SS. Felicis & Adaucti 30. *Aug.* & S. Calliſti Papæ & Mart. 14. *Octobris*, nullatenus exprimitur. Cauſam quis dicat, niſi quia ſic deſcriptæ ſunt in Sacramentario S. Gregorii? In Oratione verò SS. Quadraginta Martyrum, SS. Septem Fratrum, & SS. Quatuor Coronatorum, quæ in his tribus eadem eſt, non potuit nomine vel certò, vel commodè exprimi aliter quàm generali, *Glorioſos Martyres*.

Si plures fuerint exprimuntur voce *ſociorum*.

In aliis omnibus pronunciatur ſemper Sancti vel Sanctorum nomen, de quibus fit Officium; itidemque pronunciari præſtat in Oratione propria Sanctorum propriorum, niſi cùm & ipſorum quoque nomen ignoratur, aut tam multi ſunt, ut nimis prolixum eſſet ſingulorum nomina recenſere: tunc enim ſufficit, aut generali omnes, vel indefinito nomine complecti, aut uno aliorum Duce nominato, cæteros ſociorum vocabulo involvere, ut fit in SS. Euſtachio, Placido, Symphoroſa & ſimilibus. Eccleſiæ Turonenſis, & Andegavenſis, aliæque Gallienæ S. Mauritio in Oratione propria addunt nominatim Exuperium, Candidum, Victorem, Innocentium & Vitalem cum ſociis eorum &c.

Exprimitur nomen in eo caſu quem ſyntaxis poſtulat.

Quo verò in caſu nomen ejuſmodi debet exprimi? Pendet id ex ſyntaxi Orationis. Cum inſeritur nomen ſtatim initio in ea parte, quæ Gratiarum actio appellatur, ut plurimum exprimitur vel in gignendi vel in accuſandi caſu, ut *Deus qui nos Beati N. &c. Deus qui Beatum N. &c.* rarò in dandi,

ut *Deus*

Digitized by Google

ut *Deus qui Beato Petro &c.* cùm verò rejicitur ſub finem, & poſtulationi adjungitur, in gignendi vel auferendi, ut *Beati N. Martyris tui atque Pontificis interceſſio glorioſa nos protegat; intercedente Beato Auguſtino Confeſſore tuo atque Pontifice.* Quando Oratio ab ipſa poſtulatione incipit, impenditur vel Nominativus, ut *Sanctus tuus Domine Gorgonius &c.* vel Genitivus, ut *Beatorum Martyrum tuorum Cypriani & Juſtinæ &c.*

Cognomen vix unquam nomini additur.

Unum adhuc ſupereſt dubium: An nomini proprio Sancti, addendum ſit & cognomen, quod aliquibus ad eos ab aliis ejuſdem nominis diſtinguendos impoſitum eſt vel à Patria, ex qua ortum traxere, v. g. Thomæ Aquinati, Catharinæ Senenſi &c. vel à Sede quam Epiſcopi tenuere, v. g. Euſebio Vercellenſi, Thomæ Cantuarienſi &c. vel denique ab inſigni alicujus operis, ſeu virtutis commendatione, ut Gregorio Thaumaturgo, Joanni Chryſoſtomo &c. Reſpondeo, Maria Magdalena, Joanne Chryſoſtomo, & Joanne Gualberto exceptis, in nullo alio id ſervatum eſſe à Breviario Romano, adeoque nec in aliis uſibus ſervari debere, uti nec ſervatur à Senonenſi, Pariſienſi, Carnutenſi, & aliis in Oratione S. Petri Cœleſtini. Poſſet eſſe controverſia de Sanctis Joanne Damaſceno, Petro Chryſologo, & Maria Ægyptiaca, quorum videlicet nomen ſine cognomine vix unquam exprimitur; & quidem de S. Maria Ægyptiaca talis eſt uſus Eccleſiarum Rhemenſis, Senonenſis, Pariſienſis, ſicut & Minimorum de S. Franciſco de Paula. De aliis non legi, nec putaverim ego inducendum.

Qualitas addenda. Apoſtoli & Evangeliſtæ. Martyris atque Pontificis, vel Martyris ſimpliciter.

Nomini cùm exprimitur addenda ſtatim Sancti cujuſque qualitas, putà *Apoſtoli*, *Evangeliſtæ* (utriuſque in Matthæo & Joanne,) *Martyris tui, atque Pontificis*, (ſi fuerit Papa, vel Epiſcopus) ſin minùs *Martyris*, ſine ullo addito. In plurali verò numero, *Beatorum Martyrum pariterque Pontificum*, (ſi ambo aut plures ſimul juncti fuerint Pontifices) ſi verò vel unus non eſt, ſupprimenda vox *Pontificum*, dicendumque ſimpliciter *Sanctorum Martyrum tuorum*: imò ſi pluribus Sanctis Martyribus adjunctus ſit vel unus non Martyr, abſtinendum à voce illa *Martyrum*, ſufficietque dicere *Sanctorum tuorum &c.* Jam verò in Confeſſoribus, *Confeſſoris tui atque Pontificis*, (ſi tamen fuerit Papa vel Epiſcopus;) *Abbatis*, qualem videlicet deſcripſimus *libr. 2. capit. 7. quæſt.* 12. De aliis quibuſcunque dicitur ſimpliciter *Confeſſoris tui*. In plurali verò *Sanctorum Confeſſorum tuorum*, addito, *atque Pontificum* (ſi omnes tales fuerint;)

Confeſſoris atque Pontificis, vel Confeſſoris ſimpliciter. Abbatis.

Patris, Doctoris.

Patris agnomen inſtitutori ſuo tribuunt aliqui Regulares. *Doctoris* titulus, & quidem *maximi* in Oratione S. Hieronymi, ejus nomini ſtatim adjungitur: in communi Oratione *Deus qui populo*, ſeorſim ad finem reſervatur, *ut quem Doctorem vitæ &c. Virginis & Martyris*. In non Martyribus verò, *Virginis* ſimpliciter. In Viduis nihil ad nomen additur.

Virginis & Martyris, vel Virginis ſimpliciter.

Speciale de SS. Stephano, Laurentio, & Gregorio.

Speciale eſt Sancto Stephano quòd ei Levitæ titulus tribuatur in una Oratione. Uni ſunt S. Laurentius Martyr, & S. Gregorius Papa, quorum nomini nulla eſt annexa qualitas; an quòd prioris nomen ipſam martyrii lauream per ſe ſonet ac referat? An ad monimentum ſummæ humilitatis in poſteriore illo ſummo Pontifice, ſummoque Doctore? valeat hæc dum melior inveſtigabitur ratio. De SS. veteris Teſtamenti Patriarchis & Prophetis, ſint in ſpecimen Orationes illæ duæ Miſſalis, *Deus qui in Abraha famuli tui opere &c. Deus qui per Sanctum Moyſem puerum tuum*; aut ſi quid diſtinctius velis, expecta dum de ſingulis illorum ſuis diebus agemus. Angelorum denique & Archangelorum (ut per ſummos finiamus) ſoli duo cœleſtium ſpirituum ordines in Oratione locum habent, ignoti prorſus cæteri.

De Sanctis veteris Teſtamenti.

De Angelis.

QUÆSTIO VI.

Ut cavendæ voces Natalitia, Solemnia, Annua ſolemnitas &c.

Cavendæ, inquam, ne qua in iis falſa ſubſit enunciatio. Cùm enim dies ille ſolus, quo Sanctus quiſque deceſſit, Natalis dici conſueverit, vix extra illum, in uſu eſt vox *Natalitia*, ſed ea mutatur in aliam, putà *memoriam*, vel *ſolemnia*, vel nomen alterius feſtivitatis quæ recolitur, ut in Oratione S. Stephani, *quia ejus Inventionem celebramus &c.* Oppones Orationem SS. Cyriaci &c. Mart. 9. Aug. in qua habetur, *ut quorum Natalitia colimus*, & tamen non eſt dies eorum Natalis. Reſpondeo non eſſe quidem, ſed celebrari eo die, quod ſufficit ad veritatem dictæ propoſitionis. Quando autem celebratur Tranſlatio, aut alia ejuſmodi ſolemnitas, non verè dies Natalis agitur.

Vox Natalitia ut mutanda.

Voces iſtæ aliæ, *ſolemnia*, vel *annua ſolemnitas*, vel *feſtivitas &c.* in quocunque Feſto verum ſemper ſenſum ſortiuntur, adeoque nulla in his mutatione opus eſt. In Suffragiis verò communibus, vel in Officio votivo hebdomadario, (ubi hujus uſus eſt) non item. Quare vel mutare eas oportet in *memoriam*, aut *commemorationem*, vel ſi quarum textus ægrè mutationem illam admittit, ob concurſum videlicet utriuſque illius vocis *ſolemnitas*, & *natalitia*, ut in Oratione illa *Deus qui nos* tam in Communi unius Mart. quàm Confeſſoris non Pont. ſumenda erit altera Oratio. Ita docet Gavantus *ſect. 5. cap. 18. numer.* 10. qui & addit in Collecta S. Leonis, loco *commemorationis ejus Feſta percolimus*, dicendum ſimpliciter, *ut qui commemorationem ejus &c.* Rectè id quidem. At minùs placet quod ſubdit de Collecta S. Bartholomæi, & S. Apollinaris, quam utramque tacito etiam demonſtrativo, *hujus*, vel *hanc*, adhuc minùs quadrare, quiſquis leget, judicabit. Itidem de Collecta S. Joannis Baptiſtæ, *Deus qui præſentem diem honorabilem*, quam ut dici poſſe pro Suffragio communi tueatur, affert ex Suarez de Sacrificio Miſſæ rationem à pari, referri nimirum quandoque præſentia ad præterita, eoque ſenſu circa meridiem celebrantes nos dicere in prima Miſſa Natalis Domini, *Hanc noctem*. Puſilla admodum ratio, qua etiam ſalva, nemo non videt congruere magis Collectam Feſti Decollationis, *Sancti Joannis Baptiſtæ Præcurſoris &c.* vel aliam ex Vigilia, *Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut familia tua &c.* Hæc enucleatiùs ſuis quibuſque locis. Denique ex eodem Gavanto vox, *hodie* ſeu *hodierna die*, ſupprimenda ſemper extra diem feſtum, ut fit in Miſſa votiva de Spiritu Sancto, in qua Oratio, quæ eadem eſt diei Pentecoſtes, ita pronunciatur, *Deus qui corda fidelium*, omiſſo *hodierna die*. Idem præſtandum in Oratione SS. Innocentium, *Deus cujus præconium Innocentes Martyres &c.* in Oratione S. Dionyſii, *Deus qui Beatum Dionyſium &c.* & ſimilibus.

Voces ſolemnia, & ſimiles quando & quomodo mutandæ.

Gavantus.

QUÆSTIO VII.

Quæ Orationes cenſendæ eadem?

Occurrit nonnunquam ut eadem ſit Oratio Feſti, de quo fit Commemoratio, & ejus de quo fit Officium; in quo caſu mutandam eſſe Orationem pro Commemoratione præcipit Rubrica *9. de Commem. num.* 8. ne videlicet eadem Oratio iterum repetatur. Quod facilè quidem advertitur, quando ex toto Oratio eadem eſt. At quando tantùm variat in parte aliqua, aut etiam in uno verbo, cæteris iiſdem manentibus, eſtne par ratio?

Reſpondeo parem eſſe, primò, quando variatio

Variatio unius vocis tantùm, non facit diverſam Orationem.

tantùm eſt unius vocis, ſic Oratio SS. Philippi & Jacobi Apoſtolorum differt ab Oratione de Communi plurimorum Martyrum, cujus initium eſt, *Deus qui nos annua*, quòd hæc in fine habeat *accendamur exemplis*, illa verò *inſtruamur*. Itidem Oratio SS. Tiburtii & Suſannæ, eadem prorſus cum Oratione SS. Cypriani & Juſtinæ, niſi quòd una incipit *Sanctorum Martyrum tuorum*, alia verò *Beatorum*.

Non eſt item diverſa Oratio, ſi paucis aliis mutatis poſtulatio eſt eadem.

Secundò: Par item eſt ratio, quando poſtulatio utriuſque iiſdem verbis conſtat, licèt nonnihil variatum ſit initio ſeu in Oratione aut Gratiarum actione. Sic eamdem eſſe cenſeo Orationem S. Matthæi Apoſtoli & S. Joſeph. At quando utriuſque poſtulatio omnino diverſa eſt, licèt cætera ſint eadem, non tamen cenſeri debent eædem Orationes, ſed planè diverſæ, quales ſunt Oratio ſecunda pro uno Martyre Pontifice, & prima pro Confeſſore non Pontifice. Identitas illa frequentiùs occurrit in Secretis & Poſt-Communionibus, de quibus agetur ubi de Miſſa.

QUÆSTIO VIII.

An plures Orationes aſſignari poſſint pro uno eodemque Feſto?

Radulphus.

QUæſtionem hanc propono occaſione ejus quod refert Radulphus *propoſ.* 13. in Ambroſiano ſic & in proprio quorumdam Monachorum ritu, multas in unoquoque Officio haberi Orationes, quod & ipſe obſervavi in antiquis Breviariis Cluniacenſi, Cadomenſi, & Majoris Monaſterii, in quibus ad Sextam & Nonam, ſicut diverſa ſunt Capitula, ſic & diverſæ ſemper ponuntur Orationes, & plurimæ quidem ſelectæ admodum & elegantes. Verùm id uſus Romanus nequaquam permittit. Permittit verò varias pro variis unius ejuſdemque Sancti Feſtis, ut conſtat ex Feſtis S. Petri ad vincula, & Cathedræ ejuſdem, S. Joannis ante Portam Latinam, & ſimilibus; quod imitari privatas Eccleſias nihil repugnat, ſi opus eſt.

Orationes propriæ ad Sextam & Nonam habentur in aliquibus Breviariis.

QUÆSTIO IX.

Cui tribuenda Oratio duobus vel pluribus Sanctis propria, quando eos contingit ab invicem ſeparari?

Oratio plurium propria eſt ejus qui primò nominatur, vel de quo fit Officium præ alio.

REſpondeo ei cujus eſt propria: ut plurimum autem propria eſt ejus qui primò nominatur, putà S. Vincentii præ S. Anaſtaſio, S. Tiburtii præ S. Suſanna, S. Hippolyti præ S. Caſſiano, utpote quibus in Sacramentario Sancti Gregorii, & antiquis Breviariis, ſingulari numero tributa reperitur. Si verò non dignoſcitur cujus ſit propria, tribuatur ei de quo fit primò, ſeu digniori ritu Officium, dummodo facilè poſſit accommodari; neque enim S. Beatrici, verbi gratia, niſi ægrè aptari poteſt Oratio ipſi communis cum SS. Simplicio & Fauſtino. Quòd ſi neutrorum propria eſt, quia videlicet vel eſt de Communi ſumpta, ut Oratio SS. Fabiani & Sebaſtiani, vel neutri ſeorſim convenit, ut Oratio SS. Soteris & Caji, Cleti & Marcellini, in eo caſu cuique ſeorſim tribuatur Oratio de Communi, quæ magis congruere videbitur.

CAPUT III.

DE LECTIONIBUS PROPRIIS.

ORationi propriæ ferè ſemper ſubduntur in Breviario Lectiones itidem propriæ, ſaltem ſecundi Nocturni, ſeu de vita Sancti; imò nonnunquam deficiente Oratione propria, haud tamen deſunt Lectiones. A pari in Feſtis locorum propriis nihil optabilius eſt, quàm ut Lectiones propriæ, probatæ illæ quidem ac legitimæ habeantur. De iis itaque ſit

QUÆSTIO I.

Unde univerſim deſumendæ ſint Lectiones propriæ Feſtorum propriorum?

Lectiones primi Nocturni ſemper ſunt de Sacra Scriptura. Secundi de vita Sancti, vel de Sermone aut Tractatu aliquo SS. Patrum.

FUit hic communis olim omnium quæ legi antiquorum Breviariorum uſus, ut in Feſtis Sanctorum, omnes novem Lectiones, ut plurimum ac ferè ſemper, de eorum Legenda, ut vocant, ſumerentur. Hoc emendavit Breviarium novum Pii V. ſtatuitque ut in primo Nocturno tres Lectiones ſemper de Sacra Scriptura legantur, ſive eæ fuerint propriæ, ſive de Communi aſſignatæ, ſive quæ ſua quaque die legendæ occurrunt in Proprio de Tempore. In ſecundo Nocturno tres de vita Sancti, vel de aliquo Sermone, aut Tractatu, qui ei convenit. In tertio denique Nocturno tres de homilia in Evangelium quod ea die legitur in Miſſa. Ita Rubr. 26. de Lectionibus, num. 2. A qua lege in nullo caſu Feſtorum propriorum fas eſt recedere utentibus Breviario Romano, quantumcumque alia ſit Eccleſiarum propriarum conſuetudo; id enim repugnat penitus formæ Divini Officii. Imò nec benè Breviarium ſuum proprium ad Romani inſtar reformaſſe putandi ſunt, qui ſecùs fecere, ut fecit 20. abhinc annis inſignis quædam Eccleſia.

Tertii de homilia in Evangelium.

QUÆSTIO II.

An Feſtis propriis aſſignari poſſint Lectiones propriæ de Scriptura?

PRopriæ, inquam, ſeu aliæ ab aſſignatis in Communi (quæ quandonam uſurpandæ ſint, quæretur aliàs.) Reſpondeo affirmativè, modò eæ ad Myſterium aut Sanctum, cujus feſtivitas agitur, quadrent appoſitè. Eſt autem triplex ſenſus, in quo quadrare poteſt ſic aſſumptus pro Lectionibus 1. Nocturni Scripturæ textus aliquis, Litteralis ſeu Hiſtoricus, Myſticus & Encomiaſticus.

Triplex Scripturæ ſenſus quoad Lectiones ex ea aſſumendas?

Ad litteralem ſenſum ſeu hiſtoricum pertinent Lectiones illæ omnes, in quibus acta ipſa Sanctorum ad literam enarrantur ſeu memorantur, aut Myſterium de quo fit celebritas, vel à Prophetis prædicitur, vel ab Apoſtolis explicatur. Ejuſmodi ſunt in Breviario Lectiones S. Stephani, S. Petri, S. Matthiæ, S. Barnabæ, S. Petri ad vincula, Converſionis S. Pauli, & ſimiles; & quoad Myſteria, Lectiones Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Transfigurationis, Annunciationis & Purificationis B. Mariæ, Inventionis S. Crucis &c. eoque etiam referendæ Lectiones Feſti omnium Sanctorum, item S. Michaelis & SS. Innocentium. Ejuſmodi itidem ſunt in Breviario Pariſienſi Lectiones S. Dionyſii deſumptæ ex Act. capit. 17. in Arelatenſi S. Trophimi, ex Act. item cap. 20. & ex 2. Tim. 4. in Carmelitano SS. Eliæ & Eliſæi Prophetarum, ex libr. 3. & 4. Reg. Parique jure in Feſtis SS. Abrahæ, Job, Iſaiæ, Jeremiæ, Danielis, aliorumque veteris Teſtamenti, ſi quando alicubi ea celebrari contingat, legi poſſunt textus illi Scripturæ, in quibus res eorum geſtæ recitantur, ſicut & in Feſtis Sanctorum Silæ, Timothei, Epaphræ, & ſi qui ſint alii ejuſmodi, quæ de ipſis æquè in Actis aut Epiſtolis Pauli præclara referuntur; neque reprehenſioni ulli obnoxios putem qui ſic fecerint, probante id Gavanto *ſect. 5. cap. 12. num. 22.*

Literalis ſenſus ſeu hiſtoricus.

Brev. Pariſienſe. Arelatenſe. Carmelitarum.

Gavantus.

In myſtico ſenſu tribuuntur B. Virgini Cantica

Myſticus ſenſus.

Can-

Digitized by Google

Canticorum in Feſto Aſſumptionis ejus, & per Octavas legi ſolita. Item quæ de Parabolis Salomonis, & libro Eccleſiaſtici in aliis ejus feſtivitatibus recitantur: quippe quæ de ipſa Sapientia divina ſeu Verbo Increato & Incarnando ad literam primitus dicta, ipſi B. Virgini perinde conveniunt in ſenſu ſi non fortè literali, at certè legitimo & à Spiritu Sancto etiam intento. Ejuſmodi item ſunt Lectiones de Jeremia S. Joanni Baptiſtæ attributæ, & de Canticis Canticorum S. Mariæ Magdalenæ. Ad eum quoque modum Breviarium Pariſienſe ultimò reformatum S. Ludovico Regi pro Lectionibus accommodat, quæ de Salomone Rege *libr.* 3. *Regum cap.* 3. narrantur. Sicut & Pictavienſe Proprium Relationi Reliquiarum quam 27. *Auguſti* celebrat, quæ de Joſephi *Gen. cap.* 50. & Eliſæi oſſibus 4. *Reg.* 13. Proprium item Eremitarum Auguſtinienſium prædictum Geneſis locum de Joſephi oſſibus applicat Translationi primæ Corporis S. Auguſtini, ſicut & ſecundæ quæ de Tranſlatione Arcæ referuntur 2. *Reg.* 6. Idemque S. Nicolao Tolentinati, quæ de Elcana Ephratæo 1. *Regum* 1. S. Paulo Eremitæ, quæ de Elia 3. *Reg.* 17. *&c.*

Brev. Pariſienſe.

Propr. Auguſt.

Senſus encomiaſticus. In ſenſu denique encomiaſtico, ſicut in quolibet Communi ſelecta ſunt, quæ ad Sanctorum illius Ordinis commendationem maximè faciunt, purà in Communi Martyrum, ex D. Paulo, quæ de fortitudine animi prædicat *Rom.* 8. in Communi Confeſſoris Pontificis, quæ de Epiſcopatu, & quæ de Virginibus in Communi Virginum &c. ita & in Proprio deligi poſſunt, quæ occurrent ad laudem Sancti alicujus maximè appoſita, uti S. Andreæ tributus eſt inſignis locus *Rom.* 10. de fide & prædicatione Evangelii. Qua ratione præconia illa quæ de Simone Pontifice Oniæ filio magnificè jactantur *Eccli.* 50. ſuis Sanctis Antiſtitibus tribuunt nonnullæ Eccleſiæ, ut Rothomagenſis S. Romano, Coriſopitenſis S. Corentino, Auguſtinienſes Eremitæ S. Auguſtino, & alii alii. Sic & Senonenſis Eccleſia ſuis duobus Protopræſulibus & Patronis SS. Saviniano & Potentiano adaptat, quæ de Prædicatoribus Evangelicis habet Iſaias *capit.* 52. S. Martino Ordo Prædicatorum, quæ de Jobi miſericordia, Jobi ipſius liber prædicat *capit.* 31. S. Dominico idem Ordo, quæ de Evangelii prædicatoribus proſequitus Paulus 1. *Cor.* 1. *&* 2. 4. Converſioni S. Auguſtini Eremitæ Auguſtinienſes quæ de lucta carnis & ſpiritus idem Paulus diſſerit *Rom.* 7. ipſum Auguſtinum veluti ex tabula depingens; Canonici verò, quæ de baptiſmi gratia præcedenti capite; at utrique locum illum non omittunt cap. 13. ejuſdem Epiſtolæ, *Nox præceſſit &c.* quippe ſunt verba ibi contenta, *Non in comeſſationibus &c.* Auguſtini Converſionis ſigillum ac veluti character.

Uſus Rothomag. Coriſop. & alii.

Lectiones deſumptæ ex libris Sanctorum quorum eſt feſtum. Ad hunc etiam ſenſum referendæ ſunt Lectiones illæ ex libris deſumptæ Sanctorum de quibus fit feſtum, purà ex Epiſtola S. Joannis Apoſtoli in Feſtis ipſius; ex Epiſtola S. Jacobi in Feſto SS. Philippi & Jacobi; ex Epiſtola S. Judæ in Feſto SS. Simonis & Judæ &c. Laus enim eſt Sanctorum illorum maxima, quòd ſacrorum librorum authores eſſe meruerint; unde & in Sanctis librorum veteris Teſtamenti authoribus idem ſi fiat, non putem improbandum.

Qualiter in his exigitur approbatio. An verò in applicatione ejuſmodi Lectionum ex Scriptura deſumptarum neceſſaria ſit Sedis Apoſtolicæ approbatio, eatenus tantùm dubitari poteſt, quatenus ex Decreto Concilii Tridentini *ſeſſ.* 4. cautum eſt, ne quis ſuæ prudentiæ innixus, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorqueat; aliunde enim cùm liber ipſe ſit Canonicus, nulla alia approbatione indiget. Sed nec ipſamet indigere videtur applicatio, facta præſertim in ſenſu literali & hiſtorico, cùm in illo nullus errori ſit locus: imò nec quoad ſenſum myſticum aut encomiaſticum, ſi uterque conformis ſit interpretationi Sanctorum Patrum ab Eccleſia laudatæ & receptæ; ſic enim minimè contravenitur Concilio, ut legenti patebit. Quia verò divinorum Officiorum ordinatio de jure communi ad Epiſcopos ſpectat, ut dictum eſt *capit.* 1. *quæſt.* 6. ideò nihil quantumvis ex ſe legitimum in Officio divino legendum de novo induci poſſe aſſeruerim, niſi præmiſſa Epiſcopi ſaltem, aut alterius cujuſvis id juris habentis approbatione. Hanc autem ſufficere demonſtratum eſt ſuprà *cap.* 1. *quæſt.* 11. quam nec requiri denuo pro Officiis antiquis in quibus applicationes ejuſmodi pridem legitimo uſu receptæ ſunt, perſpicuum ſatis eſt ex dictis *cap. ibidem* 1. *quæſt.* 8.

Concil. Trid.

Gavant. Heortologia.

QUÆSTIO III.

Quibus ex libris, & qualiter decerpendæ ſint ejuſmodi Lectiones?

Lectiones deſumi poſſunt ex omnibus Sacræ Scripturæ libris, præterquam Pſalmorum & Evangeliorum. SUnt aliquot Scripturæ Sacræ libri, ex quibus nihil unquam in Officio divino legitur, videlicet ex veteri Teſtamento, Deuteronomium, Joſue, Judicum, Ruth, duo Paralipomenon, duo Eſdræ, Pſalterium, Baruch, & in novo Teſtamento quatuor Evangelia. De Exodo verò nonniſi bis terve, & ſemel tantùm de libris Levitici & Numeri. Hinc tamen haud arguas, non poſſe ex iis libris Lectiones proprias decerpi, ſi quid habeant quod ad rem poſſit venire, ut de SS. Joſue & Gedeone ſicubi ſit eorum feſtivitas, exceptis tamen Pſalterio & Evangeliis, quæ ad id haudquaquam apta nata ſunt. Quæcunque verò ex libro eruantur, hæc attendenda erunt:

Textus Lectionum, vel totus, vel magna ex parte debet eſſe conveniens. Primò. Ut textus qui aſſumitur, vel totus, vel magna ſaltem ex parte quadret. Nam ſi una tantùm aut altera vox ad rem facit, cetera verò nihil, quidni ſatius erit ad Commune recurrere? ut qui legeret in Feſto S. Timothei initium Epiſtolæ ad Philippenſes, eo quòd initio ſic habeatur, *Paulus & Timotheus ſervi Jeſu Chriſti*. Haud tamen hocce monito perſtrinxerim Lectiones ex cap. 17. Act. in Breviario Pariſienſi pro Feſto S. Dionyſii deſumptas, aliaſque ſimiles; nam in iis etſi poſtrema hæc dumtaxat verba congruere videantur, *in quibus & Dionyſius Areopagita &c.* ipſa tamen hiſtoriæ ſeries tota eò ſpectat ut Sancti hujus converſio ad fidem exprimatur, quod maximè proprium eſt; unde & idem textus pro Epiſtola, in ipſo quoque Romano Miſſali uſurpatur.

Lectiones de Actibus Apoſt. pro S. Dionyſio.

Tres Lectiones, aut ſaltem qualibet ex eodem textu deſumatur. Secundò. Non ſeligatur textus, niſi qui ſufficiat ad tres Lectiones conficiendas; inuſitatum enim eſt ut una Lectio primi Nocturni ſit propria, & aliæ de communi aſſumantur: Si quando tamen ſingulæ Lectiones ex variis Scripturæ libris, aut variis ejuſdem libri Capitibus deſumantur, ut fit in Feſtis Purificationis B. Mariæ, & Inventionis S. Crucis, in eo caſu ſatis eſt quòd quilibet textus ſufficiens ſit ad unam Lectionem.

Textus continenter & ſine mutatione decerpendus. Tertiò. In una eademque Lectione textus continenter aſſumi debet, nulla facta mutatione verborum, aut tranſpoſitione periodorum. Nam quòd in Lectionibus de Communi Virginum & Mart. quæ incipiunt, *Confitebor tibi Domine Rex*, maſculinum bis in fœmininum accommodationis gratia mutatum reperiatur; item quòd in quibuſdam Epiſtolis verba ſparſim hinc inde excerpta conſuantur, haudquaquam exemplo poſſe eſſe putaverim, ut ſimile quid attentetur.

Tres Lectiones ſint pares quantum ſenſus patitur. Quartò denique, ſic textus ſecari debet, ut pares ſint quantum ſenſus patitur ſingulæ Lectiones, & à nova periodo inchoatæ in periodum pariter completam deſinant, cætera neque prolixiores, neque breviores.

QUÆSTIO IV.

Quales debent eſſe Lectiones de vita Sanctorum propriæ?

QUæ de Officiorum propriorum conditionibus univerſim diſputata ſunt ſuprà *capite* 1. *quæſt.* 4. 5. & 6. ut videlicet pura ſint, tum ab omni ſuſpicione falſi, tum à labibus aliis, atque inſuper legitimè approbata, ea ad Lectiones de vita ſeu hiſtoria Sanctorum potiſſimùm pertinere compertum eſt.

Libri à Lectionibus ſacris proſcripti per Gelaſium Papam.

Primæ conditionis defectu proſcribit à Lectionibus ſacris Gelaſius Papa Can. *Sancta Romana diſt.* 15. pleraque geſta SS. Martyrum, *quia & eorum qui conſcripſere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus aut idiotis ſuperflua, aut minus apta quàm rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur, ſicut cujuſdam Quirici & Julittæ, ſicut Georgii aliorumque ejuſmodi Paſſiones, quæ ab hæreticis perhibentur conſcriptæ.* Inter cæteras reſpuit nominatim Radulphus *Propoſ.* 11. Paſſionem S. Barbaræ, *quia,* inquit, *multa habet incredibilia, ut quod fontem fecerit, & ſeipſam baptizaverit, & de ovibus in locuſtas & lapides converſis &c.* Item SS. decem mille Martyrum, *qui fabuloſè finguntur omni genere Paſſionis Chriſti perpeſſi fuiſſe in monte Ararath prope Alexandriam.* Quibus multa ſimilia reperire eſt in pleriſque antiquis Legendariis ſeu Breviariis propriis Eccleſiarum, quæ omnia utpote aliena & incerta, ſummovenda prorſus ac procul ableganda jam docuimus ſuprà *cap.* 1. *quæſt.* 7. docetque pluribus Cornel. Schultingius *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 49. *item* 51. & 52. ubi de Viris Sanctorum ab Lipomano & Surio editis judicium ferens, Legendas, ex quibus plurimæ illarum excerptæ ſunt, Lugendas magis appellare non dubitat.

Radulphus Tungr.

Schultingius.

Recognoſcendæ Lectiones Sanctorum, quæ ſtyli impuritate laborant.

Quæ verò ſtyli duntaxat impuritate, aut indebitæ proportionis vitio laborant, ceteroqui certa ſatis & ex probatioribus actis excerpta, ſi non expungenda illa quidem, at certè recognoſcenda, ſtyloque caſtigatiori donanda ſuadet maximè, quod ait Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 12. *num.* 16. quas nunc habemus in Breviario Romano ſecundas Lectiones ex hiſtoriis Sanctorum, fuiſſe à Cardinalibus Bellarmino & Baronio recognitas.

Radbertus Ab. Corbejenſis.

Qua olim ratione S. Paſchaſius Radbertus Abbas Corbejenſis hiſtoriam SS. Ruffini & Valerii Martyrum Sueſſionenſium, ſeu Codicis vetuſtate, ſeu Scriptoris imperitia depravatam, *ad emendatioris ſtyli formam,* ut ipſemet loquitur in proœmio hujus opuſculi, transferre conatus eſt, petentibus idipſum loci ipſius incolis. Non poſſum non illius integra verba referre, tantam propoſito noſtro vim tantumque pondus afferunt. Comparatione ſiquidem facta veſtis pulveriſque Corporum Sanctorum cum rebus ipſorum geſtis, quantò hæc illis præſtare certum eſt, tantò majori cultu à nobis afficienda ſic evincit: *Nonne videtur indignum dum illa thecis argenteis veſtiantur, pretioſo lapide adornentur, ſi ſordidè iſta & negligenter habeantur? Quod fit quando ad memoriam poſteritatis non ſtatuuntur, vel ſententiarum atque verborum ſenſibus violata ad dignitatis habitum non reformantur. Non quod virtutum inſignia, & geſta Sanctorum ſtupenda, fucos verborum, atque ornamenta requirant orationis: ſed quoniam ſimplex eorum atque naturalis prolatio, diſtincta tamen & honeſta debet ſpecie enitere, ne ſermo confuſus & horridus, non inſtruat ſed offendat auditorem. Porro quemadmodum vita Sanctorum diligenter atque aptè deſcripta laudes eorum dilatat; ita quoque negligentiùs habita, gloriam eorum diminuit, Eccleſiæ famam obnubilat, Chriſti victoriam abſcondit.* Hæc ille, qui paucis item interpoſitis, ſcripto ſuo ſe nihil actorum ſinceritati detrahere aſſeverans ſubdit, id quod à noſtris quoque Lectionum veterum recognitoribus exigimus: *Non enim geſtorum fidem corrupimus, ſed noſtro ſub eloquio piorum Scriptorum texuimus hiſtoriam.*

Recentiores Lectiones, ſatis caſtigatæ.

Ejuſmodi porrò recognitione ſeu caſtigatione non indigent Lectiones, quæ de Sanctis recentioribus hocce tempore conduntur, utpote ex Bulla ſeu proceſſibus ſuper eorum Canonizatione factis, adeoque ritè probatis excerptæ, nec verò etiam inelegantes, quales in tam erudito ſæculo prodire periculum non eſt; at contingit nonnullas eſſe prolixiores, quas perinde contrahi juvat, atque contractæ ſunt, quæ antè fuſiores erant S. Franciſci de Paula, S. Antonii de Padua, S. Euſtachii, aliæque Sanctorum poſt Pium V. additorum.

An denique & quali approbatione indigeant Lectiones ſive antiquæ emendatæ, ſive recentes de novo conditæ, facilè definias ex dictis ſuprà *cap.* 1. *quæſt.* 8. 10. & 11.

QUÆSTIO V.

Ut diſponendæ Lectiones duorum pluriumve Sanctorum ſimul junctorum, quando eos ſeorſim celebrari contingit?

DIfficultas non eſt pro iis Lectionibus, quæ de ſingulis illorum ſeparatæ habentur, putà de SS. Fabiano & Sebaſtiano, Vincentio & Anaſtaſio &c. ſicut nec de Scriptura, putà S. Jacobi Minoris, & S. Judæ ex Epiſtolis utriuſque ſumptis; res enim per ſe tum perſpicua eſt ac facilis. Sed quando in una eademque Lectione indiviſim continentur, quæ duorum vel plurium Sanctorum propria ſunt, quid facto opus? Diſtingue. Nam ſi Sancti illi per accidens tantùm & ex occaſione ſunt conjuncti, ut ſunt Sancti Tiburtius & Suſanna, Hyppolitus & Caſſianus &c. ſeparanda erunt detractis conjunctionibus, quæ propria ſunt ejus de quo fit Officium à propriis alterius, ut in allatis exemplis, *Tiburtius Chromatii &c. Suſanna Virgo nobiliſſima &c. Hyppolitus à Beato Laurentio &c. Ad forum Syllæ &c.* unius quippe geſta cum alterius mixta non ſunt & confuſa.

Duplici ratione junguntur Sancti in Lectionibus.

At ſi fuerint Sancti per ſe & velut ex natura rei invicem conjuncti, ut SS. Marcus & Marcellianus, Gervaſius & Protaſius &c. vix contingit de uno fieri Officium ſolemnius, quin de altero itidem fiat, ut dictum eſt *libr.* 1. *cap.* 5. *quæſt.* 14. adeoque nulla erit in Lectionibus facienda diviſio; imò nec ſi contingat eos alicubi ſeparari, idcirco facienda erit ejuſmodi diviſio, cùm id textus nullatenus patiatur; ſed legendum in Officio unius, quidquid de utroque ſimul habetur.

De Lectionibus homiliæ itidem reſolvendum, ut videlicet quæ unius propriæ ſunt, illi addicantur, puta Evangelium *Deſcendens Jeſus* cum ſua homilia S. Sebaſtiano; Evangelium *Erat quidam Regulus* SS. Nereo & Achilleo, non autem Pancratio &c. Quæ verò neutri magis propriæ ſunt, neutri tribuendæ; ſed cuilibet (ſiquidem ſeparantur) ſuæ de Communi unius Martyris aſſignandæ.

Hæc ſi non ſufficiant, pleniùs exſolventur ubi de ſingularibus ejuſmodi caſibus in decurſu Menſium ſermo incidet.

Digitized by Google

QUÆSTIO VI.

An congruum ſit per Octavas Sanctorum Lectiones ſecundi Nocturni de eorum vita continuari?

Incommodum Lectiones de Vita Sanctorum per eorumdem Octavas continuare.

USus multorum is eſt, ut continenter totam Sancti vitam per illius Octavam diſtinctis Lectionibus percurrant. In quo uſu grave ſatis incommodum incurritur, quòd videlicet per occurſum Dominicæ ſeu alterius cujuſvis feſti, neceſſe ſit vel interrumpi ſeriem hiſtoriæ, vel ad id cavendum reſumi Lectiones diei præcedentis, ac jungi cum Lectionibus ſequentis; eo modo quo duæ Lectiones feſti ſimplicis in unam junguntur, quando de eo fit commemoratio in Officio novem Lectionum.

Commodius eſt aſſumere Sermones SS. Patrum.

Brev. Pariſienſe, Ambian. Coriſop.

Eo verò ſe incommodo eximunt, qui Sermones SS. Patrum, ſive ex Octavario Gavanti, ſive aliunde ſelectos ſingulis Octavæ diebus tribuunt, quales habet Breviarium Pariſienſe infra Octavam S. Dionyſii, Ambianenſe infra Octavam S. Firmini, Coriſopitenſe proprium infra Octavam S. Corentini &c. nam etſi eumdem ſermonem contingat pluribus interdum diebus continuari, non perinde tamen diſſona eſt illius ex occurſu feſti, facta interruptio.

Poteſt verò ſic digeri & contexi vitæ ſeries, ut cujuslibet diei pars legenda ab alterius diei parte minimè pendeat, nulluſque adeò ſit hiatus, ſi hanc illa velut ex nexu non excipiat; putà ſi in unis Lectionibus Sancti virtutes, in aliis miracula, in aliis præclarum aliquod facinus enarretur: quem modum ſatis accuratè ſervatum adverti in Lectionibus infra Octavas S. Sulpitii in Breviario Bituricenſi, S. Dominici in Breviario Ordinis Prædicatorum, & paucis aliis.

Breviaria Bitur. & Ordinis Prædic.

QUÆSTIO VII.

Quales SS. Patrum Sermones, aut Tractatus pro Lectionibus Feſtorum propriorum ſeligendi?

APti omnino, & qui Myſterio, Sanctorumve de quibus fit Officium, qualitati geſtiſque quadrent appoſitè; quorum inſuper triplex ratio diſtingui poteſt:

Sermones SS. Patrum de Sanctis ipſis propri, aptiſſimi ſunt ad conficiendas Lectiones.

Prima eſt eorum Sermonum ſive Tractatuum, qui de Sanctis ipſis eorumque virtutibus nominatim & expreſsè à SS. Patribus conſcripti fuere, ut quos de S. Andrea habent S. Petrus Chryſologus & S. Bernardus, de S. Vincentio S. Auguſtinus & S. Leo, de S. Martino idem S. Bernardus, de S. Ignatio S. Joannes Chryſoſtomus, de S. Athanaſio S. Gregorius Nazianzenus, de S. Baſilio S. Gregorius Nyſſenus, & de aliis alii. Ejuſmodi quoque eſt liber S. Hieronymi de Scriptoribus Eccleſiaſticis, pro iis Sanctis qui in eo memorantur. Sed nihil in hoc genere præſtat S. Auguſtino ſeipſum in ſuis Confeſſionibus graphicè deſcribenti; ex quibus proinde loca ſelectiſſima pro Lectionibus infra ejus Octavas excerpta habentur in Proprio Canonicorum Regularium Congreg. S. Genovefæ.

Alii item per applicationem valde appoſiti.

Secundò: Sunt alii SS. Patrum Sermones, non quidem de Sanctis ipſis, quorum agitur feſtivitas nominatim & expreſsè conſcripti, ſed qui ex virtutum rerumque geſtarum conformitate ita ſunt appoſiti, ut ſola nominis facta mutatione, ad eos æquè propriè pertinere videantur. Sic tribuit Breviarium Andegavenſe S. Renato Epiſcopo, & alteri loci Patrono, quæ de S. Baſilio prædicat S. Gregorius Nyſſenus Oratione in ipſius laudem, *Quemadmodum cùm in pala annuli &c.* Sancto itidem Corentino primo Epiſcopo & Patrono proprium Coriſopitenſe, quæ de S. Ignatio S. Joannes Chryſoſtomus, *Tempus jam ad præclara &c.* S. Ivoni Trecorenſe, quod S. Gregorius Nazianzenus habet Oratione in laudem Patris, *Quod in tranquillis undis &c.* Eſt quoque eximium illud, quando in Sermone concurrentis etiam temporis opportuna incidit mentio, uti in prædicto Proprio Coriſopitenſi, ad finem 6. Lectionis diei Octavæ S. Corentini, quæ de S. Chryſoſtomo deſumpta eſt, *Oratione de S. Philogonio*, hæc habentur: *Verum ad aliam neceſſariam materiam nobis feſtinat oratio. Appetit enim feſtum omnium feſtorum maximè venerandum tremendumque: quod ſi quis appellet omnium Feſtorum Metropolim, haudquaquam aberret. Quod autem hoc eſt? Chriſti juxta carnem Nativitas.* Incidit quippe hæc Octava die 19. Decembris, qui dies ſextus eſt ante Feſtum Nativitatis Domini: Quid ad rem magis dici poteſt? Non diſſimilis eſt, niſi etiam præſtet, Sermo S. Ambroſii ordine 72. de S. Cypriano aſſumptus infra Octavam S. Firmini in Breviario Ambianenſi, & infra Octavam S. Dionyſii in recentiori Proprio S. Capellæ Pariſienſis; opportunè prorſus; altero illorum Feſtorum 27. *Sept.* incidente, alterò 9. *Oct.* utroque circa vindemiarum tempus, ad quod egregiè alludit Sermo præfatus, cujus ſic habet initium, *Sancti Cypriani feſtivitatem hodie celebramus, & Natali, ſicut dicunt, imminente vindemia, Natalem ejus martyrii procuramus. Mundus vindemiarum ubertate lætatur, nos Sanctorum Paſſione gaudemus. Quæ quidem Paſſio vindemiis comparanda eſt &c.* quibus alluſio iſta copioſè deducitur.

Breviaria Andeg. Coriſop. Trecor.

Guyet. Heortologia.

Vulgares ſeu pluribus apti tribui, vix ſeligendi.

Tertii generis Sermones apti equidem ſunt atque idonei, ſic tamen ut aliis Sanctis ejuſdem ordinis æquè poſſint accommodari; unde cùm non ſint magis proprii quàm alii in ipſo Breviario in Communi Sanctorum poſiti, non eſt quòd in iis ſeligendis labor impendatur.

QUÆSTIO VIII.

Quorumnam è SS. Patribus Sermones aut Tractatus aſſumi poſſunt ad ejuſmodi Lectiones conficiendas?

SS. Patres ex quibus deſumi poſſunt Lectiones.

REſpondeo omnium, quos videlicet poſt ſacras veteris ac novi Teſtamenti Scripturas ſuſcipit Sancta Romana Eccleſia, ut loquitur Gelaſius citato Canone *Sancta Romana diſt.* 15. Præter verò eos qui ibidem memorantur, ſunt & cæteri omnes quorum Sermones aliqui ſive Tractatus in Romano Breviario deſcripti habentur. En tibi indicem:

Ambroſius.
Athanaſius.
Auguſtinus.
Baſilius.
Beda.
Bernardus.
Cyprianus.
Cyrillus Alexandrinus.
Cyrillus Jeroſolymitanus.
Epiphanius.
Fulgentius.
Felix Papa IV.
Gregorius Magnus.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Nyſſenus.
Hieronymus.
Hilarius.
Joannes Chryſoſtomus.
Joannes Damaſcenus.
Irenæus.
Leo Papa.
Maximus.
Petrus Chryſologus.
Thomas Aquinas.

Digitized by Google

Alii item in propriis uſibus.

Sunt item alii, ex quibus æquè probatis ac receptis deſumpti quoque habentur Sermones in propriis uſibus, ut in Arelatenſi; *ex S. Hilario Epiſcopo Arelat.* pro S. Trophimo; *ex S. Cæſario iiſdem Epiſcopo Arelat.* pro S. Honorato; *ex S. Paulino*, pro S. Geneſio Martyre. In Rothomagenſi, *ex eodem S. Paulino*, pro S. Victricio Epiſc. Rothomag. In Pictavienſi; *ex B. Petro Damiani*, pro S. Hilario.

Denique ſubdit præfatus Gelaſii Canon, *Opuſcula & Tractatus omnium Patrum Orthodoxorum qui in nullo a S. Romanæ Eccleſiæ conſortio deviaverunt, nec ab ejus prædicatione ſejuncti ſunt, ſed communionis ipſius, gratia Dei, uſque ad ultimum diem vitæ ſuæ participes fuerunt.* Quales haud habentur Tertullianus nec Origenes, licèt hujus opuſcula quædam à B. Hieronymo minimè rejecta Canon præfatus admittat; & verò erant in antiquis Breviariis aliquæ Origenis homiliæ, ſed jam expunctæ ſunt. Pari item ratione ſi quæ ſint in SS. Patribus (ut ſuos habent nævos etiam pulcherrima quæque) cum orthodoxa fide vel pugnantia, vel minùs cohærentia, ab iis prorſus eſt abſtinendum.

Non ſunt deſumendæ ex Tertulliano & Origene.

Patrum verò nomine haud communiter veniunt Theologi Scholaſtici; licèt eorum aliqui Doctores ſint eximii, ut S. Thomas & S. Bonaventura: quod videlicet eorum Tractatus diſputando magis quàm narrando vel hortando ſint idonei, unde unus dumtaxat in Breviario S. Thomæ Aq. Sermo habetur, quem ipſe unà cum reliquo Officio Corporis Chriſti eo fine compoſuit.

Theologi Scholaſtici non veniunt nomine Patrum.

Non veniunt item (ſaltem quoad præſens negotium) Hiſtorici Eccleſiaſtici, putà Severus Sulpitius; Gregorius Turonenſis, Fortunatus, Odo Cluniacenſis & alii, quantumvis pro Sanctis habiti, & eorum opera cum aliis in Bibliotheca SS. Patrum inſerta legantur. Quare ſi quando ex iis Sanctorum aliquorum vita excerpatur, non eſt authoris Titulus præmittendus, quòd ut ait Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 12. *num.* 19. Claſſicus non ſit. Multò minùs nominandi Metaphraſtes, Sigebertus, Petrus de Natalibus, Vincentius Belvacenſis, aliique nec ſanctitatis titulo, nec ea authoritate inſignes, cui tantum tribuatur, quod tribuunt tamen noſtratium uſus aliqui hac ex parte haud laudandi.

Item nec Hiſtorici eccleſiaſtici.

Nam poſtremò, nec pro Patribus habentur, niſi Sanctorum Albo repoſiti, qualem vendicat Bedam Baronius in notis *ad* 27. *Maji* adverſus aliquos, qui quòd Venerabilis communiter appelletur, inconſultè nimis, an & Sanctus ipſe ſit, ſubdubitant.

Beda Sanctus.

QUÆSTIO IX.

Quid attendi debeat in ſeligendis ejuſmodi Lectionibus?

Textus ſit ſufficiens ſaltem ad unam Lectionem.

PRimò: Ut textus qui aſſumitur ſufficiens ſit ad unam Lectionem conficiendam, quemadmodum de Lectionibus Sacræ Scripturæ dictum eſt ſuperiùs. Poſt unam verò Lectionem, ſi duæ aliæ; vel poſt duas, ſi propria tertia non ſuppetat, nihil vetat ad Commune recurrere.

Sit item continuus.

Secundò: Ut quælibet Lectio continenter & non ex variis periodis ſparſim in authore collectis contexatur: par ſit item, quantum ſenſus patitur, trium ſeu duarum menſura; nulla denique prolixior.

Titulus libri & Authoris præmittendus.

Tertiò: Præmittendus ſemper Authoris Titulus hoc modo, *Sermo S. Leonis Papæ, S. Auguſtini Epiſcopi &c.* Quòd ſi Sermo infra Octavas alia jam die inchoatus continuetur, dicas *De Sermone Sancti &c.* Si autem Sermo non eſt, ſed Tractatus ſeu pars libri aut Epiſtolæ alicujus, *Ex libro S. Hieronymi Presbyteri de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, De expoſitione ejuſdem in Iſaiam Prophetam, Ex Epiſtola ejuſdem ad Nepotianum, ad Euſtochium &c. Ex libro S. Auguſtini de Civitate Dei, Ex libro Confeſſionum ejuſdem, Ex Tractatu ejuſdem in Pſalmum &c. Ex libro Officiorum S. Ambroſii Epiſc. Ex libro Dialogorum S. Gregorii Papæ &c.* In quibus omnibus adverte ex uſu conſueto Breviarii non deſignari quotus ſit Liber, aut Tractatus, aut Epiſtola.

De approbatione verò ejuſmodi Lectionum idem judicandum quod ſuprà *quæſt.* 2. de Lectionibus Sacræ Scripturæ; niſi quòd non perinde tuta eſt ac conſtans cujuſcunque S. Patris, atque Librorum Canonicorum ab omni errore immunitas.

Ut debet approbari.

QUÆSTIO X.

An indifferenter ſumi poſſint Lectiones ex Octavario Gavanti?

Gavantus laudatur.

SElectiſſimos SS. Patrum Sermones, ſicut & Homilias in Evangelia collegit Bartholomæus Gavantus vir de Eccleſiaſticis ritibus optimè meritus, & in Lectiones ſecundi ac tertii Nocturni per ſingulos Octavæ dies quorumlibet Sanctorum concinnè digeſſit; quod opus Sacra Rituum Congregatio laudavit, utendumque omnibus approbavit. Quæſtio itaque eſt, An cuique liberum ſit ejuſmodi Lectiones uſurpare, non tantùm iis diebus quibus ſingulæ aſſignantur, (id enim per ſe patet) ſed etiam aliis ſive infra Octavam, ſive extra in Feſtis Sanctorum propriorum ejuſdem ordinis, prout opportunius videbitur.

Reſpondeo Gavantum ipſum non videri repugnare ſi fiat, nam *in Annotatione ad Rubricam* 26. *De Lectionibus*, concedit initium Sermonis ſeu Homiliæ, ſi ea die qua poſitum eſt non potuerit legi propter feſtum aliquod, poſſe reſumi aliquo ex ſequentibus diebus, prout magis videbitur congruere. Ex quibus verbis facilè eruas liberum haud ſecus eſſe in qualibet occaſione ex omnibus Octavarii Lectionibus quæ ad unum Commune pertinent, illas aſſumere, quas aptiores quiſque, cujus intereſt, judicabit. Et verò cùm approbatæ ſint illæ omnes, & ex ſe indifferentes ut hac vel illa die recitentur, nihil planè optioni huic videtur obſtare.

Poſſunt indiſcriminatim Lectiones deſumi ex Octavario.

QUÆSTIO XI.

Unde ſumi poſſint Homilia propria in Evangelium?

NOn de Evangelio ipſo quæſtio hic eſt, qualiter & unde ſumendum ſit; id enim ſuo loco diſcutietur pleniùs ubi de Miſſa; ſed de Homilia propria ſuper ipſum Evangelium. Hanc autem certum eſt peti debere ex iiſdem SS. Patribus quos ſuprà recenſui, Claſſicis videlicet, non autem aliis; unde cùm poſtmodum amota fuerit Homilia quædam S. Brunonis in Evangelium *Sint lumbi*, quæ priùs poſita fuerat in Breviario pro ejuſdem Sancti Feſto, quantò magis rejiciendæ aliæ authorum minùs probatorum, ut eſt in Proprio Auguſtinienſium Eremitarum *homilia Venerabilis Mapphæi Vegii Laudenſis* in Evangelium *Ibat Jeſus in civitatem &c.* pro die Octava S. Monicæ? Porrò in ejuſmodi Homiliarum delectu, tria ut in Sermonibus itidem curanda.

Ex iiſdem SS. Patribus deſumi poſſunt homiliæ, ex quibus Sermones.

Primùm: Ut ſint appoſitæ non tantùm ad Evangelium, ſed quantum fieri poteſt ad ipſummet etiam feſtum quod agitur. Sunt autem ejuſmodi, quando vel Sanctus de quo fit, eximiè laudatur, quales ſunt homiliæ S. Gregorii in Feſtis SS. Nerei, Achillei, &c. & SS. Septem Fratrum Matt. Item Venerabilis Bedæ in Feſto S. Gregorii Thaumaturgi &c. Vel ex ipſiuſmet Sancti operibus excerpuntur, ut fit in Feſtis S. Hilarii, S. Chryſoſtomi, S. Athanaſii &c. Imò ipſemet Sanctus de ſeipſo loquitur, ut S. Leo in homilia ſui feſti. Vel

Homiliæ debent eſſe appoſitæ non tantum ad textum Evangelii, ſed etiam ad feſtum.

deni

Digitized by Google

denique Sancti virtus aliqua inſignior commendatur, quò ſpectant homiliæ Feſtorum S. Thomæ Cantuar. S. Franciſci & aliæ ſimiles. Vix eſt autem reperire homilias convenientiores ſuper Evangelia pro Feſtis Sanctorum poſita, quàm quæ in Octavario Gavanti deſcribuntur; niſi cùm fortè ipſummet Evangelium aliud eſt ab illis omnibus, quod raò evenit.

Textus deſumptus nec ſit brevior, nec etiam prolixior. Gavantus.

Secundò: Debet eſſe textus idoneus ad tres integras Lectiones, nec breviores, nec verò etiam prolixiores conficiendas: non enim uſus eſt, ut ſicut Sermones, ſic & diverſæ homiliæ ſuper Evangelium legantur. Quod verò ait Gavantus in ſuo Octavario, infra Octavas Feſtorum quæ proprium habent Evangelium, qualia ſunt Feſta S. Leonis, S. Athanaſii, SS. Nerei &c. legendum eſſe in Miſſa Evangelium de Communi, eo quia ad Matutinum legitur homilia ſuper idem Evangelium; id non tam placet, quam ſi homilias per totam Octavam ejuſmodi Feſtorum deſcripſiſſet; cùm enim Evangelium reſpectu homiliæ rationem habeat principalis, homilia verò ipſa acceſſorii, incongruum planè videtur quòd non acceſſorium principalis, ſed principale rationem ſequatur acceſſorii. Conjicio ego quidem Gavantum id omiſiſſe, quòd in nimiam molem volumen excreviſſet; at cùm vix ullus ſit Evangelii textus, ſuper quo non ſuppetant ex SS. Patribus quæ homiliæ loco eſſe poſſint, ut ipſemet probavi collectis ex Auguſtino, Hieronymo & Chryſoſtomo ad integram Octavam homiliis in Evangelium proprium SS. Septem Fratrum Mart. illudque breve ſatis, *Loquente Jeſu ad turbas, ecce mater ejus* &c. idem in pari caſu ſi præſtiterint ii quorum refert, quibuſque jos eſt, quis jure improbaverit?

Titulus homiliæ ſemper præmittendus.

Tertiò denique: Titulus ſemper æquè ac in Sermonibus præmittendus hac forma: *Homilia*, vel ſi fuerit antè inchoata, *De homilia Sancti Auguſtini Epiſcopi*, *S. Hieronymi Presbyteri*, *Venerabilis Bedæ Presbyteri* &c. Quòd ſi contingat homiliam ex aliquo Sermone vel Tractatu deſumi, nihilominus dicendum erit, *Homilia* &c. ut patet in homiliis deſumptis ex Sermonibus S. Leonis & S. Bernardi, & Tractatibus S. Auguſtini in Joannem.

QUÆSTIO XII.

Quid agendum quando Homilia in Breviario poſita duas tantum habet Lectiones, & ſupereſt tertia dicenda.

Vel addenda nona Lectio ex Gavanto vel Octava dividenda.

POteſt caſus hic in octo tantùm feſtis contingere, nempe S. Hilarii, Inventionis S. Crucis, Viſitationis B. Mariæ, S. Petri ad vincula, Transfigurationis Domini; Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, Nativitatis B. Mariæ, & S. Martini. Cùm enim in iis occurrat feſtum ſimplex, de quo ponitur nona Lectio, fit ut ubi feſta illa habentur primæ claſſis, deſit tertia Lectio de homilia. Solvit verò nodum hunc Gavantus ipſe, tertiam de homilia eadem Lectionem conſequenter adjungens, ut in Feſto Transfigurationis, vel monens Octavam in duas eſſe dividendam.

CAPUT IV.

DE HISTORIA PROPRIA.

Hiſtoria dicuntur Reſponſoria poſt Lectiones, item Antiphonæ. Micrologus. Gemma animæ.

HIſtoriæ vox uſitata olim erat ad ſignificanda Reſponſoria poſt Lectiones, unde eſt apud Micrologum Titulus capitis 32. *De Hiſtoria, Clama*; & apud Honorium *lib.* 3. *Gemmæ animæ*, Titulus cap. 29. *De Hiſtoria, Domine ne in furore*; & in antiquis Breviariis dicuntur Hiſtoria *Deus omnium*, Hiſtoria *Si bona*, Hiſtoria *Vidi Dominum* &c. Reſponſoria quædam ex certis Scripturæ libris excerpta, quorum prius incipit à prædictis verbis. Imò nec deeſt vos iſta in Breviario Romano, videlicet Rub. 4. num. 7. ubi ſic legitur: *Cum autem in proprio de Tempore dicitur aliqua Dominica eſſe prima menſis, in qua primo ponitur initium libri de Scriptura cum ſua hiſtoria, id eſt cum Reſponſoriis* &c. Radulphus verò non tantùm Reſponſoria, ſed etiam Antiphonas hiſtoriæ nomine appellari aſſerit *prop.* 12. Imò & Invitatorium, quod Antiphonæ genus eſt. Et verò appellationis hujus par eſt in illis tribus ratio, quòd videlicet ex aliqua hiſtoria ſive Scripturæ, ſive alia probata eruantur, ſeu ut definit idem Radulphus, *quod ad unum diem vel obſervationem pertineat*, hoc eſt pro uno die conſequenter & ex ordine ſint diſpoſita. Eo itaque ſenſu nos pariter tria illa hic ſub hiſtoriæ nomine comprehendimus, quæ eadem & *Cantum* appellari ex ipſo quoque Radulpho jam ſuprà obſervatum eſt, quòd videlicet pluribus ad Cantum notis afficiantur. Quin & hiſtorias ejuſmodi benè ad rem noſtram obſervat idem Radulphus Romanum olim minùs admiſiſſe; fuiſſe verò uſitatiores apud Eccleſias Galliæ, Germaniæ, & Angliæ.

Radulphus.

QUÆSTIO I.

Præſtetne haberi hiſtoriam propriam in Feſtis propriis?

Præſtat, quando nullum eſt Commune, & ad majorem celebritatem.

QUæſtioni huic in genere reſponſum fuit non uno in loco ſuperiùs. Et quidem ſi feſta ejuſmodi ſint de quibus nullum ſit Commune, ut ſunt Feſta Nominis Jeſu, Compaſſionis B. Mariæ, S. Gabrielis & ſimilia, id planè opus eſſe dictum fuit *cap.* 1. *quæſt.* 2. Dictum quoque ibidem id plurimùm facere ad celebritatem Sanctorum, tum quia aptior eſt laus & convenientior ex encomiis propriis, quàm ex vulgaribus aut mutuatis; tum quia afficiunt magis quæ rariùs frequentantur quàm quæ quotidiano uſu trita ſunt nimiſque familiaria. At dictum præterea *quæſt.* 13. *ejuſdem cap.* præter Orationem & Lectiones vix haberi quidquam aliud proprium, niſi in feſtis principalium Patronorum. Et *quæſt.* 14. nec in horum feſtis, ſi aliqua hiſtoriam in Breviario Romano propriam ex ſe jam habeant, expedire, ut ea ſummota alia ſubſtituatur. Demum quibuſcumque feſtis adhibeatur hiſtoria propria, iis debet eſſe numeris abſoluta, quorum defectu non mereatur à divinorum Officiorum ſerie proſcribi; de qua re in ſequentibus.

QUÆSTIO II.

Unde ſumantur ejuſmodi hiſtoriæ propriæ?

TRes ſunt univerſim fontes ex quibus hauriri ſolent.

Hiſtoria ipſa ſeu Acta Sanctorum primus fons hiſtoriæ propriæ.

Primò. Ex ipſamet hiſtoria ſeu Actis Sanctorum. Sic Officia propria S. Joannis Baptiſtæ, S. Petri, S. Pauli, S. Stephani, ex Evangelio, Actis Apoſtolorum & Epiſtolis Pauli ipſius collecta ſunt, quibus proinde nihil certius. Officia verò S. Andreæ, S. Laurentii, S. Martini, S. Luciæ, S. Agnetis &c. ex Actis ipſorum authenticis. Qua item ratione in Breviario Pariſienſi Officium S. Dionyſii, in Turonenſi & Andegavenſi S. Mauritii, in Cenomanenſi S. Juliani, in aliis denique paſſim Eccleſiis Officia SS. Patronorum ex Actis ipſorum, quæ apud eaſdem Eccleſias, vel ſcripto vel traditione ſervantur, compacta in uſu ſunt, eoque legitimo, ſi Acta illa talia fuerint, quibus fides non ſit deroganda, juxta ea quæ dicta ſunt ſuprà *cap.* 1. *quæſt.* 4. & *cap.* 2. *quæſt. itidem* 4.

Eſto,

Digitized by Google

Radulphus.

Eſto, non improbet Radulphus Carthuſienſium morem, qui nec Reſponſoria, nec Antiphonas admittunt, niſi ſumptas de Scriptura ſacra.

Alter fons hiſtoriæ, ſelectæ ex Scriptura ſententiæ.

Secundò. Compinguntur Officia propria ex ſelectis Scripturæ ſententiis in ſenſu accommodationis, ei cujus agitur ſolemnitas, attributis; idque vel integris atque invariatis verbis, vel parumper mutatis aut tranſpoſitis, ut ad rem cadant. Ejuſmodi ſunt in Breviario Antiphonæ Nocturnorum S. Joannis Bapt. ex Jeremia, & Iſaja depromptæ, Reſponſoria aliquot Sancti Joannis Evangeliſtæ, ſecundum S. Laurentii, item Officia ferè tota de Communi Sanctorum ad calcem Breviarii poſita. Quibus omnibus quadrat apprimè, quod ait S. Bernardus ſer. 3. de Vigilia Nativit. *Cum Eccleſia in Scripturis divinis verba vel alterat, vel alternat, fortior eſt illa compoſitio quàm poſitio prima verborum.* In propriis verò uſibus rariora ſunt ejuſmodi Officia, nec niſi ferè Antiphonæ ex Pſalmis Nocturnorum decerptæ, quales erant S. Stephani in antiquis Breviariis, Bituricenſi, Pariſienſi, Bellovacenſi & aliis, & etiamnum hodie in Rothomagenſi. Quale item Officium totum S. Nicolai Tolentinatis apud Auguſtinianos Eremitas, & S. Franciſci de Paula apud Minimos. Ad hunc quoque modum in Breviario Pariſienſi poſterioris emendationis expuncto antiquo Officio S. Ludovici concinnatum fuit integrum novum ex variis Scripturæ ſententiis ad Salomonem & Reges univerſim ſpectantibus. Item Antiphonæ propriæ de S. Marcello Epiſcopo, loco veterum ſubrogatæ. In hoc verò genere improbandum, ſi quæ verba aut ſententiæ extra legitimum ac receptum in Eccleſia ſenſum temerè ad alium atque inſulsè nimis detorqueantur; nefas id enim eſt ex relato ſuprà Concilii Trid. Decreto *ſeſſ.* 4.

S. Bernardus.

Brev. Pariſienſi.

Conficitur tertiò Hiſtoria ex propriis præconiis.

Tertium denique Officiorum propriorum genus, non ſicut duo priora ex ſententiis aliunde mutuatis conflatur, ſed totum propriis & ad id expreſsè conſcriptis elogiis conſtat: Quale eſt in Breviario Officium totum Nativitatis B. Mariæ, & in aliis Officiis variæ illorum partes, puta Reſponſorium illud de S. Stephano, *Patefacta ſunt* &c. & illud de S. Joanne, *Valdè honorandus eſt* &c. Antiphonæ *Petrus Apoſtolus*, & *Glorioſi Principes* &c. Ejuſmodi ſunt in variis propriis Antiphonæ illæ *Beate Chriſti Confeſſor* &c. *Confeſſor Chriſti aſtantem plebem* &c. Reſponſ. *Sancte N. audi rogantes* &c. maximè verò Officia illa Rhythmica Sanctorum Dominici, Franciſci, & alia apud Mendicantes uſitatiora. Item Officia verſibus exarata, ut in Breviario Ambianenſi S. Firmini, SS. Fuſciani &c. Et hæc quidem omnia ut retineri poſſe non abnuo, ubi uſu pridem legitimo firmata ſunt, ſic aliqua de novo inducere fas haudquaquam eſſe pronunciavi ſuprà *cap.* 1. *quæſt.* 10. *&* 11. niſi præmiſſa eorum ad quos de jure ſpectat approbatione legitima.

Cæterum non ſic tres illos hiſtoriarum propriarum fontes recenſui, quaſi ad unum illorum quodlibet Officium proprium totum pertineat ac ſingulariter; contingit enim ſæpiùs, ut unius ejuſdemque Officii partes aliæ ex actis, aliæ ex accommodatis Scripturæ ſententiis, aliæ denique ex probatis præconiis aſſuantur; & id quidem cum decore & ornatu, modò conditiones ſubdendæ ſtatim non defuerint.

QUÆSTIO III.

Quæ hiſtoriæ propriæ probentur maximè?

PRæter immunitatem à ſuſpicione falſi, aliiſque labibus, quas abeſſe omnino ſupponimus, requiri videntur inſuper duæ aliæ treſve conditiones.

Prima: Ut hiſtoriæ ſive ex Scriptura vel aliunde per accommodationem excerptæ, ſive ex propriis elogiis conflatæ, ita Sancto qui colitur majori ſaltem ex parte quadrent, ut Officium de Communi non tantùm in hoc æquare, verùm etiam ſuperare cenſeantur. Si enim nihil habent ampliùs, prorſus inanes ſunt ac ſuperfluæ; cujuſmodi reperire eſt in antiquis uſibus, multas Antiphonas, multaque Reſponſoria, quæ nihil plus, imò interdum minus, ad Sanctorum laudem conferebant, quàm quæ in Communi poſita ſunt. Nec dicas eo ſaltem nomine præſtare hiſtorias ejuſmodi, quòd huic uni Sancto tribuantur; nam cùm & aliis aptæ ſint, æquè tribui rectiùs vulgares illas quàm proprias appellaveris. Id verò non minùs hic quàm apud Rhetores in Exordiis pro vitio haberi debere, quis niſi perperàm negaverit?

Hiſtoriæ propriæ ſic debent convenire, ut præſtet Officio de Communi.

Secundò. Quantum fieri poteſt, conſtare debent verbis ſententiiſque ad ciendos pietatis affectus idoneis. Nam cùm Officium divinum totum per ſe ſit Oratio, nihil in eo pronunciari debet, quod non mediatè, vel immediatè ad Canentium ſeu Recitantium, imò & Aſſiſtentium mentem in Deum elevandam inſerviat. Imò cùm Antiphonæ & Reſponſoria eò potiſſimùm ſpectent, ut affectus inflammetur, ea haud continenter ex geſtorum textu quaſi ad diſcendum ſunt eruenda, ſed ſparſim hinc inde ſeligenda, ſive illuſtriora Sanctorum ipſorum elogia, ſive eorum ad alios, aut aliorum ad ipſos dicta quædam inſigniora, ſive denique perſtricta brevi Epiphonemate commendatiora facinora, ut ſint iſta quaſi ſtimuli, quibus punctim animus modò in admirationis, modò in congratulationis, modò in gratiarum actionis, alioſque pios ejuſmodi motus excitetur. Nam ut egregiè ait Iſidorus *lib.* 1. *cap.* 10. (quod Reſponſoriis utique poſt Lectiones ſubjungendis quadrat præcipuè) *Oratio fit pinguior, dum mens recenti Lectione ſaginata per divinarum rerum quas nuper audivit, imagines currit.* Horum verò ideam perfectiſſimam habes in hiſtoriis propriis S. Laurentii, S. Martini, S. Agnetis &c. à qua cùm procul abeſſent hiſtoriæ illæ antiquæ S. Catharinæ, S. Nicolai, Inventionis S. Crucis, & aliæ; non mirum ſi eas ſummi Pontifices Pius V. & Clemens VIII. aliique in ſuis Eccleſiis Antiſtites ex Officiorum divinorum ſerie expunxerunt.

Debent item eſſe aptæ ad ciendos pietatis affectus.

Iſidorus.

Tertia demum conditio ad normam, debitamque ſingulorum & in ſeipſis, & cum ſeſe invicem proportionem ſpectat; ſed cùm ea non una ſit omnium, juvat illam propoſitis ſeorſim quæſtionibus explorare: monito te priùs, ut ſi perfectiſſimi ſuiſque numeris omnibus abſolutiſſimi Officii formam exoptas, cujus ad amuſſim cætera ſeu reformanda, ſeu recens fabricata revocentur, oculos conjicias in Officium Corporis Chriſti ab ipſo Sancto Thoma Aquinate compoſitum; præſtat enim illud in eo genere aliis omnibus, ut partes ſingulas diligentiùs perpendenti conſtabit.

Denique ſit in ſingulis debita proportio.

Officium Corporis Chriſti perfectiſſimè diſpoſitum.

An verò in iis omnibus, & qualis requiratur approbatio, fusè dictum ſatis *cap.* 1. *quæſt.* 8. 9. 10. *&* 11.

QUÆSTIO IV.

Quæ ſpeciatim in Antiphonis propriis obſervanda?

ANtiphonarum triplex genus, Pſalterialium; hiſtoricarum, & ex utriſque mixtarum.

Antiphonæ aliæ Pſalteriales. Aliæ hiſtoricæ.

Pſalteriales eæ ſunt, quæ in Pſalterio habentur ex Pſalmis ipſis depromptæ, & de his nihil jam ad nos pertinet. Hiſtoricæ, quæ ex hiſtoria Myſterii ſeu Sancti, cujus feſtum eſt, carptim delibatæ, per ſingulos Pſalmos, ſeu Cantica diſtribuuntur, cujuſmodi ſunt Feſtorum Chriſti Domini, B. Mariæ, SS. Petri, Stephani, Laurentii, aliæque omnes Officiorum propriorum. Item Evangelicæ,

ſeu

ſeu quæ ex Evangelio depromptæ, per omnes Dominicas & Ferias Quadrageſimæ, ponuntur ad *Benedictus* & *Magnificat*. Item aliæ omnes, quæ ad Myſterium ſeu Sanctum pertinent, licèt non ſint ex hiſtoria depromptæ, ut ſunt Antiphonæ Feſti Circumciſionis, *O admirabile commercium*, cum reliquis; Antiphona iſta in die Aſcenſionis, *O Rex gloriæ, Domine virtutum* &c. Antiphona, *O Sacrum convivium*, in Feſto Corporis Chriſti, Antiphona, *Solve jubente Deo* &c. in Feſto S. Petri ad vincula &c.

Aliæ mixtæ.

Mixtæ denique dicuntur, quæ ex Pſalmis depromptæ, paucis verbis additis vel mutatis, vel tranſpoſitis, ad rem Myſterii ſeu Sancti traducuntur, quales ſunt Antiphonæ Veſperarum diei Nativitatis Domini, *Tecum principium* &c. Antiphona 3. Laudum S. Stephani & S. Laurentii, *Adhæſit anima mea poſt te* &c. pleræque de Communi Sanctorum, maximè ſuper Pſalmos Nocturnorum, & præ aliis Antiphonæ omnes Feſti Corporis Chriſti à S. Thoma exaratæ.

Hiſtoricarum & mixtarum diſcrimen.

Inter has verò & illas diſcrimen eſt, quòd hiſtoricæ ad quoſcunque Pſalmos ſint idoneæ, mixtæ verò nonniſi ad eos ex quibus erutæ ſunt. Quod cùm in omnibus Officiis Breviarii Romani conſtanti lege ſervatum reperiatur, non poſſum non diſſonantiæ alicujus arguere Officia illa propria, in quibus ſecus aliquid factum deprehenditur.

Antiphonæ propriæ in aliquibus Officiis plures, in aliis pauciores.

Jam verò Antiphonæ propriæ habentur in aliquibus Officiis ad *Benedictus* & *Magnificat* dumtaxat, ut in Feſto S. Mariæ Magdalenæ. In aliis item ad Laudes, ut in Feſto S. Stephani, S. Joannis Evangeliſtæ, SS. Innocentium &c. In aliis denique etiam ad Nocturnos, ut in Feſtis S. Laurentii, S. Martini, S. Agnetis. Ad Veſperas verò, quoad Feſta Sanctorum, nunquam, niſi in ſolis primis Veſperis Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, & in ſecundis de Communi Apoſtolorum & plurimorum Martyrum, (rationem affert Gavantus *ſect.* 8. *cap.* 1. *num.* 5. myſticam magis quàm ſolidam) ſed ſumuntur Antiphonæ Laudum, quarum itidem uſus ſemper eſt per Horas Primam, Tertiam, Sextam & Nonam, quarta prætermiſſa.

In quibuſdam uſibus habentur Antiphonæ propriæ pro primis Veſperis Patronorum.

Hic typus eſt Officiorum propriorum quoad Antiphonas, cui conformia ſatis eſſe video priſca illa, quæ in propriis locorum uſibus retinentur, niſi quòd pleraque in Feſtis Patronorum, aliiſque ſolenniorибus proprias habent Antiphonas etiam ad primas Veſperas, quas ut retineri quidem nihil vetat, ſi verè fuerint propriæ, ſic minùs aptas rejici peritus quiſque præſtare judicabit. At quod

In aliis dicuntur quinque priores Nocturnorum. *Uſus Senon.*

Breviarium Senonenſe novum ex antiquo retinuit, quinque priores Antiphonas Matutinorum, ſuper quinque Pſalmos primarum Veſperarum revocare, usus eſt à Romano planè alienus, vixque probandus, maximè ſi Antiphonæ illæ fuerint Pſalteriales, uti quandoque contingit.

Antiphonarum inter ſe connexio qualis eſſe debet.

Quod denique ad Antiphonarum ordinem inter ſeſe, commiſſuramque attinet; etſi ad Myſterium omnes Sanctive commendationem facere debeant, haud tamen opus eſt, ut in iis hiſtoriæ ſeries omnimodè ſervetur, ut patet in omnibus ferè Officiis Breviarii, quarta præſertim Laudum minorem exigit cum aliis connexionem, quòd ea ut plurimum benedictionem contineat, vel ex Cantico ipſo *Benedicite* depromptam, vel ex hiſtoria appoſitè ad Canticum.

Alleluja, ut addendum.

Alleluja extra tempus Paſchale niſi paucis addi, nullis verò interjici uſus eſt communior. Longiores quandoque ſunt, magiſque emphaticæ quæ ſuper Cantica *Benedictus* & *Magnificat* imponuntur; ceteræ ferè ſemper breviores, quibus nec plus quinque ſexve lineas tribui convenit.

QUÆSTIO V.

Quæ itidem in Reſponſoriis propriis ſpeciatim obſervanda?

Reſponſoria propria aliquando plura, aliquando pauciora.

NOvem Reſponſoria habebant aliàs, & habent etiamnum in propriis uſibus pleraque Officia propria. Ritu vero Romano octo tantùm opus ſunt, quia ſemper poſt 9. Lectionem dicitur *Te Deum*. Interdum non ſunt niſi duo vel tria, ut in Feſtis S. Clementis, S. Luciæ &c. cætera de Communi. Cùm autem Reſponſorium quodlibet

Cohærentia Verſus cum reſumenda parte Reſponſorii.

duabus conſtet partibus, priori, quæ ipſa *Reſponſorium* dicitur, & poſteriori, quam *Verſum* appellamus; ſic ambo invicem committi & aptari decet, ut verba in quibus deſinit Verſus cum parte Reſponſorii reſumenda quadrent appoſitè, ſenſum efficiendo hærentem ac congruum, non autem diſtortum & à propoſito aberrantem. In quibuſdam videtur id ſtudioſè ſpectatum, ut Reſponſorio de Actis deſumpto Verſus de Scriptura ſubnectatur; qua item ratione S. Thomas ſic Reſponſoria in Officio Corporis Chriſti concinnavit, ut Reſponſorio de veteri Teſtamento, Verſus de novo attexatur, & viciſſim, quaſi ambo Teſtamenta, duo illa ſint Seraphim clamantia unum ad alterum.

Varia item obſervanda in Reſponſoriis.

Aliorum verò cum aliis vix ulla eſt connexio, niſi quòd in pleriſque Officiis primum & ultimum inſignioribus ſententiis ſeu elogiis conſtare videntur. Longiora quandoque ſunt ea, quibus addendus Verſus *Gloria Patri*. Duplex in nonnullis repetitio, altera poſt Verſum à remotiori interpunctione, altera poſt *Gloria Patri* à viciniori. Excedunt omnia Antiphonas prolixitate, ſed quæ nimia eſt, ſi ultra octo decemve lineas excurrat. Inuſitatum ut illis extra tempus Paſchale addatur, vel interſeratur *Alleluja*.

QUÆSTIO VI.

Quæ demum in Invitatorio?

TRia quatuorve dumtaxat Invitatoria propria habentur in Breviario, videlicet S. Stephani, S. Laurentii, Cathedræ S. Petri, item Converſionis S. Pauli & S. Magdalenæ; quod poſtremum idem eſt mutata una vocula cum Invitatorio S. Martini & de Communi non Virginum. In propriis verò uſibus habent pleraque Officia ſua Invitatoria, ſed ut plurimum vulgaria illa magis, quippe quæ mutato nomine æquè Sancto alteri cuilibet ejuſdem Ordinis conveniunt, cujuſmodi eſt illud Breviarii Rhemenſis de S. Remigio, *Adoremus Chriſtum Regem, qui æterna S. Remigium coronavit gloria*; & iſtud Breviarii Ambianenſis de S. Firmino, *Adoremus Salvatoris venerantes gratiam, Qui perennem S. Firmino largitus eſt coronam*. Alia propria ſunt ſatis, ſed plus æquo longiora, nec rarò etiam abſona & peregrina, cujuſmodi eſt illud S. Martini, *Martinus ecce migrat* &c. Item illud Breviarii Bituricenſis de S. Guillelmo, *Adoretur & laudetur Verbum Patris factum caro, Militique ſuo charo Triumphanti laus debetur*. Nonnulla etiam verſibus exarata, ut illud Breviarii Rothomagenſis de S. Romano, *Æternum Trinumque Deum laudemus & unum, Qui ſibi Romanum tranſvexit ad æthera Sanctum*. Iſtud item Proprii Sejenſis de SS. Gervaſio & Protaſio, *In Sanctis Chriſtum laudemus glorificatum, Qui ſua largitur munera Martyribus*. Quæ omnia & ſimilia ideò quidem adinventa fuiſſe autumo, tum ut hiſtoriæ in cæteris omnibus propriæ non deeſſet pars hæc utcunque etiam propria; tum ut prolixior cantus ſtatim ab ineunte Officio majoris eſſet indicium ſolemnitatis. At cùm æquè ſolemniter cantari queant, æquè item, imò magis ſæpè

Pauca ſunt Invitatoria bene propria.

Aliqua ſunt prolixiora.

Alia verſibus expreſſa.

Digitized by Google

ſæpè quadrent, quæ io Commuoi poſita ſunt, quì hæc dimiſſis aliis ſubſtituunt, mihi omnino conſultiùs agere videntur.

Antiqua ſatis probata.

Haud tamen velim cenſura ulla notare Propria illa quæ in priſcis quibuſdam, iiſque probatiſſimis Officiis inſerta paſſim in uſu ſunt; quale eſt illud de S. Vioeentio, *Vincentem mundum adoremus Dominum, in quo preſſuram mundi Martyr vicit Vincentius*. Item illud de S. Auguſtino, *Magnus Dominus & laudabilis valdè, & ſapientiæ ejus non eſt numerus, Qui de tenebris gentium lumen Eccleſiæ S. vocavit Auguſtinum*. Aptiſſimum juxta ac breviſſimum videtur illud Breviarii Pariſienſis de S. Ludovico, *Regem Regum Dominum; Venite adoremus*.

CAPUT V.

DE HYMNIS PROPRIIS.

Quod eſt in hortorum areolis ſelectus flos, exquiſita gleba ac ligneo teſtaccove repagulo concluſa ſatus, hoc idem propè dixerim ego eſſe Hymnum in divinis Officiis. Hymnum, inquam, quem definit

Auguſtinus.

Auguſtinus in Pſalmum 72. *Cantum continentem laudem Dei*. At cùm Pſalmi, Cantica, Antiphonæ, Reſponſoria &c. æquè ſint cantus continentes laudem Dei, quid in Hymno eſt hac ex parte præſtantios?

An quòd ſcriptus ſit carmine? omnino, nam & Hymnus in genere carmen eſt, ſic dicitur *γαμικὸς ὕμνος*, carmen nuptiale apud Athenæum *lib.* 4 Specialiùs verò, etiam apud profanos, Hymnus carmen eſt in honorem Dei, ut *ὕμνος εἰς Ἀπόλλωνα, εἰς Δία*, apud Callimachum & Orpheum. Hincque eſt quòd carmina quæcunque in laudem Dei Hymnos vocat Iſidorus *lib.* I. *de Divinis Officiis cap.* 6. Idemque *lib.* 5. *Etymol. cap.* 19. Hymnum ſic deſcribit, *Canticum Laudantium, pro eo quod ſit carmen lætitiæ & laudis:* & ante illum Philo Judæus de primis Chriſtianis ſermonem habens *lib. de vita contemplativa*, *Non ſolùm*, inquit, *contemplantur, ſed etiam cantica & Hymnos in Dei laudem componunt vario metrorum carminumque genere concinnatos, in anguſtiorem ac religioſiorem ſpeciem*. Denique Ambroſius *Orat. contra Auxentium de Baſilicis non tradendis*, Hymnos à ſe compoſitos carmioa vocat: *Hymnorum*, inquit, *meorum carminibus deceptum populum ferunt; grande carmen iſtud eſt, quo nihil potentius*.

Iſidorus.

Philo Judæus.

Ambroſius.

Davidis Pſalterium liber Hymnorum.

Sed & inquies, Pſalmi Davidis carmina ſont, igitur & Hymni, quin & Pſalterium ipſum Hebraicè inſcribitur *liber Hymnorum*, & David illius author *ὑμνογράφος* à Philone *libr. de mundo cap.* 9. appellatur. Ita eſt; ſed in hoc Hymni noſtri à Pſalmis diſcrepant, quòd Pſalmus Dei laudes generatim proſequatur, ſeu quatenus ejus gloria in opere Creationis, vel in mirabilibus Legis antiquæ emicat; Hymnus verò ſpeciatim, ſeu quatenus ipſius magnalia nobis io Myſterio ſeu Sancto quì colitur, referantur.

Vera Hymni definitio.

Perfecta itaque erit Hymni definitio, ſi Auguſtino vocem unam aot alteram addideris, ut dicas eſſe Cantum metricum continentem laudem Dei propriam diei, ſeu ſeſti quod celebratur; deque Hymnis hoc tantùm modo acceptis hic agimus; non autem de Hymno *Te Deum*, & ſimilibus proſa non verſo ſcriptis.

Authores Hymnorum.

Authores verò Hymnorum recenſet Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 4. quorum præcipui habentur SS. Ambroſius, Gregorius, & Hilarius; ſingulorumque nomen in Breviario à Pio V. primùm edito in fronte cujuſque Hymni appoſitum erat, ſubmotum verò poſtmodum, ſive quòd multorum incerti eſſent, ſive quòd potiſſima omnium authoritas, non ab authore, ſed ab Eccleſia eos approbante & recipiente derivetur.

QUÆSTIO I.

An & quot præſtet haberi Hymnos proprios in Feſtis propriis?

Rarior eſt Hymnorum propriorum uſus.

Habent multa Officia hiſtoriam propriam, tam in aliis Uſibus quàm in Romano, quæ tamen carent Hymnis propriis. Nam in Senonenſi nulli ſunt Hymni de SS. Saviniano & Potentiano, nulli in Pariſienſi de S. Dionyſio, nulli in Cenomanenſi de S. Juliano, nulli in Ambianenſi de S. Firmino &c. ex quo videas rariorem adhuc eſſe Hymnorum propriorum uſum, quàm hiſtoriarum.

Quandonam adhibendi Hymni proprii.

Laudaodi tamen & retinendi. Primò quidem ob neceſſitatem, in iis videlicet feſtis, de quibus nullum eſt Commune in Breviario, putà Nominis Jeſu, S. Gabrielis &c. Secundò, ob majorem ſolemnitatem, in feſtis videlicet Patronorum principalium, necnon qoandoque etiam aliorum, maximè ubi legitimo pridem uſu recepti ſunt, quales habentur Arelate de S. Trophimo, Rhemis de S. Remigio & de SS. Nicaſio & ſociis Mart. Turonis & Andegavi de SS. Mauritio & ſociis, item Turonis de S. Gatiano, & de S. Martino, & Andegavi de S. Maurilio &c. Apud Benedictinos de S. Benedicto, apud Auguſtinienſes de S. Auguſtino &c. Haud tamen retineri debent ex antiquis, multò minùs novi ulli admitti, niſi probati, eoque ſtylo & arte conditi vel reſtituti, quibus non rugas aut maculas, ſed magis ornatum & decorem divinis Officiis afferant.

Hymni proprii duo vel tres duntaxat adhibendi.

Quoad numerum attinet, cùm locus Hymnis non ſit, niſi in Veſperis, Matutino, & Laudibus, hinc eſt quòd in quibuſdam feſtis habentur tres Hymni proprii, uti in Nativitate S. Joannis Baptiſtæ (niſi potiùs tres hi unus ſint triſariam diviſus,) in Feſto S. Mariæ Magdalenæ &c. In aliis verò & quidem frequentiùs duo tantùm, quorum unus ponitur pro utriſque Veſperis, & Matutino vel Laudibus; alter verò pro altero iſtorum, ut in Feſto S. Michaelis, & in omnibus Officiis de Communi, excepto plurimorum Martyrum, in quo habentur tres. Obſervavi in Uſibus propriis non haberi interdum niſi unum. Eſto illud. In aliis verò, quatuor, unum videlicet pro ſecundis Veſperis diverſum à primis, ut in quodam Officio Præſentationis B. Mariæ, ſed illud non eſt ex uſu Romano. Singularis verò eſt hac in parte uſus S. Martini Turonenſis, qui quatuor Hymnos aſſignat in quolibet Feſto ejuſdem Sancti, ita ut decem univerſim proprii de eo habeantur, præter ſeptem alios pro parvo item illius Officio.

QUÆSTIO II.

Quinam probandi Hymni proprii?

Omiſſis quæ ad ſuſpicionem falſi pertinent aliiſque labes in prioribus recenſitas, quas haud dubiè, perinde ab Hymnis abeſſe debere certum eſt, atque ab aliis Officii partibus, tria inſuper ad probatum Hymnum exiguntur.

Hymnorum Verſus non ſit vitioſus, ſed purus ac legitimus.

Primò. Ut cùm ſtricta oratione Hymnus conſcriptus eſſe debeat, ſit verſus non mendoſus ac vitioſus, ſed purus, legitimiſque pedibus ac debita ſyllabarum quantitate conſtans. Qua in re cùm multi Hymni peccarent, Urbanus VIII. Pontif. Max. hanc adhibuit operam, ut ii omnes ad probatam carminis legem revocarentur, ſive mutatis tantùm, in quibus vitium erat vocibus, ſive Hymnis ipſis de iotegro conditis, eadem tamen quoad licuit ſervata ſententia. Quam emendationem qui reſpuunt, quibuſcunque ducti rationibus, parùm ſe Eccleſiæ decorem diligere probant;

Urbanus VIII. emendavit Hymnos Breviarii Romani.

cùm-

Digitized by Google

cùmque in profanis tantam fortè ipſi concinnitatem & elegantiam exigant, quis non miretur eos in ſacris, quibus nihil non ſummum tribui decet, ſordes vileſque quiſquilias tam ſtudioſè proſequi? Operæ pretium magis eſſet, ut quod jam præſtitit Aurelianenſis Eccleſia in poſtrema ſui Breviarii editione, hoc item cæteræ omnes exequantur, ut videlicet rejectis veteribus Hymnis, novos ſuſcipiant, reſiduoſque ſibi proprios, ſi mendoſi fuerint, ad illorum normam pariter inſtaurent, ſervata, ut jam dixi, eadem ſententia, eodemque metri genere.

Emendati ab Authore Hymni Galliæ proprii.

Ego ut rem iſtam promoverem, collectos quotquot potui ex univerſis Galliæ Eccleſiis Hymnos proprios, ante annos ferè 20. in unum volumen redegeram, ſimili omnes, atque alios ab Urbano VIII. emendatione donatos, eo conſilio, ut ſingulæ Eccleſiæ pro ſuo quæque jure eos admitterent, ſi luberet, quos ſuos eſſe comperirent; ſed neſcio quo id caſu accidit, ut elucubrationem illam hactenus in lucem edere diſtulerim, in calce hujus operis adnectendam fortè opportuniùs, ſi fuerint reſiduæ aliquæ paginæ.

Bernardus.

Neque tu mihi Bernardi dictum opponas *Epiſtola* 112. *Hymnum compoſui metri negligens, ut ſenſui non deeſſem*, inquit ille de Hymno S. Victoris cum reliquo Officio à ſe compoſito; nam neque in Bernardi jam ſæculo ſumus, ut non cultiora in hoc genere exigantur; neque tu Bernardus es, cujus ſcripta in quocumque ſæculo probentur; nec ſi denique ad ipſum vel procul accedas, ideò ut ſenſui non deſis metri negligens eſſe debes, qui utrique vales conſulere.

Stylus ſit poeticus, non tamen inflatus.

Secundò. Requiritur ut ſtylus ipſe haud ſit poetico diſſimilis, non tamen inflatus, nec patronimicis illis ſeſquipedalibus, aut phraſibus flexuoſis & implicatioribus ſuperbè incedens; ſed nitidus, facilis, intellectuque vel leviter tinctis pervius, qui nec ſic jaceat ut nauſeæ ſit, nec ſe etiam ſic attollat, ut Ethnicum magis faſtum quàm Chriſtianam ſapiat pietatem. Ratio item cantus id exigit ut ab Eliſionibus & Synalephis, quantum fieri poteſt, abſtineatur: nam cùm certus ſit in quolibet verſu notarum numerus, ſingulis ſyllabis affixus, neceſſe eſt ſi accreſcant ſyllabæ, notas itidem augere ſeu extendere, quod cùm promptum adeò facileque non ſit, hinc ferè ſemper oritur in cantu perturbatio, ingrataque auribus diſſonantia. Ad cantus quoque euphoniam pertinet, ut in Sapphicis maximè & Aſclepiadæis Hymnis, poſt ſecundum pedem ſemper ſuperſit cæſura, quod dum non advertunt Poetæ cæteroqui elegantiſſimi, neceſſe eſt, vel in uno eodemque vocabulo ſyllabarum fieri divulſionem, vel à præſcripta quieſcendi meta cantum aberrare, ut patet in duobus hiſce verſibus,

Vitandæ Eliſiones & Synalephæ.

Cæſura ſuperſit poſt ſecundum pedem.

Confer, offenſique graves ſerena
Numinis iras,

in aliquo Hymno proprio S. Genovefæ.

Cum ſpes ſancta moraque impatiens amor,

Muretus in Hymno Paſchæ.

Hymnus ſit verè proprius, non autem vulgaris.

Tertiò denique, debet Hymnus verè eſſe proprius, adeò ut Sancti cujus memoria agitur laudes, ex propriis illius factis, iiſque eximiis ac ſelectioribus explicet: nam ſi in vagis tantùm & vulgaribus encomiis excurrat, æquè erit Hymnus de Communi conveniens & appoſitus.

An verò vetus proprius juxta has leges emendatus, nova indigeat approbatione, nihil habeo quod addam dictis *quæſt.* 8. *cap.* 1. Addo verò illud, cavendum inprimis ne ulla fiat diei deſignatio, quæ vera non ſit; qua ratione quando non eſt dies obitus, aliter pronunciandum finem primi verſus Hymni Confeſſorum præcipit Urbani VIII. recognitio.

QUÆSTIO III.

An & qualiter admittendi Hymni proprii recens cuſi?

IN hoc ſaltem ætas noſtra, haud pejor eſt prioribus, quòd abſterſa priſca illa rubigine, ſtylum ſcribendi cultiorem tum ſoluta, tum etiam ſtricta oratione ſuſceperit, quem & in Sacros Hymnos induci, nedum Religio vetat, ut ad eam etiam plurimùm conducere nitor ille perſuadeat, qui in templorum elegantia, altarium ornatu, reliquaque omni ſupellectile ſacra tantoperè commendatur, quotidieque promovetur.

Hymni ab Urbano VIII. editi laudantur.

Concinnitatem illam ſua primus omnium authoritate exemploque adſtruxit Urbanus VIII. Pont. Max. cujus ſunt Hymni S. Martinæ, aliique pereleganies non minùs quàm pii. Hancque jam æmulatæ ſunt nonnullæ Eccleſiæ, Pariſienſis inprimis, cujus in recentiori Breviario inſerti habentur Hymni novi duo de S. Ludovico, duo de Compaſſione B. Virginis, duo item de Sancta Corona ſpinea, quos omnes elaboratos fuiſſe accepi ab Illuſtriſſimo D. Iſaacio Habert illius tunc Eccleſiæ Canonico ac Pœnitentiario, nunc Vabrenſi Epiſcopo; neſcio an quicquam edi hac in arte limatius queat, ſic enim admixtum habent cum poetico lepore intimæ ſenſum & affectum pietatis, ut non minùs delectatione moveant, quàm lectione ipſa delectent. Nec ab his alieni ſunt Meldenſes quatuor de S. Stephano, duo pro ipſius Natali & duo pro Inventione; duo item Andegavenſes de S. Gabriele Archangelo; plures verò in Proprio Canonicorum Regularium Congregationis S. Genovefæ Pariſienſis, tres videlicet de ipſa S. Genovefa Virg. tres de S. Vincentio Mart. tres pro Natali S. Auguſtini, duo pro Converſione ipſius, duo denique pro Feſto Sanctorum omnium Canonicorum Regularium; quorum omnium quiſquis author eſt, haud temerè dixeris non apes, ſed ipſummet divinum Spiritum cœlicum mel linguæ ejus calamoque inſperſiſſe. Optandum eſſet ut ſuæ hac in parte dignitatis ac decoris non minori cæteræ Eccleſiæ ſtudio ducerentur.

Alii item recentiores.

Novi Hymni approbandi.

Quantacunque verò præſtent elegantia ſenſuque pietatis Hymni proprii, haud tamen ullibi in uſum inducendi, niſi obtenta priùs legitima approbatione ſive Summi Pontificis, ſive aliorum Antiſtitum, quibus id juris ſupereſt, juxta tradita à nobis ſuprà *cap.* 1. *quæſt.* 11.

QUÆSTIO IV.

Quod metri genus Hymnis conveniat?

Varia metra quibus Hymni conſtant.

Jambicum dimetrum. Sapphicum. Aſclepiadeum.

QUinque ſunt tantummodo metri ſpecies, quibus ſcripti reperiuntur Hymni Eccleſiaſtici. 1. omnium frequentiſſima eſt Jambicorum dimetrorum, quorum ſingulæ ſtrophæ quatuor conſtant verſibus, ſuntque hujus ſpeciei in Breviario Romano Hymni numero 79. 2. eſt Sapphicorum juncto poſt tertium cujuslibet ſtrophæ verſum Adonico. 3. Aſclepiadæorum juncto itidem in ſingulis ſtrophis poſt tres verſus Glyconico. Hanc amavit ſpeciem Muretus prioris ſæculi Poeta non minùs quàm Orator celebris, exaratis hoc uno metri genere ſuis quos edidit Hymnis omnibus, cùm tamen nonniſi duo treſve in Breviario numerentur. 4. Jambicorum trimetrorum, quorum alii quatuor verſibus ſtropham complent, alii quinque, omnes verò unis Petro & Paulo Apoſtolis, nulliſque aliis addicti. 5. Trochaicorum, rarior illa quidem, nec niſi duorum quorum initium eſt *Pange lingua glorioſi*, cum alterius illorum parte reſidua, *Luſtra ſex qui jam peregit*: conſtatque horum ſtropha ſex verſibus, videlicet Almanio &

Jambicum trimetrum.

Trochaicum.

Euripi-

Digitized by Google

Euripidico alternatim currentibus, utroque Trochaien, ſed hoc Catalectico, illo verò Acatalectico. Erant & ante correctionem hujuſce ſpeciei Hymni Dedicationis Eccleſiæ, *Urbs Jeruſalem* & *Angularis fundamentum*, item Hymnus Angelorum *Tibi Chriſte ſplendor Patris*, ſed placuit Correctoribus (neſcio qua ex cauſa) eos ad Jambicum dimetrum reducere, cujus ſtrophæ in duobus prioribus conſtant verſibus ſex, quod novum eſt, nec hactenus fuerat uſitatum; fuiſſet æquè facile eos in Trochaico metro emendare. Ad Trochaici quoque ſpeciem revocatur unus ſui generis Hymnus *Ave Maris ſtella*, qui tamen non tam verſum ſapit quàm proſam certo ſyllabarum numero conſtrictam.

Urbanus VIII.

Poſſunt itaque qui Hymnos novos conſcribunt, utramlibet ſpecierum prædictarum adhibere. Arriſiſſe videtur Urbano VIII. Aſclepiadæa pluſquam aliæ in Hymnis tribus quos ſua ipſe manu elaboravit de S. Martina, ſicut & authori, quiſquis ille fuerit, duorum de S. Hermenigildo. Nova prorſus eſt vixque apta ad cantum accommodari, quæ ſervata fuit in Hymnis recenter cuſis de S. Eliſabetha Regina Portugalliæ.

Clitoveus.

Præter ſupradictas ſpecies ſunt & aliæ plures Hymnorum veterum variis in locis uſitatorum, & à Clitoven in ſuo Elucidario explicatorum; quorum uſum in novis condendis excitari debere nequaquam judicaverim. Eſto, antiquiores illi, quo nulla cantus fiat mutatio, ad priſtinam metri ſui formam recudantur.

QUÆSTIO V.

An probandi Hymni Rhythmici?

Laudantur Hymni Rhythmici de Feſto Corporis Chriſti.

TRes dumtaxat ejuſmodi habentur in Romano Breviario, quos, utpote à S. Thoma Aquinate cùm reliquo Officio Corporis Chriſti eximia arte compoſitos, intactos penitus reliquit Urbanus VIII. in ſua Hymnorum recognitione; nec immeritò, tanta ſiquidem eſt Rhythmorum illorum mixta cum eruditiſſimi ſenſus expreſſione ſuavitas, nulla ut iis æquari poſſis metri cujuſcunque politioris ratio exquiſitiſſima.

Alii minùs probantur.

A qua ratione cùm plurimùm abſint Hymni illi Rhythmici, in antiquis uſibus frequentiſſimi, quales erant in Pariſienſi de S. Corona ſpinea, & de S. Ludovico, ſuntque etiamnum hodie de SS. Dominico, Franciſco & aliis in Propriis Prædicatorum & Minorum; laudandi eo ſaltem nomine, quòd inductum ab Urbano VIII. nitorem propiùs æmulentur, qui ejuſmodi Hymnos vel rejiciunt penitus, vel ad legitimam Carminis legem revocant.

At recentes ſi quis jam vellet condere, næ ſuam ille mihi operam egregiè ludere videretur.

QUÆSTIO VI.

Quæ ſint Hymni partes, ſeu qualis ſtructura?

CUm laus Dei ad currentem diem ſpeciatim pertinens proprium ſit Hymni ſubjectum, ſeu materia in qua ex innata ſibi ratione verſatur, certum quoque eſt præcipuam ſtructuræ illius partem efficere, reliqua verò ad decorem, concinnitatiſque complementum adhiberi.

Exordium Hymni quale.

Et primò quidem, Exordii loco præmitti ſolet vel invocatio Numinis, putà *Lucis Creator optime. Creator alme ſiderum. Jeſu Redemptor omnium &c.* vel invitatio ſeu provocatio ad laudandum Deum, ut in hiſce Hymnis, *Exultet orbis gaudiis &c. Sanctorum meritis inclyta gaudia*, *Pangamus ſocii*, *&c. Pange lingua glorioſi*, *&c.* vel denique celebritatis quæ agitur denunciatio, ut in iſtis, *Beata nobis gaudia &c. Decora lux æternitatis auream &c. Iſte Confeſſor Domini &c.* & hæc pars non pluſquam primam Hymni ſtropham debet occupare.

Myſterii aut Sanctorum commendatio multiplex.

Secundò: Subjungitur ſtatim ipſa Myſterii aut Sanctorum de quibus fit, commendatio, ſive per ſimplicem enarrationem, hoc ferè modo, *Hic nempe mundi gaudia &c. Hi ſunt quos fatuè &c. Qui pius prudens &c.* ſive per modum compellationis ad ipſummet Chriſtum aut Sanctos factæ, ut cùm dicitur, *Tu lumen & ſplendor Patris &c. Qua victus es clementia &c. Vos ſæculorum judices &c.* Ejuſmodi verò commendatio plana quidem & facilis eſſe debet, haud tamen arguta minùs & elegans; brevis item, adeò ut non ultra tres quatuorve ad ſummum ſtrophas ſeſe extendat.

Petitio penultimam ſtropham ut plurimum obtinet.

Tertiò: Petitioni ut plurimùm impenditur penultima ſtropha, ut in Hymno Adventus ad Veſperas, *Te deprecamur ultima Magnum diei judicem &c.* in Hymno unius Martyris, *Ob hoc precatu ſupplici &c.* in Hymno Virginum, *Te deprecamur largiùs &c.* aliquando tuam habent ſinguli verſus petitionem, ut in Hymno Apoſtolorum ad Veſperas, *Audite voces ſupplicum*, *Solvi jubete quæſumus*, *Sanate mentes languidas &c.* Aliquando totus Hymnus petitio eſt, ut Hymnus Quadrageſimæ, *Audi benigne Conditor &c.* rarum verò eſt ut nulla inſeratur petitio.

Ultimam glorificatio Trinitatis. Ambroſius.

Quartò: Ultimam ſtropham obtinet Glorificatio Trinitatis, qua Hymni omnes æquè ac Pſalmi ſemper concluduntur, ex antiquiſſimo Eccleſiæ uſu, quem adſtruxit Ambroſius Oratione in Auxentium de non tradendis Baſilicis, ubi de Hymnis à ſe conſcriptis, & in Eccleſia à populo decantatis ſermonem habens, ſic ait, *Quid potentius quàm confeſſio Trinitatis, quæ quotidie totius populi ore celebratur? Certatim omnes ſtudent fidem fateri, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum norunt verſibus prædicare.* Concluſio autem ejuſmodi aliquando propria eſt, & ſic illigata Hymno, ut ab eo nunquam ſeparetur, aliquando verò communis; de qua re ſequenti quæſtione.

Hymnus non ſit longior nec brevior.

Has portò Hymni partes ſic adſtruere viſum eſt, non ut illas præfato ordine in ſingulis Hymnis ſervari velimus; ſatis enim ſcimus contraria non deeſſe exempla aliqua: ſed artem in iſtis, ſi qua eſt, ex frequentiori uſu detexiſſe, nemini niſi graviter faſtidioſo poteſt ſupervacaneum videri. Quocumque verò ordine Hymnus conſtruatur, legitima ejus menſura ſolet eſſe quinque ſex ſeptemve ſtropharum; ſi plures aut pauciores fuerint, plus æquo Hymnum producunt aut minuunt.

QUÆSTIO VII.

Quæ Hymnorum concluſio immutabilis eſt?

QUoniam ex Rubr. 20. de Hymnis *num. 4. & ſeq.* in Feſtis & Octavis Chriſti Domini & B. Mariæ, totoque tempore Paſchali, Hymni omnes, etiam de Sanctis occurrentibus terminari debent per concluſionem illorum Feſtorum propriam, dummodo ſint ejuſdem metri, nec habeant ultimum verſum proprium. Quoad Hymnos proprios attinet, quæſtio itidem hac duplici reſtrictione ſolvenda eſt.

Nullorum unquã Hymnorum mutatur concluſio, niſi Jambicorum dimetrorum.

Primò: Ut nullius Hymni concluſio huic mutationi obnoxia ſit, niſi fuerit ejuſdem metri cum eo cujus concluſio aſſumenda eſt, hoc eſt Jambici dimetri, adeòque immunes eſſe ab hac lege, Hymnos Sapphicos, Aſclepiadæos cæteroſque alios ab Jambico dimetro.

Quorumnam Hymnorum verſus ultimus habendus proprius?

Secundò: Immunes quoque eſſe, quorum ultimus verſus eſt proprius. At quiſnam verſus talis habendus? An omnis qui ad nullum alium Hymnum pertinet? nequaquam; nam verſus hi, *Sit Chriſte Rex piiſſime*, & *Patri perennis gloria*, proprii dumtaxat ſunt; ille Hymni *Jeſu redemptor omnium*,

nium, *perpes corona &c.* de Communi Conf. Pontificis ad Laudes, hic verò Hymni *Jeſu corona celſior* de Communi Conf. non Pont. ad Laudes itidem, & neuter ulli alteri Hymno affixus reperitur, & tamen ambo mutantur cùm caſus exigit. Non ergo id ſufficit, ſed requiritur præterea, ut ſit connexio aliqua ultimi illius verſus cum præcedentibus, ſeu alluſio ad id quod in ſerie Hymni tractatum fuit, qualis eſt in verſu iſto Hymni S. Crucis ad Veſperas, *Te fons ſalutis Trinitas Collaudet omnis Spiritus, Quibus Crucis victoriam, Largiris adde præmium.* Item in iſto Hymni plurimorum Martyrum ad Matutinum, *Te nunc Redemptor quæſumus ut Martyrum conſortio &c.* qui duo dumtaxat velut proprii citantur in præfata Rubrica; cùm tamen juxta hanc definitionem, ſint & hi duo quoque proprii, videlicet, *Præſta beata Trinitas, Concede ſimplex unitas, Ut fructuoſa ſint tuis, Jejuniorum munera*, in Hymnis Veſperarum & Matutini Tempore Quadrageſimæ; Item, *Uni Deo ſit gloria, Pro multiformi gratia, Peccantium qui crimina, Remittit & dat præmia*, in Hymno Laudum S. Mariæ Magdalenæ. Idcirco verò eos Rubrica fortè omiſit recenſere, quòd vix ullus utrumque mutandi caſus occurrat, cùm prior non dicatur niſi in Officio Quadrageſimali, poſterior verò in nullam incidat Octavam propriam Hymnorum terminationem habentem; & ſi fortè in aliquam incidat, putà B. Mariæ de Monte Carmelo apud Carmelitas, exiſtimo prorſus non debere mutari, quia nimirum verè proprius eſt.

Gavantus.

Proprium aliter explicat Gavantus *ſect. 5. cap. 6. num. 13.* ut videlicet talis ſit ultimus verſus, quo ſi careat Hymnus, carebit quoque petitione quæ fit ad Deum ante glorificationem SS. Trinitatis, vel ſimul cum eadem glorificatione; quod etſi locum habeat in præfacto Hymno plurimorum Martyrum ad Matutinum, cùm tamen in aliis ratio iſta deficiat, putà in Hymno S. Crucis, cujus eſt illa petitio verſu præcedente glorificationem, *Piis adauge gratiam, Reiſque dele crimina.* Itidem in Hymno Laudum Corporis Chriſti, ubi ſic pariter legitur ante ultimum verſum, *Da robur, fer auxilium:* & è contra Hymnus v. g. Apoſtolorum ad Matutinum careat omni petitione, nec tamen hodie ultimum verſum habet proprium; hinc eſt quòd non ſatis adæquata videtur Gavanti explicatio.

Nec tu mihi quoque ſtatim objicias, connexionem illam quam attuli, concluſionis cum tota ſerie Hymni, minimè reperiri in Hymno Laudum Corporis Chriſti; haud enim dixerim ultimum illius verſum hoc ſenſu eſſe proprium, ſed tantùm quòd Hymni illius ſicut & reliqui totius Officii author S. Thomas id ita ſtatuerit, quod mutare, perinde ac ipſos Hymnos corrigere opportunum præ tanti Doctoris reverentia, non judicavit Eccleſia. Erat & ante Hymnorum correctionem verſus ultimus Hymni Apoſtolorum ad Matutinum æquè proprius ac Hymni plurimorum Martyrum, *Te nunc Redemptor quæſumus ut ipſorum conſortio &c.* ſed mutatus eſt ut quantitati conſuleretur, aliuſque valdè communis, nempe *Patri ſimulque Filio &c.* ei ſubrogatus.

Pauci Hymni proprii habent ultimum verſum proprium.

Hæc autem omnia cùm eò tendant, ut inveſtigemus num Hymnis etiam propriis contingat habere concluſionem ſeu ultimum verſum ejuſmodi proprium? Ajo id rarum eſſe admodum, neque pluſquam unum hactenus mihi licuit obſervare, videlicet S. Martini, cujus cùm in Breviario ſuæ Eccleſiæ proprio multi ſint Hymni proprii iique Jambici dimetri, habent omnes hancce concluſionem,

Hymni proprii S. Martini.

Sit Trinitati gloria
Martinus ut confeſſus eſt,
Cujus fidem per opera
In nobis ipſe roboret. Amen.

Seu, ut habet Clitoveus, *Cujus fidem per omnia*
In nobis Chriſte robora.

quæ verba emendata quantitate ſic reddas,

Per cujus in nobis parem
Fidem coronet charitas.

Hic ergo ultimus verſus, aliique ſimiles, ſi occurrant, cùm verè ſint proprii, haudquaquam occaſione ulla mutandi erunt. An verò iiſdem alii æquè Hymni terminandi ſint, ſolvet ſequens quæſtio.

QUÆSTIO VIII.

An terminatio propria Hymnorum de Sanctis perinde uſurpari debeat in aliis Hymnis atque alia terminationes propria?

Ultimus verſus Hymnorum de Sanctis, ad alios Hymnos minimè transferendus.

VIx auſim affirmando reſpondere, eò vel maximè quòd verſus illi duo ultimi Hymnorum Quadrageſimæ & S. Magdalenæ, quos ſtatim proprios eſſe diximus, extra ſuos Hymnos nullibi uſurpentur; cùm tamen ſi illorum par cum aliis eſſet ratio, & per hunc in ipſius Sanctæ Feſto ac per Octavam ubi ſit, & per illum toto Quadrageſimali Tempore, Hymni omnes eſſent terminandi. Crediderim itaque privilegium eſſe iſtud Myſteriorum Chriſti Domini & B. Virginis proprium, ad alios minimè extendendum.

Exemplum contrarium Eccleſiæ S. Martini Turonen.

Oppones verò tu mihi uſum Eccleſiæ S. Martini Turonenſis, quæ citatum præcedenti quæſtione verſum illum Hymnorum S. Martini proprium, *Sit Trinitati gloria*, more Feſtorum Chriſti Domini, & B. Mariæ, omnibus aliis Hymnis per totam Feſtorum ipſius Sancti Octavam adhibet. Abſit ut quod nobilis adeò Eccleſia uſu ab omni ævo recepto, eoque laudabili ſemper retinuit, velim ego judicio meo convellere; ſed ad hoc tantùm me inducit præmiſſa ratio, ut ſimile quid de novo ullibi inſtitui poſſe negare firmus perſeverem. Quin ſi verſus terminans minimè ſit proprius, quantumcunque alicubi uſu pridem recepto aliis Hymnis admoveatur, haud tamen ego laudaverim; urgeat licèt exemplum contrarium Eccleſiæ Turonenſis, concluſionem Hymni S. Mauritii, communem illam, nec cum reliqua ſerie Hymni ullatenus connexam, ad alios nihilominus Hymnos extendentis.

Item Eccleſiæ Turonenſis.

Uſus Eccleſiæ Rhemenſis terminandi Hymnos in Quadrageſima.

Eſt item Rhemenſis Eccleſiæ uſus, Hymnos omnes terminandi tempore Quadrageſimæ per verſum illum, *Præſta beata Trinitas &c.* & tempore Paſſionis per iſtum, *Te ſumma Deus Trinitas &c.* ſed nihil hoc ad Romanum attinet.

Item Eccleſiæ Senonenſis & aliarum Tempore Paſchali.

Non attinet quoque, quod tamen multis fuit olim in Eccleſiis uſitatum, habentque adhuc Eccleſiæ Senonenſis, Aurelianenſis, Meldenſis & aliæ, ut Tempore Paſchali Hymni omnes per duos illos verſus concludantur, *Quæſumus author omnium*, & *Gloria tibi Domine, Qui ſurrexiſti à mortuis &c.* Aliquæ itidem in Pentecoſte per duos illos, *Dudum ſacrata pectora &c.* & *Gloria Patri Domino &c.* In Feſto Corporis Chriſti per *O ſalutaris hoſtia*, & *Uni Trinoque Domino &c.* In Feſtis B. Mariæ per *Maria Mater gratiæ*, & *Gloria tibi Domine, Qui natus &c.* Non denique quod Senonis item, Pariſiis, Meldis & alibi adhuc viget, terminare Hymnos ab Octava Epiphaniæ uſque ad Purificationem per verſum *Gloria tibi Domine, Qui natus &c.* nec in Feſto & Octava Corporis Chriſti, hoc modo, uti Rhemis, *Gloria tibi Domine, Qui nos teipſo reficis &c.*

Item ab Oct. Epiph. uſque ad Purificationem.

In Feſtis propriis Chriſti Domini, ſumenda terminatio Hymnorum ex Nativitate, vel alio ejuſdem Feſto.

Si quæras demum, An non in Feſtis propriis de Chriſto Domino, putà Nominis Jeſu, Coronationis, Quinque ipſius plagarum &c. perinde condendus ſit ultimus verſus, aut certè mutuandus ex aliqua alia ejuſdem ſolemnitate, ut verè mutuatur in Feſto Corporis Chriſti ex Feſto Nativitatis?

Reſpon-

Reſpondeo, non eſſe ullibi in uſu, quantum legi, ut novus condatur; nefas verò haud videri ut mutuetur, modò quadret, uti Feſto Nominis Jeſu quadrat perbenè verſus, *Jeſu tibi ſit gloria*, *Qui natus es &c.* ſin minùs abſtinendum ab ejuſmodi mutuatione.

QUÆSTIO IX.

An Hymni proprii etiam in Feſtis aliis quàm Patronorum, item in non propriis, aut in Officio de Tempore poſſint adhiberi?

Hymni proprii non habentur niſi in feſtis Patronorum.

NUllius in Eccleſiæ uſu eſt, quod ſciam, ut in Feſtis propriis Sanctorum non Patronorum, putà Epiſcoporum, & aliorum naturalium, aut quorum habentur Reliquiæ, alii Hymni quàm de Communi aſſumantur. Nec in exemplum trahi debet, quòd S. Herminigildo, S. Martinæ, & S. Tereſiæ non admodum celebribus, tributi ſunt noviſſimè in Romano Breviario Hymni proprii; non enim putandus eſt Pontifex hacce indulgentia novum jus, aut parem in ſimilibus conceſſionem velle inducere.

In feſtis verò non propriis fas id multò minùs erit Romanum Breviarium ſectantibus, prout de Officio univerſim probatum fuit ſup. *cap.* 1. *quæſt.* 25. Quin & ejuſmodi uſum Eccleſiæ ipſæ Breviario adhuc proprio utentes, aut penitus reſpuunt, aut nonniſi parciſſimè admittunt. Sic habent aliquæ in Purificatione B. Mariæ, Hymnum *Quod Chorus vatum &c.* & in Aſſumptione, *O quàm glorifica luce coruſcas &c.* in Feſtis item S. Annæ, S. Joſeph, S. Nicolai, S. Catharinæ retinuere aliquæ veteres quoſdam Hymnos proprios, quos aliæ laudabiliùs abjiciunt, aliæ ad limam revocatos elegantiori forma reponunt.

Hymni aliquot proprii Feſtorum non propriorum.

Par eſt itidem ratio Hymnorum Officiis de Tempore aut de Communi Sanctorum, quos alios à Romano pleraque etiamnum habent Breviaria propria, puta Hymnum *Deus creator omnium*, ad Veſperas Sabbati: Hymnum *Veni redemptor gentium*, in Nativitate Domini: Hymnum *Beate Martyr proſpera*, de Communi unius Martyris &c. ſed hi aliique quos Radulphus *prop.* 13. pluſquam 30. numero recenſet, item & quos pluſquam 60. commentariis affecit Clitoveus in ſuo Elucidario, omnes ſic à Romano uſu proſcripti ſunt, ut nullatenus admitti debeant, ob rationes ſuprà *cap.* 1. *quæſt.* 17. allatas.

Aliquot item proprii in Officio de Tempore.

Radulphus.

Clitoveus.

Poſſet dumtaxat aliqua eſſe controverſia de tribus quatuorve Hymnis ad Completorium in multis Galliæ uſibus loco Hymni *Te lucis* aſſumi ſolitis, videlicet *Chriſte qui lux es & dies* tempore Quadrageſimæ, *Jeſu Salvator ſæculi* tempore Paſchali, *Salvator mundi Domine* in duplicibus & infrà Octavas. Item in Pariſienſi, *Virgo Dei genitrix*, in omni Officio B. Mariæ. Nam cùm iis diebus Completorium celebriori ritu decantetur, facilè mihi perſuaſerim ideò introductos fuiſſe Hymnos illos paulò longiores, ut Choro canenti, pulſatoque viciſſim extra Officium Quadrageſimale organo, plures cuique ſupereſſent verſus. Utut ſit, ubi longo uſu ac nuſquam interrupto ejuſmodi conſuetudo retenta eſt, tolerandam utcunque non abnuo, cùm à laudabili haud procul abeſſe videatur; maximè ſi Hymnos illos more Romanorum caſtigatos, quibus id juris eſt Antiſtitibus, ex noſtro penu in ſuum uſum traducere placuerit, juxta quod aſſertum eſt ſuprà *cap.* 1. *quæſt.* 7. Si verò conſuetudo illa deſiit, aut quod amplius eſt ubi nunquam extitit, hanc excitare denuo, aut de novo inducere vetant penitus, quæ adducta ſunt argumenta ibidem ſuprà *quæſt.* 9. & 10. Sicut & extra omnem uſum eſt quod refert Radulphus citatus, Hymnos Horarum Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ dimittere, eorumque loco, vel proprios, vel Hymnum ipſum feſtivitatis quadrifariam diviſum ſubrogare. Tantùm obſervavi in Breviario Senonenſi Hymnum *Sancte Dei pretioſe*, aſſignari ad Tertiam die S. Stephani. Item in antiquis Breviariis Pariſienſi, Sylvanectenſi & aliis, Hymnum *Hoc in templo ſumme Deus*, in feſto Dedicationis præſcribi ad Primam & ſequentes Horas.

Hymni proprii ad Completorium Gallicano uſu, ut retinendi.

CAPUT VI.

DE CAPITULIS, VERSIBUS & Reſponſoriis brevibus propriis.

REſidua hæc tria ſunt, quæ in Officiorum propriorum compoſitione partem interdum obtinent. Capitula quidem, ſeu ut vocat Radulphus *prop.* 13. *Lectiunculæ*, aut Lectiones breves oppoſitæ longioribus Matutini, quæ videlicet in Veſperis & Laudibus ante Hymnum, in aliis Horis ante Reſponſoria brevia inſeruntur, & de quibus eſt Canon 30. Concilii Agathenſis relatus *can. Convenit*, *de Conſecr. diſt.* 3. ubi emendandus quidem Gratianus dum *Collationes* legit pro *Collectiones*; at per Collectiones perperam Gloſſa intelligit Capitula: meliùs Turrecremata & alii Collectas, ſeu Orationes; nam de Capitulis ſeu *Capitellis*, ut legit idem Gratianus, ſtatim eodem ipſo Canone expreſſa fit mentio, quæ ſuperflua eſſet & redundans, ſi de iiſdem in priori actum fuiſſet.

Capitulorum quæ ratio in Officio.

Radulphus.

Verſus cùm ſit multiplex acceptio in divinis Officiis, potiſſima illa eſt qua accipitur pro eo, qui in ſingulis Nocturnis præmittitur ante Lectiones; in Laudibus verò, Veſperis ac Completorio ante Cantica Evangelica; in Horis denique & Commemorationibus ante Orationem. Verè Verſus à vertendo dictus, quòd ut ait Amalarius *lib. de Ordine Antiphonarii cap.* 1. per illum fiat converſio mentis ex uno affectu ad alterum, v. g. de Pſalmodia ad Lectionem &c.

Quæ verſuum ratio.

Amalarius.

Ex Verſibus fiunt communiter Reſponſoria brevia Horarum ſic dicta per oppoſitionem ad longiora Matutinorum, quæ ſicut Lectionibus, quæ longiores ſunt, ſubjunguntur, ita & hæc Capitulis quæ breviora ſunt.

Reſp. brevia oppoſita longioribus.

QUÆSTIO I.

Præſtetne hæc haberi propria in Feſtis propriis?

PAt cum præcedentibus reſponſio, præſtare in Officiis, quorum nullum eſt Commune, puta Nominis Jeſu, Quinque plagarum, S. Coronæ &c. unde enim ea deſumas? In aliis verò quæ Sanctorum ſunt, cùm rarò id occurrat, ut aliqua aſſignari poſſint propria aptaque magis, quàm quæ in Communi habentur, quorſum alia eorum loco importunè obtrudere?

In Feſtis propriis Sanctorum vix habentur Capitula propria.

Nam & in toto Breviario non pluſquam in novem feſtis habentur Capitula propria, deſumpta videlicet ex Epiſtola Miſſæ, quæ vel hiſtoriam ipſam enarrat, putà Martyrium S. Stephani, Converſionem S. Pauli &c. vel aliunde actis Sancti adeò quadrat appoſitè, ut vix ulli alteri in tam bono ſenſu poſſit aptari; cujuſmodi ſunt Epiſtolæ S. Andreæ, S. Laurentii, SS. Innocentium &c. In propriis verò uſibus vix ulla ferè eſt reperire Capitula propria. Sunt in Pariſienſi S. Dionyſii & S. Ludovici, in Turonenſi S. Gatiani; plura in Diœceſibus non legi. Abundant magis apud Regulares, eaque interdum ſatis opportuna, ut ſuis locis obſervabitur.

Capitulis rariores adhuc ſunt Verſus proprii, nec in toto Breviario habentur niſi duo S. Petri, unus

Pauciores adhuc Verſus proprii.

Digitized by Google

tinus S. Pauli, duo S. Stephani, duo S. Joannis Evang. duo SS. Innocentium, duo S. Laurentii, unuſque de novo additus S. Joachimi, præter quatuor S. Michaelis, & totidem S. Joannis Bapt. quorum nullum eſt Commune. In aliis verò uſibus præſertim Regularium frequentiſſimus eſt pro Patronis Verſ. *Ora pro nobis Beate N.* Reſp. *Ut digni &c.* Præter hunc verò neſcio an alium reperias niſi fortè duos iſtos, *Dilexit Andream Dominus &c.* & *Signaſti Domine ſervum tuum Franciſcum &c.*

Reſp. brevia ex verſibus confecta omnium rariſſima.

Rariſſima denique omnium ſunt Reſponſoria brevia Horarum, quæ in omni Officio Sanctorum ubique de Communi ſumuntur; neque ulla memini me legere propria niſi in Bituricenſi Breviario de S. Stephano, & in Pariſienſi recens fabricata de S. Ludovico.

QUÆSTIO II.

Quæ in Capitulis propriis ſpeciatim cavenda?

Capitula nonniſi ex Scriptura ſumi debent. Radulphus.

PRimum: Ut nulla niſi ex Sacra Scriptura ſumantur, annuente Radulpho *prop.* 13. in quo multa antiqua Breviaria peccabant, nec id adhuc fuit emendatum in proprio S. Martini Turonenſis edito anno 1635. Et licèt ea ex quocunque Scripturæ libro nihil vetet aſſumere, communius tamen ex Sapientialibus & Hiſtorialibus, nonnunquam etiam ex Apocalypſi: ex Evangelio non habetur niſi unum in toto Breviario, videlicet ad Sextam die Annunciationis B. Mariæ. Undecunque verò ſumantur, Textus vulgatus ſemper retinendus eſt. Quod enim obſervat Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 15. *num.* 10. in Breviario interdum ab hac lege diſceſſum fuiſſe, poteſtatem non facit quibuſvis idem tentandi.

Gavantus.

Sumuntur ut plurimum ex Epiſtola Miſſæ.

Secundum: Mos eſt ut deſumantur ex ipſa Epiſtola propria quæ legitur in Miſſa, nec niſi bis video in Breviario Romano ſecus factum fuiſſe. Quòd ſi brevior fuerit Epiſtola, quàm ut ad omnia ſufficiat; quæ ſupererunt, aliunde comparabuntur.

Tria tantùm aſſignanda.

Tertium: Tria dumtaxat aſſignanda, ex eodem Radulpho. Quod enim ponitur in primis Veſperis, idem dici debet ad Laudes, ad Tertiam, & in ſecundis Veſperis, *ex Rubr.* 29. *num.* 3.

Sint item brevia.

Quartum: Breviora eſſe debent, ſatiſque eſt ſi duabus tribuſve ſententiis complcantur. An verò Capitulis Veſperarum, ſi de Epiſtolis Pauli excerpta ſunt, præmittendum *Fratres*; aut *Chariſſimi*, ſi de Epiſtolis Catholicis? Uſum hunc non habebant antiqua Breviaria, nec verò etiamnum habet Senonenſe novum, adſtipulaturque S. Thomas in Officio Corporis Chriſti, ut jacet in ipſius opuſculo 57. At cùm Romanum id conſtanter retineat, exceptis dumtaxat Capitulis *Apparuit*, & *Multifarie* de die Nativitatis, & tribus pro feriali Officio Temporis Paſchalis poſitis, laudandi præ aliis uſus qui in hoc ſe Romano conformant: Qui verò ei ex integro addicti ſunt, iis fas haud eſſe putem prædictas voces omittere.

Ut præmittenda vox *Fratres*, vel *Chariſſimi*.

QUÆSTIO III.

Quæ ſpeciatim in Verſibus?

Sumendi Verſus ex Scriptura.

PRimum: Cùm pauci ſint admodum in Breviario, qui ex Scriptura non ſint excerpti, nec niſi ferè tres quatuorve B. Mariæ, & unus S. Laurentii; hinc convenientius judico ut nulli ſimiliter niſi ex Scriptura proprii admittantur, ſi fortè illum unum excipias ubique uſitatum, *Ora pro nobis, &c.*

Quot & qualiter ſumendi ac diſpenſandi.

Secundum: Ut plurimum non habetur niſi unus vel duo, pro Veſperis videlicet & Laudibus, ut patet exemplis S. Stephani, S. Laurentii &c. Quòd ſi pro unoquoque Nocturno proprii aſſignentur, is ordo ſervandus erit, ut ſi ex Pſalmis deprompti fuerint, eumdem inter ſe ſitum obtineant quem Pſalmi ipſi, prout colligitur à pari ex verſibus de Communi Apoſtolorum, unius Martyris, & aliis. Breves quoque debent eſſe omnes, ut fert ratio verſus; ſic tamen ut cùm ex iiſdem Reſponſoria brevia horarum fieri conſueverint, locus ſit in medio commodus ad reſumptionem, ubi & aſteriſcus figatur. Eſt denique œconomia verſuum iſta frequens ſatis, ut in primis Veſperis ponatur idem qui eſt pro primo Nocturno, & in ſecundis Veſperis idem qui eſt pro Laudibus.

Alleluja non addendum extra tempus Paſchale.

Tertium: Nullis verſibus extra tempus Paſchale addatur *Alleluja*. Eſtque à Romano alienus planè uſus olim Turonenſis, nunc etiam Rhemenſis, addendi ad finem ſecundæ partis, ſeu Reſponſorii verſus bis terve Alleluja, quocunque tempore extra Septuageſimam; ſicut & oppoſitus Pariſienſis & Meldenſis, non addendi tempore Paſchali.

QUÆSTIO IV.

Quæ denique in Reſponſoriis brevibus?

Formanda ex verſibus Nocturnorum.

PRimum: Ut recepto aliorum ferè omnium Officiorum more, formentur ex verſibus Nocturnorum, adeò ut qui verſus fuit primi Nocturni ſit Reſp. breve Tertiæ; qui ſecundi, Sextæ; qui tertii, Nonæ.

Uſu multarum Eccleſiarum adduntur duo Alleluja.

Secundum: Eſt in multis Eccleſiis uſu receptum, ut ad majorem ſolemnitatem extra tempus Septuageſimæ, duo addantur *Alleluja* Reſponſoriis brevibus Horarum, ut fit in Romano tempore Paſchali. Et id quidem Breviarium Turonenſe tribuit quibuſcunque feſtis etiam ſimplicibus: Senonenſe, Pariſienſe, Meldenſe &c. nonniſi duplicibus & per Octavas: Ambianenſe duplicibus primæ & ſecundæ claſſis dumtaxat: Andegavenſe verò tantùm primæ claſſis, & per illorum Octavas. Gaudeant equidem ſuo illæ omnes Eccleſiæ proprio ritu, quem & ego veneror, at cùm is à forma Romana alienus admodum videatur, haudquaquam putaverim fas eſſe Romano Breviario addictis illum ad ſe traducere. Eſſet fortè non incongruum eo uti in feſtis myſteriorum Chriſti Domini, ſi quæ alicubi particularia celebrentur, more videlicet Feſtorum Nativitatis, Epiphaniæ, & Corporis Chriſti, imò & Transfigurationis Domini, in quibus omnibus Reſponſoria brevia Horarum cum *Alleluja*, ad inſtar temporis Paſchalis ordinantur.

Ut verſus mutari debet in Reſp. brevi Primæ.

Tertium: In Feſtis propriis Chriſti Domini & B. Mariæ convenit mutari ad Primam Verſum Reſp. brevis, *Chriſte Fili &c.* Et quidem pro B. Virgine ſemper dici debet, *Qui natus es de Maria Virgine*. At pro Chriſto Domino, ut dices? An itidem, *Qui natus es &c.* ut in Feſto Corporis Chriſti? An *Qui apparuiſti &c.* ut in Feſto Transfigurationis? An formabis tu aptum, puta, *Qui paſſus es pro nobis*, in Feſto Coronationis, Quinque plagarum &c. Poſtremum hoc novum cùm ſit, abſque legitima authoritate tentari nullatenus debet, maximè cùm in Feſtis Sanctæ Crucis id minimè uſurpetur, quod tamen pronum erat admodum. Alterum ſi congruat, haud ex ſe planè videtur illegitimum. Utriuſque verò defectu ſemper quadrat Communis ille, *Qui ſedes ad dexteram Patris*. Non quadrat verò, ut juxta uſum Senonenſem, Pariſienſem, Meldenſem &c. ab Octava Epiphaniæ uſque ad Purificationem dicatur, *Qui natus es &c.* quo tempore videlicet iiſdem in locis, privilegium extat edendi carnes diebus Sabbati.

Guyet. Heortologia.

CAPUT VII.

De Pſalmis propriis.

PRoprios Pſalmos non hîc accipimus, quaſi aliqui de novo conſcribantur, ſicut de Hymnis, Lectionibus, aliiſque dictum fuit hactenus. Stat enim in integro Concilii Laodicenſis Canon 59. & ultimus, vetans *ἰδιωτικοὺς* plebejos, vel ut alii vertunt privatos & vulgares aliquos Pſalmos legi in Eccleſia; eoque nomine inter alia acerbiſſima crimina damnatum fuiſſe ab Antiochena Synodo Paulum Samoſatenum refert Euſebius *lib. 7. hiſt. cap.* 24. quòd exploſis Pſalmis ad Chriſtum pertinentibus, novos in ſui laudem compoſitos diebus Paſchæ in Eccleſia à mulieribus cani præcepiſſet.

Sunt Davidici Pſalmi numero 150. Omniumne author David ipſe, an aliquorum alii? diſputent Interpretes: nulli præter hos Canonici, ne Idiographus ille quidem ab Athanaſio memoratus, *Parvus eram in fratribus meis*. Hos verò omnes, cùm antea vagi eſſent, nec ſtatis diebus affixi, per ſingulas cujuslibet hebdomadæ ferias in Officio divino recitandos, eo ordine qui in Breviario habetur, à B. Hieronymo fuiſſe primùm diſpoſitos, Damaſique Papæ decreto in Eccleſiam invectos, communis traditio eſt; teſtante id Baronio ad annum 60. quo in ordine nullos rectè proprios appellaveris, cùm omnibus id commune ſit, ut in eo contineantur. At cùm in feſtivitatibus certi dumtaxat ac ſelecti Pſalmi decantentur, eos uti que cujuſque feſtivitatis proprios non incongruè dixeris, qui ei attributi ſunt. Diſtingue item: feſtivitates enim, vel de Myſteriis ſunt, vel de Sanctis. Illis quidem ſemper aſſignantur Pſalmi proprii, his verò non item. Nam cùm varii ſint Sanctorum ordines, Apoſtolorum videlicet, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum, pro ſingulis illorum, ordinatum eſt Commune, ad quod pro Pſalmis æquè ac pro cæteris eſt recurrendum in Feſtis Sanctorum particularium; niſi cùm & ipſi Pſalmos alios à Communi deſignatos habeant, quos tum proprios, perinde atque alios in feſtis Myſteriorum poſitos, ſtricta ſignificatione hîc appellamus.

Pſalmi dicuntur proprii cujuſque feſti, qui in eo præ aliis cantantur.

In Feſtis Sanctorum Pſalmi dicuntur proprii, qui non ſunt de Communi accepti.

QUÆSTIO I.

Unde habet Pſalmus unus, quòd ſit præ alio Officii alicujus proprius?

Radulphus. Pſalmorum encomium.

PUlcrè Radulphus *prop. 9.* Pſalmos mannæ comparat, habent enim illi, ut & iſtud omne delectamentum, & omnem ſaporem ſuavitatis, adeò ut nulla ſit materia laudis divinæ quam non evolvant, nullum myſterium ſacrum quod non prædicent, nulla virtutis ſpecies, nullumque Sanctitatis decus quod ſingularibus præconiis paſſim non exornent: ut non metuendum ſit, ne tanti multi ad inſtitutum non ſufficiant; imò laborandum magis, quò ex pluribus, omnium aptiſſimi ſeligantur.

Ad hoc verò neceſſe non eſt, ut Myſterium ipſum quod celebratur, aut virtutes in Sancto eximias, Pſalmus aliquis totus quantus eſt, luculenter enarret, quod utique cauſabatur Cardinalis Quignonius, ut fixam illam & invariabilem cujuſcunque Feſti occurſu Pſalmorum in ſuo Breviario collocationem adſtrueret; ſed ſatis eſt teſte Gavanto *ſect. 5. cap. 8. num.* 19. ſi verſus unus, aut alter ad rem faciat, iſque idem ut plurimùm pro ejuſdem Pſalmi Antiphona excerpitur, ut in Feſto S. Laurentii, verſus ille Pſalmi 16. *Igne me examinaſti &c.* Nam & cùm Antiphonæ cantus Pſalmo tonum imponat, quidni rectè etiam ſenſus illius Pſalmum ipſum feſto, quod agitur, totum aptare dicendus eſt?

Quid requiritur in Pſalmo, ut ſit feſti alicujus proprius.

Gavantus.

Quia verò unius ejuſdemque Pſalmi plures verſus pluribus ac variis feſtivitatibus in bono ſenſu poſſunt accommodari, hinc vera eſt Durandi obſervatio *lib. 5. cap.* 2. *numer.* 18. nihil repugnare unum eumdemque Pſalmum multarum plerumque feſtivitatum eſſe proprium.

Pſalmus unus plurium feſtorum poteſt eſſe proprius. Durandus.

QUÆSTIO II.

Quot, & quibuſnam Horis aſſignandi Pſalmi proprii?

PSalmorum, prout in Pſalterio diſpoſiti ſunt, duplex eſt ratio. Sunt enim aliqui certis locis addicti, à quibus nunquam dimoventur; alii è contra mutabiles, adeò ut modò hi modò iſti recitentur.

Primi generis ſunt Pſalmus *Venite exultemus Domino*, initio Matutini ante Nocturnos ſemper dici ſolitus, præterquam in die Epiphaniæ & Triduo majoris hebdomadæ. Pſalmi *Dominus regnavit* & *Miſerere*, quorum alteruter ſemper primus eſt Laudum, hic ferialium, ille feſtivarum. Pſalmi *Deus Deus meus*, & *Deus miſereatur noſtri*, qui ſimul juncti tertium ſemper in Laudibus locum obtinent; ut & quintum Pſalmi *Laudate Dominum de cælis*, *Cantate*, & *Laudate Dominum in ſanctis ejus*, itidem juncti. Pſalmus *Deus in nomine tuo*, & qui eum ſequitur, *Beati immaculati* per partes ſectus, Horas Primam, Tertiam, Sextam & Nonam quolibet die occupant. Itidemque Completorium Pſalmi *Cum invocarem*, *In te Domine ſperavi* (haud integer hic,) *Qui habitat*, & *Ecce nunc benedicite*.

Pſalmi immutabiles.

Hi numero quatuordecim nunquam in alios mutantur, nec alii eum ipſis (exceptis Pſalmis *Cum invocarem*, & *Qui habitat*, qui extra Completorium mutabiles ſunt) adeòque iidem in quocunque Officio quotidie recurrunt.

Cæteri non item, nam in Officio de Tempore, varii per ſingulos hebdomadæ dies ad Matutinum & Veſperas aſſignantur, videlicet octodecim ad Matutinum Dominicæ, pro qualibet verò Feria, duodecim, & alter qui per ſingulas Ferias ſecundo loco ad Laudes ponitur; alter item qui ad Primam in Dominica & Feriis præterquam Sabbato (erant hi ſex poſtremi in antiquis Breviariis ad Primam Dominicæ omnes inſerti.) Pro Veſperis denique qualibet die, quinque, ſuntque adeo mutabiles hujuſmodi numero 137. Quibus ſi fixos 14. addideris, exurget numerus 151. non ſunt tamen numerandi niſi 150. eo quòd Pſalmus 30. duplicem locum obtineat; hacque demum ratione, nullo occurrente feſto, Pſalterium qualibet hebdomada totum evolvitur.

Pſalmi mutabiles ſeu varii & variè pro Matutino & Veſperis.

Pſalterium totum nulla occurrente feſto, in hebdomada percurritur.

In Officio autem feſtivo diſpar eſt Pſalmorum mutabilium diſpoſitio. Tres enim dumtaxat pro quolibet Nocturno ponuntur, hoc eſt novem pro Matutino, & quinque pro Veſperis, & hi quidem alii & alii, prout feſto cuilibet aptiùs quadrant, nulla habita ratione diei hebdomadæ. Nullis verò opus eſt pro Laudibus & Prima, quæ cùm feſtivæ ſunt, ſemper eoſdem habent Pſalmos; hincque fit ut occurrente vel uno feſto, Pſalterium per hebdomadam diſpoſitum ſemper interrumpatur.

Quot Pſalmi in feſtis diſponendi.

Habes itaque Pſalmos in Feſtis propriis non poſſe aſſignari proprios, niſi in utriſque Veſperis & Matutino, novem videlicet pro iſto, & quinque pro ſingulis illarum, niſi utraſque, quod ſæpè fit, eoſdem habere conveniat: novem, inquam, & quinque, ritu Romano ſeu Canonico; nam Monaſticus uſus plures habet, videlicet in Matutino 12. cum tribus inſuper Canticis, in Veſperis verò quatuor dumtaxat, ſtatuente ſic S. Benedicti

Monaſticus uſus plures habet Pſalmos ad Matutinum quàm Romanus.

nedicti Regula : ſed uſum nos iſtum noſtro haud jam hocce opere attingimus.

QUÆSTIO III.

An Pſalmi omnes apti nati ſint eſſe proprii?

Gavantus. Pſalmorum ordo triplex, Biblicus, Hiſtoricus & Eccleſiaſticus.

Alius eſt Pſalmorum ordo Eccleſiaſticus à Biblico & Hiſtorico, inquit Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 8. *num.* 7. nam Biblicus attenditur ſecundùm numerum, qui in Bibliis cuilibet Pſalmo tribuitur, à primo ad 150. Hiſtoricus ſecundùm tempus, quò quilibet Pſalmus à Davide vel alio quovis authore conſcriptus eſt. Eccleſiaſticus verò, ſecundùm ſitum, quem quiſque obtinet in Pſalterio Breviarii per hebdomadam diſpoſito.

Pſalmi alii Matutinales, alii Veſpertinales.

Juxta verò hunc ordinem alii ſunt Pſalmi Matutinales, alii Veſpertinales. Matutinales ii ſunt omnes qui in Matutino, Laudibus & Horis poſiti ſunt, à primo uſque ad 108. incluſivè, additis item 117. qui eſt ſecundus ad Primam die Dominica, cum ſequenti 118. qui nunquam extra Horas locum habet. Item 142. qui ſecundus eſt ad Laudes Feriæ 6. & tribus ultimis videlicet 148. 149. & 150. qui ultimum locum habent in Laudibus. Veſpertinales verò reliqui per Veſperas dierum hebdomadæ diſpertiti, à 109. qui eſt *Dixit Dominus*, uſque ad 147. qui eſt *Lauda Jeruſalem*. Quatuor verò Completorii Veſpertinales haud aliter dicerim, niſi quòd dicuntur veſpere; nam quatenus locum tres priores quandoque obtinent in Matutino, inter Matutinales potiùs reponendi ſunt.

Nunquam Pſalmi Matutinales pro Veſperis, neque Veſpertinales pro Matutino aſſignantur.

Hac poſita Matutinalium, & Veſpertinalium Pſalmorum diſtinctione, certa eſt hæc regula, uſuque inviolabili omnium Eccleſiarum confirmata, ut nulli unquam Matutinales pro Veſperis, neque viciſſim ulli Veſpertinales pro Matutino aſſignentur. Tantùmque hujuſce rei contrarium exemplum unum reperi in Breviario Rhemenſi, quod in ſecundis Veſperis feſti omnium Sanctorum ponit ultimo loco Pſal. *Laudate Dominum in Sanctis ejus*; habebat quoque idem antiquum Pariſienſe editionis anni 1487. ſed novum id prudenter emendavit.

QUÆSTIO IV.

Quinam Pſalmi Matutinales apti præ aliis Feſtorum eſſe proprii.

Lorinus.

Immenſi eſſet operis, & extra rem noſtram, ſi ſingulorum Pſalmorum applicationis ad certa Officia rationem reddere ſuſciperemus. Hoc ne ipſe quidem Lorinus præſtitit totis ſuis tribus prægrandibus in Pſalmos voluminibus, qui de quolibet quidem obſervat quibus in Officiis recitetur; cauſam verò cur in hoc, magis quàm in alio, conjiciendam relinquit. Conjiciemus nos aliàs ſi Deus dederit. Nunc verò, quod inſtituti noſtri eſt, juvat tantùm Pſalmos proprios deſignare.

Qui Pſalmi feſtis Myſteriorum aptiores.

Et quidem quod ad Myſteria attinet, cùm cuncta ab Eccleſia celebrentur, habent ſuos quoque Pſalmos in Breviario ſuis locis deſignatos: quòd ſi aliqua præterea ab aliquibus inducantur, putà Nominis Jeſu, Coronationis Chriſti, Quinque plagarum &c. erit induſtriæ eorum, qui ejuſmodi Officia compingunt, accuratum quoque in his Pſalmorum delectum adhibere. Nam etſi, quod frequenter intonant SS. Patres, Pſalmi omnes ad Chriſtum ſpectent, & in ejus perſona quodammodo loquantur, cùm tamen par non ſit nec idem omnium argumentum, ſunt in quibus certa myſteria expreſſiùs, atque uberiùs, quàm in aliis enarrantur, adeò ut ſicut Pſalmi 44. 71. 84. &c. ad Incarnationis Myſterium propiùs pertinent, ad Paſſionem verò 21. 54. 58. & ad Reſurrectionem 2. 15. 29. ad Aſcenſionem 46. &c. ita alii ad alia. Qua de re legenda eſt pulcherrima S. Athanaſii ad Marcellinum Epiſtola, ubi Pſalmorum omnium argumenta percurrens, quatenus videlicet ſinguli pro diverſis occaſionibus ſunt uſurpandi, alios vocat enarratorios, alios admonitorios, vaticinatores alios, alios invocatorios, alios qui objurgant, minantur, terrent, alios qui Beatitudinem prædicant, virtutes extollunt, qui jubilant, qui gratias agunt, &c. Ex his itaque Matutinales novem ſeligendi erunt, qui ad occurrentem feſtivitatem opportuniſſimi omnium videbuntur.

Graſſet. Heortologia.

S. Athanaſius.

Qui Pſalmi in Feſtis Sanctorum ſeligendi?

In Feſtis verò Sanctorum, vix eſt delectus ille Pſalmorum Matutinalium neceſſarius, cùm in quolibet Communi habeantur apti pluſquam ſatis, ut ſuperfluum ſit alios eorum loco ſubrogandos comparare; præterque exemplum S. Laurentii, cui unus valdè proprius addictus eſt, videlicet 16. item S. Martini, cui Pſalmi unius Martyris; ac denique SS. Agnetis, & Agathæ, quibus in primo & ſecundo Nocturno de uno item Martyre, in tertio verò ſelecti tres alii attributi ſunt; in nullo caſu alii quàm de Communi aſſignantur; ſed nec in propriis uſibus quidquam ullibi ſecùs factum obſervavi. Si quis tamen fortè Pſalmus eſt qui Sancto alicui, quacumque tandem ratione legitima, meliùs quadrare judicetur; eſto, ſeligatur ille, ſi lubet. At monitione hac haud opus eſſe puto, vix ſeligendum ullum ex longioribus illis, quales ſunt 36. 88. 102. & pares alii, qui poſſent quandoque non malè convenire, cùm non deſint Breviaria quædam propria, in quibus Pſalmus ille 88. *Miſericordias Domini*, Myſterio Nativitatis congruus admodum, mutatus ſuit in 86. *Fundamenta ejus*, non eum quidem magis aptum, ſed longè breviorem. Sic quippe amant aliqui *corripi in miſericordia*.

QUÆSTIO V.

Quinam Veſpertinales?

Pſalmi iidem ubique in tribus Veſperis.

In hac conveniunt omnes Eccleſiæ, ut quinque Pſalmos eoſdem habeant in ſecundis Veſperis Nativitatis Domini, ſecundis item Apoſtolorum, & in utriſque Corporis Chriſti, quòd videlicet Antiphonæ ex iiſdem Pſalmis depromptæ eædem ubique ſint. In aliis verò magna varietas eſt, quam lubet hic obſervare.

Aliqui uſi Pſalmos feriales adhibent in Veſperis feſtorum.

Primò: Omnibus propè Galliæ noſtræ Eccleſiis olim in uſu erat in utriſque Veſperis Pſalmos feriales, in quibuſcunque feſtis etiam ſolemnioribus Chriſti Domini, & B. Mariæ, conſtanter retinere, iis tantùm exceptis, in quibus eſſent Antiphonæ ex Pſalmis depromptæ. Hunc uſum commendat Radulphus *prop.* 9. quem ſervant adhuc in ſuis recognitis Breviariis, nobiliſſimæ Eccleſiæ, Carnutenſis, Ambianenſis, S. Martini Turonenſis, & aliæ.

Alii Pſalmos quinque à laudatione incipientes.

Radulphus.

Secundò: Aliis uſui ſunt in primis Veſperis ſaltem Feſtorum ſolemniorum ſeu duplicium majorum, Pſalmi quinque Laudativi, hoc eſt incipientes à verbo *Laudate*, videlicet, *Laudate pueri*. *Laudate Dominum omnes gentes*. *Lauda anima mea Dominum*. *Laudate Dominum quoniam bonus*; & *Lauda Jeruſalem*. Ita Breviarium Ordinis Prædicatorum, quod in Galliæ Eccleſiis fuiſſe frequentiſſimum innuit idem Radulphus loco citato. *Gallici*, inquit, *in majoribus feſtivitatibus per Pſalmos Laudate ſolemnizant*. An quia ſunt hi quinque Allelujatici, ſeu *Alleluja*, pro titulo habentes? ſed & multi alii ſunt iis priores & poſteriores. Judæi quidem moderni primum ex illis quinque, videlicet 112. vocant *Alleluja magnum*, ſeu Hymnum magnum in tribus magnis feſtivitatibus recitandum. Sed quid hoc ad Veſperas noſtras? Crediderim magis

S. Athanaſius.

ritum hunc ex citata ſuperiùs Athanaſii Epiſtola ad Marcellinum fuiſſe deductum; nam ut ille Pſalmos ſex à Beatitudine ordientes, ſeu ut vocat *μακαρισμὸν ἀναφωνοῦντας* ſimul collegit, videlicet 1. 31. 40. 111. 118. & 127. Itidem & *ἢ αἶνον ἀναγγέλλοντας*, hoc eſt laudationem primo ſtatim vocabulo denunciantes. Sunt autem ſupradicti illi quinque cum uno alio, quos haud dubiè obſervarunt primi hujuſce ritus authores, ac tanquam laudando Deo in majoribus feſtivitatibus admodum aptos, in Veſperis (ſiquidem omnes ſunt Veſpertinales) cantandos decrevere.

Pſalmi Veſperarum dies Nativitatis Domini, ab aliquibus uſque ad Octavam Epiphaniæ prorogari.

Tertiò: Pſalmos de die Nativitatis Domini, videlicet *Dixit*. *Confitebor*. *Beatus vir*. *De profundis*. *Memento*, uſurpabant olim ferè omnes Eccleſiæ, cum Antiphonis, uſque ad Octavam Epiphaniæ incluſivè. Pleræque etiam ſub aliis Antiphonis, in Feſto Aſcenſionis Domini, & in omnibus Feſtis B. Mariæ. Ita Aurelianenſe vetus, & Conſtantienſe etiam modernum.

Alii à Romano Pſalmi in ſecundis Veſperis Feſtorum de Sanctis.

Quartò: Varios in ſecundis Veſperis à Romano Pſalmos plerique habent antiqui uſus, ac nonnulli etiam moderni, videlicet pro uno Martyre, *Dixit Dominus*. *Beatus vir*. *Laudate*. *Credidi*. *In convertendo*. Ita Breviarium Ordinis Prædicatorum; & Bituricenſe vetus pro quocunque Communi, præterquam Apoſtolorum. Pro pluribus Martyribus, *Dixit*. *Confitebor*, vel *Laudate Pueri*. *Credidi*, *In convertendo*. *Eripe me Domine*. Ita eadem Ordinis Prædicatorum, & Bituricenſe vetus. Pro Confeſſore Pontifice, *Dixit*. *Beatus vir*. *Laudate pueri*. *Credidi*. *Memento*. S. Martini, & Bituricenſe vetus. Pro Confeſſore non Pontifice, eoſdem, niſi quòd loco *Credidi*, Bituricenſe vetus habet, *In convertendo*. Ordo verò Prædicatorum pro Confeſſore tam Pontifice quàm non Pontifice eoſdem habet ac pro uno Martyre. Pro Virgine ponebat Bituricenſe vetus Pſalmos omnes feriæ 3. In Dedicatione Eccleſiæ Turonenſe habet Pſalmos, *Lætatus ſum*. *Qui confidunt*. *Niſi Dominus ædificaverit*. *Laudate Dominum quoniam bonus*. *Lauda Jeruſalem*. Præmonſtratenſe, *Lætatus*. *Niſi Dominus*. *Memento*. *Confitebor* &c. *quoniam* &c. *Lauda Jeruſalem*. Ordo verò Prædicatorum, *Credidi*. *Lætatus ſum*. *Niſi Dominus*. *Laudate Dominum quoniam bonus*. *Lauda Jeruſalem*. Bituricenſe antiquum, *Dixit*. *Lætatus*. *Qui confidunt*. *In convertendo*. *Lauda Jeruſalem &c.*

Pſalmis in primis Veſperis Feſtorum uſu Romano.

Eſt quidem in Pſalmis illis omnibus cauſa aliqua ob quam ſic aſſumerentur in prædictis uſibus aliiſque plurimis. Verùm exiſtimarunt quibus corrigendorum Breviariorum cura poſtmodum demandata eſt, æquius longè eſſe in hoc ſe ut in reliquis Romano etiam uſui conformare, qui ſic habet. In primis Veſperis quorumcunque feſtorum (exceptis tantùm Corporis Chriſti, B. Mariæ, Sanctarumque Virginum & non Virginum, ac Dedicationis Eccleſiæ) ſumuntur ſemper Pſalmi quatuor priores de Dominica; quintus verò, *Laudate Dominum omnes gentes*, is quidem omnium breviſſimus, ſed qui *compendio ſuæ locutionis*, ut ait Caſſiodorus, *omnes exſuperet, & cum ſit atomus aliarum puncti referat dignitatem, à quo linea oritur: nihil enim amplius dici poteſt, quàm ut Creator debeat toto orbe laudari*; unde eſt Pſalmus iſte arctus ſimul & latiſſimus ac ſine fine coangustus.

Elogium Pſalmi 116. ex Caſſiodoro.

Pſalmi in ſecundis Veſperis.

Elogium Pſalmi 109. ex eodem Caſſiodoro.

In ſecundis autem Veſperis, in quocunque Feſto tam Chriſti Domini quàm Deiparæ & Sanctorum, primus Pſalmus eſt *Dixit Dominus*, quem non incongruè idem Caſſiodorus comparat cum principio Evangelii S. Joannis, vocatque *ſolem fidei noſtræ*, *ſpeculum cæleſtis arcani*, *armarium Sanctarum Scripturarum, ubi totum ſummatim dicitur, quod utriuſque Teſtamenti prædicatione narratur*. Hunc in Feſtis Sanctorum ferè ſemper excipiunt tres alii ſequentes, & loco ultimi ponitur vel *Credidi* pro Martyribus, vel *Memento* pro Confeſſoribus Pontificibus, vel *Laudate Dominum omnes &c.* pro non Pontificibus, vel denique *Lauda Jeruſalem*, pro Dedicatione Eccleſiæ. In Feſtis verò Apoſtolorum & Virginum, ſicut & in Feſtis Domini, alii & alii prout ſuis locis notantur: quorum omnium rationes referre neque jam otii mei eſt, nec verò etiam inſtituti.

Pſalmi Veſperarum in Feſtis Sanctorum, non aliunde quàm de Communi ſumendi.

Satis mihi eſt hinc eruere in nullis Feſtis Sanctorum, Pſalmos alios pro utriſque Veſperis aſſignari quàm de Communi (Sanctas ad ſummum Agnetem & Agatham excipe,) ut tu univerſim concludas, neque in feſtis propriis aliter fieri debere. Et verò ſi quis Pſalmus Sancti alicujus dici poteſt proprius, omnium maximè S. Franciſci 141. *Voce mea ad Dominum*, quem ipſe moriens pronunciavit, animamque in ejus extremis verbis efflavit, *Me expectant juſti donec retribuas mihi*. Unde & *Franciſcanus Pſalmus* à Lorino appellatur; nec tamen hunc ſelegit Eccleſia in Sancti hujus feſto, ultimo loco in ſecundis Veſperis recitandum, quod tamen alienum adeò non fuiſſet. In feſtis verò de Chriſto Domino, Pſalmi in utriſque Veſperis vel ſumendi ex aliis ejus conſimilibus ſolemnitatibus, vel certè opportuniores Myſterio quod memoratur, ſeligendi.

QUÆSTIO VI.

Quo ordine tam Matutinales quàm Veſpertinales inter ſeſe collocandi?

Priores numero Pſalmi ante poſteriores reponendi.

RESpondeo ordine Biblico, adeò ut qui ſecundus eſt numero verbi gratia ponatur ante Octavum, & hic ante decimum, & ſic conſequenter de aliis. Verum quidem eſt non ſervari hunc ordinem inter Pſalmos ſtatos; nam Pſalmus *Dominus regnavit*, v. g. qui eſt 92. ponitur in Laudibus ante Pſalmum *Deus Deus meus* qui eſt 62. & Pſalmus *Miſerere* qui eſt 50. ante Pſalmum *Verba mea*, qui eſt 5. ſed id fit quòd ſuis illi ſedibus ſint affixi, nec ab iis unquam dimoventur. Item Pſalmus 91. *Bonum eſt confiteri* ponitur in Nocturno Sabbati poſt *Cantate & Dominus regnavit iraſcantur* ipſo poſteriores; at non ſuam ibi ſedem occupat Pſalmi *Jubilate*, cum quo mutatur, quando fit de B. Maria. In reliquis nunquam reperire eſt ejuſmodi tranſpoſitiones; unde & in Feſto Epiphaniæ Pſalmus *Deus noſter refugium*, qui olim in tertio Nocturno cantabatur ob myſteria, quæ elucidat Durandus *lib. 6. cap. 16. num. 10.* reſtitutus eſt primo Nocturno cum ſua Antiphona quantumvis Allelujarica, ordine videlicet quem illius numerus exigebat. Qua item ex cauſa non placet admodum uſus antiquus; necnon etiam modernus aliquarum Eccleſiarum, quæ in Feſto omnium Sanctorum Pſalmos ad Matutinum non pro numeri uniuſcujuſque ratione collocant, ſed prout diverſis Sanctorum ordinibus tribuuntur, putà Pſalmus 102. *Benedic anima mea Domino*, qui de Angelis eſt, ante Pſalmum 18. *Cœli enarrant*, qui eſt de Apoſtolis &c. Culpandi adhuc magis ſunt qui ordinem illum in Veſperis perverterent; quod ut caveatur, lubet caput hoc de Pſalmis concludere obſervatione ſitus, quem uſu Romano ſinguli occupant in feſtivis Veſperis.

Durandus.

Pſalmi ordine præpoſtero in Feſto omnium Sanctorum, in quibuſdam uſibus collocati.

Situs Pſalmorum Veſpertinalium uſu Romano.

Pſalmus *Dixit Dominus*, ſemper primum locum occupat. *Confitebor* & *Beatus vir*, nunquam niſi ſecundum & tertium. *Laudate pueri*, vel quartum, vel ſecundum. *In exitu*, quintum. *Credidi*, tertium, vel quintum. *Laudate Dominum omnes gentes*, nullum niſi quintum. *Lætatus ſum*, tertium. *In convertendo*, quartum. *Niſi Dominus*, quartum. *Beati omnes*, quartum. *De profundis*, quartum. *Memento*, *Confitebor tibi Domine in toto corde meo quoniam*, *Domine probaſti*, & *Lauda Jeruſalem*, quintum.

S E.

SECTIO II.

DE materia divini Officii, quando propria habetur in Feſtis propriis, egimus hactenus; ſed quia ſæpiùs ad Commune recurritur, de eadem iterum ſermo habendus, quatenus vel ex toto, vel ex parte de Communi ſuppletur.

CAPUT VIII.

De Communi Sanctorum in genere.

POſitum eſt ad calcem Breviarii Commune Sanctorum, Apoſtolorum videlicet & Evangeliſtarum, unius & plurimorum Martyrum, Confeſſoris Pontificis & non Pontificis, Virginum & non Virginum, poſtremò denique Dedicationis Eccleſiæ, eo fine ut ex quolibet ſuppleantur quæ in quibuſcunque Sanctorum Feſtis propria deſunt, juxta cujuſlibet ſtatum & qualitatem. Hoc autem cùm in feſtis propriis, perinde atque in aliis, imò plerumque etiam magis neceſſarium ſit, docendum continuò, qua id ratione præſtari debeat; & primò quidem in genere, deinde in particulari ſingula Sanctorum Communia percurrendo.

QUÆSTIO I.

Qua ratione univerſim ſupplenda de Communi quæ deſunt propria?

Officium de Communi ſumendum, vel totum, ſi nihil adſit proprium, vel ex parte, ad ſupplendum quod deeſt.

REſpondeo, ſumendo ipſum Officium de Communi, ſive totum, quando nihil adeſt proprium, ſive partes à propriis reſiduas. Nam aliquando eſt tantùm Oratio propria, aliquando Lectiones ſecundi Nocturni tantùm, ſive una, ſive duæ, ſive tres, aliquando etiam Homilia, & tunc reliqua omnia de Communi ſumenda ſunt. Quando verò habetur Hiſtoria propria, ſi eſt integra, ſeu conſtet omnibus Antiphonis & Reſponſoriis, reſtabit tantùm accipere de Communi Pſalmos, Capitula, Hymnos & Reſponſoria brevia cum Verſibus; imò nec iſta accipienda erunt, ſi omnia vel aliqua illorum habeantur propria. Si verò non eſt integra hiſtoria, ſed partes aliquæ dumtaxat, puta Antiphonæ ad *Benedictus* & *Magnificat*, aut ad Laudes &c. his expletis recurrendum erit pro reliquis ad Commune.

Hoc tamen obſerva: Antiphonas Laudum proprias uſui quoque eſſe debere in utriſque Veſperis. Item in Nocturnis non ſolùm dari Antiphonas aliquot tantùm proprias, ſed vel omnes, vel nullas. Secùs de Reſponſoriis; nam aliquando habentur tantùm duo vel tria propria, in Feſtis S. Luciæ, S. Clementis, SS. Joannis & Pauli, & Decollationis Sancti Joannis Baptiſtæ; & tunc reliqua erunt de Communi, eo ordine quo deſcripta ſunt, putà quartum, quintum &c. In Feſto tamen S. Luciæ poſt tria Reſponſoria propria, pro quarto ſumitur quod eſt primum Virginum, & pro quinto quod eſt ſecundum, & ſic deinceps. An & liberum eſt eodem uti delectu in feſtis propriis? Cur non verò, ſi quid eſt in textu unius, propter quod magis conveniat quàm aliud? ſecùs ſi paria ſint omnia. De Lectionibus non item, nam expletis propriis, reſiduæ ſic de Communi accipiendæ ſunt, ut ſemper ponatur initium Sermonis, ſumpta pro quinta Lectione quæ eſt quarta, & pro ſexta quæ eſt quinta &c.

QUÆSTIO II.

Qua ſeligenda Oratio de Communi?

Prior Oratio ſumenda ordinariè.

EX duabus, quæ in quolibet Communi poſitæ ſunt, ſi qua jam eſt uſu recepta, haud temerè illa mutanda; ſi verò integra eſt adhuc optio, priorem accipe, juxta quod fit ut plurimùm in Breviario pro Sanctis recenter additis. Sin tibi videtur aptior altera, illam prælige, ac cave ut eamdem in Miſſa recites, eamdemque item ſequentibus annis retineas. Eſt item unum hîc ad quod nunquam tu fortè niſi monitus advertas, videlicet, quando Sancti alicujus, non dies Natalis, ſed Tranſlatio, aut aliqua ſimilis ſolemnitas recolitur, haud ſumendam Orationem, in qua habetur vox *Natalitia*, ut ſunt in Communi unius Martyris Orationes *Deus qui nos annua*, & *Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut qui &c.* in Communi plurimorum Martyrum, *Deus qui nos concedis*, in Communi Confeſſoris non Pontificis, *Deus qui nos Beati*, in Communi Virginum, *Deus qui inter cætera &c.* Ratio ipſa per ſe tacita ſatis loquitur.

Vitanda vox Natalis in Feſto Tranſlationis, & aliis ejuſmodi.

QUÆSTIO III.

Qua ſeligendæ Lectiones ſecundi & tertii Nocturni?

Sermo qui aptior videbitur ſeligendus.

PRo Lectionibus ſecundi Nocturni itidem ut de Oratione reſpondendum. Ex duobus videlicet Sermonibus, qui in quolibet Communi habentur, vel primum, vel ſecundum, ſi magis arriſerit, accipe: Imò & aliquem, ſi lubet, ex Octavario Gavanti, prout diximus ſuprà *cap.* 3. *quæſt.* 10. At ſcias tibi quotannis, quemcumque ſelegeris, eumdem deinceps eſſe retinendum.

Homilia verò pro tertio Nocturno ſemper ſumenda in Evangelium, quod in Miſſa legendum eſt; de quo ſi nulla habetur Homilia in Communi, recurrendum erit ad alia feſta, quibus idem Evangelium in Breviario tributum eſt, videlicet pro Evangelio, *Nihil opertum*, ad Feſtum S. Polycarpi: pro Evangelio, *Niſi granum frumenti*, ad Feſtum S. Laurentii: pro Evangelio, *Sedente Jeſu*, ad Feſtum S. Januarii: pro Evangelio, *Videns Jeſus turbas*, ad Feſtum Omnium Sanctorum: pro Evangelio, *Confiteor tibi Pater*, ad Feſtum S. Mathiæ: pro Evangelio, *Attendite à fermento*, ad Feſtum SS. Joannis & Pauli: pro Evangelio *Nemo accendit lucernam*, ad Feſtum S. Martini: pro Evangelio, *Homo quidem nobilis*, ad Feſtum S. Ludovici. Denique pro Evangeliis, de quibus nulla eſt in toto Breviario Homilia, ſupplebit ipſum, quod laudavi mox, Octavarium.

Homilia aſſumenda in Evangelium quod in Miſſa legitur.

QUÆSTIO IV.

Quandonam ſumendæ ſunt in Feſtis propriis Lectiones de Scriptura in quolibet Communi poſitæ?

Lectiones de Scriptura poſitæ in quolibet Communi leguntur in feſtis propriis ſolemnibus, hoc eſt duplicibus primæ & ſecundæ claſſis, fortè etiam majoribus. Gavantus.

IN triplici caſu. Primò: *Quando feſtum aliquod ſolemniter in aliqua Eccleſia celebratur*, ait Rubric. XXVII. *de Lectionibus nu.* 9. Quid verò eſt *ſolemniter*? An quòd ſit tale feſtum primæ claſſis, quale eſt Patroni ſeu Tituli? Omnino. An quòd ſit etiam ſecundæ claſſis? Aſſerit Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 12. *nu.* 15. eique planè aſſentior; imò & do lubens quod ille ſubdit, in feſtis etiam Patronorum minùs principalium, quæ ritu Duplicium majorum celebrantur; de his enim omnibus dici poteſt quòd ſolemniter celebrentur. Sed an etiam de quibuſcunque Duplicibus, ut in iis legantur ejuſmodi Lectiones? Non planè, cùm enim non quæcunque Duplicia poſita in Breviario id juris habeant,

oportet iis ſolemniora eſſe feſta propria, quibus id à Rubrica tribuitur; nulla autem major ſolemnitas afferri poteſt, quàm ut ſint ſaltem duplicia majora per annum.

Item leguntur, quando in feriis currentis deſunt de Scriptura.

Secundò: Si feſtum proprium occurrat in Quadrageſima & Quatuor Temporibus, in ſecunda feria Rogationum & in Vigilia Aſcenſionis (quibus utique diebus non aſſignantur Lectiones de Scriptura, ſed de Homilia) quodcunque fuerit feſtum illud, etiam Semiduplex, legendæ erunt in eo Lectiones poſitæ in Communi. *Ita eadem Rubr.*

Item quando habetur hiſtoria propria.

Tertiò: Leguntur eædem Lectiones in omni item feſto proprio etiam Semiduplici, quod habet hiſtoriam propriam. Nulla id equidem Rubrica præcipit, ſed colligitur à pari de feſtis Semiduplicibus S. Agathæ, SS. Joannis & Pauli, S. Cæciliæ, & S. Clementis, in quibus aſſignantur Lectiones de Communi, ſanè non aliam ob cauſam, quàm quòd habeant Reſponſoria propria, quæ verè dicuntur hiſtoria. Eſt quidem rarum id & infrequens, cùm ex dictis *cap. 1. quæſt.* 13. hiſtoria propria vix niſi in feſtis Patronorum principalium ſit admittenda.

QUÆSTIO V.

An fas ſit ex alieno Communi aliquid tranſumere?

Nihil in uno Communi ab alio deſumitur, niſi interdum Homilia in Evangelium.

PUta ex Communi Apoſtolorum aliquid pro Martyribus, aut ex his pro Confeſſoribus. Vix id obſervo fieri unquam in Officio, niſi quoad Homiliam, propter Evangelium, quod ex uno Communi nonnunquam transfertur ad aliud; ſic Evangelium, *Ecce nos reliquimus omnia*, proprium Apoſtolorum, tribuitur quoque Abbatibus; & Evangelium, *Confiteor tibi Pater*, poſitum in Miſſali pro pluribus Martyribus, legitur etiam in Feſto S. Mathiæ. De Evangelio, an quid ſimile fas ſit in feſtis propriis, quæretur infrà, ubi de Miſſa. Certum verò illud eſt Homiliam ſemper debere eſſe ſuper Evangelium quod in Miſſa legitur. At pro reliquo Officio, nuſquam in uſu ſunt ejuſmodi tranſumptiones; nam Reſp. *Vidi conjunctos viros*, (quod unum exemplum opponat quis) tam dici poteſt primò & per ſe SS. Joannis & Pauli proprium, quàm de Communi Apoſtolorum tranſumptum. Et verò magnum plerumque eſſet in ejuſmodi tranſumptionibus falſitatis periculum.

QUÆSTIO VI.

Quid agendum ſi aliqua de Communi Sancto proprio minùs bene conveniant?

FEcit dubium hoc, ut in Feſto SS. Innocentium mutata fuerit in poſtrema Breviarii recognitione Octava Antiphona Matutin. quòd iſtud, *Tradiderunt corpora ſua in mortem ne ſervirent idolis*, minùs verè de Sanctis illis infantibus diceretur. Similiter mutatus eſt Verſus ille Hymni Confeſſorum, *Hac die lætus meruit beatas ſcandere ſedes*, ſi non eſt dies obitus, in iſtum, *Hac die lætus meruit ſupremos laudis honores*. At vix eſt proferre plura ejuſmodi, aut ſi qua ſunt, in quolibet Communi ſeorſim diſcutientur.

QUÆSTIO VII.

An in quolibet Communi poſſint retineri ex antiquo uſu, vel admitti de novo aliqua, præter ea quæ poſita ſunt?

Nulla cauſa eſt quidquam ex antiquo uſu retinendi, ne-

VErbi gratia, Hymni aliqui, aut Antiphonæ, aut Reſponſoria? Quorſum verò id? An quia præſtant antiqua illa vel nova? Scilicet. An Officiis illis de Communi deeſt aliquid? Imò quodlibet illorum completiſſimum eſt. Habet quidem uſus Monaſticus pluribus opus Antiphonis & Reſponſoriis, ſed nec iſta deſiderantur in Breviario Monaſtico, Romano illo penitus, ſed ad Monaſticum ritum conformato. Diſcrepant etiam in aliquibus Breviaria propria Diœceſum, (quibus ex jure integra adhuc ſuperſunt) à Romano hac in parte, ut in aliis; At propria illa ſunt, propriiſque Antiphonariis ob cantum accommodata. Tibi verò qui Romano adſtringeris, quodnam jus eſſe poteſt ipſum in hac ſui parte contra Decreta Pontificum immutandi?

que ſimiliter ex non inducendi.

Uſus Romanus omnium accuratiſſimus.

Haud tamen dedignabor in ſingulis Communibus, aliena illa curſim evolvere, ut vel ex hoc conſtet, quàm congruus ſit accuratuſque præ aliis noſter uſus Romanus, poſtquam noviſſimam illi manum adhibuere Summi Pontifices Pius V. Clemens VIII. & Urbanus VIII. ad quem cæteras deinceps Eccleſias ſic juvat propiùs accedere, ut ab eo in nullo, aut certè nonniſi in paucis, quantum fieri poteſt, diſcrepent.

CAPUT IX.

De Communi Apoſtolorum.

UT gradu ac dignitate cæteris Sanctis præſtant Apoſtoli, ſic eorum Commune Officium debuit primum omnium collocari. Miratus ſum in antiquo Breviario Silvanectenſi Commune Evangeliſtarum, quod diverſum planè eſt, præferri Communi Apoſtolorum. Non eſt huic controverſiæ locus in Breviario Romano, in quo utriſque idem Commune tribuitur, ex mente S. Clementis *lib. 8. Conſtit. Apoſt. cap.* 39. ait Gavantus *ſect. 8. cap. 1. num. 1.*

S. Clemens, Gavantus.

QUÆSTIO I.

Quibus competat Commune Apoſtolorum?

Nullis Sanctis tribuendum Officium Apoſtolorum, niſi Apoſtolis & Evangeliſtis.

PRæter undecim ac Paulum à Chriſto Domino vocatos, Judæque loco ſubrogatum Mathiam, & adjunctos ipſis Barnabam, Lucam, & Marcum, nullis Sanctis aliis tribui debet Apoſtolorum Officium, quantumcumque appellatione Apoſtoli, ſive in Panegyricis, ſive etiam in Martyrologio tabuliſque Eccleſiaſticis decorentur. Vide dicta ſuperiùs *lib. 2. cap. 7. quæſt.* 5. ubi eos dumtaxat excepi, de quibus Officium apud quaſdam antiquas & inſignes Eccleſias, uſu pridem recepto, legitimaque authoritate ſtabilito, ut de Apoſtolis fieri conſuevit, puta Arelate de S. Trophimo, Lemovicis, Pictavis, & alibi, de S. Martiale, & in Eccleſia Cenomanenſi de S. Juliano.

Paucis aliis ex uſu recepto Eccleſiarum particularium.

Tribui debet feſtis eorundem ſecundariis.

Tribui verò debet haud dubiè Translationi aliiſque Feſtis ſecundariis Apoſtolorum, eorum videlicet, quorum aliud Officium non eſt quàm de Communi, putà Jacobi, Bartholomæi, Simonis &c. Nam quibus eſt Officium proprium, uti Petro, Paulo, Andreæ, & Joanni, Officium ipſum proprium æquè in ſecundario feſto recitari debet atque in primario, ſaltem quoad hiſtoriam, ut dictum eſt ſuprà *cap. 1. quæſt.* 19. niſi cùm & ipſa feſta ſecundaria incidunt tempore Paſchali, uti incidit Translatio S. Andreæ, *9. Maji*; tunc enim præſtare Officio proprio Commune Apoſtolorum Temporis Paſchalis, demonſtrat exemplum S. Joannis ante Portam Latinam, uſuſque Eccleſiæ Abrincenſis in caſu prædicto Translationis S. Andreæ. E contra verò cùm Officium proprium S. Philippi ad tempus Paſchale pertineat, ſi fortè de eodem fiat alicubi feſtum aliquod extra tempus Paſchale, congruentius videtur, non ipſum Officium proprium,

Uſus Abrincenſis.

quod

quod nec in cantu Chori, nec verò etiam in privata recitatione facilè ſejungi poteſt ab intertexta paſſim voce *Alleluja*, ſed totum de Communi accipi debere.

Quod Officium tribuendum feſtis S. Petri & S. Pauli.

In Feſtis S. Petri & S. Pauli, ſi quæ propria alicubi occurrant, Officium ſumi debet, ut in aliis eorumdem feſtis, videlicet S. Pauli, ut in Commemoratione ejuſdem, S. Petri, ut in die Natali, niſi quòd alia Oratio accipienda eſt, videlicet *Deus qui B. Petro &c.* & in ſecundis Veſperis loco Antiphonæ ad Magnificat, *Hodie Simon Petrus*, ſumenda Antiphona, *Solve jubente Deo*. Cætera perbenè conveniunt, ac longè meliùs quàm quod habet Uſus Pictavienſis in Feſto Relationis Reliquiarum S. Petri de Anglia 27. *Auguſti*, ut in ejuſdem Cathedra.

Uſus Pictavienſis.

QUÆSTIO II.

Eſtne aliquid in Communi Apoſtolorum quod alicui minùs quadret?

Schultingius.

Nihil planè; ſunt enim omnia ſelectiſſima, ac ſupremæ Apoſtolorum dignitati celebrandæ longè aptiſſima, uti demonſtrat Cor. Schultingius ſingulorum fontes referens *tomo* 2. *parte* 1. *item tomo* 4. *parte* 2. Niſi quis fortè id unum carpat, quòd numero plurali pronunciata, uni ſeorſim minùs bene conveniant. Sed reſpondet Gavantus *loco citato num.* 2. Apoſtolorum Chorum ita eſſe unum, ut qui unius celebrat feſtum non excludat alios. Adde quòd, ut habetur in Proprio aliquo, *Sacramentum regni cæleſtis uno ſpiritu prædicantes, doctrinam ſuam morte fortiſſima conſecrarunt.*

Gavantus. In Officio Apoſtolorum in plurali dicta, etiam uni conveniunt.

E contrà quæretur alius Antiphonas 7. & 8. Matut. 1. 2. & 3. in ſecundis Veſperis, cùm ſint ſingularis numeri, pluribus haud convenienter aptari, ob idque aliquas illarum in antiquo Cluniacenſi Breviario, aliiſque Monaſticis inveniri mutatas; ſed nihil hoc obeſt, ſatis enim pluribus iſta conveniunt, ſi de unoquoque ſeorſim verè enunciantur.

QUÆSTIO III.

Quæ cavenda in hoc Officio?

Retinendum Alleluja poſt Septuageſimam.

Hoc unum tantùm, ut poſt Septuageſimam omittatur *Alleluja*, in tribus Antiphonis tertii Nocturni, (de quibus videndus Amalarius *de ordine Antiphonarii cap.* 59.) & in Antiphona ad *Magnificat* in ſecundis Veſperis. Bituricenſe antiquum tres alias habebat Antiphonas pro tertio Nocturno in Feſto S. Matthiæ, ſed præſtat facilitate omiſſio vocis *Alleluja*; cujus loco repoſitum obſervavi in Ratiſponenſi Breviario, ad 7. Antiphonam, *in æternum*, ad 9. *quæ dedit eis*: pro octava verò, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*.

Brev. Bitur. Ratiſponenſe.

QUÆSTIO VI.

In quibus differant à Romano Breviaria propria, quoad Commune Apoſtolorum?

Antiphonæ in primis Veſperis.

Primò: Habent pleraque Antiphonas in primis Veſperis, ex variis Evangeliorum locis depromptas, nempe *Convocatis Jeſus duodecim Apoſtolis. Vos eſtis qui permanſiſtis mecum. Dum ſteteritis ante Reges. Beati eritis cum vos oderint. Vos qui ſecuti eſtis me.* Ita Senonenſe, Aurelianenſe, Meldenſe &c. non tamen eaſdem omnia, nec eodem ordine. Quid porrò Antiphonæ illæ omnes habent ampliùs quàm Antiphonæ Laudum? Nihil prorſus.

Uſus Senon. Aurelian. Meldenſis.

Antiphonæ ad Magn. & Benedictus.

Secundò: Differunt nonnulla in Antiphonis ad *Benedictus* & *Magnificat*, quæ in aliis & aliis ſunt hæ, *In regeneratione. Tollite jugum. Jam non dicam vos ſervos. Dic nobis quando hæc erunt. Vos eſtis lux mundi. Iſti ſunt Sancti quos elegit. O glorioſi Apoſtoli*. His omnibus æquivalent, niſi & præſtent quæ in Romano habentur.

Alia Reſponſoria.

Tertiò: Sunt & in aliquibus alia à noſtris Reſponſoria, videlicet, *Fuerunt ſine querela. Conſtitues eos. Qui ſunt iſti. Non ſunt loquela*. Hiſce quatuor opus eſt in Monaſtico, *Ibant gaudentes. Vos eſtis lux mundi. Cœli enarrant. Cives Apoſtolorum & domeſtici Dei*. Poſtremum hoc habebant antiqua omnia Breviaria Galliæ, necnon & Germaniæ, retinentque etiamnum aliqua ex recentioribus; ſed annon potiùs eliminandum? Refert Monachus S. Galli lib. 2. de Geſtis Caroli Magni cap. 23. cantatum id fuiſſe à Romanis in laudem Pippini Regis & ſuorum Francorum, cùm is Romam adventaret. Fuerit verò illud inſigne Francorum Gentis encomium: Aſt Apoſtolis tribui non potuit ſine magna vocis abuſione magis quàm alluſione. Sumus nos quidem ex mente Apoſtoli Epheſ. 2. ad quem locum verbis præfatis alluſum fuiſſe videtur, *non jam hoſpites & advenæ, ſed cives Sanctorum & domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum &c.* Apoſtoli verò ipſi nec ſui ipſorum cives, nec adveniſſe pro eo quòd ſunt advenæ; addo conſequenter, nec ſupra ſeipſos ſuperædificari in ullo bono ſenſu dici poſſunt. Hincque videas, quàm non immeritò multa obliteranda magis ſunt, quàm jure antiquitatis pertinaciter retinenda.

Reſp. Cives Apoſtolorum &c.

Quartò: Verſus alios duos tantùm reperi, *Principes populorum*, & *Dediſti hæreditatem*.

Quintò: Senonenſe habet Homiliam S. Ambroſii in Evangelium *Facta eſt contentio*. Luc. 22.

Hymnus Annue Chriſte. Brev. Andeg. Carnut. &c.

Sextò: Hymnum *Annue Chriſte* habent in primis Veſperis Carnutenſe, Andegavenſe, Bajocenſe &c. cui etiam aliqua ut Conſtantienſe & Sylvanectenſe præmittunt in ſingulis Feſtis Apoſtolorum, ſtropham unam per modum invocationis ad Apoſtolum cujus eſt feſtum, ver. gr. *Andrea pie Sanctorum mitiſſime &c.* Quid verò Hymno iſto opus eſt, qui præ aliis, cuique vel leviter perito ſordeat?

Commune Evangeliſtarum aliud à Communi Apoſtolorũ.

Erat denique olim multis in locis uſitatum, eſtque adhuc Senonis, Carnuti, necnon alibi, Commune Evangeliſtarum diverſum penitus à Communi Apoſtolorum; cujus Antiphonæ ad *Magnificat* & *Benedictus*, cum Reſp. omnibus deſumptæ erant ex illa viſione quatuor animalium Ezech. cap. 1. & Apoc. 4. Antiphonæ Laudum *Dilecti Deo & hominibus Evangeliſta &c.* Item & Nocturnorum carptim hinc inde contextæ. Quæ omnia recenſet Cor. Schultingius nuper cit. Capitula quoque vel de textu Ezech. vel ut in Feſto S. Joan. Evangel. Mutant & aliqui in primo Verſu Hymni, *Exultet, Evangeliſtarum gloriam*. Accuratè illa quidem omnia ſatis, & ad SS. Patrum intellectum appoſitè: ſed habentibus in Officio Apoſtolorum, quod ſufficiat, viſa ſunt eſſe ſuperflua; adeò ut nec dicendum judicaverint ſapientiores in Invitatorio, *Regem Evangeliſtarum &c.*

Schultingius.

De Communi Apoſtolorum & Evangeliſtarum tempore Paſchali, agetur infrà commodiùs, ubi de Communi Martyrum, quod totum eſt ferè idem.

CAPUT X.

DE COMMUNI UNIUS MARTYRIS extra Tempus Paſchale.

Non dignitatis, ſed numeri ordine, poſitum eſt Commune unius Martyris, ante Commune plurimorum. Plures enim ut ſic præſtant uni, ſed numerus ſingularis deſcriptione ſemper præit plurali; quamquam in antiquo

Gvyet. Heortologia.

Digitized by Google

Cluniacenſi Breviario aliiſque Monaſticis Commune plurimorum Martyrum poſitum erat ante Commune unius.

QUÆSTIO I.

Quibus competat Commune unius Martyris?

Cuicunque Martyri convenit Commune unius Martyris. MArtyris Titulo, non tantùm decorari eos, qui pro Chriſti confeſſione, quocumque illatæ mortis genere, fortiter occubuere, ſed pleroſque etiam alios, diximus *lib. 2. cap. 7. à quæſt. 9. uſque ad* 15. videlicet eos, qui vel tormentis ſuperſtites in pace poſtmodum quieverunt, vel in carcere, aut exilio ærumnis confecti, vel extorres, vel denique propter juſtitiam, licèt non ob confeſſionem nominis Chriſti, ab impiis necati interierunt. Cujuſcunque ergo ex illis omnibus feſtum ſolitariè & ſingulariter celebratur, ſive ſit Natale, ſive Translationis, aut aliud quodvis ſecundarium, ei competit Officium Commune unius Martyris. Nec habetur aliud pro Papa vel Epiſcopo niſi ſola Oratio, quæ ſicut & Miſſa integra in Miſſali duplex poſita eſt, alia pro Pontificibus, & alia item duplex pro non Pontificibus. Item pro Pontifice Lectiones primi Nocturni *A Mileto*, pro non Pontifice verò, *Debitores*, ut pro pluribus Martyribus. Qua item ratione Gavantus Lectiones infrà Octavas alias poſuit pro Mart. Pontifice, & alias pro non Pontifice; reliqua omnia utriuſque communia.

QUÆSTIO II.

Eſtne aliquid in hoc Officio, quod alicui Martyri non quadret appoſitè?

Hoc Commune quadrat etiam Martyribus veteris Teſtamenti. DE duplici Martyrum genere poteſt induci hocce dubium. Primò: De Martyribus veteris Teſtamenti, quibus utpote Chriſti adventu prioribus parum quadrant Antiphonæ Laudum, *Qui me confeſſus fuerit*, *Qui ſequitur me &c.* Hymnus item, *Invicte Martyr unicum Patris ſecutus Filium &c.* Denique Antiphona ad Magnificat in ſecundis Veſperis, *Qui vult venire poſt me &c.* Verùm cùm & ipſi quoque fide in Chriſtum non caruerint, quod de SS. Machabæis diſertè aſſerit S. Gregorius Nazianzenus; quidni etiam dici poſſunt in bono ſenſu, Chriſtum confeſſi, ſecuti, eique miniſtraſſe ac Crucem ejus ſuſtuliſſe, eo certè majori animi vi ac robore, quo nec Chriſti ipſius documentis, nec aliorum exemplis incitari, fortes ſeſe adeò ac conſtantes in certamine præbuerunt? Si quid eſt tamen quod ſingulis illorum magis idoneum accommodari poſſit, inveſtigabitur ſuis quibuſque locis.

Greg. Naz.

Vix ulla ſunt quæ non quadrent cuicunque Martyri. Secundò: Dubium eſt de iis qui in tormentis vitam non poſuere, an iis conveniat illud Hymni Veſperarum, *Fundenſque pro te ſanguinem*, item Reſponſ. 8. *Hic eſt verè Martyr, qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fudit &c.* Item qui nec in foveam miſſi, nec in vinculis detenti, Verſus ille Reſponſorii 4. *Deſcenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum.*

Gavantus. Ad primum reſpondet Gavantus *ſect.* 8. *cap.* 2. *num.* 5. Poetis idem eſſe ſundere ſanguinem, ac vitam quæ eſt in ſanguine. Ad ſecundum idcirco, ait idem Gavantus, poſitum eſt ultimo loco Reſponſ. illud *Domine prævenisti eum*, pro Feſtis quinque SS. Martyrum Pontificum, Marcelli, Joannis, Silverii, Martini & Pontiani, non ad excellentiam, ſed quòd ii non fuſo ſanguine interierint. Unde & dicendum illud quoque aſſerit in Feſtis S. Felicis in Pincis, & S. Melchiadis Papæ ubi celebrantur. An verò & in aliis, dicetur mox. Ad tertium; nimiùm ſcrupuloſus es, qui hæc de Joſepho ad literam dicta *Sap.* 10. alicui Martyri convenire dubitas, quòd is fortè nec carcerem, nec vincula paſſus ſit; ſed ſive in exilium, ſive ad præcipitem necem raptus ſit, annon ei vis illata ut carceri vinculiſque non impar, ſic & iiſdem nominibus haud ineptè exprimenda? Quæ tamen ſi minùs placent, paratum habes ſubſtituendum eidem Reſponſorio ex Communi Confeſſoris non Pont. Verſ. *Juſtum deduxit.*

QUÆSTIO III.

An Reſponſorium Domine prævenisti, *conveniat etiam aliquibus feſtis propriis unius Martyris?*

EX prædicta Reſponſione Gavanti, quam lubens amplector, ſequitur pari jure utendum eſſe Reſponſorio illo in Feſto cujuſcunque Martyris, vel tormentis ſuperſtitis, vel in exilio aut carcere conſumpti, quales memoravimus *lib.* 2. *cap.* 7. *quæſt.* 8. Eutychium diſcipulum S. Joannis, Soſthenem diſcipulum S. Pauli, Florentium Viennenſem Epiſcopum, Voluſianum Turonenſem, alioſque plurimos.

Objectio contra Gavanti rationem. Urgebit tamen aliquis contra Gavanti rationem, cùm ex quinque illis Summis Pontificibus, quibus attributum eſt prædictum Reſponſ. tres ſimplici ritu celebrentur, & in iis æquè notetur dicendum ultimo loco, argumento id eſſe poni ejuſmodi Reſponſorium ob excellentiam aliquam, non autem præcisè loco alterius, ad vitanda videlicet illa verba, *Qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fudit*. Bona omnino argutio, ſed cùm excellentia illa, quæ haud dubiè alia non eſt, quàm martyrii longioris, eoque nomine gravioris, æquè ad alios quoſvis pari martyrio conſummatos pertineat, quidni & illis prædictum Reſponſorium tribuatur?

Haud tamen ulli tribui debet tempore Paſchali, quia tunc non dicitur hocce Officium, cui eſt alligatum prædictum Reſponſorium. Item nec quando ſunt ejuſmodi Martyres ſimul juncti, in eo enim caſu fit Officium de Communi plurimorum Martyrum.

QUÆSTIO IV.

Quid diſcriminis in hocce Communi Romanum inter & alia Breviaria?

Antiphonæ aliæ in aliis uſibus. PRimò: Quoad Antiphonas, ſunt in Breviariis Turonenſi, Senonenſi, Aurelianenſi & aliis, pro Nocturnis novem aliæ, quarum poſtrema eſt *Juſtus germinabit ſicut lilium* ſuper Pſalmum *Bonum eſt confiteri Domino*. In Turonenſi item, Rothomagenſi, Carnutenſi, Meldenſi, & aliis, ad *Magnificat* in primis Veſperis, *Hic eſt verè Martyr &c.* In Andegavenſi, *Iſte cognovit*. Ad Benedictus in eodem Andegavenſi, Ambianenſi &c. *Niſi granum frumenti*. In ſecundis Veſperis, ad *Magnificat*, in Senonenſi, Meldenſi &c. *Hic eſt vir qui non eſt derelictus*. Nullæ harum omnium Romanis potiores ſunt, inferiores multæ, v. g. *Beatus vir qui ſuffert tentationem*. *Coronam gloriæ ponam*. *Inſignem præconiis*. *Beatus es ò inclyte Martyr*. *In confeſſione veræ fidei*. *O Beate N. magna eſt fides tua &c.* quæ vel frequenter nimis continent eorumdem verborum repetitiones, vel minùs ſunt authenticæ, vel non cuicunque Martyri ſatis appoſitæ.

Alia item Reſponſoria. Secundò: Reſponſoria hæc *Poſuiſti Domine*. *Poſuit coronam*. *Gloria & honore*. *Beatus vir qui ſuffert tentationem*. *Magna eſt gloria ejus*. *Coronavit eum Dominus*. *Hic eſt vir qui non eſt derelictus*, repetiuntur promiſcuè in Breviariis Monaſtico, Turonenſi, Senonenſi, Rhemenſi, Rothomagenſi, Pariſienſi, Aurelianenſi, Meldenſi &c. Item tria hæc mutuata ex Officiis propriis aliquorum Sanctorum,

ctorum,

Digitized by Google

ctorum, *Glorioſus Dei amicus, Vir inclytus, Miles Chriſti*, de quibus omnibus eadem eſto cenſura quæ Antiphonarum; eſto & eadem de Invitatoriis, quorum præcipuum eſt, *Regem ſempiternum pronis mentibus adoremus, Qui Martyrem ſuum dignè pro meritis coronavit.*

Invitatorium.

Capitula, Hymni & Verſus.

Tertiò: Abundant in Præmonſtratenſi præſertim Capitula, *Cuſtodivit illum. Benedictio Dei. Beatus vir qui excogitat. Statuet juſtus*, Hymnus *Beate Martyr proſpera*, qui eſt Prudentii de S. Vincentio, in Aurelian. poſitus pro Veſperis in Duplicibus, in Ambianenſi ad libitum. Verſus duo *Scuto bonæ voluntatis*, & *Corona aurea*, uſitati alicubi.

Lectiones.

Quartò: Pro Lectionibus ſecundi Nocturni Breviarium Ordinis Prædicatorum habet Sermonem S. Auguſtini de S. Cypriano. Quid ille plus habeat, non video; ſed perpetuum eſt ferè in hocce Breviario, ut aliæ habeantur Lectiones quàm in Romano.

Orationes.

Brev. Ciſterc.

Quintò denique, In antiquis Breviariis collectæ ſimul erant in qualibet Communi plurimæ Orationes, quarum aliquæ jam in Proprio Sanctis aliquibus attributæ leguntur: huncque ordinem ſervat adhuc Breviarium Ciſtercienſe: quod hîc obſervaſſe ſufficiat, ne in ſequentibus Communibus opus ſit repetere.

CAPUT XI.

De Communi plurimorum Martyrum extra Tempus Paſchale.

Brev. Turon.

M*Agnum eſt præmium unius Martyris, quantò latius Beati Mauritii cum ſociis ſuis, Qui dum Tyranni contempſerunt imperium, ſex mille ſexcenti coronati ſunt Martyrio.* Hoc quod jactat Eccleſia Turonenſis in laudem Sancti illius Titularis ſui ac ſociorum, liceat mihi præfari in commendationem Communis plurimorum Martyrum ſupra Commune unius.

QUÆSTIO I.

Quibus competat Commune plurimorum Martyrum?

Officium plurimorum Martyrum, per accidens impenditur non Martyribus.

RESpondeo Martyribus quibuſcunque ac cujuſcunque ſtatus & conditionis, quando duo, tres, quatuorve, aut plures ſimul juncti uno eodemque feſto recoluntur; imò non tantùm Martyribus, ſed & Confeſſoribus ac Virginibus, quando illorum aliquis, vel aliqua illarum, unà cum aliquibus vel etiam aliquo Martyre junctim celebratur, etiamſi non per ſe, ſed tantùm per accidens ſit illa conjunctio, ut patet exemplis SS. Alexandri, Eventii, Theoduli Martyrum, & Juvenalis Epiſc. & Confeſſoris, SS. Nazarii, Celſi, & Victoris Papæ Martyrum, & Innocentii Papæ & Conf. SS. Euphemiæ Virgin. Luciæ viduæ & Geminiani Martyrum, &c. in quibus omnibus & aliis ſimilibus Officium fit de Communi plurimorum Mart. In quo tamen duo obſervanda ſunt.

In Oratione tacendæ voces quæ non conveniunt.

Alterum, ut in Oratione, quæ omnibus communis eſt, nulla qualitas exprimatur niſi quæ conveniat omnibus (quod jam animadverſum fuit ſupr. *cap.* 2. *quæſt.* 5.) ſicque tacenda vox *Pontificum*, ſi omnes non fuerint Pontifices, ſolumque *Sanctorum* nomen adhibendum, ut in præfatis exemplis, *Sanctorum tuorum nos Domine Nazarii &c. Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut qui Sanctorum tuorum Alexandri &c.*

Separatis ſuum cuique conveniens tribuendum Officium.

Alterum, ut ſi alii ab aliis ſeparentur, unicuique impendatur debitum ipſi Commune, putà S. Innocentio & S. Juvenali Officium de Communi Confeſſ. Pontificis: S. Euphemiæ, Officium Virginis & Martyris, & ſic de aliis. Itidem Officium de Communi unius Martyris, Martyri cuilibet ſeorſim celebrato, putà S. Fabiano, S. Sebaſtiano & aliis ab invicem disjunctis.

Nihil autem peculiare habent in hoc Communi Martyres Pontifices præter Orationem *Beatorum &c.* cætera prorſus eadem. Poſt Septuageſimam in quinta Antiphona Laudum, cave tibi ab *Alleluja.*

QUÆSTIO II.

Suntne aliqua in hoc Officio aliquibus Martyribus minus apta?

Aliqua conveniunt per catachreſin.

INprimis occurrit par dubium ei, quod cap. præcedente propoſitum fuit; quomodo videlicet de Martyribus iis, qui vel ſanguinem non fuderunt, vel ignem, verbera, ungulas, gladium, denteſque beſtiarum experti non ſunt, verè poſſint enunciari multa, quæ in utroque Hymno Veſperarum & Matutini habentur, videlicet, *Hi pro te furias &c. Caduntur gladiis more bidentium &c. Chriſte profuſum ſanguinem &c. Traduntur igni Martyres, & beſtiarum dentibus &c.* Item verba iſta, *Viri Sancti glorioſum ſanguinem fuderunt &c. Tradiderunt corpora ſua ad ſupplicia &c. Verbera carnificum &c. & quia pro ejus amore ſanguinem ſuum fuderunt.* Reſpondeo multa ex his poſſe ſic accipi, ut ſaltem cum aliqua catachreſi haud planè reſpuenda, à veritate aliena non ſint. Quin & univerſim vera ſunt omnia, ſi non relata ad illos quorum ſolemnitas agitur; at certè reſpectu Martyrum in genere, quorum omnium varia & multimoda certamina hocce Officio ab Eccleſia decantantur.

Vox *Idolum* non incongruè poteſt de peccato explicari.

Erit prætereà, qui vim faciens in voce *Idolis* Antiphonam octavam Matutini minùs quadrare arguet Martyribus illis, qui non à Tyranno ob rejectum Idolorum cultum, ſed furore Barbarorum vel nefariorum hominum, tuendæ juſtitiæ, caſtitatis, aut cujuſvis alterius virtutis cauſa occiſi ſunt. Valet hæc quidem objectio in infantibus, ob idque mutata eſt noviſſimè prædicta Antiphona in Feſto SS. Innocentium. At de adultis ratione utentibus, par non eſt ratio; nam cùm de omni peccato, cui propter juſtitiam reſiſtitur, perinde dici poſſit quòd ſit Idolorum ſervitus, atque de avaritia ſpeciatim id pronunciavit Apoſtolus; quidni & in bono ſenſu dici poterunt *Tradidiſſe corpora ſua in mortem ne ſervirent idolis*, quicunque contra peccatum quodlibet uſque ad mortem fortiter decertarunt? Ad ſummum mutare item opus eſſet prædictam Antiphonam in Feſto Sanctorum illorum, quos in obſequio peſte laborantium defunctos, tanquam Martyres colit Eccleſia die ultima Februarii.

Antiphona *Omnes Sancti*, explicata.

Major oritur ſcrupulus ex Antiphona prima Laudum *Omnes Sancti quanta paſſi ſunt tormenta.* Id enim nedum de omnibus Sanctis verè dici poſſe videtur, ut ne cunctis quidem Martyribus planè conveniat. Fallor, ni ea cauſa ſit ob quam in pleriſque antiquis Breviariis *Antiphona* hujus loco poſita reperitur *Antiphona Juſtorum animæ &c.* Quam & retinuere Breviaria Aurelianenſe & Ordinis Prædicatorum. Pariſienſe verò & Sylvanectenſe habent, *Corpora Sanctorum.* Alii Antiphonam illam expuncta voce *Omnes*, ſic emendant, *Sancti Dei quanta paſſi ſunt tormenta &c.* ut Rothomagenſe, vel *Hi Sancti quanta &c.* ut Meldenſe, vel *Martyres Sancti quanta &c.* ut Præmonſtratenſe. Sed nec commutatione illa opus eſt, nec verò etiam emendatione, cùm ad veritatem ſatis ſit, ut id de omnibus Martyribus dictum intelligatur, juxta allatam paulò antè explicationem.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO III.

An ſemper Martyribus fratribus tribuendum ſit Reſponſorium, Hæc eſt vera fraternitas?

Gavantus.

SEmper quidem cùm ſoli ipſi per ſe feſtum obtinent; at ſi cum iis jungantur & alii non fratres, non item: unde multis contendit Gavantus *ſect.* 8. *cap.* 2. *num.* 9. non debere dici in Feſtis SS. Nerei & Achillei, Euſtachii & ſociorum, Placidi item & ſociorum, SS. Marii, Marthæ &c, neque nos ipſi contradicimus, Breviarii textu ſic habente. At minimè ſatisfacere videtur Gavantus objectis à ſeipſo. Quod enim ait, in Feſto SS. Nerei & Achillei non valere illationem à Miſſa ad Officium, ut in hoc dicatur *Hæc eſt vera fraternitas* pro Reſponſorio, perinde atque in illa dicitur pro verſu; haud video ullum ego diſcrimen. Nam ſi in Miſſa, illud *Hæc* duos ſolos demonſtrat Fratres Martyres, non alios, quidni itidem in Officio? Subdit, Talis erat Miſſa ante additionem Domitillæ factam à Clemente VIII. qui non mutavit congruentia, & quæ rationi potiori conſona forent; potiſſimùm autem ſit eo die de SS. Fratribus. Quàm faveat mihi hæc reſponſio, dicam cùm diluero aliud objectum de S. Symphoroſa, quæ cùm mater ſit, habet tamen cum filiis idem Reſponſorium.

Urgetur reſponſio Gavanti.

Quid ad hoc Gavantus? Feſtum hoc, inquit, in rigore eſt tantummodo filiorum, qui die 18. Julii obierunt, mater autem pridie. Eſto, ſed amabo, annon Feſtum S. Dominici, qui obiit 6. Auguſti, æquè plenum atque integrum ſit 4. Auguſti? Dixerim ego, ni fallor, rectiùs, determinationem fieri hìc à potiori parte, adeoque ubi ſunt Fratres Martyres plures quàm alii non Fratres, dici prædictum Reſponſorium, ut patet in allato exemplo S. Symphoroſæ; item in exemplo SS. ſeptem Fratrum Martyrum, & Sanctarum Rufinæ & Secundæ ſororum: nam licèt hæ Fratrum illorum ſorores non ſint, illi tamen cùm numero præſtent, imò & hæ inter ſeſe ambas pari germanitate jungantur, omnino potior eſt Fratrum numerus. Sicque demum cum mea coincidit Gavanti reſponſio, habendam eſſe rationem eorum, de quibus ſit potiſſimùm. Hoc autem æquabiliùs metiri non potes, quàm ex comparatione numeri; eoque modo plana eſt noſtra reſolutio.

Verior reſponſio ex comparatione majoris numeri.

Cui adde, huic Reſponſorio numquam fieri locum tempore Paſchali: eſt enim annexum Officio plurimorum Martyrum extra illud tempus, à quo proinde nunquam ſeparatur.

Reſp. Hæc eſt vera, nunquam dicendum tempore Paſchali.

QUÆSTIO IV.

An à Romano varium ſit hocce Commune in aliis uſibus?

EST in multis. Habent enim primò noſtraria Breviaria diverſas ferè Antiphonas, tum ad Nocturnos, tum ad Laudes, tum etiam ad Cantica *Benedictus* & *Magnificat*, quarum nullæ Romanis prævalent. Sunt iſtæ præcipuæ. Ad Nocturnos, *Beati pauperes ſpiritu. Deus tentavit eos. Reddet Deus mercedem. In paucis vexati. Dextera ſua reget eos. Juſti fulgebunt. Beati quos elegiſti*, cum Pſalmo, *Te decet. Vindica Domine*, cum Pſalmo, *Deus venerunt gentes. Beati qui habitant*, cum Pſalmo, *Quàm dilecta. Sanguis SS. Martyrum*. Ad Laudes, *Juſtorum animæ. Exultabunt. Odor Sanctorum &c.* Ad Cantica, *Fulgebunt juſti. Sancti per fidem. Iſti ſunt qui pro amore Dei. Certamen magnum. O veneranda &c.*

Antiphonæ aliæ.

Secundò: Sunt & Reſponſoria iſta, *Sancti per fidem. Certamen magnum. Corpora Sanctorum. Juſtorum animæ*, quatuor hæc in Monaſtico. *Fulgebunt juſti. Juſti autem. Mirabilis Deus. Beati qui perſecutionem. Laverunt ſtolas ſuas. Iſti ſunt Sancti, qui ſequuntur Agnum. Sanctum & verum lumen. In circuitu tuo. O quàm glorioſum eſt regnum. O veneranda. Concede nobis veniam* (hoc quibuſvis & omnibus Sanctis eſt aptum.) *O conſtantia Martyrum*. Hujus authorem ferunt fuiſſe Robertum Regem Franciæ in gratiam Conſtantiæ uxoris, ad quam æquivocatione illa nominis alludebat.

Reſponſoria.

Tertiò: Tria item quatuorve Invitatoria. *Adoremus Regem magnum. Mirabilem Deum. Adoremus Salvatoris gratiam. Venite adoremus. Regem Regum &c.* Totidem quoque Verſus, *Juſtorum animæ. Mirabilit Deus. Sancti tui Domine benedicent te. Exultate juſti.* Capitula, *Sancti per fidem. Sancti ludibria. Expectatio juſtorum. Tamquam aurum. Hi ſunt qui venerunt.* Breviarium Prædicatorum more ſuo diverſas habet Lectiones. Legi & in antiquis Homilias in Evangelia, *Ecce ego mitto vos ſicut oves.* Matth. 10. & *Egrediente Domino Jeſu de templo.* Marci 13.

Invitatoria, Verſus, Capitula.

Lectiones.

CAPUT XII.

DE COMMUNI APOSTOLORUM, Evangeliſtarum & Martyrum tempore Paſchali.

TRia illa ſimul convolvimus, quòd præter duos Hymnos duoque Reſponſoria Apoſtolorum & Evangeliſtarum propria, cætera planè eadem ſint & pro Martyribus. Pro ſingulis verò reſpectivè ſumuntur Oratio & Pſalmi, ut extra tempus Paſchale.

QUÆSTIO I.

Quibus competat hocce Commune?

APoſtolis, Evangeliſtis & Martyribus quibuſcumque. *Dignum enim & congruum*, ait Ambroſius in Lect. 4. hujus Officii, *ut iis annunciemus Dominicæ Reſurrectionis gloriam*, (parato videlicet ad id peculiari Officio) *qui conſortes ſunt Dominicæ Paſſionis*. Quid ſi habeant ipſi Officium proprium? Diſtingue proprium, vel Temporis Paſchalis, vel alterius. Si primum, ſumi omnino debet, uti ſit in Feſto SS. Philippi & Jacobi. Si ſecundum, relicto Proprio Commune hoc erit aſſumendum; ut conſtat exemplo S. Joannis ante Portam Latinam.

Ambroſius.

QUÆSTIO II.

Sintne aliqua minùs apta?

NUlla; niſi arguas quòd ferè omnia in plurali numero tribuantur uni æquè ac pluribus. Sicut è contrà primum Reſponſorium in ſingulari tribuitur pluribus æquè ac uni. Verùm nihil iſtud officit veritati in bono ſenſu jam ſuperiùs tradito; nec conſultiores ſunt, qui in Reſponſorio 6. & Antiphona ad *Benedictus*, pro uno legunt in ſingulari, *Filia Jeruſalem venite & videte Martyrem.*

Numerus pluralis pro uno, & ſingularis pro pluribus.

QUÆSTIO III.

Quid diverſum à Romano in aliis uſibus?

OMnia ferè eadem, ſed alio & alio ordine collocata: Quibus trium tantùm Lectionum eſt

Digitized by Google

eſt uſus, Nocturnos alii per ferias diſtribuunt, alii pro occurreotia feſtorum, alii Antiphonas & Reſponſoria ſic partiuntur, ut alia ſint pro Apoſtolis, alia pro uno Martyre, alia pro pluribus. Hæc verò præcipua habentur.

Antiphonæ aliorum uſuum.

Antiphonæ ad Laudes, *Quodcunque petieritis Patrem. Si diligitis me. Manete in dilectione mea. Non turbetur cor veſtrum. Nolite timere eos*, Ad Cantica, *Ego ſum vitis. Qui manet in me, In civitate Dei*.

Reſponſoria.

Reſponſoria pro Apoſtolis, *Vidi portam civitatis. Ibant gaudentes. Non vos me elegiſtis*: Pro Martyribus, *In memoria æterna. Lætabitur juſtus. Fulgebunt juſti ſicut lilium. Gaudete juſti. Docete filios, Confitebuntur*.

QUÆSTIO IV.

Eſtne & pro aliis Sanctis Commune Tempore Paſchali?

ERat Confeſſorum, in pleriſque antiquis uſibus, eſtque etiamnum in Breviario Senonenſi, idem ferè quod Martyrum, Romanum verò hoc non admittit, ſed eodem Officio utitur pro Confeſſoribus, Virgioibus, & Dedicatione Eccleſiæ, atque aliis temporibus, addito tantùm *Alleluja*, ut ſequitur.

Alleluja ut addendum Antiphonis, Reſponſoriis &c.

Uno, in fine cujuslibet Antiphonæ, niſi ubi jam habetur; uno item in fine Invitatorii, & hoc per ſe ſolum non facit partem reſumendam, nam repetitur ut aliàs, *Venite adoremus, Alleluja*. Uno denique in fine Reſponſoriorum Matutinalium, ante Verſum, idemque repetitur cum repetitione partis Reſponſorii. Duobus verò ad Reſponſ. brevia Horarum, ante Verſum, quæ eadem ſola reſumuntur poſt Verſum. Duobus item ad Verſus, nempe uno ad primam partem quæ Verſus dicitur, & altero ad ſecundam ſeu Reſponſorium. Tres denique Pſalmi cujuslibet nocturni dicuntur ſub prima Antiphona illius.

CAPUT XIII.

De Communi Confessoris tam Pontificis, quàm non Pontificis.

CÆteri à Martyribus viri ſancti omnes dicuntur Confeſſores, quibus tribuitur duplex Commune, videlicet Confeſſoris Pontificis, & Confeſſoris non Pnotificis. Utrumque ſimul jungo, quòd pleraque ſint in utroque eadem.

QUÆSTIO I.

Quibus competat Commune Confeſſoris Pontificis?

Vox Pontifex communis Papæ, & aliis omnibus Antiſtitibus.

REſpondeo: Sanctis Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, Patriarchis, ipſiſque adeò Romanis Papis. Hi enim omnes generali *Pontificis* Titulo comprehenduntur: Nec habent quidquam in hoc ſuperiores ampliùs quàm inferiores, niſi quòd propria eſt pro ſummis Pontificibus Antiphona ad *Magnificat*, in ſecundis Veſperis, *Dum eſſet ſummus Pontifex*; cætera omnibus æquè communia.

QUÆSTIO II.

An etiam competat Officium illud Electis?

Electus quis dicatur?

COmmodè hic admodum recuperatur Quæſtio iſta cum ſequenti omiſſa ſuperiùs *libr. 2. capit. 7.* Electi dicuntur, qui legitima electione vel nominatione, cui conſenſerint, ad Epiſcopatum promoti confirmatique, nondum tamen ſunt conſecrati, (qualis cenſendus non eſt Nilammon ille, qui ut habet Martyrologium *6. Januarii*, ad Epiſcopatum poſtulatus in Oratorio ſpiritum Deo reddidit; non enim fuit ejuſmodi Electio rata, nec confirmata.) Si quis ergo ſic Electus ante conſecrationem decedat, atque inter Sanctos poſtmodum pro ſuis meritis referatur, huicne tribuendum Epiſcopi nomen, Officiumque de Communi Confeſſoris Pontificis?

Rationes, quibus tribui debere videtur Electis Officium Confeſſoris Pontificis.

Tribui debere hinc colliges, quòd jure Canonico Epiſcopus poſt electionem & confirmationem talis ſit, adeoque excommunicare, conferre Beneficia, aliaque omnia, quæ juriſdictionis ſunt, rectè poſſit exequi, *cap. Noſti & cap. Tranſmiſſam, de Electionibus, cap. Inter corporalia, & cap. Licet, de Tranſlatione Epiſcoporum*. Coofirmatque Gloſſa *in Can. Quanto, diſt. 63.* quod & ratione probatur; nam ſi ex dicto capit. *Licet*, Epiſcopi cum ſua Eccleſia ſpirituale fœdus eſt conjugii, par ei, quod virum inter ac mulierem intercedit, adeò ut ipſum in Electione initiatum, in Confirmatione ratum & in Conſecratione intelligatur conſummatum; omnino ſicut matrimonium ratum inter virum ac mulierem verum matrimonium eſt, quo videlicet maritus ille & hæc uxor dicitur, ita & verum eſt Electi confirmati cum ſua Eccleſia; quæ cùm exhinc vacare ampliùs non dicatur, ille quoque pro vero illius Sponſo, adeoque Epiſcopo haberi debet: Quales habentur & ipſi Romani Pontifices, ſtatim ab legitima eorum electione rata & acceptata, licèt aliqui eorum coronationem non acceperint, ut Cœleſtinus IV. Adrianus V. qui necdum Presbyter obiit, Urbanus VII. & hocce ſæculo. Leo XI.

Soli conſecratis tribuendum.

At quoniam ſtricta juris acceptionè Epiſcopus non dicitur niſi ſit conſecratus, prædictis capitibus *Inter Corporalia*, & *Licet*, & *cap. Tua, De his quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli*, multiſque adductis textibus idem demonſtrat Panormitanus, in *capit. Eam te, de Reſcriptis*; quippe ait Petrus Gregorius, *libr. 17. Syntagmatis, capit. 14.* Conſecratio eſt periodus electionis, & Dedicatio. Electi facta Deo. Hinc eſt quòd ſicut Electo ejuſmodi non competit jure nomen Epiſcopi, ita nec Confeſſoris Pontificis Officium eidem, ſi in eo ſtatu moriens Sanctus evadat, coovenire ullatenus poterit.

Panormitanus.

Petrus Gregorius.

Eſto, poſſit omnia, quæ ad juriſdictionem pertinent, at noo poteſt Ordines conferre, nec Chriſma conficere, nec Eccleſias vel Altaria conſecrare, & ſimilia quæ Ordinis ſunt, & in quibus Epiſcopalis miniſterii plenitudo conſiſtit, ante Conſecrationem gerere. Haoc autem non accipit niſi ipſa capitis ac manuum inunctione facta per Conſecratorem Epiſcopum, ante quam ſemper Electus, nec niſi ea peracta Conſecratus in Pontificali appellatur; ut ad id haud dubiè alluſum credas verbis illis, tum in Officio, tum in Miſſa Confeſſoris Pontificis crebrò repetitis, *Inveni David ſervum meum, oleo meo ſancto unxi eum*; quæ proinde verba de Electo ſimpliciter haud ſatis verè enunciarentur.

Conſecratione fit Epiſcopus.

Epiſcopus Charactere ſit potior.

Denique ſive per Epiſcopalem Ordinationem conferatur novus Character, ſive Presbyteralis extendatur, de qua re vide Bellarminum *libr. unico de Sacramento Ordinis cap. 5.* certum eſt eo maximè fieri Epiſcopum Presbytero potiorem, ac

Chara-

Digitized by Google

Characterem illum, ſive Characteris illius extenſionem, nec Electione, nec Confirmatione accipit, ſed ſola Conſecratione: ergo ſola Conſecratione fit Presbytero potior & ordinis præ illo excellentioris.

Objecta diluuntur.

Nil verò obſtant citata in contrarium Capita Decretalium, quæ eò tantùm ſpectant; duo quidem priora, ut Electo, eorum quæ juriſdictionis ſunt plenam & integram adminiſtrationem vendicent: poſteriora verò, ut eidem perinde atque Conſecrato interdicant, ne ſine licentia Romani Pontificis Eccleſiam ſuam relinquat, ut ad aliam transferatur. Idipſum quoque concludit, nihilque amplius, ratio à conjugii vinculo petita.

Romano Pontifici Electione ipſa ſumma confertur authoritas.

Exemplum verò Romanorum Pontificum minimè extendi debet ad aliarum Sedium Antiſtites; tum quia ſuprema eſt illa Eccleſiæ dignitas, & apex Pontificiæ authoritatis, cui par nulla alia exiſtit; tum quia Electione ipſa tota confertur, coronatio enim nonniſi externa eſt humanaque ceremonia, qua ſine Electus Pontifex *non puri hominis ſed veri Dei vicem gerit in terris*, ut habetur *cap. Quanto, de Translatione Epiſcopi*. Et licèt conſecrari debeat, perinde ac quivis alius Epiſcopus, imò & ſacris Ordinibus initiari, ſi iis ipſum carere contingat; haud tamen conſecratione ejuſmodi, ſummam illam accipit poteſtatem, quam abſolutam jam habet; unde & in ipſa Ordinum perceptione, Epiſcopalique Ordinatione, utitur ipſe Mitra, aliiſque ornamentis Pontificalibus, nec genuflexus ſed ſtans aut ſedens inſtrumenta Ordinum recipit, aliaque præſtat more ab aliis Electis longè diverſo.

QUÆSTIO III.

An Sanctus qui Epiſcopatui renunciavit, colendus ſit nihilominus Officio Confeſſoris Pontificis?

S. Petrus Cœleſtinus verus Pontifex, licèt Pontificatu ſe abdicaverit.

Uſus Carnutenſis.

SAnctus Petrus Cœleſtinus, qui ſe ſummo Pontificatu abdicaverat, à Clemente V. poſtmodum in Sanctorum numerum relatus eſt, ſub nomine Beati Petri Confeſſoris, tacito Titulo Pontificis; quod & retinet Eccleſia Carnutenſis, ſuo ſic Calendario ipſum inſcribens 19. *Maji: Petri Eremitæ Confeſſoris*. Eccleſiæ nihilominus Rhemenſis, Senonenſis, & Pariſienſis, quæ ipſius quoque Natalem diem colunt, Titulo Papæ, Officioque Confeſſoris Pontificis afficiunt; quin & obſervat Spondanus ad annum 1225. ipſum fuiſſe ab aliquibus cultum ſub Officio Pontificis & Martyris, ob diriſſima quæ paſſus eſt à Bonifacio ſucceſſore. Quidquid ſit de Titulo Martyris, Pontificis ſaltem reprobare jam nemo poteſt, ex quo Breviarium Monaſticum authoritate Pauli V. recognitum idipſum uſurpavit. Et verò illud quod in hoc Officio legitur, ei ſaltem apprimè quadrat, *Non eſt inventus ſimilis illi &c.*

Rhemenſis. Senonenſis. Pariſienſis.

Spondanus.

Brev. Monaſticum.

Sancti Epiſcopi, qui Epiſcopatui renunciarunt, Officio nihilominus Pontificum colendi.

Idemque judicandum de alio quocunque Epiſcopo, qui ut habet *cit. Caput*, *Inter corporalia, de Translatione Epiſcopi, oneri Pontificali renunciat, non honori*. i. dignitati, multò etiam minùs Characteri. Ideoque licèt fortè aliquis Religionem Epiſcopatu dimiſſo ingreſſus, non poſſit ampliùs Pontificalia munia obire; haud tamen putandus eſt idcirco Epiſcopali gradu decidiſſe, ob quem, ſi Sanctus evaſerit, omnino Pontificis nomine Officioque colendus erit. Qua ratione colitur S. Juſtus Lugdunenſis Archiepiſcopus, de quo refertur in Martyrologio die 2. Septembr. quòd Epiſcopatui cedens, & in eremum Ægypti cum Viatore Lectore ſuo ſecedens, eùm aliquot annis proximam Angelis vitam egiſſet, coronam gloriæ percepturus migravit ad Dominum. Item S. Vulfrannus ex Monacho Fontanellenſi, Archiepiſcopus Senonenſis, & ex Archiepiſcopo relicta Sede iterum Monachus.

S. Juſtus Lugdun. Epiſcop.

S. Vulfrannus Senon.

QUÆSTIO IV.

An Officium Confeſſoris Pontificis impendi poſſit Sanctis Legis veteris ſummis Sacerdotibus?

SS. Aaron & Simon Sacerdotes veteris legis.

PAuci ii ſunt admodum, nec fortè ullus, qui ſciatur, præter Aaronem, & Simonem Oniæ filium: quorum laudes à Jeſu filio Sirach libr. Eccleſiaſtici commemorantur. Prioris quoque natalem diem recenſet Martyrol. Rom. *die 1. Julii*. Utrique verò, ſicut item Melchiſedeci, ſi quibus Eccleſiis cultui ſunt, deberi Officium Confeſſoris Pontificis, hinc non malè inſerat quis, quòd Epiſcopos noſtros Presbyteris & Diaconis ordine ſuperiores eſſe, Doctores Catholici contra Aerium & Calvinum hocce etiam argumento conficiant; eos videlicet parem in Eccleſia locum tenere ei, quem olim in Synagoga tenebat Ordo Aaronis, ſummorumque Sacerdotum, & ſucceſſorum illius; at ſuperior erat ordo ille & gradu & conſecratione ordine Sacerdotum minorum & Levitarum: ergo ſimiliter in Eccleſia ordo Epiſcoporum, ordinibus Presbyterorum & Diaconorum antecellit. Ita Valentia *tom. 4. diſp. 9. quæſt. 1. punct. 2.* Quidni igitur de iis pari quoque jure atque de noſtris Sanctis Epiſcopis dicetur, *Ecce Sacerdos magnus*, cum reliquis quæ in dicto Communi poſita habentur: maximè cùm de Aarone ipſo prædicta verba ad literam pronunciata primitus, nonniſi in ſenſu accommodationis noſtris Pontificibus attribuantur?

Item Melchiſedech. Iis deberi Officium Conf. Pontificis probatur duplici ratione.

Valentia.

Refellitur prima ratio.

Facit poſtrema hæc ratio, ut ab hoc ipſe ſenſu non abeam, magis quàm prima. Hæc enim ſupponere videtur Characterem in Sacerdotibus veteris Legis æquè ac in noſtris, quod noſtri omnes Theologi negant. Illa verò æquè valere poteſt in Aarone, atque in Moyſe, Jobo, Machabæis, in quorum feſtis diximus aliàs poſſe legi, quæ de ipſis habentur in Scriptura. Non eſt autem quòd quis dicta extendat ad alios quàm ſummos Sacerdotes, inductus fortè hiice verbis 2. *Eſdræ 11. Et Epiſcopus Levitarum in Jeruſalem, Azzi filius Bani*. Per hanc enim vocem intelligitur tantùm Præpoſitus Levitarum, qui nec fortè Sacerdos erat.

2. Eſdræ 11.

QUÆSTIO V.

Quibus competat Commune Confeſſoris non Pontificis?

REſpondeo, Sanctis Abbatibus, Presbyteris, Diaconis, Monachis, Eremitis, aliiſque omnibus, cujuslibet ſtatus & conditionis; ita ut Commune iſtud omnium ſit ampliſſimum, pluribuſque aptum tribui, nullo alio diſcrimine, quàm quòd Abbatibus ſua eſt propria Oratio *Interceſſio* cum Homilia de Apoſtolis in Evangelium *Ecce nos reliquimus omnia*, & Miſſa integra. Abbatum verò nomine quod ad præſentem rem attinet, diximus aliàs non venire Sæculares, ſive Commendatarios, ſed Regulares dumtaxat, tam eos qui ſunt de Mitra, quàm qui de Baculo tantùm, qui & tales dicuntur ante benedictionem, ſtatim ab ipſa electione & confirmatione, ut obſervat Petrus Gregorius *libr. 16. Syntag. cap. 14.*

Abbatum propria non conveniunt Sæcularibus Commendatariis.

Petr. Gregor.

QUÆSTIO VI.

Quodnam Doctoribus tribuendum Officium?

OBſervavimus jam alibi, præter quatuor Latinos ac totidem Græcos, amboſque Scholaſticos, nullos alios in Eccleſia Sanctos Doctorum titulo decorari.

Patres

Patres quidem plurimi habentur, quorum videlicet extant Homiliæ, Orationes, Tractatus in Scripturam Sacram, aliaque opera ad Eccleſiæ decus & utilitatem exarata, putà SS. Gregorius Nyſſenus, Epiphanius, Cyrillus uterque, Alexandrinus & Jeroſolymitanus, Fulgentius, Iſidorus, Proſper, Joannes Damaſcenus & alii. De his ſi alicubi feſtum agitur, Officium ſumendum erit de Communi Confeſſ. Pontif. (quando ſunt Pontifices) ſin minùs de Communi Confeſſ. non Pontificis, cum Reſp. 8. *In medio Eccleſiæ*, & Lectionibus poſitis pro Doctoribus, necnon fortè etiam Miſſa, ducto exemplo à SS. Leone & Hilario, quibus id tribuitur. Addere verò inſuper Antiphonam *O Doctor*, haud probarem, niſi uſu pridem legitimo ſit receptum.

Sanctis Patribus videtur poſſe tribui Reſp. In medio, necnon Miſſa Doctorum.

QUÆSTIO VII.

Sintne aliqua in hocce utroque Officio Sanctis aliquibus minùs convenientia?

Antiphonæ prima & ſecunda Matut. explicatæ.

PAuca, imò veriùs nulla. Illud enim Antiphonæ 1. Matut. *Omnia quæcunque faciet proſperabuntur*, nulli Sancto vita æternùm beata fruenti non poteſt convenire, quantumvis vita ſint aliqua ei in hacce vita proſperè minùs cedere. *Prædicavit quoque præceptum Domini*, (quod habetur 2. Antiphona) exemplo, ſi non verbo, quiſquis opere complevit. Quo item ſenſu verum illud Reſponſorii 6. *Omnis terra doctrina ejus repleta eſt*, quam ſcillicet vel ſcripſit, vel gregi ſuo bonus Paſtor ore pronunciavit. Quidni verò *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus*, (quod eſt in Reſponſorio 2.) cui & Chriſti omnium gentium benedictionis gratiam, & gloriam æternam ſummam omnium benedictionem, imò & ut omnium gentium benedictionibus uti Sanctus afficiatur, contulit? *Non eſt inventus ſimilis illi &c.* in 2. Antiphona Laudum verè de Sancto quolibet affirmatur, quatenus in quolibet virtus, donumve aliquod particulare ſingulariter eluxit, cujuſmodi ſingularis fuit in Abrahamo obedientia, de quo jactatum illud *Eccli.* 44. Nec minùs convenit Confeſſori, quòd Abbas non ſit, Antiphona 3. Laudum, *Fidelis ſervus & prudens &c.* Ex quo enim Sanctus eſt, verè conſtituit eum Dominus ſuper familiam, id eſt Eccleſiam ſuam, ut eam ſuis interceſſionibus adjuvet. Denique ambo Hymni Laudum licèt ad Chriſtum dirigantur, haud tamen idcirco Sanctis veteris Teſtamenti minùs convenire argues, ſi memineris nullum illorum fide in Chriſtum caruiſſe.

Item Reſp. 6. & 2.

Item Antiphonæ 2. & 3. Laudum.

Item Hymni.

QUÆSTIO VIII.

Quæ cavenda in hoc utroque Officio?

Cavenda in Hymno Iſte Confeſſor.

ILlud inprimis ut in Hymno *Iſte Confeſſor*, in Feſtis Tranſlationum aliiſve quæ non ſunt dies obitus, dicatur: *Hac die lætus meruit ſupremos Laudis honores*. Non autem, *beatas Scandere ſedes*, quod utique pertinet ad diem obitus, ejuſque Octavam, quia inquit Gavantus *ſect.* 8. *cap.* 3. *num.* 7. tota Octava eſt velut unus idemque dies. Quid ſi transferatur feſtum obitus in diem proximè ſequentem, putà è Dominica in feriam 2. dicendumne in primis Veſperis, *Meruit beatas ſcandere ſedes*? Concedit Gavantus, quia, inquit, verè eo die Sanctus obiit. At cùm demonſtrativum *Hac* primariò deſignet diem quo celebratur feſtum, iſque in hoc caſu alius ſit à die obitus, crediderim ego dicendum potiùs, *Meruit ſupremos Laudis honores*; quod nec Gavantus ſua ipſe convictus ratione inficiabitur. Subdit enim, (quod verum eſt) infra Octavam feſti ſic tranſlati haud dicendum ut in die obitus, quia, inquit, Octava feſti, non Octava dierum menſis in quam tranſlatum feſtum contingit celebrari, eſt velut unus idemque dies cum feſto; ergo ex ejus mente illud, *hac die*, demonſtrat non diem obitus, ſed diem quo tranſlatum feſtum celebratur.

Gavantus.

Quod verò ait idcirco non mutatum perinde verſum tertium Hymni Laudum Confeſſoris non Pontificis, *Anni reverſo tempore dies refulſit &c.* quòd videlicet non dicatur hic dies præcisè in quo ſit Officium, futilis ratio eſt; quaſi verò his verbis, *Quo Sanctus hic de corpore Migravit inter ſidera*, non ſufficienter exprimatur dies obitus. Facile fuiſſet ut pro S. Franciſci ſtigmatibus in hæc verba, *Quo Sanctus hic de corpore Chriſti recepit ſtigmata*, ſic & pro quocunque alio ut hæc aut ſimilia verba mutare,

Nihil mutandum in Hymno Laudum.

Quo Sanctus hic de corpore
Signis coruſcat editis.

appoſitè ad Tranſlationem corporis miraculis illuſtrem, vel abſolutè

Quo Sanctus hic conſortia
Junctus triumphat Cælitum.

Commodè Breviarium Pariſienſe verſum hunc totum omittendum præcipit, quando non eſt dies obitus, imò & ſequentem quoque Meldenſe novum; commodè, inquam, cùm ſex ſeptemve adhuc ſuperſint verſus. Qua item ratione obſervavi in Breviariis antiquis, Bituricenſi, Cenomanenſi, Bellovacenſi, Silvanectenſi, & aliis, Hymnum *Iſte Confeſſor* extra diem obitus ſic dici conſueviſſe: *Iſte Confeſſor Domini ſacratus, Sobrius, caſtus fuit & quietus &c.* ut hinc diſcas recentem non eſſe ejuſmodi animadverſionem.

Uſus Pariſienſis. Meldenſis.

Bituricenſis &c.

Sunt præterea duo in hocce utroque cavenda. 1. ut in Officio ſemiduplici inchoata prima Antiphona Matutini *Beatus vir*, pergas in Pſalmo, *Qui non abiit &c.* Itidem inchoata 6. *Domine Dominus noſter*, pergas pro Pſalmo, *Quàm admirabile eſt nomen tuum &c.* De ſeptima verò non item, cùm enim non ſit idem à primo verbo initium Pſalmi quod & Antiphonæ, ideo dicendum pro Antiphona *Domine iſte Sanctus*, tum inchoandus Pſalmus, *Domine quis habitabit*.

Cavenda in Antiphonis.

Secundum: Ut poſt Septuageſimam omittatur *Alleluja*, in fine Antiphonæ *Sacerdotes Dei*; cujus loco, ut & in aliis ſimilibus, reponunt aliqui *In æternum*, ad explendas, ut opinor, notas in cantu reſiduas; ſed id nullibi præcipitur, nec verò in multis benè quadraret, facilèque poſſunt notæ vel contrahi, vel in præcedentibus ſyllabis pluſculum inhærendo compleri.

Omittendum Alleluja poſt Septuageſimam.

QUÆSTIO IX.

Quid in utroque hocce Communi diſcrepant alii uſus à Romano?

Antiphonæ aliæ.

EN tibi ex multis ſelectiora. Primò, Antiphonas habent ad Cantica ex Evangelio, *Hoc autem ſcitote. Sint lumbi veſtri præcincti. Vigilate itaque.* alias, *Confeſſor Domini aſtantem plebem. Glorioſus Confeſſor Chriſti. Interceſſio nos quæſumus. O quàm venerandus es. Iſte cognovit juſtitiam.* Pro Doctoribus, *In medio Eccleſiæ.* Pro Patronis, *Iſte eſt qui ante Deum. Ave præſul. O Sacerdotum diadema &c.* Pro Abbatibus, *Sanctiſſime Confeſſor Domini Monachorum Pater.* Super Pſalmos verò in primis Veſperis, *Beate Chriſti Confeſſor*, cum reliquis, *Iſte Sanctus dignè in memoriam.* Ad Nocturnos, *Juſtus Dominus. Cognovit eum. In fide & lenitate. Juſtus germinabit.* In Monaſtico, *Suſceptor meus es Domine. Iſte eſt qui contempſit vitam mundi. Collaudabunt multi.* Ad Laudes, *Amavit eum Dominus. Juſtum deduxit. Sacerdotes Dei. Sancti & humiles corde. Servi Domini.* In ſecundis Veſp. *Juravit Dominus. Potens in terra. Collocet. Dirupiſti. Sacerdotes tui.*

Secun-

Invitatoria. Secundò; Invitatoria, *Confeſſorum Regem. Adoremus Chriſtum. Venite populi. Confeſſorum Regem*, aliud à priori, Reſponſoria verò pro Pontifice, *Ecce verè Iſraelita. Juſtum deduxit. Iſte Sanctus dignè in memoriam. Elegit eum*, quatuor hæc habet Monaſticum. *Sancte N. Chriſti Confeſſor. Ecce vir prudens. Agmina ſacra. Cibavit illum. Magnificavit eum. O quàm admirabilis. Laudemus Dominum. Veritas mea. Verè famulus Dei. Vir Iſraelita.* Pro non Pontifice, *Domine prævenisti eum. Deſiderium animæ ejus. Beatus vir qui inventus eſt. O Beati viri*, ex Monaſtico. *Juſtus ut palma. Beatus N. jam triumphat. O quàm beatus es, Sanctiſſime Confeſſor. Monachorum pater. Beatus vir N. qui poſt aurum. Ecce vir Iſraelita.* Non placet iſtud tam in Antiphona quàm in Reſponſorio, *Iſte homo ab adoleſcentia ſua partim meruit infirmos curare, cæcos illuminare.* Id enim verè dici non poteſt de omni Sancto Confeſſore. Neque item iſtud, *Iſte eſt de ſublimibus cœlorum unus, quem manus Domini conſecravit matris in viſceribus.* Etſi enim in aliquo ſenſu conſtare poſſit, in eo tamen quem præ ſe fert, vix tolerandum. Recentiora ſunt iſta quæ habentur in Proprio quodam, excerpta ex aliquo ſermone S. Bernardi: ſed quia Confeſſori omni, qui Patronus eſt, quadrant optimè, placuit hic integra deſcribere.

Reſp. *Hodie Beatus N. poſito corpore tanto alacrior, quanto expeditior, penetravit in Sancta.* * *Similis factus in gloria Sanctorum.* Verſ. *Accepit regnum decoris, & diadema ſpeciei. Similis.*

Aliud. *In terris viſus eſt, ut eſſet exemplo: in cœlum levatus eſt, ut ſit patrocinio.* * *Hic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam.* Verſ. *Factus eſt mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Hic informat.*

Aliud. *Nomen tuum, O N, & memoriale tuum, favus deſtillans in labiis captivorum,* * *Mel & lac ſub lingua eorum, qui tui memoria delectantur.* Verſ. *Eja ergo dulcis Patrone, advocate fidelis, exurge in adjutorium nobis. Mel.*

Capitula. Tertiò: Capitula. Pro Pontifice, *Benedictionem omnium gentium. Statuit illi Dominus. Magnificavit eum. Cognovit eum. Dedit Dominus confeſſionem. Omnis Pontifex. Talis decebat. Labia Sacerdotis. Dedit illi Dominus ſacerdotio fungi. Ecce vir prudens. Dilectus Deo.* Pro non Pontifice, *Beatus vir, qui in ſapientia morabitur. Aperiet os ſuum.* Pro Doctore, *Teſtificor. In medio Eccleſiæ. Mihi autem dedit Deus. Qui timet Deum*, & reliqua ut de S. Joann. Evang.

Verſus. Quartò: Verſus. Pro Pontifice, *Ecce Sacerdos magnus. Poſui adjutorium ſuper potentem. Inveni David.* Pro non Pontifice, *Juſtus germinabit. Voce mea ad Dominum clamavi. Ora pro nobis.* Nulla ex his omnibus noſtris æquanda, nedum præferenda.

Hymni. Quintò: Tres quoque Hymnos alios reperi. *Rex glorioſe præſulum, corona confitentium &c.* ut pro pluribus Mart. *Hujus o Chriſte meritis precamur*, in antiquo Caſalis Benedicti. In Breviario

Brev. Ordinis Prædicatorum. Ordinis Prædicatorum unicum eſt Commune pro Confeſſ. Pontif. & non Pontif. unde & Hymnus unius vocis mutatione utriſque fit communis; *Jeſu Redemptor omnium, Perpes corona & præmium &c.*

Orationes. Sextò: Oratio, *Deus qui populo tuo æternæ ſalutis &c.* in pleriſque Breviariis, deſtinata eſt Epiſcopis & Archiepiſcopis propriis. Sunt & aliæ multæ Orationes, ſicut & Lectiones à noſtris diverſæ, ſed non ſelectiores.

QUÆSTIO X.

Ut agendum pro pluribus Confeſſoribus?

NUllum in Breviario Romano poſitum eſt Commune plurimorum Confeſſorum, ſive Pontificum, ſive non Pontificum, (fortè quia nulli ſunt in ejus Calendario,) ſed ſi qui occurrant alicubi, idem præcipitur Officium ac pro uno Confeſſore, ſive Pontifice, ſive non Pontifice, niſi quòd in Oratione & Lectionibus ſecundi Nocturni, quæ ponuntur in ſingulari dici debent in plurali. In cæteris nulla fit mutatio; quia, inquit Gavantus, eſſet nimia ac perdifficilis; nulla item in Lectionibus *Deridetur juſti ſimplicitas*, quia Tractatus eſt, non autem ſermo. Ponuntur quoque pro pluribus Confeſſoribus Pontificibus Lect. 1. Noct. *Laudemus viros glorioſos.*

Romano mihi præſtare videntur hac in parte pleraque noſtra Breviaria propria, quæ integrum habent Commune plurimorum Confeſſorum (quippe de iis feſta aliqua celebrant) putà SS. Honoberti, & Hunulphi, Senonis; Vedaſti & Amandi; Pariſiis & alibi paſſim; Vualeſii & Luxoris Ambiani; Candidi & Marculphi, Sylvanecti &c. Commune autem ejuſmodi, ut videre eſt in Breviariis Senonenſi, Pariſienſi, Ambianenſi, & Præmonſtratenſi, multa habet mutuata ex Communi plurimorum Martyrum, aliqua etiam ex Feſto omnium Sanctorum; reliqua verò ſunt iſta. In multis Breviariis habetur Cōmune plurimorum Confeſſorum.

Antiphonæ ad Cantica, *Sint lumbi. Sacerdotes Dei. Sancti tui Domine benedicent te. Nomen ſempiternum, In circuitu tuo.* Reſponſoria, *Lætamini. Exultabunt. Juſti autem, Sacerdotes Dei. Corpora Sanctorum. Sacerdotes ejus &c.* Capitula, *Plures facti ſunt Sacerdotes. Hi ſunt viri miſericordiæ. Fulgebunt juſti. Expectatio juſtorum lætitia &c.* Hymni, *Sanctorum meritis*, cum ſecundo verſu & ultimo tantùm. *Æterna Chriſti munera, & Confeſſorum gloriam &c. Devota Sanctorum fides*, cum reliquis verſibus. Pariſienſe habet proprium, *Chriſte lucis ſplendor veræ.* Turonenſe, *Adeſt ſacrata Præſulum.* Rothomagenſe, *Annue Chriſte.* Orationes, *Deus qui nos Sanctorum Confeſſorum tuorum, pariterque Pontificum glorioſis Confeſſionibus circumdas & protegis &c. Concede quæſumus omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam &c.*

QUÆSTIO XI.

Quid ſi fiat de duobus Confeſſoribus, quorum unus ſit Pontifex, alter non item.

EJuſmodi ſunt SS. Lupus & Ægidius, quorum feſtivitas aliquibus in Eccleſiis utriuſque nomini dicatis agitur 1. *Septemb.* Quo verò Officio mihi exploratum non eſt. Juxta Romanum uſum exiſtimaverim ſumendum de Communi Confeſſoris Pontificis, ea ratione qua de S. Innocentio Papa & Confeſſ. juncto cum SS. Nazario &c. Martyribus; & de S. Juvenale Epiſc. item & Confeſſ. juncto cum SS. Alexandro &c. fit Officium de Martyribus; æquius nempe eſt, ut qui inferioris eſt ordinis ad ſuperiorem elevetur, quàm qui ſuperioris ad inferiorem deprimatur. Confeſſor non Pontifex junctus Pontifici poteſt coli eodem cum ipſo Officio.

Nec obſtat, quòd aliqua ſint, quæ Confeſſori Pontifici dumtaxat conveniunt, ut ſunt verba illa, *Ecce Sacerdos magnus, Inveni David &c.* Satis enim eſt quòd ea de altero illorum verè enuncientur. Qua item ratione, quibus in uſu eſt Commune plurimorum Confeſſorum, illud perinde poſſunt in hoc caſu totum uſurpare, licèt in eo ſint aliqua, quæ Pontificibus tantùm conveniant, puta, *Sacerdotes Dei &c.* Secùs ſi ambo fuerint non Pontifices; tunc enim cùm de neutro verba illa verè enuncientur, ſummovenda ſunt penitus.

C A-

CAPUT XIV.

DE COMMUNI VIRGINUM & non Virginum.

OPus non eſt alterum ab altero ſeparare, cùm utriuſque multa eadem ſint. Quin & in aliquibus antiquis Breviariis nonniſi unum promiſcuum habebatur, hincque fortè ortus error ut Sanctæ omnes fœminæ Virgines inſcriberentur; ſic reperi non ſemel *Sabinæ Virginis & Martyris*.

QUÆSTIO I.

Quibus competat utrumque hocce Commune?

OMnibus Sanctis Fœminis, Virginibus quidem primùm, & ſi fuerint Martyres, Oratio, Hymnus Matutini, Reſponſorium primum & Capitulum Nonæ, peculiaria ipſis tribuuntur, cum Lectionibus primi Nocturni *Confitebor*. Senonenſe tribuit etiam S. Columbæ Virg. & Mart. Capitulum *Confitebor*, more Breviarii Romani in Feſtis S. Agnetis & S. Agathæ. Non Virginibus datur ſecundum Officium, cujus iidem ſunt Pſalmi, eædemque Antiphonæ ad Matutinum, excepta ſecunda. Pro Martyre ſumuntur Lectiones primi Noct. & Capitulum *Confitebor*, cum aliis. Pro non Martyre, *Mulierem fortem*.

QUÆSTIO II.

Sintne aliqua in hoc utroque Officio minùs apta, aliqua item cavenda?

Gavantus.

Non Virgo dicitur etiam ſponſa Chriſti.

NIhil non aptum. Laborat Gavantus *ſect.* 8. *cap.* 4. *num.* 5. myſticamque valdè rationem affert, quòd Antiphona, *Veni ſponſa*, retenta ſit in tertio Nocturno pro non Virgine, ne, inquit, Sancta mulier non Virgo rejecta videatur à nuptiis Chriſti ſpiritualibus, quibus & ipſa gaudet occultiore modo. Gaudet equidem, cùm omnis anima ſancta verè ſponſa ſit Chriſti, nec ampliori ratione opus eſt ad prædictæ Antiphonæ juſtificationem; quæ etiam non malè quadrat Sanctis fœminis veteris Teſtamenti, ob fidem in Chriſtum venturum. Sed difficiliùs ſalvatur illud noni Reſponſorii, *Propter amorem Domini mei Jeſu Chriſti, Quem vidi &c.* quod, niſi intelligas fide, verum eſſe non poteſt, ne in S. Anna quidem, ſi ipſa obierit ante Chriſtum natum, quod exploratum non eſt; ob idque reor, cùm in Hymno, *Fortem virili pectore*, priùs legeretur, *Hæc Chriſti amore ſaucia*, ſic fuiſſe emendatum, *Hæc ſancto amore ſaucia*.

Cavenda.

Cavendum verò nihil occurrit, niſi *Alleluja* poſt Septuageſimam in fine Antiphonæ quartæ Laudum

QUÆSTIO III.

Quæ diverſa à Romano in aliis uſibus?

Antiphonæ diverſæ.

PRimò: Antiphonæ ad Cantica ex Evangelio, *Simile eſt regnum cœlorum decem Virginibus. Quinque prudentes. Inventa bona. Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ.* Aliæ, *Veni in hortum meum. Accinxit fortitudine. Iſta eſt Virgo ſapiens. Virgo Chriſto amabilis.* Ad Nocturnos aliquæ ex Evangelio, *Simile eſt regnum cœlorum decem Virginibus. Quinque autem prudentes. Media nocte. Tunc ſurrexerunt. Quinque fatuæ. Date nobis. Reſponderunt prudentes. Dum autem irent. Noviſſimè veniunt. Veniente ſponſo.* Aliæ ex Canticis Canticorum, *Ecce tu pulcra es. Sicut malum. Tota pulcra es. Unguentum effuſum. Surge Aquilo &c.* Aliæ item, *In cœlis gaudent. Hæc eſt Virgo ſancta. Hæc eſt Virgo prudens. Vidi ſpecioſam.* Ad Laudes Senonenſe habet quinque pro Virginibus, quarum prima incipit, *O quàm glorioſa es.* Pro non Virginibus verò habentur paſſim aliæ quinque, *Emiſſiones tuæ. Favus diſtillans. In odorem. Fons hortorum. Pulcra es.* Rhemenſe quinque alias, quarum prima incipit, *Domine Deus meus exaltaſti.* Alias item quinque Ordo Prædicatorum, *Gratia ſuper gratiam*, cum reliquis. In aliis eædem quæ pro Virginibus, mutato nomine Virginis hoc modo, *Hæc eſt ancilla Chriſti, Hæc eſt electa Chriſti.*

Uſus Senonenſis.

Rhemenſis.

Ord. Prædic.

Reſponſoria diverſa.

Secundò: Reſponſoria, *Hæc eſt Virgo ſapiens. Prudentes Virgines. Induit me Dominus. Simile eſt regnum cœlorum decem Virginibus.* Ex Monaſtico, *Quinque prudentes. Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ. Audi filia. Non eris inter fatuas. Audivi vocem. Feliciter Virgines. Innumerabilis. Has Virgines. Pulcra facie. Gaudeamus omnes &c.* Aliunde ſumpta, *Corde & animo. Ornatam monilibus. Grata facta es.* Pro non Virgine mutant ſic aliqui primum Reſponſ. *Veni ſponſa &c. pro cujus amore ſæculum contempſiſti*, vel *mundum reſpuiſti. Quàm pulcra es. Accinxit fortitudine. Beata es N. Manum ſuam. Hanc amavi. Date ei de fructu.*

Invitatoria.

Tertiò: Invitatoria pro Virgine, *Agnum ſponſum.* Pro non Virgine, *Regem Electarum. In honorem Beatæ N.*

Capitula.

Quartò: Capitula, *Sapientia vincit malitiam. Ego quaſi Libanus. Virgo cogitat. Mulier timens Dominum. Sapientia laudabit animam ſuam. Sicut ſol oriens.*

Verſus.

Quintò: Verſus, *Dilexiſti juſtitiam. Hæc eſt Virgo ſapiens. Mulier timens Dominum.*

Hymni ex aliis concinnati.

Sextò: Fecerat Hymnorum penuria, ut in multis olim uſibus, ex aliis Hymnis mutuarentur Verſus aliquot non incongrui, putà *Hæc rite mundi gaudia. Ad ſacrum cujus*, in antiquo Bituricenſi. *Te deprecamur largiùs*, in Aurelianenſi. Quin & reperi in quodam Breviario Monialium, vertiſſe illas Hymnum *Iſte Confeſſor*, in fœmininum, hoc modo, *Iſta devota mulier beata, feſta plebs cujus &c. Quæ pia, prudens, humilis, pudica &c.* Aliud non mulierum, haud ſatis opportunè verſum hunc uſurpat ex Hymno quodam S. Mariæ Magdalenæ, *Pia mater & humilis &c.* cùm hæc verba ad Beatam Mariam Deiparam dirigantur. Sunt in uſu apud aliquos Hymni *Gratuletur Eccleſia*, & *Hujus è Chriſte*; ſed quid hi omnes ad Hymnum *Fortem virili pectore*? quidve cætera omnia ad uſum Romanum faciliorem juxta & elegantiorem?

QUÆSTIO IV.

Quo utendum Officio in Feſto plurimarum Sanctarum Virginum, & non Virginum?

HAbet Breviarium Romanum pro Virginibus Antiph. *Prudentes Virgines*, cum Verſu *Adducentur*, & Orat. *Da nobis*, cætera omnia ut pro una Virgine: Pro non Virginibus habetur, non in Communi quidem, ſed in proprio Sanctorum, pro SS. Perpetua & Felicitate, Antiph. *Iſtarum eſt enim*, Verſ. *Gloria & honore coronaſti eas Domine*, & Oratio eadem; quæ in ſimili mutuare non erit incongruum: cætera de Communi non Virginum.

Officium proprium SS. Urſulæ & ſociarum commune quibuſvis aliis.

Eſt in Pariſienſi Breviario Officium totum proprium de S. Urſula & Sociabus, depromptum partim ex ſuprà allatis rejectaneis, partim ex Officio S. Agnetis, mutato numero ſingulari in pluralem, quod Officium quibuſlibet aliis Virginibus & Martyribus æquè conveniret.

Brev. Præmonſtratenſe.

Eſt itidem in Breviario Præmonſtratenſi Commune plurimarum Virg. & Mart. concinnè omnino ex iiſdem rejectaneis aptatum, in gratiam, ut

conji-

Digitized by Google

conjicere eſt, prædictæ S. Urſulæ & Sociarum, quarum utrique Feſtum in illo Ordine adeò ſolemne eſt, ut etiam habeat Octavam.

CAPUT XV.

De Communi Dedicationis Eccleſiæ.

PRioribus libris à Dedicatione ſemper auſpicabamur, hic è contrà facit Ordo Breviarii, ut poſtremum illi locum tribuamus; quo tamen ordine nemo quidquam ipſi de congrua ſolemnitate detractum eſſe protinus intelliget.

QUÆSTIO I.

An cujuslibet Eccleſiæ Dedicationi competat hocce Commune?

COmpetit planè, ſi fiat Officium Dedicationis. Ecquod enim aliud aptius poſſet ſubrogari? Sed nunquid Lectiones propriæ haberi poſſunt, tum de Scriptura, ſi quæ ad rem facere magis comperiantur, tum de hiſtoria propria Dedicationis ejus numero Eccleſiæ, eo modo quo poſitæ ſunt in Breviario de Dedicatione Baſilicæ Salvatoris, & Baſilicarum Petri & Pauli? Poſſet id nonnunquam locum habere in inſignioribus illis Baſilicis, quæ non ſine portento aliquo, ſignove divinitus edito olim dedicatæ fuerunt, quales memorantur Baſilicæ Aurelianenſis, S. Dionyſii in Francia, Turonenſis S. Martini, & paucæ aliæ; ſed nec in his quidquam ſimile obſervavi, niſi in ſola Aurelianenſi, cujus Dedicatio cùm die ipſo Inventionis S. Crucis, qui titulus ejus eſt, celebretur, ſic Officium diei illius in proprio Breviario diſpoſitum eſt, ut pars una ſit de Dedicatione, pars verò altera de Inventione; quin & Horæ Veſperæque ac Completorium cum *Alleluja*, Antiphona *Hæc dies*, cæteriſque more Paſchatis perſolvuntur.

Officium Dedicationis Eccleſiæ Aurelianenſis.

Dixi, ſi fiat Officium Dedicationis; nam in Dedicatione S. Mariæ ad Nives, & S. Michaelis in monte Gargano, Officium fit non de Dedicatione, ſed de ipſiſmet B. Virgine & S. Michaele, quibus dicatæ ſunt Baſilicæ. Quod & obſervat Eccleſia S. Martini Turonenſis, in ſua Dedicatione, eodem ſimul die cum ipſius Sancti Tranſlatione incidente.

Officium Dedicationis S. Mariæ ad Nives, de B. Maria, ei dem S. Michaelis & S. Martini.

QUÆSTIO II.

Quid advertendum in hoc Officio?

ILlud ferè unum, ut dicto pro Antiphona prima tertii Nocturni *Qui habitat &c.* Pſalmum incipias à ſecundo Verſu *Dicet Domino, ſuſceptor &c.* præterquam tempore Paſchali, quo videlicet per additionem *Alleluja* ad finem Antiphonæ, tollitur continuatio ejuſdem Antiphonæ cum Pſalmo, adeoque tunc inchoandus Pſalmus à primo Verſu *Qui habitat*. Quo item tempore addendum *Alleluja*, treſque Pſalmi cujuſque Nocturni ſub prima Antiphona illius dicendi more ſuprà deſcripto *capit. 12. quæſt. 4.* Poſt Septuageſimam verò ſupprimendum *Alleluja* in fine Antiphonæ 9. Matut. & Antiphonæ ad *Benedictus*.

Continuatio Pſalmi, quando Antiphona eſt eadem cum primo Verſu.

QUÆSTIO III.

Ecquid differant in Officio Dedicationis alii uſus à Romano?

PRimò: Antiphonis aliquot in Pſalmos, videlicet *Architectus Deus. Domum iſtam. Benedic Domine. Hæc aula. Introibo ad Altare Dei. Dominus in templo. Adorate Dominum in aula. Cùmque evigilaſſet. Tu Domine univerſorum. Reſpice Domine.* Ad *Magnificat* verò, *Pax æterna.*

Antiphonæ aliæ.

Secundò: Invitatoriis, *Filiæ Sion. Exultemus Domino. Domus mea. Alleluja, Regem Regum.*

Invitatoria.

Tertiò: Reſponſoriis, *Terribilis. Quam dilecta. Benedictus es in templo. Vidi civitatem* (ex Monaſtico quatuor hæc.) *Ecce tabernaculum. Beati qui habitant. Tu Domine univerſorum. Sanctificavit Dominus. Ædificatum eſt templum. Surgens Jacob. Adduxiſti Sanctos tuos. Hæc eſt domus Domini. Domine dilexi decorem.*

Reſponſoria.

Quartò: Capitulis, *Fratres, neſcitis quia templum Dei. Unuſquiſque propriam mercedem. Fundamentum aliud nemo. Dei ſumus adjutores.*

Capitula.

Quintò: Verſibus, *Beati qui habitant. Fundata eſt domus Domini. Benedic Domine domum iſtam. Domine dilexi decorem. Adorate Dominum.*

Verſus.

Fuit olim uſitatus paſſim Hymnus *Chriſte cunctorum Dominator alme*, paulò ille quidem longior, ſed bifariam trifariamque diviſus; hunc nos cum aliis emendavimus, quòd eo quæcunque obeuntur munia, aptè ſatis deſcribantur. Multis quoque fuit in uſu, eſtque adhuc aliquibus, ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Completorium, præſcribere Hymnum *Hoc in templo ſumme Deus.*

Hymnus etiam per Horas uſitatus.

Habebant & uſus aliqui Homiliam in Evangelium *Facta ſunt encænia*, alii in Evang. *Non eſt arbor bona*. Præmonſtratenſe ponit utrumque cum 8. Zacchæi, pro ſingulis Lectionibus tertii Nocturni. Ordo Prædicatorum de more, Lectiones per Octavas habet verè ſelectas aptaſque admodum. Sed horum omnium nulla Romanum uſum ſuperant, pauca æquant, ni mavis dicere omnia in comparatione exauctoranda.

Homiliæ in alia Evangelia.

CAPUT XVI.

De Feſtis quorum nullum extat Commune.

SUnt illa, Dei omnipotentis, Chriſti Domini, B. Mariæ, Angelorum, ac Sanctorum veteris Teſtamenti. Cùm enim Commune Sanctorum idcirco adinventum ſit, ut multis ejuſdem ordinis inſerviat, nil mirum eſt de Deo Opt. Max. Chriſto Domino, & B. Maria nullum dari Commune, quibus utique, quoad cultum ipſis debitum, ſingularia omnia, nihilque eum aliis commune eſt.

Non extat Commune Feſtorum Dei omnipotentis, Chriſti Domini, & B. Mariæ.

De Angelis verò itidem, non quòd multi non ſint, ſed quòd tres nobis dumtaxat eùm de nomine cogniti ſint, Michaeli cæteros adjungimus, unoque omnes ſimul Officio veneramur.

Nec item Angelorum.

Quoad verò Sanctos veteris Teſtamenti, non eſt in uſu poſitum, ut univerſim ab tota Eccleſia celebrentur: ſed ſi quibus in locis eorum memoria ob Reliquias aliamve cauſam venerationi eſt, de iis particulare iſtic feſtum agendum. Id verò quia tarò accidit, iique Sancti pauci ſunt admodum, otioſum valdè, & inutile fuiſſet de iis Commune aliquod condere.

Nec denique Sanctorum veteris Teſtamenti.

In his itaque tribus Feſtorum generibus, ubicunque habentur Officia propria, ſive uſu ac conſuetudine legitimè præſcripta, ſive authoritate eorum

Digitized by Google

rum ad quos de jure ſpectat approbata (quorum aliqua hic recenſebimus ,) iis omnino utendum erit. Sin minùs, quò recurrendum ? Nodus hic ſolvendus nobis eſt hocce Capite, diſtinctis de quolibet iſtorum feſtorum genere quæſtionibus, additiſque una aut altera ad Sanctos aliquot alios pertinentibus.

QUÆSTIO I.

Quò recurrendum in Feſtis Dei Omnipotentis, ac Chriſti Domini, quibus proprium deeſt Officium?

Nullum datur Feſtum Dei proprium.

DEi Optimi Maximi, ut in ſe eſt ſeu abſolutè ſumpti, Feſtum nullum dari proprium aſſeruimus *lib.* 1. *cap.* 6. *quæſt.* 3. quòd videlicet feſta omnia illius ſint, & ad ipſum ultimatè dirigantur. Poſſe verò de qualibet perſona divina ſeorſim ab aliis, haud negavimus ibid. *quæſt.* 5. ſed dari de facto, nullibi hactenus obſervavi, ni tu Feſtum Pentecoſtes appelles Feſtum Spiritus Sancti; at non ſolius perſonæ feſtum eſt, ſed Myſterii integri, videlicet Miſſionis ejuſdem Spiritus Sancti ſuper Apoſtolos, perinde ac Feſtum Paſchæ, Aſcenſionis, & ſimilia, non ſolius perſonæ Filii, ſed Myſteriorum Feſta ſunt per Chriſtum Dominum, eumque Deum & hominem completorum. Unde nec placet hoc ſenſu, quod ait Durandus *libr.* 6. *cap.* 114. Nativitatem Chriſti dici feſtivitatem Patris, ſicut Paſcha Filii, Pentecoſte Spiritus Sancti. Quòd ſi tamen contingat alicubi ejuſmodi feſta celebrari, & ipſa proprium non habeant Officium approbatum, ad nullum aliud commodiùs recurri poſſe exiſtimo, quàm ad Officium SS. Trinitatis, cujus in Myſterio tres ipſæ perſonæ continentur, idque ſuadet ratio mox de Chriſto ipſo ſubjicienda. Multò autem magis ad idem Trinitatis Officium recurrendum in altero Feſto ejuſdem Sanctiſſimæ Trinitatis, quod celebratur multis in locis Dominica ultima poſt Pentecoſtem. De feſtis Attributorum ſeu Perfectionum divinarum nihil ſuggero, cùm nullibi ejuſmodi fieri hactenus deprehenderim, nec verò ea convenienter in uſum induci poſſe viſus ſum aſſerere *loco cit. quæſt.* 6.

Neque perſonæ divinæ ſeorſim ab aliis.

Durandus.

Si tamen detur, fiat Officium de Trinitate.

Nulla Feſta Attributorum divinorum.

Quod verò ad Chriſtum Dominum attinet, præter feſta præcipuorum vitæ ipſius Myſteriorum ac S. Crucis quæ ubique ab omni Eccleſiæ ævo fiunt, hæc prætereà variis in locis recentior uſus induxit.

Feſtum Nominis Jeſu.

Feſtum Nominis Jeſu, cujus Officium proprium quod incipit, *Omnis qui invocaverit*, per quemdam Bernardinum de Buſtis Minoritam compoſitum, Clemens VII. primùm, tum etiam Clemens VIII. celebrandum die 14. Januarii Ordini Minorum conceſſit, quod & ad multas deinceps Eccleſias traductum, legitimè, ut reor, uſurpatur.

Feſtum quinque Plagarum Chriſti Domini.

Feſtum quinque Plagarum Chriſti Domini, quod celebratur in Eccleſia Pariſienſi Feria 6. poſt Cineres, cum Officio toto proprio, pio admodum & eleganti, ex ſelectis Iſaiæ ac Pauli Apoſtoli locis maximam partem collecto. Eſt & aliud æquè proprium in Eccleſia Turonenſi, in qua idem feſtum celebratur, in Metropolitana quidem 9. *Julii*, in Sancti verò Martini 13. longè tamen Pariſienſi poſtponendum.

Feſtum Coronæ Spineæ.

Sanctæ Coronæ Spineæ, ſeu Coronationis Chriſti Domini, feſtum agunt Eccleſia Pariſienſis, ejuſque exemplo multæ aliæ Galliarum, 11. *Auguſti*, eo ipſo die, quo tam ſanctum Pignus à S. Ludovico Rege magno pretio ab Orientalibus redemptum, ab ipſomet ſuſceptum eſt, & in Sacra Cappella Pariſienſi magnificè ab eo ad id extructa, ſummo regni totius decore ac bono, cum cæteris Dominicæ Paſſionis inſigniis ac Sanctorum Reliquiis plurimis depoſitum. Officium verò integrum proprium erat in antiquo Breviario Pariſienſi, & ex illo ad alias Eccleſias traductum, Rhythmicum

Gavet, Heortologia.

illud totum ac planè inſulſum, quod in poſtrema recognitione in aliud mutatum eſt ex ſacris paginis depromptum ac ſtilo elegantiori concinnatum, dignumque quod Senonenſi, Carnutenſi, eique etiam quod habet Breviarium Ordinis Prædicatorum *ad ſeptimum Maji*, aliiſque alibi uſitatis præferatur.

Feſtum Inventionis pueri Jeſu.

Inventionis pueri Jeſu in Templo Officium habent Propria quædam Monialium, (adeò novis nunquam ſatiatur devotus ille ſexus:) quaſi verò non ſufficienter recolatur Myſterium hoc Dominica infra Octavam Epiphaniæ, cui eſt pro Evangelio. Quàm verò cautæ illæ fuerint ac prudentes in eo Officio ordinando, hinc videas, quòd cùm feſtum ejuſmodi *die* 11. *Febr.* conſignaverint (cur verò iſto potiùs quàm alio, ſub earum velo grande aliquod myſterium latere credendum eſt;) dies porrò iſte cùm frequentiſſimè intra Septuageſimæ fines concludatur, fartim nihilominus *Alleluja* ubique reſperſere, adeo ut in duobus Reſponſoriis nihil poſt Verſum reſumendum ſuperſit præter *Alleluja Alleluja*.

Feſtum Relationis ejuſdem.

De Relatione ejuſdem pueri Jeſu, quam *ſeptimo Jan.* commemorat Martyrologium, ut nullum feſtum, ſic & nullum uſpiam reperi Officium; abundè utique recolitur ipſa Lectione Evangelii quod recitatur in Vigilia Epiphaniæ.

In aliis Feſtis Chriſti Domini ſumendum Officium, vel ex affinibus ejuſdem Myſteriis, vel, ſi aliud non conveniat, de Feſto SS. Trinitatis.

Alia Feſta particularia Chriſti Domini, quæ occurrere poſſunt variis in locis, ejuſmodi ſunt. Primò: Ut ad Myſterium aliquod ejuſdem Chriſti Domini tamquam appendices ſeu Reliquiæ pertineant, putà S. Præſepis & Sanctarum Faſciarum veneratio ad Nativitatis Myſterium, Sacratiſſimi Præputii ad Circuncìſionis, & S. Sudarii ad Paſſionis: iis verò nedum Officio ullo proprio opus eſt, ut ne feſtivitate quidem à præcipuo illo Myſterio ſeparari debeant.

Secundò: Sunt alia in facti alicujus memoriam inſtituta, putà ob effuſionem ſanguinis ex hoſtia vel ex imagine Crucifixi, aut portentoſam Crucis apparitionem, vel Reliquiarum ejuſdem ſuſceptionem; & feſta illa quidem die ipſo celebrari par eſt, quo portentum ejuſmodi contigit, aut Reliquia ſuſcepta eſt; at cùm affinitatem habeant cum Myſterio ſeu feſto, ſive Corporis Chriſti, ſive Crucis, commodè quoque iis tribui poteſt eorumdem feſtorum Officium, mutatis dumtaxat Lectionibus 2. Nocturni in alias congruentiores approbatas, & ſervata Temporis, ſive Septuageſimæ, ſive Paſchalis ratione; ut videlicet in hoc addatur *Alleluja* more præſcripto, in illo verò prorſus omittatur. Sic Eccleſia Senonenſis Officium Corporis Chriſti adhibet in Feſto Recuperationis hoſtiæ, Pariſienſis Officium Exaltationis S. Crucis, in feſto Suſceptionis quod celebrat Dominica 1. Auguſti. Aurelianenſis itidem in feſto tum Apparitionis ejuſdem S. Crucis, tum eo quod vocat S. Salvatoris, ſeu fuſarum ex imagine Crucifixi ubertim lacrymarum. Coriſopitenſis Officium quinque Plagarum feſto effuſionis Sanguinis itidem ex imagine Crucifixi &c.

Tertiò: Si quæ ſint denique alicubi feſta propria de Chriſto Domino, quæ & ſtatum ſibi diem exigant, nec tamen ad aliquod aliud ejuſdem Myſterium commodè poſſint revocari, Officium in iis recitari poterit de Feſto SS. Trinitatis. Ducor ut id aſſeram à pari de Feſto Transfigurationis, cui in antiquo Breviario Pariſienſi, defectu alterius proprii, impoſitum erat hoc Officium. Eſt Officium quoddam ſolemnitatis Jeſu titulo inſcriptum, item aliud ejuſdem Domini Jeſu cum hominibus converſantis, utrumque ab Illuſtriſſimo Cardinali Berulio ex ſelectiſſimis Scripturæ de eodem Chriſto Domino præconiis magno cum pietatis affectu congeſtum, quod uſui eſſe poteſt (quibus eo uti fas eſt) in quocunque particulari Feſto de eodem Chriſto Domino.

N QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

Quò recurrendum in Feſtis particularibus B. Mariæ?

Officium proprium Feſti Expectationis B. Mariæ.

PLurima ejuſmodi feſta recenſuimus *libr. 1. capit. 6. quæſt.* 13. Horum aliqua proprium habent Officium variis in locis. Inprimis Feſtum Expectationis in aliquibus Eccleſiis celebrari ſolitum octavo die ante Feſtum Nativitatis, hoc eſt 18. *Decembris*, cujus Officium proprium, ab Eccleſiis Hiſpaniæ mutuatum, Maclovienſis prima omnium Galliæ, quod ſciam, uſurpavit.

Item Feſti Compaſſionis ejuſdem, ſeu B. Mariæ Pietatis, illudque multiplex in variis uſibus.

Eſt item Compaſſionis Feſtum, ſeu B. Mariæ Pietatis, in Eccleſiis Pariſienſi, Aurelianenſi, Andegavenſi, Pictavienſi, Nivernenſi, Cabilonenſi, aliiſque paſſim jam inductum, cujus Officium multiplex habetur proprium. Uſitatius eſt, quod habent Breviaria Andegavenſe, Nivernenſe, Pictavienſe & alia, pium illud quidem ſed rhythmis non adeò gratis incedens, hymnoſque habens vitioſam quantitatem ſua non ſatis venuſtate compenſantes. Æquius eſt quod habet Ordo Prædicatorum ex variis Scripturæ Allegoriis concinnatum, hymnoque Laudum non puro illo penitus, haud tamen ineleganti conſpicuum, qui ſic incipit *Regina mundi lacrymas, Fletumque cordis tempera &c.*

Uſus Pariſienſis.

Sed longè his præſtat Pariſienſe cum ob cætera, tum ob hymnos duos, copiosè jam à nobis alibi, ſed nunquam ſatis laudatos. Diſplicet

Improbatur uſus quarumdam Monialium.

verò maximè, quod habet Sanctimonialium quarumdam proprium, textrice, ut ſuſpicari libet, manu conſarcinatum. Sunt enim in eo multa perperam, & in ſenſu vix probando aptata, quale eſt illud, *Infirmata eſt virtus mea, dedit me Dominus in manu de qua non potero ſurgere.* Hoc de temetipſa ſi dicis, ò bona, nemo repugnabit; ſin autem dolentis Virginis ori affingis, durum id nimis, ne dicam injurioſum; at Latinè tibi minimè callenti condonandum, modò à fuſo manum ad ſacras tabulas ampliùs non ſummoveas.

Officium Feſti Gaudiorum B. Virginis.
Uſus Ambian. & Noviomenſis.

Feſtum Gaudiorum ejuſdem B. Virginis celebrant Eccleſiæ Ambianenſis & Noviomenſis, hæc *in Dominica* 1. *vel* 2. *Julii*, illa *Sabbato poſt Aſcenſionem*, cum Officio conſtante Antiphonis rhythmicis ad Laudes & ad Cantica ſcabroſis & aſperis, cætera ut in Feſto Nativitatis.

Officium Feſti Deſponſationis.
Uſus Nannetenſis.
Feſta Commemorationis B. Mariæ, Miraculorū & Roſarii.
Uſus Carnutenſis.
Silvanectenſis.
Bituricenſis.

Feſtum Sacri Conjugii, ſive Deſponſationis Nannetenſis Eccleſia *die* 15. *Jan.* cum Officio toto proprio ex aliis ejus Officiis hinc inde collecto. Feſtum ſolemne ſub titulo Commemorationis B. Mariæ, bis Eccleſia Carnutenſis, videlicet 15. *Martii*, ob liberatam urbem ab obſidione, & 17. *Octobris*, loco Dedicationis. Feſtum Miraculorum Eccleſia Silvanectenſis *Dominica* 2. *Maji*, cujus item dies ultima in Breviario Bituricenſi conſignata eſt Feſto Miraculorum B. Mariæ Dolenſis. Denique celeberrimum eſt ubique Feſtum Roſarii, de quo Gavantus *ſect.* 7. *cap.* 12.

Officium Nativitatis B. Mariæ, vel ejuſdem ad Nives in aliis ipſius ſolemnitatibus communiter uſurpatum.
Gavantus.

In his verò omnibus ut plurimum aſſumitur majori ſaltem ex parte Officium Nativitatis ejuſdem B. Mariæ, mutato *Nativitatis* nomine in *Feſtivitatis*, ſeu *Solemnitatis*, quod ab ipſomet Prædicatorum Ordine in dicto Feſto Roſarii factitatur: nec id improbat idem Gavantus, quamquam ea nobis cum ipſo mens eſt, præſtare longè Officium B. Mariæ ad Nives, eò vel maximè quòd quadrat appoſitè magis, nec prædictis in eo opus

Uſus Cabilonenſis.

eſt mutationibus, cantantes ſæpè ſeu recitantes interturbantibus; quin & Proprium Cabilonenſe illud totum aſſignat etiam pro Feſto Compaſſionis, exceptis tantùm Lectionibus, Oratione *Interveniat*, & Hymno *Stabat Mater*, trifariam diviſo.

Officium B. Mariæ ad Nives eſt velut Commune illarum.

Habeatur itaque ejuſmodi Officium, velut Commune quoddam Feſtorum B. Mariæ, ſalvis Lectionibus ſecundi Nocturni, quarum loco ſumi poſſunt indicante Gavanto, vel ipſæmet de Feſto Nativitatis, vel aliquæ ex Octavario. Item cùm hujuſce Officii Antiphonæ ad Laudes & ad *Magnificat*, & *Benedictus*, cum Oratione, deſumptæ ſint ex Officio ejuſdem B. Mariæ in Sabbatis per annum, mutandæ erunt in Antiphonas poſitas pro tempore poſt Nativitatem, videlicet *O admirabile &c.* ſi eo tempore Feſtum aliquod B. Mariæ proprium celebretur; ſumenda item erit Homilia in Evangelium, *Paſtores* quæ habetur pro die infra Octavam Nativitatis Domini. Similiter Tempore Paſchali ſumenda Antiphona *Regina cœli* ad *Magnificat*, & *Benedictus*, & comparanda Homilia in Evangelium *Stabat juxta Crucem*. Suppeditabit Auguſtinus Tractat. 119. in Joannem, ex quo deſumpſere Breviaria Rhemenſe, Rothomagenſe, Carnutenſe, & alia quæ Officium habent 9. Lectionum de B. Maria in Sabbato, pro Tempore Paſchali. Tempore verò Adventus Officium totum ut in Feſto Annunciationis.

QUÆSTIO III.

Quò recurrendum in Feſtis Angelorum?

Varia Officia propria de S. Gabriele Archangelo.

DE S. Gabriele Archangelo, cujus feſtum ab aliis recolitur *die* 18. *Martii*, ab aliis 23. vel 24. ab aliis etiam 1. *Aprilis*, ut obſervavimus *lib.* 2. *capit.* 4. *quæſt.* 2. multiplex circumfertur Officium

Proprium Minorum.

proprium. Vulgare eſt quod habetur in Proprio Minorum, totum rhythmis incedens, Hymniſque habens Sapphicum unum, alterum Aſclepiadæum, mendoſum utrumque; mutuarunt illud propria Nannetenſe & Pictavienſe, niſi quòd in hoc Antiphonæ & Reſponſoria media ſui parte truncata fuerunt.

Uſus Prædicatorum.

Aliud habet Ordo Prædicatorum ex variis Danielis, & Evangelii textibus compactum, Hymniſque tribus inſtructum non planè correctis. Illos ad ſe tranſumpſerunt bonæ Moniales, ſed ut bonæ ſunt, Verſum hunc neſcio quo ex rudere effoſſum addidere:

In terris ſolus Cœlitum
Tuæ commiſſum fidei,
O ſummi favor Numinis!
Habes æterni filium.

Senſum in his verbis bonum aliquem repererint licèt duo Doctores, ſonant tamen nonnihil verba ipſa malè; imò diſſonant penitus à communi Theologorum doctrina, quam tradit D. Thomas 1. *parte*, *quæſt.* 113. *art.* 4.

D. Thomas.

Propr. Auguſtin.

Ex Daniele ſimiliter & Evangelio aliud Auguſtinienſes Eremitæ depromptum habent Officium; pro Hymnis verò, ad Veſperas adhibent Hymnum *Chriſte Sanctorum decus Angelorum*, omiſſis ſecundo & quarto verſibus. Ad Laudes verò Hymnum *Chriſte Redemptor omnium*, ex Feſto omnium Sanctorum, exemptis iiſdem verſibus tertio, quarto, & quinto. Andegavenſe Hymnos habet duos elegantiſſimos recenti arte, ni fallor, fabricatos;

Uſus Andegavenſis.

Officium verò tum ex Pſalmis, tum ex iiſdem Daniele & Evangelio non continenti textu ſed decerptim erutum, Turonenſe demum haud Hymnis quidem præſtat, niſi emendatos admiſerit; ſed quòd multa habeat ex Officio S. Michaelis deprompta, eò Romanum mihi uſum magis redolere videtur.

Uſus Turon.

Officium S. Michaelis uſurpari poteſt in quocunque alio Feſto Angelorum.

Ajo ſiquidem ipſum S. Michaelis Officium inſtar eſſe Communis Angelorum, cùm ex mente Eccleſiæ ad illorum omnium, non autem ſolius Michaelis honorem recitetur; adeoque uſui eſſe poteſt pro Feſto cujuſcunque alterius Angeli, tutiuſque eſt ſic agere quàm Officia non authentica, nec legitimè approbata ſuſcipere. Cùm itaque de duobus tantùm Sanctis Angelis quæſtio ſit, Gabriele videlicet & Raphaele; pro utroque poteſt hoc Officium accipi, ſalvo quòd pro primo

illo

illo ſubſtitui poſſunt, quæ alibi in Breviario habentur, nempe ad *Magnificat* in primis Veſperis Antiphona *Ingreſſo Zacharia*, ut in primis Veſperis S. Joannis Baptiſtæ, Reſponſoria tria primi Nocturni, ut in Feſto Annunciationis B. Mariæ; & in hoc caſu ponantur in ſecundo Nocturno tria priora S. Michaelis, & octavum erit *Gabriel Angelus*, quod eſt ultimum Nativitatis S. Joannis. Homilia in Evangelium *Miſſus*, ut habent ſuperiora Officia propria. Item Antiphonæ ad Laudes & ad Magnificat in ſecundis Veſperis, ut in Feſto Annunciationis. Pro S. Raphaele, nihil habetur in Breviario quod poſſit ſubſtitui, niſi Lectiones primi Nocturni ex feria 5. poſt Dominicam 3. Septembris. Et hæc quidem pro quolibet Angelo in particulari.

Officium de Angelis Cuſtodibus à Paulo V. cōceſſum.

Pro pluribus verò itidem, exceptis Cuſtodibus, de quibus eſt jam Officium integrum à Paulo V. conceſſum, accuratum illud, & ſuis planè numeris omnibus abſolutum, cui proinde cedere convenit alia omnia, quæ olim variis in locis uſitata erant, quale eſt quod habet Breviarium S. Martini Turonenſis 17. *Martii*, orthodoxum omnino ac pium, quippe partim ex Pſalmis inſtar Florilegii, partim ex Bernardo, aliiſque Myſticis Doctoribus decerptum: at Hymni prorſus inſulſi, multaque in ſingulari dicta, quæ ſatius eſſet plurali numero efferri.

Vſus S. Martini Turon.

QUÆSTIO IV.

Quodnam eſt Commune Sanctorum veteris Teſtamenti?

Officium S. Abrahæ in antiquo uſu Fontiſebraldi.

REperi in Ceremoniali Fontiſebraldi manuſcripto anno 1461. authoritate Goillelmi Pariſienſis Epiſcopi delegati à Pio II. ad viſitandum, corrigendum, & reformandum dictum Monaſterium & Ordinem Fontiſebraldi, Officium ſub Titulo Patriarcharum, quod tamen verè eſt ſolius Abrahæ, ex Geneſis libro depromptum. Sunt & in Carmelitano Officia propria SS. Eliæ & Eliſæi Prophetarum, & hæc quidem duo legitima, ſive uſu, ſive certa & conſtanti approbatione. At ubi deſunt ejuſmodi, vel quibus non ſunt conceſſa, quò recurrendum? Ad Commune ſive unius Martyris, ſi talis ſit de quo fit feſtum; ſive plurimorum, ſi plures fuerint, ut Machabæi; ſive denique Confeſſoris non Pontificis, ſalvis iis quæ aliunde ex Breviario ipſo deſumi poſſunt, qualia ſunt hæc:

Item SS. Eliæ & Eliſæi in uſu Carmelitarum.

Pro S. Abraham Patriarcha. Antiphona *Pater fidei noſtra*. Lect. 1. & 2. nocturni, & Reſponſoria quinque priora Dominicæ Quinquageſimæ. Pro ſexto verò, octavum, & pro ſeptimo & octavo, primum & ſecundum feriæ 2. ſequentis. Oratio denique ex Miſſali, *Deus qui in Abraha*.

Propria Sanctorum veteris Teſtamenti ex Breviario apta mutuari.

Pro S. Moyſe. Lect. 1. noct. Dominicæ 4. Quadrag. cum Reſponſ. 7. prioribus, & Oratio ex Miſſali, *Deus qui per Sanctum Moyſem*.

Pro Sancto Davide. Antiphona *Prævaluit David*. Lect. 1. & 2. noct. Dom. 4. poſt Pentecoſtem, cùm hiſce Reſponſoriis 2. 3. 4. 6. 7. & 1. feriæ ſecundæ. Item ſi lubet Homilia in Evangelium Dom. 17. poſt Pentecoſtem, in quo honorifica Davidis fit mentio.

Pro Sancto Job. Antiphona *Cum audiſſet Job*. Lect. 1. & 2. noct. cum Reſponſoriis omnibus Dominicæ 1. Sept. & pro octavo primum feriæ ſecundæ. Itidem de SS. Ezechiele, Daniele, & aliis, prout pleniùs declarabitur tomo 2. in die ſingulorum Natali.

Quòd verò prædicta omnia in hunc modum aliunde mutuari poſſint, adſtipulatorem habemus Gavantum *ſect.* 5. *cap.* 12. *num.* 22. qui licèt de Lectionibus tantùm loquatur, valet tamen æquè pro aliis ejus reſponſio; confirmaturque ampliùs ex dictis ſuprà *cap.* 3. *quæſt.* 2. ſiquidem ſunt

Gavantus.

Gavant. Heortologia.

illa omnia non tantùm approbata, utpote Canonica, ſed & ab Eccleſia ipſa ſub eadem forma uſitata.

QUÆSTIO V.

Quod Commune tribuendum Sanctis Evangelicis & Apoſtolicis?

QUorum Sanctorum in quatuor Evangeliorum libris mentio fit cum laude, ii meritò appellari poſſunt Evangelici. Sunt autem ejuſmodi, præter Beatiſſimam Virginem Deiparam, ejuſque ſponſum caſtiſſimum S. Joſephum, præter item Joannem Baptiſtam, & SS. Innocentes Martyres; ac denique præter Apoſtolos undecim, Mariam Magdalenam & Martham, de quibus omnibus ſolemnitas agitur in univerſali Eccleſia; ſunt inquam hi ſequentes alii, SS. Zacharias & Eliſabeth parentes S. Joannis Baptiſtæ, tres Magi infantis Chriſti adoratores, Simeon ſenex & Anna Propheteſſa, Nathanael (niſi is idem ſit qui Bartholomæus Apoſtolus ex mente Gavanti, aut, ut volunt alii, Urſinus primus Bituricenſis Archiepiſcopus) Lazarus frater Mariæ & Marthæ, Zacchæus, Joanna uxor Chuſæ, Nicodemus, Joſeph ab Arimathia, Miles qui lancea Chriſti Domini latus aperuit, Longinus vulgò dictus, Sanctus Latro (Dimam vocant) Chriſtum in Cruce confeſſus, Cleophas diſcipulus, Maria Jacobi, Maria Salome, & Maria Cleophæ.

Sancti qui in Evangelio cum laude memorantur.

De his ergo omnibus Commune aliud non datur quàm quod in Breviario poſitum eſt unius, vel plurimorum Martyrum, Confeſſoris Pontificis vel non Pontif. Virginis ac non Virginis, pro cujuſque ſtatu ac conditione, ut clarum eſt exemplis S. Joſeph, S. Mariæ Magdalenæ &c. Quæ autem de ſingulis illorum habentur propria in aliis Breviarii Officiis, ea perinde mutuari poſſe concludit ratio præcedenti quæſtione propoſita, & ipſius quem mox appellavi S. Joſephi Evangelium cum Homilia ex Officio Vigiliæ Nativitatis mutuatum.

De iis ut fit Officium.

Sic itaque in Feſto SS. Zachariæ & Eliſabeth die 5. Novembris ſumi poteſt Homilia in Evangelium Vigiliæ S. Joann. Baptiſt. Item Antiphonæ, *Ingreſſo Zacharia*, & *Apertum eſt os Zacharia*; duo item triave Reſponſoria, *Deſcendit Angelus*, *Gabriel Angelus*, *Eliſabeth Zacharia*.

De SS. Zacharia & Eliſabeth.

In Feſto SS. trium Magorum, quod teſte Molano Coloniæ celebratur die 23. Julii, legi poteſt Homilia in Evangelium Feſti Epiphaniæ, fortè etiam Antiphona ad Magnificat, *Magi videntes ſtellam*, cum Verſu *Reges Tharſis*, ac tribus poſtremis Reſponſoriis Matutini; imò nec dedecent duo priores Verſus Hymni Veſperarum, ac Laudum integer; addit & uſus Colonienſis Epiſtolam, *Surge, illuminare Jeruſalem*.

De Tribus Magis.

Vſus Colonienſis.

De S. Simeone, cujus Feſtum agitur 8. Octobris, nihil æquius eſt, quàm ut legatur Homilia in Evangelium Feſti Purificationis B. Mariæ, item ſumantur Antiphonæ Laudum, dempta ultima, & ad Magnificat & Benedictus, *Senex puerum*, & *Cum inducerent*, cum quinque poſterioribus Reſponſoriis. Proprium S. Cappellæ Pariſienſis aſſumit quoque Orationem, *Omnipotens ſempiterne Deus qui unigenitum tuum in ulnis S. Simeonis*, abbreviatam ex Miſſali in Benedictione Candelarum.

De S. Simeone.

Vſus S. Cappellæ Pariſienſis.

De cæteris, vix eſt aliquid, quod mutuari poſſit præter Evangelium cum Homilia, putà de S. Lazaro ex feria 6. poſt Dominicam quartam Quadrag. De S. Cleopha ex feria 2. Paſchæ. De SS. Maria Jacobi & Salome, Evangelium diei Paſchæ &c. Habent aliqui illorum integra Officia in quibuſdam Breviariis, nempe S. Lazarus in Pariſienſi *die 2. Septembr.* S. Maria Jacobi in Proprio Arelatenſi *die 25. Maji*, quod & idem eſt pro S. Maria

De SS. Lazaro, Cleopha, Maria Jacobi & Salome, Lazaro, Joſepho ab Arimathia.

Vſus Pariſienſis, Arelatenſis.

Salome *die* 23. *Octob.* Ambabus ſimul junctis aliud ab iſto tribuit Eccleſia Rhemenſis *die* 11. *Maji*. Aliud item Carnutenſis 22. *Maji*, & aliud Ebroïcenſis *die* 23. *Octob.* Digeſſit quoque Illuſtriſſimus Cardinalis Berullius Officium Proprium de S. Joſeph ab Arimathia, arte eleganti non minùs quàm pia, quod laudarunt & probarunt Doctores inſignes iidemque Epiſcopi; ſed an approbarunt ea approbatione quæ cuilibet facultatem tribuat illud uſurpandi? haud crediderim.

Rhemenſis, Carnutenſ, Ebroïcenſis.

De S. Joſepho ſponſo B. Mariæ.

Miratus ſum ſæpiùs, cùm tam multa ſappetant ex Evangelio, unde Officium Proprium de S. Joſeph ſponſo Beatiſſimæ Virginis texi facilè potuiſſet, cur non ſaltem Antiphonæ aliquæ aliquave Reſponſoria deprompta fuerint, non Hymni proprii inducti, æquè ac de S. Magdalena, hocce præſertim tam pio, tamque erudito ſæculo, quo excitata eſt, quæ priùs jacebat, erga hunc Sanctum commendataque plurimùm devotio. Et verò id præſtitit ante annos ferè centum Eccleſia Turonenſis tam Metropolitana quàm Collegiata S. Martini, admiſſo quodam Officio Rhythmico carptim ex Pſalmis aliiſque Scripturæ ſententiis compaginato, cujus Hymni duo emendati inter alios Galliæ reperiuntur. At huic longè præſtat quod habet Breviarium Pariſienſe novum. Senonenſe, Andegavenſe, & alia habent tantùm Antiphonas ad Magnificat & Benedictus ex Evangelio depromptas. Quòd verò Romanum nihil horum admiſit, argumento eſt cohærere plurimùm eum Eccleſiæ ſenſu, quæ paſſim hocce libro de Officiorum propriorum paucitate definimus.

Uſus Turon.

Uſus Pariſ. Senon. Andegav.

De S. Joanne Baptiſta.

De Sancto item Joanne Baptiſta cùm præter illius Nativitatem & Decollationem celebrentur in aliquibus Eccleſiis alia ejuſdem feſta, puta Inventionis Capitis *die* 24. *Febr.* Receptionis faciei in Eccleſia Ambianenſi *die* 17. *Dec. &c.* dubitari poteſt, quodnam in ejuſmodi feſtis Officium ſumi debeat: An Nativitatis? An verò Decollationis? Sed convenientius eſſe hoc ultimum ipſa feſtorum affinitas, uſuſque prædictæ Eccleſiæ Ambianenſis ſatis demonſtrant.

Uſus Ambian.

Quæri adhuc poſſent hìc aliqua circa Evangeliorum delectum in quibuſdam Feſtis Sanctorum, ſed iis commodiùs ſatisfiet infrà ubi de Miſſa.

De Sanctis Apoſtolicis.

Sicut & pro Sanctis Apoſtolicis (illos ſic appellamus, quorum fit mentio vel in Actis Apoſtolorum, vel in Epiſtolis Pauli, aliiſque Canonicis) quibus utique aliud nihil ex præfatis libris tribui poteſt, quam Epiſtola in Miſſa, ut fit in Feſtis S. Dionyſii, S. Clementis & paucis aliis, vel ad ſummum Lectiones pro primo Nocturno, prout dictum eſt ſuprà *cap.* 3. *quæſt.* 3. Cætera namque omnia de Communi pro cujuſque qualitate ſumenda ſunt.

QUÆSTIO VI.

Quodnam item Sanctis quorum dubia eſt qualitas?

MOvendæ quæſtionis hujus occaſionem præbent nonnulli ex memoratis præcedenti quæſtione Sanctis Evangelicis, de quibus non conſtat, martyrione conſumpti, an in pace vitam finierint?

S. Zacharias pater Joann. Baptiſt. an Martyr? Epiphanius.

Id inprimis controvertitur de S. Zacharia patre Joann. Baptiſtæ, quem Epiphanius *libr. de vita & interitu Prophetarum cap.* 23. tradit eum ipſum eſſe Zachariam, quem Chriſtus Judæis exprobrat *Matth.* 23. occidiſſe ipſos inter templum & Altare. Rejicit hoc Hieronymus tamquam ex Apocryphorum ſomniis deductum: at cùm plures id aſſerant Patres, quos citat & ſequitur Baronius *in notis ad* 5. *Novembr.* hinc non immeritò dubites Martyrine ſit, an Confeſſoris Officio colendus?

Hieronymus.

Baronius.

Tres Magi an Martyres? Molanus.

Dubites item de tribus Magis, ſive eos ſimul jungas, ut jungit Molanus *ad* 23. *Julii*, & Galeſinius *in notis ad* 7. *Januarii*; ſive ſeorſim memores, uti memorat Bolandus Gaſparem 1. *Jan.* Melchiorem 6. & Baltaſarem 11. Dubitandi autem ratio eſt, quòd eos Dextri Chronicon Seſſaniæ in Arabia Felice martyrium paſſos fuiſſe referat, cùm tamen alii communiter in pace quieviſſe aſſerant, favetque huic opinioni uſus Eccleſiæ Colonienſis in Officio quod ſolemne celebrat de S. Baltaſare *die* 11. *Jan.* ubi in Lectionibus refertur *illos jam Sacerdotes poſt Evangelizationem, ac velut Epiſcopos ad Natalitia celebranda in regalem Eccleſiam urbis Sevve cum aliis pluribus conveniſſe, ibique natu majorem Melchiorem* 116. *annorum primo Jan. inde ſexto Baltaſarem annum agentem* 112. *mox & tertium Gaſparem anno ætatis* 109. *& ſingulos quidem peracto liturgiæ ſacrificio feliciter deceſſiſſe, ipſoſque in ſepulcro humationis tempore pluribus aſpicientibus primum ſecundo dextrum locum, duos medium tertio reverenter ceſſiſſe.* Hæc Bolandus.

Galeſinius. Bolandus.

S. Lazarus in multis uſibus colitur titulo Martyris.

Lazarum quoque dubitant aliqui Martyrem conſcribere, non aliaquod ſciam ducti ratione, quàm quòd nihil de ejus martyrio aſſeratur in Martyrologio. At conſtans eſt in Calendariis, Senonenſi, Pariſienſi, Bituricenſi, Auguſtodunenſi, Nivernenſi, Meldenſi, Cabilonenſi, aliiſque pluribus ejuſmodi inſcriptio *Lazari Epiſc. & Mart.* quin & ipſum multis cruciatibus tentatum, tandem capitis abſciſſione martyrium conſummaſſe refertur in aliquibus Lectionibus.

S. Latro an Martyr?

De Sancto denique Latrone, quonam ſit Titulo in Eccleſiis ſeu Cappellis ipſi dicatis colendus & invocandus, quid cenſes? Martyriſne, qui Regem ipſum Martyrum in Cruce pendentem, Cruci & ipſe affixus fortiter adverſus ſocii blaſphemias & convitia ad mortem uſque confeſſus eſt? An verò Confeſſoris dumtaxat, qui Crucis ſupplicium juſtus quidem tulit, talis in ipſo ſupplicio factus, at nonniſi juſtè pro ſceleribus irrogatum? unde nec in Martyrologio deſcribitur niſi poſt omnes Martyres.

Dubiis hiſce omnibus duplici hac reſponſione quantum opus eſt, ſatisfactum putem. Primò: Servandum uſum qui pridem in aliqua Eccleſia quoad hoc receptus eſt. Si quo enim caſu, in hoc vel maximè, ubi nulla utrimque ratio prævalet, valet illa Juris regula: *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*; adeoque Martyris titulus ut & Officium S. Lazaro nequaquam adimendum, quidquid in Martyrii ejus actus veritatem minùs ſapere aliquibus videatur: Eſto, removeantur incerta ac falſo proxima, ſtare nihilominus debet, nec abrumpi temerè illibata legitimæ traditionis perennitas.

Servandus in qualibet Eccleſia uſus in his receptus.

In dubio ſitne Sanctus Martyr an Confeſſor, præſtat adhiberi Officium de Confeſſore.

Secundò: Sicubi aliqua ejuſmodi feſta de novo inducantur, de quibus certi nihil, quoad hanc controverſiam, neque ex Martyrologio, neque ex probatis authoribus ſtatui poſſit, tutius exiſtimo, adhiberi Officium de Confeſſore quàm de Martyre; ſit enim Sanctus ille Martyr, nihil ei falſitatis affinget Confeſſoris Officium quod ipſi tribuis: secùs Officium Martyris ſi Confeſſor tantùm fuerit.

Quæ reſolutio valet pro ipſo etiam Sancto Latrone, cui Martyris titulus quamvis Cruci affixo haudquaquam vindicari poteſt ulla ex cauſa earum quæ adductæ ſunt *libr.* 2. *capit.* 7. *quæſt.* 13. Eſto, tanti fidem ejus faciant Ambroſius *ſerm.* 44. & 45. & Chryſoſt. *Homilia de Cruce & Latrone*, ut eam Apoſtolorum fidei non æquare modò, ſed etiam præferre minimè vereantur; at nequaquam *pro Chriſti nomine crucifixus eſt*, ait S. Cyprianus aut quiſquis eſt alius author Sermonis de Cœna Domini, *ſed pro meritis facinorum ſuorum: nec quia credidit paſſus eſt, ſed dum patitur credidit.* Scio quidem ab ipſo Cypriano *Epiſtola ad Jubajanum* inter Martyres ſuo ſanguine baptizatos computari; quem & ſecutus Auguſtinus *libr.* 1. *de Anima & ejus origine cap.* 9. tantum valuiſſe aſſerit, *quod confeſſus eſt Dominum Crucifixum, quantum ſi*

Ambroſius. Chryſoſtom. Cyprianus. Auguſtinus.

fuiſſet

Digitized by Google

fuiſſet pro Domino crucifixus, & paulò pòſt adhuc expreſſiùs, *Inventa in eo menſura Martyris, qui nunc in Chriſtum credidit, quando defecerunt, qui futuri erant Martyres*. Quibus & illud adde ex cit. ſerm. de Cœna Domini, *Cor contritum pœnam mutavit in martyrium*. Hæc quidem omnia Martyris meritum, atque aureolam ipſi vindicare poſſe haud planè inficior, non tamen ipſum protinus Martyris nomen, adeoque nec Officium, ex dictis *citato libr. 2. cap. 7. quæſt.* 10. Quod tamen ſi quis faciat nixus præfata Cypriani Auguſtinique authoritate, eo minùs improbandum, quo Antiphonæ illæ, *Qui me confeſſus fuerit &c.* ipſumque totum unius Martyris Officium, paucis exceptis, Sancto huic longè meliùs convenit, quàm Confeſſoris, ut legenti & expendenti patebit.

In dubio ſitne Epiſcopus, Abbas aut Virgo non tribuenda quæ Epiſcopi, Abbatis aut Virginis ſunt propria.

Prædictam verò reſolutionem in ſimilibus perinde dubiis valere præſumo, ſitne Sanctus aliquis Epiſcopus aut Abbas, aut Sancta aliqua Virgo, necne? (quæ quidem quæſtio cùm omiſſa proprio loco videri poſſit, nimirum *præfato libr. 2. cap. 7.* huc commodè rejecta eſt.) Cùm enim quæ Sancto non Epiſcopo aut non Abbati, Sanctæque non Virgini conveniunt, ea æquè de Epiſcopo, Abbate ac Virgine verum ſit enunciare; non autem contra quæ his tribuuntur, illis ſemper quadrare poſſunt omnia; annon præſtat ex duobus illud aſſumere, à quo certum eſt abeſſe omne falſitatis periculum?

QUÆSTIO VII.

Quodnam denique in Feſto Reliquiarum & aliis generalibus Feſtis Sanctorum?

PRæter ſingulare Feſtum Sanctorum, quorum habentur Reliquiæ, morem eſſe multarum inſignium Eccleſiarum diximus *lib. 1. cap. 9. quæſt. 8.* ut Feſtum generale nomine Reliquiarum quotannis ſtato die celebrent. Habent verò illæ omnes in

Variæ Orationes in hocce Officio uſitatæ.

ſuis quæque Breviariis Officium proprium pro ejuſmodi Feſto, cujus Oratio ferè apud omnes eſt, *Propitiare*. Aliquæ uſurpant Orationem S. Felicis 14. *Janu. Concede*; aliæ Orationem *Concede ut interceſſio &c.* quæ eſt prima inter diverſas poſitas in fine Miſſalis.

Variæ item Lectiones primi Nocturni. Uſus Pictavienſis.

Lectiones primi Nocturni admodum ſelectas habet Pictavienſe Proprium. Primam ex libro Geneſis cap. 5. *Habitavit Joſeph in Ægypto*. Secundam ex libr. 4. Regum cap. 13. *Eliſæus ægrotabat*. Tertiam de Epiſtola 1. B. Pauli Apoſt. ad Corinth.

Dolenſis.

cap. 15. *Dixit aliquis, Quomodo reſurgent &c.* Dolenſe verò tres ex libr. 2. Machab. cap. 15. *Machabæus autem ſemper confidebat &c.* ut in Sabbato

Senonenſis.

hebdomadæ quintæ Octobris. Senonenſe primam de libro Sapientiæ cap. 3. *Juſtorum animæ*. Secundam & tertiam ex capit. 4. *Stabunt juſti*. Sancta Cappella Pariſienſis, tres de Feſto Inventionis S. Crucis, ob Reliquias ejuſdem S. Crucis.

Lectiones ſecundi Nocturni.

In ſecundo Nocturno, præter hiſtorias de Reliquiis propriis ſive unam, ſive duas treſve, ſermones SS. Patrum ſunt hi communiter. S. Ambroſii ſerm. 77. *Cuncti Martyres devotiſſimè*. Ejuſdem ſermo de SS. Nazario & Celſo, *Si ergo dicas mihi, Quid honoras in carne &c.* Ex libro S. Hieronymi adverſus Vigilantium, *Dolet Vigilantius*. Ex ejuſdem Epiſtola ad Riparium, *Nos autem non dico Sanctorum Reliquias*. S. Auguſtini ex libr. 1. de Civitate Dei cap. 13. *Non contemnenda & abjicienda ſunt Corpora &c.* S. Gregor. Nazianz. Orat. 3. in Julianum, *Ita quidem morbi Sanctorum meritis curantur*. Habent etiam aliqui propria, de S. Andrea, de S. Stephano &c.

Lectiones tertii Noct. Uſus Pariſienſis. Meldenſis. Pictavienſ.

In tertio Nocturno aptiſſimum eſt Evangelium quod habent Pariſienſe, Meldenſe, Pictavienſe. *Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito*, cum Homilia S. Hieronymi libr. 2. in Matth. cap. 13.

Gryet. Heortologia.

Senonenſ.

Theſaurus iſte &c. eſt in Octavario. Senonenſe habet Evang. *Deſcendente Jeſu de monte*, cum Homilia Bedæ, *Tyrus & Sidon &c.*

Antiphonæ & Reſponſoria.

Quod ad hiſtoriam attinet, ſeu Antiphonas & Reſponſoria, non eadem eſt omnium ratio, ſumentibus aliis multa ex Communi plurimorum Martyr. aliis ex Feſto Omnium Sanctorum, aliis aliunde, & quidem non ſervato ſemper ordine debito. Cùm enim Antiphonas Matutin. & Reſponſoria conſequenter accipiant de Chriſto Domino, de Cruce, de B. Maria, de S. Joanne Baptiſt. (ut fit in Feſto Omnium Sanctorum,) Pſalmos aliquot poſteriores numero prioribus anteponunt, quod nos reprehendimus aliàs. Habet S. Cappella Pariſienſ. Officium proprium integrum quod incipit *Vexilla Regis gloriæ*, rhythmicum quidem ſed ſuavibus pietatis ſtimulis intertextum.

Hymni, Capitula, Verſ. & Reſponſ. brev.

Hymni apud omnes *Sanctorum meritis*, & *Devota Sanctorum fides*, quales deſcripſimus pro pluribus Confeſſoribus ſuprà *cap.* 13. *quæſt.* 10. Capitula, Verſus, & Reſp. brevia de Communi plurimorum Martyrum.

Officium totum de Communi, vel plurimorum Martyrum, vel Confeſſorum.

Viſa mihi eſt pertinere ad inſtitutum noſtrum hæc delineatio, ut ſi quibus opus eſt, delectum pro jure ſuo poſſint adhibere. Abſque verò delectu poteſt totum ſumi Officium de Communi plurimorum Martyrum, quod nullum incurret falſum enunciandi periculum, ſi modò inter alias, unius duorumve Martyrum adſint Reliquiæ, ut vix aliter poteſt contingere. Si verò fuerint tantùm Confeſſores, Officium erit de Communi plurimorum Confeſſorum modo ſuprà deſcripto: poterunt verò commodè ſumi pro ſecundo Nocturno Lectiones ex 6. vel 7. die infra Octavam omnium Sanctorum. Quæ poſtrema reſolutio perinde valet pro Feſtis omnium Epiſcoporum, aliorumve Sanctorum, quos ſub una ſimul feſtivitate in aliquibus Eccleſiis recoli obſervavimus *libr. 1. cap. 10. quæſt. 6.*

Brev. Monaſticum.

Sic etiam Breviarium Monaſticum, Hymnono, Lectionibus ac paucis aliis exceptis, Officium totum hinc inde mutuatum compegit pro Feſto omnium Sanctorum Ordinis S. Benedicti, quod celebrat *die* 13. *Novembris*. Proprium verò Canonicorum Regularium, in Feſto omnium Sanctorum Canonicorum, quod perinde celebrant *die 6. Septembr.* Officium habet integrum de novo fabricatum ex ſelectis Scripturæ ſententiis, quod crediderim à Sede Apoſtolica fuiſſe approbatum.

Proprium Canonicorum Regularium.

CAPUT XVII.

DE SUFFRAGIO SEU COMMEMORATIONE ordinaria Patroni aut Tituli.

COmmune id eſt omnibus Eccleſiis ab omni ævo, ut inter alia Suffragia, ſeu Commemorationes communes, addant quoque Commemorationem de ſuo Patrono ſeu Titulari, ſive is unus ſit, ſive plures, imò & de nonnullis aliis Eccleſiæ aliquæ, prout dicetur. Ei itaque Commemorationi ſive uni, ſive pluribus, ſuum quoque decernendum, quo ipſæ conſtare debent Officium ſive proprium, ſive de Communi, idque eſt quod hoc Capite tractamus.

Porrò ex quotidiana ejuſmodi Patroni, ſeu Titularis cujuſvis Eccleſiæ Commemoratione, ſeu, ut vocat Radulphus & antiqui alii, memoria, memorias fuiſſe olim appellatas Eccleſias ſi quis aſſeruerit, multa ſunt Antiquorum teſtimonia, quibus dictum ipſe ſuum facilè tueatur.

Digitized by Google

QUÆSTIO I.

Quibus conſtet Suffragium, ſeu Commemoratio communis Patroni, Titulive, aut alia quæcunque?

TRibus, Antiphona, Verſu & Oratione, ut conſtat ex aliis Suffragiis de S. Maria, de Apoſtolis & de Pace. Extra verò uſum Breviarii Romani eſt, ut Antiphonæ Pſalmus interjiciatur; qua ratione in Breviario S. Martini Turonenſis, pro Suffragio S. Mariæ inchoata Antiphona, *Sub tuum præſidium*, ſequitur immediatè Pſalmus totus, *Fundamenta ejus*, deinde Antiphona prædicta cum Verſu & Oratione. Itidem & pro Commemorationibus occurrentibus, Antiphonæ ſic inchoatæ interjicitur Verſ. *Gloria Patri*, & *Sicut erat*; quod & alii veteres uſus habebant, abrogandi hac ex parte magis quàm laudandi.

Uſus inſerendi in Commemorationibus Pſalmum aut Verſum *Gloria Patri* à Romano alienus.

QUÆSTIO II.

Unde Antiphona illa, Verſus, & Oratio deſumenda?

EX proprio Officio ſi tale habeatur, & non ſit addictum Tempori Paſchali, ut eſt Officium SS. Philippi & Jacobi; ſin minùs de Communi, juxta cujuſque Sancti qualitatem, putà pro uno Martyre de Communi unius Martyris, pro pluribus de Communi plurimorum &c. Et quidem pro Suffragio Laudum ſumitur Antiphona cum Verſu poſita pro Cantico *Benedictus*; pro Suffragio verò Veſperarum, Antiphona cum Verſ. poſita pro Cantico *Magnificat* in ſecundis Veſperis. *Eſt enim*, inquit Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 18. *num.* 10. *Commemoratio Patroni, ſeu Titularis quaſi repetitio feſti per annum*; unde ſicut infra Octavas, quæ itidem ſunt repetitio ſeu potiùs extenſio & continuatio feſti, ſumuntur pro Commemoratione Antiphona, & Verſus prænotati, ita & ſumi debent iidem pro Suffragio quotidiano, ut arguitur à pari, ex Antiphona & Verſu poſitis pro Suffragio Apoſtolorum Petri & Pauli, qui & ſunt iidem, qui infra Octavas ipſorum.

Gavantus.

Sed annon aliunde etiam ſumi poſſunt? Nihil planè vetat, imò convenit in hiſce caſibus. Primò: Quando in Antiphonis diei feſti ad *Benedictus*, & *Magnificat*, habetur vox illa *hodie*, vel alia ſimilis ipſum diem deſignans; cùm enim ea tum verificari non poſſit, neceſſe eſt ut vel omittatur, vel Antiphona ipſa in aliam mutetur, hoc autem poſtremum longè commodius eſt; ſic in Brev. Turonenſi pro Suffragio S. Gatiani ad Veſperas non accipitur Antiphona diei feſti ad Magnificat, *Beatus Dei Confeſſor Gatianus hodie &c.* ſed alia ex ejuſdem Officio, *Beate Chriſti Confeſſor Gatiane*. Itidem ad Laudes & Veſperas in Andegavenſi pro S. Maurilio, in Ambianenſi pro S. Firmino, in Cabilonenſi pro S. Vincentio, in Monaſtico pro S. Benedicto &c.

Cavenda in Suffragio vox *hodie*, & ſimiles.

Uſus Turon.

Andegavenſe.

Ambianenſe.

Secundò: Quando prolixiores quoque ſunt, & ut ita dicam ſolemniores diei feſti Antiphonæ ad Benedictus, & Magnificat, non uſurpantur communiter pro Suffragio, ſed aliæ breviores minuſque ſolemnes. Sic in Breviar. Ambianenſi pro Suffragio S. Joann. Baptiſt. notatæ habentur pro Veſperis Antiphona *Ex utero*; pro Laudibus, *Inter natos*; Verſus, *Fuit homo*. In proprio Abrincenſi pro S. Andrea ad Veſper. Antiphona, *Salve Crux pretioſa*; ad Laudes, *Beatus Andreas orabat*; Verſ. *Dilexit Andream Dominus*.

Antiphona pro Suffragio non ſit prolixior.

Uſus Ambian.

Abrincenſe.

Quoad verò Collectam, ſeu Orationem attinet, ea itidem ſumitur ex die feſti, mutatis vel omiſſis vocibus, *natalitia*, *ſolemnitas*, *feſtivitas*, & ſimilibus, ut dictum eſt ſupra *cap.* 2. *quæſt.* 6. Quid ſi ſumantur ex Vigilia, vel die Octava? Gratis hoc dici affirmat Gavantus cit. ſed viderit ipſe ne gratis loquatur. Unde enim habet id eſſe prohibitum? Imò conſonum valdè eſſe, ſaltem quando Oratio diei minùs apta eſt, ſuadet exemplum Suffragii Apoſtolorum, cui tribuitur Oratio diei Octavæ ipſorum, *Deus cujus dextera*. Qua item ratione Eccleſiæ Arelatenſis, Senonenſis, Meldenſis & aliæ in Suffragio S. Stephani ſui Titularis adhibent Orationem non feſti ipſius, ſed diei Octavæ, videlicet *Omnipotens ſempiterne Deus, qui primitias &c.* Similiter Ordo Præmonſtratenſis pro Suffragio S. Joann. Baptiſt. impendit Orationem, *Præſta quæſumus Omnipotens Deus, ut familia tua &c.* ex Vigilia; quippe quæ aptior longè eſt quàm illa diei, *Deus qui præſentem diem &c.*

Cavenda in Oratione voces, natalitia, ſolemnitas, feſtivitas.

Uſus Arelat. Senonenſe! Meldenſe.

Præmonſtrat.

QUÆSTIO III.

An plures Antiphonæ, Verſus, & Orationes aſſignari debeant in Suffragio Patronorum?

FUit hic uſus antiquorum Breviariorum ſatis frequens, ut in Suffragiis, Antiphonam & Verſum, imò & Orationem variarent per ſingulos hebdomadæ dies, quem utique uſum retinet adhuc Breviarium S. Martini Turonenſis, poſitis variis Antiphonis & Orationibus, non tantùm per ſingulas ferias, ſed aliis etiam per hiemem, aliis per æſtatem, aliis item in feſtis 9. lectionum, & aliis in feſtis trium lectionum; quod ſanè veteranis & aſſiduis Chori incolis longo quidem uſu tritum ac facile redditur, novitiis verò & advenis non poteſt non eſſe moleſtum, ac multam ſæpè confuſionem parere. Quare ut vulgarior, ſic & laudabilior eſt aliarum Eccleſiarum uſus, non plures quàm Antiphonam unam cum Verſu pro Laudibus, & aliam cum Verſu item pro Veſperis, more Suffragii Apoſtolorum, ac Orationem unam tam pro Veſperis quàm pro Laudibus adhibere. Quin & ſufficere pro utrique unam eamdem Antiphonam propriam cum Verſu, elicitur ex ipſo Suffragio S. Mariæ & de Pace, uſumque hunc ſecuti ſunt Canonici Regulares in Suffragio S. Auguſtini.

Uſus S. Martini Turon.

QUÆSTIO IV.

An & qualiter mutanda aliquando Antiphona, Verſus & Oratio Suffragii de Patrono?

NUnquam id ſit ubi habentur propria; at ſi de Communi ſumantur, plerumque neceſſe eſt, ex Rubr. 10. de Commemor. nu. 8. ob concurſum Sanctorum ejuſdem ordinis ſeu qualitatis, de quibus contingit fieri Officium vel Commemorationem, ne videlicet Antiphona, Verſ. & Oratio, quæ jam dicta fuerunt in Officio, vel pro Commemoratione, denuo repetantur pro Suffragio. Ea verò mutatio hoc ordine facienda eſt. In Veſperis ſumenda Antiphona & Verſ. de Laudibus, & viciſſim in Laudibus de ſecundis Veſperis; quæ ſi jam dicta fuerint pro aliqua Commemoratione, ſumenda erunt ex primis Veſperis. Quid ſi tres illæ Antiphonæ jam expenſæ ſint? Reſpondeo id nunquam contingere, nuſquam enim in Calendario plura una eademque die deſcribuntur feſta quàm duo; unum videlicet de quo eſt Officium, & aliud de quo eſt tantùm commemoratio. Sint ergo illa duo unius & ejuſdem qualitatis, puta duorum Martyrum, aut duorum Confeſſorum; impenſis duabus aliis pro utroque Antiphonis, ſupererit adhuc tertia pro Suffragio. Tantùm occurreret ejuſmodi neceſſitas in caſu, quo duo Suffragia de duobus Sanctis ejuſdem qualitatis eſſent facienda, putà de ſancto Ludovico Conſ. in Eccleſia ſui nominis ab Regularibus Ordinis Sancti æquè Confeſſoris non Pontificis. Sed nec vix poteſt caſus

Antiphona & Verſus Laudum ac Veſperarum, mutanda invicem cùm opus eſt.

Digitized by Google

Plures non occurrunt, quàm tres ejuſdem Ordinis commemorationes.

caſus ille contingere, cùm Regulares omnes ut plurimum habeant proprium de ſuo Sancto Inſtitutore Suffragium, aut ſi careant, hac vel una de cauſa poſſent ſibi parare, ut dicetur ſequenti quæſt. 6. Non ergo plures eſſe poſſunt quàm tres ejuſdem ordinis commemorationes, quibus proinde ſufficiunt tres nominatæ.

Verſus ut mutandi.

Verſus verò, quia in omni Communi iidem ſunt ad Laudes, & ſecundas Veſperas, hunc in mutando ſervant ordinem, ut expleto Verſu Laudum, & ſecundarum Veſperarum, impendatur Verſus primarum Veſp. qui idem eſt ac primi Nocturni, & eo quoque expleto, Verſus ſecundi Nocturni, poſt hunc denique ſi opus eſt, tertii Noct. Quorum omnium paradigmata, viſum eſt opportunum hic apponere ad tollendam confuſionem.

Pro uno Martyre.

Ad Laud. Antiph. *Qui odit*.
Ad Veſp. Antiph. *Qui vult venire*.
Verſ. *Juſtus ut palma*.
Ex 1. Veſp. Antiph. *Iſte Sanctus*.
Verſ. *Gloria & honore*:
Poſuiſti Domine.
Magna eſt gloria.

Pro pluribus Martyr.

Ad Laud. Antiph. *Veſtri Capilli*.
Ad Veſp. Antiph. *Gaudent in cœlis*.
Verſ. *Exultabunt*.
Ex 1. Veſp. Antiph. *Iſtorum eſt enim*.
Verſ. *Lætamini*.
Exultent juſti.
Juſti autem.

Pro Confeſſore Pontifice.

Ad Laud. Antiph. *Euge ſerve bone*.
Ad Veſp. Antiph. *Amavit eum Dominus*.
Verſ. *Juſtum deduxit*.
Ex 1. Veſp. Antiph. *Sacerdos*.
Verſ. *Amavit*.
Elegit eum.
Tu es Sacerdos.

Pro Doctore.

Ad Veſp. Antiph. *O Doctor*.

Pro Confeſſore non Pontifice.

Ad Laud. Antiph. *Euge ſerve*.
Ad Veſp. Antiph. *Hic vir deſpiciens*.
Verſ. *Juſtum deduxit*.
Ex 1. Veſp. Antiph. *Similabo eum*.
Verſ. *Amavit*.
Os juſti.
Lex Dei ejus.

In concurſu duorum Confeſſorum, quorum alter eſt Pontifex, & alter non eſt, æquè mutantur, quæ eadem ſunt pro utroque.

Pro una Virgine.

Ad Laud. Antiph. *Simile eſt regnum cœlorum*.
Ad Veſp. Antiph. *Veni ſponſa Chriſti*.
Verſ. *Diffuſa eſt*.
alii Verſ. *Specie tua*.
Adjuvabit eam.
Elegit eam.

Pro pluribus Virginibus.

Ad Laud. & Veſp. *Prudentes*.
Verſ. *Adducentur*.

Pro non Virgine.

Ad Laud. Antiph. *Date ei*.
Ad Veſp. Antiph. *Manum ſuam*.
Verſus iidem hac pro Virgine.

Ut mutanda Oratio.

Facilior Orationis mutatio ſi neceſſaria ſit, cùm enim in quolibet Communi duæ habeantur, una jam recitata, alia item ſupereſt. Dices, ſi recitata fuit jam pro uno Abbate Oratio *Interceſſio*, quamnam pro Patrono æquè Abbate accipiam? Reſp. unam ex duabus poſitis in eodem Communi Conſ. non Pontificis, ſcilicet *Deus qui nos B. N. Abbatis commemoratione lætificas &c.* vel *Adeſto Domine*.

Cæterum inter prædicta paradigmata omiſſum eſt de induſtria Commune Apoſtolorum, quòd videlicet omne feſtum Apoſtoli, cùm ex dictis alibi duplex eſſe ſoleat, excludit proinde ſemper Suffragia. Omiſſum item Commune Martyrum tempore Paſchali, quòd uſus non ſit niſi eo tempore quo nulla fiunt Suffragia; at addendum de Angelis in Communi, Ad Laudes Antiph. *Angeli Domini*. Ad Veſp. *Angeli Archangeli*. Verſ. *In conſpectu*. Oratio, *Deus qui miro ordine*. De Sancto autem Michaele, Antiph. & Verſ. ex Laud. & ſecundis Veſp. feſti ipſius cum Oratione, *Beati Michaelis Archangeli interceſſione ſuffulti &c.*

Guyet. Heortologia.

Pro ſuffragio Angelorum.

QUÆSTIO V.

An ſimiliter mutandus ſit Verſus & Oratio, poſt Antiphonas finales B. Mariæ, quando jam in Officio dicta fuerint?

OCcurrit caſus hic in Feſto Circumciſionis, & in Sabbatis quibus fit de B. Maria ab Octava Epiphan. uſque ad Purificationem, imò toto eo tempore, quando fiunt Suffragia; nam cùm Verſ. *Poſt partum*, & Oratio, *Deus qui ſalutis*. jam in Officio vel Commemoratione dicta fuerint, eadem rurſum repetenda ſe offerunt, poſt Antiphonam finalem *Alma Redemptoris*. Prævidit hoc Brev. Pariſienſe, mutatque proinde in verſum *Ora pro nobis*, & Oration. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ &c.* Romanum verò nihil tale injungit, non quòd id æquè non præviderit, ſed quòd non judicaverit ejuſmodi mutatione opus eſſe; fortè quòd Commemoratio illa B. Mariæ cenſeatur veluti extra Officii ſeriem, inſtarque alicujus additii. Et verò ſi talis mutatio hic locum haberet, profectò perperam poſitus fuiſſet Verſ. *Ora pro nobis*, poſt Antiph. *Salve Regina*, quippe qui idem eſt in Suffragiis poſt Antiph. *Sancta Maria ſuccurre*, adeoque tum ſemper eſſet mutandus.

Brev. Pariſienſe.

QUÆSTIO VI.

An fas ſit ad evitandam ejuſmodi mutationis neceſſitatem ſeligere Antiphonam aliquam cum Verſu proprio?

EXpedit omnino, ſive ea recens formetur de Majorum licentia, (quod ſuggerit ipſemet Gavantus *ſect. 5. cap. 18. n. 10.*) ſive mutuetur ex aliquo alio Officio in Breviario ipſo Romano, recepto & approbato, quemadmodum mutuavere Canonici Regulares pro Suffragio S. Auguſtini tam ad Laud. quàm Veſp. Antiphonam illam ex Officio S. Martini, *Sacerdos Dei, N. paſtor egregie, ora pro nobis Deum*, cum Verſ. *Ecce Sacerdos magnus*. Reſp. *Qui in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt juſtus*. Quam pro quocunque Sancto Confeſſore Pontifice, perinde valere poſſe cùm ſit perſpicuum, haud ingratum fore putavi, ſi alias itidem pro ſingulis Sanctorum ordinibus ex variis uſibus ſuppeditavero.

Suffragium S. Auguſtini, apud Canonicos Regulares, aptum pro quocunque Confeſſore Pontifice.

Pro Apoſtolis opus non eſt aliis quàm de Communi, cùm in nullo caſu eas mutare neceſſe ſit. Item in Eccleſiis S. Petro & S. Paulo ſeorſim alterutri dicatis, aliud parandum non eſt Suffragium quàm conſuetum, utique commune, *Petrus Apoſtolus &c.* Ut enim nec in vita, nec in morte, ſic neque in commemoratione ambo ſeparantur, ait Durandus *libr. 5. cap. 2. num. 64.*

Suffragium de Apoſtolis.

De SS. Petro & Paulo.

Durandus.

Pro uno Martyre. Ad Laud. Antiph. *Martyr Domini Sancte N. intercede pro nobis ad Dominum Deum noſtrum*. Verſ. *O Beate N. magna eſt fides tua*. Reſp. *Intercede pro nobis ad Dominum Deum noſtrum*. Ad Veſp. Antiph. *Sancte N. Martyr Domini pretioſe adſis precibus noſtris pius & propitius*. Verſ. *Ora pro nobis invictiſſime Martyr*. Reſponſ. *Sancte Vincenti*. Ex proprio Cabilonenſi de S. Vincentio. Utuntur plerique Verſ. *Ora pro nobis Beate N. &c.* Sed perperam, cùm is ſæpè, imò ſem-

De uno Martyre.

Uſus Cabilon.

Digitized by Google

per ſit mutandus quando jam dictus erit pro B. Maria.

De pluribus Martyribus.

Pro pluribus Martyribus: Ad Laudes Antiph. *Sanguis Sanctorum Martyrum pro Chriſto effuſus eſt in terra, ideo adepti ſunt munera ſempiterna.* Verſ. *Mirabilis Deus.* Reſp. *In Sanctis ſuis.* Ad Veſp. *Sancti Dei Martyres qui eſtis conſortes ſupernorum civium intercedite pro nobis.* Verſ. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt:* Reſp. *Et non tanget illos tormentum malitiæ.* Ex Brev. Turon. Andeg. Monaſtico & aliis ferè omnibus pro diverſis.

Uſus Turon. Andeg. Monaſticus.

De Conf. Pontif.

Pro Confeſſore Pontifice, præter ſuperiùs poſita, quæ poſſunt aſſignari pro Laudibus. Ad Veſp. Antiph. *Sancte N. intercede pro nobis ut conſortes gloriæ Sanctorum tecum effici mereamur.* Verſ. *Sacerdos Dei N. paſtor egregie.* Reſp. *Ora pro nobis Deum.* Ex Rothom. Turon. Andeg. &c.

Rothom. Turon. Andeg.

De Confeſſ. non Pontif.

Pro Confeſſore non Pont. Ad Laud. Antiphona, *O Beati viri N. ſancta præconia, o ineſtimabilis dilectio charitatis, qui dum ſæculi pompam contempſit æterna vita conjunctus eſt.* Verſ. *Sancte N. Confeſſor Domini glorioſe.* Reſp. *Adeſto noſtris precibus pius & propitius.* Ad Veſp. Antiphona. *Sancte N. Confeſſ. Domini glorioſe, adeſto noſtris precibus pius & propitius.* Verſ. *Juſtus germinabit ſicut lilium.* Reſp. *Et florebit in æternum ante Dominum.* Ex Monaſtico de S. Benedicto, & aliis.

Brev. Monaſticum.

Pro Virgine.

Pro Virgine, Ad Laud. Antiph. *Veniente ſponſo prudens Virgo præparata introivit cum eo ad nuptias.* Verſ. *Adjuvabit eam.* Ad Veſp. Antiph. *Hæc eſt Virgo ſapiens atque glorioſa, quia Dominus omnium dilexit eam.* Verſ. *Elegit eam.* Ex Breviar. Ordinis Prædicat. & aliis in Communi Virg.

Ord. Prædic.

De non Virgine.

Pro non Virgine. Ad Laud. Antiph. *Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum, guſtavit & vidit quia bona eſt negotiatio ejus, non extinguetur in nocte lucerna ejus.* Verſ. *Mulier timens Dominum.* Reſp. *Ipſa laudabitur.* Ad Reſp. Antiphona. *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata.* Verſ. *Dilexiſti juſtitiam.* Reſp. *Et odiſti iniquitatem.* Ex eodem Breviar. Ordin. Prædicatorum.

Ord. Prædic.

Nullus porrò eſt ex his omnibus textibus, qui non ſit approbandus, uſuque hic aut illic legitimè receptus.

De Sanctis Veteris Teſtamenti, Evangelicis, aliiſve, quibus peculiares Antiphonæ cum verſu ex ſuperiùs deſignatis *cap. præcedenti quæſt. 4. & 5.* aut aliunde poſſunt attribui, dicetur commodiùs cùm de ſingulis ordine Calendarii agendum erit.

QUÆSTIO VII.

Unde ſumenda Antiphona, Verſus & Oratio, pro Suffragio Tituli?

Titulus ſtrictè hic accipiendus qualem definivimus *libr. 1. cap. 4. quæſt. 2.* prout videlicet ſonat non perſonam Sancti aut Sanctæ alicujus, ſed certam rem, ſeu Myſterium, à quo nomen ſuum Eccleſia aliqua ſortita eſt, putà SS. Trinitatis, S. Salvatoris, S. Crucis, aut Myſterii alicujus ſive Chriſti Domini, ut Nativitatis, Reſurrectionis, Aſcenſionis &c. ſive B. Mariæ, ut Conceptionis, Aſſumptionis &c. In his ergo commodè ſic diſponi poteſt ſuffragium.

Suffragium de SS. Trinitate.

De SS. Trinitate Antiphona, & Verſ. ex Laudibus & ſecundis Veſp. cum Oratione feſti ejuſdem. Proprium Eremitarum Auguſt. habet pro Veſp. Antiphonam breviorem, *Te invocamus.* Verſ. *Benedicamus Patrem.* Pro Laud. verò Antiph. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo &c.* Verſ. *Verbo Domini.*

Propr. Auguſtin.

Perſonarum divinarum ſeorſim ſumptarum Titulo, vix ulla dicata reperitur Eccleſia; nam quæ Salvatoris, aut Paracliti, ſeu Spiritus Sancti nuncupantur, ad aliquod ex ſequentibus Myſteriis pertinent.

De Titulo S. Salvatoris.

Pro Titulo Salvatoris, hoc eſt Chriſti Domini Dei & hominis, hominumque Redemptoris, ſatisfacit ſuffragium de Cruce quando ſit, inquit Gavantus *cit. num. 7.* Quando verò non ſit, Antiph. & Verſ. ex Laud. & ex 2. Veſp. cum Orat. feſti Transfigurationis. Ita Breviarium Carmelitanum, juxta regulam communem. Quadrat magis pro Veſperis Antiph. *Chriſtus Jeſus ſplendor Patris*, ex primis Veſperis. Proprium verò Auguſtinienſium ponit Antiph. *Salvator mundi ſalva nos.* Verſ. *Omnis terra.* Orat. *Majeſtatem tuam.*

Brev. Carmelit. *Propr. Auguſtin.*

De Titulo S. Crucis.

De Crucis Titulo aliud non fit ſuffragium præter ordinarium; niſi dixeris extra Officium feriale poſſe ſumi Antiphonas, & Verſ. ex Laud. & 2. Veſper. Feſti Exaltationis, cum Oratione, *Deus qui unigeniti tui &c.* ut in Miſſali, quod minimè improbavero.

De Myſteriis Chriſti Domini, cùm nihil uſpiam ſtatutum reperiam, non poſſum quidquam niſi conjiciendo definire.

De Incarnatione.

De Incarnatione, ut infrà pro Circumciſione.

De Nativitate Domini.

De Nativitate. Ad Laud. Antiph. *O admirabile commercium.* Ad Veſp. *Quando natus es.* Verſ. *Notum fecit Dominus*, ſine *Alleluja.* Oratio, *Concede ut nos unigeniti*, nam Antiph. ad *Benedictus*, & *Magnificat*, diei Nativitatis, non benè conveniunt extra ipſum diem.

De Circumciſione.

De Circumciſione. Ad Laud. Antiph. *Mirabile Myſterium* (omiſſo *hodie*) Ad Veſp. *Magnum hæreditatis.* Verſ. *Verbum caro factum eſt*, ſine *Alleluja.* Oratio, *Deus qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem* (ut in Miſſali) omiſſis verbis (*per hujus aquæ & vini Myſterium*).

De Apparitione.

De Apparitione. Ad Laud. Antiph. *Ab Oriente.* Ad Veſp. *Videntes ſtellam*, utraque ſine *Alleluja.* Verſ. *Reges Tharſis.* Oratio, *Deus qui unigenitum tuum Gentibus &c.*

De Præſentatione Domini.

De Præſentatione in Templo. Ad Laud. Antiph. *Cum inducerent.* Ad Veſp. *Accipiens Simeon.* Verſ. *Reſponſum accepit.* Oratio, *Omnipotens ſempiterne Deus, majeſtatem &c.* omiſſo (*hodierna die*)

De Transfiguratione.

De Transfiguratione, ut ſuprà pro Titulo Salvatoris.

De Reſurrectione.

De Reſurrectione. Ad Laud. Antiph. *Surrexit Chriſtus de ſepulchro, qui pro nobis pependit in ligno.* Vel *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur, quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel, quod autem vivit, vivit Deo.* Ex Breviar. S. Martini. Verſ. *In reſurrectione tua.* Ad Veſp. Antiph. *Nolite expaveſcere, Jeſum Nazarenum quæritis Crucifixum, non eſt hic, ſurrexit.* Verſ. *Surrexit Dominus de ſepulchro.* Oratio, *Præſta quæſumus omnipotens & miſericors Deus, ut in Reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti percipiamus veraciter portionem.*

De Aſcenſione.

De Aſcenſione. Ad Veſp. *O Rex gloriæ*, omiſſo *hodie*, vel commodiùs, *Videntibus illis.* Ad Laud. Antiph. *Aſcendo ad Patrem.* Verſ. *Dominus in cœlo*, ſine *Alleluja.* Oratio, *Concede*, omiſſo *hodierna die:*

De Sancto Spiritu.

De Miſſione Spiritus Sancti, Ad Laud. Antiph. *Accipite Spiritum Sanctum.* Ad Veſp. *Paraclitus autem.* Verſ. *Repleti ſunt omnes*, ſine Alleluja, vel meliùs. Ad Laud. & Veſp. Antiphona, *Veni ſancte Spiritus reple tuorum.* Verſ. *Emitte ſpiritum.* Oratio, *Deus qui corda.*

De SS. Sacramento.

De Myſterio Corporis Chriſti, Antiph. & Verſ. ex Laud. & ſecundis Veſperis cum Oratione feſti. Aliqui utuntur Antiphona illa *Memoriam fecit.*

De Nomine Jeſu.

De Titulo Nominis Jeſu, Antiphona & Verſ. ex Laud. & ſecundis Veſperis, cum Oratione Officii proprii. Si qui occurrant alii Tituli ad Chriſtum Dominum pertinentes, (quod rarum valdè eſt) ii revocandi erunt ad aliquod prædictorum Myſteriorum.

De Myſteriis B. Mariæ.

Quoad verò Myſteria Beatiſſimæ Virginis attinet, æquiſſima eſt iſta Breviarii Carmelitani regula:

Brev. Carmelit.

Si di-

Si dicata eſt Eccleſia B. Virgini ſub Titulo aliquo particulari, putà Conceptionis, Aſſumptionis &c. alia non fit commemoratio, quàm conſueta de B. Virgine. Quòd autem in aliquibus Breviariis præcipitur ejus Commemoratio in Adventu, & Tempore Paſchali; item quòd ab Octava Epiphaniæ uſque ad Purificationem in Brev. Senonenſi, Pariſienſi, & aliis, cum Antiphonis particularibus etiam in Officio Duplici, uſus eſt à Romano penitus alienus, haud tamen damnandus in illis Eccleſiis quæ ſui juris ſunt.

Brev. Senon. Pariſ. &c.

Extant de Chriſto Domino & B. Virgine Commemorationes quotidianæ pro variis anni Temporibus piæ admodum ac devotæ ab illuſtriſſimo Cardinali Berullio, ut reor, editæ, non eo quidem uſu, ut Officio divino inſerantur, ſed ut extra illud ex devotione, ſelectis illis ad pietatis ſenſum formulis, Salvatoris Deiparæque memoria recolatur.

QUÆSTIO VIII.

Qua ratione ordinandum ſuffragium de Titulo à Sanctis petito?

De S. Joanne ante Portam Latinam.

IN Eccleſiis Titulo S. Joannis ante Portam Latinam dicatis non videtur alienum ſi ſumatur pro ſuffragio in Veſp. ac Laud. Antiphona, *In ferventis olei dolium*, cum Verſu, *Valdè honorandus eſt*. Oratione, *Deus qui conſpicis*. Itidem in Eccleſiis ſub Titulo Decollationis S. Joannis Baptiſtæ Antiphona & Verſ. ex Laud. & ſecundis Veſp. cum Oratione propria ejuſdem feſti.

De Decollatione S. Joan. Bapt.

At in cæteris omnibus perinde faciendum Suffragium de Sancto, atque ſi Eccleſia abſolutè ſit ipſi dicata. Sic quibus Titulus eſt S. Petri ad vincula, aut Converſio S. Pauli, alio opus non eſt Suffragio, quàm Communi utrique, *Petrus Apoſtolus &c.* Item, ait Gavantus *num.* 7. in Eccleſiis ſub Titulo Stigmatum S. Franciſci, ſufficit commemoratio ipſius S. Franciſci.

De omnibus Sanctis.

In Eccleſiis denique Titulo Omnium Sanctorum nuncupatis; pro Suffragio poſſunt quidem ſumi Antiphonæ & Verſ. ex Laud. & 2. Veſp. feſti, ſed Oratio minùs videtur idonea, niſi mutes vocem *Celebritata*, in *Commemoratione*; ſed adhuc præſtat iſta; quæ in Breviario Rhemenſi, multiſque aliis habetur, *Omnium Sanctorum tuorum, quæſumus Domine, ſupplicatione placatus, & veniam delictorum noſtrorum tribue, & remedia ſempiterna concede*. Vel iſta ex Præmonſtrat. *Majeſtati tuæ nos quæſumus Domine omnium Sanctorum ſupplicatio beata conciliet, ut qui inceſſanter actibus noſtris offendimus, eorum precibus adjuvemur.*

Brev. Rhemenſe.

Præmonſtrat.

QUÆSTIO IX.

An præter Patroni ſeu Titularis Eccleſiæ fiant alia item Suffragia?

Rejicitur Gavanti ratio Patronum à Titulo diſtinguendi.

SOluta jam fuit quæſtio hæc primo lib. ad finem, ſed litem nobis hic intentat Gavantus *num.* 6. ajens fieri quoque debere commemorationem de Patrono principali loci, etiam ante commemorationem Patroni ſeu Titularis Eccleſiæ; hæret quippe in ea ſemper opinione Patronum dici loci, ſeu civitatis totius aut Provinciæ, Titulum verò Eccleſiæ duntaxat cujuslibet materialis, à quo videlicet ipſa denominatur. Quam nos opinionem abundè refutavimus *lib.* 1. *cap.* 4. *quæſt.* 3. adductis multis Rubricarum textibus. Et iis in uno hujuſce loci proprio conſiſtamus, quid ſibi vult, quòd Rubrica, tùm quæ inter generales deſcripta eſt 35. *num.* 1. tum quæ in Pſalterio habetur ante ipſa Suffragia, ſemper loquitur & in ſingulari, & cum disjunctiva particula, *Illis adjungitur Commemoratio de Patrono vel Titulo Eccleſiæ &c. De Patrono vel Titulari Eccleſiæ fiat Commemoratio conſueta ante, vel poſt commemorationes prædictas &c.* Certè ſi vera eſſet opinio Gavanti, peſſimè concepta fuiſſet Rubrica; debuiſſet enim ſaltem ſic poni, *De Patrono loci & Titulari Eccleſiæ fit commemoratio &c.* At cùm vox *loci* utrobique non habeatur, & utrobique particula *vel* Patronum disjungat à Titulari, ita ut non ſeorſim uterque ad diverſa, ſed alteruter ad diem pertineat, videlicet ad Eccleſiam; quis non judicet tricari Gavantum, qui tenebras in tam clara luce offendit? Maneat itaque Rubricam unius duntaxat præcipere commemorationem, ſive is ſit Eccleſiæ Patronus, ut S. Stephanus, S. Antonius, S. Catharina &c. ſive Titulus aliquis, puta SS. Trinitatis, S. Salvatoris, S. Crucis &c. ſenſu à nobis explicato.

Unius duntaxat ſive Patroni, ſive Tituli Eccleſiæ facienda commemoratio.

Plurium, ſi plures fuerint.

Jam verò ſi fuerint plures ejuſmodi Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ, ob cauſas quas recenſuimus *lib.* 1. *cap.* 4. *quæſt.* 3. non inficior, omnium (qui duos nunquam excedunt) fieri debere commemorationem. Sic in Eccleſia Turonenſi fit de SS. Mauritio ac ſociis, & de S. Gatiano. In Eccleſia Cenomanenſi de SS. Gervaſio & Protaſio, & de S. Juliano. In Eccleſia S. Germani Pratenſis Pariſiis de S. Vincentio, & de S. Germano &c. Item ubi talis eſt conſuetudo, ut de Patrono loci ſeu diœceſis fiat per omnes diœceſis Eccleſias, ea eſt retinenda, maximè ubi Breviarium loci proprium ita decernit.

Uſus Turon. Cenoman. &c.

Fit item commemoratio Patroni Ordinis apud Regulares.

Solemne item eſt cujuslibet Ordinis Regularibus Sancti ſui Inſtitutoris Suffragium addere, quod Rubrica ipſa per ſe ſatis niti videtur. Verè enim Patronus eſt ſui Ordinis Sanctus omnis ejuſmodi. At benè monet Gavantus *num.* 13. haud minùs idcirco illos teneri etiam extra Chorum commemorationem facere de eo Titulari cujus Eccleſiæ ſunt adſcripti; eadem enim, inquit, eſt ratio ac in Beneficiato, cùm uterque alatur propriæ Eccleſiæ emolumentis.

Item in quibuſdam Eccleſiis de Sanctis, quorum habentur Reliquiæ. Uſus Bitur. Andegav. Abrinc.

Additur & in aliquibus Eccleſiis Suffragium Sanctorum, quorum habentur Reliquiæ, per Antiph. *Corpora Sanctorum*, Verſ. *Lætamini*, vel Antiph. *Iſti enim maximo digni ſunt honore venerari in terris, quos in cœlis Rex Regum immenſa cumulavit gloria*. Verſ. *Mirabilis Deus*. Orat. *Propitiare*. Ita Eccleſiæ Bitur. Pariſ. Andegav. Abrinc. & aliæ, quibus uti auferre quod legitima conſuetudine præſcriptum eſt nemo laudabiliter tentaverit, ſic nec de novo alibi inducere, quidquam eſt quod urgeat.

Variæ item commemorationes.

Sanctos omnes ſui Ordinis, Regulares aliqui una commemoratione comprehendunt, ut Minores: Benè ſit ipſis. Benè item iis, qui priſcam illam Commemorationum ſeriem de S. Michaele, ſeu de Angelis, de S. Joanne Bapt. de Apoſtolis, de S. Stephano, de Martyribus, de SS. Martino vel Nicolao, ſeu de Confeſſoribus, de S. Maria Magdalena, &c. olim multis in uſibus receptarum bono ac laudabili erga Sanctos zelo retinent; ſed ſi quando prolixitate illa onerari ſe nimiùm querantur, expoſtulationem quæſo ſuam ne apud alios judices quàm ſeipſos deferant.

QUÆSTIO X.

An qui plures habet Beneficiorum & Eccleſiarum Titulos teneatur in Officio eaſdem Commemorationes facere?

Gavantus, Bonacina.

LItem hanc hiſce iterum expreſſis verbis movet idem qui ſuprà Gavantus *num.* 11. poſt Bonacinam *Tract. de horis Can. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *puncto* 4. *num.* 28. tuenturque ambo partem affirmativam, non alia ducti ratione, quàm quòd Rubricis Breviarii præcipiatur fieri in Officio commemorationem Patroni, ſeu Titularis Eccleſiæ: ergo

cum

Digitized by Google

cùm Beneficiarius ille tot habeat Patronos, ſeu Titulares, quot poſſidet titulos Beneficiorum ſeu Eccleſiarum, tot etiam debebit facere commemorationes; neque enim cauſa ulla proferri poteſt, cur de uno potiùs faciat quàm de altero. Subdit verò etiam Bonacina, omittentem ejuſmodi commemorationes peccare mortaliter, tenerique pro rata ad reſtitutionem fructuum, reſpondentium ſingulis commemorationibus, quando nimirum eæ plures ſic omiſſæ conſtituunt materiam notabilem, & ſufficientem ad lethalem culpam. Sed doctrinam hanc rigoroſam nimis judicat Gavantus, nec verò immeritò; imò quàm levibus nitatur argumentis libet parumper auſcultare. Inprimis opus eſſet ut minimum 12. aut 15. commemorationibus ad conſtituendam materiam notabilem, quæ videlicet exæquet unam parvam Horam, infra quam non vult idem Bonacina materiam eſſe gravem; Ecquis verò tam multa poſſidet Beneficia? Sed etſi poſſideat, cùm tribus quatuorve commemorationibus, illis omnibus Titulis authore ipſomet Bonacina poſſit ſatisfacere, ſi nimirum Patronos illorum Beneficiorum ſic recolat, ut Apoſtolos una commemoratione, Martyres alia, alia Confeſſores & alia Virgines complectatur, aut etiam unica omnes, ait Gavantus, formata videlicet de Majorum licentia, Antiphona cum ſuo Verſu & Oratione, quæ conveniat omnibus, certè nemo dixerit, ne ipſe Bonacina quidem aut Gavantus omiſſionem illius unius, aut trium quatuorve Commemorationum, materiæ eſſe notabilis. Sed hæc obiter, neque enim Caſuiſtam hic profiteor.

Qui Beneficium habet in pluribus Eccleſiis, non tenetur de ſingulorum Patronis facere commemorationem in ſuffragiis.

At noſtri inſtituti eſt primum illud refellere, quo aſſerunt ambo illi Doctores, Beneficiarium illum tot Titulis onuſtum, teneri ad ſingulorum Patronorum commemorationes. Ego verò ajo non plus teneri ad commemorationes, quàm ad ipſamet feſta; tam enim obligant Rubricæ ad hæc quàm ad illas, imò etiam ampliùs, nam Rubrica de feſtis loquitur in plurali. Quæ verò præcipit commemorationes, tantùm in ſingulari, quaſi non pluſquam ad unam obligans; ſed ad omnia feſta prædictorum Titulorum, ſeu Eccleſiarum ejuſmodi Beneficiarum minimè teneri docuimus *lib. 2. cap. 17. quæſt. 5.* ſatiſque eſſe ſi illius Eccleſiæ apud quam reſidet, vel ſi in nulla reſideat, digniòris, aut ſi pares ſint Eccleſiæ, utrius volet, feſta ſervaverit; ſicque ruit ratio illa Bonacinæ, nullam eſſe cauſam, cur de uno potiùs faciat quàm de altero. Ruit verò ex eo etiam magis, quòd ſi teneretur ad omnia illa ſuorum Beneficiorum feſta perinde atque ad commemorationes, perpetua ipſe feſta, perpetuaſque celebraret Octavas, quod quàm à recta Officiorum ratione alienum ſit & abhorrens, multis locis paſſim *lib. 1.* docuimus.

Non magis tenetur ad Commemorationes quàm ad feſta.

QUÆSTIO XI.

Quo ordine collocanda ſint prædicta omnia Suffragia?

DIfferri poterat quæſtio hæc ad ſequentem librum, ubi agetur de ordine Commemorationum; ſed ut cœptum ſemel de his ſermonem uno continuo tractu abſolvamus, talis eſt ordo præſcriptus à Rubricis.

Primò: Commemoratio de Titulis Trinitatis, Salvatoris, Spiritus Sancti, Myſteriorum omnium Chriſti, Nominis Jeſu, & quocunque alio ad Deum, vel ad Chriſtum pertinente, collocari debet ante Suffragium B. Mariæ, uti etiam collocat Suffragium de Reliquiis S. Cappella Pariſienſis, quòd videlicet ſint Reliquiæ illæ de S. Cruce, de Corona Spinea, aliiſque Paſſionis inſtrumentis. Patet ex verbis Rubricæ; ſunt enim Tituli illi præ aliis omnibus dignitate ſuperiores, inter ipſos verò nulla poteſt eſſe contentio, cùm de duobus in una eademque Eccleſia nunquam fieri contingat. At de nullo illorum fit ante Commemorationem de Cruce in feriali Officio, ex Rubr. 35. *num.* 1. quia, inquit Gavantus, feriæ indicium eſt commemoratio iſta. Rectè id quidem, ſed utinam rationem iſtam bonus author paulò ampliùs elucidaſſet.

Commemoratio Trinitatis, Salvatoris &c. primo loco, S. Cappellæ Pariſ.

Secundò: Commemoratio de Angelis, & de S. Joanne Bapt. inſeri debet poſt commemorationem B. Mariæ, ante commemorationem Apoſtolorum, eodem videlicet ordine, quo in Litaniis collocantur.

De Angelis & de S. Joanne Bapt. ante Apoſtolos.

Tertiò: Nullius Apoſtoli commemoratio præfertur commemorationi SS. Petri & Pauli: ſunt enim hi duo Apoſtolorum primicerii, quibus cedunt omnes alii.

De nullo Apoſtolo ante SS. Petrū & Paulum.

Quartò: Cæterorum quorumcunque Martyrum, Confeſſorum ac Virginum, imò & Sanctorum veteris Teſtamenti commemoratio, nonniſi poſt dictum Apoſtolorum Suffragium collocatur. Ipſorum verò inter ſeſe (ſi de pluribus fiat) commemoratio ſic ordinari debet, ut de quibuſcunque Martyribus fiat ante quoſcunque Confeſſores, & de his ante Virgines. Ita fert uſus omnium Eccleſiarum: Nam Turonenſis de S. Mauritio agit ante S. Gatianum, Cenoman. de SS. Gervaſio & Protaſio ante S. Julianum. S. Germani Pratenſis de S. Vincentio ante ipſum S. Germanum &c.

De quocunque alio poſt Apoſtolos.

De Martyre ante Confeſſorem, & de hoc ante Virginem.

Quintò: Quòd ſi plures fuerint ejuſdem ordinis, putà duo Martyres, duo Confeſſores, duæ Virgines, nihil quidem de hoc caſu ſtatutum reperio; at veriſimilius eſt ordinem Litaniarum etiam hic eſſe ſervandum, ut videlicet SS. Innocentes, & poſt eos S. Stephanus, quibuſcunque aliis Martyribus anteponantur; anteponantur quoque tam inter Martyres quàm Confeſſores, Epiſcopi non Epiſcopis, utrique SS. Doctores. Inter Virgines verò Martyres non Martyribus, & utræque non Virginibus. Haberi etiam poteſt ratio temporis inter cætera æquales; quo jure æquum videtur, ut Sancti veteris Teſtamenti, & qui Diſcipulorum Domini titulo gaudent, aliis ſui ordinis præferantur.

Varius ordo inter Commemorationes aliorum Sanctorum.

Præferantur item qui propiori nomine ad Eccleſiam ſpectant, putà Titularis ſeu Patronus primarius ante ſecundarium &c. Haud tamen aſſentior Gavanto, *num. 7. capitis cit.* dicenti Patronum loci præferendum Titulo Eccleſiæ, ex falſo ſuo principio, alium hunc ſemper eſſe ab illo, quod hìc etiam ſtabilire nititur adductis Rubricarum locis, ſed quæ nedum ipſi favent, ut adverſari penitus vel legendo manifeſtum fiat. Sint verò etiam diverſi, ut illi placet, haudquaquam tamen adhuc Patronum loci, Titulari Eccleſiæ præferendum cenſeo, imò hunc iſti, docebo aliàs copioſiùs.

Gavantus.

Suffragium de Omnibus Sanctis in Eccleſia ſub tali Titulo dicata, non expungit Suffragium B. Mariæ, nec de Apoſtolis, quia ſpeciale tantùm eſt, illa verò generalia. Nec item debet iis præferri, ſed poſtponi. Gavanti eſt obſervatio iſta *num. 9.* cui lubenter ſubſcribimus.

Suff. de Omnibus Sanctis.

Suffragium de Pace ponitur ſemper ultimo loco poſt alia omnia; rationem reddit Gavantus *num.* 5. Habent aliqui uſus Antiphonam pro Laudibus, *Tua eſt potentia*; ita Andeg. Conſtant. &c. Quin & addit uſus S. Martini Turon. pro Tempore Adventus, Antiphonam *Veni Domine viſitare nos in pace*. A Nativitate uſque ad Epiph. *Gloria in excelſis Deo*. Tempore Paſchali, *Pax vobis, ego ſum*. Quippe nullo unquam tempore & in nullo feſto etiam Duplici hæc Eccleſia, ſicut nec Metropolitana ipſa Turon. omittit Suffragium de Pace. Sed hoc ſingulare eſt ipſis, aliò nequaquam traducendum.

Suff. de Pace ultimo loco.

Uſus Andeg. Conſtant. S. Martini Turonen.

QUÆ-

QUÆSTIO XII.

An plures diverſi ordinis Sancti, ſub una poſſint Commemoratione comprehendi?

Viſus Auguſtin.

CONcedere id Gavantum dixi jam ſuperiùs, neque ei volo ire inficias, ſi ut ait de majorum licentia fiat. Quin & hujus formæ exemplum ſuppedito ex proprio Eremitarum Auguſtinienſium, ubi Commemoratio de S. Auguſtino, de Sanctis Ordinis, imò & de Titulari Eccleſiæ, hac una Antiphona unaque Collecta comprehenditur: Antiph. *Præſul Auguſtine cum matre Monica & Nicolao, Guillelmo atque N. noſtri nunc memores eſtete, & nobiſcum unà precamini ut optata ſemper Chriſti pace fruamur.* Verſ. *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* Reſp. *Laudate eum in firmamento virtutis ejus.* Orat. *A cunctis nos quæſumus Domine mentis & corporis defende periculis, & intercedente B. Patre noſtro Auguſtino Confeſſore tuo atque Pontifice cum Beata matre Monica, atque Nicolao, Guillelmo; & N. ſalutem nobis tribue mentis & corporis, ut deſtructis adverſitatibus univerſis mente tibi & corpore ſerviamus.* Ubi verò Titulus Eccleſiæ eſt Apoſtolus, vel Martyr, dicitur ſic: Antiph. *Sancti Dei inclyti Dive N. cum Beato Patre Auguſtino, Nicolao, Guillelmo atque matre Monica, noſtri nunc &c.* Oratio verò: *A cunctis &c. & intercedente Beato N. cum B. Patre noſtro Auguſtino atque Nicolao, Guillelmo, & matre Monica &c.*

QUÆSTIO XIII.

Quandonam omittenda ſunt Suffragia Patronorum?

QUandocumque omittuntur cætera alia, videlicet à Dominica prima Adventus uſque ad Octavam Epiphaniæ, & à Dominica Paſſionis uſque ad Octavam Pentecoſtes incluſivè, item in omni Officio Duplici & infrà Octavas. Quòd ſi prædictis Temporibus alicubi non omittantur alia Suffragia, minùs eſt laudabilis uſus iſte, & à Romano prorſus alienus.

Omittendum Suffragium Patroni in Vigilia & Officio hebdomadario ipſius.

Omittendum præterea retentis aliis ipſum ſolum Patroni Suffragium in Vigilia ipſius, rectè cenſet Gavantus *num.* 14. putà Suffragium S. Laurentii, in Vigilia feſti ejuſdem Sancti; multò verò etiam magis in Officio ejus hebdomadario, ubi fit, pari jure quo omittitur Suffragium B. Mariæ, quando dicitur ejus Officium parvum, ne ſcilicet de eodem bis fiat in eadem parte Officii.

Suff. de SS. Coſma & Damiano.

Qua item ratione, ſi quis aſſerat omittendum in Eccleſia SS. Coſmæ & Damiani Suffragium ipſorum in Laudibus feriæ 5. poſt Dominicam 3. Quadrageſimæ, non planè reluctabor admodum; quod enim ait Gavantus *Comment. Miſſalis parte* 1. *Tit.* 5. *num.* 15. Titulum Stationis non impedire commemorationem Sancti, ſub cujus nomine eſt ſtatio, vix ſatisfacit: placet magis ratio quam affert non omittendi Suffragii S. Pauli in Dominica Sexageſimæ, quòd videlicet latenter tantùm mentio fiat ejuſdem Apoſtoli in Oratione ſtationis. Placet item quod ait loco antè cit. omittendum Suffragium Patroni in feſto Inventionis, Translationis ipſius, aut alio ſimili; niſi quòd ejuſmodi feſta cùm nuſquam ullibi ferè alia ſint quàm Duplicia, otioſa eſt ejuſmodi obſervatio.

Rejicitur Gavanti opinio de ſuff. B. Mariæ.

At planè rejiciendum cenſeo quod docet *num.* 3. Eum qui privatim recitat Officium parvum B. Mariæ, debere nihilominus in Officio de die facere commemorationem de eadem B. Virgine, ac ſi illud non recitaret, niſi recitet ratione Chori; quaſi verò (quod de præceptis pronunciant Doctores) non ſufficiat recitatio ipſa voluntaria & libera Officii illius, abſque intentione expreſſa recitandi ratione Chori, perinde atque ſufficit impletio voluntaria præcepti abſque intentione ipſi ſatisfaciendi.

CAPUT XVIII.

DE OFFICIO HEBDOMADARIO Patronorum.

ORdine Dignitatis debuerat Caput hoc priori anteponi, ſed ideò poſtponimus, quia Commemoratio Patroni ubique Eccleſiarum fieri debet; Officium verò hebdomadarium non item, ſed quibus tantùm jus eſt ſeu privilegium. De hoc verò Officio, an & qualiter ſit legitimum, & quibus anni temporibus fieri conſueverit, dictum eſt *lib.* 1. *cap. ultimo*. Quo verò hebdomadæ die, *lib.* 2. *cap.* 4. *quæſt.* 5. Quo denique ritu, *eodem lib.* 2. *cap.* 13. *quæſt.* 4. Supereſt jam de ipſo quærere unde ſumi ſoleat.

QUÆSTIO I.

Unde ſumendum Officium illud hebdomadarium?

Varii Eccleſiarum uſus in deſumendo Officio hebdomadario de Patronis. Biture. Ambian. Sagienſe. Canon. Reg. Auguſtin. S. Martini Turonen.

AN ex Officio proprio feſti principalis? An de Communi? Suum habet uſum quælibet Eccleſia. Bituricenſis pro S. Stephano totum accipit de principali ejus feſto. Itidem Ambianenſis pro S. Firmino paucis exceptis, & Ordo Prædicatorum pro S. Dominico. Sagienſis contra pro SS. Gervaſio & Protaſio totum de Communi plurimorum Martyrum, & pro S. Auguſtino Canonici Regulares omnia, exceptis Hymnis, de Communi Confeſſoris Pontificis. Eremitæ itidem, niſi quòd retinuere Antiphonas proprias ad *Benedictus* & *Magnificat*. Eccleſia S. Martini Turonenſis ſui hujus Patroni Officium hebdomadarium decerpit ferè totum ex feſto Translationis ipſius. Hoc verò unum cavent omnes, ne quidquam inſeratur quod diem natalem ſonet, aut ad ipſum ſic pertineat, ut ab eo vix detorqueri queat.

Officium votivum de SS. Sacramento.

Quod attinet ad Officium SS. Sacramenti à multis qualibet feria 5. recitari ſolitum, nihil eſt quod non quibuſcunque anni temporibus benè quadret, præter *Alleluja* in fine Antiphonarum Laudum, Reſponſ. brevium & Verſuum, quod poſt Septuageſimam omitti debet, quo tempore Reſp. breve Nonæ, *Educas panem de terra*, minùs conſonanter reſumitur poſt verſum.

De Conceptione B. Mariæ.

Qui prætextu communicationis privilegii Minorum Officium de Conceptione B. Mariæ recitant diebus Sabbati non impeditis, nec tamen utuntur Officio proprio Minorum, multis ii ſe Officiorum antilogiis implicant, à quibus quærant qui eos exolvat.

QUÆSTIO II.

Quibus Lectionibus utendum in ejuſmodi Officio?

Lectiones priores de Scriptura occurrente.

REceptum apud omnes, ut Lectiones primi Nocturni, ſi Officium fuerit 9. Lectionum, vel ſi fuerit trium, prima & ſecunda ſint de Scriptura occurrente: Ecquis verò ſecus faceret? Tertia verò, vel ubi eſt Officium 9. Lectionum, tres 2. Nocturni, commodius eſt ut de ſermonibus SS. Patrum aſſumantur, quàm de aliqua hiſtoria; ſic Ambian. more Officii B. Mariæ in Sabbato ſelectam habet pro unoquoque menſe ex variis Patribus Lectionem pro S. Firmino. Bituric. itidem pro S. Stephano. Auguſtin. Eremitæ tres ſingulis menſi-

Aliæ de ſermone, aut tractatu aliquo magis quàm de hiſtoria.

menſibus pro S. Auguſtino, ex variis ipſius S. Patris operibus excerptæ; præſtant verò maximè quas collegerunt Canonici Regulares pro eodem S. Auguſtino, non tantùm ex ipſiuſmet Epiſtolis, ſed ex aliis quoque SS. Hieronymi & Paulini ad ipſum datis. Homiliam pro 3. Nocturno quibus opus eſt, non poſſunt aliunde commodiùs quàm ex Octavario deſumere.

Homilia ex Gavanto.

Pro Officio verò SS. Sacramenti, communis multorum uſus eſt, ut Lectiones 2. & 3. Noctur. tam Feſti Corporis Chriſti quàm dierum infra Oct. viciſſim ſumant hoc ordine, ut Lect. 2. Noctur. Sabbati jungant cum Homilia feriæ 6. Lectiones verò 2. Noctur. Dominicæ, cum Homilia Sabbati. Id autem ſic fit quòd Lectiones 2. Nocturni feriæ 6. cùm ſint de ipſa inſtitutione feſti, minùs quadrent; itidem Homilia Dominicæ, quæ eſt in Evangelium proprium ipſius Dominicæ. Aliæ verò habentur pro ſingulis menſibus ſelectiſſimæ ex Patribus in Breviario Ordinis Prædicatorum, aliæ item in proprio Auguſtinienſium; nec timendum ne Sanctos Patres ſuper hoc Myſterio exhauriant, ſi qui alias adhuc volent excerpere.

Lectiones in Officio Corporis Chriſti.

Habent & varias in Officio Conceptionis Minores, quibus longè opportuniùs uti poſſent Communicantes, quàm eaſdem ſemper repetere non ſine faſtidii periculo: ſed hominibus parcis temporis admodum, tam moleſtum non eſt repetendi faſtidium, quàm grata eſt & ad guſtum ſapida præ quinque longioribus Pſalmis opportuna illa brevitas.

Item in Officio Conceptionis.

SECTIO III.

EXſolutis quæ ad materiam Officii Feſtorum propriorum, ſive propriam ipſam, ſive de Communi ſumptam pertinent, ſupereſt jam, ut formam, ſeu quarumque partium ſitum, ordinem, mutuamve inter ſe conſecutionem inveſtigemus. Nam cùm permittat Rubr. 1. *num.* 1. Officia propria approbata, in Feſtis locorum & Eccleſiarum propriis uſurpare, *Sic tamen ut ſervetur ſemper forma Breviarii Romani* (ab iis videlicet qui ejus uſui, quacunque tandem ratione, adſtringuntur;) operæ pretium eſt formam hanc perſpectam habere, ne quid incautè contra illam, ex alienis uſibus inducatur.

CAPUT XIX.

De forma Officii juxta usum Breviarii Romani.

FOrmam ſeu ordinem dumtaxat referimus; cætera quæ de origine, antiquitate, numero, appellatione, myſticaque ſingularum Horarum ſignificatione, compendioſè à Gavanto *ſect.* 4. copioſiùs verò à Durando *lib.* 5. Durantis *lib.* 3. Suarez *tom.* 2. *de Religione, lib.* 4. *à cap.* 1. *uſque ad ſeptimum*, & aliis pertractata ſunt, libenter omittimus, tum ne extra propoſitam metam currere videamur, tum ut alienis obſervationibus jam toties repetitis opus hoc non intumeſcat.

Durandus. Durant. Suarez.

Item formam Officii conſuetam & ordinariam deſcribimus; nam heteroclita illa Tridui majoris hebdomadæ, ſicut & hebdomadarum Paſchæ & Pentecoſtes, aliaque certis diebus in Proprio de Tempore addicta, nihil ad noſtrum de Feſtis Officiiſque propriis inſtitutum faciunt. Viſum verò eſt facere plurimum, ſi quæ in aliis uſibus à Romano diſcrepant, ea ſeorſim è regione breviter indicaremus, ſequentibus deinceps Capitibus ſiugne legitima necne, accuratiùs examinanda. Uſus autem alios à Romano intelligo eos dumtaxat qui Romano ipſi forma non ſunt diſſimiles, nempe novem, triumve Lectionum (uti communiter appellantur:) nam nec Monaſticum 12. Lectionum, nec Ambroſianum alioſve extraneos, diſcutiendos hic ſuſcipimus.

QUÆSTIO I.

Quæ ſit forma Matutini.

EXpreſſa ſatis habetur Rubr. 13. quæ eſt de Matutino ipſo, ſicut & aliarum quoque Horarum ſequentibus itidem Rubricis, noſque hic brevem tantùm veluti indicem oculis ſubjicimus.

Primò: *Pater. Ave, Credo.* ſecretò.

Plurima antiqua Breviaria id non præſcribebant. Rhemenſe addit inſuper Confeſſionem generalem & Abſolutionem. Lugdunenſe habet tantùm Pater. *Ordo Prædicatorum*, Pater & Credo.

Oratio Dominica &c. Uſus Rhem. Lugdun. Ord. Prædic.

Secundò: Verſ. *Domine labia. Deus in adjutorium. Gloria Patri &c.* in fine *Alleluja*; poſt Septuageſimam verò, *Laus tibi Domine &c.*

Verſ. Domine labia &c.

Lugdunenſe præmittit Verſ. Sancti Spiritus adſit nobis gratia, Amen. *Cui item ſubjungit Ratiſponenſe antiquum Verſ.* Hìc & ubique in omni loco dominationis Jeſu Chriſti, benedic anima mea Domino. *Verſ.* Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo. *Verſ.* Domine labia &c.

Lugdun. Ratiſpon.

Tertiò: Invitatorium cum Pſalmo *Venite*, hoc ordine, bis integrum ante inchoationem Pſalmi: integrum item poſt 1. 3. & 5. Verſum: dimidium verò poſt 2. 4. & 6. in fine integrum.

Invitatorium cum Pſalmo Venite.

Aliqui uſus integrum ponunt in Duplicibus poſt quemlibet Verſum, excepto ultimo: aliis verò diebus ſemel tantùm integrum ante Pſalmum, integrum item poſt primum Verſum & in fine: poſt alios verò Verſus tantùm dimidium.

Quartò: Hymnus.

Hymnus; Rhemenſ. Germanic.

Deeſt in Rhemenſi, itidem in Laudibus (præterquam in Officio Quadrageſimæ). Qui uſus neſcio annon ex Germania profectus ſit; nam deſunt ſimiliter Hymni ad Matut. & Laudes in Breviariis Colonienſi, Ratiſponenſi, Herbipolenſi, Eyſtetenſi &c.

Lugdunenſe verò nullos admittit in quacunque Hora, excepto Completorio; ſicut nec Claromontenſe in majoribus ſolemnitatibus.

Lugdun.

Quintò: Poſtea in Duplicibus & Semiduplicibus dicuntur tres Nocturni hoc ordine. In quolibet Nocturno tres Pſalmi (in 1. Noct. Dominicæ plures) ſub tribus Antiphonis, quæ in Duplicibus duplicantur, hoc eſt integræ dicuntur ante & poſt Pſalmum. Tempore Paſchali tres Pſalmi dicuntur ſub una Antiphona.

Tres Nocturni in Officio novem Lectionum. Numerus Pſalmorum & Antiphonarum.

Toto Tempore Paſchali multarum uſus eſt Eccleſiarum, ut in Officio tam de Tempore, quàm de Sanctis, unum tantùm Nocturnum habeant trium Pſalmorum, totidemque Lectionum. Alicubi etiam uſurpatur aliquoties extra tempus Paſchale; novum id quidem, neque ullatenus laudabile.

Multarum item uſus eſt ut infra octavas unum tantum Nocturnum habeant novem Pſalmorum, ſub una alia, alia ſub totidem Antiphonis, cum tribus Lectionibus more feſtorum ſimplicium. Cujuſmodi etiam feſta ſemiduplicia aliqua cenſentur uſu Aurelianenſi & Bajocenſi.

Uſus Aurel. Bajoc.

In multis uſibus non duplicantur Antiphonæ.

Antiphonis junctos habebant antiqua Breviaria breves quoſdam Verſus in Feſtis S. Joannis Evangel. S. Pauli & S. Laurentii, quorum rationem explicat Durandus lib. 6. c. 114. n. 2.

Semper autem cuilibet Pſalmo & hic & in aliis Horis ſubjungitur Verſ. *Gloria Patri* & *Sicut erat.* præterquam ad Laudes in fine Pſalmi, *Deus Deus meus*, & Pſalmorum *Laudate Dominum de cœlis*, & *Cantate Domino.*

Gloria Patri in fine cujuſlibet Pſalmi.

Omit-

Digitized by Google

Omittebant antiqua Breviaria Verſ. Gloria Patri &c. *in tribus prioribus Pſalmis, qui in primo Nocturno Dominica quaterni ſub una Antiphona dicuntur. Item in primo eorum qui bini in feriis ſub una itidem Antiphona junguntur.*

Verſus. Abſolutio.

Sextò: Tertiam Antiphonam excipit Verſus. Deinde *Pater noſter. Et ne nos.* Abſolutio in 1. Nocturno, *Exaudi Domine.* In 2. *Ipſius pietas,* In 3. *A vinculis.*

Parif. Carnut. Aurel.

In Eccleſiis Pariſienſi, Carnutenſi, Aurelianenſi & aliis, pare Verſus qua reſponſio eſt, in Choro minimè pronunciatur.

Carent aliqui uſus Abſolutionibus.

Lectiones.

7. Tres Lectiones in primo Nocturno de ſacra Scriptura, præmiſſo Titulo libri; *De,* vel, *Incipit liber, Epiſtola &c.* In ſecundo de vita Sancti, aut Sermone ſeu Tractatu aliquo, & hujus quoque præmittitur Titulus. In tertio Noctur. de Homilia ſuper Evangelium diei.

Pauci adhuc uſus novem Lectiones in feſtis ponunt de Legenda, ſeu vita Sancti.

9. Lectio de eo cujus fit commemoratio.

Quando in Officio feſti facienda eſt in Laudibus commemoratio Dominicæ occurrentis vel feriæ, quæ habeat Homiliam, nona Lectio erit de dicta Homilia. Itidem de feſto ſimplici occurrente, ſi propriam habeat Lectionem.

In antiquis uſibus non nona Lectio, ſed tres mediæ, ſeu ſecundi Nocturni erant frequenter de feſto, cujus fiebat commemoratio.

Benedictiones.

8. Singulis Lectionibus præmittitur, *Jube Domne benedicere,* ſtatimque pronunciatur Benedictio. In primo Nocturno, 1. *Benedictione perpetua.* 2. *Unigenitus Dei filius.* 3. *Spiritus Sancti gratia.* In 2. Nocturno, 1. *Deus Pater.* 2. *Chriſtus perpetua.* 3. *Ignem ſui amoris.* In 3. Nocturno, 1. *Evangelica Lectio.* 2. *Divinum auxilium,* vel ſi eſt feſtum Sancti, *Cujus,* vel, *Quorum feſtum* &c. 3. *Ad ſocietatem,* vel ſi legatur altera Homilia. *Per evangelica dicta &c.* Reſp. *Amen.* Quælibet

Terminatio Lectionum.

item Lectio ſic terminatur, *Tu autem Domine miſerere nobis.* Reſp. *Deo gratias.*

Sunt in aliquibus uſibus aliæ ab his Benedictiones plurimæ, maximè pro Beata Maria ſuper omnes Lectiones in ejus feſtis.

Reſponſoria.

9. Cuilibet Lectioni ſubjungitur Reſponſorium, niſi poſt nonam cùm dicitur *Te Deum.* Pars verò Reſponſorii reſumitur poſt Verſum ab aſteriſco * qui in omnibus Reſponſoriis interjicitur. In 3. 6. & 8. ſeu 9. cùm dicitur, additur Verſ. *Gloria Patri,* & iterùm repetitur pars Reſponſorii.

Omnes ferè uſus Galliæ proprii habent ante Te Deum 9. *Reſponſorium, ſeu 3. tempore Paſchali; cujus ſecundùm aliquos non repetitur pars, poſt* Gloria Patri, *ſed immediatè incipitur* Te Deum.

Secundùm alios in feſtis ſemmis ſeu Annualibus, ut vocant, dicitur Gloria Patri *in omnibus Reſponſoriis; & in duplicibus 3. 6. & 9. poſt* Gloria Patri *repetitur à principio. In ſemid. verò, 9. duntaxat.*

Proſæ in Reſponſoriis.

Item uſitata olim erant in quibuſdam Reſponſoriis interjecta quædam proſa, qualis eſt hæc Inviolata integra *&c. in Reſp.* Gaude Maria, *& quidem duæ treſve interdum, ut in Reſp.* Deſcendit de cœlis. *in Feſto Nativitatis Domini; & in Reſp.* Martinus Abrahæ ſinu, *in Breviario ejuſdem S. Martini, in quo plures adhuc extant ejuſmodi Proſæ.*

Te Deum.

10. Poſt ultimam Lectionem in feſtis ſemper dicitur *Te Deum,* uno excepto Feſto SS. Innocentium.

Vſus Lugd.

Antiqui uſus ferè omnes in nullo feſto à Septuageſima uſque ad Paſcha admittebant Te Deum, *nec etiam in Adventu aliqui. In Lugdunenſi adjungitur Hymno* Te Deum *Antiphona, & Verſ.* Gloria Patri *in fine ad inſtar Pſalmi.*

Unum tantùm Nocturnum in Officio trium Lect.

11. In Officio verò trium Lectionum poſt Hymnum dicitur unum tantùm Noctur. 12. videlicet Pſalmorum feriæ occurrentis, ut in Pſalterio, cum ſex Antiph. ibidem poſitis, vel Tempore Paſchali ſub una Antiph. *Alleluja.*

Omnes ferè uſus Galliæ proprii in feſtis ſimplicibus pro Nocturno habent novem Pſalmos de Communi, ſub una alii, alii ſub novem Antiphonis. Tempore verò Paſchali tam in Officio de feria quàm de Sanctis tres tantùm.

12. Ultima Antiphonam excipit Verſus ibidem poſitus de Tempore, vel de feſto. Deinde *Pater noſter. Et ne nos.* Abſolutio: Fer. 2. & 5. *Exaudi Domine,* fer. 3. & 6. *Ipſius pietas.* fer. 4. & Sabb. *A vinculis.* Pro B. Maria in Sabbato, *Precibus & meritis.* Verſus, Abſolutio &c.

13. Tres Lectiones in feriis de Scriptura currente, ſeu de Homilia, ſi habetur. In feſtis prima de Scriptura occurrente, 2. & 3. de Sancto ſi duas proprias habeat; ſin minùs duæ priores de Scriptura, 3. de Sancto. Lectiones.

Antiqua Breviaria in feſtis tres Lectiones ponebant de vita Sancti.

In uſu Senonenſi, Aurelian. & aliis legitur pro 3. Lectione Homilia de Dominica vel feria, cujus fit commemoratio. Vſus Senon. Aurel. &c.

14. Singulis Lectionibus præmittitur, *Jube Domne,* ſtatimque pronunciatur Benedictio. In feſtis quidem, 1. *Ille nos benedicat.* 2. *Cujus feſtum colimus.* 3. *Ad ſocietatem.* In feriis verò ſi ſit Homilia, 1. *Evangelica Lectio.* 2. *Divinum auxilium.* 3. *Ad ſocietatem.* Si non ſit Homilia, fer. 2. & 5. ex 1. Nocturno. fer. 3. & 6. ex 2. Nocturno. fer. 4. & Sabb. 1. *Ille nos benedicat.* 2. *Divinum aux.* 3. *Ad ſocietatem.* Benedictiones.

In Rothomagenſi poſt Evangelica Lectio, *2. & 3. ſumuntur ſecundum feriam.* Vſus Rothom.

15. Cuilibet Lectioni ſubjungitur Reſponſorium, niſi poſt 3. cùm dicitur *Te Deum.* Repetitur verò pars illius, additurque ſecundo vel tertio *Gloria Patri,* ut dictum eſt ſuprà. Prædicta verò Reſponſoria ſumuntur in feriis prout notantur, niſi fuerint aliqua primò ponenda. In feſtis verò fer. 2. & 3. duo priora primi Noct. de Communi. fer. 3. & 6. duo item priora 2. Nocturni. fer. 4. duo 3. Nocturni. Reſponſoria.

In omnibus ferè Galliæ uſibus propriis, in feſtis dicitur 3. Reſponſorium ante Te Deum.

16. Poſt tertiam Lectionem in feſtis ſemper dicitur *Te Deum.* Te Deum.

Aliqui uſus in nullo feſto ſimplici habent Te Deum, *extra Tempus Paſchale.*

In omnibus Galliæ uſibus propriis poſt Te Deum, *vel ſi non dicitur, poſt ultimum Reſponſorium dicitur Verſus Sacerdotalis, ſic dictus, quod à Sacerdote Hebdomadario decantetur.* Verſus Sacerdotalis.

QUÆSTIO II.

Quæ ratio terminandi Matutinum, & inchoandi Laudes, cùm ab invicem ſeparantur.

SIntne Laudes diſtincta Hora à Matutino, ſeu Nocturnis, diſputant pluribus Doctores. Vulgarior eſt ac longè probabilior opinio negans, quam tuentur Sotus *lib. 10. de Juſtitia quæſt. 5. art. 4.* Suarez *tomo 2. de Relig. lib. 4. cap. 6.* communiterque Doctores tam Summiſtæ verbo *Hora,* quàm Canoniſtæ in *Can. Presbyter diſt. 91. & cap. 1. de celebratione Miſſarum.* Nec tamen ex eo quòd unicam Horam conſtituat Matutinum cum Laudibus, inde conſequens eſt, non poſſe has ab illo dividi, ut rectè docet Suarez cit. non in Choro quidem, quòd extra noctem Nativitatis Domini, illud profſus inuſitatum ſit; ſed in privata ſaltem recitatione, prout jam à pleriſque in morem inductum cernimus, nulla contra id poſitiva lege reclamante. In eo itaque caſu quæſitum fuit à me ſæpiùs, an ad terminandum Matutinum addenda ſit poſt *Te Deum,* ſeu ultimum Reſponſorium

Laudes non ſunt Hora diſtincta à Matutino. Sotus. Suarez.

Poſſunt tamen ſ. orſim à Matutino recitari.

rium

rium Oratio diei, ſicut notatur in nocte Natalis Domini? Item an inchoationi Laudum præmittenda Oratio Dominica & Salutatio Angelica, more aliarum Horarum?

Reſpondeo, quamvis neutrius ulla abſolutè ſit obligatio (neque enim uſlibi Rubricarum id præcipitur, aut facit legem exemplum Feſti Nativitatis, cùm ibi non exprimatur in ſimili ſic eſſe agendum:) æquius tamen eſſe arbitror, ac longè decentius, quod ait Gavantus *ſect. 4. cap. 2. num. 3. & ſect. 5. cap. 1. num. 3.* ex mente Navarri & Francolini, ut qui in Matutino ſiſtunt non ultra pergentes, dicto *Te Deum*, ſeu ultimo Reſponſorio, addant Orationem diei, præmiſſo ac ſubjuncto, *Dominus vobiſcum*, deinde *Benedicamus Domino*, *Fidelium anima*, & *Pater* ſecretò, more utique aliarum Horarum; quo utique more terminantur in Breviario Monaſtico, Vigiliæ ſeu Nocturni.

Gavantus. Convenientiùs additur Oratio, cùm terminatur Officium in Matutino.

Laudibus verò ſic à Nocturnorum Officio diviſis præmittendum ſecretò *Pater* & *Ave*, ſentio planè cum iiſdem Authoribus, haud tamen ductus ratione Navarri, qui exiſtimat eſſe octo Horas divini Officii; neque etiam Francolini id inferentis ex Rubr. 32. qua jubetur ea dici ante omnes Horas, præterquam ad Completorium; ſiquidem Laudes non ſunt Hora à Matutino diſtincta, ut fuſiùs probat Suarez cit. *num.* 13. ſed id ajo tantùm ex decentia quadam, qua fit, ut nullum Officium, ne Tridui quidem ante Paſcha, quamvis illud ſit valdè heteroclitum, ſoleat inchoari, niſi pronunciato priùs ſecretò *Pater* & *Ave*. Quin & Monaſticum ita fieri præcipit in Officio ſimplici.

Inchoationi Laudum convenientiùs additur, Pater & Ave. Francolinus. Suarez.

QUÆSTIO III.

Quæ ſit forma Laudum?

PRimò: *Deus in adjutorium* &c. *Alleluja*, vel *Laus tibi Domine* &c.

Pſalmi. Secundò: Pſalmi in quibuſcunque feſtis, *Dominus regnavit*, cum reliquis de Dominica. In Officio feriali, *Miſerere*, cum reliquis ut notatur in qualibet feria.

Antiphonæ. 3. Cuilibet Pſalmo ſua tribuitur Antiphona, duplicanda in Officio Duplici. In Dominicis per annum, item in Dominicis ac feriis Tempore Paſchali, tres priores Pſalmi dicuntur ſub una Antiphona *Alleluja*. Semper autem Pſalmi *Deus Deus meus* & *Deus miſereatur* ſimul juncti pro uno computantur, ſicut & tres poſtremi.

Senon. Pariſ. Meld. &c. *In feſtis ſimplicibus & infra Octavas unicam Antiphonam habent Breviaria Senonenſe, Pariſienſe, Meldenſe, & alia. Iiſdem in Dominicis per annum, Dominicis ac feriis Tempore Paſchali. Pleraque non duplicant Antiphonas, Ambianenſe tantum in Duplicibus 1. & 2. claſſis.* *Ambian.*

Capitulum, Hymnus & Verſ. 4. Capitulum, cui reſpondetur *Deo gratias*. Hymnus & Verſus.

Rhem. Lugdun. *Deeſt Hymnus in Rhemenſi (niſi in Quadrageſima.) Item in Lugdun. & aliis ſuprà memoratis.*

Cant. Benedictus. 5. Canticum *Benedictus*, cum Antiphona duplicanda in Officio duplici.

Rothomag. *Uſus Rothomag. eſt, ut in Officio quod Triplex appellat, triplicetur Antiphona ad Benedictus, hoc eſt ut ſemel integra dicatur ante Canticum, ſemel ante Verſ.* Gloria Patri, *& ſemel in fine: juxta verò Pariſienſem, alioſque multos, ne in Duplicibus quidem unquam duplicatur.* *Pariſ.*

Concluſio Laudum. 6. Verſ. *Dominus vobiſcum*.

Reſp. *Et cum ſpiritu tuo*.

Oremus. Collecta diei cum integra concluſione.

Reſp. *Amen*.

Rothom. Tur. Pariſ. *Uſu Rothomag. Turon. Pariſ. &c. poſt primam Orationem repetitur ſemper* Dominus vobiſcum, *deinde* Benedicamus Domino, *ſive una tantùm dicatur, ſive plures.*

Preces feriales. 7. In feriis majoribus ante Orationem dicuntur preces feriales flexis genibus cum Pſalmo *De profundis &c.*

Andeg. *Omittit Andegavenſe in Vigiliis feſtorum primæ claſſis.*

Proſtrationes. *In multis olim & nunc etiam in aliquibus uſibus habentur aliæ preces, eæque longiores, quæ & proſtrationes dicuntur, interjectis etiam aliis Pſalmis uno vel duobus.*

Commemorationes, Suffragia. 8. Commemorationes, ſi quæ occurrant. Poſtremò cùm non eſt duplex, aut infra Oct. Suffragia communia Sanctorum extra Adventum & tempus à Dominica Paſſionis uſque ad Oct. Pentecoſtes incluſivè. Tempore verò Paſchali, de Cruce tantùm. Sola autem ultima Oratio, cùm plures ſunt, habet concluſionem, eamque integram.

Pariſ. Meldenſe. Ambian. Aurelian. Senonenſe. *Suffragiorum uſus varius eſt & admodum multiplex. Pariſ. Meld. &c. non adhibent niſi in feriis & feſtis ſimplicibus. Ambian. omittit. in Quadrag. Aurelian. præcipit de B. Maria in Adventu. Senonen. de Cruce diebus Sabbati & Dominicis ab Oct. Pentec. ad Veſperas. Alii denique plura, alii pauciora admittunt.*

Reſp. *Amen*. Verſ. *Dominus vobiſcum*. *Benedicamus Domino*. *Fidelium anima &c.* Reſp. *Amen*.

Pariſ. *Uſu Pariſ. & aliis ſola prima & ultima Oratio integram habent concluſionem, alia* Per Chriſtum Dominum noſtrum, *vel*, Qui vivis & regnas Deus, Per omnia ſæcula &c.

Uſus S. Martini Turon. *Singularis eſt Eccleſia S. Martini uſus, ut nunquam in Choro reſpondeatur*, Et cum ſpiritu tuo, Deo gratias, Amen.

QUÆSTIO IV.

Quæ ſit forma terminandi Horas?

LAudes videlicet, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, ac Veſperas, illarum enim omnium par eſt ratio, non verò Completorii.

Dicto Verſu *Fidelium anima*, ſubjungitur *Pater noſter*, totum ſecretò.

Senon. Pariſ. Meldenſ. *Senon. Pariſ. & Meldenſe addunt etiam* Ave Maria.

Deinde Verſ. *Dominus det nobis ſuam pacem*. Reſp. *Et vitam æternam. Amen.* Tum Antiphona B. Mariæ, cum Verſu & Oratione temporis currentis, & in fine, *Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum. Amen.*

Turon. *In Breviario Turon. non dicuntur Antiphonæ B. Mariæ in Choro, in feſtis & per Octavas ejuſdem, & quando fit de ea in Sabb.*

Antiphona B. Mariæ. Lugdun. *Lugdun. admittit Antiphonam B. Mariæ, tantùm in fine Nonæ & Completorii. Pſalmum verò* De profundis, *cum Collecta pro defunctis, ſingulis horis adhibet.*

Rothomag. *In Rothomagenſi dicuntur tantùm ex devotione, vel ex fundatione in Choro.*

Pariſ. Senon. Meldenſ. *In Pariſienſi, Senonenſi & Meldenſi ad devotionem & ſecundùm conſuetudinem locorum & Eccleſiarum in fine Completorii & Matut. tantùm.*

In Choro ſervatur ſemper prædicta forma, quando terminata aliqua ex dictis Horis diſceditur. Sin verò Prima dicatur immediatè poſt Laudes, aut Tertia poſt Primam, aut Sexta poſt Tertiam &c. dicto Verſu *Fidelium anima*, ſtatim ſubditur pro principio ſequentis Horæ *Pater* & *Ave*, vel, pro Completorio *Jube domne*. Terminatio verò prædicta differtur ad finem ejus Horæ, in qua ſiſtetur, & à Choro diſcedetur. Quòd ſi non diſcedatur à Choro, ſed, ut fit in aliquibus Eccleſiis, expectatur ibi ultimus Miſſæ, aut Veſperarum pulſus? Exiſtimo tum, dicendum quidem *Pater* ſecretò, nihil verò ampliùs; Si tamen Miſſa longiori mora differatur, dicenda erit Antiphona B. Mariæ, ait Gavantus *ſect. 5. cap. 22. num.* 15. quod non putaverim ego neceſſarium; verba enim illa

Non dicenda Antiphonæ B. Mariæ, niſi à Choro diſcedatur. Gavantus refellitur.

Rubr.

Digitized by Google

Rubr. 36. num. 2. quæ allegat, *quando poſt aliquam Horam immediatè ſequitur Miſſa*, benè intelliguntur de immediatione non temporis, ſed commorationis in Choro; unde nec ſi fiat Oratio mentalis, aut habeatur concio, adhuc dicendam arbitror Antiphonam B. Mariæ, quidquid ſecùs ſentiat idem Gavantus; neque enim tum à Choro diſceditur, quod videtur exigere Rubrica, ad hoc ut ſit obligatio ad prædictam Antiphonam.

Non dicenda item ſubſequente Officio Defunctorum &c.

Certum verò eſt ex eadem Rubrica non debere dici, quandocunque ſubſequitur cum Officio diei, Officium Defunctorum, etiam ex devotione recitandum, ait Gavantus cit. Item Pſalmi Pœnitentiales, aut Litaniæ, quia tunc, inquit, non eſſent Antiphonæ finales Officii. Neque item quando ſubſequitur Miſſa, quia nimirum continuatur Officium divinum. Quòd ſi poſt Miſſam nulla ſubſequatur Hora, ſed ſtatim è Choro diſcedatur, ajo adhuc cum eodem Gavanto *num.* 16. non debere dici ex obligatione, cùm nulla id Rubrica præcipiat; neque enim nomine Horæ venit Miſſa, ut valeat hìc præfatæ Rubricæ locus, *alioquin in fine ultimæ Horæ*.

Ratio terminandi Horas privatim.

Extra Chorum, prædicta terminatio locum habet dumtaxat in fine Laudum, ſi ibi terminat quis Officium. Quòd ſi pergat ulteriùs, dicto Verſ. *Fidelium animæ*, ſtatim ſubditur pro principio Primæ, *Pater &c.* Itidem ſi poſt Primam immediatè ſequatur Tertia, & poſt Tertiam Sexta, &c. adeò ut qua primùm vice poſt Laudes terminatur Officium, impendatur prædicta terminatio tota, deinceps verò in fine aliarum Horarum dicto Verſ. *Fidelium animæ*, dicitur ſecretò *Pater*, nihilque ampliùs, ſaltem ex obligatione.

QUÆSTIO V.

Quæ ſit forma Primæ?

Pater &c. Vſus Ord. Præd.

1. PAter, Ave, Credo.

Ordo Prædic. Pater, *&* Credo, *ſine* Ave. *Lugd. tantùm* Pater, *& ſic in aliis Horis.*

Ambian.

In Ambian. Credo, *non dicitur ante Primam, quando in Choro dicitur Prima conſequenter poſt Matutinum.*

Pariſienſe.

Pariſienſe ſic habet: In Choro, quando hora conjunctim, vel immediatè poſt Miſſam, aut poſt aliquam Horam dicuntur, ſufficit dixiſſe Orationem Dominicalem in principio primæ Horæ.

Inchoatio. Hymnus. Pſalmi.

2. *Deus in adjutorium &c.*

3. Hymnus *Jam lucis orto ſidere.*

4. Pſalmi, in feſtis & toto Tempore Paſchali, *Deus in nomine tuo. Beati immaculati*, & *Retribue*. In Dominicis & feriis, excepto Sabbato, interjicitur ſecundus Pſalmus.

In antiquis omnibus Breviar. ſicut & in ipſo Romano ante Pium V. Pſalmi qui jam per ſingulas ferias diſtributi ſunt, omnes ſimul recitabantur in Prima Dominica, unde & dicebatur Magna Prima.

Ordo Prædic. in Dominicis tres tantùm habet Pſalmos.

Omnes ſub unica Antiphona, quæ in feſtis eſt prima Laudum, & nunquam duplicatur.

Antiphona aliquibus olim nulla erat, ſed in fine Pſalmorum dicebatur Alleluja, *vel*, Laus tibi Domine &c.

Symbolum S. Athanaſii in Dominicis.

5. In Dominicis quando fit Officium ut in Pſalterio, additur Symbolum S. Athanaſii *Quicunque*. Item in Feſto SS. Trinitatis. An etiam infra Octavas ejuſdem? Negat Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 20. *nu.* 4. eique adſtipulor, ob hanc rationem quòd videatur Dominicæ diei addictum; quare & in die Octava dicendum erit, ſicut & quando aliàs fieri contingit Officium de Trinitate in Dominica; non autem aliis diebus.

In omnibus antiquis Breviariis quotidie dicebatur,

Capitulum.

6. Capitulum in Dominicis & feſtis, *Regi ſæculorum*. In feriis, *Pacem & veritatem*.

Conſtantienſe.

Deerant in pleriſque antiquis Capit. & Reſp. breve, quod Conſtantienſe etiam omittit à Dom. 1. Adventus, uſque ad Nativit. & à Sept. uſque ad Oct. Paſchæ.

Rhem. Reſp. breve.

Rhemenſe ponit Regi ſæculorum *etiam in Feriis.*

7. Reſp. breve *Chriſte fili Dei vivi*, cujus Verſ. mutandus in feſtis Chriſti Domini & B. Mariæ, Verſ. *Exurge Chriſte.*

Senon. Ord. Prædic.

Senon. legit, Jeſu Fili Dei vivi, *Ordo Præd.* Jeſu Chriſte fili, *omittitque à Dom. Paſſionis, uſque ad Dom. in Albis, in Officio de Tempore.*

In ſolemnitatibus Domini, & B. Mariæ, antiqua aliqua Brev. habent Orat. propriam de feſto.

Preces.

8. Poſt Verſ. in Duplicibus & infra Oct. dicitur ſtatim *Dominus vobiſcum*. Orat. *Domine Deus omnipotens*. In alio verò Officio præmittitur *Kyrie eleiſon*, cum ſubjunctis precibus; quibus item quando ad Laudes dictæ ſunt Preces feriales, adduntur aliæ, *Eripe me Domine &c.* dicunturque flexis genibus.

Preces alias & longiores habebant antiqua Breviaria, quæ quocunque die etiam in Officio Duplici dicebantur.

Confeſſio.

In Confeſſione, quando quis ſolus recitat Officium, omittit verba illa, *Tibi pater*, & dicit *Miſereatur noſtri. Peccatis noſtris. Perducat nos &c.*

Ord. Prædic.

Alia Confeſſionis Formula in antiquis habetur, eaque varia & multiplex. Aliam quoque etiamnum habet Breviar. Ord. Prædic. ſicut & aliam Orationem, quæ item varia eſt in aliquibus uſibus.

Poſt Orationem, *Dominus vobiſcum. Benedicamus.*

Senon.

In Senonenſi, quandocunque non dicuntur preces, ſtatim poſt Orat. dicitur Confiteor.

Martyrologium. Pretioſa.

9. In Choro Martyrologium; vel eo privatim omiſſo ſubditur *Pretioſa*, cum reliquis ut in Pſalterio, quæ nunquam variantur.

Quæ ſequuntur Pretioſa *admodum varia ſunt in variis Breviariis.*

Lectio brevis.

10. Pro Lectione Brevi ad Abſolutionem Capituli in feſtis & Dominicis infra Oct. Domini, dicitur Capitulum Nonæ, addito in fine *Tu autem Domine*; aliàs ut in Pſalterio pro ratione Temporis.

Lectioni Martyrologii additur in aliquibus uſibus, Regularium maximè, Commemoratio Defunctorum, cum Pſalmo De profundis &c.

Ord. Prædic.

In Ord. Prædic. Lectio Martyrologii cum Pretioſa, *ac reliquis, ponitur poſt Laudes, niſi quando Matutinum dicitur in ſero, tunc enim prædicta reſervantur poſt Primam. Item pro Lectione brevi legitur certis diebus initium Evangelii diei, aliis verò Lectio de Conſtitutionibus. Rhemenſe non habet Lectionem brevem.*

Rhem.

QUÆSTIO VI.

Quæ ſit forma Horarum, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ?

Inchoatio.

PRimò: *Pater*, & *Ave*.

2. *Deus in adjutorium &c.*

Hymnus.

3. Hymnus ad Tertiam, *Nunc Sancte nobis*. Ad Sextam, *Rector potens*. Ad Nonam, *Rerum Deus*.

In paucis antiquis Brev. erat Hymnus proprius in feſto Dedicationis idem per omnes Horas. Proprius item in Senonenſi de S. Stephano ad Tertiam.

Vſus Senon. Aurel.

In Aurel. loco Hymni, Capituli &c. in Feſtis Inventionis S. Crucis & Corporis Chriſti dicitur Antiph. Hæc dies, *ut in Feſto Paſchæ.*

Pſalmi.

4. Tres Pſalmi, Ad Tertiam, *Legem pone &c.* Ad Sextam, *Defecit &c.* Ad Nonam, *Mirabilia &c.* ſub unica Antiphona, quæ in feſtis ad Pri-

mam

mam eſt prima Laudum. Ad Tertiam 2. Ad Sextam 3. Ad Nonam 5. quæ nunquam duplicantur.

[*Uſus Rothom.*] *In Rothomag. & paucis aliis duplicatur Antiphona ad Tertiam in die Pentecoſtes.*

[*Par. Meld.*] *Pariſ. Meldenſe, & alia quartam Antiphonam Laudum aſſumunt pro Nona, quando futura ſunt* [*Lugdun.*] *ſecunda Veſpera de ipſo feſto. Uſus Lugd. caret Reſp. brevi.*

[Capitulum. Reſp. breve.] 5. Capitulum, quod in feſtis idem eſt Laudum ac Veſperarum. Ad Sextam & Nonam proprium. Reſp. breve & Verſus, cum *Alleluja* tempore Paſchali, & in aliquibus feſtis Chriſti Domini.

Multi uſus proprii etiamnum addunt Alleluja, *ad Reſponſ. brevia Horarum in feſtis extra tempus Paſchale. Andegav. itidem pridie Septuageſima ad Nonam de quocunque fiat Officium.*

Omnia ferè antiqua Breviaria habebant in Dominicis Quadrageſima Reſp. prolixiora ad Tertiam, Sextam & Nonam.

[Oratio.] 6. *Dominus vobiſcum.* Oratio diei, cum integra concluſione. *Dominus vobiſcum. Benedicamus Domino. Fidelium anima.*

In antiquis Monaſticis Breviariis erat Orat. propria in Pſalterio pro qualibet harum Horarum. In feſtis vero, Dominicis, ac feriis Quadrageſima ad Sextam & Nonam.

[Preces feriales.] 7. In feriis majoribus quando ad Laudes dictæ ſunt preces, dicuntur & hic flexis genibus, *Kyrie eleiſon &c.*

Preces longè fuſiores ſunt in antiquo Turon. interjectis etiam duobus tribuſve Pſalmis, qui varii erant pro Tertia, varii item pro Sexta & pro Nona.

QUÆSTIO VII.

Quæ ſit forma Veſperarum?

[Inchoatio.] PRimò: *Pater*, & *Ave*.

2. *Deus in adjutorium &c.*

[Pſalmi quinque cum Antiphonis. *Uſus Pariſ. Meld.*] 3. Pſalmi quinque cum totidem Antiphonis duplicandis in Officio Duplici.

Pariſ. Meld. & alii uſus tres tantùm Pſalmos habent in Paſcha & Pentecoſte, alii quinque, ſed alio ordine.

Iidem unicam tantùm ponunt Antiphonam in 2. Veſperis feſtorum, præterquam Apoſtolorum, & Nativitatis Domini; quintam videlicet Laudum. [*Bitur. Pariſ.*] *Bituric. primam, aliqui etiam in 1. Veſperis unicam propriam. Pariſienſe itidem in aliquibus Feriis Quadrageſima. Plures non duplicant Antipho-* [*Turon.*] *nas. Triplicabat antiq. Turon. in feſtis annualibus.*

[Capit. Hymnus. Verſus. Reſponſorium.] 4. Capitulum, cui reſpondetur, *Deo gratias*, Hymnus, Verſus.

Poſt Capitulum communis eſt Eccleſiarum Galliæ uſus, ut in feſtis ſaltem ſolemnioribus addatur ante Hymnum Reſponſorium prolixum, ſive in utriſque Veſp. ſive in primis tantùm: quod item Reſponſ. repetitur integrùm poſt Gloria Patri.

[*Lugdun.*] *In Uſu Lugdun. deſunt Capitulum & Hymnus.*

[*Herbipolenſe &c.*] *In Herbipolenſi & aliis Germaniæ uſibus Capitulum Hymno poſtponitur.*

[*Toloſan. Bellovac.*] *Antiqua Toloſanum & Bellovacenſe (neſcio annon & alia) in majoribus feſtis loco Hymni in 2. Veſperis habent* Alleluja, *cum Verſu ut in Miſſa, cui ſtatim ſubditur Proſa ſeu Sequentia.*

[Magnificat.] 5. Canticum *Magnificat*, cum ſua Antiphona duplicanda in Officio Duplici.

Antiphonam ad Magnificat *nullam duplicat Pariſ. niſi O. O. ante Feſtum Nativitatis. Triplicant* [*Pariſ. Rothomag. &c.*] *in præcipuis feſtis Rothomag. Ebroic. Aurelian. &c. Lugdunenſe denique in quibuſdam ſolemnitatibus* [*Lugdun.*] *ſæpius repetit, verſibus Cantici ipſam intermiſcendo.*

[Oratio.] 6. *Dominus vobiſcum*, Oratio diei, cum integra concluſione.

[Preces feriales.] 7. In Feriis Adventus, Quadrageſimæ, & Quatuor Temp. ante Orationem dicuntur Preces Feriales, ut in Laudibus, cum Pſalmo *Miſerere*.

Omittunt Preces multi uſus in feriis Adventus ex quo dicuntur Antiphonæ O. O. item in feria 4. majoris hebdomadæ.

8. Commemorationes ſi quæ occurrunt, ac deinde Suffragia ut in Laudibus. [Commemorationes & Suffragia.]

In Eccleſia Senon. in concurſu duorum feſtorum [*Senon.*] *Annualium, putà Nativitatis & S. Stephani, pro commemoratione hujus ponitur Antiphona*, Magnificat, *deinde repetita Antiphona*, Dominus vobiſcum, *Oratio &c.*

QUÆSTIO VIII.

Quæ ſit forma Completorii?

PRimò: Incipitur abſolutè à Lectione brevi, [Lectio brevis.] præmiſſo *Jube domne &c.* deinde *Pater*, ſecretò. *Confiteor. Miſereatur. Indulgentiam.*

Brev. Rothomag. Senon. Bituric. Carnut. & pleraque alia carent Lectione brevi, & incipiunt abſo- [*Uſus Gallicani multi.*] *lutè*, Converte nos Deus.

Lugdunenſe præmittit Pater. *Rhem. item* Ave. *Brev. S. Martini Turon. Confeſſionem &c.*

2. *Converte nos Deus &c. Deus in adjutorium* [Inchoatio.] *&c.*

3. Pſalmi. *Cum invocarem. In te Domine ſpe-* [Pſalmi.] *ravi. Qui habitat. Ecce nunc.* Sub una Antiphona *Miſerere*, vel Tempore Paſchali *Alleluja*, nunquam duplicanda.

In Paſcha & Pentec. plerique uſus omittunt Pſalmum Qui habitat. *Aliqui in feſtis ſolemnioribus propriam habent Antiphonam. Breviar. S. Marti-* [*Uſus S. Martini.*] *ni nullam, ſed finitis Pſalmis dicitur* Alleluja, *ſeu*, Laus tibi &c.

4. Antiphonam excipit Hymnus, *Te lucis*. Ca- [Hymnus. Capitulum. Reſp. brev. Verſus.] pitulum, *Tu autem in nobis*. Reſp. brev. *In manus tuas, Domine*. Verſ. *Cuſtodi nos*, cum Alleluja Tempore Paſchali.

Plerique uſus ponunt Capitulum ante Hymnum, nec habent Reſponſ. breve.

Lugd. caret Capitulo, & Reſp. brevi.

Plerique item habent Hymnos proprios, pro Tempore Quadrageſima, pro Tempore Paſchali, pro feſtis Duplicibus & infra Oct. pro Feſtis B. Mariæ.

Lugd. etiam pro ſingulis feriis & Feſtis. [*Lugdun.*]

5. Canticum *Nunc dimittis*, ſub Antiphona [Nunc dimittis.] *Salva nos*, nunquam duplicanda.

Varias plerique habent Antiphonas, maximè ve- [Antiphonæ ad Nunc dimittis.] *rò in Feſtis Chriſti Domini, quæ ſunt ferè omnes hujuſmodi*, Alleluja, Verbum caro factum eſt Alleluja, & habitavit in nobis Alleluja, Alleluja.

In Quadrageſima etiam longiores, qualis eſt illa, Media morte in vita ſumus &c. *quæ plures habet Verſus more Reſponſorii. Uſus Turon. extra* [*Uſus Turon.*] *Septuageſimam addit* Alleluja, *ſingulis Verſibus Cantici* Nunc dimittis, *ſub Antiphona ejuſdem teneris*, Nunc dimittis ſervum tuum Domine &c.

6. Poſt Antiphonam in Duplicibus & infra [Preces, Oratio &c.] Octavas ſtatim ſubditur, *Dominus vobiſcum*. Oratio, *Viſita quæſumus*.

In antiquo Turonenſi & pleriſque aliis erant preces aliæ fuſiores cum Pſalmis interjectis, quæ dicebantur in quocunque Officio, etiam Duplici. Alia item in multis erat Oratio, Illumina quæſumus Domine &c. *vel*, Veritas tua, *& in ſolemnitatibus Chriſti Domini, & B. Mariæ, propria de feſta.*

In alio verò Officio præmittitur *Kyrie eleiſon*, cum ſubjunctis precibus, quæ item dicuntur flexis genibus, quandocunque ad Veſperas dictæ ſunt preces Feriales. In fine Orationis, *Dominus vobiſcum. Benedicamus. Benedicat & cuſtodiat &c. Amen.*

Brev. Rhemenſe, Rothomagenſe, Bituricenſe, [*Uſus Rhem. Rothom. &c.*] *Pari-*

Digitized by Google

Pariſienſe, & alia precibus iſtis interjiciunt Confiteor, *videlicet ante Verſ.* Dignarè Domina nocte iſta. *Quando verò preces non dicuntur, Senonenſe ponit poſt Orationem in fine. Diſtinguit Prælatos ab aliis Brev. Ord. Prædicatorum, ut ii dicant* Benedicat vos Deus, *alii verò* Benedicat nos &c.

Senon.

Ord. Præd.

7. Antiphona B. Mariæ, cum Verſu & Orat. quæ tempori congruit. Deinde Verſ. *Divinum auxilium. Pater noſter, Ave Maria, Credo*, ſecretò.

Antiphona B. Mariæ.

Antiphona B. Mariæ in variis uſibus alio modo diſponuntur. Quin & alii varias habent, varioſque etiam Verſus & Orationes.

Sic autem ſemper terminatur Completorium etiamſi ſequatur Officium Defunctorum aut quodcunque aliud; imò ſi immediatè ſequatur Matutinum pro ſequenti die, repetitur denuò, *Pater, Ave, Credo.*

QUÆSTIO IX.

Quæ ſit forma Officii Monaſtici?

FUerat in animo priùs illam minimè attingere; ſed quia multis Regularium Congregationibus ſub Regula S. Benedicti militantibus, ex præſcripto ipſiuſmet Regulæ uſitata eſt; opportuniore conſilio ſtatui ea, in quibus à Romana diſcrepat, breviter indicando perſtringere.

Inter quæ præcipuum illud eſt, quòd Pſalterium alia penitus ratione per hebdomadam diſpoſitum habeatur. Nam Dominica ad Matutinum pro 1. & 2. Nocturno poſiti ſunt ſeni & ſeni Pſalmi à 20. *Domine in virtute tua*, uſque ad 31. *Beati quorum*, incluſivè.

Diſpoſitio Pſalterii.

Feria 2. pro duobus itidem Nocturnis ſeni & ſeni. Pſalmus 32. *Exultate juſti*, cum ſequentibus uſque ad 44. *Eructavit*, omiſſis 35. & 42. & diviſo bifariam 36. *Noli æmulari*, in verſu *Declina à malo*.

Feria 3. à Pſalmo 45. *Deus noſter refugium*, uſque ad 58. *Eripe me Domine*, omiſſis 50. & 56.

Feria 4. à Pſalmo 59. *Deus repuliſti*, ad 72. *Quàm bonus Iſrael Deus*, omiſſis 62. 63. 64. & 66. diviſiſque 67. *Exurgat Deus*, in verſu *Benedictus Dominus die quotidie*, & 68. *Salvum me fac Deus*, in verſu *Exaudi me Domine.*

Feria 5. à Pſalmo 73. *Ut quid Deus*, ad 84. *Benedixiſti*, omiſſo 75. & diviſo 77. *Attendite popule meus legem meam &c.* in verſu *Et dilexerunt eum.*

Feria 6. à Pſalmo 85. *Inclina*, ad 100. *Miſericordiam & judicium*, omiſſis 87. 89. 90. 91. 94. & diviſo 88. *Miſericordias Domini*, in verſu *Tunc locutus es.*

Sabb. à Pſal. 101. *Domine exaudi*, ad 108. *Deus laudem meam*, diviſis 103. *Benedic*, in verſu *Hoc mare magnum*. 104. *Confitemini*, in verſu *Et intravit Iſrael*. 105. *Confitemini*, in verſu *Et irritaverunt*; 106. *Confitemini*, in verſu *Dixit & ſtetit.*

Semper autem ante Invitatorium præmittitur Pſalmus 3. *Domine quid multiplicati ſunt, qui tribulant me.*

Ad Laudes, ponitur primo loco, Pſal. 50. *Miſerere*, tam in Dominicis quàm in feriis, quem ſequuntur alii duo ſingulis diebus diverſi, videlicet die Dominica Pſal. 117. *Confitemini*, & 62. *Deus Deus meus*. Feria ſecunda 5. *Verba mea*, & 35. *Dixit injuſtus*. Feria tertia 42. *Judica me Deus*, & 56. *Miſerere*. Feria quarta 63. *Exaudi Deus*, & 64. *Te decet*. Feria quinta, 87. *Domine Deus ſalutis*, & 89. *Domine refugium*. Feria ſexta, 75. *Notus in Judæa*, & 91. *Bonum eſt*. Sabbato, 142. *Domine exaudi orationem*, ſolus; ſupplet enim vices alterius Pſalmi Canticum *Audite cœli*, diviſum in verſu *Ignis ſuccenſus eſt*. Quarti loco ponitur Canticum ut in Romano. Poſtremò, Pſal. 148. *Laudate Dominum de cœlis*, cum duobus ſequentibus. In feſtis verò, Pſalmi *Dominus regnavit*, & alii ut in Romano uſu, niſi quòd Pſalmus *Deus miſereatur*, ſemper ſeorſim recitatur ſine Antiphona ante alios.

Ad Primam. In Dominica ponuntur inſtar quatuor Pſalmorum, quatuor prima octonaria Pſalmi 118. *Beati immaculati*. Feria verò ſecunda 1. 2. & 6. Feria tertia 7. 8. & 9. *Confitebor*, uſque ad verſum *Exurge Domine*. Feria quarta, idem 9. à verſu *Exurge*. 10. 11. Feria quinta 12. 13. 14. Feria ſexta 15. 16. 17. *Diligam te*, uſque ad verſum *Cum ſancto ſanctus eris*. Sabb. idem Pſalmus à prædicto verſu, tum 18. & 19.

Ad Tertiam die Dominica tria octonaria Pſalmi 118. *Legem pone. Et veniat. Memor eſto*; Ad Sextam continenter. *Portio mea. Bonitatem. Manus tuæ*. Ad Nonam. *Defecit. In æternum. Quomodo dilexi*. Feria ſecunda. Ad Tertiam. *Lucerna. Iniquos. Feci judicium*. Ad Sextam. *Mirabilia. Juſtus es Domine. Clamavi*. Ad Nonam. *Vide humilitatem. Principes. Appropinquet*. Feria tertia, cæteriſque feriis per hebdomadam. Ad Tertiam, Sextam & Nonam, Pſalmus, *Ad Dominum cùm tribularer*; cum reliquis ut in Officio parvo B. Mariæ.

Ad Veſperas, quatuor tantùm Pſalmi habentur, videlicet die Dominica, *Dixit Dominus*, cum tribus ſequentibus. Feria ſecunda, *In exitu. Dilexi. Credidi*, cum adjuncto *Laudate Dominum omnes gentes*, ſub unica terminatione *Sæpè expugnaverunt*. Feria tertia, *De profundis*, cum tribus ſequentibus. Feria quarta, *Laudate nomen Domini*, cum tribus itidem ſequentibus. Feria quinta, *Domine probaſti me*, bipertitus in verſu, *Et dixi forſitan*, duo item ſequentes. Feria ſexta, *Voce mea. Benedictus Dominus*, diviſus in verſu *Deus canticum novum. Exaltabo te*, uſque ad verſum *Confiteantur*. Sabbato *Confiteantur*, uſque ad finem, deinde tres ſequentes.

Ad Completorium Pſalmi iidem qui in Romano, omiſſo *In te Domine ſperavi*.

Jam verò quoad cætera ordo talis eſt. Ad Matutinum, dictis *Pater, Ave, Credo*, (uſus Carthuſienſium habet ter *Pater*, & *Ave*) pronunciatur Verſus *Deus in adjutorium &c.* deinde ter Verſ. *Domine labia*: tum Pſalmus, *Domine quid multiplicati ſunt*. Sequitur Invitatorium, cum Pſalmo *Venite*, & Hymnus.

Ordo Matutini.

Poſtea in Dominicis & Feſtivitatibus dicuntur tres Nocturni, in quorum primo & ſecundo habentur ſex Pſalmi cum totidem Antiphonis in feſtis, in Dominicis verò bini & bini ſub una Antiphona, & Tempore Paſchali omnes ſub unica. Verſus, Lectiones quatuor, cum quatuor Reſponſoriis, quibus præmittuntur Abſolutio & Benedictiones more Romano. Ciſtercienſes nunquam duplicant Antiphonas. Carthuſiani ante Abſolutionem recitant *Pater* & *Ave*. In tertio Nocturno, dicuntur ſub una Antiphona tria Cantica ex veteri Teſtamento, Feſto vel Tempori congruentia, deinde Verſus, *Pater Noſter*, Abſolutio, & Benedictiones ut in Romano. Lectiones item quatuor de Homilia cum totidem Reſponſoriis, poſt 12. Reſponſorium Hymnus *Te Deum laudamus*, qui nunquam omittitur in Officio 12. Lectionum. Subditur Evangelium diei, in cujus fine reſponſo *Amen*, cantatur Hymnus *Te decet laus, Te decet Hymnus; Tibi Gloria, Deo Patri & Filio cum Sancto Spiritu in ſæcula ſæculorum, Amen*; ultimò dicitur Collecta diei.

In Officio verò feriali ſeu trium Lectionum poſt Hymnum recitantur pro primo Nocturno ſex

Pſalmi ſub tribus Antiphonis, tum Verſus *Pater noſter*, Abſolutio, Benedictiones, & tres Lectiones cum totidem Reſponſoriis, idque per hyemem. Nam à Paſchate uſque ad Calendas Novembris una dumtaxat brevis Lectio dicitur cum brevi itidem Reſponſorio, cui Ciſtercienſes non addunt Verſ. *Gloria Patri*, nec repetitionem. In ſecundo Nocturno reliqui ſex Pſalmi, cum *Alleluja*, & poſt Septuageſimam, cum tribus Antiphonis. Sequitur Capitulum, Verſus, *Kyrie eleiſon*. *Pater noſter*, Oratio conveniens, *Benedicamus*. *Fidelium animæ*.

Ordo Laudum, Horarum.

Ad Laudes, in ſimplici Officio præmittitur *Pater*, & *Ave*, & poſt *Deus in adjutorium*, ſemper dicitur Pſalmus *Deus miſereatur*, ſine Antiphona. Deinde Pſalmi alii convenientes ſub quinque Antiph. (Ciſtercienſi uſu ſub una.) Poſt Capitulum, Reſp. breve; poſt Benedictus, *Kyrie eleiſon* ter, (Carthuſiano uſu novies cum multis precibus) Oratio Dominica clara voce, tum Collecta & Commemorationes.

Ad Primam, Tertiam, Sextam & Nonam, præter Pſalmos diverſos, ut ſuprà notatum eſt, poſt Capitulum nullum ponitur Reſponſ. breve, ſed Verſus tantùm, poſt quem ſequitur *Kyrie eleiſon* ter, *Pater*, & Collecta; cætera cum Romano uſu conveniunt, niſi quòd Carthuſiani quotidie recitant Symbolum Athanaſii.

Ad Veſperas quatuor tantùm Pſalmi habentur, iique apud Ciſtercienſes ſemper de feria. Poſt Capitulum Reſp. breve, ſeu etiam prolixum in majoribus ſolemnitatibus. Poſt Magnificat, *Kyrie eleiſon* ter. Oratio Dominica clara voce &c. ut pro Laudibus.

Ad Completorium, ut in Romano, niſi quòd non habetur Pſalmus *In te Domine ſperavi*, nec Reſp. breve poſt Capitulum, nec Canticum *Nunc dimittis*, ſed poſt verſum ſtatim ſubditur *Kyrie eleiſon*, *Pater*, Oratio, Benedictio &c.

Hujus verò Officii à Romano diverſi rationes ſymbolicas afferunt Rupertus *lib. 2. in Regulam S. Benedicti*, Petrus Damianus *opuſculo* 10. Durandus *lib. 4. Rationalis*, Honorius *lib. 2. Gemmæ*, & alii, quos adire poſſunt, qui præter praxim aliud indagant.

CAPUT XX.

De formis a Romano usu diversis per detractionem.

Tribus modis diſcrepant alia Breviaria à Romano quoad formam.

Cum forma Officii ex ſuprà dictis in certo partium numero, earumque congruo inter ſe ſitu, atque eleganti ordinatione conſiſtat; cujuſcunque Breviarii forma à Romano varia eſt ac diſcrepans, id contingere oportet, vel aliquarum partium detractione, reſecatione, aut imminutione, vel aliquarum è contra additione & augmentatione, vel denique earumdem ſeu parium ac ſimilium tranſpoſitione, diverſimodaque collocatione. Quocunque verò modo id fiat, quæſtio eſt, ſitne id legitimum, & an à propriis Breviariis per Bullam Pii V, minimè abrogatis, poſſit in uſum quoque alibi de novo induci, maximè ab iis qui Romano Breviario adſtricti ſunt, ea præciſè ratione, quòd ſe quiſque propriis locorum ritibus, quantum fieri poteſt, conformare debeat.

Porrò quæſtionum ejuſmodi initium facimus, ab iis quæ partium quarumdam amputatione Officium brevius compendioſiuſque efficiunt, quòd ea ſit multis noſtri hujus ſæculi hominibus, negotioſis dicam an magis otioſis, grata valdè & ad votum adſpirans illecebra.

QUÆSTIO I.

Sitne legitimus uſus Matutini trium tantùm Pſalmorum cum tribus Lectionibus toto Tempore Paſchali?

Uſum hunc damnat celebris Gregorii VII. Canon in generali Synodo editus, & habetur *de Conſecratione diſt.* 5. cujus verba integra, ut jacent, operæ pretium eſt referre.

Canon Gregorii VII.

In die Reſurrectionis, uſque ad Sabbatum in Albis, & in die Pentecoſtes, uſque ad Sabbatum ejuſdem hebdomadæ, tres Pſalmi tantùm ad noctem, treſque Lectiones antiquo more & cantamus, & legimus. Omnibus aliis diebus per totum annum ſi feſtivitas eſt, novem Pſalmos & novem Lectiones dicimus. Aliis autem diebus duodecim Pſalmos & tres Lectiones recitamus. In diebus Dominicis octodecim Pſalmos (excepto die Paſcha & Pentecoſtes) & novem Lectiones celebramus. Illi autem qui quotidianis diebus tres Pſalmos, & tres Lectiones tantùm videntur legere, non ex Regula Sanctorum Patrum, ſed ex faſtidio & negligentia comprobantur facere. Romani autem diverſo modo agere cœperunt, maximè à tempore quo Teutonicis conceſſum eſt Regimen Romanæ Eccleſiæ. Nos autem & Ordinem Romanum inveſtigantes, & antiquum morem noſtræ Eccleſiæ, ſtatuimus fieri ſicut ſuprà notavimus, antiquos Patres imitantes.

Micrologus. Radulphus. Durandus.

Canonem hunc itidem ex integro referunt Micrologus *cap.* 54. Radulphus *prop.* 10. Durandus *lib. 5. cap. 3. num.* 29. adeò ut ipſius Gregorii eſſe nemo jure inficiari debeat. Licet enim neque in Actis Conciliorum duorum, quæ Romæ habuit prædictus Gregorius annis 1074. & 1075. in quorum alterutro, neceſſe eſt Canonem illum fuiſſe editum, neque item inter Gregorii ipſius Epiſtolas uſquam reperiatur, haud tamen idcirco ſuſpicari fas eſt illum eſſe fictitium, cùm & à tam multis probatis authoribus referatur, & in corpore ipſo Juris Canonici inſertus habeatur, etiam poſt factam authoritate Gregorii XIII. recognitionem. Imò eo plus habet roboris, quo Pius V. in Bulla Breviarii, formam divini Officii à Summis Pontificibus Gelaſio ac Gregorio primis conſtitutam, à Gregorio ipſo VII. aſſerit fuiſſe reformatam.

Stabilitur Canon prædictus.

Quod præſtitiſſe eum in alterutro ex duobus præfatis Conciliis, conſtat tum ex utriuſque titulo, nempe *pro reformando Eccleſiæ ſtatu*, tum ex ſimilibus negotiis tractatis, videlicet in primo, ſancivit dictus Pontifex, ut Hiſpaniarum Eccleſiæ Romanum Ordinem, atque Officium reciperent, ſcriptis ea de re literis ad Alphonſum & Sancium Caſtellæ Reges; aliis item de eodem argumento ad alterum Sancium Aragoniæ Regem, quæ duæ literæ extant. Cùm verò in hujus Concilii Actis minimè habeatur prædictus Canon, ſupereſt ut in altera Synodo anno ſequenti habita latus fuerit.

Hujus verò ſecundæ Synodi, quam Generalem appellant Gratianus & Radulphus, non quòd ea fuerit Oecumenica, ſed quòd ex multis Epiſcopis tam Italiæ quàm aliarum nationum eſſet collecta, acta cùm perierint, mirum non eſt ſi haud alibi reperiatur Canon ille quàm apud præfatos authores. *Qui etiam* (addit Radulphus Regulares S. Auguſtini Canonicos alloquens) *ne in Ordine veſtro contemnatur, poſitus eſt de verbo ad verbum in Epiſtola Magalonenſis Epiſcopi ſuperiùs allegata. Et illum omnes ſuper Officio Divino ſcribentes in ſuis operibus conſueverint ponere, & ut dictus numerus Pſalmorum & Lectionum ſervetur, ſæpiùs allegare.*

Radulphus.

Tres tamen Pſalmi ab omni ævo in Officio Paſchæ decantati.

Stabilito ſic hocce Canone, ſupereſt inquirendum, quanam ab eo ratione fuerit declinatum. Et quidem moris fuiſſe ab omni ævo, ut in die Paſchæ ac tota ſequente hebdomada tres tantùm

Pſalmi

Digitized by Google

Pſalmi cum tribus Lectionibus in Nocturnali Officio canentur, præter citati Canonis authoritatem, conſtat teſtimonio omnium qui de Eccleſiaſticis ſcripſere Officiis, Ruperti *lib.* 1. *cap.* 10. & *lib.* 8. *cap.* 2. Amalarii Gregorio VII. ducentis annis antiquioris *lib.* 4. *cap.* 23. Honorii *lib.* 3. *Gemma cap.* 127. Durandi *lib.* 6. *cap.* 57. *num.* 3. & præ illis omnibus Ordo ipſe Romanus ſic habet in ordine per Octavam Paſchæ: *In Octava Paſchæ ponuntur Actus Apoſtolorum &c. Tres verò Pſalmi cantantur in Nocturnali Officio per ſeptem dies baptiſmales, & unum diem ducimus in Religione per illos ſeptem dies.*

Rupertus. Amalarius. Honorius. Durandus. Ordo Romanus.

Cauſas verò ritus hujus varias afferunt præfati authores, myſticas ferè omnes, quas ſummatim perſtringit Gavantus *ſect.* 6. *cap.* 14. Litterales verò ni fallor duæ ſunt potiſſimùm. Prima, *Parcitur*, inquit Durandus & Gloſſa in dictum Canonem, *hominibus propter præcedens jejunium attritis*. Ego verò omiſſa jejunii mentione, quæ vix ad Officii rationem attinet, dixerim congruentiùs; fatigatis pridem ex prolixiori præcedentium dierum totiuſque adeo Quadrageſimæ Officio, breviùs indulgeri, quaſi ad aliquantulam laboris relaxationem. Secunda, *Ne Neophyti multitudine onerentur*, ait idem Durandus, hoc eſt, cùm divinis Officiis intereſſe ſolerent Neophyti ſeptem his diebus, ſuis albis induti, ut conſtat tum ex Miſſa in gratiam ipſorum pro ſingulis illis diebus propria, ut expreſsè notat idem Ordo Romanus, tum ex antiquo Veſperarum Officio in eodem Ordine Romano deſcripto, & in aliquibus adhuc Eccleſiis uſitato, ut videlicet poſt tres Pſalmos in Choro decantatos cum Graduali &c. Sequentia *Victimæ Paſchali*, & Cantico *Magnificat*, cæteri duo Pſalmi, *Laudate pueri* & *In exitu Iſrael* abſolvantur eundo proceſſionaliter ad fontes, delatoque ibidem Cereo Paſchali, quam totam Ceremoniam ad Neophytos pertinere docet Durandus cit. *cap.* 59. *num.* 9. & *ſeq.* aliique poſt ipſum. Ne ergo Neophytos prolixioris Officii tædium obrueret, ideò brevius Matutini Officium inductum fuit. Niſi mavis dicere, quod veroſimillimum eſt, collati ſuſceptique baptiſmatis laborem ejuſmodi remiſſione opus habuiſſe. Nam cùm ſub veſperum Sabbati, hora videlicet nona, ut Scriptores omnes aſſerunt, inchoata baptiſmi celebritas in multam deinceps noctem produceretur, ob idque Miſſa ipſa quæ conſequitur etiamnum noctis dicitur, non diei; certè neceſſe fuit, ut de Nocturnali Officio aliquid demeretur, præſertim ſi, quod plerique aſſerunt, ſinguli tres Nocturni per tres noctis Vigilias diſtinctis vicibus ſeorſim cani ſolerent.

Cauſæ hujuſce ritus. Gavantus. Durandus.

Veſperæ Paſchales ex Ordine Romano.

Durandus.

Miſſa Sabb. Sancti eſt Miſſa noctis.

Nam ſi Dominicæ, quæ Sabbatum Ordinationum conſequuntur, in Sacramentario S. Gregorii idcirco Vacantes appellantur, quòd ut ait Micrologus *cap.* 29. Celebratio Ordinationum tam ſerò fiebat in Sabbato, ut potiùs Dominicæ quàm Sabbato adſcriberetur, adeòque ipſa Dominica Officium Miſſæ aliud non haberet quàm ipſum Sabbati Officium, quod in ea terminabatur, ut patet ex Evangeliis Dominicarum 4. Adventus & 2. Quadrageſimæ, quæ eadem ſunt cum Sabbatis præcedentibus; pari haud dubiè ratione fas eſt conjicere abbreviatum fuiſſe Nocturnale Officium diei Paſchæ ob prolixitatem præcedentis proximè Baptiſmi celebrationis. Jam verò cùm ut ait Durandus *lib.* 6. *cap.* 59. *num.* 2. *ſeptem Paſchatis dies ſint quaſi una dies Dominica*: item cùm infra Octavas, idem quod in feſto repeti ſoleat Officium, hinc eſt quòd tres tantùm Pſalmi tota hebdomada Paſchæ ſicut ipſo die habeantur.

Micrologus. Dominicæ poſt Sabbata Ordinationum dictæ vacantes.

Durandus.

Poſſem & ego tertiam iis addere rationem, effuſam videlicet ſummæ hujus ſolemnitatis lætitiam, redundantemque exultantis animi ſenſum, non potuiſſe ab Eccleſia meliùs quàm paucitate verborum, longioriſque ſermonis coarctatione exprimi, juxta illud Auguſtini *ſer.* 1. *de hac eadem ſolemnitate*: *Non queo fratres chariſſimi, quod mente concipio, ore proferre, & cordis mei lætitiam lingua non explicat. Hoc autem non ſolum ego patior, qui cupio narrare quæ ſentio, ſed etiam vos mecum patimini plus exultantes in conſcientia, quàm in eloquio proferentes.* Unde ſicut vice Hymnorum, Capitulorum, Reſp. brevium, ac Verſuum per omnes Horas, Verſus ille unus ſubſtituitur; *Hæc dies quam fecit Dominus &c.* quaſi is compendio totum involvat, quidquid illa omnia fuſiùs explicant; ita & Nocturno uno, tribuſque breviſſimis Pſalmis ac Lectionibus, æquè ac pluribus, imò fortè concinniùs comprehendi judicarunt primi illi Officiorum Digeſtores, quidquid more aliarum feſtivitatum, ex Pſalmis ſacriſque Paginis ac SS. Patrum Homiliis ad hujuſce diei commendationem depromi potuiſſet. Eò vel maximè, quòd ſicut Hymni, Capitula, cæteraque Myſterii hujus propria nedum omittuntur, aut per octo tantùm dies, ut in aliis Octavis, impenduntur, ut etiam per totas quinque hebdomadas, quibus ad Aſcenſionem uſque Reſurrectionis perſeverat celebritas, quotidie in Officio de Tempore uſurpentur: ita & Pſalmis Lectionibuſque eo ſpatioſior eſt locus, quo Pſalterium ipſum in Officio de Tempore more conſueto, per ſingulas cujuslibet hebdomadæ ferias evolvitur, & Lectiones omnes per totum id tempus ex iis Scripturæ libris, Sanctorumque Patrum Sermonibus & Homiliis ſelectæ ſunt, quæ myſterium hoc præ multis aliis pleniùs opportuniùſque explicant.

Brevitas in Officio Paſchæ argumentum ſummæ lætitiæ.

Auguſtinus.

Iiſdem ferè de cauſis, pari iiſdem jure gaudet Feſtum Pentecoſtes; quod cùm Romano olim uſu novem fuiſſe Lectionum referat Amalarius *in prologo libri de Ordine Antiphonarii*, Honorius item *lib.* 3. *Gemmæ cap.* 144. neceſſe eſt, aut perperam eos id aſſerere, aut à priſtino uſu poſtea deſtitum fuiſſe. Ordo ſiquidem Romanus Amalario longè antiquior, ubi de nocte Pentecoſtes expreſsè habet, *In adventu Spiritus Sancti, id eſt, in nocte Pentecoſtes dicuntur tres Pſalmi cum Antiphonis ſicut in Paſcha Domini*; ac non multò poſt: *Quod in Paſcha dictum eſt de ſequentibus noctibus baptiſmalibus, hoc & hic dicendum eſt ut tres Pſalmi per ſeptem Neophytorum dies omnimodis cantentur.* Quin & Amalarius ipſe *cap.* 57. *libri Antiphonarii*, uſum hunc confirmat hiſce verbis, *Propter Sacramenta baptiſmalia, numero trium Pſalmorum, complemus Nocturnalia Officia per octo dies ultimæ hebdomadis Pentecoſtes.*

Par ratio Officii in Feſto Pentecoſtes. Amalarius. Honorius. Ordo Romanus.

Amalarius.

Et verò fuiſſe id perpetuo ſemper in Eccleſia uſu receptum, ut utraque hæc ſolemnitas Paſchæ & Pentecoſtes ſimili ritu ſimilibuſque ceremoniis peragatur, docent pluribus, Rabanus Maurus *lib.* 2. *de Inſtitutione Clericorum*, & Rupertus *lib.* 10. *de divinis Officiis cap.* 2. citantque ambo in hanc rem præclara S. Leonis Papæ verba; Epiſtola ad Epiſcopos Siciliæ, quæ & referuntur *in Decreto diſt.* 3. *can. Proprie.* En quæ ad propoſitum noſtrum magis faciunt: *Additur huic obſervantiæ etiam Pentecoſtes ex Adventu Spiritus Sancti conſecrata ſolemnitas, quæ de Paſchatis feſti pendet articulo, & cum ad alios dies alia feſta pertineant, hæc ſemper ad eundem diem, qui Reſurrectione Domini eſt inſignis, occurrit, porrigens quodammodo auxiliantis gratiæ manum &c. Ipſe enim unigenitus Dei in fide credentium, & in virtute operum nullam inter ſe & Spiritum Sanctum voluit eſſe diſtantiam, quia nulla eſt diverſitas in natura. Cùm itaque veritas Chriſtus ſit, & Spiritus veritatis Spiritus Sanctus, nomenque Paracleti utrique ſit proprium, non diſſimile eſt feſtum, ubi unum eſt ſacramentum.* Quibus denique conſonat dictum illud S. Ambroſii *ſer.* 50. & habetur *c. Noſſe diſt.* 76. ubi declaratis paribus utriuſque hujus feſti obſervantiis ſubdit, *Neceſſe eſt ut ſimilem obſervantiam ſimilis lætitia conſequatur.*

Rabanus. Rupertus.

Leonis præclara verba de paritate Feſtorum Paſchæ & Pentecoſtes.

S. Ambroſius.

Qua ratione trium Lectionum ratio ad totum Paſchale tempus extenſa eſt.

Atque hæc de diſpenſatione pro hiſce duobus feſtis à generali novem Pſalmorum, novemque Lectionum lege, juxta præfatum Canonem *In die*. Qua verò authoritate, quave ratione factum ſit, ut diſpenſationem illam Eccleſiæ non paucæ ad totum Paſchale tempus extenderint? nunc demum ſi pergas quærere.

Durandus. Radulphus.

Ajunt inprimis Durandus *lib. 6. cap.* 114. *nu.* 6. & ex eo Radulphus *prop.* 10. Alcuinum Caroli Magni, & Ludovici ejus filii Magiſtrum, rogatu Boniſacii Archiepiſcopi Moguntini, Moguntinoque approbante Concilio id inſtituiſſe. Allegat

Amalarius.

item Amalarius *lib.* 4. *de Eccleſiaſticis Officiis cap.* 46. textum S. Ambroſii ſuper Lucam: *Majores nobis tradidere Pentecoſtes omnes* 50. *dies ut Paſcha celebrandos*. Et poſt pauca; *Ergo per hos* 50. *dies jejunium neſcit Eccleſia, ſicut Dominica qua Dominus reſurrexit, & ſunt omnes dies tamquam Dominica.*

Quinquageſima Paſchatis tota Tempus lætitiæ eſt ac remiſſionis.

Rationem denique afferunt, quòd totum illud tempus Quinquageſimæ Paſchatis tempus ſit remiſſionis & indulgentiæ, quo proinde, ſicut à jejuniis & genuflexionibus, ita & à prolixiori Officio nonnihil æquum eſt detrahere, tum ad quietem aliquam à recenti Quadrageſimæ labore capiendam, tum etiam ad majorem Officiorum conformitatem cum Officio Paſchæ, cujus totum illud tempus ſolemnis veluti continuatio eſt, inſtar ferè Octavarum, quæ aliis ſolemnitatibus tribuuntur. Quin & propter Neophytos, addunt aliqui apud Durandum cit. *cap.* 89. *num.* 6. *omnia eo tempore debent eſſe facilia*, id eſt brevia & expedita. Hæc verò videſis, quàm parum habeant firmitatis, fortè dicam & veritatis.

Refellitur Alcuini authoritas.

Primò enim laborat temporis ratione Alcuini authoritas, nam cùm is floruiſſe dicatur circa annum 780. quomodo inſtituti hujus author eſſe potuit rogatu Boniſacii Archiepiſcopi Moguntini, quem 26. antè annis, nempe anno 754. Beda & Sigebertus aſſerunt martyrio fuiſſe coronatum; quo tempore non plus quàm duodennis Carolus Magnus, neque Imperator, nedum Rex Galliæ bonis litteris adhuc pretium non fecerat, quæ occaſio Alcuinum patria Anglum in Galliam poſtmodum accivit. Verùm ſit ille inſtituti hujus author, quæ demum ipſius authoritas, ut contra SS. Patrum ſtatuta uſumque communem in Eccleſia receptum prævaleat? Fuit vir planè doctrina conſpicuus, fuit etiam Abbas S. Martini Turonenſis; at non Epiſcopus, qualem ut minimum eſſe oportuiſſet, ad tale quid ſua authoritate inducendum. Sed approbatum id fuit, inquis, à Concilio Moguntino: Quo verò? Certè non alio quàm primo, quod habitum ponitur ſub Ricolpho Archiepiſcopo, anno 813. proximo ante obitum Caroli Magni, quo vix probabile eſt ſuperſtitem fuiſſe Alcuinum, ut id Concilio ſuaderet. Sed nec Concilium ipſum totis 56. quibus conſtat capitibus, de ea re verbum ullum facit; cùm tamen multa in eo de Litaniis, Quatuor Temporibus, Feſtis, aliiſque ad Eccleſiaſticos ritus pertinentibus inſerta habeantur.

Rejicitur allegatus locus ex Ambroſio.

Secundò: Haud potior eſt authoritas S. Ambroſii, cujus verba, prout ab Amalario citata ſunt, nullibi in Libris ſuper Lucam leguntur. Eſt quidem ſermo ejus 61. de Pentecoſte, ſed nihil in eo aliud aſſeritur, quàm hiſce 50. diebus à jejuniis & genuflexionibus abſtinendum; ſic enim habet & refertur *can. Scire, diſt.* 76. *Per hos* 50. *dies nobis eſt jugis & continuata feſtivitas, ita ut hoc omni tempore, neque ad obſervandum indicamus jejunia, neque ad exorandum Deum genibus ſuccidamus, ſed ſicut Dominica ſolemus facere erecti & feriati reſurrectionem Domini celebramus*. Et paulò poſt: *Inſtar ergo Dominicæ tota* 50. *dierum curricula celebrantur, & omnes iſti dies, velut Dominici deputantur*. Quid ex his porro eruas ad ſtabiliendum brevioris illius Officii ritum?

Ratio denique allata explodtur.

Tertiò denique: Ratio allata, ſi probat remittendum tempore Paſchali aliquid ex prolixitate Officii, terminitur & in multis; niſi velis, ut ab omni jejunio ſic & ab omni penitus Officio ceſſare oportere; quod ſanè multorum eſſe votum ſi fortè conjiciam, ne me quæſo frequentibus aliquorum querelis certiorem factum, temeratu ſtatim judicii arguas. Sin autem eò tendit ratio illa, ut Officium totius temporis Paſchalis velit eſſe par Pſalmorum Lectionumque numero, Officio Paſchatis; rectè id quidem inferret, ſi toto illo tempore de ipſo Feſto Paſchatis ſumeretur Officium, uti ſumi ſolet de feſto infra Octavas aliarum ſolemnitatum; at perinde non eſt de feſtis, imò nec de Dominicis eo tempore occurrentibus, quæ ſuum habent quæque Officium. Quod de Neophytis ſubditur, inane prorſus eſt, & ab ipſomet Durando in arguentes perquàm appoſitè retorquetur; nam cùm duæ tantùm ſint hebdomadæ Neophytorum, Paſchæ videlicet & Pentecoſtes, certè ſi in gratiam illorum faciliora ſeu breviora reddita ſunt Officia, haudquaquam debet facilitas ejuſmodi ultra duas illas hebdomadas extendi.

Officii Aſcenſionis diverſitas, ab Officiis Paſchæ & Pentecoſtes, ritum trium Lectionum toto tempore Paſchali penitus evertit.

Nec verò ſic extenſam fuiſſe ab initio, vel ex hoc uno argumento colliges evidentiſſimè, quod attigere etiam obiter Durandus & Radulphus, nimirum cùm in hebdomadis Paſchæ & Pentecoſtes idem Dominicæ Nocturnum, Pſalmis iiſdem iiſdemque conſtans Antiphonis quotidie repetatur; contrà infra Octavas Aſcenſionis variantur Nocturni, ita ut aliud dicatur feria 6. & aliud Sabbato, & ſic deinceps, ut videre eſt in ipſis Breviariis, quæ hunc ritum ſequuntur. Unde verò varietas iſta, niſi ex eo quòd ipſum Officium Aſcenſionis ab initio tribus conſtabat Nocturnis; cùm Officia Paſchæ & Pentecoſtes, non niſi uno ſemper conſtiterint? Unde item varietas alia quorumdam uſuum ejuſmodi, qui cùm in cæteris unum tantum Nocturnum admittant, in ipſo tamen feſto Aſcenſionis, ſicut & in feſtis S. Marci, SS. Philippi & Jacobi, S. Joannis ante Portam Latinam & aliis, imò & in ipſis Dominicis tres de more retinent, niſi quòd tale erat ab omni pridem ævo dierum illorum Officium?

A quibus inductus ritus ille.

Hincque tandem videas, quàm levi, imò quàm planè nullo fundamento nitatur ritus ille, qui à Teutonicis ſeu Germanis primùm inductus, eò libentiùs pleroſque deinceps ad ſe pellexit, quò innatæ hominum, in iis quæ ad divinum cultum ſpectant, ſocordiæ inertiæque proliꝛiùs favet; ut mirum non ſit Gregorio VII. opus fuiſſe ſuo id Decreto refigere, ut pote quod non ex Regula SS. Patrum, *ſed ex faſtidio & negligentia fieri compertum erat.*

Ritus ille minimè culpandus ubi præſcripta pridem conſuetudine adhuc perſeverat.

Quam tamen Gregorii cenſuram ſic valere arbitror, ut quibus Eccleſiis Ritus ille Matutini trium Pſalmorum cum tribus Lectionibus toto Tempore Paſchali ſupereſt in ſuo Breviario proprio Bulla Pii V. ducentis annis antiquiore, is haud planè illegitimus habeatur; non vi juris quidem, quod planè contrarium eſt, ſed ratione præſcriptæ pridem conſuetudinis, quam legitimè retineri poſſe Doctores non inficiantur, & nos copioſè demonſtravimus *lib.* 1. *cap.* 13. *qu.* 5. Cæteris verò omnibus qui vel Breviario Romano adſtricti ſunt, vel ſi proprio etiamnum utantur, uſum ejuſmodi nunquam habuere, aut receptum olim ſaniori poſtmodum conſilio dimiſere, nullatenus licet reſumere, multo minùs de novo ſuſcipere quocunque conſuetudinis locorum, conformitatis, aliove ſimili ſpecioſo prætextu; cùm id repugnet penitus tum præfato Gregorii VII. Canoni vim legis obtinenti, ubicunque contraria conſuetudo minimè viget; tum etiam Rubricæ 1. Breviarii Pii V. nullam admittenti conſuetudinem Eccleſiarum propriam, quoad divinum ſpectat Officium, *niſi ſervata forma ſui Breviarii.*

Ad

Digitized by Google

Ad quam ſe formam ſi revocare maluerint etiam ii, qui aliam habent quamvis præſcriptione tolerabilem, pietati non tantùm, ſed etiam Eccleſiarum ſuarum decori nonniſi probè conſulere cenſendi erunt, vitabuntque & inuſtam ſuprà à Pontifice Gregorio, faſtidii negligentiæque notam, & acriores Radulphi hac occaſione ex ſacrorum Canonum contemptu inſectationes. Sed qui habet aures audiendi, audiat.

QUÆSTIO II.

An legitimus ſit prædictus Ritus etiam extra Tempus Paſchale?

Ritus ille in aliqua Eccleſia recenter inductus.

NUllibi Diœceſum ſeu Eccleſiarum Galliæ id uſitatum reperi, ut tres tantùm Pſalmi, totidemque Lectiones in Matutino extra tempus Paſchale habeantur, niſi in una, eaque inſigni admodum; in cujus antiquo Breviario editionis anni 1542. unicum dumtaxat feſtum Duplex, unaque Dies Octava eo ritu celebrabantur; neque plura deinceps inducta fuerunt in priori ejuſdem Breviarii reſtitutione ad inſtar Romani facta anno 1602. Verùm in alia poſteriori editione anni 1644. viſus eſt ritus ille facilis adeò ac commodus, ut ad eum redacta fuerint feſta numero octo, quæ hactenus fuerant novem lectionum; duo item cum Octavis omnibus feſtorum annualium majorum ut vocant, quæ priùs novem erant Pſalmorum cum tribus Lectionibus. Denique inducta de novo decem ejuſmodi, ſique alia in poſterum induci contingat, ſpes eſt ea non alio ritu fore donanda. An verò id ſit legitimè? Nolo ego Eccleſiæ illius jura, ſi quæ hac in re propria habet, ullatenus convellere. At ſi rem in genere, & ut loquuntur ex regulis artis agendo definire libet, ajo nedum ullo id jure ulliſque rationibus firmari poſſe, ut & his & illi omni qua fieri poteſt repugnantia adverſetur.

Refellitur ex Canone Gregorii VII.

Nam inprimis Canon ſuprà cit. *In die*, ritum hunc expreſſis verbis reprobat deſtruitque funditus, non tantùm qua univerſaliter loquitur, *omnibus aliis diebus per totum annum, ſi feſtivitas eſt, novem Pſalmos, & novem Lectiones dicimus*; ſed etiam argumento à fortiori, eo videlicet, quòd cùm faſtidii & negligentiæ damnentur, *qui quotidianis diebus tres Pſalmos ac tres tantùm Lectiones legunt* (per quotidianos verò dies, feriales intellige,) certè cenſura illa multò graviùs afficiuntur, qui idipſum etiam in feſtis uſurpare audent, cùm in hoc maximè feſtivitatum ſupra ferias dignitas emineat, ut cùm hæ unum tantùm Nocturnum habeant duodecim Pſalmorum ac trium Lectionum, tres illis trium Pſalmorum ſinguli totidemque Lectionum tribuantur.

Neque eſt quòd quis Canonem illum reſtringat ad unam Romanam Eccleſiam, nixus poſtremis iis verbis, *Nos autem & Ordinem Romanum inveſtigantes, & antiquum morem noſtra Eccleſiæ, ſtatuimus fieri, ſicut ſuprà notavimus, antiquos Patres imitantes*. Eſt enim Canon ille univerſalis ad cunctas Eccleſias pertinens, ſaltem eas, quibus novem triumque Lectionum ritus in uſu eſt; quem utique ritum Gregorius VII. Pontifex correctum, & à labe in quam deflexerat vindicatum alibi perinde atque Romæ ſuo illo Decreto ſervandum indicit. Quaſi verò uti turbato fonte, turbidus quoque ſit rivus (fons quippe eſt Romanus uſus, à quo tamquam rivi fluxere omnes alii,) ſic eadem qua ille purgatione, & hi quoque non indigeant.

Canon univerſalis non poteſt infringi, niſi uſu legitimè præſcripto.

Sed etſi deeſſet Canon ille, cùm novus ſit ille agendi modus ac recenter inductus, non debet, nec verò poteſt contra univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem, jam inde à multis ſæculis authoritate Apoſtolica Sanctorumque Patrum ſtatutis inductam, & ubique perpetuo deinceps uſu receptam prævalere: quippe vim habet legis ejuſmodi conſuetudo, & quidem Canonicæ, adeòque infringi non poteſt contrario uſu, niſi is ſit & rationabilis, & legitimè, ſeu 40. annorum curſu præſcriptus, ex dictis aliàs *lib. 1. cap. 13. quæſt. 6.* At uſus ille trium Pſalmorum triumque Lectionum ſaltem extra tempus Paſchale, nec rationabilis eſt, niſi qua brevior ſegnibuſque adeò & ignavis commodior, nec legitimè præſcriptus, cùm necdum ante viginti annos inchoatus fuerit. Imò etſi eſſet diuturnior, adhuc tamen valere prohiberetur cap. *Cùm inter vos, de Conſuetudine*. Perinde enim ei convenit, quod in caſu ibi propoſito decernit Pontifex, *Nos igitur cognito quod ex tali conſuetudine, ſi qua foret, diſrumperetur nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ipſam de conſenſu Fratrum noſtrorum duximus irritandam*. Ut non mireris Radulphum quoque noſtrum ſeria & acri ſatis adhortatione ritus hujuſce uſum diſſuadere: *Indubitanter*, inquit, *refutare debemus quidquid tam evidenter Apoſtolicæ authoritati videmus contraire, unde totius Chriſtianæ religionis & ordinis exordium & formam recepimus, cum & ſecuriùs obſervetur quod provida antiquitas & authoritas inſtituit, quàm inconſiderata novitas & infirmitas adinvenit.* — Radulphus.

Repugnat Ritus ille rationi legis.

Tertiò: Non tantùm legi, receptæve legis inſtar conſuetudini novus iſte uſus repugnat, ſed & ipſam in ſe legis conſuetudiniſve rationem prorſus evertit. Qui de ritibus ſcripſere Eccleſiaſticis, celebrem illam quæſtionem movent, fuerintne in ſuo initio tres illæ Nocturni Officii partes, quas Nocturnos vocamus, item & Laudes à Nocturnis ita diſtinctæ, ut tempore etiam diſiungerentur? juxta quatuor Vigilias noctis olim ad clepſydram in caſtris dividi ſolitas, ad quas alluſit Chriſtus Dominus Luc. 12. *Et ſi venerit in ſecunda Vigilia, & ſi in tertia Vigilia &c.* Item Marci 13. *Neſcitis quando Dominus veniet, ſerò, an media nocte, an Galli cantu, an mane?* Affirmant D. Thomas *Lect. 6. in cap. 14. prioris ad Cor.* Durandus *lib. Rationalis cap. 3.* Duranti *lib. 3. cap. 5.* & alii tum antiquiores tum recentiores. Negat aut ſaltem dubitat Azor *lib. 10. cap. 2.* qui objecta ſibi contraria antiquorum teſtimonia diluit facilè ac ſolidè ſatis. A quo nec alienus eſt Suarez de Horis Canonicis *cap. 4. num. 5.* Tres enim Nocturni, licèt ad tres noctis Vigilias referantur, non inde tamen ſequitur ſeparatim ac diſcretè dici ſolitos fuiſſe, ſicut ex hoc quòd tres Pſalmi in ſingulis Nocturnis dicuntur pro ſingulis cujuſque Vigiliæ horis (ita obſervat Hugo *lib. 2. de divinis Officiis cap. 9.*) non ſequitur continuè Pſalmos illos fuiſſe decantatos. Et verò, ait Suarez *num. 7.* fuiſſet onus intolerabile toties ſomnum interrumpere, nec potuiſſet divinum Officium cum debita devotione & attentione celebrari.

An nocturni aliàs ſeorſim ab invicem, & à Laudibus fuerint decantati.

D. Thomas. Durandus. Duranti. Azor. Suarez.

Hugo.

Suaris reſolutio admittitur.

Utut ſit, æquiſſimum mihi videtur Suaris ipſius *n. 8.* in hacce controverſia judicium, ut velit ſeorſim quidem ac diſtinctis vicibus tres Nocturnos fuiſſe olim in Eccleſia celebratos, at non niſi feſtis ſolemnioribus, quibus videlicet frequens populus in Eccleſiis Vigilias agebat (erant autem feſta illa rariora, punduſque adeò Vigiliarum magis tolerabile;) cæteris verò diebus, feriatis videlicet minuſque ſolemnibus, unicum dumtaxat Nocturnum in ſecunda vel tertia Vigilia noctis, continuo tempore fuiſſe uſitatum. Hincque ortum habet haud dubiè hodiernus ille ritus trium Nocturnorum in feſtis ſeu in Officio duplici, & ſemiduplici; unius verò in feriis ſeu in Officio ſimplici: adeò ut ſint tres Nocturni quaſi nota & character majoris ſolemnitatis, qua utique diſcernuntur feſtivi dies à feriatis, quibus unum ſimpliciter Nocturnum tribuitur: idque liquidò ſatis innuunt antiqua Callendaria, in quibus ſingulorum feſtorum gradus communi illa 9. ac trium Lectionum appellatione deſignatur.

Tres nocturni ſunt nota majoris ſolemnitatis præ uno.

Gryet. Heortologia.

Trium Lectionum nota deprimentis eſt non elevantis.

Jam ergo unius duntaxat Nocturni ſeu trium Lectionum ritum quibuſdam feſtis duplicibus, characteris inſtar appingere, annon hoc eſt antiquiſſimam & ordinatiſſimam feſtorum in Eccleſia differentiam, perinde miſcere, perturbare, evertere, atque ſi quis nobilis viri ſtemma virgulto circum aliiſve plebejis inſignibus componat & adornet? Imò cùm feſtum ejuſmodi, & æquale ſit cum aliis pariter duplicibus, ſimulque ab iis diverſum, ac ſimplicibus ipſis æquatum; annon contradictionem aliquam inducere hoc eſt, & quam Philoſophi ſuis Scholis impoſſibilem prædicant chimæram effingere?

Par non eſt ratio feſtorum aliorum, cum Feſtis Paſchæ & Pentecoſtes.

Neque velim Paſcha mihi tu Pentecoſtemque objicias; habent enim duo illa feſta ex dictis præcedenti quæſtione, quibus tributam ſibi trium Lectionum notam ſummoperè excitent, & in altiſſimo omnium gradu tueantur. Pro tuis verò feſtis illis novi ſtatus & creationis, haud video quid cauſæ firmamentique afferre queas. Non Baptiſmi Neophytorumque Ceremoniam, quæ iis diebus haudquaquam addicta eſt; non jejunii, aut prolixioris Officii Quadrageſimalis laborem, à quo ſit opus quieſcere; non effuſæ lætitiæ, exultantiſque animi ſenium, quem feſta illa ingerant, cùm æqualem perinde exigant, aut etiam majorem pleraque alia, nulla verò parem feſtis Paſchæ ac Pentecoſtes. Quid ergo aliud niſi ut pulvilli conſuantur ſub cubito manuum diſſolutarum, & cervicalia ſub capite oſcitantium opportuna ad ſomnum comparentur? At neſcis væ diriſſimum ſutoribus illis à Propheta inclamari?

Refutatur omnis Adverſariorum ratio.

Novum fortè id eſſe inficiaberis, imò ex antiquo Eccleſiæ illius uſu depromptum. An quia tempore Paſchali id uſurpat? Sed & idipſum uſurpant pleræque aliæ Eccleſiæ, quibus perinde jus erit & illud ad alia tempora extendendi, quod tamen nulla auſa eſt tentare hactenus. An quia bis etiam in antiquo Breviario ita fiebat? fiebat equidem in uno feſto admodum proprio, & in die Octava alterius; fiat verò adhuc, ſi lubet, iiſdem diebus, ipſa ſe utcunque temporis præſcriptione vendicabit tuebiturque continuatus pluſquam 40. imò & pluſquam centum annorum uſus. At quæ integra erant in ipſomet Breviario proprio, novem Lectionum Officia, media ſui parte truncata, & alia itidem de novo ſuſcepta in eum ritum allegere & cooptare? Quo id quæſo jure fas eſt? Eo ſanè quo quis inferat perinde fas eſſe cætera omnia duplicia, imò & ſemiduplicia ad eam normam compingere, adeoque Quignonianum Breviarium à Pio V. damnatum & abolitum poſtliminio excitare ac promovere. Fallor, ſi eſt Antiſtes uſquam orthodoxus, qui id ſibi juris arrogare præſumat, quamcunque ſpem nonnulli levis armaturæ Clerici ex hoc facto conceperint, fore ut in ſuis quoque diœceſibus ſimilis relaxatio benè feliciterque ſuccedat. Quippe non eſt caſtratio illa ejuſmodi ad quam ſuadendam ſtimulo iſto opus ſit, *Qui poteſt capere, capiat*; Capiunt enim facilè ſatis, quod ultro nimis cupiunt, ita ut non deſint quibus in voto adhuc magis quàm in ore ſit triviale illud adagium de fictitio Fiſcanenſi Breviario, eſſe illud commodum valdè, cujus tres ſint quovis tempore Pſalmi duntaxat totidemque Lectiones, imò nihil borum, ſi volueris.

[illegible] item inanis præceptis.

Eſt & unum aliud quod fortè prætexitur, feſtis videlicet illis novem Lectionum ad tres ſic redactis, nihil ſuæ detrahi dignitatis, imò plurimum addi; nam cùm Semiduplicia tantùm eſſent, facta ſunt ipſa Duplicia. At quid amabo ampliùs habent in iſto Breviario Duplicia quàm Semiduplicia; niſi hoc unum ut duplicetur Antiphona ad Magnificat, Hymnoque in Veſperis præmittatur Reſponſorium? Et pro tantillo addito duos integros Nocturnos, hoc eſt Pſalmos ſex cum totidem Antiphonis, ſex item Lectiones cum totidem Reſponſoriis, ſpecioſo Duplicis nomine ſic tanquam novacula reſecas, & abradis? Næ tu bonus es Trapezita qui ſic pullos duos ove una commutas, & menſuram congeris conſertam ſatis quidem & coagitatam, ſed pereffluentem nimis.

QUÆSTIO III.

Sitne legitimus uſus novem Pſalmorum cum tribus Lectionibus?

Uſitatur ritus ille infra octavas.

Viget uſus iſte in omnibus ferè Galliæ noſtræ Eccleſiis, quæ ſuo potiuntur adhuc Breviario proprio. Primò quidem infra Octavas, quæ cùm non ſint apud eas niſi trium Lectionum, aliunde verò minus idoneum videatur feriale in iis Nocturnum uſurpare, nihil aptius occurrit, quàm ut novem feſti Pſalmi in unum Nocturnum compingantur.

Item in feſtis ſimplicibus.

Secundò, in feſtis ſimplicibus, in quibus loco Nocturni ferialis, quod paulò longius eſt, novem Pſalmi de Communi ſub uno pariter Nocturno longè commodiùs quidem, haud tamen congruentiùs recitantur.

Item in quibuſdam ſemiduplicibus.

Tertiò: Sunt item in Eccleſiis Aurelianenſi & Bajocenſi ſemiduplicia quædam trium duntaxat Lectionum, quæ ſimiliter cum novem Pſalmis de Communi peraguntur.

Reſicitur uſus ejuſmodi.

At omnis ille uſus à Gregorio VII. præfato Canone *In die* univerſim reprobatur. *Omnibus*, inquit, *aliis diebus per totum annum, ſi feſtivitas eſt novem Pſalmos, & novem Lectiones dicimus, aliis autem diebus 12. Pſalmos & tres Lectiones recitamus.*

Radulphus.

Reprobat item, acriùſque perſtringit Radulphus *prop.* 10. poſt medium, ad quem eo libentiùs Lectorem remitto, quo malim eum ab alio quàm à me diſcere, quibuſnam authoribus inventum iſtud prodierit, quod ipſe ſuperſtitionis damnare non veretur, allegans verba capitis *Inter corporalia* de Translatione Epiſcopi, *Quod non eſt Sanctorum Patrum decreto ſancitum, ſuperſtitioſis non eſt adinventionibus præſumendum*.

Qua ratione poſſit tolerari.

Meus verò calculus non adeò rigidus eſt. Nam, eſto, fuerit uſus ille ex abuſu primùm inductus; at ubi jampridem invaluit præſcriptio legitima, pro non illegitimo perinde cenſeri poteſt, atque ille alius trium Lectionum tempore Paſchali, qui à me ſuprà *quæſt.* 1. non eſt improbatus.

Improbarem nihilominus, ſi quis Romano uſui aſtrictus, ejuſmodi uſum, quovis conſuetudinis aut conformitatis prætextu ad ſe traduceret. Id enim maximè omnium repugnat formæ, à qua recedere in feſtis propriis nuſquam fas eſſe edicit Rub. 1.

Laudantur Eccleſiæ Turon. & Andeg. quòd ritum illum abjecerint.

Quin & eo nomine plurimùm laudandæ mihi videntur Turonenſis & Andegavenſis Eccleſiæ, quòd exploſo hocce ritu ambæ Nocturnum feriale in feſtis ſimplicibus, more Romano reſtituerint; addiditque ampliùs Andegavenſis præ Turonenſi, quòd tres itidem Nocturnos diebus infra quaſcunque Octavas attribuerit, ſuadente id in primis, imò & ordinante Jacobo Eveillonio ejuſdem Eccleſiæ Canonico, viro cum in cæteris doctiſſimo, tum in Eccleſiaſticorum rituum diſciplinis apprimè verſato, uti fidem faciunt plurimæ, quas in lucem edidit de hiſce controverſiis lucubrationes. Ægrè id quidem ſatis, (ut ipſe mihi qua erat neceſſitudine devinctus aſſeruit) nec niſi multis acriter obnitentibus; at vicit tandem rationum vis, conſenſitque nobiliſſima Eccleſia, ut ſublato prorſus inveterato uſu, integra perfectaque hac in parte cum Romano conformitas induceretur. Cujus exemplum ſi quibus aliis æmulari placuerit, auſim dicere, nævum abſtergent ſuo decori aſperſum, eoque ſe commendabunt magis, quo affectatæ brevitatis exprobratione immunes facient.

Rationes ob quas ritus ille improbatur.

Et verò cùm feſtorum ſimplicium ratio eò ſpectet maximè, ut per ea Pſalterii per hebdomadam diſpo-

Digitized by Google

diſpoſiti curſus minimè interrumpatur (quod primum fuit Officii divini inſtitutum) non levis iſta ab ejuſmodi inſtituto aberratio eſt, quòd juxta hunc uſum rarò admodum Nocturnales Pſalmi, imò aliqui illorum ne ſemel quidem toto anno, ſaltem extra Adventum & Quadrageſimam locum inveniant.

Accedit alia ratio, quæ me ſemper ab eo ritu averſum tenuit, quòd cùm nimirum conſtanti Eccleſiarum omnium uſu, nuſquam in Veſperis feſtorum ſimplicium alii Pſalmi quàm feriales recitentur; imò omnes ferè olim & aliquæ etiamnum eoſdem in quibuſcunque Duplicibus ac Semiduplicibus, paucis admodum exceptis, adhibeant, ea, quam mox attigi de cauſa, ne Pſalterii ordo perturbetur, (quam enim aliam afferas ?) annon par eſt ratio Pſalmorum Nocturnorum ? Quòd ergo eorum loco alii de Communi ſubrogati ſunt, non poſſum non arguere id ex quodam faſtidio & negligentia, quam tantoperè averſatur ac damnat Gregorius Papa VII. profectum fuiſſe.

Cauſa inducendi ejuſmodi ritus.

Quod verò attinet Semiduplicia illa trium Lectionum, ea quoque abuſum involvere ſequens docebit obſervatio. Cùm rariora olim in Eccleſiis eſſent feſta novem Lectionum, ut notavimus aliàs, fiebat tamen nonnunquam, ut aliqua feſta ſimplicia, ſolemniori quàm ſolito ſimplicium ritu celebrarentur, purà cum eadem ſignorum pulſatione, pari cereorum accenſione, thurificatione, cæteriſque Chori ceremoniis ac ritibus, unde & dicebantur *trium Lectionum quaſi novem*, vel *trium Lect. cum groſſo ſigno*, vel *inſtar octavæ*, vel denique 3. *Lectionum cum Te Deum*, quòd videlicet cùm Hymnus ille in aliis ſimplicibus non ſoleret dici, in iſtis tamen ad majoris ſolemnitatis notam dicebatur. Et ritus ille quidem ubique ferè impendebatur Officio B. Mariæ in Sabbato. Pauca verò erant feſta ejuſmodi, nec ferè alia quàm dies Octavæ ſimplices, quas vocabant, ac Tranſlationes aliquæ Sanctorum, quorum feſtum præcipuum celebriori ritu agebatur; ipſaque proinde non tam feſta, quàm feſtorum reliquiæ, & velut appendices quædam nuncupari poterant. Quod cùm non adverterent poſteriores Breviariorum Emendatores, aliunde verò ſatis gnari eſſent, ritum ejuſmodi ſua brevitate multis fore opportunum, magnaque adeò cùm approbatione ſuſceptum iri, pleraque ad eum feſta, quoties de novo Breviaria poſtmodum edi contigit, reduxerunt, rati poſſe ritum illum ſic legitimè extendi; cùm tamen ſi ſe Romano propiùs conformare ſtuduiſſent, debuiſſent feſta illa ad ſemiduplicium ordinem referre, juxta illud Rub. 11. de Officio ſemid. num. 1. *In feſtis quæ ſolemniùs quàm ſimplicia conſueverunt celebrari*.

Hæc verò ita ſe habere liquidò colliges ex Breviario proprio alterius illarum Eccleſiarum, in quibus talis uſus perſeverat. In eo ſiquidem numerantur hodie feſta ejuſmodi ſemiduplicia trium Lectionum, 27. cùm in antiquo edito an. 1542. tantùm eſſent undecim, in alio verò manuſcripto anni nota carente, ſed longè adhuc antiquiore, quatuor duntaxat Tranſlationum feſta eo ritu inſcripta haberentur, cæterorum autem quæ jam talia ſunt pleraque erant novem Lectionum. Vides uti pedetentim oleo perſimilis labes iſta ſerpſit hactenus, longiùs in poſterum graſſatura, ni reſcindatur, aut currenti fluvio non impar corroſis paulatim marginibus, ni cohibeatur, latiùs ſeſe ſemper diffuſura.

Increpantur brevitatem nimis affectantes.

QUÆSTIO IV.

Sitne legitimum non duplicare Antiphonas?

Ut excuſandi qui non duplicant.

HAud inficior in iis Eccleſiis, quibus talis uſus in ſuo pridem Breviario proprio præſcriptus

Guyet. Heortologia.

eſt: Romanum verò ſectantibus, nequaquam; tum quia formæ id repugnat, quam nullo modo fas eſt invertere; tum quia rationem ipſam Duplicis deſtruit tollitque penitus. Cùm enim ut dixi *libr. 2. capit. 9. quæſtion.* 2. Officium Duplex inde potiſſimùm dicatur, quòd in eo Antiphonæ duplicentur, hoc eſt integræ dicantur ante & poſt Pſalmos: quomodo verè appellatur duplex, in quo ſemel tantùm pronunciantur?

Aliqui duplicant ad Cantica Evangelica:

Sunt qui ſaltem duplicant ad Cantica *Benedictus* & *Magnificat*, ſalvantque in exiguo illo Etymi hujus rationem; at quid prohibet in cæteris? Nihil certè aliud augurari poſſum, quàm quòd ab aſſueta brevitate ne latum unguem volunt diſcedere. Ita ſiquidem eſt comparatus multorum animus, ut in quibus Romanum Breviarium ſuo brevius eſt, illud lubenter auſcultent, & ad ſeſe traducant; ſi quid verò ſuum habet Romano compendioſius, quantumcunque ſit illud anomalum, ei tamen ſic tenaciter adhæreſcunt, ut animam potiùs avellas, quàm ſuadeas unquam renunciare; etſi nihil vel parum laboris accederet ſaltem quoad cantum, iis qui Antiphonas neumate protrahunt, ſi reſecto ejuſmodi neumate Antiphonæ repetitionem ſubſtituerent.

QUÆSTIO V.

Sitne item legitimum aliquas ſupprimere?

Refutantur cauſæ ſic agendi.

UTi faciunt, quibus ſolemne eſt Pſalmos omnes præſertim in ſecundis Veſperis ſub una Antiphona, prima videlicet, vel quinta Laudum percurrere; qui itidem in feſtis ſimplicibus & infra Octavas Pſalmos omnes Nocturni ac Laudum ſub unica Antiphona involvunt. Quam verò ſic agendi cauſam habeant, vix aliam deprehendere licet, quàm vulgare ipſum lateque vagans brevitatis ſtudium; nam cùm quinque Antiphonæ in ipſis Veſperis ferialibus ubique extra tempus Paſchale habeantur, quinque item in ſecundis Veſperis Apoſtolorum; haud dicas id eſſe majoris ſolemnitatis argumentum, quin potiùs ſimplicitatem ſapit tenuioremque apparatum, ideòque Meldenſis Eccleſia ritum hunc in ſuo recenti Breviario emendavit pro feſtis ſolemnibus. Neque item id tribuas majori lætitiæ, quod etſi valere poteſt pro Antiph. Allelujaticis, ac unica cujuslibet Nocturni tempore Paſchali; haud tamen congruenter ad aliud tempus extenditur; imò ipſo etiam tempore Paſchali Canticum *Benedicite* in Laudibus ſuam habet ſeorſim à Pſalmis addictam ſibi Antiphonam, ut videas quàm ſit extra uſum Romanum ſecùs facere. Omitto dicere tædioſam eſſe ejuſmodi in Officio ſolemni plurium Pſalmorum ſub unico tono abſque Antiphonarum intercalatione decantationem. Prætermiſſis verò aliis omnibus, cùm id à forma Romana prorſus alienum ſit & abhorrens, ajo nuſquam ab ejus ſequacibus in uſum deduci debere.

Uſus Meld.

Tædioſus eſt Cantus plurium Pſalmorum ſine Antiphonis.

QUÆSTIO VI.

An poſſit Hymnus Te Deum, *legitimè omitti in feſtis ſimplicibus, item in aliis tempore Adventus & Septuageſimæ?*

Rarius olim dicebatur Te Deum à Amalario. Micrologus.

REfert Amalarius *in prologo libri de ordine Antiphonarii*, *Te Deum* Romæ olim, tantùm in Natalitiis Pontificum fuiſſe decantatum. Micrologus verò *capit.* 46. in omni Dominica & feſtis novem Lectionum, præterquam in Adventu, & à Septuageſima uſque ad Paſcha, quibus tamen temporibus dicebatur in feſtis B. Mariæ & Natalitiis Apoſtolorum. Radulphus denique *propoſ.* 13. citans caput Innocentii III. *Conſilium*, *Extra. de Celebratione Miſſarum*, aſſerit

Radulphus: Innoc. III.

 omit-

omittendum in diebus profeſtis, hoc eſt, ut ait Gloſſa, privatis, quaſi procul à feſto, quando videlicet tres fiunt Lectiones; itidemque *prop.* 16, infra Octavas ac Tempore Paſchali, quod & rigidè ſervatur etiamnum in Breviario Monaſtico, in quo ex Regula S. Benedicti nunquam dicitur *Te Deum*, niſi cùm fiunt 12. Lectiones. Rationem verò reddit Innocentius cit. Canone, *ut videlicet inter Commemorationem & ſolemnitatem differentia oſtendatur*, quod perindè intelligendum de Hymno *Te Deum*, atque de Hymno *Gloria in excelſis*; unde ſtatim ſubdit, *Te Deum laudamus, regularius dimittitur quàm dicatur in Laudibus Matutinis*. Regulariùs, id eſt, frequentiùs, quòd nimirum rariora tum eſſent feſta novem Lectionum. Ex quibus vides ritum hujuſmodi, ubi adhuc perſeverat, haud abuſus eſſe damnandum. Quia tamen jure novo Breviarii Pii V. feſtorum nomine hac in parte veniunt etiam feſta ſimplicia, idcirco in iis nequaquam uſu Romano ampliùs eſt omittendum *Te Deum*, ſicut nec in ullis Duplicibus & Semidupl. temporibus Adventus & Quadrageſimæ. Quin & laudabiliùs agunt, qui ei quoque uſui ſuum antiquum commutantes, ceſſant eſſe diverſi.

Debet eſſe differentia inter ſolemnitatem & Commemorationem.

Te Deum jam dicendum etiam in feſtis ſimplicibus.

An verò idem Hymnus, uti in Feſto SS. Innocentium, ſic in aliis Sanctorum veteris Teſtamenti, poſſit aut debeat omitti? Inanis quæſtio eſt, cùm ratio omiſſionis hujus, particularis ſit SS. Innocentium, ut ſuo loco dicetur, nec ad alios ullatenus pertineat.

QUÆSTIO VII.

Sintne legitima alia quæ per detractionem à Romano uſu diſcrepant?

Multa contra uſum Romanum in aliis uſibus omiſſa ſolita.

Eiuſmodi ſunt, omiſſio Orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ, & Symboli Apoſtolorum, initio Matutini & Horarum; Hymnorum ad Matutinum & Laudes; Verſus *Gloria Patri*, in fine Pſalmorum, qui ad Matutinum in Dominicis & feriis conjunctim ſub una Antiphona cantantur; Abſolutionum ante Benedictiones; Suffragiorum in Officio Semiduplici; Capituli & Reſponſorii brevis ad Primam; Lectionis brevis ante Completorium, quam idcirco ablegant nonnulli ſecularium, quòd Monachorum dumtaxat propriam eſſe velint; Antiphonarum finalium B. Mariæ; & ſi quæ ſint alia, quæ in quotidiana ſeu frequentiori recitatione occurrunt. His adde, quæ certorum tantùm dierum, ut quòd tres tantùm habeantur Pſalmi in Veſperis Feſtorum Paſchæ & Pentecoſtes & per Octavas; quòd in iiſdem omittatur in Completorio, Pſalmus *Qui habitat in adjutorio*; quòd in feriis Adventus ea quo dicuntur Antiphonæ majores O, preces deponantur in Veſperis. Quæ omnia iiſdem quibus ſuprà rationibus, aſſero, nuſquam Romani uſus ſectatoribus licere uſurpare, quamtumvis in propriis uſibus, legitimis illis minimèque abrogatis, haud ſint admodum improbanda. Idem eſto judicium de uſu illo Eccleſiarum Pariſienſis, Aurelianenſis & aliarum, poſtremam Verſuum partem ſupprimendi: item & de alio S. Martini Turonenſis, Reſponſiones iſtas, *Et cum ſpiritu tuo. Deo gratias. Amen*, nunquam niſi ſummiſſa voce pronunciandi; quæ eadem cùm ad Chorum, publicamque dumtaxat Officii decantationem ſpectent, haud putaverim in privata recitatione locum habere.

Aliquæ omiſſiones in Choro receptæ locum non habent in privata recitatione.

CAPUT XXI.

De uſibus a Romano diverſis per additionem.

Tanta non eſt de hocce diſcrepantiæ genere contentio, atque de priori; longè enim facilius de onere ſibi detrahi, quàm ad illud quidquam addi patiuntur homines, ut cum Auguſtino loquar, fuſi quàm coli, hoc eſt peractæ quàm perficiendæ operæ amantiores. Videndum num ſint aliqua Romano uſui ſuperaddita, quæ non indecorè ſuadeat uſus conſuetudoque laudabilis.

QUÆSTIO I.

An Reſponſorii ad Veſperas, nonique ad Matutinum uſus ſit legitimus?

Multarum Galliæ Eccleſiarum mos eſt, ut in primis ſaltem Veſperis feſtorum ſolemnium, ſeu etiam quorumcunque Duplicium, Capitulo ſtatim Reſponſorium adnectant, quod itidem præſtabant olim omnes, nunc verò etiam pleræque poſt nonam Lectionem Matutini ante Hymnum *Te Deum*. Et quidem morem illum, licèt Romanis inuſitatum, eſſe tamen antiquiſſimum, conſtat ex Amalario *lib. 4. cap. 7.* Durando *lib. 5. cap. 9. nu.* 4. Radulpho *prop.* 14. & 15. Contra quem nihilominus pauca poſſunt objici.

Amalarius. Durandus. Radulphus.

Primum: Cùm Officii Laudum ac Veſperarum par ſit in omnibus ratio, ſeu diſpoſitio ex Concil. Bracearenſi, *Can. Placuit, diſt.* 12. & Agathenſi, *Can. Convenit, De Conſecr. diſt.* 5. talis ordo deſtruitur, ſi in Veſperis ponatur ejuſmodi Reſponſorium, non autem in Laudibus, quod ipſum ſibi objiciunt præfati Amalarius & Radulphus.

Ratione contra ejuſmodi Reſponſorium.

Secundum: Ut longioribus Nocturnorum Lectionibus ſubjiciuntur Reſponſoria longiora, ita & Capitulis Horarum, quæ eadem breves ſunt Lectiones, Reſponſoria brevia: Cùm igitur in Veſperis non major Lectio, ſed Capitulum imponatur, ſi quod ei Reſponſorium ſubjiciendum eſt, breve meliùs quàm prolixum quadrare videtur, ut fit in Breviario Monaſtico. Imò nullo opus eſſe hinc arguas, quòd uti Capitulum ad intellectus eruditionem pertinet, ita & Reſponſorium cordis exultationem denotat: ea autem Hymno ipſo, qui Capitulum excipit, ſatis exprimitur; quæ præcipua videtur eſſe ratio, ob quam rejectum hìc eſt Romano uſu Reſponſorium breve, ſicut & longius poſt nonam Lectionem Matutini, quando dicitur Hymnus *Te Deum*.

Tertiò denique: Ea nono Reſponſorio ad Matutinum ſequitur quòd nunquam legi poſſit nona Lectio de feſto ſimplici, nec de Homilia Dominicæ ſeu feriæ occurrentis. Reſponſorium enim conſonare debet Lectioni, non conſonat autem Reſponſorium diei Lectioni illi feſti ſimplicis ſeu Homiliæ; quam ob cauſam in Dominicis quibus non dicitur Te Deum, *ex Rubr. 9. de Commemorationibus num.* 10. nunquam legi debet Lectio feſti ſimplicis, de quo fit commemoratio.

His tamen non obſtantibus, ajo perquam legitimum eſſe uſum ejuſmodi, adeò ut in Choro ſaltem laudabiliter retineri poſſit non tantùm ab iis Eccleſiis, quæ proprium habent Breviarium, ſed ab aliis etiam quæ Romano adhærent, ſi videlicet in eo perſeveraverint hactenus. Ducor iis potiſſimùm rationibus, quòd uſus ille ſit antiquiſſimus, multorumque authorum teſtimonio comprobatus. Item quòd Reſponſorii ejuſmodi in Veſperis ſumma ſit celebritas, duobus ac nonnunquam quatuor Canonicis aut aliis è Choro dignioribus

Uſus Reſponſor. ejuſmodi laudabilis.

Cappis

Cappis indutis illud occinentibus, adeò ut præcipua ea ſit Veſperarum ſolemnium nota; quæ cùm laudabilis conſuetudinis rationem habeat, ex earum planè numero cenſeri debet, quas minimè tollendas declaravit ſæpiùs ſacra Rituum Congregatio.

Non eſt additio illa damnanda.

Neque verò dicas eſſe illud addititium contra expreſſam Pii V. prohibitionem, nequid omnino ſuo Breviario addatur vel detrahatur. Nam ut appoſitè ait Radulphus cit. de hac ipſa re tractans, *Additio tolerari poteſt, ſubtractio autem & tranſpoſitio videntur vitioſæ*, maximè cùm additio illa & exigua ſit (quo nomine quæcunque alia à bonis Doctoribus excuſatur,) & partis approbatæ. Eſt enim ferè ſemper ejuſmodi Reſponſorium non aliud quàm unum ex iis quæ pro Matutino ponuntur; nec ea denique ritum ullum novum inducat, quod tantùm damnare videtur Suarez in caſu ſimili *cap.* 13. *num.* 15. cùm ſupponatur id ex minimè interrupta conſuetudine pridem fuiſſe uſitatum. Imò cùm in Breviario Monaſtico authoritate Pauli V. edito expreſsè habeatur in Rubrica de Reſponſoriis, relinqui arbitrio cujuſcunque Congregationis in primis Veſperis feſtorum ſolemniorum recitare, ſeu canere in Choro poſt Capitulum Reſponſoria prolixa conſueta & approbata; quidni & idem tacitè conceſſum iis, qui talem uſum habebant, pari jure inferre licebit?

Suarez.

Solvuntur aliæ objectiones.

Quod verò pertinet ad objecta, ea facilè diluuntur. Primum quidem, quòd paritas Laudum ac Veſperarum non ita ſit omnimoda, ut diſcrimen aliquod non involvat; licèt enim ſub quinque Antiphonis Pſalmi dicantur in Laudibus æquè ac in Veſperis, ſunt tamen plures numero, ſemperque iidem in feſtis, cùm in Veſperis varientur. Item in Laudibus quarto loco non Pſalmus ſed Canticum habetur. Reſponſorium verò Veſperis quadrat meliùs quàm Laudibus, quibus utique ſatis eſſe videtur, quòd non unicum ſed multa in juncto ſibi Matutino decantata ſint. Ad ſecundum: poteſt non incongruè majori cordis exultationi, quam exigit major feſtivitas, id concedi, ut & Reſponſorium, præter Hymnum, Capitulo, & huicce breviori longius illud adnectatur. Tertium planè concedo, videlicet omittendam omnem de feſto ſimplici, ſive de Homilia nonam Lectionem, vel ſi dicatur jungendum illi Reſponſorium de ſuo Officio, uti fit in Breviario Monaſtico poſt duodecimam, quando ea eſt ejuſmodi. Qui verò ſecùs faciunt, non ſatis Rubricæ citatæ conformes eſſe videntur. At optima omnium ratio eſt, Romano more ipſum Reſponſorium nonum explodere.

Haud legenda nona Lectio de Homilia vel de feſto ſimplici, ſi ponatur nonum Reſponſorium.

Brev. Monaſticum.

QUÆSTIO II.

Sitne legitima varia Invitatorium & Reſponſoria reſumendi ratio?

Ut toleranda exiguæ illæ additiones.

INvitatorium videlicet integrum poſt ſingulos verſus Pſalmi, *Venite exultemus*, in Officio Duplici. Reſponſoria item omnia à medio poſt verſ. *Gloria Patri*, tertium verò, ſextum & ultimum à principio, juxta varias feſtorum ſolemnitates, adjecta nonnunquam Proſa rhythmica breviori. Qui ritus omnes cùm additione, non detractione conſtent, & quidem partium (Proſa illa excepta) ubique approbatarum, tolerandi omnino apud eos, qui è dignitate ſuarum putant eſſe Eccleſiarum, ſi retineantur. Haud tamen damnandi, imò laudandi magis, ſi qui Romani uſus ſtudioſiores eos antiquaverint.

QUÆSTIO III.

Sitne legitima Antiphonarum triplicatio?

EST in Eccleſiis uſui illi aſſuetis, tum quia non niſi additione, imò & replicatione conſtat partis approbatæ, tum quia plurimum conferre videtur ad Chori celebritatem. Quibus verò ignotus eſt talis uſus, non eſt quòd multis urgeam non eſſe admittendum, cùm & auſim ſpondere ſuaſu faciles ſe multos præbituros ut dimittant, qui eo hactenus uſi fuere.

QUÆSTIO IV.

Sintne legitima reliqua alia, quæ vel quotidie, vel certis anni diebus Romanum uſum exuperant?

QUotidie quidem, ut preces ad Primam & Completorium, Symbolum S. Athanaſii, concluſiones ſingularum Orationum in Laudibus ac Veſperis cum Duplici *Benedicamus*. Certis verò diebus, ut duo Verſus in terminatione Hymnorum, bis Canticum *Magnificat*, Verſus *Gloria Patri* Antiphonæ interjectus pro Commemoratione. Quæ omnia non eo quidem titulo ſunt explodenda quòd approbatione careant, cùm non ſint niſi approbatorum ipſorum iteratio, ſeu repetitio crebrior. At cùm eadem ad majorem Chori celebritatem nihil aut parum admodum conferant, miror quoſdam, brevitatis alioqui ſat ſtudioſos, quò Romaoam formam propiùs aſſequerentur, iis reſcindendis pepercitſe hactenus.

Ut ſint illa reſecanda.

CAPUT XXII.

DE USIBUS VARIIS per tranſpoſitionem ſeu immutationem.

CUr vallis hìc ſita ſit, illic verò mons; à dextris fluvius, fundus à ſiniſtris, quis præter Dei ſummi, à quo ſic ea condita ſunt, voluntatem, inconcuſſam aliam afferat rationem? Torquent nos ſeque perperam, qui de partium, quibus divinum conſtat Officium, ſitu ac collocatione parem quæſtionem movent. Eſt id quidem arbitrio hominum ita conſtitutum, ſed hominum prudentiſſimorum juxta & ſanctiſſimorum; imò dicam veriùs, Eccleſiæ ipſius Chriſti Domini ſponſæ chariſſimæ, quæ à Spiritu Sancto in omnibus edocta & illuſtrata, ut in cæteris, ſic & in hoc maximè nil niſi ipſo duce ſuſcipit, ordinat, decernit; adeò ut ſitus ejuſcemodi ac collocationis, præter ipſammet Eccleſiæ ordinationem, haud alia potior pertinaciter quærenda ſit ratio. Neque nobis de hoc jam quæſtio vertitur, ſed cùm diverſa ſit juxta nonnullos uſus aliquarum partium à Romano collocatio, dubitari poteſt, non quidem an ſit ea legitima, (eſſe enim ex conſuetudine uſuque proprio ſupponitur) ſed an apud Romani uſus ſectatores locum aliquando habere queat? Et hujus quidem quæſtionis duplex poteſt eſſe ſenſus, alter de partium ſimplici tranſpoſitione, alter verò de commutatione.

Cauſa ſitus variæque partium collocationis in Officio.

QUÆSTIO I.

An licita ſit aliquando partium tranſpoſitio?

IN ordine quotidiano vix occurrit ulla ejuſmodi tranſpoſitio, niſi Hymni Completorii, qui apud aliquos poſtponitur Capitulo, cùm Romano

Tranſpoſitio ordinaria partium non adeo probatur.

ne

no uſu præmittatur. Item Confeſſionis quam aliqui non initio Completorii faciunt, ſed finem verſus, eam in precibus paulò ante Orationem interjicientes ut fit ad Primam, unde accidit ut in Duplicibus ſemper omittatur; quod ut caveant alii, uſque poſt Orationem, ipſam reſervant. Sed modi illi omnes cùm ſint à Romana forma prorſus alieni, non video, quorſum aliquando ad eam traduci poſſint aut debeant, cùm nec major inde celebritas, nec verò etiam commoditas conſequatur.

Extraordinariis non improbatur.

Secùs paulò ſenſerim de extraordinariis illis tranſpoſitionibus, quæ majorem Chori celebritatem inducunt; qualis eſt tranſpoſitio Pſalmorum in Veſperis Feſti Paſchæ, quam utique ubi ea uſu legitimo præſcripta eſt, laudabilis conſuetudinis titulo in Choro poſſe retineri, ſuprà non ſum inficiatus *cap. 1. libri hujus quæſt.* 16.

QUÆSTIO II.

An itidem licita ſit quandoque partium commutatio?

Pertinet ad Officii materiam quæſtio hæc, magis quàm ad formam; quòd enim Hymnus, Antiphona, aut quidlibet aliud proprium, loco alterius ſubſtituatur, materiæ dumtaxat variatio eſt, non autem formæ: unde quoad hoc reſponſum jam fuit in ſuperioribus, ubi de Officiis propriis tam univerſim quàm ſpeciatim actum. Quoad verò cætera, quæ non feſti alicujus propria ſunt, ſed communiter in quolibet Officio uſurpantur, quales erant in multis antiquis uſibus aliæ à Romano uſu Benedictiones Lectionum, aliæ item preces ſive communes ad Primam & Completorium, ſive feriales ad Laudes, Horas, & Veſperas; aliæ Antiphonæ, verſuſque alii in ſuffragiis communibus; alia formula Confeſſionis, cæteraque ejuſmodi, nedum illa ad Romanum quandoque uſum traducenda conceſſerim, ut quibus ſuperſunt, etiam in proprio uſu præſtare omnino judicem ea protinus dimittere, uti ferè omnes jam dimiſere, tum quòd nihil ad majorem celebritatem penitus conferant; tum verò maximè quòd minùs ſelecta ut plurimum, minùſque probata ſint, & quod caput eſt, non minus, imò fortè plus habeant prolixitatis.

Multa in variis uſibus à Romano diverſa, mutanda potiùs quàm retinenda.

SECTIO IV.

Cum ex Rubricis generalibus Miſſalis ſtatim initio, Miſſa quotidie dici debeat ſecundùm ordinem Officii, de feſto duplici, ſemiduplici &c. conſequens eſt ut de quocunque feſto proprio celebratum fuit Officium, Miſſa perinde celebretur. Quare explicatis hactenus, quæ ad Officii feſtorum propriorum rationem attinent, ordo diſciplinæ exigit, ut de Miſſa in iiſdem convenienter ordinanda, brevi ſtylo, necniſi quantum ad praxim attinet, diſſeramus.

CAPUT XXIII.

De ratione ordinandi Missam in feſtis propriis.

Miſſæ ut & Officii partes multæ ſunt, quæ perinde aptari, atque inter ſeſe cohærere debent. Porro de aptatione ipſa, ſeu forma, quæſtio nobis nulla erit, ſuppoſuimus enim Romanam ubique jam ut plurimùm uſu eſſe receptam. De partibus ergo ipſis ſermo dumtaxat futurus eſt, nec iis quidem omnibus, ſed illis tantùm quas mutari contingit juxta cujuſque feſti occurrentiam, videlicet, de Introitu, Orationibus, Epiſtola, Graduali, Evangelio, Præfatione, &c. Quibus item præmittendæ quæſtiones in genere, uti factum eſt pro Officio.

QUÆSTIO I.

Unde ſumenda Miſſa in feſtis propriis?

Libri Miſſalis partitio.

Eſt Miſſale, uti Breviarium, quatuor in partes diviſum; quarum prima (quæ tamen in medio ad commodiorem libri apertionem collocata eſt) Ordinem Miſſæ continet, prout videlicet quotidiano more celebranda eſt. Secunda, quæ initium libri occupat, Miſſas habet de Tempore, hoc eſt Dominicarum omnium, feriarum, ac ſolemnitatum Chriſti Domini, à Dominica 1. Adventus uſque ad Sabbatum ſanctum; deinde interjecto ordine, Præfationibus & Canone Miſſæ, à Dominica Reſurrectionis, uſque ad ultimam Dominicam poſt Pentecoſten. Tertia inſcribitur Proprium Miſſarum de Sanctis, non quòd Miſſæ omnes ibi poſitæ, vel ex toto, vel ex parte propriæ ſint, (quàm multa enim in iis de Communi deſumpta leguntur?) ſed quòd deſcripta habeantur quæcunque ſunt propria, cætera verò in quolibet feſto de Communi mutuata, vel indicantur, vel ut plurimùm integra reponuntur, ne labor ſit in iis perquirendis. Quarta denique pars eſt Commune Sanctorum, in quo pro ſingulis Sanctorum ordinibus, duæ treſve Miſſæ habentur, pro opportunitate ſeligendæ. Quibus item additæ ſunt Miſſæ votivæ per hebdomadam, quando deſunt feſta, aut aliàs pro Sacerdotis devotione dicendæ; item aliæ pro diverſis rebus, Orationeſque itidem diverſæ, ac demum Miſſæ & Orationes pro defunctis.

In omni itaque feſto proprio Miſſa deſumenda eſt, vel ex Proprio Sanctorum, ſi in eo contineatur, aut deſignetur; vel ſi deſit, de Communi quæ aptior videbitur; vel denique propria Eccleſiæ, ſeu loci, ſi talis habeatur, quæ ſit legitimè approbata. Sed de his tribus ſeorſim tractandum ubeiiùs.

Miſſa Feſti proprii ſumenda, vel de Proprio Sanctorum, vel de Communi, vel de uſu loci ſeu Eccleſiæ.

QUÆSTIO II.

An in feſtis propriis Miſſa quæ in Miſſali habetur ſeu deſignatur, ſemper adhibenda ſit?

Adhibenda, ſi nulla ſit ſelectior.

Et verò quorſum alia aliunde quæreretur? An quia datur magis propria? Rarum id eſt, cùm ſelectiſſimæ ſint, quæ in Miſſali habentur. An quia uſu antiquo Eccleſiæ vel loci, alia adhiberi conſuevit ſive integra, ſive ex parte? Nec id etiam placet, niſi & illa ſit planè legitima, & talis quæ præſtet alteri poſitæ in Miſſali, prout de Officio ipſo diximus *cap. 1. hujus libri quæſt.* 14. An verò talis aliquando occurrat, inveſtigabitur ſequenti cap.

Miſſæ Matutinæ quorumdam Sanctorum;

Sunt in aliquibus Eccleſiis uſitatæ Miſſæ quædam ſpeciales de S. Joanne Evangeliſta, de S. Joanne Baptiſta, & de S. Laurentio, præter Miſſam majorem, mane in propriis ipſorummet Sanctorum feſtivitatibus ſolemniter decantandæ, quarum mentionem facit Radulphus *propoſ.* 23. ad finem; his nihil ego ex quæſtionis hujus reſolutione præjudicatum eſſe volo.

Radulphus à

QUÆSTIO III.

Quanam ſumenda Miſſa de Communi?

Index Miſſarum de Communi Sanctorum,

Sunt enim, ut dictum eſt, duæ, treſve in quolibet Communi poſitæ, quarum indicem libet hic attexere,

In Vi-

In Vigilia unius Apoſtoli.
Ego autem ſicut oliva.
Pro uno Martyre & Pontifice.
Statuit ei Dominus,
Sacerdotes Dei benedicite.
Pro uno Martyre non Pontifice.
In virtute tua Domine.
Lætabitur juſtus.
Pro uno Martyre Tempore Paſchali.
Protexiſti me Deus.
Pro pluribus Martyribus Tempore Paſchali.
Sancti tui Domine benedicent te.
Pro pluribus Martyribus extra Tempus Paſch.
Intret in conſpectu tuo Domine.
Sapientiam Sanctorum.
Salus autem juſtorum.
Pro Confeſſore Pontifice.
Statuit ei Dominus,
Sacerdotes tui.
Pro Doctore.
In medio Eccleſiæ.
Pro Confeſſore non Pontifice.
Os juſti.
Juſtus ut palma.
Pro Abbatibus.
Os juſti.
Pro Virgine & Martyre.
Loquebar.
Me expectaverunt.
Pro Virgine tantùm.
Dilexiſti juſtitiam.
Vultum tuum deprecabuntur.
Pro Martyre tantùm.
Me expectaverunt.
Pro nec Virgine, nec Martyre,
Cognovi Domine.

Gavantus.

Eſt autem, inquit Gavantus, *Comment. in Rubr. Miſſalis part. 4. tit. 16. num. 2.* cuicunque liberum ex eodem Communi, utram maluerit, aſſumere, his tamen, ſi benè judico, adhibitis conditionibus. Prima, ut eadem Oratio ſeu Collecta, quæ in Officio recitata eſt, recitetur in Miſſa; quapropter, vel ſumenda eſt Miſſa ipſa in qua habetur eadem Collecta; vel ſi altera Miſſa ſumatur, mutandæ erunt Orationes. Secunda, itidem de Evangelio, quod idem legi debet in Miſſa, cujus Homilia lecta eſt in Officio; adeoque niſi Miſſa ipſa ſumatur in qua poſitum eſt, erit cum Evangelio alterius mutandum. Tertiò, ſic intelligi debet illud, *cuique liberum eſſe Miſſam aſſumere*, ut non tamen unus hanc, alter aliam in eadem Eccleſia vel loco pro nutu aſſumat; ut enim in communibus feſtis, ita & in hiſce propriis, æquum eſt omnes convenire. Quare quod de Orationis delectu dictum eſt ſupr. *capit.* 8. *quæſt.* 2. idem & hic quoque obſervandum, ut quæ videlicet Miſſa pridem uſu communi loci vel Eccleſiæ ſumi ſolita eſt, eadem ab omnibus immutata retineatur. Si verò integra adhuc eſt optio, ut in Sanctis qui de novo admittuntur, eligi ſolet ut plurimum, quæ primo loco poſita eſt; poteſt etiam & altera, utra videbitur aptior; quod Prælati erit de conſilio fratrum, ſeu eorum, quorum intereſt, decernere; & nos deſignabimus *tom.* 2. cùm de ſingulis feſtis ordine menſium agemus. Facto autem ſemel ejuſmodi delectu, idem deinceps ſingulis annis retinendus erit: ad quod proderit ſeorſim in Codice aliquo, vel ſaltem in indice ad calcem Miſſalis appoſito, delectum ejuſmodi deſcribere.

Collecta eadem ſit in Miſſa quæ in Officio.

Idem ſit & Evangelium.

Eadem Miſſa ab omnibus loci vel Eccleſiæ Sacerdotibus dicenda.

Miſſa uſitata retineri debet.

Qualiter de novo ſeligi debet?

QUÆSTIO IV.

An Epiſtolæ & Evangelia poſita in una Miſſa de Communi poſſint in quacunque alia ejuſdem Communis aſſumi?

QUod plures Epiſtolæ, pluraque Evangelia in quolibet Communi deſcripta habeantur, duabus id de cauſis factum puto. Prima, ut ſi contingat unum Sancto alicui minùs quadrare, non deſit alterum; adeòque ex multis liberum ſit, quod aptius viſum erit, ſeligere. Secunda, ad tollendum tædium, quod oriri poteſt ex unius ejuſdemque Epiſtolæ ſeu Evangelii perpetua, aut crebriori repetitione. Antequam verò de delectu ipſo agamus, non erit abs re integram tum Epiſtolarum, tum Evangeliorum ſeriem ex Miſſali ipſo exſcribere, quæ ſic habet.

Index Epiſtolarum & Evangeliorum de Communi.

Pro Vigiliis Apoſtolorum.
Epiſtola.
Benedictio Domini ſuper caput juſti.
Evangelium.
Hoc eſt præceptum meum.

Pro uno Martyre Pontifice.
Epiſtolæ.
Beatus vir qui ſuffert tentationem.
Benedictus Deus & Pater Domini noſtri.
Evangelia.
Si quis venit ad me.
Si quis vult venire poſt me.

Pro uno Martyre non Pontifice.
Epiſtolæ.
Juſtum deduxit Dominus.
Memor eſto Jeſum Chriſtum.
Evangelia.
Nolite arbitrari.
Nihil opertum quod non reveletur.

Item pro uno Martyre.
Epiſtolæ.
Omne gaudium exiſtimate.
Communicantes Chriſti paſſionibus.
Evangelium.
Niſi granum frumenti.

Pro Martyribus Tempore Paſchali.
Epiſtolæ.
Stabunt juſti in magna conſtantia.
Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti qui ſecundùm.
Poſt hæc ego Joannes vidi.
Evangelia.
Ego ſum vitis vera.
Ego ſum vitis, vos palmites.
Amen, Amen dico vobis, quia plorabitis.

Pro pluribus Martyribus extra Temp. Paſch.
Epiſtolæ.
Juſtorum animæ.
Juſti autem in perpetuum.
Rememoramini priſtinos.
Evangelia.
Cùm audieritis prælia.
Deſcendens Jeſus de monte.
Sedente Jeſu ſuper montem.

Item pro pluribus Martyribus.
Epiſtolæ.
Reddidit Deus juſtis.
Juſtificati ex fide.
Non ſunt condigna paſſiones.
Exhibeamus noſmetipſos.
Sancti per fidem vicerunt regna.

Evan-

Digitized by Google

Evangelia.

Reſpondit unus de ſenioribus.
Videns Jeſus turbas aſcendit.
Confiteor tibi Pater.
Væ vobis qui ædificatis.
Qui vos audit, me audit.
Attendite à fermento Phariſæorum.

Pro Confeſſore Pontifice.

Epiſtolæ.

Ecce Sacerdos magnus.
Plures facti ſunt Sacerdotes.

Evangelia.

Homo peregrè proficiſcens.
Vigilate, quia neſcitis.

Item pro Confeſſore Pontifice.

Epiſtolæ.

Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus.
Mementote Præpoſitorum veſtrorum.

Evangelia.

Nemo accendit lucernam.
Videte, vigilate.

Pro Doctore.

Epiſtolæ.

Teſtificor coram Deo.
Juſtus cor ſuum tradidit.

Evangelium.

Vos eſtis ſal terræ.

Pro Confeſſore non Pontifice.

Epiſtolæ.

Beatus vir qui inventus eſt ſine macula.
Spectaculum facti ſumus mundo.

Evangelia.

Sint lumbi veſtri præcincti.
Nolite timere puſillus grex.

Item pro Confeſſore non Pontifice.

Epiſtola.

Quæ mihi fuerunt lucra.

Evangelium.

Homo quidem nobilis abiit.

Pro Abbate.

Epiſtola.

Dilectus Deo & hominibus.

Evangelium.

Ecce nos reliquimus omnia.

Pro Virgine & Martyre.

Epiſtolæ.

Confitebor tibi Domine Rex.
Domine Deus meus exaltaſti.

Evangelia.

Simile eſt regnum cælorum decem Virginibus.
Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito. Hæc duo Evangelia eadem ſunt in ſequentibus Miſſis.

Pro Virgine tantùm.

Epiſtolæ.

Qui gloriatur, in Domino glorietur.
De Virginibus præceptum Domini non habeo.

Pro Martyre tantùm.

Epiſtola.

Confitebor tibi Domine Rex.

Pro nec Virgine nec Martyre.

Epiſtola.

Mulierem fortem quis inveniet?

Pro Vidua.

Epiſtola.

Viduas honora &c.

Quod verò delectum jam attinet, expreſſa eſt Rubrica ante Commune unius Martyris non Pontificis, poſſe Epiſtolas & Evangelia pro uno Martyre Pontifice poſita, legi etiam pro non Pontifice, & viciſſim. Item alia ſimilis ante Miſſam pro pluribus Martyribus Tempore Paſchali.

Epiſtolæ & Evangelia pro uno Martyre Pōtifice dict poſſunt & pro non Pontifice.

Idemne verò eſt de Communi Confeſſorum, adeò ut Epiſtolæ & Evangelia poſita pro Confeſſore Pontifice poſſint legi etiam pro non Pontifice, & viciſſim? Nulla id quidem Rubrica concedit, ſed nec ulla etiam prohibet; imò non deſunt exempla aliquot, quibus haud planè illicitum eſſe arguitur. Nam in Feſto S. Silveſtri Papæ legitur Evangel. *Sint lumbi*, de Communi Confeſſ. non Pontif. In Feſto S. Paulini itidem Pontif. Evangelium *Nolite timere puſillus grex*, de eodem Communi. Item in feſto S. Alexii Evangel. de Abbatibus *Ecce nos reliquimus omnia*; & contra in Feſto S. Antonii Abbat. Evangelium *Sint lumbi*. Similiter in feſtis ejuſdem S. Silveſtri & S. Dominici legitur Epiſtola *Teſtificor*, de Communi Doctorum; in Feſto S. Joſeph, Epiſt. *Dilectus Deo*, de Abbatibus.

Evangelia Confeſſorum Pontificibus atque ac non Pontificibus adſcripta.

Idem quoque uſitatum videas in pleriſque Eccleſiis, quæ Evangelium ipſum *Sint lumbi* primum pro Confeſſ. non Pontifice tribuunt ſuis Sanctis Pontificibus præcipuis ac Patronis, nempe Senonenſis S. Lupo, Bituricenſis S. Guillelmo, Turonenſ. S. Lidorio, Pariſienſis S. Marcello, Andegav. SS. Maurilio & Renato, Redonenſis S. Melanio, Abrincenſis S. Paterno &c. Similiter Evangelium *Nolite timere puſillus grex*, quod eſt aliud Confeſſoris non Pontificis, tribuit Rothomagenſ. uſus Tranſlationi S. Martini, & S. Taurino Epiſcopo; ab aliis verò frequenter Sanctis Abbatibus decernitur. Evangelium item *Homo quidam nobilis abiit*, idem Rothomag. uſus S. Mellono adſcribit. Econtrà verò Evangel. *Vigilate* poſitum pro Confeſſ. Pontif. tribuit Meldenſis uſus S. Rocho, ſicut & aliud, *Videte, vigilate*, Pariſienſis S. Clodoaldo, & aliud, *Nemo accendit lucernam*, Rothomag. S. Vandregiſillo Abbati, Andegav. S. Serenedo, Sajenſis S. Launomaro & S. Mathurino Confeſſoribus. Quin & ipſum Evangelium Doctorum, *Vos eſtis ſal terræ*, & aliud Abbatum, *Ecce nos reliquimus omnia*, non Doctoribus, & non Abbatibus tribuitur; primum videlicet S. Dominico ab Ordine Prædicatorum, S. Honorato Epiſc. ab Eccleſia Arelatenſi; ſecundum S. Nicolao Tolentinati & Converſioni S. Auguſtini ab Eremitis Auguſtinienſibus, S. Ivoni ab Eccleſia Andegav. &c.

Evangel. *Sint lumbi*, tributum frequenter ſanctis Epiſcopis locorū Patronis. *Uſus Senon. Bitur. Turon. Pariſ. Andeg. Redon. Abrinc. Rothom.*

Meldenſ. Pariſienſ. Rothomag. Andegav. Sagienſis.

Arelatenſ.

Andegav.

De Epiſtolis hac in parte par omnino ratio non eſt atque de Evangeliis; illarum enim ferè omnium quæ Pontificum aut Doctorum propriæ ſunt, vix ſenſus patitur ullam aliis non Pontificibus aut non Doctoribus aptari, putà *Ecce Sacerdos magnus*. *Omnis Pontifex &c.* Ex duobus Evangeliis Virginum, primum quidem ad ſolas Virgines pertinet, ſecundum verò non Virginibus æquè commune.

Epiſtolæ non perinde traducuntur atque Evangelia.

Quæ omnia non eò relata velim, quò putet quis fas eſſe promiſcuè, ac ſine conſilio prædictas Epiſtolas prædictaque Evangelia extra Miſſas quibus inſerta ſunt, uſurpare; ſed eò tantùm, ut quibus in locis & Eccleſiis illorum delectus ex uſu antiquo pro certis feſtis propriis receptus eſt, moneam non eſſe eum damnandum, nec ſine cauſa rejiciendum; in aliis verò, quibus res in integro eſt, locum non eſſe ejuſmodi delectui, niſi ſubſit alterutra ſaltem ex duabus cauſis initio prolatis, ſine qua promptius eſt ac longè facilius Miſſam totam, ut in Miſſali jacet, aſſumere. Cujus moniti rationem in ſequentibus itidem delectibus ſic habendam memineris, ut non cogar iterum repetere.

Nec Epiſtolæ, nec Evangelia ſine cauſa ſunt promiſcuè traducenda.

QUÆ

Digitized by Google

QUÆSTIO V.

An legitima item ſit Epiſtolarum & Evangeliorum ex uno Communi in aliud, aut etiam aliunde facta tranſumptio?

Epiſtolæ & Evangelia in Miſſali Romano, ex alieno Communi aut etiam aliunde mutuantur.

FRequentia ſatis tranſumptionis hujuſmodi exempla habentur in ipſo Miſſali Romano. Nam in Feſto S. Clementis Papæ & Martyr. ponitur Evangelium *Vigilate*, & in Feſto S. Urbani Papæ itidem & Martyr. Evangel. *Homo peregrè*, & in Feſto S. Donati Epiſc. & Martyr. Evangel. *Videte vigilate*, quæ tria ſunt Evangelia de Communi Confeſſ. Pontif. Item in Feſto S. Calliſti Papæ & Martyr. Epiſtola *Omnis Pontifex*, de eodem Communi. Ex oppoſito in Feſto S. Baſilii Epiſc. & Confeſſ. ponitur Evangel. *Si quis venit ad me*, de Communi unius Mart. In Feſto S. Ludovici Confeſſ. Epiſtola, *Juſtum deduxit*, & in Feſto SS. Gerval. & Protaſii, Epiſtola *Communicantes*, de eodem Communi. In Feſtis S. Pauli Eremitæ, & S. Franciſci Evangelium, *Confiteor tibi Pater*, de Communi plurim. Martyr. Nonnulla item etiam num, quæ aliorum Sanctorum propria ſunt, ut in Feſto S. Leonis Evangelium, *Venit Jeſus in partes Cæſareæ*, proprium S. Petri. Quin & in aliquibus etiam feſtis Evangelia ex Miſſis de Tempore mutuantur, ut in Feſto S. Thomæ Cantuar. Evangel. *Ego ſum paſtor bonus*, ex Dominica 2. poſt Paſcha. In Feſto S. Monicæ Evangelium *Ibat Jeſus*, ex Dominica 15. poſt Pentecoſt. In Feſto SS. Nerei &c. Mart. Evangelium *Erat quidam Regulus*, ex Dominica 20. quorum rationes facile eſt ex ipſamet textus lectione colligere.

Aliqua Evangelia, in feſtis propriis ſimiliter mutuata.

Licebitne igitur interdum in feſtis propriis parem uſurpare delectum? Ego nihil admodum repugno, modò ea quæ ſeliguntur, in bono ac legitimo ſenſu quadrent appoſitè. Sic Evangelium *Deſignavit Dominus*, quod Evangeliſtarum commune eſt, attribuunt S. Martiali Eccleſiæ multæ Galliæ, ſicut & S. Trophimo Arelatenſis, SS. Saviniano & Potentiano Senonenſis, eò videlicet, quòd credantur ii omnes de numero fuiſſe Diſcipulorum. Similiter Evangel. *Quis putas major eſt in regno cælorum?* Angelis communiter addictum, tribuunt Nannetenſis S. Hœrvæo, & Coriſopitenſis S. Guingaloeo, ob commendationem humilitatis, ſeu ſimplicitatis, quæ in Sanctis illis plurimum enituit. Evangelium S. Petri *Venit Jeſus in partes Cæſareæ*, S. Petro Cœleſtino Carnutenſis, fortè ob nominis & dignitatis paritatem; Evangel. SS. Cyriaci &c. *Euntes in mundum univerſum*, SS. Saviniano & Potentiano Pariſienſis & Meldenſis, ſicut & S. Latuino Sajenſis, quòd fuerint illi in iis oris primi ab Apoſtolis miſſi Evangelii Prædicatores. Evangel. S. Athanaſii, *Cùm perſequentur vos*, Arelatenſis S. Geneſio Mart. & Auguſtinienſes Eremitæ S. Fulgentio Epiſcopo. Denique mutuata etiam ex Miſſis de Tempore nonnunquam Evangelia commodantur, ut S. Carolo, *Ego ſum paſtor bonus*, recenter à multis: Converſioni S. Auguſtini, *Erant appropinquantes ad Jeſum publicani & peccatores*, ex Dominica 3. poſt Pentecoſt. à Canonicis Regularibus &c. Sed de hoc poſtremo mutuandi genere, ſicut & de aliis propriis Sanctorum quorumdam Epiſtolis & Evangeliis, agetur in ſequentibus pleniùs.

Uſus Arelat. Senonenſis. Nannetenſ. Coriſopit. Carnut. Pariſ. Meld. Sajenſis. Arelat. Canon. Regul.

QUÆSTIO VI.

An in Introitu & reliquo Miſſæ Officio ſimilis delectus haberi poſſit?

Introitus dictum Officium apud antiquos Scriptores.

USitatiſſimus ille eſt apud antiquos ferè omnes Rituum Scriptores loquendi modus, ut Miſſæ Introitum Officii nomine appellent, adjectaque prima, à qua quilibet Introitus incipit voce, reliquum totius Miſſæ Officium quod ad cantum pertinet, ea nomenclatura deſignent, videlicet Graduale, Verſum ſeu *Alleluja*, Tractum, Offertorium & Communionem. Sic legas apud Radulphum, Honorium & alios, Officia *Reſurrexi*, *Viri Galilæi*, *Spiritus Domini &c.* quæ initia ſunt Introituum Miſſarum Paſchæ, Aſcenſionis & Pentecoſtes. Nos itidem Officii vocem hìc accipimus, earumdem partium ordinationem in feſtis propriis inveſtigaturi.

Radulphus. Honorius.

Introitus de Communi Sanctorum olim omnes ſimul, Gradualia item &c. omnia ſimul in Miſſali collocata erant.

Inprimis verò obſerva in pleriſque antiquis Miſſalibus etiam Romanis non fuiſſe Miſſas de Communi diſpoſitas, uti jam ſunt; ſed omnes ſimul Introitus collocati erant, non tantùm ii qui nunc habentur in Miſſis de Communi, ſed alii etiam in Proprio Sanctorum Sanctis quibuſdam addicti; itidem omnia Gradualia, omnes Verſus, omnes Tractus, omnia Offertoria, omnes Communiones: in ſingulis verò feſtis deſignabatur, quinam Introitus, quodnam Graduale, Offertorium &c. ex tota illa congerie aſſumenda eſſent; imò & in quibuſdam ex diverſo etiam Communi, quæ videlicet idonea magis erant ad Sancti cujuſque commendationem. Poſtmodum retentis, quæ ad duas treſve Miſſas in quolibet Communi de integro conficiendas opus erant, cætera remanſerunt in Proprio, addicta Sanctis iiſdem, quibus olim tributa fuerant; ſic tamen ut nihil vetet ea perinde aliis attribui, quibus vel in Antiphonario S. Gregorii, vel in propriis Diœceſium, ſeu Eccleſiarum uſibus ab omni ævo tributa reperiuntur.

Index Introituum, Gradualium &c. communium Sanctis cujuſque Ordinis.

Quem delectum, utpote legitimum, haud dubitem ego poſſe retineri, ubicunque perſeveravit hactenus, imò ſi fortè deſierit, poſſe revocari; quid enim vetat, cùm ſint illa omnia probatiſſima? At ut de novo inducatur, vix author fuerim niſi in iis, quæ perinde quadrare invenientur ac ſi omnino propria eſſent; in cæteris enim quorum ſenſus perinde horum atque iſtorum aptus eſt, quorſum hunc ſibi deligendi laborem in quæritando ſatis moleſtum imponere? Eo tibi collectum illorum omnium Indicem, ſi quando opus eſt ad delectum faciendum.

Pro Apoſtolis.

Habent ſuam ſinguli Apoſtoli Miſſam ſuo quique die in Proprio Sanctorum ex integro deſcriptam; ſed ſi quando aliàs opus fuerit, Communia hæc ſunt inter quæ poteſt haberi delectus.

Introitus.

Ego autem ſicut oliva. In Vigilia.
Mihi autem nimis.

Gradualia.

Juſtus ut palma florebit. In Vigilia, ſumptum de Confeſſ. non Pontif.
In omnem terram.
Conſtitues eos principes.
Nimis honorati ſunt.

Verſus.

Te glorioſus Apoſtolorum.
Vos eſtis qui permanſiſtis.
Ego vos elegi de mundo.
Gaudete juſti in Domino.
Nimis honorati ſunt.

Offertoria.

Gloria & honore. In Vigilia, de uno Martyre.
In omnem terram.
Conſtitues eos.
Mihi autem nimis.

Communiones.

Magna eſt gloria ejus. In Vigilia, de uno Martyre.
Vos qui ſecuti eſtis me.
Amen dico vobis quòd vos qui reliquiſtis.

Pro uno Martyre Pontifice.

Notat Micrologus *capit.* 43. à S. Gregorio de Sanctis Romanis Pontificibus Martyribus inſtitutum fuiſſe primò Officium, ſicut de Confeſſoribus, pro- *Micrologus.*

propter excellentiam Apoſtolicæ dignitatis; deinceps verò de iiſdem ſicut & de aliis quibuſcunque Pontificibus Martyribus ſic diſpoſitum, ut curſus quidem Horarum eſſet de Martyribus, ipſum verò Miſſæ Officium de Confeſſoribus, ut ſequitur.

Introitus.

Statuit ei Dominus.
Sacerdotes Dei. } De Confeſſore Pontifice.

Graduale.

Inveni David.
Gloria & honore. } De Martyre Pontif.

Verſus.

Tu es Sacerdos.
Hic eſt Sacerdos. } De Confeſſore Pontifice.
Memento Domine David.

Tractus.

Deſiderium animæ ejus.
Beatus vir qui timet. } Itidem pro Mart. non Pont.

Offertoria.

Veritas mea.
Inveni David. } De Confeſſore Pontifice.

Communiones.

Semel juravi.
Poſuiſti Domine.

Pro uno Martyre non Pontifice.

Introitus.

In virtute tua Domine.
Lætabitur juſtus.

Graduale.

Beatus vir qui timet.
Juſtus cùm ceciderit.

Verſus.

Poſuiſti Domine.
Qui ſequitur me.
Juſtus non conturbabitur.

Offertoria.

Gloria & honore.
Poſuiſti Domine.

Communiones.

Qui vult venire.
Qui mihi miniſtrat.

Pro Martyribus Tempore Paſchali.

Introitus.

Protexiſti me Deus.
Sancti tui Domine benedicent te.
Clamaverunt ad te Domine.
Ecce oculi Domini ſuper.

Verſus.

Confitebuntur cœli.
Poſuiſti Domine ſuper caput ejus.
Sancti tui Domine.
Pretioſa in conſpectu Domini.

Offertoria.

Confitebuntur cœli.
Lætamini in Domino.

Communiones.

Lætabitur juſtus in Domino.
Gaudete juſti in Domino.

Pro pluribus Martyribus extra Temp. Paſch.

Introitus.

Intret in conſpectu tuo Domine.
Sapientiam Sanctorum.
Salus autem juſtorum.
Juſti epulentur.
Clamaverunt juſti.
Multæ tribulationes juſtorum.
Loquetur Dominus pacem.
Judicant Sancti gentes.
Timete Dominum.

Gradualia.

Glorioſus Deus.
Anima noſtra ſicut paſſer.
Clamaverunt juſti.
Juſtorum animæ.
Ecce quàm bonum.
Confitebuntur cœli.
Vindica Domine.
Exultabunt Sancti.
Timete Dominum.

Verſus.

Corpora Sanctorum.
Juſti epulentur.
Te Martyrum candidatus.
Mirabilis Deus noſter.
Sancti tui Domine benedicent te.
Ego vos elegi de mundo.
Juſtorum animæ.
Fulgebunt juſti.
Hæc eſt vera fraternitas quæ nunquam.
Hæc eſt vera fraternitas quæ vicit.

Tractus.

Qui ſeminant in lacrymis.

Offertoria.

Mirabilis Deus.
Exultabunt Sancti.
Juſtorum animæ.
Anima noſtra.
Gloriabuntur.

Communiones.

Etſi coram hominibus.
Dico autem vobis.
Quod dico vobis.
Quicunque fecerit voluntatem.
Juſtorum animæ.
Ego vos elegi.
Poſuerunt mortalia.
Amen dico vobis, quod uni.

Pro Confeſſore Pontifice.

Introitus.

Statuit ei Dominus.
Sacerdotes tui Domine.

Gradualia.

Ecce Sacerdos magnus.
Sacerdotes ejus.
Juravit Dominus.

Verſus.

Tu es Sacerdos.
Hic eſt Sacerdos.
Juravit Dominus.
Amavit eum Dominus.
Inveni David.

Tractus.

Beatus vir qui timet. Idem in ſequentibus.

Offertoria.

Inveni David ſervum meum.
Veritas mea & miſericordia.

Communiones.

Fidelis ſervus.
Beatus ſervus.
Domine quinque talenta.

Pro Doctore.

Introitus.

In medio Eccleſiæ.

Graduale.

Os juſti.

Verſus.

Amavit eum Dominus.
Juſtus germinabit.

Offertorium.

Juſtus ut palma.

Communio.

Fidelis ſervus.

Pro Confeſſore non Pontifice.

Introitus.

Os juſti.
Juſtus ut palma.

Gra-

Gradualia.

Juſtus ut palma.
Os juſti.

Verſus.

Beatus vir qui ſuffert tentationem.
Amavit eum Dominus.
Beatus vir qui timet Dominum.
Juſtus germinabit.

Offertoria.

Veritas mea.
In virtute tua.

Communiones.

Beatus ſervus. De Confeſſ. Pontifice.
Amen dico vobis quòd vos qui reliquiſtis.
Lætabitur juſtus.

Pro Abbate.
Introitus.

Os juſti.

Graduale.

Domine præveniſti eum.

Verſus.

Juſtus ut palma.
Juſtus germinabit.

Offertorium.

Deſiderium animæ ejus.

Communio.

Fidelis ſervus.

Pro Virgine & Martyre.
Introitus.

Loquebar.
Me expectaverunt.

Gradualia.

Dilexiſti juſtitiam.
Adjuvabit eam.

Verſus.

Adducentur Regi.
Specie tua. Iidem pro Virgine tantùm.
Hæc eſt virgo ſapiens.
O quàm pulchra eſt.
Diffuſa eſt gratia.
Quinque prudentes Virgines.
Loquebar.

Tractus.

Veni ſponſa Chriſti.

Offertoria.

Afferentur.
Diffuſa eſt gratia.

Communiones.

Confundantur ſuperbi.
Feci judicium.

Pro Virgine tantùm.
Introitus.

Dilexiſti juſtitiam.
Vultum tuum deprecabuntur.

Gradualia.

Specie tua.
Concupivit Rex.

Tractus.

Audi filia.

Offertoria.

Afferentur. Ut ſuprà.
Filiæ Regum.

Communiones.

Quinque prudentes Virgines.
Simile eſt regnum cœlorum.

Pro Martyre tantùm.
Introitus.

Me expectaverunt.

Graduale.

Dilexiſti juſtitiam.

Verſus.

Specie tua.
Propter veritatem.

Tractus.

Veni ſponſa Chriſti. Suprà.

Offertorium.

Diffuſa eſt gratia.

Communio.

Principes perſecuti ſunt me gratis.

Pro nec Virgine, nec Martyre.
Introitus.

Cognovi Domine.

Graduale.

Diffuſa eſt gratia.

Verſus.

Specie tua.
Propter veritatem.

Tractus.

Veni ſponſa.

Offertorium.

Diffuſa eſt.

Communio.

Dilexiſti juſtitiam.
Diffuſa eſt gratia.

Nulla ex Miſſis de Tempore traducta ad Miſſas de Sanctis.

Obſerva autem in hoc Indice non pauca ex uno etiam Communi ad aliud traduci, pro opportunitate ſententiæ; nulla verò aliunde, ſeu ex Miſſis de Tempore, quòd in iis vix ullum quid aptum ſit Sanctis attribui. Neque verò id in toto Miſſali factum reperio, niſi in Introitu Purificationis B. Mariæ *Suſcepimus Deus*, qui ſumptus eſt ex Dominica 8. poſt Pentecoſt. Item in Introitu S. Laurentii *Confeſſio & pulchritudo*, ex Feria 5. hebdomadæ 1. Quadrag. niſi potiùs in ipſa Feria 5. mutuatum ſit ex Feſto S. Laurentii; & in Graduali Dominicæ 22. poſt Pentecoſt. *Ecce quàm bonum*, quod idem habetur in quibuſdam Miſſis plurimorum Martyrum.

QUÆSTIO VII.

Unde ſumenda Miſſa in Feſtis quorum nullum datur Commune in Miſſali?

Recenſita ſunt feſta ejuſmodi ſuprà *cap.* 16. videlicet Dei omnipotentis, Chriſti Domini, B. Mariæ, Angelorum, ac SS. Patriarcharum & Prophetarum veteris Teſtamenti, de quibus omnibus uti nullum in Breviario commune Officium, ſic nec in Miſſali datur Miſſa ulla communis, adeoque neceſſe eſt, ut niſi de iis propria in propriis Eccleſiis habeatur Miſſa legitima, & ut par eſt approbata, (& de illa quidem agetur ſequenti Capite) neceſſe eſt, inquam, ut aliò recurratur. Quonam verò?

In Feſtis Dei Omnipotentis.

Primò quidem in feſtis Dei Omnipotentis, quocunque illa titulo inſigniantur, ad Miſſam votivam de SS. Trinitate, juxta quod de Officio itidem dictum eſt *cap. cit. quæſt.* 1.

In Feſtis Chriſti Domini.

Secundò: In Feſtis Chriſti Domini, putà Nominis Jeſu, Spineæ Coronæ, Quinque Plagarum &c. ad Myſterium quod ipſa propiùs attingunt, juxta ibidem dicta, nempe ad Circumciſionem, Crucem ſeu Paſſionem &c. ſic decrevit Sacra Rituum Congregatio *die* 20. *Novembr.* 1628. referente Gavanto *part.* 3. *tit.* 10. *num.* 16.

In Feſtis B. Mariæ.

Tertiò: In Feſtis B. Mariæ, ad Miſſam votivam Temporis currentis, prout habet Miſſale ipſum in Feſto S. Mariæ ad Nives.

In Feſtis Angelorum.

Quartò: In Feſtis Angelorum, ad Miſſam votivam de iiſdem.

In Feſtis Sanctorum veteris Teſtamenti.

Quintò: In Feſtis Sanctorum veteris Teſtamenti, ad Commune Martyrum vel Confeſſorum, pro ratione cujuslibet, prout de Officio ipſo dictum fuit.

In Feſtis Apoſtolorum.

Sextò: De Apoſtolis nulla datur Miſſa communis, quia ſinguli habent propriam, ad quam in feſtis ipſorum ſecundariis, ubi ea fiunt, recurri debet.

Septi-

Pro Sanctis Apoſtolicis & Evangelicis.

Septimò: Pro Sanctis quos Apoſtolicos & Evangelicos appellavimus, præter Epiſtolam & Evangelium quæ poſſunt haberi propria, ut infrà dicetur, Introitus & reliqua de Communi Mart. vel Confeſſ. pro cujuſque conditione ſumenda. An verò etiam de Apoſtolis, pro S. Martiale & aliis de quibus *libr. 2. cap. 7. quæſt. 5.* Ajo poſſe id quidem retineri, ubi uſus talis eſt; haudquaquam verò de novo induci, prout de Officio dictum fuit ipſomet loco, Miſſa verò de Apoſtolis, ſi quando opus eſt, ſumi poteſt eadem, quæ votiva eſt de SS. Petro & Paulo, niſi quòd convenientior eſt Epiſtola, *Jam non eſtis hoſpites & advenæ*, ex Miſſa S. Thomæ.

Pro Sanctis dubiis.

Octavò: Pro Sanctis dubiis, ſeu de quibus haud planè certum eſt, Martyreſne ſint, an Confeſſores? ſtatuendum de Miſſa perinde atque de Officio, uſum videlicet receptum eſſe ſervandum, aut ubi deeſt, tutius eſſe de Confeſſore quàm de Martyre dicendā ordinare.

Pro Feſtis Reliquiarum.

Nonò denique: Pro Feſtis illis ſub Titulo Reliquiarum, aut alio generali, vel ſumenda Miſſa integra de Communi plurimorum Martyrum, aut plurimorum Confeſſorum, convenienter Officio, prout dictum fuit *cit. cap. quæſt. 7.* vel ſi non diſplicet, compingenda delectis hinc inde ex variis Miſſis quæ aptiora videbuntur, putà Introitus *Sapientiam Sanctorum*. Gradual. *Exultabunt*. Verſus *Corpora Sanctorum*. Offertorium *Mirabilis*. Communio *Juſtorum animæ*. Oratio verò eadem quæ in Officio, ſicut & Evangelium, cujus lecta fuerit Homilia. Epiſtola, *Juſti autem in perpetuum vivent*, vel, *Reddidit Deus mercedem*, vel, *Mementote Præpoſitorum &c.* vel alia opportunior.

QUÆSTIO VIII.

Quæ item ſumenda in Vigiliis, Octavis, & pro hebdomadaria, ſeu votiva?

Servanda in Miſſa de Vigilia, de Communi ſumpta.

PRo Vigiliis Sanctorum nulla poſita eſt in Miſſali, Miſſa communis, præterquam Apoſtolorum; de aliis enim Sanctis, nulla fit Vigilia generatim in tota Eccleſia, niſi S. Joannis Baptiſtæ, & S. Laurentii, pro quibus eſt Miſſa in Proprio Sanctorum aſſignata. Ubi verò aliqua alia fieri contingit, vel ſumenda Miſſa de Communi, alia videlicet ab ea quæ diei ipſi tribuitur, vel concinnanda ſelectis hinc inde, quæ quadrabunt aptiùs: hoc ſemper ſervato, ut Oratio ſit eadem quæ Officii, idemque Evangelium, cujus in Officio lecta eſt Homilia. In Oratione verò ejuſmodi, ſive ea ſit propria, ſive de Communi, vox *ſolemnitas*, cautè admodum uſurpanda, nec niſi cum hacce reſtrictione, *quam prævenimus &c.* Itidem in Secreta & Poſtcommunione. Denique omittendum *Alleluja* cum Verſu, niſi in iis Eccleſiis, in quibus Vigiliæ ejuſmodi ritu ſolemni ac citra luctum celebrantur, ut in Andegavenſi, Turonenſi S. Martini & aliis.

Infra Octavas Miſſa diei.

Infra Octavas, communis uſus habet ut Miſſa diei repetatur. Nec valet ampliùs, quod Pariſienſe aliaque non pauca habebant antiqua Miſſalia, ut per ſingulos Octavæ dies, variæ Miſſæ aſſignentur, more Octavarum Paſchæ & Pentecoſtes. Imò vix ratio ulla eſſe poteſt ut ad inſtar diei Octavæ Apoſtolorum Petri & Pauli & S. Laurentii, Miſſa diei Octavæ alia ſit quàm diei feſti: tantùm obſervo Introitum *Gaudeamus omnes in Domino*, apud Minores die S. Franciſci uſitatum, infra Octavam in alium commutari; qua verò id cauſa, dixerint ipſimet.

Miſſa votiva de Sancto eadem quæ feſti ipſius, paucis exceptis.

Votiva demum Miſſa ſeu hebdomadaria vix alia itidem eſſe ſolet, quàm ipſamet feſti, mutatis interdum Orationibus, pauciſve aliis, quæ ſolemnitatem aut ipſum tranſitus diem ſonant, ſervatiſque quæ temporum propria ſunt, putà Tractu poſt Septuageſimam, duobus Verſibus & additione Alleluja tempore Paſchali. Sed hæc omnia diſtinctiùs tradentur tom. 2. ubi de ſingulis Sanctis, ſuis quibuſque propriis diebus agetur.

CAPUT XXIV.

DE MISSIS PROPRIIS in genere.

TErtium hoc membrum eſt diviſionis quam *quæſt. 1. cap. præcedentis* attulimus. Ipſum verò ſeorſim ab aliis, nec id priore quidem loco, uti de Officio antea fecimus: ſed poſteriore ideo tractandum viſum eſt, quòd tum rarius ſit, tum verò etiam multa habeat duobus aliis haudquaquam communia.

QUÆSTIO I.

Quæ dicantur Miſſæ propriæ?

REſpondeo, quæ ex nullo prædictorum Communium deſumptæ, ſive quoad totum, ſive quoad partem aliquam, ſic Sancto ſeu feſto alicui addictæ ſunt, ut nulli alteri attributæ reperiantur, aut ſi fortè alicui, nonniſi in ſenſu, qui communis multis eſſe non poteſt.

Paucæ ſunt Miſſæ de Sanctis propriæ ex toto, nonnullæ ex parte.

Ejuſmodi autem Miſſæ propriæ (quoad Sanctos attinet) paucæ admodum ex toto in Miſſali habentur, nec niſi ferè Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, S. Petri, S. Pauli, S. Joannis Evangeliſtæ, S. Stephani, S. Laurentii, SS. Innocentium: quin & in his nonnulla etiam ſunt de Communi mutuata; cæterorum verò partes dumtaxat aliquæ propriæ ſunt, ſive una, ſive plures, putà Orationes, ut in multis; aut Evangelium, ut in omnibus ferè Apoſtolis, SS. Innocentibus, Sanctis Joſepho, Magdalena, Martha, Athanaſio, Gregorio Thaumaturgo &c. aut Epiſtola, ut in SS. Timotheo, Polycarpo, Dionyſio, Paulino, Alexio &c. aut Introitus, ut in SS. Clemente, Franciſco, & Ignatio Martyre, ſeptem Fratribus Martyribus &c. aut Verſus, ut in SS. Andrea, Martino, Franciſco &c. aut Communio, ut in SS. Thoma Apoſtolo, Ignatio Martyre, Agatha &c. Itidem in feſtis propriis rarum eſt, imò vix unquam accidit, ut Miſſæ propriæ integræ habeantur, partes verò aliquæ nonnunquam. An verò præſtet haberi, qualeſve eſſe debeant, ut legitimo in uſu ſint, ſtatim inveſtigandum.

Proprium ut hic accipitur.

Quod autem dixi proprium id eſſe, quod nulli alteri tribuitur, aut ſi fortè alicui, nonniſi in eo ſenſu qui multis communis eſſe non poſſit, declaratur in iſto Introitu, *Mihi autem abſit gloriari;* qui S. Ignatio Epiſcopo & Martyr. & S. Franciſco Confeſſ. ita proprius eſt, ut nullis aliis in tam appoſito ſenſu poſſit accommodari.

QUÆSTIO II.

Præſtetne haberi Miſſas proprias in feſtis propriis?

Vix præſtat haberi Miſſas proprias de Sanctis.

PRæſtat equidem in feſtis illis Dei Omnipotentis, Chriſti Domini, & aliis, de quibus nullum eſt Commune. Quod verò Sanctos attinet, major celebritas, quam alteram Officii proprii adſtruendi cauſam adduximus *capit. 1. hujuſce libri quæſt. 3.* non perinde valet pro Miſſa propria, tum quòd exceptis Orationibus, Secretâ, & Poſtcommunione, cætera quæ ad hiſtoriam Sancti propriam pertinent, haud facilè inſeri poſſint; tum quòd ea quæ de Scripturæ ſacræ textu promuntur, rarò ſint ejuſmodi, quæ Sancto illi uni conve-

niant,

Digitized by Google

niant; aut iis præſtent, quæ in Miſſis de Communi habentur; quod tamen ad rationem Proprii pertinere docuimus *hocce item libr. cap.4. quæſt.* 3. Hincque fit ut Miſſæ propriæ vix ullis aliis Sanctis adſtrui poſſint, quàm iis, qui in Evangelii textu, aliove Scripturæ libro memorantur, quales ſunt SS. Zacharias & Eliſabeth, Simeon & Anna Propheriſſa, Centurio, Latro &c. Quorumcunque verò ſint, citra dubium eſt, nonniſi legitima admitti debere.

QUÆSTIO III.

An & qualiter approbata eſſe debeant Miſſa propria?

Miſſæ propria debent eſſe approbatæ.

NUlla Rubrica Miſſalis id exigit, ut Miſſæ propriæ ſint approbatæ, ſicut Officia propria approbari exigit Rubt. 1. Breviarii. Haud tamen dubites approbationem in illis perinde atque in his eſſe requiſitam, imò verò eò amplius, quò à ſuſpicione falſi, aliaque omni labe, puriora adhuc eſſe convenit, quæ in Altari ipſo inter ſacrificandum, quàm quæ in Choro extra Sacrificii actionem pronunciantur. Idcirco autem nulla id fortè Rubrica expreſſum habetur, quòd, ut jam dictum eſt, rarò contingat præter Orationes, aliquid proprium in Miſſa adhiberi, quod non ſit ex Scriptura deſumptum. Oratio verò ſimul cum ipſo Officio approbata ſupponitur, ſicut & per ſe ſatis approbatum cenſetur, quidquid in legitimo ſenſu, nulla facta verborum immutatione, ex Scriptura depromptum uſurpatur. At ſi alicubi Introitus, Verſus, Sequentia, aliaque ejuſmodi propria aliunde quàm ex Scriptura; vel ſi ex Scriptura quidem, ſed in ſenſu tralatitio, ſeu accommodationis, peregrino fortè, necdum ab Eccleſia recepto, aut cum aliqua verborum immutatione deprompta habeantur, omnino ea approbata eſſe oportet. Et quidem ſi antiqua fuerint, uſu ipſo ac conſuetudine legitimè præſcripta, prout definitum fuit *cap. 1. quæſt.* 6. Si verò nova ac recentia, nonniſi expreſſa Sedis Apoſtolicæ, ſeu quibus id juris ſupereſt, Antiſtitum authoritate, ex dictis ibidem *quæſt.* 11.

Miſſæ approbatæ pro uno loco, aut Eccleſia vel Ordine extra eatenus non debent.

Miſſæ autem propriæ in uno loco ſeu Eccleſia vel Ordine, licèt ab omnibus loci illius ſeu Eccleſiæ vel Ordinis Sacerdotibus uſurpari poſſint, haud tamen ipſas ad alios extendi debere conſtat, tum ex his quæ de Officio in ſimili dicta ſunt, *capit. item* 8. *quæſt.* 12. tum ex variis Sacræ Rituum Congregationis Declarationibus, altera *die* 25. *Junii* 1622. qua edixit Miſſam Sanctiſſimi Roſarii ſolis Dominicanis eſſe conceſſam, non autem aliis: altera *die* 8. *Aprilis* 1628. de Miſſa S. Mariæ de Carmelo itidem: quin & univerſim decrevit *die* 19. *Nov.* 1622. Miſſas certis Regularibus conceſſas, putà de Sanctis Ordinis eorum, aut aliis quæ non habentur in Miſſali Romano, non poſſe ab aliis Sacerdotibus dici, nec in ipſorummet Regularium Eccleſiis. Ex quo tamen haud velim inferas non poſſe itidem Miſſas proprias Sanctorum Diœceſis aut Eccleſiæ alicujus legitimas & approbatas, in ea Diœceſi ſeu Eccleſia ab univerſis Sacerdotibus eò loci celebrantibus uſurpari. Quod enim de Officio ſtatuimus *cap.* 1. *quæſt.* 19. idem de Miſſa perinde dictum exiſtima.

CAPUT XXV.

De Officio Missæ proprio.

MOnui ſuperiùs Officii nomine comprehendi quidquid in Miſſa ad Chori cantum pertinet, nempe Introitum, Graduale, Verſum, Tractum, Sequentiam, Offertorium & Communionem: de quibus omnibus ac ſingulis, ubi dari propria contingit, indagandum qua arte exarata eſſe debeant, ad hoc ut probata ac legitima cenſeantur.

Guyet. Heortologia.

QUÆSTIO I.

Quæ cavenda univerſim in Officiis Miſſæ propriis?

Officia Miſſæ propria nulla ferè alia quàm ex Scriptura excerpta.

EX Officiis centum quinquaginta & ampliùs quæ in corpore Miſſalis Romani habentur, præter Officium quod incipit *Salve ſancta parens* de Beata Maria, & Officium Defunctorum *Requiem æternam*; præter item Introitum unum aut alterum, tria quatuorve Offertoria, totidemque Communiones, ac paulò plures Verſus, cætera omnia ex Pſalmis aliove libro Canonico excerpta ſunt, etiam tertio & quarto Eſdræ, quoad hoc pro Canonicis habitis; ut hinc videas quàm nulla vel pauca in uſibus propriis aliunde depromi conveniat. Si quando verò ab ea lege recedatur, haud tamen debent admitti ulla, niſi quæ vel ex Actis Sanctorum ipſorum authenticis hauſta ſint, quale eſt illud S. Laurentii, *Levita Laurentius bonum opus operatus eſt &c.* Item illud S. Agathæ, *Qui me dignatus eſt ab omni plaga curare &c.* vel quæ probatum aliquod contineant elogium, ut eſt illud S. Franciſci, *Franciſcus pauper & humilis &c.* prout de Officio ipſo dictum eſt ſupr. *cap.* 4. *quæſt.* 2. Quæ autem ejuſmodi non ſunt, ut nævo omni careant, planè expungenda; uti expuncta fuit ex Miſſali ipſo Romano à Pio V. Miſſa propria S. Catharinæ, cujus initium erat, *Vox de cœlis Catharinæ redditur &c.*

Si aliunde, non niſi ex Actis Sanctorum authenticis.

Duo obſervanda in iis quæ de Scriptura accerſuntur.

Quoad verò ea, quæ de Scriptura eruuntur, duo advertenda ſunt. Alterum vix cenſeri ejuſmodi quæ non integrè nec continenti textu, ſed tantùm adjectis carptim hinc inde verbis brevibuſve ſententiis compacta extant; quales ſunt duo iſti Introitus, *In excelſo throno vidi ſedere virum &c.* ex Domin. 1. poſt Epiphan. & *Salus populi ego ſum*, ex Domin. 19. poſt Pentecoſt. quibus proinde locus Scripturæ ad marginem nullus in Miſſali adſcriptus eſt. Alterum, cum duplex ſit Pſalterii editio, (utra illarum dicatur Septuaginta Interpretum, utra S. Hieronymi, lis eſt apud Interpretes, niſi utraque fortè utroque nomine à diverſis appelletur, de qua re vide Lorinum Præfatione in Pſalmos cap. 13.) altera jam vulgatior, cujus uſus eſt in Officio per totam ferè Eccleſiam, maximè poſt Breviarium à Pio V. emendatum; altera Romana dicta, quòd ea Romæ adhibeatur in Eccleſia Vaticana S. Petri; à qua non multùm diſcrepare Ambroſianam ab Eccleſia Mediolanenſi uſitatam teſtis eſt Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 8. *numer.* 3. hæcque eadem eſt, quæ etiamnum in Officio Miſſæ uſurpatur, quoad omnia, quæ de Pſalmis deprompta ſunt, ut cùm legitur, *Adhæſit in terra venter noſter. In manibus tuis tempora mea. Oſſa mea ſicut in frixorio confrixa ſunt &c.* ubi in alia vulgata habetur, *Conglutinatus eſt in terra venter noſter. In manibus tuis ſortes meæ. Oſſa mea ſicut cremium aruerunt &c.* Hujus itaque editionis uſus ſicubi adhuc perſeverat in propriis Miſſæ Officiis, retineri omnino poteſt; at ſi quæ de novo inducantur, ſatius eſt ea quoque juxta communiorem illam editionem expromi.

Duplex Pſalterii editio, vulgata & Romana.

Lorinus.

Gavantus.

Tria item in Officiis Miſſæ propriis obſervanda.

Utraque demum, ſive quæ ex Scriptura, ſive quæ aliunde hauſta ſunt, ſic comparata eſſe debent, ut quæ in hiſtoria Officii propria requiri diximus *cit. cap.* 4. *quæſt.* 3. eadem illis non deſint; nempe ut ſint primò verè propria, non autem vulgaria, cæteriſque Sanctis perinde apta commodari; talia enim in nullo præſtant iis, quæ in Communi poſita ſunt. Secundò, ſint pia, ciendiſque aut tuendis pietatis affectibus idonea. Tertiò,

ſervent debitum ſingula ſuæ formæ commenſum, ut nec juſto ſint prolixiora, nec verò etiam breviora. Sed hæc univerſim pronunciata ſequentibus deinceps quæſtionibus ſpeciatim magis juvabit explanare. Quorum exemplaria ſi vis perfecta ſatis inſpicere, ſuppeditabit recens editum Miſſale Monaſticum, in Miſſis propriis de SS. Benedicto, Mauro & Scholaſtica.

QUÆSTIO II.

Quæ cavenda ſpeciatim in Introitibus?

CONſtat Introitus ex Antiphona & Pſalmo cum Verſu *Gloria Patri*, & *Sicut erat &c.* poſt quem iterum repetitur Antiphona.

Introitus inſtar eſt Antiphonæ.

Antiphonam, primam illam partem meliùs cum Innocentio III. Valfrido, Micrologo, & aliis, quàm cum Gavanto Pſalmum appellaverim, tum quòd verè ad inſtar Antiphonæ Pſalmo præmittatur ac poſtponatur, tum quòd ipſam Introitus inſtitutionem magis refert. Cœleſtinus enim I. Romanus Pontifex id inſtituit, ut Pſalmi centum-quinquaginta Davidis ante Sacrificium cantarentur Antiphonatim; hoc eſt non integri, ſeu toti continenter, ut volunt Baronius *anno* 418. & Bellarminus *libr. 2. de Miſſa cap.* 16. fuiſſet enim labor ille intolerabilis, nec verò quidquam eſt quod nos in eam opinionem adigat; ſed Antiphonatim, ſelectis videlicet ex unoquoque verſibus, ſeu ut loquitur Radulphus *propoſ.* 23. *Antiphonatim ex omnibus*. Imò nec veriſimile eſt Pſalmos omnes quotidie ſic Antiphonatim fuiſſe decantatos, ſed unum aut plures una die, alios altera.

Cœleſtinus I. *Baronius.* *Bellarminus.* *Radulphus.*

Introitus regulariter ex Pſalmis deſumpti.

Inde verò factum eſt, ut Introitus omnes regulariter ex Pſalmis deſumpti ſint, exceptis ex Iſaia, novem; ex libro Sapientiæ, quinque; ex Geneſi, uno; ex Exodo, duobus; ex ſecundo Eſdræ, uno; ex quarto Eſdræ, uno; ex Tobia, uno; ex Eſtheræ, uno; item ex Matthæi Evangelio, duobus; ex Lucæ, uno; ex Joannis, uno; ex Actis, duobus; ex Epiſtola ad Roman. uno; ad Galatas, duobus; ad Philipp. duobus; ex ſecunda ad Timotheum, uno; ex prima Petri, uno.

Varia forma Introituum.

Ex his verò omnibus alii per invocationem efferuntur, ut *Ad te levavi animam meam. Exurge quare obdormis. Reſpice Domine in teſtamentum tuum &c.* Alii per modum invitationis ſeu exhortationis, ut *Gaudete in Domino ſemper. Sitientes venite ad aquas. Sacerdotes Dei benedicite Dominum &c.* Alii inſtar ſunt collaudationis & congratulationis, ut *Benedicta ſit Sancta Trinitas. Ecce advenit dominator Dominus. Nos autem gloriari oportet.* Simplici narratione conſtant alii, ut *Statuit ei Dominus. In medio Eccleſiæ. Os juſti.* Magnum verò habent leporem, qui per proſopopœjam, ut *Reſurrexi, & adhuc tecum ſum. Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis.* Maximè in Miſſis propriis Sanctorum, cujuſmodi ſunt de S. Joanne Baptiſta, *De ventre matris meæ.* De S. Petro, *Nunc ſcio verè.* De S. Paulo, *Scio cui credidi.* De S. Stephano, *Sederunt principes, & adverſum me.* De S. Laurentio, *Probaſti Domine cor meum.* De S. Agnete aliiſque Virginibus, *Me expectaverunt peccatores.* Item qui per apoſtrophem ad ipſoſmet, ut, *Dicit Dominus Petro, cum eſſes junior; Dicit Dominus, ſermones mei quos dedi.*

Hæc eò referre placuit, ut ſint inſtar amuſſis ad quam probentur cæteri Introitus proprii, ſive ex Scriptura, ſive aliunde excerpti. Ex Scriptura quidem, qualis eſt iſte de S. Ivone per apoſtrophem ex Iſaiæ cap. 58. *Dicit Dominus, cum effuderis eſurienti animam tuam &c.* Alii Introitus, qui de Scriptura ſumpti non ſunt, vix occurrunt ulli ſatis probandi; quem enim plerique adhibent in feſtis Patronorum, *Gaudeamus omnes in Domino &c.* licèt legitimus ſit, haud tamen proprium dixerim, ſed magis communem, cùm multis in ipſo Miſſali Romano ſola nominis facta mutatione attribuatur.

Introitus *Gaudeamus omnes*, pluribus feſtis communis.

Alleluja, additum Introitui.

Alleluja Introitui addere vel interjicere extra tempus Paſchale, non eſt ex uſu Romano, niſi in feſto Corporis Chriſti. Id tamen retinent Eccleſiæ Turonenſis & Andegavenſis in Introitu *Venite benedicti Patris mei*, quem in Feſto S. Mauritii Titularis ſui ambæ uſurpant, more ſuo vetere ac laudabili illo quidem, ſed ab aliis haud inducendo.

Uſus Turon. Andegav.

Pſalmus in Introitu interjectus ferè ſemper initium Pſalmi eſt.

Antiphonam Pſalmus excipit. Verè Pſalmus, quippe qui ſemper eſt verſus primus Pſalmi, ex quo eruta eſt eadem Antiphona, niſi cùm Introitus ab ipſomet initio Pſalmi inchoatur, ut in Introitibus, *Ad te levavi animam meam. Dominus illuminatio mea. Omnes gentes &c.* tunc enim verſus ſequens ponitur pro Pſalmo. Imò etiam cùm Antiphona, ſeu Introitus aliunde quàm ex Pſalterio deſumitur, nihilominus ei ſubtexitur initium Pſalmi alicujus, qui ad ſolemnitatem pertineat, ut Introitibus *Puer natus eſt nobis. Viri Galilæi. Sapientiam Sanctorum. Statuit ei Dominus &c.* initia Pſalmorum *Cantate Domino. Omnes gentes. Exultate juſti in Domino. Memento Domine David.* Ex quo fit ut eidem Introitui in diverſis feſtis uſitato, diverſus interdum Pſalmus apponatur, putà Introitui *Gaudeamus omnes in Domino*, in Feſtis Aſſumptionis B. Mariæ, S. Annæ & S. Agathæ, Pſalmus *Eructavit*: in feſto verò omnium Sanctorum, & S. Thomæ Cantuarienſis, Pſalm. *Exultate juſti in Domino.* Introitui *Mihi autem abſit gloriari*, in Feſto S. Franciſci, Pſalm. *Voce mea.* in Feſto verò S. Ignatii Mart. Pſalm. *Memento Domine David.* Haud verò quaquam placet, quod aliquibus adhuc in uſu eſt, ut pro Pſalmo verſus hic in Introitu *Salve Sancta parens*, ſubſtituatur, *Poſt partum Virgo*; & in Introitu, *Statuit ei Dominus.* Verſus, *Ora pro nobis Beate.* Item in Introitu Vigiliæ S. Andreæ pergatur pro Pſalmo, *At illi relictis retibus &c.*

Introitus ter vel quinquies ab aliquibus repetitur.

Uſus olim fuit multarum Eccleſiarum, qui & à nonnullis adhuc ſervatur, ut in feſtis Duplicibus ſeu aliàs ſolemnioribus, ter Introitum repeterent, videlicet poſt Pſalmum ante *Gloria Patri*, & iterum poſt *Sicut erat.* Imò quinquies repetebat Eccleſia Turonenſis, videlicet poſt Pſalmum, poſt *Gloria Patri*, poſt *Sicut erat*, itemque poſt Verſum *Hæc dies quam fecit Dominus &c.* Cauſa autem multiplicis hujus repetitionis, quantum conjicio, ea erat, ut tempus daretur traducendo Ordini, (Ordinem vocant ſolemnem celebrantis è Sacriſtia ad Altare per medium Chori inceſſum, præeuntibus ſeptem Diaconis, ſeptemque Cereoſtatis, ritu perſimili ei qui in Ordine Romano deſcribitur) ſed ut retento eo ritu, utique laudabili, quintuplicem illam Introitus repetitionem abdicavit prædicta Eccleſia, ſic & triplicem aliàs dimittere nihil repugnat, ut præſtare etiam videatur.

Uſus Turon.

Ordo ſeptem Cereoſtatorum.

QUÆSTIO III.

Quæ in Gradualibus.

Duæ partes Gradualis.

FOrmam habet Reſponſorii Graduale, imò & Reſponſorium ſemper appellatur in Antiphonario S. Gregorii, & frequentiùs à Radulpho & aliis Rituum interpretibus. Unde ſicut Reſponſorii duæ ſunt partes, ita & Gradualis, prior una, quæ ipſa Reſponſorii nomen retinet, poſterior altera huic cohærens & annexa, quæ Verſus dicitur; utraque, niſi in uno aut altero Graduali, de Scriptura deſumpta; ac ferè ſemper ex Pſalmis, rarò aliunde, nec niſi bis ex libro Exodi, ſemel ex libris Levitici, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Iſaiæ & Jeremiæ, bis ex Joannis Evangelio & ex Epiſtola ad Galatas, ſemel ad Philippenſes, denique bis tantùm ex textu non Canonico. Utraque item

Gradualia ex Pſalmis præcipuè deſumpta.

Gra-

Varia forma Gradualis. Gradualis pars, perinde atque Introitus, modò invitationem & exhortationem continet, modò collaudationem & congratulationem, nonnunquam proſopopœjam vel apoſtrophem, ſæpiſſimè verò omnium narrationem, aut invocationem.

Propria Gradualia rara. Propria verò de Sanctis Gradualia in toto Miſſali non habentur niſi de S. Joanne Baptiſta, de S. Paulo, de S. Joanne Evangeliſta, de S. Stephano, & de S. Laurentio; ex quo facilè inferas quis in propriis modus tenendus ſit.

Olim repetitum ſolitum poſt verſum. Graduale poſt Verſum more Reſponſorii, in Officio Duplici repetere aliquibus olim in uſu fuit, At uſus communis ac legitimus hoc tantùm habet, ut poſtrema Verſus verba à toto Choro concinantur.

Omittendum Tempore Paſchali. Omittitur ab omnibus tempore Paſchali, ejuſque loco duo Verſus apponuntur, more in omnibus Miſſis de Communi deſcripto: An etiam omittendum in hebdomada Paſchæ, dicetur commodiori loco.

QUÆSTIO IV.

Quæ in Alleluja *& Verſu.*

Alleluja, lætitiam ſonat. Rupertus. UT Graduale luctum, ſic *Alleluja* lætitiam ſonat, ideoque hoc illud excipit, quia inquit Rupertus *libr. 1. cap. 35.* poſt luctum ſequitur lætitia. *Alleluja* verò geminato additur Verſus perbrevis, cujus item terminus eſt *Alleluja*. Eſt autem *Alleluja*, ut hoc obiter dicam, nomen Hebraicum, ideò ab Eccleſia retentum atque in decurſu Officiorum divinorum paſſim interjectum, *ut peregrinum ab hac vita gaudium, peregrinum quoque vocabulum ſignaret potiùs quàm exprimeret*, *Innocentius III.* ait Innocentius III. *libr. 2. Myſt. cap. 32.*

Verſus non ſemper de Scriptura. Verſus porro ille licèt utplurimùm ex textu Canonico deſumatur, haud tamen in hoc adeò rigida lex eſt atque in Introitu & Graduali; nam ex 155. Verſibus qui in toto Miſſali habentur, 30. & ampliùs de Scriptura non ſunt, præſertim in Miſſis Sanctorum.

Hincque colligo liberiorem eſſe facultatem ſimiles in feſtis propriis retinendi, aut etiam inducendi, ſive per ſimplicem enunciationem, quales ſunt iſti, *Dilexit Andream Dominus. Levita Laurentius. Beatus vir Sanctus Martinus &c.* Sive per invocationem, ut ſunt, *Salve jubente Deo; Sancte Paule Apoſtole; O Joachim Sancte &c.* & hic quidem modus frequentior eſt, cujus exemplar eſto Verſus ille pro Patrono in aliquibus propriis uſitatus, *Sacerdos Domini N. Paſtor egregie adeſto noſtris precibus, ut cœlo tibi conjungas, quos in terra lætificas.*

QUÆSTIO V.

Quæ in Tractu?

Tractus luctum ac gemitum exprimit. VErſui Tractus opponitur ut luctus lætitiæ, ideoque ejus locum ſubit toto eo tempore, quo ſubticetur *Alleluja*, videlicet à Dominica Septuageſimæ uſque ad Paſcha; ut ſicut ex Ruperto *Rupertus.* *lib. 1. cap. 35. quoddam gaudii ſtillicidium eſt ipſum Alleluja*, ita ſit gemituum Tractus, tractorumque ex imo corde ſuſpiriorum quædam expreſſio, inde dictus, quòd trahendo hoc eſt tractim canta- *Honorius.* tur, inquit Honorius *libr. 1. cap. 96.* qui item ut habet Innocentius III. *lib. 2. Myſteriorum cap. 32.* *Innocentius III.* *cùm aſperitate vocum, tum prolixitate verborum miſeriam præſentis incolatus inſinuat.*

Pauci Tractus proprii. Ex Pſalmis Tractus ferè omnes deſumuntur, pauci aliunde, duo treſve ex textu non Canonico, videlicet *Te Deum Patrem. Gaude Maria Virgo. Tu es vas electionis*. Longiores alii ſunt, pluribuſque conſtantes Verſibus, alii paucioribus, & utplurimum tribus vel quatuor, duo duobus tantùm. Verſus ii quandoque non ex eodem textu aut conſequenter aſſumuntur. Quæ quidem perſtrinxiſſe ſat eſt, cùm rari ſint pro feſtis Sanctorum Tractus proprii, nec niſi de Communi ſoleant accipi.

Guyet. Heortologia.

QUÆSTIO VI.

An libera ſint Sequentia in feſtis propriis, & quales eſſe oporteat?

CUm in pluribus tum Officii tum Miſſæ partibus locum habeat cœleſte Canticum *Alleluja*, potiſſimè verò omnium in Verſu Miſſæ, de quo ſtatim actum eſt; ei quippe bis præmittitur, ac deinde in fine ſubjicitur, & quidem cum neumate. *Alleluja Miſſæ.*

Neuma autem (quod vulgò per aphæreſim literæ p idem dicitur quod pneuma) protractionem quamdam vocis appellant, qua videlicet una ſyllaba pluribus ac diverſis notis affecta longiùs eodem ſpiritu profertur; quod cùm in fine Antiphonarum multæ etiamnum Eccleſiæ ex antiquo uſu, eoque probatiſſimo uſurpent, uſus Romanus ad Alleluja Miſſæ dumtaxat retinet. Iſque eſt canendi modus, quem jubilum quoque ſeu jubilationem paſſim vocant antiqui Rituum Scriptores: *Jubilantes potiùs quàm canentes*, ait Innocentius III. nuper citatus, *unamque brevem digni ſermonis ſyllabam in plures neumas protrahimus, ut jucundo auditu mens attonita repleatur, & rapiatur illuc, ubi ſemper erit vita ſine morte, dies ſine nocte, certè ſine ſorte, jucunditas ſine dolore, ſecuritas ſine timore, tranquillitas ſine labore, fortitudo ſine debilitate, rectitudo ſine perverſitate, pulcritudo ſine deformitate, veritas ſine fallacia, charitas ſine malitia, felicitas ſine miſeria.* *Neuma quid ſit? Jubilum ſeu jubilatio quid ſit? Innocentius III.*

Eſt enim propriè Jubilum ex Auguſt. enarratione in Pſalm. 32. *ſonus quidam ſignificans cor parturire, quod dicere non poteſt:* quod appoſita ſimilitudine ſic explicat: *Etenim qui cantant ſive in meſſe, ſive in vinea, ſive in aliquo opere ferventi, cùm cœperint in verbis Canticorum exultare lætitia, veluti impleti tanta lætitia, ut eam verbis explicare non poſſint, avertunt ſe à ſyllabis verborum, & eunt in ſonum jubilationis.* Quàm verò ſacram pſalmodiam non dedeceat modus ille canendi, docet idem S. Doctor, ſubdens ſtatim; *Et quem decet iſta jubilatio niſi ineffabilem Deum? ineffabilis enim eſt, quem fari non potes: & ſi eum fari non potes, & tacere non potes, quid reſtat niſi ut jubiles? ut gaudeat cor ſine verbis, & immenſa latitudo gaudiorum metas non habeat ſyllabarum.* *Auguſtinus.*

Ab hac eadem mente non procul abeunt Alcuinus *libr. de divinis Officiis*, ubi de veſtimentorum ſignificatione, & Amalarius *libr. 3. cap. 16.* ambo Sequentiam ipſam iiſdem verbis deſcribentes: *Hæc jubilatio, ſtatum illum ad mentem noſtram ducit, quando non erit neceſſaria locutio verborum, ſed ſola cogitatione mens menti monſtrabit quod retinet in ſe.* *Alcuinus. Amalarius. Sequentiæ definitio.*

Et hæc quidem ſcitu non indigna præmittere placuit, quò receptiſſimum Eccleſiæ ritum adverſus nonnullos obtrectatores ſic adſtruam, ut ipſius ſimul Sequentiæ, quam hic potiſſimùm inveſtigare labor eſt, indoles ab ipſamet ejus origine detegatur. Cùm enim ex dictis Sequentia jubilatio ſit, jubilatio autem neglectis ſyllabis, ſolis vocibus effuſi gaudii teſtibus compleatur; non ideò ſanè Sequentia jubilatio dicta eſt, quòd careat ſyllabis, cùm ipſa tota verbis utique pronunciandis conſtet; ſed potiùs quòd jubilationis, quæ & eadem neuma eſt, loco ſubſtituta ſit, ut videlicet gaudium, quod jubilatione ſeu neumate ipſo tamquam ineffabile proditur, verbis Sequentiæ cantui eidem aptatis, utcumque explicatum habeatur. *Sequentia jubilatio dicta.*

Aſſertionis verò hujus meæ fidem facit, quod

Radulphus.

ait Radulphus propoſ. 23. *Abbatem Nokerum Sequentias aliquas pro Neumis de Alleluja*, id eſt neumatum loco reponendas, *compoſuiſſe, quas Nicolaus Papa ad Miſſam cantari conceſſit*. Unde & ſubdit paulò pòſt: *Jubili autem ſeu Neumata Gradualium, & Alleluja reſecandi non ſunt, niſi cùm illorum loco Sequentia decantantur*. Idemque habet uſus hodiernus, non enim protrahitur Neuma in repetitione *Alleluja*, diebus quibus cantatur Sequentia.

Nicolaus Papa.

Sequentia loco jubili repoſita.

Ex his porrò videas, quamvis barbaro fortè vocabulo, non inepto tamen, dictam eſſe Sequentiam, ſive *quod per amœnitatem cantus ad Sequentes* (nempe vitæ æternæ gaudia) *præparet*, inquit Hugo *libr. 2. capit. 19.* ſive juxta Sculthingium, quòd ſequatur *Alleluja*, in Miſſis feſtivis, ſeu potiùs Neuma in Alleluja protrahendum ipſa compleat. Proſam noſtrates communiter vocant, quòd metri lege careat, juxta illud,

Sequentia unde dicta. Hugo. Sculting. Sequentia dicta item Proſa.

Legibus arctatur metrum, ſed Proſa vagatur.

quamquam non omni prorſus lege Proſæ ejuſmodi, ſeu Sequentiæ ſolutæ ſint; certo enim ſyllabarum numero conſtringuntur, quarum poſtremæ in ſingulis verſibus ſeu periodis coſonantiam inter ſeſe atque cum aliis, conſimilemque exitum, qui & rhythmus dicitur, exigunt. Rhythmus verò ille non unius generis eſt, ſed multiformis, cujus artem tradit Clitovæus *lib. 3. ſui Elucidatorii*, quem totum explanandis ejuſmodi Proſis impendit; cùmque multas ab diverſis authoribus conſcriptas habeat, excellunt præ aliis, cum rhythmorum lepore ac ſuavitate, tum imbuto etiam melleæ pietatis ſenſu, quæ Adami ſunt de S. Victore, ut ex his liquet,

Clitovæus.

Profitentes unitatem,
Veneremur Trinitatem,
Pari reverentia &c. de SS. Trinitate.
Prunis datum admiremur,
Laureatum veneremur,
Laudibus Laurentium &c. de S. Laurentio, aliiſque ſimilibus.

Nulli verò ne iſtarum quidem cedit quæ S. Thomæ eſt de Sanctiſſimo Sacramento, *Lauda Sion Salvatorem &c.*

Quatuor tantum Sequentiæ habentur uſu Romano.

Ut verò tandem propoſitam quæſtionem ſolvamus, cùm in antiquis uſibus maximè Gallicanis frequentiſſimæ eſſent ejuſmodi Proſæ ſeu Sequentiæ, adeò ut nullum feſtum iis eſſet vacuum, uſus jam Romanus Pii V. juſſu editus ac Clementis VIII. authoritate recognitus quatuor dumtaxat admittit, Feſtorum videlicet Paſchæ, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, & quæ eſt pro Defunctis *Dies iræ, dies illa &c.* cæteras omnes reſpuit. Ea quo ſic pronuncio, quoad eos primùm qui Romano Miſſali utuntur nefas eſſe ullas ejuſmodi Sequentias adhibere, vetante id inprimis Bulla Pii V. ne quid unquam Miſſali à ſe edito addatur, detrahatur, immutetur.

Nec obſtat quòd ad calcem aliquorum Miſſalium appoſitæ reperiantur ejuſmodi Proſæ, extra enim corpus Miſſalis ſunt, nec ulla Pontificis authoritate firmatæ, ut in uſum admitti queant.

Uſus Sequentiarum jam penè ubique obſolevit.

Idem propè cenſeo quoad alios, qui proprii Miſſalis, perinde ac Breviarii jus apud ſe retinent. Cùm enim Sequentiarum illarum plurimæ inſulſæ ſint, parùmque religioſæ, ſatius longè videtur eas omnes abjicere; prout abjecere de facto inſigniores Eccleſiæ Turonenſis, Rothomagenſis, Pariſienſis & aliæ, paucis admodum retentis, nonniſi tamen probatiſſimis. Sic Eccleſia Andegavenſis retinuit in die Nativitatis ad tertiam Miſſam Sequentiam illam piam admodum ac devotam, utique à S. Bernardo exaratam, *Lætabundus exultet fidelis Chorus &c.* Itidem ſi quæ alicubi ſint propriæ Patronorum præcipuorum ab omni ævo cantari ſolitæ, certiſque adſtrictæ Chori cæremoniis religioſis ac laudabilibus, haud reclamarem admodum, ſi retineantur, etiam iis in iis

Andegavenſis.

Sequentia in die Nat. Domini.

Sequentiæ in feſtis Patronorum alicubi uſitatæ.

Eccleſiis, quæ dimiſſo uſu proprio ad Romanum tranſierunt, tum ratione conſuetudinis legitimè præſcriptæ, (cujus hac in parte vim eſſe maximam docuimus aliàs); tum quòd additionis par non ſit ratio atque detractionis, illa enim utcunque tolerari poteſt, uti de Reſponſorio ad Veſperas diximus ſuprà *cap.* 21. *quæſt.* 1. maximè cùm ſit partis approbatæ. Approbatas autem ſuppono eſſe ejuſmodi Sequentias; ſive uſu ipſo, ſi veteres ſint, nullaque labe infectæ; ſive Majorum ad quos ſpectat authoritate, ſi de novo recognitæ, ac emendatæ, aut recenter cuſæ fuerint, quales habentur in propriis Coriſopitenſi de S. Corentino, in Trecorenſi de S. Ivone, & in Miſſali Monaſtico recens edito, de SS. Benedicto, Mauro, & Scholaſtica.

Uſus Coriſ. Trecorenſis. Monaſticus.

QUÆSTIO VII.

Quæ cavenda in Offertoriis?

OFfertoria e Pſalmis deprompta numerantur in toto Miſſali 83. cætera numero 29. aliunde, ſex dumtaxat ex textu non Canonico. Sanctorum denique propria cùm plura non ſint quàm quatuor, quid mirum ſi in feſtis propriis rariora adhuc eſſe contingat? Formam gerunt in Miſſis de Tempore pleraque deprecativam, in Miſſis verò Sanctorum ſimplici ſæpiùs narratione efferuntur. Textum non reſpuunt paulò longiorem, ut patet in iſtis, *Precatus eſt Moyſes. Vir erat in terra Hus. Elegerant Apoſtoli Stephanum &c.*

Offertoria propria rariora.

QUÆSTIO VIII.

Quæ demum in Communionibus?

ANtiphonam ad Communionem ſeu de Communione appellant Ordo Romanus, Micrologus & alii, eique olim perinde atque Introitui Pſalmus erat adjunctus. Nunc ſola ſupereſt Antiphona perbrevis, non ſemper e a Pſalmis deprompta, ſed plerumque aliunde, maximè ex textu ipſo Evangelii, cujuſmodi numerantur in toto Miſſali 63. quinque dumtaxat ex textu non Canonico. Sanctorum propriæ habentur plures ſive ex Evangelio, ut de S. Petro, *Tu es Petrus*. de S. Joanne Evang. *Exiit ſermo*. de S. Philippo, tempore Paſchali, *Tanto Tempore*. de S. Joſepho, *Joſeph fili David &c.* ſive ex inſigni dicto aliquo vel ſcripto, ut de S. Ignatio, *Frumentum Chriſti ſum*, & de S. Agatha, *Qui me dignatus eſt &c.* Si quid ſimile interdum occurrat de Sanctis propriis, poterit illud non incongruè pro Communione uſurpari.

Ordo Romanus. Micrologus.

Communiones aliquæ propriæ de Sanctis.

CAPUT XXVI.

DE ORATIONIBUS, SECRETIS ET Poſtcommunionibus propriis.

TRium horum par eſt ratio mutuaque conſequentia. Quia verò de Oratione, quæ ſemper eadem eſt in Miſſa ac in Officio, pluribus jam actum eſt ſuperiùs, ideò nullus hìc de ea nobis ſermo erit; imò quæ Secretis & Poſtcommunionibus cum ipſa communia ſunt plurima, peræquè hìc dicta ſupponuntur.

QUÆSTIO I.

Quæ dicantur Secreta & Poſtcommuniones propriæ?

REſpondeo, Quæcunque de Communi non ſunt deſumptæ, licèt fortè earum aliquæ in non-

Digitized by Google

nonnullis aliis Miſſis propriis ſive Sanctorum, ſive etiam de Tempore reperiantur; quod cùm in Collecta, ſeu Oratione accidere nonnunquam obſervatum fuerit ſuprà, ipſum adhuc frequentiùs contingit in Secretis & Poſtcommunionibus, ut patet in Secreta *Debitum tibi Domine*, & Poſtcommunione *Adeſto nobis miſericors Deus*, quæ eædem ſunt in Miſſa S. Thomæ Apoſtoli & Miſſa S. Joſeph. Item in Secreta *Donis cœleſtibus*, eadem S. Lucæ & S. Hieronymi. In Poſtcommunione *Corporis ſacri*, eadem S. Petri ad vincula, S. Clementis & SS. Proceſſi & Martiniani; & in multis aliis.

Secretæ & Poſtcommuniones aliquot propriæ, pluribus communes.

Sunt autem maximè propriæ perinde atque Orationes quæ nulli alteri poſſunt æquè aptari, quales paucæ ſunt admodum, putà S. Magdalenæ, S. Petri Martyris, S. Ludovici Confeſſ. ac noviſſimè S. Catharinæ Senenſis, cui quadrat maximè quod in Poſtcommunione habetur de menſa cæleſti, *quæ ejus vitam etiam aluit temporalem*. Diſpar non eſt S. Ivonis in Proprio Trecorenſi, *Sacramenta quæ ſumpſimus, Domine, intercedente B. Ivone Confeſſ. tuo, in illius nos faciant tranſire conſortium, qui ſe à nobis ſuis in parvulis paſci voluit & potari. Qui tecum vivit &c.*

Maximè propriæ quæ nullis aliis aptantur.

Uſus Trecorenſis.

QUÆSTIO II.

Præſtetne haberi in feſtis propriis Secretas & Poſtcommuniones proprias, & earum defectu unde ſumenda?

PErinde omnino præſtat atque Orationes. Et verò in Sacramentario S. Gregorii, (quo ex libro erutæ ſunt Orationes ferè omnes, quæ in Miſſa recitantur) cuilibet Collectæ ſua ſemper ſubnectitur Secreta, ſua item Poſtcommunio. Hoc tamen ſervatum non eſt in Sanctis recenter additis, videlicet S. Caſimiro, S. Hermenigildo, S. Bibiana, & aliis quibus ſola Oratio propria data fuit, non item Secreta & Poſtcommunio, quæ de Communi ſumuntur. Idemque præſtandum aliàs, quandocunque deſunt propriæ; & quidem ex prima Miſſa, ut fit in præfatis, niſi cùm ad vitandam mutandi neceſſitatem, aliave de cauſa, commodiores videbuntur quæ in altera Miſſa poſitæ ſunt. An verò ex aliis quoque Miſſis Sanctorum, ſaltem ejuſdem ordinis ſeu qualitatis, cum delectu mutuari poſſint, prout ſuprà de Introitu & aliis diximus: haud quidem author ſum ut id de novo tentetur, eò vel quia labor iſte futurus ſit admodum inutilis, cùm vix ullæ aliæ præſtent Communibus. Legitimum tamen fuerit, ubi id jam uſus habet Eccleſiarum proprius; ſic in Miſſali Andegavenſi poſitæ habentur pro S. Gatiano & S. Juliano Pontificibus, Secreta & Poſtcommunio, quæ in Romano propriæ ſunt S. Ambroſii. Itidem in Turonenſi & aliis pro S. Martino aliæ quàm quæ in eodem Romano, in quibus videlicet Sancti ipſius nomen ſingulatim exprimatur.

Sacramentarium S. Gregorii.

Collectæ ſeu Orationi propriæ non ſemper ſubnectitur Secreta, nec Poſtcommunio propria.

Secreta & Poſtcommunio, ſi non adſunt propriæ, ex prima Miſſa de Communi regulariter ſumenda.

Uſus Andegav.

Turonenſ.

QUÆSTIO III.

Quæ Secreta & Poſtcommuniones probandæ, quæ removendæ, quæ mutandæ?

PRobandæ ex antiquis authenticæ; removendæ, quæ fide, ſtyli impuritate, aut nimia prolixitate laborant, uti de Orationibus dictum eſt. Novæ verò ſi cudantur, eam præſtat adhiberi artem quam copioſè deſcripſimus *cap. 2. libri hujus quæſt. 4.* ſive quoad ſtylum, ſive quoad partes, quæ eædem ſunt atque Orationis, niſi quòd gratiarum actio ac poſtulatio verſantur maximè circa Sacrificium ipſum, quod *hoſtiæ*, *muneris*, *ſacramenti*, *myſterii*, *oblationis*, ſimilibuſque nominibus, ſive

Secretæ & Poſtcommuniones ut novæ cudendæ.

Variæ Sacrificii appellationes.

Gryet. Heortologia.

in ſingulari, ſive in plurali compellatur eo fine, *ut proficiat ad ſalutem, ut vitia curet, vincula pravitatis abſolvat, miſericordiæ divinæ dona conciliet, corpora menteſque ſanctificet, juſta deſideria compleat, ad gaudia æterna perducat &c.* quæ tam multis variiſque modis in ducentis & ampliùs Secretis totidemque Poſtcommunionibus, quas Miſſale habet, non minùs eleganter quàm piè enunciata, argumento ſunt, lingua nullam Eccleſiaſtica fœcundiorem eſſe, nec facundiorem.

Poſtulationes ad Sacrificium pertinentes.

Cætera quæ ad rationem ſpectant, exprimendi Sanctorum nomina & qualitates, cautèque uſurpandi voces, *Natalitia*, *ſolemnia*, *annua ſolemnitas &c.* Item diſtrahendi, quæ pluribus communia eſſe contingit, aut variandi quæ eadem; nihil differunt ab iis quæ de Oratione ſuperiùs enarrata ſunt.

Tantùm id obſerva, mutandam quandoque Secretam, aut Poſtcommunionem, aut etiam utramque non variata Oratione. Id verò ex eo accidit, quòd Secretæ aliquæ & Poſtcommuniones pluribus ac diverſis Orationibus addictæ ſint, ut Secreta *Oblatis quæſumus Domine placare muneribus*, pro S. Valentino poſita, eadem eſt in Miſſa feriæ 3. poſt Dominicam 1. Quadrag. & Poſtcommunio, *Hæc nos Communio purget à crimine*, poſita in Miſſis de Communi unius & plurimorum Martyrum, eadem quæ in Miſſa feriæ 2. poſt Domin. 2. Quadrageſ. Unde in concurſu Commemorationis, neceſſe eſt mutationem impendere, ne bis eadem Secreta vel Poſtcommunio repetatur. Et Sancti quidem Secreta, vel Poſtcommunio in aliam de Communi mutanda eſt; Miſſæ verò de Tempore in Secretam, vel Poſtcommunionem Miſſæ vicinioris antecedentis, vel conſequentis, ut indicabitur aliàs.

Secreta & Poſtcommuniones interdum mutantur non mutata Oratione.

QUÆSTIO IV.

Poteſtne haberi Præfatio propria in feſtis propriis?

PRæfationem Secretis adjungimus, cùm ex Innocentio III. *libr. 2. cap. 61.* harum finis initium ſit illius. In Sacramentario quoque Gregoriano cuilibet Miſſæ unà cum Orationibus Præfatio ſemper propria apponitur; qui & uſus eſt Officii Ambroſiani, authore ipſo S. Ambroſio, qui teſte Radulpho *propoſ.* 23. Præfationum librum ordinavit. At Romanus uſus decem duntaxat Præfationes admittit, quarum novem enumerat, & approbat Pelagius Papa cap. *Invenimus*, *De conſecratione diſt.* 1. videlicet, *Quia per incarnati*, de Nativitate Domini: *Quia cum unigenitus tuus*, de Epiphania: Quadrageſimalem, *Qui corporali jejunio*: *Qui ſalutem humani generis*, de Cruce ſeu de Paſſione Domini; Paſchalem, *Te quidem Domine omni tempore*; *Qui poſt reſurrectionem ſuam*, de Aſcenſione; *Qui aſcendens ſuper omnes cœlos*, de Pentecoſte; *Qui cum unigenito filio tuo*, de Trinitate; & de Apoſtolis, *Te Domine ſuppliciter exorare*. Decimam verò, *Et te in veneratione*, de Beata Virgine, addidit Urbanus II. in Concilio Placentino. Præter has nullæ aliæ ſunt Canonicæ, quin delendas omnes ſuadet Hoſtienſis in capit. *Conſilium*, *De celebratione Miſſarum*.

Innocentius III. Sacram. Gregor.

Radulphus.

In Romano uſu decem tantùm habentur Præfationes.

Hoſtienſis.

Itaque ſi feſta propria fuerint de Chriſto Domino, opportunè ſumenda videtur prima illa Præfatio, *Quia per incarnati*, utpote totius Incarnationis myſterium ſuo ſenſu complectens, adeoque univerſali Eccleſiæ uſu in Feſto Corporis Chriſti, item in Feſto Transfigurationis adhibita. In feſtis tamen Quinque Plagarum, Coronæ Spineæ, aliiſque ad Paſſionis myſterium propiùs accedentibus, opportunior erit Præfatio de Cruce, *Qui ſalutem &c.* Aſſignant nonnulli pro Feſto Nominis Jeſu Præfationem quæ habetur in

In Feſtis propriis de Chriſto Domino Præf. *Quia per incarnati*, vel ſi feſta illa pertineant ad Paſſionē, *Qui ſalutem humani &c.*

Præfatio de Nomine Jeſu.

Benedictione Palmarum, *Qui gloriaris in conſilio Sanctorum tuorum &c.* Rectè id quidem, ſi authoritate legitima inductum ſit; ſin minùs æquè appoſita videtur quam diximus, *Quia per incarnati*, maximè cùm iſta alia in cantu ſolùm ſeriali, non verò ſolemni ſeu feſtivo, notata habeatur.

Præfatio de Apoſtolis tributa etiā S. Magdalenæ & aliis.

In Feſtis B. Mariæ, quocunque illa Titulo nuncupentur, adhibenda ſemper Præfatio, *Et te in feſtivitate Beatæ Mariæ &c.* ſicut & in quibuſcunque Feſtis Apoſtolorum, quæ ipſorum propria eſt, *Te Domine ſuppliciter exorare:* quam & in veteribus quibuſdam Miſſalibus aſſignatam legi pro Feſto S. Mariæ Magdalenæ, (de Moguntino expreſsè aſſerit Sebultingius tom. 2.) ſicut & in Cenomanenſi pro Feſto S. Juliani; itidemque S. Silæ, S. Martialis, & aliis quibus tribuitur Officium Apoſtolorum, iis videlicet in locis & Eccleſiis, in quibus talis uſus legitimè receptus eſt, non autem in aliis.

Nulla Præfatio propria inducenda abſque authoritate ſummi Pont.

Pro quibuſcunque verò aliis Sanctis, nulla alia Præfatio imponitur quàm communis, aut propria Temporis ſeu Octavæ currentis, ut infrà dicetur. Si qua verò habetur (ut habent de S. Franciſco Minores) omnino approbatam eſſe oportet authoritate ſummi Pontificis, ſine qua non poteſt ulla alia ullibi induci, cùm ſit contra rationem juris communis.

CAPUT XXVII.

DE EPISTOLA ET EVANGELIO propriis.

Rupertus.

SAnctum Evangelium principale eſt omnium, quæ in Miſſa leguntur, inquit Rupertus *lib. 1. cap.* 37. Sicut enim caput præeminet corpori, & illi cætera membra ſubſerviunt, ita Evangelium toti Officio; cui proinde reliqua omnia, quæ leguntur vel canuntur, concordare debent; Epiſtola inprimis, ſive fuerit verè Epiſtola, ex Epiſtola videlicet aliqua ſacra deprompta, ſive Lectio Prophetiæ aut cujuſvis alterius libri Canonici, ſic dicta quaſi Supermiſſa, inquit idem Rupertus, & Honorius *lib. 1. Gemmæ cap. 96*, quia ſicut Prophetiæ ſuper legem, ita Epiſtolæ miſſæ ſunt ſuper Evangelium. Præcedit tamen ipſum Evangelium in ordine Miſſæ, perinde ac Joannes Chriſtum, ſeu inſtar Pædagogi ad Magiſtri doctrinam faciliùs capiendam præparantis, ex iiſdem Ruperto, Honorio & aliis. Cætera de utriuſque Myſteriis omittimus dicere, ut quod noſtri inſtituti eſt, proſequamur, utrumque ſimul jungentes, quòd utriuſque quoad noſtram inveſtigandi rationem una ſit ferè eademque ratio.

Epiſtola unde ſic dicta?

Honorius.

Epiſtola præcedit Evangelium.

QUÆSTIO I.

Quæ dicantur Epiſtola & Evangelia propria?

Epiſtolæ & Evangelia dicuntur propria, quæ uni feſto ſunt addicta.

QUam frequentiſſimè in præcedentibus Propriorum definitionem attulimus, ut videlicet talia dicantur, quæcunque de Communi deſumpta non ſunt, ea hìc paulò ſtrictiùs accipienda eſt. Non enim quæcunque Epiſtolæ aut Evangelia in Feſtis Sanctorum de Communi deſumpta non ſunt, ea ſtatim propria dixeris, cùm nonnulla interdum aliunde deſumi contingat, nempe vel ex diverſo Communi, vel ex aliis Miſſis Sanctorum propriis, prout demonſtratum fuit *cap.* 23. *quæſt.* 4. & 5. adeoque ſint ipſa pluribus communia; ſed propria hìc appellamus, quæ uni feſto ſic addicta ſunt, ut nulli alteri attributa inveniantur; aut ſi fortè alicui, nonniſi in ſenſu qui communis multis eſſe non poſſit. Qua ratione Miſſas proprias in genere definivimus ſuprà *cap.* 24. *quæſt.* 1.

Triplex ſenſus in quo Epiſtola & Evangelium poſſunt eſſe propria.

Epiſtolarum verò & Evangeliorum ejuſmodi propriorum ratio triplex eſt juxta triplicem ſenſum, in quo varios Scripturæ textus uſurpari poſſe docuimus ſuprà ubi de Lectionibus *capit.* 3. *quæſt.* 2. Literalem videlicet, ſeu hiſtoricum, Myſticum ſeu accommodationis, & Encomiaſticum.

Propria in ſenſu literali.

In primo ſenſu Literali ſeu hiſtorico, præter Epiſtolas & Evangelia Myſteriorum Chriſti Domini & B. Mariæ, quæ vel in libris Prophetarum, vel Actibus Apoſtolorum, aliiſve libris Canonicis, maximè in ipſo Evangelio deſcribuntur, propriæ item ſunt Epiſtolæ S. Mathiæ, S. Stephani, Converſionis S. Pauli, S. Dionyſii &c. Evangelia itidem SS. Innocentium, Nativitatis & Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, S. Petri, S. Andreæ, S. Joannis, S. Matthæi, S. Thomæ, S. Philippi, S. Mariæ Magdalenæ, S. Marthæ &c. In quibus videlicet Sanctorum ipſorum electio, vocatio, munus, martyrium, converſio, aut præclarum aliquod facinus enarratur, Item in quibus honorifica Sanctorum mentio habetur, ſive expreſsè & nominatim, ut Epiſtolæ de S. Luca, de S. Clemente &c. ſive figuratè & ſymbolicè, ut Epiſtolæ de SS. Innocentibus, & de Vigilia ac Feſto omnium Sanctorum.

Uſus Carmelit.
Arelatenſ.
Nannetenſ.

Et ad hunc ſenſum pertinent Epiſtolæ & Evangelia SS. Eliæ, & Eliſæi in proprio Carmelitano, Evangelia S. Mariæ Jacobi, & S. Mariæ Salomes in Arelatenſi, S. Lazari in Propriis Nannetenſi & aliis, & ſicubi fiunt Feſta SS. Moyſis, Jobi, Iſaiæ, Jeremiæ, aliorumve Patriarcharum & Prophetarum, Item SS. Zachariæ, Eliſabeth, Simeonis, Centurionis, Latronis, Joſephi ab Arimathia, aliorumque Sanctorum Evangelicorum & Apoſtolicorum, dubium non eſt, ex dictis à pari de Lectionibus Matutini, quin iis tribui poſſint, tum Epiſtolæ, tum Evangelia, ex iis Scripturæ ſeu novi ſeu veteris Teſtamenti textibus deprompta, in quibus vel eorum geſta memorantur, vel nomen ipſorum cum laudis titulo pronunciatur.

Propria in ſenſu myſtico.

In ſecundo ſenſu Myſtico illo ſeu accommodationis propria ſunt Feſtorum Nativitatis, Viſitationis & Aſſumptionis B. Mariæ, quæ in iis pro Epiſtola de libris Sapientalibus leguntur; ſicut & Feſti Aſſumptionis Evangelium, *Intravit Jeſus in quoddam caſtellum*; itidem S. Joannis Baptiſt. quæ pro Epiſtola de Jeremia & Iſaia, & S. Mariæ Magdalenæ, quæ de Canticis Canticorum. Ad quem ſenſum refertur quoque ex mente Honorii *libr.* 4. *Gemmæ cap.* 107. Evangelium S. Stephani, in quo de Abele fit mentio, quia nimirum ſicut Abel veteris Teſtamenti, ſic & novi Stephanus Protomartyr extitit. Referas item Evangelium, *Ibat Jeſus in civitatem, quæ vocatur Naim*, tributum S. Monicæ per Analogiam, quam ipſemet Auguſtinus ejus filius explicat hiſce verbis *libr.* 6. *Confeſſ. cap.* 1. *Me tamquam mortuum, ſed reſuſcitandum tibi flebat, & feretro cogitationis efferebat, ut diceres filio viduæ, Juvenis tibi dico ſurge, & redderes illum matri ſuæ.* Pauca verò vel nulla admodum in uſibus propriis hoc ſenſu reperi uſurpata.

Honorius.

S. Stephanus Abel novi Teſtamenti.

S. Auguſtinus.

Propria in ſenſu encomiaſtico.

Plura in tertio ſenſu Encomiaſtico ſeu Commendationis, quo videlicet Sancti, de quo fit, ſpecialis aliqua virtus, ſeu egregium aliquod facinus, verbis ipſis Scripturæ expreſſum laudatur & extollitur. Sic S. Laurentii liberalitas commendatur Epiſtola illa, *Qui parcè ſeminat &c.* S. Ignatii Mart. animi fortitudo iſta, *Quis nos ſeparabit &c.* S. Athanaſii in ferendis Arianorum perſecutionibus conſtantia mirabilis, tum Epiſtola, *Non noſmetipſos prædicamus &c.* tum Evangelio, *Cum perſequentur vos in una civitate &c.* S. Gregorii Thaumaturgi fides in transferendo monte, Evangelio illo, quod ad literam ipſius eſſe proprium propè dixeris, *Habete fidem Dei &c.* Itidem de Epiſtolis propriis, S. Silverii, S. Paulini, SS. Joannis & Pauli, S. Alexii, de Evangelio SS.

ſeptem

Digitized by Google

ſeptem Fratrum Martyr. de Epiſtola & Evangelio SS. Cyriaci &c.

Authoris ratio interdum habetur.

Authoris quoque nonnunquam habetur ratio, nam Epiſtolæ S. Timothei & S. Polycarpi, alioquin de valdè appoſitæ, ex Pauli, & Joannis Apoſtolorum utriuſque Magiſtrorum Epiſtolis excerptæ ſunt; & Evangelium SS. Nerei & Achillei, tributum ipſis videtur, propter homiliam S. Gregorii, in qua inſigni eos encomio proſequitur.

Alluditur etiam quandoque ad Tempus currens.

Aliàs etiam alluditur ad tempus ſeu currentem ſolemnitatem, ut in Evangelio S. Stephani ad myſterium Nativitatis verbis illis, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, & in Epiſtola S. Thomæ Cantuar. ad idem myſterium verbis illis alius, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Uſus Arelatenſ.

Pari ratione S. Hilario ſuo Epiſcopo tribuit Ecclesia Arelatenſis Evangelium illud Lucæ 17. *Interrogatus Jeſus à Phariſæis, Quando venit regnum Dei &c.* S. Firmino Confeſſori ſuo æquè Epiſcopo Ambianenſis illud Matth. 9. *Circuibat Jeſus omnes civitates & caſtella.* S. Ivoni Trecorenſis Epiſtolam ex 1. Timoth. 6. *Divitibus hujus ſæculi præcipe.* Evangelium verò ex Matth. 25. *Cum venerit filius hominis in majeſtate ſua &c.* quod quàm opportunè cadat, nemo non advertet, qui inſignem Sancti hujus miſericordiam perſpectam habuerit.

Ambian.

Trecorenſi.

Proprium in ſenſu encomiaſtico poteſt pluribus convenire.

Quia verò contingere poteſt ut duo pluresve aliquando Sancti, uno virtutis genere, aut ſimili aliquo egregio facinore excelluerint, idcirco fieri quoque poteſt, ut una eademque iis Epiſtola, vel unum idemque Evangelium ſit proprium. Sic Evangelium S. Athanaſii, *Cum perſequentur vos*, proprium item eſt S. Fulgentii apud Auguſtinienſes, & S. Geneſii in uſu Arelatenſi; proprium, inquam, non autem commune, quia ut initio dixi, multis in eo ſenſu commune non eſt, ſed paucis dumtaxat, idque ex peculiari ac propria admodum ratione.

QUÆSTIO II.

Unde & qua ratione Epiſtola & Evangelia ejuſmodi propria ſint deſumenda?

Libri Sacri ex quibus depromuntur Epiſtolæ & Evangelia.

CUm ſint quatuor dumtaxat Evangeliorum libri Canonici, certum eſt non poſſe Evangelium ullum proprium aliunde quàm ex aliquo illorum deſumi. Epiſtolis verò ex utroque Teſtamento, latior patet campus, unde eruantur; videlicet ex novo, Epiſtolæ Pauli aliæque Canonicæ, Actus Apoſtolorum, & Apocalypſis. Ex veteri libri omnes Hiſtoriales & Prophetales, qui hiſtoriam Sancti aut commendationem aliquam contineant, puta SS. Eliæ, Eliſæi, Jobi, Iſaiæ, Jeremiæ &c. Legales verò vix, niſi pro SS. Abrahamo, Moyſe & paucis aliis; Sapientiales crebriùs, maximèque Eccleſiaſticus.

Modus depromendi.

Modus porrò eruendi, idem ferè eſt qui ſuprà Lectionum, videlicet primò, ut textus qui aſſumitur, vel totus, vel majori ſaltem ex parte quadret. Secundò, ut ſit ſufficiens ad juſtam Epiſtolæ, aut Evangelii menſuram, nec brevem, nec prolixam nimis. Tertiò, ut continenter ſumatur, nulla facta verborum aut periodorum immutatione. Poteſt tamen ſi opus eſt, finis capitis præcedentis cum ſequenti connecti, ut fit in Epiſtola de Communi Virginum, *Qui gloriatur*, & aliis.

Titulus Epiſtolæ ut præmittendus.

Denique præmittendus Titulus in hunc modum: Epiſtolæ quidem, ſi Pauli eſt, *Lectio Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli ad Rom. ad Cor. &c.* ſubjecta ſtatim voce, *Fratres*, vel, *Chariſſime* in Epiſtolis ad Titum & Timotheum, niſi ſit ipſummet initium Epiſtolæ, ut in Epiſtolis Vigiliæ & diei Nativitatis, *Paulus ſervus Jeſu Chriſti &c. Multifariè multiſque modis &c.* Item niſi Textus incipiat ab exclamatione, ut in Epiſtola Feſti SS. Trinitatis, *O altitudo &c.* Si verò eſt alterius Apoſtoli, Titulus erit *Lectio Epiſtolæ B. N. Apoſtoli, Chariſſime &c.* niſi itidem ſit ipſum Epiſtolæ initium, putà *Petrus Apoſtolus &c. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri &c.* Si ex libro alio quàm Epiſtolarum deſumpta eſt, dicendum, *Lectio Actuum Apoſtolorum, Lectio libri Apocalypſis B. Joannis Apoſtoli. Lectio libri Geneſis, Exodi, Regum, Tobiæ, Job, Machabæorum &c. Lectio Iſaiæ, Jeremiæ &c. Prophetæ.* Et in his quidem ſi narrativus ſermo ſit, inchoatur hacce formula, *In diebus illis.* Si verò ſit Dei loquentis, hacce alia, *Hæc dicit Dominus Deus:* neutra verò adhibetur, ſi eſt initium libri, ut in his, *Fratribus qui ſunt per Ægyptum &c. Primum quidem ſermonem feci &c.* aut fiat mentio temporis, v. g. *Cùm complerentur dies Pentecoſtes &c.* aut Textus incipiat per apoſtrophem, ſive ad Deum, *Domine Deus noſter, paſce populum tuum &c.* ſive ad urbes & populos, *Surge illuminare Jeruſalem &c. Audite inſulæ, & attendite populi de longe &c.* Demum in omnibus Epiſtolis Salomonis, hoc eſt ſumptis ex libris Proverbiorum, Eccleſiaſtes, Sapientiæ, Cantici Canticorum, & Eccleſiaſtici, dicitur pro Titulo ſemper *Lectio libri Sapientiæ*, ſtatimque à Textu ipſo incipitur, abſque alia formula.

Titulus Evangelii ut præmittendus.

Evangelii verò Titulus idem ſemper eſt, videlicet *Sequentia S. Evangelii ſecundum N.* niſi cùm eſt initium libri, dicendum enim tum *Initium Sancti Evangelii &c.* Sed id non occurrit in feſtis propriis. Vox autem *Sequentia* non ſingularis eſt numeri, ſed pluralis, ſignificatque ea quæ ſequuntur in Textu Evangeliſtæ. Textus inchoatur ſemper hacce formula *In illo tempore*, niſi priora ipſa verba ſint exordium Evangeliſtæ, putà *Liber generationis &c. Fuit in diebus Herodis &c. In principio erat Verbum &c.* aut ipſamet tempus ſonent ac demonſtrent, ut in iſtis Evangeliis, *Anno quintodecimo &c. Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi. Cum factus eſſet Jeſus annorum duodecim &c.* Subditur item, quando eſt continuatio Sermonis alicujus, *Dixit Jeſus diſcipulis ſuis*, vel, *Turbis*, vel *Phariſæis &c.*

QUÆSTIO III.

An approbari indigeant ejuſmodi Epiſtolæ & Evangelia?

DE Textu ipſo controverſia non eſt, nam cùm ex ſe ſacer ſit ac ritè Canonicus, ſuam haud dubiè tutam apud omnes illibatamque retinet approbationem, nulli ut cenſuræ poſſit eſſe obnoxius; at de applicatione ipſius, ſectioneque par non eſt ratio.

Applicatio textus Evangelici debet eſſe certa.

S. Martialis Lemovicenſ.

Eſt enim in applicatione quod reprehendas. Primò: Si fiat rei non adeò certæ, ut ſi S. Martiali tribuatur Evangelium de quinque panibus, aut Evangelium de Angelis, *Quis putas major eſt in regno cælorum &c.* eò quia fuiſſe creditur puer ille qui hordeaceos quinque panes Chriſto obtulit, quemque Chriſtus idem præſentem demonſtrans ait, *Quicunque humiliavit ſe ſicut parvulus iſte &c.* aut ſi S. Juliano Cenomanenſi Epiſcopo tribuatur Evangelium Simonis Leproſi, quòd is ipſe ab aliquibus fuiſſe exiſtimetur; aut S. Marcellæ, quam fuiſſe volunt ancillam S. Marthæ, Evangelium *Loquente Jeſu ad turbas &c.* quòd ea mulier fuiſſe credatur, quæ *extollens vocem de turba dixit, Beatus venter qui te portavit &c.* Nam cùm iſta ſint incerta admodum, proque apocryphis à pleriſque habeantur; haud ſatis eſſe videtur è dignitate Evangelii, ut verba ipſius iis adſtruendis interviant. Unde cautè admodum Eccleſia Bituricenſis Evangelium de Nathanaele *Joann.* 1. in poſtrema Officiorum recognitione expunxit; nam etſi Urſinum eumdem cum Nathanaele eſſe, multis contendat Robertus in ſua Gallia Chriſtiana, ubi de

S. Julianus Cenomanenſ.

S. Marcellæ.

Uſus Bituric.

S. Urſinus Archiepiſc. Bituric.

Archiepiſcopis Bituricenſibus, reſragatur nihilominus acriter Gavantus ipſummet Nathanaelem Bartholomæum Apoſtolum eſſe demonſtrans, edito de ea re Commentariolo, quem ad calcem ſui Rituum Sacrorum Theſauri addidit; idemque eſto judicium de aliis conſimilibus. Secus de SS. Zacharia & Eliſabeth, Simeone & Anna Propheriſſa, Joſeph ab Arimathia & aliis; ad quos controverſum non eſt pertinere, quæ de ipſis in Evangelio referuntur, adeoque ſi in eorum feſtivitatibus legantur, nemo hac ex parte ſcrupulum movere debet.

SS. Zacharias, Eliſabeth, Simeon, Anna &c.

Secundò, Non eſt à cenſura immunis applicatio, cùm ſit in ſenſu extraneo, aut ſola verborum alluſione ſuffulto. Sic in antiquis Pariſienſi, Cluniacenſi, aliiſque uſibus, Evangelium ſicut & reliquum B. Mariæ Magdalenæ Officium proprium tributum erat S. Mariæ Ægyptiacæ, ex alluſione videlicet ejuſdem utriuſque nominis, fortè etiam aliquali morum ſimilitudine. Eò etiam pertinet Evangelium, *Conſiderate lilia agri*, quod in aliquibus adhuc Galliæ Eccleſiis legitur in Feſto S. Ludovici Regis, perinde quaſi iis Evangelii verbis ad Lilia Franciæ inſignia alludatur. Sed eſto, habeant in illa alluſione, unde nobiliſſimum Chriſtianiſſimorum Regum ſtemma jactando, cæteris omnibus anteponant Galli noſtri Scriptores: faveat & illud quoque legi Salicæ quam vocant, quaſi innatum Symbolum, *Non laborant, neque nent*; Quid hæc porro faciunt ad commendandum Sanctitatis decus, quod unum ſpectat in Rege piiſſimo cultus feſtivus exhibitaque ipſi ab Eccleſia veneratio? Ut non mireris ſummotum ab Eccleſia Pariſienſi, ipſaque adeò Capella Regia, aliiſque deinceps Eccleſiis prædictum Evangelium, ejuſque loco ipſum quod in Romano legitur, utpote longè aptius fuiſſe ſubrogatum.

Sola verborum alluſio non facit applicationem legitimam.

Evang. Conſiderate lilia, pro S. Ludovico.

Uſus Pariſ. &c.

Quod ad ſectionem attinet, erit fortè qui improbet ſi alia de novo inducatur, quàm quæ hactenus univerſalis Eccleſiæ uſu recepta eſt. Nam cùm teſte Radulpho *propoſ.* 23. Epiſtolarum & Evangeliorum quæ per anni circulum in Eccleſia leguntur, collectio & ordinatio authorem habeat S. Hieronymum in libro qui Lectionarius vel Comes S. Hieronymi dicitur, approbatorem verò & inductorem Damaſum Pontificem; eſto ſeligantur ex illis omnibus Epiſtolis & Evangeliis ſic ſectis ac partitis, quæ opportuniora cuique feſto proprio videbuntur; at ſectiones alias inducere, ſeu ut Græci vocant in ſuo qui & Εὐαγγέλιον dicitur libro, itemque in eo quem Ἀπόστολον ſeu πραξαπόστολον inſcribunt, τμήματα, μέρη, περικοπάς, ἀναγνώσεις, haud magis fas videtur, quàm ſi quis Pſalmos ab eodem S. Hieronymo, ut diximus aliàs, ſtato ordine diſtinctos & ordinatos inverteret, aut aliter collocaret; ſed iſtud fas non eſt, ergo neque illud. Reſpondeo parem omnino non eſſe Epiſtolarum & Evangeliorum cum Pſalmis rationem, hi enim, licèt alii & alii variis in locis pro varietate feſtorum recitentur, nullibi tamen cum alia pericope quàm quæ in Pſalterio præſcribitur, adeò ut nec Pſalmi ipſi longiores qui biſariam per ferias in Breviario Monaſtico ſecti ſunt, non niſi completi atque integri, more cum aliis uſibus communi in Officio Sanctorum impendantur. At Epiſtolarum & Evangeliorum tmemata ſeu ſectiones non tantùm aliæ ſunt ritu Græcorum, aliæ Latinorum, ſed & apud Latinos omnes non ſemper ac prorſus eædem. Græci ſiquidem exceptis Myſteriorum ſolemnitatibus, quibus convenientem ex Evangelio Lectionem aſſignant, in reliquis anni diebus tmemata non ex uno Evangeliſta modò, modò ex alio, more Latinorum excerpunt, ſed unius Evangeliſtæ textum totum conſequenter per aliquot Dominicas evolvunt, deinde expleto illo, alterius, & ſic conſequenter, unde & dies Dominicas ab currente Evangeliſta ſic nuncupant, ἡ πρώτη κυριακὴ τοῦ Ματθαίου, ἡ δευτέρα τοῦ Ματθαίου &c.

Epiſtolarum & Evangeliorum ſectiones.

Radulphus.

Libri Eccleſiaſtici Græcorum.

Non eſt par ratio Pſalmorum cum Epiſtolis & Evangeliis.

Textum cujuſlibet Evangeliſtæ Græci conſequenter legunt.

Apud Latinos verò quàm varia olim eſſet in multis Evangeliorum peritome, conſtat ex antiquis propriis Diœceſeon Miſſalibus, quorum pleraque Evangelia alia in multis Dominicis habebant, quàm quæ nunc leguntur juxta uſum Romanum; Epiſtolas item & Evangelia feriis quartis, aut alio hebdomadæ die ab Epiſtola & Evangelio Dominicæ præcedentis diverſa aſſignabant, quorum uſus ubique jam obſolevit. Non ergo perinde eſt de Epiſtolis & Evangeliis, atque de Pſalmis, ut ſicut hi, nec poſſint etiam iſta legi, niſi prout in Miſſali ſecta habentur.

Plura olim per hebdomadam in quibuſdam uſibus Evangelia aſſignata erant.

Itaque ut jam propoſitæ quæſtioni fiat ſatis, quod de Lectionibus propriis Scripturæ pro Matutino dixi ſuprà *cap.* 3. *quæſt.* 2. hoc idem de Epiſtola & Evangelio itidem propriis æquali jure aſſero, nulla approbatione indigere, quæ uſu antiquo legitimèque præſcripto legi conſueverunt; quæ verò de novo induci contingit in ſenſu ab Eccleſia probato & recepto, maximè hiſtorico, haud ea quidem approbari debere qua talia ſunt, ſunt enim maximè Canonica; ſed ea ratione, quòd cùm divinorum Officiorum ordinatio jure communi ad Epiſcopos pertineat, nihil in iis quantumvis ex ſe legitimum niſi de eorum conſenſu & approbatione de novo legendum induci debet. Quam idcirco approbationem haud putaverim eſſe neceſſariam quoad Evangelium v. g. S. Simeonis Senis, S. Joſeph ab Arimathia, & ſimilia quæ jam aliquo alio die in Eccleſia leguntur.

Evangelia propria de novo inducenda debet approbari.

Sectionis porro ſeu Tmematis ratio nihil morari debet, ſive textus integer nullibi in toto Miſſali poſitus excerpatur, ut Evangelium S. Firmini Ambian. Epiſc. & Confeſſ. *Circuibat Jeſus omnes civitates & caſtella*; ſive pars ſit exciſa ex aliquo Evangelio, quod in Miſſali habetur, ut eſt illud S. Ivonis, *Cum venerit filius hominis in majeſtate ſua &c.* ex Evangelio fer. 2. poſt Dominicam 1. Quadrageſ. ſive denique textui qui alibi jam in Miſſali habetur, aliquid præmittatur aut addatur, more Evangeliorum S. Bartholomæi & S. Baſilii, quorum alteri de Communi unius Martyris ſumpto, addita ſunt pauca illa verba, *Bonum eſt ſal &c.* alteri verò deſinenti in verba Evangelii de Communi plurimorum Mart. *Deſcendens Jeſus de monte &c.* initium eſt ab antecedentibus de vocatione Apoſtolorum, *Exiit Jeſus in montem orare &c.*

Non eſt neceſſaria approbatio ob ſectionem novam.

QUÆSTIO IV.

An in Miſſis de Tempore, aut feſtorum non propriorum haberi poſſint aliæ Epiſtolæ & alia Evangelia quàm quæ in Miſſali poſita ſunt?

QUorſum id, niſi fortè ad conveniendum cum uſibus locorum, quorum pleraque olim aliam à Romano Epiſtolarum & Evangeliorum œconomiam habebant, putà in Dominica 1. Adventus, Evang. *Cùm appropinquaſſet Jeſus Bethphage*. In Domin. 2. Quadrag. Evangelium de muliere Chananæa. In Feſto Trinitatis Evang. *Erat homo ex Phariſæis &c.* Sed eſto, uſum illum ſequantur ii quorum proprius eſt, ſi quibus adhuc ſupereſt. At Romano addictis nemo conceſſerit fas eſſe ei ſe adjungere, tum quòd formæ ipſi penitus repugnare videatur, tum quòd multarum futurum ſit ſemen confuſionum, ſi toleretur. Idem eſto judicium de Prophetia veteris Teſtamenti olim præmitti ſolita Epiſtolæ Miſſarum Vigiliæ, & trium diei Nativitatis Domini; qui uſus licèt à priſcis Rituum Scriptoribus commendatus, hodie tamen jam apud omnes penè exolevit.

Non ſunt mutandæ Epiſtolæ nec Evangelia, eo fine ut concordent cum propriis uſibus locorum.

Lectiones de Prophetia olim præmitti ſolitæ Epiſtolæ in tribus Miſſis diei Nativit.

C Ar

CAPUT XXVIII.

De Hymno Angelico, Symbolo, & reliquis ad Miſſam in feſtis propriis ordinandain ſpectantibus.

Radulphus.

SUnt iſta quædam Miſſæ veluti decora & oroamenta, quæ ſolemnioribus diebus ad majorem apparatum reſervantur. Nam, ut ait Raaulphus agens de Hymnis *Te Deum* & *Gloria in excelſis*, *prop.* 13. *Sicut decor eſt illos in feſtivitatibus ſervare, ita decor eſt dimittere in diebus privatis. Quanto enim has glorificationes diebus privatis magis ſupprimimus, tanto illos jucundius in feſtivitatibus ſuſcipiemus.*

QUÆSTIO I.

An ſemper dicendum ſit Gloria in excelſis, *in quocunque feſto proprio?*

Gloria in excelſis, dicendum in omni feſto.

CLara eſt Rubrica Miſſalis 8. num. 3. *Gloria in excelſis dicitur, quandocunque in Matutino dictus eſt Hymnus Te Deum:* Atqui Hymnus *Te Deum* dicitur in quocunque feſto, uno excepto SS. Innocentium: ergo &c. Quid reſtare poteſt dubii? An quòd utrumque omittant certæ Eccleſiæ in feſtis occurrentibus tempore Septuageſimæ, itemque in omni feſto ſimplici? Et verò ſervent ſuum illæ Eeclesiæ uſum (oiſi Romanum & ipſæ indueere ſatius duxerint,) Romano tamen adſtrictis ſas oon eſt iſtud æmulari, cùm formæ penitus adverſetur.

Dubitabis item: An in feſto SS. Innocentium in eorum propria Eccleſia etiam extra Dominicam? An in Feſto Translationis ſeu ſuſeeptionis Reliquiarum unius vel plurium ex iiſdem SS. Innocentibus, ſi fiat alicubi? An in feſtis Quinque plagarum, B. Mariæ Pietatis, & ſimilibus affinitatem cum Paſſione Domini habentibus? An in certis Vigiliis, putà Nativitatis B. Mariæ, S. Martini, & ſimilibus quæ alicubi minimè cum luctu obſervantur?

Dicendum in Feſto SS. Innocentium in propria Eccleſia.

De primo affirmat Gavantus *Comment. Brev. ſect. 6. cap. 6. num. 7.* neque nos ei repugnamus; haud tamen placet ratio quam affert à ſimili de Symbolo, quod tribuitur S. Joanoi Bapt. & S. Laurentio cùm incidunt in Dominicam: meliorem dabimus ſuo loco.

Item in Translatione eorumdem.

De ſecundo idem aſſeruerim, oon eſſe celebrandas in luctu ejuſmodi Translatinnes, ſed cum gaudio ad inſtar diei Octavæ eorumdem Sanctorum: luctus enim eorum internecioni potiſſimùm videtur fuiſſe ab Eccleſia adſtrictus.

Item in feſtis ad Paſſionem pertinentibus.

De tertio, ſi uſum conſulas Eccleſiarum Turonenſis, Pariſienſis, Andegavenſis, Pictavienſis, & aliarum io quibus prædicta feſta celebrantur, à neutro duorum illorum Hymnorum, nec in Officio, oec in Miſſa abſtinebis, perinde atque ab iiſdem minimè abſtinetur in Feſtis S. Crucis.

Item in Vigiliis ſine luctu.

De quarto, par mihi videtur Vigiliarum iſtarum ratio cum Vigiliis Epiphaniæ & Aſcenſionis, adeòque nihil in iis repognat, ſi dicatur *Gloria in excelſis*, licèt in Officio diei noo fuerit dictum *Te Deum*, oon enim convenit Miſſa cum Officio: fallor, oi ita ſervetur ab Eeclesia Andegavenſi.

De Miſſis votivis, an & quando io iis dicendum ſit *Gloria in excelſis*, ſuo loco diſcutietur.

Rubrica Breviarii Monaſtici de Gloria in excelſis.

Peculiaris eſt hac in parte Monaſtici uſus ratio; nam cùm Hymnus *Te Deum*, ſemper dicatur in Officio 12. Lectionum, adeòque in ipſis Dominicis Adventus & Quadrag. nunquam verò extra illud, unde nec in feſtis ſimplicibus, nec infra Octavas dicitur, opus fuit condere aliam à Romano Miſſali Rubricam pro Hymno *Gloria in excelſis*. Eſt autem hujuſmodi, ut dicatur in Miſſa quandocunque ad Laudes dicti ſunt Pſalmi *Dominus regnavit*, præterquam in Feſto SS. Innocentium, in Vigilia Nativitatis Domini, & in feriis 2. & 3. Rogationum. Dicitur etiam in Dominicis per anoum, licèt ad Laudes dicti non ſint Pſalmi *Dominus regnavit &c.*

In Miſſis B. Mariæ nihil addendum ad Gloria in excelſis.

Fuit olim uſus ille ubique paſſim receptus, ut io Miſſis B. Mariæ ad Hymnum *Gloria in excelſis*, interjieerentur ejuſmodi verba, *Quoniam Tu ſolus Sanctus, Miariam ſanctificans, Tu ſolus Dominus, Mariam gubernans, Tu ſolus Altiſſimus Mariam coronans &c.* Sed jam uſus ille prorſus exolevit, haud revocandus, quippe quem ablegat clauſula illa in Ordine Miſſæ expreſsè poſita, *Sic dicitur* Gloria in excelſis *etiam in Miſſis B. Mariæ.*

QUÆSTIO II.

An quando dicitur Gloria in excelſis, *ſemper ſit dicendum* Ite Miſſa eſt?

SEmper & ubique, ſicut è contra, omiſſo *Gloria*, ſemper & ubique reticetur *Ite*, ejuſque loco reponitur *Benedicamus*, & in Miſſis Defunctorum *Requieſcant in pace*. Sola eſt hæc Rubrica in toto Miſſali quæ nullam patitur exceptionem.

QUÆSTIO III.

Quibus in feſtis propriis dicendum ſit Credo?

Berno.

CRedo, ſeu Symbolum ooo Nicænum, ut habet Clitovæus, ſed Conſtantinopolitanum, cùm Romæ olim poſt Evangelium minimè legeretur, author eſt Berno Abbas Augienſis, *cap.* 2. *libri de quibuſdam ad Miſſæ Officium pertinentibus*, à Benedicto Papa VIII. fuiſſe primùm inductum, ſuadente & urgente Henrico I. Imperatore. Quam equidem ſuſceptam conſuetudinem haud improbat Baronius *anno* 1014. licèt gratius ſibi futurum aſſerat, ſi venerandæ antiquitati delatum hac in parte fuiſſet, qua utique Romanæ Eccleſiæ intemerata fides, puraque ab omni labe integritas deſignabatur. Ut ut ſit, ea ratione inductum eſt prædictum Symbolum, ut non quotidie recitaretur, ſed certis tantùm diebus iiſque ſolemnioribus, ex quo ipſummet Symbolum factum eſt majoris ſolemnitatis indicium & argumentum.

Baronius.

Symbolum majoris eſt ſolemnitatis indicium.

Triplex cauſa recitandi Symboli in certis feſtis.

Cauſæ autem tres ſunt illius dicendi in certis feſtis præ aliis, Myſterium, Doctrina, & Celebritas. Ratione Myſterii dicitur in omnibus Feſtis Chriſti Domini & B. Mariæ, quippe quorum myſteria in eo explicitè vel implicitè continentur. Ratione doctrinæ fidei non tam ſuſceptæ ac propugnatæ, quàm verbo ſcriptove traditæ atque annunciatæ, dicitur in Feſtis Apoſtolorum & Doctorum. Denique ratione celebritatis dicitur io feſtis Patronorum & aliis propriis locorum ſeu Eccleſiarum, ad quas, inquit Gavantus, fit concurſus populi, quamquam, addit, non ex hoc concurſu præcisè petatur ratio recitandi Symboli. Et hæc quidem generatim dicta, quoad feſta propria attinet, jam ſunt ſpecialiùs definienda.

Gavantus.

Dicitur Symbolum in feſto Dedicationis propriæ Eccleſiæ, item & Cathedralis.

Dicitur itaque Symbolum ex Rubt. 11. Miſſalis, primò in Anniverſario Dedicationis propriæ Eccleſiæ, & per Octavas. Aonoo & alienæ, puta Cathedralis in tota Diœceſi? Tacet id Rubrica, ſuadet tamen exemplum Dedicationis Baſilicæ Salvatoris, & SS. Petri & Pauli, item uſus Minorum in Feſto Portiunculæ, harum enim & iſtius par omnino videtur eſſe ratio; & valet æquè pro omnibus cauſa quam affert Innocentius III. *lib.* 2. *de Myſteriis cap.* 51. quòd in Symbolo habeatur *Sanctam Eccleſiam*. Addit præterea Rubrica in die Conſecrationis Eccleſiæ vel Altaris, annon & per Octa-

Innoc. III.

Digitized by Google

Octavas ? non quidem Altaris, quia non fiunt; Eccleſiæ verò, utique à fortiori, cùm ipſamet Dedicatio anniverſaria non ſit niſi Conſecrationis primùm factæ recenſio.

Item in feſto Patroni, ſeu Tituli Eccleſiæ.

Secundò: In feſto Patroni, ſeu Sancti, aut Tituli ſeu Myſterii ſub quibus dedicata eſt Eccleſia, & per ejus Octavas. An verò etiam in feſtis ſecundariis ejuſdem, putà Translationis, Inventionis &c. Affirmaverim. Nam ſi à ſimili ratio petenda eſt, perinde in feſtis ejuſmodi ſecundariis tribuendum videtur, atque ſecundariis Apoſtolorum Rubrica ipſa tribuit. Favet quoque uſus plurium inſignium Eccleſiarum, apud quas ea feſta ſolemniori ut plurimùm ritu celebrantur. At non perinde eſt de feſto Patroni ſeu Tituli alicujus Capellæ ſeu Altaris, quod Rubrica expreſſis verbis eximit à Symbolo.

In feſto Patroni loci.

Tertiò: In feſto Patroni alicujus loci, & per Octavas, ſi habeat. Solemnem & principalem intellige, qualem deſcripſimus *lib.* 1. *cap.* 7. *quæſt.* 5. Nec tantùm principalem, ſi plures fuerint, ſed etiam minùs principales. Verè enim ſunt Patroni: ſic Miſſale Andegavenſe non tantùm tribuit S. Maurilio principali Patrono, ſed etiam SS. Martino & Renato minùs principalibus, quin & addit, *In feſtis quæ in aliquibus Eccleſiis ſunt* 1. & 2. *claſſis*. Sed an in feſtis quoque ſecundariis ipſorum? Principalis dumtaxat Translationi concedit Gavantus *parte* 1. *tit.* 11. *littera H.* eaque item conditione, ut Officium ſit duplex. Conditionem approbo, quæ ſi in aliis quoque Patronorum minùs principalium Translationibus, ſeu feſtis ſecundariis reperiatur, haud tamen eis ſtatim tribuendum Symbolum putaverim, niſi ubi uſus ob ſolemnitatem invaluit: nulli verò, ſi fuerit dumtaxat Officium ſemiduplex.

Uſus Andeg.

Gavantus.

In Feſtis Sanctorum quorum habetur Corpus, vel inſignis Reliquia.

Quartò: In Feſtis Sanctorum quorum habetur corpus vel inſignis Reliquia, inſignis inquam, nec tantùm notabilis, ſeu talis, inquit Gavantus, ratione cujus Officium duplex fieri poſſit. Addo ego, nec duplex quodlibet, ſed celebrioris apparatus, ut habet praxis communior Eccleſiarum. A fortiori dici debet in feſto generali Reliquiarum ubi tale ſolemniter celebratur.

In feſtis principalibus Ordinum.

Quintò: In feſtis principalibus Ordinum, & per eorum Octavas, in Eccleſiis tantùm illorum Ordinum. Ita Rubrica. Principalium verò nomine veniunt ii omnes qui ritu primæ claſſis celebrantur, videlicet ipſe inprimis Regulæ ſeu Ordinis author & Fundator. Item Congregationis ſub Regula aliqua militantis Inſtitutor ſeu Inſtaurator, item & Titularis, à quo Ordo ſeu Congregatio nomen ſortitur, ſive is fuerit Sanctus aliquis, ſive Myſterium, de quibus omnibus diſputatum fuit *lib.* 1. *cap.* 12. *quæſt.* 2. & 3. An verò veniunt etiam inſigniores Ordinis profeſſores? Servetur uſus legitimus cujuslibet Ordinis: haud tamen facilè conceſſerim alios venire, quàm qui ritum obtinent duplicium ſaltem ſecundæ claſſis. De Translationibus ſeu feſtis eorumdem ſecundariis, idem ſtatuendum, quod de ſimilibus feſtis Patronorum loci paulò antè reſponſum fuit. Quod autem addidit Rubrica, *In Eccleſiis tantùm illorum Ordinum*, ſic explicat Cæremoniale Monaſticum *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 26. ut non de Regularibus Ordinis dictum intelligatur, quibus utique etiam extra ſuas Eccleſias celebrantibus, Symbolum in ſuis feſtivitatibus recitare fas eſt; ſed de aliis qui celebrant Miſſam de Patrono Ordinis, cujus ipſi non ſunt membra; hi enim non debent dicere Symbolum, niſi celebrent intra Eccleſiam ejuſdem Ordinis.

Textus Rubricæ explicatus ex Cæremoniali Monaſtico.

In Feſtis propriis Chriſti, B. Mariæ, Angelorum, Apoſtolorum &c.

Sextò: In feſtis propriis, quæ ſunt vel Dei Omnipotentis, (ſi quæ alicubi ſunt) vel Chriſti Domini, putà Nominis Jeſu, Quinque Plagarum &c. vel B. Mariæ, vel Angelorum, vel Apoſtolorum, itemque Mariæ Magdalenæ Apoſtolorum Apoſtolæ, ait Innocentius III. loco cit. itidem infra Octavas ejuſmodi feſtorum, ſi habeant. Id colligitur à conſequenti ex eo quòd in omnibus prædictorum feſtis communibus ipſum Symbolum dicatur ex Rubrica; ergo & in propriis. Idemne verò dicendum de feſtis, non Apoſtolorum quidem, ſed eorum Sanctorum, quibus ut dictum eſt ſuprà *cap.* 9. *quæſt.* 1. certis in locis tribuitur Officium Apoſtolorum, ut SS. Silæ, Martiali, Trophymo &c. Videtur quòd non, dicit enim expreſsè Rubrica, *In feſtis duodecim Apoſtolorum*, quo numero præcisè ſignato videntur excludi alii, qui ſuperaddi poſſent, unde & ſeorſim poſitum eſt, *In feſto S. Barnabæ*. Aſſenſerim nihilominus dici poſſe, non tantùm ubi ſunt Patroni, de hoc enim dubium non eſt, ſed etiam alibi ubi de iis fit uti Apoſtolis, acceſſorium enim ſequitur naturam principalis, Symbolum autem eſt acceſſorium Officio Apoſtolorum. De Doctoribus verò quid? Si quibus tribuatur, ſive ex uſu legitimo, ſive ex conceſſione Pontificis, Antiphona ad Magnificat *O Doctor*, uti S. Hilario in aliquibus Galliæ Eccleſiis, tribuendum quoque videtur in Miſſa Symbolum; nullis verò aliis, imò nec iſtis niſi duplici ritu celebrentur: de qua conditione erit ſequens quæſtio.

In Feſtis Doctorum, ſi duplicia fuerint.

Non dicitur in aliis Feſtis Sanctorum loci naturalium.

Septimò: In omnibus aliis feſtis propriis Sanctorum, videlicet Epiſcoporum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, aliorumque loci naturalium, uſu ubique recepto, non dicitur Symbolum niſi ex accidenti, putà ſi in Dominicam incidant, aut infra Octavam cui debeatur. Unde verſus ille à Radulpho relatus *prop.* 23. *Angelus & Virgo, Martyr, Præſul, ſine Credo*. Eſt autem ſedulò hic obſervandum, feſta quibus ex ſe non debetur Symbolum, ſed tantùm ex accidenti illud obtinent, nimirum propter Octavam infra quam occurrunt, putà S. Stephani, SS. Innocentium & S. Silveſtri, infra Octavam Nativitatis Domini, S. Bernardi infra Octavam Aſſumptionis B. Mariæ &c. ſi ea extra illas Octavas transferri contingit, illo tum carere debere.

In Vigiliis ſolemnibus in Dominicam incidentibus.

Octavò: Quibus in locis celebrantur Vigiliæ Feſtorum propriorum ritu illo ſolemniori, quem deſcripſimus *lib.* 2. *cap.* 13. *quæſt.* 1. Si de Vigiliis ejuſmodi, quando in Dominicam incidunt, fiat Miſſa, ut & Officium, in ea dicendum Symbolum perinde judico, atque dici debere in Vigiliis Nativitatis & Epiphaniæ, in pari caſu aſſerit Gavantus *parte* 1. *tit.* 11. *lit. L.* addens caſum hunc fuiſſe omiſſum in Miſſali; quæ ſanè omiſſio nihil præjudicat Rubricæ generali de dicendo Symbolo omnibus Dominicis, etiamſi in illis fiat de feſto, in quo aliàs non diceretur. Quandonam verò dicendum in Miſſis votivis, ſuo loco infra ſtatuetur.

Gavantus.

QUÆSTIO IV.

An feſta ſemiduplicia poſſint ex ſe habere Symbolum?

Feſta ſemiduplicia ex accidenti habent Symbolum.

Ex ſe, inquam; nam ex accidenti certum eſt poſſe habere, ſi videlicet occurrant infra Octavam cui debeatur, ut Feſtum S. Thomæ Cantuar. infra Oct. Nativitatis Domini, & Feſtum S. Nicolai Tolent. infra Oct. Nat. B. Mariæ &c. Ratio dubitandi eſt, quòd quibuſcunque feſtis generalibus tribuitur à Rubrica, ea omnia duplicia ſunt; ex quo pariter ſequi videtur, quòd nulli feſto proprio tribuendum ſit, niſi Duplici, aut ſi tribuendum ſit alicui non Duplici, eo vel nomine illud ſtatim debere eſſe Duplex. Rationi huic eò libentiùs aſſentior, quòd nulla video in uſu Romano dari Feſta Chriſti Domini, B. Mariæ, Angelorum, & Apoſtolorum, (illa autem ſunt, quibus ex ſe debetur Symbolum) quæ duplicia non ſint,

unde

Digitized by Google

unde & omnia propria ejuſmodi, æquè debere eſſe duplicia opportunius judico.

Poſſe etiam habere ex ſe, probabilius eſt.

Cum tamen aliqua ejus generis in aliis uſibus reperiantur, quæ ſemiduplicia tantùm ſunt, uti obſervatum eſt *lib.* 2. *cap.* 12. *quæſt.* 2. hinc eſt quòd non auſim abſolutè negare ſemiduplicia ex ſe poſſe habere Symbolum in Miſſa, uti de facto habent Feſta S. Petri ad Vincula, Converſionis S. Pauli, & ſimilia, quæ in aliquibus uſibus ſemiduplici dumtaxat ritu celebrantur. Et verò cùm Dominicæ, quæ nonniſi ſemiduplices ſunt, illud ex ſe habeant, quidni & feſta ſemiduplicia habere poterunt? Unde vera mihi ſatis videtur hæc propoſitio, Omne Officium quod ex accidenti poteſt habere Symbolum, capax eſt & illud ex ſe quoque habendi; & è contra, quod non eſt capax illud ex ſe habendi, neque etiam poteſt ex accidenti habere. Hincque eſt quòd feſta ſimplicia, Vigiliæ,

Feſta ſimplicia, Vigiliæ & feriæ nunquam habent Symbolum, etiam ex accidenti.

& feriæ nunquam illud habeant etiam ex accidenti, quando videlicet occurrit de iis dici Miſſam propriam infra aliquas Octavas, quibus debetur. Excipe tamen feſta ſimplicia in iis uſibus, in quibus de iis adhuc fit infra Octavas, quas vocant minores ſeu non ſolemnes; nam & iſta habent Symbolum infra Octavas quibus tribuitur, putà Apoſtolorum Petri & Pauli &c.

Verſus indicantes quibus diebus dicendum Gloria in excelſis & Credo in Miſſa.

Non erit Lectori ingratum ſi ſequentes Verſus à ſitu vetuſtiſſimi cujuſdam Breviarii vindicatos hîc deſcripſero, ex quibus planum fiat, quinam dies ex ſe Symbolum in Miſſa habeant: quinam item Hymnum Angelicum, ſeu *Gloria in excelſis.*

Omnia Feſta Dei, Feſtum Crucis atque Mariæ,
Lucas & Marcus, & Magdalena Maria,
Omnis & Eccleſia fuerit ſi fortè ſacrata,
Gloria *cum* Credo *poſcunt, & Apoſtolus omnis.*

Per *omnia Feſta Dei*, Dominicas intellige, item omnia Feſta Chriſti Domini. Angeli & Doctores hîc non enumerantur, nimirum his, poſterioribus tantùm temporibus decretum fuit Symbolum, Latinis quidem à Gregorio XI. Græcis verò ab Urbano VI. noviſſimè SS. Thomæ Aquinati, & Bonaventuræ à Pio V. & Sixto V. Pontificibus. De illis verò ſeu Angelis, dubitabatur adhuc tempore Innocentii III. ut colligitur ex *cit. cap.* 51. *lib.* 2. *Myſteriorum.*

Cætera depoſcunt ſolemnia Gloria *tantùm.*

Cætera ſolemnia, id eſt feſta novem lectionum, quæ veteri ritu ſolemnia dicuntur per oppoſitionem ad ſimplicia.

Si Domini Adventus vel Quadrageſima fiunt,
Depoſcunt tantùm Domini ſolemnia Credo.

id eſt, in Dominicis Adventus & Quadrageſimæ dicitur tantùm *Credo*, non autem *Gloria.*

Nullus habet Sanctus, ſi Quadrageſima fiat,
Gloria *cum* Credo, *niſi ſola Virgo Maria.*

Hic ritus eſt quem jam obſervavi *quæſt.* 1. & aliàs, nullis olim feſtis in Quadrageſima *Te Deum*, nec *Gloria* tribui ſolita fuiſſe, niſi Purificationi & Annunciatiooi B. Mariæ. Sequitur

Glo *dat ut* Ite *canam, ſine* Glo, Bene, *vel*
Requi *dicam.*

Hoc eſt, cùm dicitur *Gloria*, dicitur conſequenter *Ite miſſa eſt*. Cùm verò non dicitur, *Benedicamus Domino*, vel *Requieſcant in pace*, pro Defunctis.

Alle *vacante cano ſine* Glo Te; *non ſine* Te
Glo.

Poſtremus hic verſus pertinet tantummodo ad ritum Monaſticum, in quo *Alleluja* vacante, hoc eſt à Septuageſima ad Paſcha, dicitur ſemper *Te Deum* ad Matutinum in Dominicis, nec tamen dicitur *Gloria* in Miſſa, cùm è contra nunquam dicatur *Gloria* in Miſſa, quin dicatur quoque in Officio *Te Deum.*

QUÆSTIO V.

Ut adhibendæ in feſtis propriis Præfationes propriæ Feſtorum & Temporum currentium, item & Communicantes?

Præfatio Temporis, vel Octavæ currentis dicitur etiam nulla facta ipſorum commemoratione.

Dictum fuit ſuprà *cap.* 26. *quæſt.* 4. præter Apoſtolos, de nullo Sanctorum dari Præfationem propriam, adeòque in quibuſcunque Feſtis Sanctorum propriis dicendam, aut communem, aut propriam Temporis ſeu Octavæ currentis, nempe Quadrageſimalem in feſtis occurrentibus in Quadrageſima, de Cruce Tempore Paſſionis, Paſchalem Tempore Paſchali, de Nativitate Domini, de Aſcenſione & ſimiles infra Octavas earum ſolemnitatum, item B. Mariæ & Apoſtolorum infra Octavas ipſorum; idque locum habet etiamſi de prædictis Octavis nulla fiat commemoratio. Sic in Feſto S. Bernardi, ubi fit primæ claſſis, dicitur Præfatio de Aſſumptione B. Mariæ, licèt omittatur commemoratio Octavæ illius tam in Officio quàm in Miſſa. Itidem in Quadrageſima & Tempore Paſſionis, in Miſſa feſti nulla facta commemoratione feriæ, ubi dicitur altera Miſſa de feria.

Occurrentibus duabus Præfationibus propriis, dicenda illa quæ ſecluſo feſto proprio dicta fuiſſet.

Contingit autem nonnunquam duas ejuſmodi Præfationes proprias una & eadem die occurrere, putà Apoſtolorum & de Nativitate in die Octava S. Joannis Evangeliſtæ; Temporis Paſchalis & de Cruce infra Octavas Inventionis S. Crucis; item hujus & de Aſcenſione: item Apoſtolorum & B. Mariæ, ubi fiunt Octavæ Viſitationis. In eo igitur caſu, utra ſumenda? Illa quæ eſt propria Officii quod fieret, ſi tale feſtum non occurriſſet, putà in Feſto S. Genovefæ, Præfatio Apoſtolorum, non autem *Quia per incarnati*; infra Octavas S. Crucis, Præfatio de Cruce, non autem Temporis Paſchalis.

Communicantes ſeparantur à ſua Præfatione.

Communicantes itidem feſtorum præcipuorum Chriſti Domini dicuntur in omnibus feſtis propriis infra Octavas illorum occurrentibus, etiam iis quæ Præfationem habent propriam; ſicque contingit ſeparari aliquando *Communicantes* à ſua Præfatione, qood dubitabant aliqui licitumne eſſet; ſed dubium omne removit Declaratio Sacræ Rituum Congregationis 28. *Auguſt.* 1627. Neque enim, ait Gavantus *parte* 1. *tit.* 12. *num.* 3. *lit. G.* duo hæc in Miſſali ideo conſeqoenter deſcripta ſunt, ut ſimul dicantur vel omittantur, ſed ut faciliùs utrumque reperias. Dicuntur verò *Communicantes* ejuſmodi perinde ac Præfatio in prædictis feſtis, etiamſi de Octava nulla fiat commemoratio.

Gavantus è

QUÆSTIO VI.

Quot & quænam Orationes dicendæ ad Miſſam in feſtis propriis?

Orationum addendarum in Miſſa triplex ratio.

Nihil hîc morandum. Orationes in Miſſa dicendæ triplicis ſunt generis, aliæ Commemorationibus in Officio factis reſpondent, putà Dominicæ, vel feriæ, vel Octavæ, vel feſti ſimplicis &c. & eæ fiunt eo numero & ordine, qui infra declarabitur, ubi de Commemorationibus. Aliæ Suffragii Communis rationem magis habent, quales ſunt Orationes *A cunctis*, *Concede nos*, vel alia de B. Maria, *Eccleſia vel pro Papa &c.* & hæ quidem ſemper omittuntur in Officio Duplici, ſicut & in Dominicis infra Octavas; aliàs verò ponuntur juxta rationem temporis eo ordine & numero qui præcipitur Rubr. 9. de Orationibus. Eo, inquam, ordine, ut commemorationibus occurrentibus non præeant, ſed vel eis poſtponantur, vel complero ternario numero omittantur. An verò numero ſemper impari, adeò ut debeant dici vel tres, vel quinque, vel ſeptem? diſputabitur commodiori loco inferiùs; ſicut & de Orationibus

nibus votivis, quas ad libitum Sacerdotis, aut ex Superiorum præcepto ad diverſa obtinenda nonnunquam addi contingit.

QUÆSTIO VII.

Quis Sanctus nominandus in Oratione A cunctis *ad literam N. & an plures nominari poſſint?*

Litera N. exigit nomen Patroni, ſeu Titularis Eccleſiæ.

Gavantus.

FUit olim multorum hæc opinio, neſcio an non etiam nunc aliquorum, per literam N, liberum cuique alioqui, quos & quot vellet Sanctos pro ſua devotione nominare; unde & eos pii quidam adeo multiplicabant, ut Litaniam integram quaſi texere viderentur. Stat verò indubitata Gavanti reſolutio literam N. nomen Patroni exigente ſeu Titularis Eccleſiæ. Et verò cùm Oratio illa *A cunctis*, correſpondeat Suffragiis Communibus de B. Maria, de Apoſtolis, & de Pace in Officio recitatis, manifeſtum redditur, quòd ſicut in Officio ante vel poſt commemorationem de Apoſtolis, fit commemoratio de Patrono ſeu Titulari Eccleſiæ, debet in Miſſa pariter nomen ejus exprimi in Orat. *A cunctis*; ideòque Sacra Rituum Congregatio declaravit *die* 22. *Auguſt.* 1620. nomina Patronorum S. Michaelis, (adde & pari jure SS. Gabrielis & Raphaelis, imò & Angelorum in communi in Eccleſia ipſis dicata) & Joannis Bapt. præponi debere Apoſtolis, quod & in Miſſali ipſo poſtremæ recognitionis additum fuit.

S. Michael & S. Joannes Bapt. nominandi ante Apoſtolos.

Nominandus Patronus Eccleſiæ propriæ.

Itaque error eſt, nomen Sancti, quod tu geris, aut ad quem peculiari devotione afficeris, aut cujus ſtatio eſt, aut denique plurium conglobatim interponere; ſed illum unum appellare debes, qui Patronus eſt ſeu Titularis Eccleſiæ. Sed cujus Eccleſiæ? in qua celebratur, ait Gavantus, firmatque Miſſale Andegavenſe: credo ego utrumque id intelligere de celebrante in propria Eccleſia, ſeu cui ipſe adſcriptus eſt, non autem de peregrino & advena, quem non putaverim teneri magis ad mutandum nomen proprii Patroni in Orat. *A cunctis*, quàm ejus Suffragium in Officio; ſed ad hoc mutandum ex nulla Rubrica tenetur, ergo neque ad illud.

Patroni plures cùm ſunt, uter nominandus.

Quid ſi plures fuerint unius Eccleſiæ Patroni ſeu Titulares? Vel ſunt ii ſimul juncti per ſe & per modum unius, ut SS. Gervaſius & Protaſius, Mauritius & ſocii &c. vel per accidens tantùm, ut SS. Blaſius & Carolus &c. Si primum, ambo nominandi; ſi ſecundum, is tantùm, qui principalis eſt, ſeu de cujus nomine nuncupatur Eccleſia, juxta ea quæ dicta ſunt *lib.* 1. *cap.* 4. *quæſt.* 3.

Patronus loci non ſolet nominari.

Solet Patronus Ordinis apud Regulares.

An etiam nominandus Patronus loci? Non conſuevit, ſicut nec de eo fieri Suffragium in Officio. An Patronus Ordinis apud Regulares? Nulli omittunt, nec immeritò: At iniquiores ſunt, qui illum unum neglecto Patrono ſeu Titulari Eccleſiæ nominant, cùm utriuſque nomen eo ordine collocari debeat, quo utriuſque Suffragium in Officio. An alii Eccleſiæ vel Ordinis Patroni minùs principales, cæterique de quibus fortè in Officio fit Suffragium? Non videtur opportunum, quando nec ipſi Minores, qui Suffragium de Sanctis Ordinis in Officio inſerunt, ullum alium quàm S. Franciſcum nominant in Oratione *A cunctis*.

Quid agendum, ubi Titulus Eccleſiæ non eſt Sanctus aliquis.

Sed quis demum Sanctus nominandus, in Eccleſiis dicatis ſub Titulo SS. Trinitatis, S. Salvatoris, S. Spiritus, S. Crucis, & ſimilibus? Item ſub nomine B. Mariæ, vel SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, vel cùm dicitur Miſſa votiva de Sancto illo, qui Eccleſiæ Titularis eſt, & ſecunda Oratio, ſeu tertia eſt *A cunctis*? Solvit commodè hanc quæſtionem Miſſale Andegavenſe, cùm ſic habet: *exprimendum eſſe nomen alterius Sancti, cujus præcipua memoria, vel inſignis reliquia habeatur in Eccleſia; ſi verò non ſit aliquis ejuſmodi, nominabitur alius Sanctus pro arbitrio & devotione celebrantis*. Vel, ut ait Gavantus, tacebitur in prædicta Oratione *A cunctis*, nomen Patroni ſeu Titularis.

Miſſale Andegav.

Gavantus.

QUÆSTIO VIII.

An in Confeſſione æquè exprimi debeat nomen Patroni?

NEgat Gavantus *parte* 2. *tit.* 3. *litera X.* quia, inquit, Pius V. hoc expreſsè conceſſit Eccleſiis Hiſpaniarum, ergo ſine licentia Papæ fieri non debet ejuſmodi additio. Ex qua ratione ſequitur non eſſe damnandos, quibus id æquè conceſſione Pontificis, aut jure Breviarii proprii, aut denique conſuetudine præſcripta nec abrogata uſitatum eſt. Cæteris ſervanda Rubrica id nequaquam permittens, cui ſi alii quoque ſe adjunxerint, quod multi præſtitere hactenus, major erit in tota Eccleſia conformitas. Quòd ſi Patroni nomen ſic addi non debet, multò minùs alterius cujuſcunque Sancti ad arbitrium Sacerdotis.

Nec Patronus, nec quivis alius Sanctus uſu Romano debet nominari in Confeſſione abſque conceſſione Pontificis.

QUÆSTIO IX.

An legitima ſint quæ ex uſu aliquarum Eccleſiarum Officio Miſſæ inſeruntur?

EJuſmodi ſunt. Primò: Formulæ quædam verborum notis *Kyrie eleiſon &c.* cantus ſolemnioris aptatæ, putà *Kyrie fons bonitatis pater ingenite &c. Cunctipotens genitor Deus &c.* quarum uſus olim frequens erat in pleriſque Eccleſiis, nunc verò exploſus penitus, nec uſquam denuo redintegrandus, non quòd piæ non eſſent ejuſmodi formulæ, ſed parum authenticæ, ab aliquibus videlicet Novitiis inductæ, quibus perſpecta ſatis non erat Neumatum Eccleſiaſticorum ratio.

Kyrie fons bonitatis & ſimiles formæ.

Secundò: In Eccleſia Andegavenſi & Collegiatis ejuſdem Diœceſis, ante Evangelium, in feſtis Duplicibus in Miſſa Chori ſolemniter cantatur Antiphona ad *Benedictus*, vel alia ex Officio diei ſumpta pro more cujuſque Eccleſiæ, quæ idcirco *Ante Evangelium* appellatur. Laudabilis quidem Eccleſiæ illius conſuetudo, ſed alibi quod ſciam incognita, nec verò laborandum ut inducatur.

Ante Evangelium in uſu Andeg.

Tertiò: Eſt & Hymnus quidam *Chriſtus vincit, Chriſtus regnat*, in Eccleſia Silvanectenſi, fortè & in quibuſdam aliis ante Evangelium quoque in majoribus ſolemnitatibus inſeri ſolitus; de quo idem eſto judicium.

Chriſtus vincit &c. Uſu Silvanect.

Quartò: Additio omnium receptiſſima ac laudatiſſima eſt, Verſus *O Salutaris hoſtia*, ad elevationem Corporis Chriſti, ubique Eccleſiarum Galliæ, ex inſtitutione, ut fertur, Ludovici XII. decantari ſolitus, cum ſequenti Glorificatione *Uni Trinoque Domino*: cujus loco non incongruè aliqui reponunt infra Octavas & Tempore Paſchali terminationem Hymnorum propriam Octavæ, ſeu Temporis, putà *Jeſu tibi ſit gloria*, *Qui natus es &c.* Additur conſequenter à multis Pſalmus *Exaudiat te Dominus*, pro ſalute Regis, abſque tamen Verſu & Oratione.

O Salutaris hoſtia ad elevationem Corporis Chriſti.

Exaudiat, pro ſalute Regis.

CAPUT XXIX.

De Coloribus Paramentorum.

SI Actori, quod ait Cicero, ut pictori colores ſunt ad narrandum, quidni & Eccleſiæ ad Laudes Dei Sacro Officio proſequendas? Horum quippe varietas aſpectabilis quamdam animo injicit Myſterii celebrandi præſenſionem, quæ pietatem excitet, foveatque plurimùm. Id verò

cùm

Digitized by Google

cùm ex colorum ipſorum myſtica ſignificatione procedat, hanc qui perſpectam habere volet, Durandum conſulat *lib.* 3. *cap.* 18. aut etiam Gavantum Rubricam XVIII. Miſſalis de Coloribus Paramentorum fusè ſatis explicantem, dum nos iis contenti quæ inſtituti noſtri ſunt, praximque propiùs attingunt, propoſitis reſolutiſque breviter quæſtionibus, libro huic ſatis longo finem imponemus, addito inſuper Capite alio de Hora celebrandi Miſſam.

Durandus. Gavantus.

QUÆSTIO I.

Quis color univerſim in feſtis propriis adhibendus?

Alteruter color Albus, vel Rubeus in omnibus feſtis adhibendus.

EX quinque Coloribus quos Romanus uſus habet, duo dumtaxat feſtivi ſunt, ſeu Officio Feſtorum deſtinati, nempe Albus & Rubeus; nam Viridis & Violaceus colores ſunt Officii de Tempore, Niger verò Defunctorum. Duo autem illi ſic à natura compoſiti ſunt, ut cùm Albus lætitiam, ac ſanctioris vitæ nitorem, Rubeus verò igneum charitatis fervorem ſanguiniſque effuſionem deſignet; hinc fit, ut ambo feſta univerſim inter ſeſe omnia dividant, utque Albus ſolennitatibus SS. Trinitatis, Chriſti Domini ac B. Mariæ, necnon Angelis Sanctiſque in pace quibuslibet vita functis; ſic Rubeus ſacris Pentecoſtes ac Sanctæ Crucis diebus, Sanctiſque gladio aut quavis illata vi conſummatis tribuatur. Qua ex regula facilè colligas, quis propriis feſtis color ſit adhibendus, nempe in Feſtis Angelorum Albus, in Feſtis Apoſtolorum & Evangeliſtarum Rubeus, in Feſtis unius & plurimorum Martyrum, Rubeus, in Feſtis Confeſſorum Pontificum & non Pontificum, Albus; in Feſtis Virginum & non Virginum Martyrum, Rubeus; non Martyrum, Albus; denique in Dedicatione Eccleſiæ, Albus.

QUÆSTIO II.

Quis in feſtis propriis Chriſti Domini & B. Mariæ?

In Feſtis Chriſti Domini ad Paſſionem pertinentibus, Color Rubeus, in aliis Albus apponendus.

FEſta de Chriſto Domino, quæ Paſſioni ejus contigua ſunt & affinia, Rubeum omnino colorem exigunt more Feſtorum S. Crucis, cætera verò Album. Primi generis ſunt feſta Quinque Plagarum, Coronationis Domini, ſeu de Sancta Corona Spinea, & alia de quibuſvis ſacris Paſſionis exuviis; poſtremi verò Feſtum Nominis Jeſu, Relationis ejuſdem de Ægypto, Inventionis in Templo &c. Feſta B. Mariæ omnia quocunque Titulo nuncupentur, Albo donanda ſunt, niſi exiſtimes cum aliquibus præſtare Rubeum in Feſto Compaſſionis ipſius, ſeu ut vocant B. Mariæ Pietatis, quòd ſit feſtum hoc inſtar Martyrii ipſius; ſed pluribus placet Albus. At Rubeus dubio procul adhibendus in feſto ejuſdem, quod recenſetur in Martyrologio *die* 13. *Maii*, ſub Titulo Dedicationis B. Mariæ ad Martyres, ubi videlicet celebratur ejuſmodi feſtum ſub Officio Martyrum, ut fit in Eccleſia Turonenſi.

In feſtis B. Mariæ etiam Compaſſionis, ſeu Dolorum ipſius, Albus.

QUÆSTIO III.

Quis in Feſtis Sanctorum veteris Teſtamenti?

Sanctis veteris Teſtamenti Martyribus Rubeus, non Martyribus Albus tribuendus.

IDem qui novi, nempe Rubeus pro iis qui ſubjere Martyrium, uti Sancti Iſaias, Jeremias, Machabæi &c. Albus verò pro aliis, nempe SS. Moyſe, Jobo, Davide, Elia &c. Si vera eſſet ratio quam affert pro SS. Innocentibus Micrologus *cap.* 36. æquè eſſet in iſtis violaceo utendum, cùm æquè ad limbum deſcenderint, item cùm æquè non ſint de novo Teſtamento; quæ altera eſt Gavanti ratio *parte* 1. *tit.* 18. *lit. V.* Sed ut neutra illarum valet pro Innocentibus, ita nec pro aliis: quæ autem ſingularis eſt pro Innocentibus, nempe ploratus matrum, juxta illud *Vox in Rama audita eſt &c.* multòque magis fidei derelictio apud Judæos cœpta primùm à fuſo infantium illorum ſanguine, ſemperque deinceps aucta, cùm è contra aliorum Martyrum fuſus in terra ſanguis ſemen fuerit Chriſtianorum; hæc inquam ratio ſingularis eſt pro Innocentibus, nec cæteros ullatenus attingit. Imò nec urget pro ipſis Innocentibus in Eccleſiis ſub eorum nomine dicatis, in quibus colorem rubeum adhibendum, Hymnoſque *Te Deum* in Officio, & *Gloria in excelſis* in Miſſa reponendos, die ipſorum feſto, cum ipſomet Gavanto cenſemus. Itidemque in feſto Tranſlationis, aut Suſceptionis Reliquiarum eorumdem, ubi fieri contingit.

Micrologus. Gavantus.

Cur Violaceus pro SS. Innocentibus?

QUÆSTIO IV.

Quis in feſtis Sanctorum, de quibus dubium eſt ſintne Martyres, necne?

REſolutio pendet ex qualitate Officii, quod ſi fit ut de Martyre, color erit Rubeus; ſi ut de Confeſſore, Albus. Utrum verò è duobus ſit faciendum Officium, definivimus ſuprà *cap.* 17. *quæſt.* 6.

QUÆSTIO V.

Quis in feſto Reliquiarum aliiſve generalibus?

In Feſtis Reliquiarum, ſi Martyrum ſint, Rubeus, ſi Confeſſorum, aut Martyrum ſimul & Confeſſorum, Albus.

AN Rubeus, eo quòd ſoleant Reliquiæ plures eſſe Martyrum? An Albus, quia ſunt & aliquæ Confeſſorum? Reſpondeo, ſi fuerint omnes Martyrum, procul dubio Rubeum eſſe apponendum; ſi verò Confeſſorum, aut Confeſſorum ſimul & Martyrum, præſtare Album ad inſtar feſti Omnium Sanctorum. Itidem in feſtis illis ſub Titulo generali omnium Epiſcoporum loci, vel omnium Sanctorum Ordinis &c. hoc tamen ſervato, quòd ubi Lectiones legi, & Reſponſoria cantari ſolent cum Cappis ſeu Pluvialibus, ad Lectiones & Reſponſoria quæ de Martyribus ſunt, Rubea apponantur, ut fit in pleriſque Majoribus Eccleſiis in feſto Omnium Sanctorum; qua utique ratione Eccleſia Aurelianenſis in Feſto Inventionis S. Crucis, qui dies quoque Dedicationis ejuſdem eſt, Album quidem colorem adhibet quoad Paramenta Altaris propter fuſius & amplius Dedicationis Officium; ad partes verò quæ de Cruce ſunt, Rubeum.

Uſus Aurel.

QUÆSTIO VI.

Quis infra Octavas feſtorum propriorum?

Infra Octavas color ut in die.

IDem qui in die feſti. Itidem in die Octava, & in Dominica infra Octavas, ſi Officium ſit de Dominica (exceptis Dominicis illis, quibus tributus eſt color violaceus, videlicet quatuor Adventus, & à Septuageſima uſque ad Paſcha) nam illæ ſuum ſemper proprium retinent colorem. In concurſu verò duarum Octavarum, ſervabitur in Dominica, color dignioris, ſeu ejus de qua fit Officium præ alia.

QUÆSTIO VII.

Quis in feſtis ſecundariis Sanctorum propriorum, & Miſſis votivis eorumdem?

In feſtis ſecundariis color idem qui in feſto præcipuo.

DUbio locum facit, quod in feſtis Cathedræ S. Petri & ejuſdem ad Vincula, Converſionis S. Pau-

Digitized by Google

S. Pauli, Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, & Joannis ante Portam Latinam, non ſervatur color præcipui feſti. Ita eſt, ſed habent illa ſuas cauſas peculiares, quas tu legere poteris apud Gavantum *parte* 1. *Tit.* 18. hæ autem nihil faciunt ad feſta propria, adeòque in feſtis Inventionis, Translationis, & ſimilibus, adhibendus idem color, qui in die Natali, putà in Tranſlationibus S. Andreæ, S. Matthæi, S. Stephani, S. Lucæ &c. Rubeus; in Tranſlationibus verò S. Martini, S. Nicolai, S. Magdalenæ &c. Albus. Itidem in feſto Stigmatum S. Franciſci ex declaratione Sacræ Rituum Congreg. 9. *Decemb.* 1623. contra uſum Minorum qui Rubeum induxerant. Itidem in Miſſis votivis.

Gavantus.

QUÆSTIO VIII.

Quis in Vigiliis?

In Vigiliis luctus Violaceus: in ſolemnibus ſeu lætitiæ color feſti adhibendus.

SI Vigiliæ Officium fiat ritu feriali cum precibus ferialibus, ac ſine *Alleluja* in Miſſa, more communi Vigiliarum, color erit violaceus; ſi verò fiat ritu ſolemni, ſolemnitate videlicet feſti à Laudibus aut à Tertia inchoante, aut licèt ritu non adeo ſolemni, extra tamen luctum, hoc eſt cum *Gloria in excelſis* & *Alleluja* in Miſſa, color feſti aſſumetur ſive albus, ſive rubeus. Ita præcipit Miſſale Andegavenſe in Vigiliis Nativitatis Domini, Aſſumptionis B. Mariæ, Omnium Sanctorum, S. Andreæ, Nativitatis B. Mariæ, S. Maurilii, & S. Martini.

Uſus Andeg.

QUÆSTIO IX.

Licetne contrariis Romana Colorum uſibus ſeſe conformare?

NOn ſunt ullibi ferè alii colores quàm quinque ſuprà memorati. Coccineus enim & croceus, de quibus Durandus *lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 8. ad violaceum & viridem referuntur, ſicut & quem Caſtaneum vocat Joannes Diaconus in vita S. Gregorii *lib.* 4. *cap.* 83. ad viridem, & Cinericius, quem Eccleſia Pariſienſis pro Quadrageſima aſſignat, ad violaceum. Sed illorum quinque colorum non eadem eſt ubique diſtributio. Conveniunt quidem ferè omnes in aſſignando albo ſolemnitatibus Chriſti Domini, ac B. Mariæ, ac toto tempore Paſchali, nec non Feſtis Angelorum & Sanctarum Virginum, paucíſque aliis. Item in rubeo pro Feſtis Pentecoſtes, S. Crucis, Apoſtolorum & omnium SS. Martyrum. At in cæteris diſpar eſt aliquarum Eccleſiarum à Romano uſu ratio.

Durandus.

Joan. Diaconus.

Color albus Feſtis Chriſti Domini & B. Mariæ communiter tribuitur.

Rubeus Feſtis Pent. S. Crucis, Apoſtolorum & Martyrum.

Diverſi uſus aliarum Eccleſiarum.

Nam Pariſienſis albo utitur à Dom. 1. Adventus uſque ad Purificationem B. Mariæ, imò & uſque ad Septuageſimam, quando ea nondum advenit, in omni Officio de Tempore. Item in Feſtis Sanctarum tam Martyrum quàm non Martyrum.

Rubeo verò, in Feſto SS. Trinitatis, & inde uſque ad Adventum, & à Dominica Septuag. vel à Feſto Purificationis, cùm Septuageſimam antecedit, uſque ad Dom. 1. Quadrageſimæ, in omni Officio de Tempore, etiam in Vigiliis Sanctorum; qui fuit olim uſus omnium propè Eccleſiarum Galliæ. Item in Feſtis Corporis Chriſti, & Omnium Sanctorum, Feria 5. in Cœna Domini, in Feſtis SS. Innocentium, Converſionis S. Pauli, Petri ad Vincula, in feſto Quinque Plagarum, Suceptionis S. Coronæ, & Reliquiarum. Claromontenſis rubeum item adhibet in Feſto Epiphaniæ, & in tempore ſequenti uſque ad Septuageſimam.

Viridi pleræque olim Gallicanæ Eccleſiæ utebantur in feſtis Confeſſorum, paucæ violaceo. Utroque etiamnum Pariſienſis, hoc quidem in Duplicibus, illo verò in Semid. & ſimplicibus, item in Feſtis S. Marcelli & S. Martini. Viridi item Claromontenſis in Feſto Corporis Chriſti. Violaceo verò Cenomanenſis in Officio de Tempore per annum, æquè ac in Quadrageſima. Singularis eſt Claromontenſis Eccleſiæ uſus flavum adhibentis in Feſtis Sanctarum nec Virginum nec Martyrum.

Nigro denique Pariſienſis à Dominica Paſſionis uſque ad feriam 5. in Cœna Domini. Bituricenſis verò nigrum adhibet à Dominica Septuageſimæ uſque ad Dominicam Paſſionis; à Dominica verò Paſſionis, rubeum.

Habent diſcrepantiæ hujus ſuas quique uſus rationes bonas equidem ac probatas, ſed cùm Romanus haud dubiè uſus concinnior ſit, longéque exactior, debent inprimis ei ſe penitus conformare Eccleſiæ omnes Breviario Romano adſtrictæ, adeò ut ab ipſo in nullo recedant: aliæ verò quæ ſui juris ſunt, ut non damnandæ ſi in priſtino uſu perſtiterint, ſic laudandæ plurimùm, ſi Romano ſeſe adjunxerint; quod præſtitere pridem nobiliſſimæ Eccleſiæ Rothomagenſis, Turonenſis, Aurelianenſis, Andegavenſis, multæque aliæ. In quo tamen duæ mihi reſtrictiones probantur maximè. Altera Eccleſiæ Andegavenſis, quæ ſic habet in ſuo Miſſali: *In Eccleſiis, in quibus ſunt paramenta auro texta, aut alia ejuſmodi pretioſiora, etiamſi nullius ex quinque ſupradictis coloribus fuerint, eorum uſus retineri poterit in principalibus & ſolemnioribus feſtis.* Altera reſtrictio eſt utriuſque Turonenſis, Metropolitanæ, quæ viridem colorem in utroque Feſto S. Gatiani, & Martinianæ, quæ violaceum in utroque itidem S. Martini feſto, ex antiquo uſu retinent, ob paramenta videlicet utriuſque hujus coloris pretioſiora, prædictis feſtis addicta.

Romanus uſus in adhibendis coloribus concinnior.

Uſus Andeg.

Uſus Turon.

QUÆSTIO X.

An ob expoſitionem SS. Sacramenti mutandus ſit color diei conveniens?

UT videlicet albus ſemper adhibeatur. Hoc à nonnullis jam in uſum inducitur, ſed meo judicio perperam. Color enim ſpectat ad rationem Officii cum quo quadrare debet. Et verò, quid ineptius quàm ut Officium & Miſſa Feſti Pentecoſtes v. g. cum alio colore quàm rubeo; itemque Dominicæ Paſſionis aut Palmarum cum colore albo decantentur? Eſt quidem color albus adhibendus in Proceſſione & Miſſa de SS. Sacramento, ſi ea fiat; at Miſſa diei celebrari debet cum Paramentis Altaris & Miniſtrorum Feſto ſeu Officio convenientibus, niſi quòd ornatus Tabernaculi, in quo SS. Sacramentum exponitur, & umbella eidem ſuperpoſita debent eſſe coloris albi. Ita Cæremoniale Monaſticum *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 3. Ex quo item Cæremoniali *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 14. obſerva illud, quod ad cultum SS. hujus Sacramenti plurimùm conducere videtur, ne videlicet expoſitum habeatur, quamdiu Officium, Miſſa aut Exequiæ Defunctorum celebrantur cum paramentis nigris, ſed recondatur donec humato corpore, iterum Altare paretur albis aut aliis ornamentis. Denique cautè obſervandum quod habet Gavantus 1. *parte tit.* 20. *ad finem ubi de ornatu Altaris, & parte* 4. *tit.* 8. *num.* 12. Tabernaculum, in quo aſſiduè ſervatur ipſummet diviniſſimum Sacramentum, nunquam Conopeo nigro eſſe operiendum, ſed pro nigro violaceum adhibendum, quia, inquit ille, *Regia viventis Chriſti eſt.*

Officium & Miſſa diei cum colore ipſis debito celebrandum, etiam expoſito SS. Sacramento.

Cæremoniale Monaſticum.

Recondendum SS. Sacramentum, dum fit Officium Defunctorum.

Gavantus.

Conopeum violaceum pro nigro adhibendum.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO XI.

Quandonam mutandi colores?

Mutandi colores, vel ante Veſperas, vel ante Matutinum.

PAramenta Altaris pro colorum & Officiorum diverſitate juxta Rubricas Miſſalis, mutari quotidie debent, aut ſaltem diebus Dominicis, Feſtis de præcepto ac Duplicibus. Tempus autem mutandi eſt, vel ante Veſperas, vel ante Matutinum. Primùm quidem, quando Officium diei ſequentis incipit à primis Veſperis, vel etiam à Capitulo; tunc enim color paramentorum Altaris debet ei Officio convenire, ſicut & color capparum ſeu pluvialium, quibus Celebrans & Cantores induuntur, niſi quòd in iis Eccleſiis, in quibus Cantores alii ſunt pro Pſalmis, alii à Capitulo, æquius eſt priores illos retinere colorem feſti præcedentis, quando ſcilicet Veſperæ dimidiantur. Secundùm verò, ſeu ante Matutinum mutatur color in Officio feriali, vel etiam feſtivo, quod utpote inferius ceſſit præcedenti in Veſperis. Quando verò Officium & Miſſa diſcordant, ut contingit in Vigiliis infra Octavas occurrentibus, & feria 3. Rogationum, color Altaris retineatur conformiter Officio, color verò veſtium ſit juxta exigentiam Miſſæ. Ita Gavantus *part.* 1. *tit.* 18. *num.* 6. Quamquam, ſi per tempus licet, paramenta quoque ipſius Altaris mutari convenit. Itidem in Miſſa jejunii in die qua occurrit feſtum.

Gavantus.

In Miſſis votivis color proprius adhibendus.

In Miſſis votivis etiam privatis, color cujuſque Miſſæ proprius ſemper eſt ſervandus in caſula aliiſque veſtimentis Miniſtrorum; Paramenta verò Altaris haud mutanda, niſi quando ſolemniter dicuntur pro re gravi vel publica Eccleſiæ cauſa. Abſurdiſſimum quoque eſt Miſſam ullam Defunctorum abſque veſtibus nigris celebrari; paramentis verò nigris Altare utplurimùm non induitur, niſi in die Obitus, & Anniverſariis ſolemnioribus, & iis quantum fieri poteſt exuatur, dum Officium diei perſolvitur.

In Miſſa pro Def. utendum ſemper nigro colore.

QUÆSTIO XII.

Quæ & quotuplex in uſu ſit forma veſtimentorum?

PRæter Planetam ſeu Caſulam, Stolam, & Manipulum Sacerdotalem, Dalmaticam, Stolam itidem & Manipulum Diaconalem, Tunicellam & Manipulum Subdiaconalem; præter item Pluvialia ſeu Cappas varias ac multiplices, uſum quoque habent pleræque Galliarum Eccleſiæ, necnon & Ambroſiana, antiquum ac laudabilem, limborum quorumdam ex eodem panno, ejuſdemque coloris, ſine ſerico, ſive auriphrygiato, cujus ſunt caſula ipſa, aliæque veſtes majores, quos aſſuere mos eſt amictui ad oram mediam, & Albæ ad oras manicarum infimaſque medias anteriores & poſteriores. Habent item Tunicellas ad uſum puerorum ſymphoniacorum in majoribus ſolemnitatibus. Quæ omnia retinere nedum nihil vetat, ut vitio etiam verti poſſit, ſi dimittantur.

Limbi uſu Gallicano & Ambroſiano Albæ & amictui aſſuti.

Tunicellæ puerorum Symphoniacorum.

Sed nec omitti quoque debet temporibus Adventus & Quadrageſimæ, aliiſque diebus in Rubrica notatis, uſus Planetarum plicatarum; in Cathedralibus & præcipuis Eccleſiis, quem ego uſum miratus ſum deeſſe in aliqua Cathedrali nobiliſſima ac celeberrima, præſtaret reſtitui quamprimùm. Præcipuarum verò Eccleſiarum nomine veniunt non tantùm Collegiatæ majores, ſeu quæ numeroſo Clero gaudent, ſed & Regulares quoque inſigniores, teſte Gavanto *par.* 1. *tit.* 19. *num.* 6. *lit.* *E.* Præ aliis verò Abbatiales illæ Cathedralibus haud multùm inferiores, imò & Parochiales nonnullæ grandiores, quas deſcripſimus *lib.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 6.

Planetæ plicatæ.

CAPUT XXX.

DE HORA CELEBRANDI MISSAM in Feſtis Propriis.

OMittendum Caput iſtud, vel id unum propè mihi perſuaſerat, quòd Feſtorum Propriorum cum aliis hac in parte ratio planè ſit eadem. Aliunde verò Rubricæ Miſſalis xv. cui titulus eſt *De Hora celebrandi Miſſam*, ſenſus ita perſpicuus eſt, nihil ut in eo hærendum ſit ſervare volentibus. Quia tamen uſus aliquarum Eccleſiarum proprius in paucis quoad hujuſmodi à Romano diſcrepant; nec non verò aliqui etiam Romano uſui addicti, pro minimo habent, majoris celebritatis gratia, aliave ſimili de cauſa, præſcriptam à Rubrica Miſſæ Horam in feſtis propriis invertere; mutato conſilio placuit ſolvendis ſequentibus quæſtionibus parumper immorari.

Cùm autem de Hora quæſtio hìc eſt, Horam intellige non diei, ſed Officii: quippe ſolemnis eſt iſte uſus ubique Eccleſiarum ab omni ævo receptus, ut Miſſa ſolemnis, ſeu Conventualis in Choro, ſemper poſt aliquam divini Officii Horam continenti cantu celebretur; videlicet poſt Tertiam, Sextam, vel Nonam; nonnunquam etiam poſt Primam, & Miſſa in nocte Nativitatis Domini poſt Matutinum ante Laudes.

Hora hic intelligenda non diei, ſed Officii.

Miſſa Conventualis dicenda ſemper poſt unam ex Horis Officii.

Non perinde eſt de privata Miſſa, quæ cùm ex præfata Rubrica qualibet die, recitato ſaltem Matutino cum Laudibus, *quacumque hora ab aurora uſque ad meridiem dici poſſit*, Hora quoad ipſam accipitur non Officii, ſed diei.

Hora Miſſæ privatæ.

Cæterùm, cùm Hora ipſa Officii ex hora diei pendeat, ut videlicet propiùs quàm fieri poteſt ad hanc illa componatur ac revocetur; non eſſet hìc à noſtro ſcopo alienum, ſi de Horis, ſeu tempore ageremus, quo quælibet Officii divini Hora perſolvenda eſt. At cùm Tractatus ille ſit paulò fuſior, nec ad Miſſam primariò pertineat, opportuniore loco aliàs à nobis revolvetur.

QUÆSTIO I.

Poſt quam Horam celebranda Miſſa Conventualis in feſtis propriis?

POſt Tertiam in Duplicibus & Semiduplicibus, adeòque etiam in diebus infra Octavas. Ita habet uſus Romanus, à quo nullum alium hac in parte diſſidentem adverto. In Simplicibus verò, ſi quæ dantur propria, (quod affirmare auſi non fuimus *lib.* 2. *cap.* 12. *quæſt.* 4.) poſt Sextam; ſicut in Feriis per annum, ex eadem Rubr. 15. num. 2.

Miſſa in Duplicibus & Semid. dicenda poſt Tertiam. In Simplicibus poſt Sextam.

In hoc tamen poſtremo diſſident noſtrates uſus Galliæ proprii, Pariſienſis, Bituricenſis, Turonenſis, Andegavenſis, Cenomanenſis, Carnutenſis, Aurelianenſis, & alii plurimi, in quibus Miſſa in feſtis ſimplicibus feriiſque per annum, poſt Tertiam, perinde atque in Duplicibus & Semiduplicibus præſcribitur. In feriis verò Adventus, Rogationum, Quatuor Temporum ac Vigiliarum, ubi noſter Romanus uſus Nonam dicendæ Miſſæ aſſignat, præfati uſus ad Sextam præveniunt. At in feriis Quadrageſimæ conveniunt omnes ad Nonam.

Uſus Eccleſiarum Galliæ varius à Romano.

Hujus porrò varietatis Horarum, poſt quas Miſſa Conventualis cantanda præcipitur, quæ ſint myſticæ rationes, docet Micrologus *cap.* 58. & ex eo aliiſque antiquioribus Gavantus *parte*. 1. *tit.* 15. Præciſa hæc magis videtur, quòd cùm Miſſa, uti diximus, uni ſemper ex Horis Canonicis adnectatur, poſt Miſſam verò ſequatur prandium; nihil ſanè pronius eſt, quàm ut dilato prandio, ipſa quoque Miſſa differatur; indeque ortus ordo iſte pluri-

Micrologus. Gavantus.

Prandium poſt Miſſam Conventualem.

Digitized by Google

plurimùm congruus, ut ea diebus feſtis maturiùs, nempe poſt Tertiam, profeſtis poſt Sextam medio quaſi intervallo, diebus tandem jejunii ſeriùs, videlicet poſt Nonam, imminente jam meridie decantetur.

Micrologus.

Quæ ratio probè convenit cum eo quod vulgò aſſeritur de ſolutione jejunii, & habet Micrologus *cap.* 49. eam olim fieri ſolitam fuiſſe in Quadrageſima poſt Veſperas, in aliis verò jejuniorum diebus poſt Nonam, celebrata utique Miſſa quæ idcirco eò uſque differebatur. Convenit item cum eo quod addit Francolinus 1. *parte de Tempore Horarum Canonicarum cap.* 29. *num.* 3. de lætitia Horam Tertiam in Feſtis requirente, luctu Horam Nonam in diebus jejunii, medio verò ſtatu Sextam, quæ prædictarum Horarum media eſt, diebus profeſtis qui neque luctus ſunt, neque lætitiæ.

Francolinus.

Miſſa Conventualis inter duas Horas includenda.

Porrò diſcrimen aliorum à Romano uſuum, ut diebus jejunii extra Quadrageſimam, itemque in feriis Adventus Miſſa non poſt Nonam, ſed poſt Sextam præſcribatur, inde meo quidem judicio proceſſit, quòd cùm pro rato à pleriſque habeatur, Miſſam ſemper inter duas Officii divini Horas mediam includi debere, potuit ipſa in Quadrageſima quidem poſt Nonam rejici, Veſperis nimirum ſtatim poſt ſubſequentibus; at in aliis diebus jejunii, cum poſt Miſſam Veſperæ non ſubſequantur, nulla Hora Miſſam exciperet, ſi poſt Nonam diceretur, ideòque poſt Sextam retinetur, ut Nona ſubſequente inter utramque includatur. Quia verò æquum eſt, ut non eadem Miſſæ Hora diebus jejunii ac luctus cum aliis per annum profeſtis decernatur, his Tertia conceſſa eſt, communi cum feſtis jure, quippe à quibus nihil diſcrepant quoad jejunium ſeu luctum; illis verò Sexta.

QUÆSTIO II.

Faſne ſit Miſſam Conventualem aliis quàm recenſitis Horis reponere?

Quibus ſupereſt alius à Romano uſus proprius legitimus, nullius planè ſugillationis rei ſunt, ſi ſuo ipſi uſu ſtantes à Romano hac in parte diſſentiant. At iis qui Romanum uſum quocumque tandem jure ſequuntur, neſcio ego quo jure liberum ſit Rubricam hanc non perinde atque alias ſervare.

Non licet ob majorem celebritatem.

Majorem celebritatem aliqui cauſantur, frequentioremque populi concurſum Horis Matutinis poſterioribus, quàm prioribus. Verùm prætextum hunc præcidit Sacra Rituum Congregatio in caſu non diſſimili, cùm videlicet declaravit referente Alcocer *in ſuo Ceremoniali*, ſi propter frigus populus tardiùs ad Eccleſiam conveniat, præſtare differri tempus recitandi Tertiam, quàm cantare Miſſam de Feſto ſeu de Dominica poſt Sextam.

Alcocer.

Regularis Inſtituti gratia non facilè relinquenda Rubrica.

Inſtitutum ſuum allegant non pauci Regularium, cujus ſe rationi aliter quàm à ſtatis illis Horis recedendo accommodare facilè non poſſunt. Sic in Ceremoniali Monaſtico *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 4. 5. 6. Miſſa in hyeme, propter jejunium quod tum ſervatur, æquè in feſtis ac feriis poſt Sextam; & è contrario in æſtate, quibus diebus jejunium non eſt, poſt Tertiam in feriis æquè ac in feſtis præcipitur. Laudo ego ſervandi inſtituti zelum, nec damno ullatenus quidquid fit, ſi ex legitima conceſſione ſeu diſpenſatione fiat; citra quam tamen laudabo magis inſtituti Regularis cum Eccleſiæ præſcripto accommodationem, quàm Eccleſiæ præſcripti, ut cum inſtituto Regulari conveniat, declinationem.

Miſſa de feſto nequaquam reponenda poſt Nonam loco Miſſæ ferialis.

Diſplicet verò penitus, tertium quod afferunt perficiuntque aliqui alii, ut Miſſam de Feſto in die jejunii, loco Miſſæ de jejunio poſt Nonam reponant; ipſam verò jejunii Miſſam, vel mane poſt Primam, ſeu Tertiam perſolvant, vel omittant penitus, ob id, inquiunt, quòd & populus frequentior adeſſe ſoleat poſtremis Matutini Temporis Horis, maximè in Quadrageſima, cùm Miſſæ ſubjunguntur Veſperæ, & ipſi Miſſæ ſolemniter decantandæ liberior mora concedatur.

Futiles ſunt rationes iſtæ, præ apertiſſimo Rubricæ cit. textu: *In Adventu, Quadrageſima &c. quamvis ſint dies ſolemnes, Miſſa de Tempore debet cantari poſt Nonam.* Et verò quàm ſit Ritus iſte antiquus, conſtat ex Micrologo cap. 48. diſertis verbis illum adſtruente: *Cùm autem*, inquit, *feſtivitates novem lectionum in Quadrageſima agimus, omnia de feſto die ac nocte, & Miſſam de ipſo ad Tertiam feſtivè dicimus, Miſſam verò de Quadrageſima ad Nonam cum genuflexione.* Quid expreſſius? Apage Rituum iſtos deſtructores magis quàm inſtauratores, qui ſic parvi ducunt ſanctiſſima venerandæ Antiquitatis Decreta refigere.

Micrologus.

QUÆSTIO III.

Quibus in Eccleſiis dici debeant duæ Miſſæ, occurrente Feſto in die jejunii?

Occaſione præcedentis quæſtionis hanc ſubjicio, quæ alioqui ſequenti libro fuiſſet expendenda, ubi agetur de Commemoratione Feriarum & Vigiliarum. Sic autem habet. Cùm ex Rubricis 3. num. 1. & 7. num. 2. occurrente feſto Duplici vel Semiduplici in feriis Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, in Eccleſiis Cathedralibus& Collegiatis, cantandæ ſint duæ Miſſæ, una de feſto poſt Tertiam, & alia de Feria poſt Nonam.

Conventuales Regularium Eccleſias Collegiatarum nomine non comprehendi.

Rodericus. Peyrinus. Pelizzarius Gavantus.

Dubitatur primò, An Eccleſiarum Collegiatarum nomine veniant etiam Conventuales Regularium? Negat Rodericus *tomo* 1. *quæſt.* 43. *art.* 12. eique adſtipulantur Peyrinus *tom.* 3. *privil. cap.* 1. *num.* 10. Pelizzarius *Tractatu* 5. *cap.* 9. *num.* 33. & Gavantus ipſe *pag.* 3. *tit.* 11. *num.* 12. Rationem affert Rodericus, quòd ſicut nomine Eccleſiaſticorum in odioſis Regulares minimè comprehenduntur, ita nec Eccleſiarum Collegiatarum nomine quoad hoc onus veniunt Monaſteria. Non placet Gavanto ratio iſta, ſed quòd, inquit, Eccleſiæ Regularium appellentur propriè Conventuales ab Innoc. IV. in Bulla ejuſdem 7. Bullarii, ad differentiam Collegiatarum, quæ ſunt propriè Canonicorum, ſubdit Flavius Cherubinus. Item *in Clementina* 1. *de Celebratione Miſſarum* diſtinguuntur Eccleſiæ Regulares à Cathedralibus & Collegiatis, & his duntaxat imponitur onus de duabus Miſſis. Addit præterea Pelizzarius obligationem illam, quam ſupponit latam à Pio V. in Miſſali ab ipſo reformato, urgere magis Eccleſias Cathedrales & Collegiatas quàm Regulares, cùm eæ teneantur ratione beneficii ac ſtipendii, hæ verò ſolùm ratione conſuetudinis cauſa devotionis inductæ. Aſſerit denique Rodericus extare Privilegium Martini V. concedentis Regularibus, *quòd in Quatuor Temporibus, vel in diebus Quadrageſimæ, aut Litaniis ſufficiat celebrare Miſſam de Feria, ſi hoc velint, cum commemoratione feſti quod in ipſa die celebratur, niſi eadem die ſit Duplex, aut Semiduplex.*

Refutantur rationes negativæ opinionis.

Æqui ferent boni Authores, ſi contra ipſos pro legitimo Rubricæ ſenſu ſtetero, non alia ductus ratione, quàm ſuarum, quas ipſi afferunt, vacillatione. Nam quod ajunt in odioſis Eccleſiarum Collegiatarum nomine non venire Regulares, odioſum nimis illud eſt, Miſſam, qua nihil ſanctius, inter odioſa computari. Conventuales verò dici Eccleſias Regularium ad diſtinctionem Collegiatarum, haud quidem negaverim; ſed cùm Collegiatæ ipſæ Conventuales quoque appellentur, *cap. Cùm terra, de Electionibus*, & ſæpè ſic uſurpant

pant

pant Canoniſtæ, Annon ut aliàs Conventuales de Collegiatis, ita & de Regularibus Collegiatæ hoc loco æquè poſſunt intelligi? Ratio verò Pelizzarii nedum adverſatur, ut in ea vim etiam facturus ſim pro contraria ſententia, tantùmque lapſus eſt in eo, quòd ſupponit obligationem illam à Pio V. recenter inductam, quam conſtat, tum uſu generali Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum, multis ante Pium V. ſæculis vim legis obtinente, tum etiam teſtimonio Micrologi, quem ſuprà retulimus, Amalarii, Durandi & aliorum eſſe antiquiſſimam. Quod denique ſubdit Rodericus de privilegio Martini V. nullum eſt, tum quia, ut fatetur ipſemet, non fuit niſi vivæ vocis oraculum, cui jam ab Urbano VIII. cum cæteris omnibus derogatum eſt, tum quia de hoc caſu minimè agitur in eo privilegio, ut expendenti verba ipſa liquebit.

Collegiatarum nomine venire etiam Regulares Ordinum Canonicorum & Monaſticorum.

His itaque exploſis, exiſtimo ego Regulares Eccleſias tam Monachorum S. Benedicti, quàm Canonicorum S. Auguſtini, aliaſque ejuſmodi hac lege comprehendi; tum quia plures in iis quotidie Sacerdotes celebrant, quod Rubrica potiſſimùm intendiſſe videtur; tum quia ad hoc fundatæ fuerunt æquè ac Sæculares, ut in iis divinum perinde atque in illis peragеretur Officium, prout ferè ſemper declaratur in Chartis Fundationum (quæ cauſa eadem eſt ob quam Beneficiorum & ipſæ rationem habent,) videturque ipſa divini Officii decantatio, ſummum ac præcipuum eſſe Canonici & Monaſtici Ordinis munus; quod proinde à Regularibus illis, quibus ſua cordi eſt perfectio, pari, ſaltem in majoribus Abbatiis ſeu Congregationibus, atque in Cathedralibus ipſis cultu apparatuque obiri conſuevit. Quare cùm duplex illa Miſſa Feſti poſt Tertiam, & Feriæ poſt Nonam ad perfectionem divini Officii ſpectet maximè, aſſerente id Gavanto cit. *nu.* 7. nullo modo putaverim eam ab ejuſmodi Eccleſiis eſſe removendam, maximè ubi talis conſuetudo perſeveravit hactenus, uti eam perſeverare obſervavi in pleriſque Eccleſiis Ordinis S. Benedicti, etiam minùs inſignibus & numeroſis: quam conſuetudinem non ſola cauſa devotionis inductam, ut vult Pelizzarius, ſed vel ex fundatione propria, vel ex uſu totius Eccleſiæ, legi æquiparari, nemo Juriſperitus negaverit. Et hæc quidem de Eccleſiis Regularibus Canonicorum & Monachorum.

Regularium Mendicantium Eccleſiæ non veniunt nomine Collegiatarum.

De Mendicantium verò Eccleſiis par non eſt omnino ratio; cùm enim eo fine præcisè fundatæ non ſint, ut in iis Canonicum celebretur Officium, nec illud in iis decantetur ratione ſtipendii alicujus, quod Beneficii rationem habeat, ſed potiùs ex conſuetudine cauſa devotionis inducta, multaque ſint munera alia non minùs præcipua ex inſtituto Ordinis in iis præſtanda, ea propter non crediderim eas Collegiatarum nomine venire, ut in ipſis duplex illa Miſſa ex obligatione decantetur. Nec verò hanc eſſe conſuetudinem in ulla Mendicantium Eccleſia hactenus obſervavi, niſi in præcipuis quibuſdam Conventibus, iiſque numeroſioribus, quales ſunt Lutetiæ Pariſiorum. At nec in iſtis, quæcunque conſuetudo ejuſmodi vigeat, ea inſtar legis, aut ab Eccleſia, aut ab Ordine impoſitæ, ullatenus eſt habenda.

Neque item Parochiales.

Dubitatur item de Parochialibus, & quibuſcunque aliis Eccleſiis non Collegiatis, An illarum aliquæ Collegiatarum nomine quoad hoc veniant, maximè ſi in iis plures quotidie Sacerdotes celebrent? Certum eſt non venire, tum quia nullo modo in jure appellantur Collegiatæ, tum quia non ſunt primò & per ſe ad Officium Canonicum totum cunctis diebus celebrandum deſtinatæ, ſed ad partem dumtaxat, putà ad Veſperas diebus feſtis, aut Matutinum in præcipuis ſolemnitatibus ut devotioni populi ſatisfiat. Ubi tamen fundatio aliqua ſeu ſtipendium à Parochianis ad id ſuppeditatur, ut fiat Officium in Parochiali Eccleſia perinde atque in Collegiatis, dubium non eſt quin & Miſſa jejunii occurrente feſto æquè ſit decantanda, id exigente, non lege Eccleſiaſtica, ſed titulo juſtitiæ; itque eſt uſus Pariſiis majorum illarum Parochiarum, quæ Sacerdotum numero, Chorique diſciplina, Cathedralibus, inſignioribuſque Collegiatis vel nihil, vel parum cedunt.

Gryet. Heortologia.

Non ideo cenſenda eſt Eccleſia Collegiata, quod in ipſa plures Sacerdotes celebrent privatim.

Quæſtio denique eſſe poteſt de iis Eccleſiis, in quibus plures quotidie Sacerdotes privatim celebrant, nec tamen in iis canitur divinum Officium aut Miſſa ulla Conventualis, An videlicet de jure ſit, ut Sacerdotum illorum unus Miſſam dicat de Feria, cæteris de Feſto celebrantibus. Exiſtimarunt aliqui apud Gavantum *nu.* 8. id inferri ex verbo *dicuntur*, quod habet Rubr. 7. quaſi eo ſignificetur prædictam Miſſam de Feria, etiam privatim dicendam, in eo caſu in quo plures Sacerdotes in aliqua Eccleſia celebrant. Sed revera talis non eſt Rubricæ ſenſus, ut Gavantus ipſe demonſtrat; quamquam id ipſe laudat, ſi fiat: Laudo & ego, probaremque maximè, ſi in ejuſmodi Eccleſiis Sacerdoti, qui ultimus omnium celebrat, Miſſa de feria in tali caſu dicenda mandaretur.

Poteſt tamen Sacerdos unus de Feria celebrare.

QUÆSTIO IV.

Qualis ſit prædicta obligatio, & quot debent eſſe Sacerdotes in Eccleſia, ut ei ſit locus?

Gravis eſt imò graviſſima ejuſmodi obligatio. Gavantus.

GRavem eſſe prædictam obligationem, imò & graviſſimam, Gavantus ſuprà cit. *parte* 3. *tit.* 11. *num.* 7. 8. & 9. colligit, tum ex his Rubricæ utriuſque verbis, *cantantur* & *dicuntur*, quæ licèt ex ſe ſint enunciativa, vim tamen imperativorum hic habent, accedente maximè Pii V. Pontificis præcepto in virtute ſanctæ obedientiæ, ut decantetur Miſſa juxta normam, ritum & modum à ſe præſcriptum; tum ex ritu ipſo, quem eſſe notabilem probat ipſius antiquitas, jugiſque in Eccleſia obſervatio, octies repetita in Miſſali præſcriptio, ac Miſſæ ipſius ferialis cum Officio proportio ſeu dependentia. Firmat denique Gavantus ſuam illam opinionem authoritate multorum doctiſſimorum virorum, quos à ſe conſultos idem ſecum cenſuiſſe teſtatur. Quibus omnibus accedit quoque S. Caroli Borromæi Decretum in Concilio IV. Provinciali editum, quod ſic habet: *Quibus diebus ex Miſſalis Romani Rubricarum præſcripto in Eccleſiis Cathedr. & Colleg. duas Miſſas Conventuales celebrari oportet, eæ ambæ canantur: quod ſi Capitulum præſtare omiſerit, neglexeritve, non ſolum illius diei in quo huic muneri defuerit, verùm etiam alterius diei diſtributionibus mulctetur.* Item Decretum Sacræ Rit. Congreg. *die* 16. *Maji* 1626. declarantis, etiam ex neceſſaria negotiorum Capitularium cauſa non poſſe Ferialem omitti.

S. Carolus Borromæus.

Miſſa feriæ debet cantari Choro præſente.

Ecquis porrò tam multis firmiſque adeo rationibus reluctabitur? Quin & ſubſcribo ego eidem Gavanto negenti ſufficere, ſi altera illarum Miſſarum nempe de feria dicatur privatim Choro abſente; damnoque abuſus, ſicubi talis conſuetudo inducta eſt, tum quòd Rubricæ 3. textus expreſsè habeat, *cantantur*; *dicuntur* verò, quod eſt in Rubrica 7. ſic ſuppleri debet, *dicuntur cantando*; tum quòd Miſſa ipſa de Feria verè Conventualis eſt, ac proinde præſente Choro cantanda, æquè ac Miſſa de Feſto; adeò ut conceſſeris aliàs Franciſcus Samarinus Doctor Beneficiatus Eccleſiæ Lateranenſis, referente ipſomet Gavanto, poſſe has duas Miſſas ab eodem celebrari, ſi fortè unus tantùm Sacerdos ea die in Eccleſia Collegiata celebrare queat: quod tamen jam locum non habet, Rubrica ipſa ſupponente plures in Eccleſias Sacerdotes celebrare.

Plures cenſentur eſſe Sacerdotes ſi fuerint decem, aut etiã ſeptem.

Ut verò plures cenſeantur ex mente Rubricæ; quot eſſe debent, ſi pergis quærere, nihil ad hoc reſpondet Gavantus. Pelizzarius ſuprà cit. decem

aſſignat, concedens & ipſe in Monaſteriis, in quibus tot numero degunt Sacerdotes, utramque Miſſam Feſti & Feriæ eſſe cantandam. Videtur mihi numerus iſte paulò latior, eò maximè, quòd multæ ſint Collegiatæ, in quibus ne decem quidem ſunt Canonici, quas tamen nemo ab hac lege eximit. Sed nec dixerim quoque duos treſve ſufficere, propterea quòd Gloſſa *in cap. Nullus*, *De Electionibus*, duos aſſerat facere Congregationem, tres verò Capitulum: nam ſtrictior eſt ille numerus quàm par ſit ad mentem Rubricæ tale onus imponentis. An non æquum tibi ſatis videbitur, ſi quot à Pontifice requiri ſolent in concedendo Eccleſiis Altare privilegiato, totidem hic, nempe ſeptem opus eſſe definiero; adeò ut infra hunc numerum plures minimè cenſeri debeant? Imò nec ſi interdum contingat plures in aliqua Eccleſia celebrare Sacerdotes quàm ſeptem, ideò locum habebit Rubrica de duabus Miſſis, cum expreſsè id exigatur, ut plures illi Sacerdotes *quotidie celebrent*, hoc eſt more in ea Eccleſia conſueto, & non tantùm ex accidenti.

QUÆSTIO V.

Qua hora dicenda Miſſa in Vigiliis Feſtorum propriorum, item in Officio hebdomadario?

Miſſa Vigiliæ communiter poſt Nonam.

QUod ad Vigilias attinet, ſi eæ ritu luctuoſo cum precibus ferialibus more conſueto Vigiliarum celebrentur, Miſſa dicenda erit poſt Nonam. Si verò ritus duplex inchoetur à Laudibus, aus pronunciato ad Primam Martyrologio ſtatim ad Tertiam incipiat ſolemnitas, poſt ipſam Tertiam: denique ſi ritus fuerit ſimplex, poſt Sextam. Itidem de Officio hebdomadario, quod ſi ritu Duplici, vel Semiduplici celebretur, Miſſa dicenda erit poſt Tertiam; ſi ſimplici, poſt Sextam. Verùm ut ſunt uſus ejuſmodi proprii Eccleſiarum particularium, ſi qua ab iis alia Miſſæ hora decreta erit, ipſam haud abnuo retineri poſſe.

QUÆSTIO VI.

Poſt quam Horam cantandæ ſunt Miſſæ votivæ?

Votivæ ſolemnes poſt Nonam.

MIſſæ votivæ aliæ ſolemnes pro re gravi, vel publica Eccleſiæ cauſa cum populi frequentia, aliæ non ſolemnes, quæ videlicet non ſunt pro re gravi, & licèt cantentur, non tamen cum tanta ſolemnitate. Utræque non correſpondent Officio diei, ideòque priores illas Rubr. xv. num. 5. aſſignat poſt Nonam, quaſi ea Hora ad id omnium ſit congruentiſſima. Quid ita verò? An ob frequentiam populi qui dum tardiori Miſſæ intereſt, quaſi ſuo jejunio Orationi publicæ vires addit? Hanc rationem affert Gavantus in hunc locum. Arridet magis alia quam conjiciendam relinquit, nimirum cùm ea Hora ultima ſit Officii Matutini, quod ut plurimum in Veſperis mutatur, inde fit, ut Miſſa illa diſcordans inter utrumque Officium reponatur, nulli eorum intermixta.

Ratio cur Miſſa in Vigiliis dicatur poſt Nonam.

Quæ ratio facit etiam pro Miſſa Vigiliæ infra Octavas occurrentis, putà Vigiliæ Aſſumptionis infra Octavam S. Laurentii. Nam cùm Officium factum fuerit de Octava uſque ad Nonam, Veſperæ verò futuræ ſint de feſto Aſſumptionis, Miſſa Vigiliæ diſcordans ab utroque illo Officio non poteſt congruentiùs reponi, quàm poſt Nonam, peracto jam Officio Octavæ ante Veſperas, in quibus incipit Officium de Aſſumptione. Qui verò Miſſam Vigiliæ poſt Sextam reponunt, non ita ſibi cavent à permixtione Officiorum.

Eſt tamen hic adnotandum quòd quibus talis uſus eſt, ut extra dies jejunii Nona ſemper poſt prandium dicatur, ii juxta ſuum uſum, Miſſam votivam ſolemnem cantare debent poſt Sextam, cùm ea ſit ultima Hora quæ matutino tempore perſolvatur.

Miſſæ votivæ non ſolemnes, ſi ſint Conventuales, poſt Sextam, aliæ poſt Primam, vel etiam poſt Matutinum.

Quod ad alias Miſſas votivas attinet, quæ ſolemnes non ſunt, nullam iis Horam præſcribit Rubrica. Quid ergo juris? Diſtingue: vel ſunt ipſæmet Conventuales, quales permittit Rubr. xv. num. 3. quando fit Officium de feria, & non eſt reſumenda Miſſa Dominicæ præcedentis quæ fuerit impedita, & tunc dicendæ ſunt poſt Sextam perinde ac Miſſa de Feria, cujus loco ſubſtituuntur; vel non ſunt Conventuales, ſed extraordinariæ, ſive ex Fundatione, ſive ex Devotione, aut alia quacunque de cauſa, & tunc ſervandus erit mos cujuſque Eccleſiæ. Utplurimùm autem ſolent ejuſmodi Miſſæ dici poſt Primam, nonnunquam etiam poſt Matutinum; ſemper verò ante Miſſam principalem diei.

QUÆSTIO VII.

Poſt quam Horam dicenda ſit Miſſa pro Defunctis?

Solemnis poſt Nonam, non ſolemnis poſt Primam, vel poſt Vigilias.

PErinde reſpondendum atque de aliis Miſſis votivis: Nam ſi fuerit ſolemnis, qualis eſt in die Commemorationis omnium Defunctorum, & in die depoſitionis Defuncti, vel Tertio, Septimo, Trigeſimo, aut Anniverſario, dicenda erit poſt Nonam. Si verò non fuerit ſolemnis, ſed quotidiana, poſt Primam; vel ſi dicantur Vigiliæ cum Laudibus, poſt ipſaſmet. Ita Rubr. xv. num. 3. Quibus verò uſus eſt ut Nona poſt prandium rejiciatur, ii Miſſam ſolemnem Defunctorum mane poſt Sextam cantant; ſicut & qui in die Commemorationis Defunctorum aliud Officium non habent quàm Defunctorum, ii Miſſam conformem ejuſmodi Officio poſt Tertiam, more feſtorum reponunt.

QUÆSTIO VIII.

An in Miſſis privatis ſervanda ſit præfata ratio Horarum?

Ad privatam Miſſam requiritur tantùm ut Sacerdos dixerit Matutinum cum Laudibus.

TAntùm exigit Rubrica, ut Sacerdos Matutinum cum Laudibus abſolverit: quæ conditio qua ratione obliget diſputant pluribus Summiſtæ: De cætero libera relinquitur omnis Hora dicendæ Miſſæ privatæ ab aurora uſque ad meridiem, qua de re graves item quæſtiones movent Summiſtæ, quas nunc attingere noſtri inſtituti non eſt.

Quantum tempus patitur Miſſa privata dicenda perinde ut Conventualis.

Eſt autem valdè laudabile, ſi Sacerdos in privata Miſſa eamdem ſervet, quantum tempus patitur, rationem Horarum, quæ in Conventuali. Dixi, quantum tempus patitur; nam ſi die jejunii verbi gratia, Miſſam bene mane celebret, non debet propterea accelerare recitationem Horarum uſque ad Nonam; aut è contrario ſi tardiùs, ac circa meridiem, differre eò uſque Tertiam.

HEOR-

Digitized by Google

HEORTOLOGIÆ
LIBER QUARTUS.
DE VARIIS FESTORUM
Propriorum accidentiis.

Quod primum in animo fuerat, cujuſque gratia cætera ſuſcepta, quæ de Feſtis propriis hactenus à nobis diſputata ſunt; opportunè id demum ſeſe offert, ut inveſtigata prioribus tribus libris, qua fieri potuit ſedulitate, multiplici feſtorum ejuſmodi indole, vario item ritu, ipſoque quod in iis compleri debet Officio, ad varias deinceps eorumdem cum aliis ſeu feſtis, ſeu Officiis conjunctiones, oppoſitioneſque hocce libro diſcutiendas veniamus. Ut enim ſuas habent aſtra in cœlo συζυγίας, ex quibus prodeunt Eclipſes, aliæque ipſorum inter ſeſe viciſſitudines & alternationes: ita feſtis locorum propriis, ſua eſt cum Officio de Tempore, item & cum aliis feſtis coincidentia, mutuuſque concurſus; ex quo varios inter utraque conflictus, variamque jurium hinc inde, ſeu aſſertionem, ſeu jacturam oriri neceſſe eſt. Idipſum verò cùm pars magna ſit ac præcipua controverſiarum omnium, quæ in hoc toto Rubricarum argumento agitari ſolent, ſic pertractare lubet, ut cùm de feſtis propriis ſermo omnis futurus ſit maximè, nihil tamen omittamus eorum, quæ ad quorumcumque feſtorum, ſeu Officiorum mutuam inter ſe convolutionem, complicationemque diluendam pertinere videbuntur.

Varius Feſtorum cum Officio de Tempore concurſus cauſa omnium controverſiarum.

Ordo autem ſeu methodus erit ejuſmodi. Feſtorum ſeu Officiorum duorum inter ſe colliſio in hoc poſita eſt, ut vel ambo in unum eumdemque diem incidant, ut cùm feſtum S. Andreæ incidit in Dominicam primam Adventus; vel in duos quidem, ſed qui ſeſe proximè conſequantur, feſto videlicet altero pridie celebrato, putà Nativitatis Domini, altero vero poſtridie celebrando, putà S. Stephani. Primum dicitur Occurrentia, ſecundum Concurrentia. Ex Occurrentia id efficitur, ut cùm nonniſi de uno fieri poſſit Officium, de altero neceſſe eſt, vel fiat tantum commemoratio, vel ipſum totum in alium diem transferatur.

Ordo tractandorum hocce libro.

Occurrentia, Concurrentia, Translatio, Commemoratio.

Erit itaque Sectio prima, de commemorationibus. Secunda, de Translatione feſtorum. Tertia verò tota de Concurrentia ipſa, prout in Veſperis attenditur, ut vel de uno fiant integræ, cum, aut ſine commemoratione alterius, vel de utroque mediæ. Quarta conſequenter erit de variis in Officio mutationibus ex varia ac multiplici feſtorum ſive Occurrentia, ſive Concurrentia contingentibus. Cui demum quintam annexemus, de Officiis Miſſiſque votivis, quæ certis diebus, vel pro opportunitate temporis, ultra diei currentis Officium, vel præter Miſſæ ordinem uſurpantur.

Hoc verò totum idcirco accidentiarum nomine comprehendimus, quia nihil eorum intrinſecus ad feſta ipſa propria abſolutè, atque in ſeipſis ſpectata pertinet; ſed iis illud quidquid eſt, relativè ſumptis extrinſecus ex reciproca cum aliis Officiis cohæſione advenit.

Cur prædicta accidentiarum nomine appellata.

Porrò exigit à nobis pars iſta Tractationis, ut poſthabita, quam ſuperioribus libris non adeò neglexımus, aſperſione omni doctrinæ, cultiorique eruditionis, puras hic putaſque Rubricarum explicationes tradamus.

SECTIO PRIMA

Complectens accuratam inprimis explanationem Rubricæ IX. generalium de commemorationibus, aliarumque inſuper particularium, cum hacce tamen reſtrictione, ut cùm ex duplici capite oriatur neceſſitas commemorationis, ex Occurrentia videlicet & Concurrentia, primum illud Caput hìc duntaxat attingamus, poſteriore ad tertiam Sectionem rejecto.

CAPUT I.

De Commemorationibus in genere.

Tractationem de commemorationibus poſtponit Gavantus Concurrentiæ Officii ac Translationi feſtorum, nos vero præmittimus, ſervato non tantùm Rubricarum, ſed etiam naturæ ipſius ordine; magis ſiquidem hærere ſibi ipſi videtur Officium proprio die etiam cum ſola commemoratione factum, quàm cùm per Translationem longiùs ab eo dimovetur.

QUÆSTIO I.

Quid ſit, & quorum fiat commemoratio?

Commemoratio ſupplet vices Officii.

EJus fit commemoratio, de quo fieret Officium, niſi ab alio digniore impediretur. Eſt itaque Commemoratio pars quædam exigua Officii, in ipſius integri locum ſubſtituta, & quaſi vicem ſupplens. Ex quo ſequitur eorum dumtaxat fieri commemorationem, quorum contingit Officium ab alio impediri. Sunt autem horum quinque capita, videlicet Dominicæ, Feriæ, Feſta ſimplicia, Vigiliæ, & Octavæ, de quibus ſingulis agetur poſthac ſeorſim. Feſta verò Duplicia & Semiduplicia hic non recenſuimus, quia licèt commemorationem aliquando ſuſcipiant, haud tamen vice Officii integri, quod nunquam ex toto deperditur, ſed tantùm vice Veſperarum in concurſu, qua de re jam non agitur. Excluduntur item ab hac ſerie commemorationes communes ſeu Suffragia Sanctorum, quæ per annum fiunt extra Duplicia & Octavas, non ſunt enim illa in vicem & ſupplementum alicujus Officii quod fieri debeat.

QUÆSTIO II.

Quibus conſtet commemoratio, & quo in loco fiat?

Conſtat Commemoratio Antiphona, Verſu, & Oratione.
Gavantus.

COnſtat Antiphona, Verſu & Oratione; Antiphona in Veſperis ea ſumitur, quæ eſt aſſignata pro Cantico *Magnificat* Officii illius, de quo fit commemoratio; in Laudibus verò, quæ pro *Benedictus*: quippe ait Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 11. *num.* 31. nobiliores Antiphonæ. Verſus, qui utrobique ponitur poſt Hymnum. Oratio ex eodem pariter Officio. Quando verò eadem pro commemoratione occurrent dicenda quæ jam in Officio dicta fuerint, varianda erunt quæ Laudum ſunt cum Veſperis, & quæ Veſperarum cum Laudibus, ut habetur *num.* 8. *hujus Rubricæ*, & explicat fusè Gavantus cit. *num.* 28. 29. 30.

Commemoratio non fit niſi in Veſperis & Laudibus.

Fit autem commemoratio non omnium ſemper utrobique, ſed aliorum in uno tantùm, aliorum verò etiam in altero, ut infrà dicetur; nunquam verò in aliis Horis. Tantùm ad Matutinum legitur plerumque nona Lectio propria de Sancto, vel de Homilia Dominicæ ſeu Feriæ, de quibus fit commemoratio.

Quando plures Lectiones in unam ſimul jungendæ?

Id autem obſerva, ut ſi duæ fuerint Lectiones Sancti propriæ, utraque in unam conjungatur. Itidem ex tribus Lectionibus Homiliæ formatur vel prima tantùm, vel tres ſimul in unam conjunctæ, quod liberum relinquit *Rubr.* 26. *de Lectionibus num.* 3. Fallor ſi poſtremum hoc plures elegerint. Nona verò Lectio ejus, de quo fit Officium, in eo item caſu ex eadem Rubrica, vel omittenda, vel jungenda octavæ, ut de duabus fiat una; quod utique liberum relinquitur. Præſtare autem ut jungatur, aſſerit Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 12. *num.* 18. in Feſtis SS. Septem Fratrum Martyrum, SS. Nerei & Achillei, & ſimilium, quorum videlicet encomia & laudes propriæ in nona Lectione continentur.

Gavantus.

Commemorationes fiunt etiam in Miſſa.

Denique fit etiam in Miſſa commemoratio eorum de quibus facta eſt in Officio, adjecta de iis ſecunda Oratione, vel etiam tertia & pluribus, ſi plures occurrant. Neque laudabilis eſt ullatenus quæ prætenditur inſignioris cujuſdam Eccleſiæ conſuetudo, nullam in Miſſa unquam faciendi commemorationem, ſed unicam duntaxat quocunque die vel feſto Orationem admittendi: imò abuſus eſt omnino tollendus, repugnat enim quàm maximè tum legitimo ac conſtanti reliquarum omnium Eccleſiarum uſui, tum etiam integræ illi ac perfectæ Miſſæ cum Officio conſonantiæ, quam tantoperè commendant non tantùm Rubricæ, ſed etiam Sacri Canones, Capite *Quadam*, & Capite *Cum Creatura*, de Celebr. Miſſarum. Tolerabilior verò eſt, ſaltem non carpendus uſus Pariſienſis, jungendi in feſtis primæ & ſecundæ claſſis Orationem Dominicæ, ſeu Feriæ de qua fit commemoratio, cum Oratione diei ſub uno *Per Dominum*, ut una eſſe appareat ad majorem ſolemnitatem.

Uſus Pariſ.

Evangelium Dominicæ vel Feriæ in fine.

Denique legitur in fine loco Evangelii S. Joannis, Evangelium Dominicæ vel Feriæ, cujus facta eſt commemoratio. His verò omnibus lucem afferent pleniorem, quæ de ſingulis dicenda occurrent inferiùs.

QUÆSTIO III.

Quis ordo ſervandus in concurſu plurium commemorationum?

Ordo Commemorationum.

IS qui præſcribitur *num.* 11. Rubricæ hujus, quique idem eſt pro commemorationibus ex Occurrentia, & ex Concurrentia. Sic autem habet: De Duplici fiat ante Dominicam, de Dominica ante feſtum Semiduplex, de Semiduplici ante diem infra Octavam, de die infra Octavam ante ferias Adventus, Quatuor Temporum, Vigiliarum & ſecundæ Rogationum (omiſſis Quadrageſimæ, quia in ea nullæ fiunt Octavæ.) De dictis Feriis ante feſtum ſimplex, ſicut & de B. Maria in Veſperis Feriæ ſextæ, quando in Sabbato ſequenti fit de ea. Ante verò ſupradicta omnia, de S. Paulo in Officio S. Petri, & de S. Petro viciſſim in Officio S. Pauli. Qui uſum habent Octavarum ſimplicium, ſeu ut vocant minorum, aut non ſolemnium, earum commemorationem poſtponunt commemorationi feſtorum ſimplicium; ſed hoc nihil ad Romanum attinet, cujus unica ſpecies eſt Octavarum. Eſt id Romani uſus, ut inter plures Octavas, de digniori fiat commemoratio ante minùs dignam.

CAPUT II.

DE COMMEMORATIONE Dominicarum.

Dominicarum triplex ordo.

DOminicæ univerſim triplicis ſunt generis, aliæ majores primæ claſſis, quæ nunquam omittuntur, videlicet primæ Adventus & Quadrageſimæ, Paſſionis, Palmarum, Paſchæ, in Albis, Pentecoſtes, & Trinitatis; aliæ majores item ſecundæ claſſis, quæ non omittuntur niſi occurrente Patrono, vel Titulari Eccleſiæ, & ejuſdem Dedicatione, ſuntque hæ 2. 3. & 4. Adventus, Septuageſimæ, Sexageſimæ & Quinquageſimæ, 2. 3. & 4. Quadrageſimæ. Reliquæ omnes, minorum ſeu communium loco habentur, tam quæ per annum ſunt, quàm Paſchalis Temporis.

QUÆSTIO I.

An & qualiter fiat commemoratio Dominicarum primæ & ſecundæ claſſis?

Dominicæ primæ claſſis, nunquam ſola commemoratione transfiguntur.

NUnquam id accidit, ut de Dominicis primæ claſſis fiat commemoratio ratione feſti occurrentis, quia quodcunque feſtum in illis occurrat, etiamſi fuerit Patroni principalis, ſeu Tituli Eccleſiæ, aut Dedicationis ejuſdem, transfertur, *ex Rubr.* 4. *de Dominicis num.* 1. *& Rubr.* 9. *de Comm. num.* 3. neque verò id laudabile ſi ullibi fiat contrarium. Rationem affert Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 5. *numero* 11. Quia decet populum moveri ad myſteria majora Redemptionis noſtræ, in

hiſce

Digitized by Google

hiſce Dominicis commemorata. Valet id quidem quoad Dominicas Palmarum, Paſchæ, Pentecoſtes ac Trinitatis, quoad alias verò exiſtimaverim cauſam eſſe potiorem, quòd eæ Dominicæ initium dent certis temporibus, ſtatiſque Officiis, quæ cùm hebdomadarum ordine procedant, alia die inchoari non debent quàm Dominica.

De Dominicis ſecundæ claſſis, fit commemoratio occurrente in iis feſto Duplici primæ claſſis.

Dominicarum verò ſecundæ claſſis fit commemoratio in utriſque Veſperis ac Laudibus cum nona Lectione de Homilia ad Matutinum, item ſecunda Oratione in Miſſa cum Evangelio in fine, occurrente in iis feſto principali Tituli vel Patroni alicujus Eccleſiæ vel loci, aut Dedicatione Eccleſiæ, (non autem alicujus Cappellæ vel Altaris.) Ita Rubr. utraque mox citata; ubi & ſtatim additur de hujuſmodi principali feſto fieri tantùm in eo loco vel Eccleſia, cujus eſt Patronus vel Titulus aut Dedicatio. Quid ſi non fuerit principalis Patronus vel Titulus Eccleſiæ, & tamen celebretur ritu primæ claſſis, prout contingere poſſe docuimus *libr.* 2. *cap.* 10. *quæſt.* 2. 3. & 4. idemne ſervabitur? Idem omnino; nam in prima Tabellarum, quæ ad calcem Rubricarum poſitæ ſunt, & ex iiſdem excerptæ, ubi de Occurrentia feſtorum agitur, nuſquam habetur Patronus principalis aut Titulus, aut Dedicatio Eccleſiæ, ſed ſimpliciter Duplex primæ & ſecundæ claſſis: ergo quodcunque feſtum erit primæ claſſis, præfato gaudebit privilegio; ſi autem non fuerit ejuſmodi transferetur, & habebit Dominica ſuum Officium. De Antiphonis & Reſponſoriis propriis ejuſmodi Dominicarum, quid agendum in eo caſu, quando de iis fit tantùm commemoratio, dicetur ſuo loco aliàs. De Miſſa verò quæſitum fuit ab aliquibus, num Feſto habente Octavas reponenda ſit in aliqua die hebdomadæ, in qua fiat Officium de Octava, loco Miſſæ de Octava, ea ratione qua itidem potitur Miſſa de Vigilia, loco Miſſæ de Octava: nam alioqui omittenda erit penitus illo anno Miſſa Dominicæ, quod durum nimis videtur? Durum id ſit, ſed cùm idem ſæpè in Dominicis per annum contingat, ut videlicet Miſſa illarum penitus omittatur, tolerandum erit æquè in iſtis, in quibus, præterquam quòd rariùs longè, nonniſi etiam in una Eccleſia, ſeu loco, aut certè in paucis admodum contingit.

QUÆSTIO II.

An & qualiter fiat commemoratio Dominicarum Communium?

Fit commemoratio Dominicarum communium occurrente in iis quocunque Feſto Duplici.

QUocunque feſto Duplici in iis occurrente, cùm de eo fieri debeat Officium, reliquum eſt ut de Dominica fiat commemoratio. Quocunque, inquam, feſto Duplici occurrente, etiam primæ claſſis ſeu ſolemniſſimo; neque traducendus ullo modo ad Romanum, uſus Senonenſis omittens omnem commemorationem Dominicæ in feſtis Annalibus ſeu primæ claſſis. Fuit id quidem legitimum aliàs, quando Dominicæ feſtis occurrentibus impeditæ per hebdomadam reſumebantur; ſed ab emendatione Pii V. ſtatis jam fixiſque in ſua ſede Dominicis, viget in quocunque caſu Rubricæ IV. edictum num. 3. *Ne ulla ex his Dominicis vacet, quin ſaltem de ea fiat commemoratio.* Et quidem in utriſque Veſperis ac Laudibus cum nona Lectione de Homilia ad Matutinum, & ſecunda Oratione ad Miſſam cum Evangelio in fine, ex iiſdem Rubr. ſuprà citatis.

QUÆSTIO III.

An probanda commemoratio Dominicæ infra Octavas, facto Officio de ipſa Octava?

Officium in Dominicis infra Octavas Domini ordinatur de feſto, infra verò alias Octavas de Pſalterio.

ANtiquorum Breviariorum fuit uſus ille tritus ac communis, ut in Dominicis infra quaſcunque Octavas fieret Officium non de Dominica, ſed de ipſa Octava; ab aliis quidem integrum, nulla facta mentione Dominicæ; ab aliis verò excepta Homilia, Antiphona ad Benedictus & Oratione, quæ de Dominica erant. Qui uſus à Pio V. retentus quidem fuit pro Dominicis infra quatuor Octavas Domini, nimirum Nativitatis, Epiphaniæ, Aſcenſionis & Corporis Chriſti, in quibus Officium fit ut in feſto; opportunè id omnino, cùm & Officium ejuſmodi Octavarum, verè Officium ſit Domini, adeoque à Dominica haud alienum; ſed nec Dominicis iſtis, ſaltem tribus prioribus fas eſſet Pſalteriale Officium tribuere, quippe extra ſeriem poſitis Temporum, in quibus Pſalterii curſus locum habet.

In Dominicis infra aliquas Octavas, Officium fit de Octava, & commemoratio Dominicæ. Uſus Pariſ. Meldenſis.

Reliquis verò Dominicis infra alias omnes Octavas reſtitutum eſt Officium Dominicale, utpote quibus opportunum non erat Officium Sanctorum, de quibus fiunt Octavæ. Uſus nihilominus Pariſienſis, in Dominicis infra Octavam Corporis Chriſti, & Aſſumptionis B. Mariæ, totum Officium de ipſa Octava præſcribit cum commemoratione Dominicæ; inſuperque Meldenſis addit Dominicas infra Octavam Inventionis S. Stephani, Patroni item ſeu Titularis loci, ac Dedicationis Eccleſiæ. Quod nec in iſtis ego, nec in aliis ſimilibus cum Romano uſu convenire poſſe ullatenus putaverim.

QUÆSTIO IV.

Qualis eſt commemoratio Dominicarum quæ infra hebdomadam ponuntur?

Singulis ferè annis anticipanda aliqua Dominica in Sabbato præcedenti.

OMnibus annis, quibus littera Dominicalis alia eſt quàm G. & A. una ſemper ex Dominicis poſt Epiphaniam infra hebdomadam eſt reſumenda, ſeu magis anticipanda, ea videlicet, cujus locum ſubit Septuageſima; vel ſi contingat Dominicas omnes poſt Epiphaniam ſuum locum obtinere, anticipanda erit 23. poſt Pentecoſtem, juxta præſcriptum Rubr. IV. de Dominicis *num.* 3. 4. 5. & 6. Id autem cur ſic fiat, non eſt loci hujus explicare.

Ut fit Officium Dominicæ in Sabbato anticipatæ.

Porrò reſumptio ſeu anticipatio ejuſmodi, quoad primum caſum fit in ipſo Sabbato ante Septuageſimam, quoad ſecundum verò ante Dominicam 24. poſt Pentecoſtem; in quo Sabbato fit Officium de Feria ut in Pſalterio, & leguntur tres Lectiones de Homilia illius Dominicæ, cum Antiphona ad *Benedictus*, & Oratione ejuſdem; Miſſa item ſine *Gloria* & *Credo*. Quòd ſi fuerit præfatum Sabbatum impeditum feſto novem Lectionum, fiet id Feria 6. aut ea ſimiliter impedita, alia proximiori feria libera, qualis ſi nulla occurrat in tota hebdomada, ipſo Sabbato legatur nona Lectio de Homilia illius Dominicæ, & de eadem fiat commemoratio in Laudibus per Antiphonam & Orationem propriam: item Oratio ſecunda in Miſſa cum Evangelio in fine; in Eccleſiis item Cathedralibus & Collegiatis dicendæ videntur duæ Miſſæ, una de feſto, altera de tali Dominica poſt Sextam. Si verò eſt infra Octavam aliquam, ſola dicetur Miſſa Dominicæ poſt Sextam, ſine *Gloria* & *Credo*, Oratio ſecunda de Octava. Quòd ſi fuerit feſtum Patroni aut Dedicationis, aut aliud quodvis primæ, vel etiam ſecundæ claſſis, tunc haud incongruum erit commemorationem illam,

non quidem omittere, cùm id nefas ſit ex Rubrica, ſed anticipare die præcedenti.

Peculiaris ratio Dominicæ ſecundæ poſt Epiphan.

Eſt verò Rubrica peculiaris quoad Dominicam ſecundam poſt Epiph. ut videlicet ſi Sabbatum in quo ponatur ejuſmodi anticipatiò liberum non fuerit, fiat de ea prima die poſt Octavam Epiphaniæ, translato Semiduplici feſto quod in ea occurrit; de qua re infrà uberiùs.

QUÆSTIO V.

An in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis in Dominicis feſto impeditis, dici debeant duæ Miſſæ, una de feſto, alia de Dominica?

Nulla eſt obligatio celebrandi duas Miſſas in Dominicis feſto impeditis. Francolinus.

IN nulla id Rubrica præcipitur. Cauſam inquirit Gavantus *parte* 1. *tit.* 7. *num.* 2. affertque hanc ex Francolino, quòd in hoc caſu, utraque Miſſa tam Dominicæ quàm Feſti cantanda eſſet poſt Tertiam, nulla inter utramque mediante Hora Canonica, quod eſt, inquit author ille, incongruum, propterea quòd Horæ mediæ ſunt præparatoriæ ad ſequentem Miſſam. Levis admodum ratio, cui non tam defero, quàm ſi dixeris ritum hunc addictum eſſe jejunio, cujus rei argumentum eſt, quòd ipſa Miſſa in antiquis Miſſalibus, imò & à Doctoribus appellatur communiter Miſſa jejunii; hoc autem nullo modo quadrat Dominicæ.

Miſſa jejunii.

Ubi tamen uſus eſt contrarius retinendus.

Si quibus tamen in Eccleſiis ritus ille inductus eſt, ut præter Miſſam feſti occurrentis, Miſſa alia de Dominica perinde cantetur, atque Miſſa de Feria in die jejunii, (quod vidi ego factitatum in Conventu majori Pariſienſi Minorum,) nedum uſum illum improbaverim, ut etiam laudem maximè, quòd eo nimirum nihil detrahatur, imò addatur aliquid ex genere ſuo perquàm legitimum. Ipſumque adeò quaſi neceſſarium videtur pro Dominicis Quadrageſimæ, quando contingit eas ſic impediri, cùm in nullo die per hebdomadam reſumi poſſint. Miſſa autem ejuſmodi opportuniùs cantabitur poſt Primam, quàm poſt ullam aliam Horam, & in ea nulla fiet commemoratio feſti, ſicut nec in Miſſa feſti ulla fiet commemoratio Dominicæ. Dicetur *Gloria* (ſi poſtulat Dominica) & *Credo*. Oratio 2. & 3. quæ aſſignantur in Miſſa ipſa Dominicæ, excepto quòd infra Octavas ſatius fortè erit, loco Orationis *A cunctis*, cum 3. ad libitum, ſumere Orationem *Concede nos*, vel, *Deus qui corda*, prout fert Octava, cum altera, *Eccleſiæ*, vel pro Papa. Præfatio propria ſive temporis, ſive Octavæ currentis, aut ſi deſit, communis. Color item erit proprius Dominicæ, maximè ſi violaceum ipſa requirit; ubi verò viridem exigit, & feſtum habet, aut eſt infra Octavam, non incongruum erit adhibere colorem feſti habentis Octavam.

Ut ordinanda Miſſa iſta Dominicæ.

Ad commodiorem prædictorum intelligentiam, placuit Tabellam hic ſubjicere, ejuſdem ſitus & formæ cum iis duabus, quæ in calce Rubricarum generalium Breviarii appoſitæ ſunt pro Occurrentia & Concurrentia Officiorum, ut ea arte uno ſtatim aſpectu colligatur, quæ & qualis fieri debeat in quocumque eventu Dominicarum commemoratio.

TABELLA COMMEMORATIONIS Dominicarum

Occurrente in iis	Semiduplici.	Die infra Octavam.	Die Octava.	Duplici per Annum.	Duplici ſecundæ Claſſis.	Duplici primæ Claſſis.
Dominicæ primæ Claſſis,	0	0	0	0	0	0
Dominicæ ſecundæ Claſſis,	0	0	0	0	0	1
Dominicæ per Annum,	0	0	1	1	1	1
Dñicæ infra Hebdom. poſitæ,	2	3	2	2	0	0

1. *Commemoratio Dominicæ in utriſque Veſperis ac Laudibus Feſti cum nona Lectione de Homilia ad Matutinum: item in Miſſa cum ultimo Evangelio in fine.*
2. *Commemoratio Dominicæ in Laudibus Feſti tantum, cum nona Lectione ad Matutinum: item in Miſſa cum ultimo Evangelio, &c.*
3. *Commemoratio Dominicæ in Laudibus Octava, cum nona Lectione ad Matutinum: Miſſa verò de Dominica cum commemor. Octava.*
0. *Non commemoratio, ſed ipſum Officium ſit de Dominica, translato Feſto, aut facta de eo commemoratione.*

Aliæ itidem Tabellæ in ſequentibus Capitibus, pari fine, parique uſu adhibebuntur.

CAPUT III.

DE COMMEMORATIONE FERIARUM.

FEriarum majores aliæ dicuntur, nempe Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & ſecunda Rogationum; aliæ verò minores, cujuſmodi ſunt Feriæ omnes per annum, ac Temporis Paſchalis. Singularis eſt in ſuo genere feria 6. poſt Octavam Aſcenſionis. De ſingulis ſeorſim quærendum.

Feriæ aliæ majores, aliæ minores.

QUÆSTIO I.

An & qualiter fiat commemoratio Feriarum Adventus & Quadrageſimæ?

Commemoratio Feriarum Adventus.

IN quocunque feſto etiam Duplici primæ claſſis, quod celebratur in Adventu, ſemper fit commemoratio Feriæ in utriſque Veſperis, Laudibus ac Miſſa, adde & infra Octavam, ſi quæ alicubi occurrant ante diem 17. Decembris, nec uſus contrarius, ſi quis eſt, cenſendus ullibi legitimus.

Commemoratio Feriarum Quadrageſimæ.

Item in Quadrageſima ab ipſo die Cinerum, hoc inſuper addito quòd legitur ad Matutinum nona Lectio de Homilia in Evangelium proprium cujuſque Feriæ, & in fine Miſſæ legitur ipſummet Evangelium. In Eccleſiis verò Cathedralibus & Collegiatis dicuntur duæ Miſſæ, una de feſto poſt Tertiam ritu feſtivo, ac ſine commemoratione Feriæ; altera de Feria poſt Nonam, ſine commemoratione Feſti, & in hac ſemper dicitur Præfatio Ferialis ſive Quadrageſimæ, ſive de Cruce, quantumcunque propriam feſtum habuerit. Interdictum eſt omnibus omnino Octavis in Quadrageſima, ſi tamen alicubi ex privilegio fiant, quantumcunque Officium ſit de Octava cum commemoratione feriæ, Miſſa nihilominus dici debet de Feria cum commemoratione Octavæ, niſi privilegio ipſo contrarium concedatur.

Notan-

Digitized by Google

In Quadrageſima nullæ fiunt Octavæ. Micrologus.

Notandum verò eſt quod ait Micrologus cap. 58. commemorationem Quadrageſimæ fieri ſolitam ad Matutinum & Veſperas, *per Antiphonam Ferialem cum precibus & Oratione*. Hoc ſi adhuc in uſu eſſet, ut commemorationi Feriarum Quadrageſimæ preces feriales inſererentur, quantum pro more ſuo reclamarent ſegniores, tantum fortè juris hujus conſultiores non improbarent.

Feria 4. Cinerum ac tres priores majoris hebdomadæ, rejiciunt quæcunque feſta.

Excipiendæ ſunt ab hac Regula Feriarum Quadrageſimæ Feria ipſa 4. Cinerum, ac tres priores majoris hebdomadæ, quarum nullam contingit unquam fieri commemorationem; quòd videlicet, quæcunque feſta in iis occurrant, transferantur ut locus fiat Officio Feriæ. Si tamen alicubi de feſto in iis occurrente fiat, (quod à recta Officiorum conſonantia, nimium quantum abhorret) perinde de hiſce Feriis facienda erit commemoratio atque de aliis, niſi quod nec Paſſio integra, nec ultima pars illius, in Feriis 3. & 4. majoris hebdomadæ, ullatenus videtur legenda in fine, ſed Evangelium S. Joannis de more. Ita judicat Cæremoniale Monaſticum *lib. 4. cap. 17. num. 19.* cui & aſſentior.

Cæremoniale Monaſticum.

QUÆSTIO II.

An & qualiter facienda ſit commemoratio Feriarum Quatuor Temporum & ſecunda Rogationum?

De talibus Feriis impeditis fit nona Lectio ad Matut. & commem. in Laud. & Miſſa.

OCcurrente in iis Duplici quocunque, etiam primæ claſſis, adeòque & Semiduplici, ad Matutinum legitur nona Lectio de Homilia Feriæ, cum commemoratione ejuſdem ad Laudes, & ſecunda Oratione ad Miſſam, ac Evangelio in fine. In Eccleſiis quoque Cathedralibus & Collegiatis dicitur una Miſſa de feſto poſt Tertiam, alia de feria poſt Nonam. Itidem in diebus infra Octavas, niſi quòd non dicuntur duæ Miſſæ, ſed una tantùm, eaque tam privata quàm Conventualis de feria, ſine *Gloria in excelſis*, nec *Credo*. Oratio 2. de Octava. Præfatio Communis, ſeu Temporis Paſchalis in Miſſa Rogationum, ex declaratione Sacræ Rituum Congreg. *die 12. Decemb.* 1626. Id verò cùm eſſet certum, ne quis tamen deinceps ambigeret, clariùs expreſſit Miſſale novum Urbani VIII. inſertis hiſce verbis Rubricæ 111. o. 2. *In Vigiliis autem, & Feriis Quatuor Temporum, & ſecunda Rogationum quæ veniunt infra Octavas &c.*

Et hæc quidem valent pro Quatuor Temporibus Septembris, item Adventus & Quadrageſimæ, niſi quòd in his fit etiam commemoratio feriæ in Veſperis, non tanquam Quatuor Temporum, ſed ut Adventus & Quadrageſimæ. Pro Quatuor verò Temporibus Pentecoſtes alia eſt ratio, de his enim nunquam fit commemoratio, quia feſtum in illis quodcunque occurrens transfertur propter Octavam Pentecoſtes.

Commemoratio Rogationum non fit in Officio niſi in Laudibus Feriæ ſecundæ.

Habent aliqui uſus Homiliam & Orationem, itemque Miſſam propriam pro Feria tertia Rogationum æquè ac pro ſecunda, adeòque feſto in ea occurrente, eamdem ſervare Rubricam pro commemoratione Feriæ. Sed alienum id eſt à Romano uſu, juxta quem nulla fit commemoratio Rogationum extra Feriam ſecundam in Officio. Quoad Miſſam verò præcipit Rubrica propria feſto occurrente feria 3. & 4. perinde dicendam Miſſam de Rogationibus ad Proceſſionem, atque in ipſa feria 2. Item in privatis Miſſis, de feſto iiſdem diebus occurrente faciendam commemorationem de Rogationibus: ſed an id intelligendum de quocunque feſto? nullum excipit Rubrica. Exiſtimaverim nihilominus cum Cæremoniali Monaſtico *libr. 4. cap. 12. n. 5.* in feſto Patroni & Dedicationis Eccleſiæ, ſeu Duplici quocunque primæ claſſis, omittendam eſſe ejuſmodi commemorationem de Rogationibus feria 3. & 4. tum quia omittitur commemoratio feſti ſimplicis iiſdem diebus occurrentis, quod tamen ex Gavanto *par. 4. tit. 11. n. 14.* præcedit has Ferias: tum quia à pari non fit talis commemoratio Rogationum in Feſto S. Marci, quod tantùm eſt ſecundæ claſſis. Argues, ergo & in feſtis ſecundæ claſſis occurrentibus in prædictis feriis 3. & 4. ſimiliter erit omittenda commemoratio Rogationum. Bona ſatis conſequentia, cui haud refragarer, niſi viderem ordines annuos contrarium aſſignare in Feſtis SS. Philippi & Jacobi, & Inventionis S. Crucis, quando in eas ferias incidunt. Addequòd perinde fieri poſſe videtur in hiſce feſtis commemoratio Rogationum, atque feſti Simplicis; ſed hujus fit in Miſſis privatis, ergo & illius.

In Miſſa verò fit etiam Fer. 3. & 4.

Cærem. Monaſt.

Gavant.

Gayet. Heortologia.

Occurrente feſto ſimplici fer. 3. Rogationum Miſſa fit de eo.

Gavantus refellitur.

De hac eadem Feria 3. unum addit Gavantus, quod meo judicio parum conſtat, *Si fiat*, inquit, *Officium de ſimplici feſto, poteſt dici Miſſa de eo cum commemoratione Rogationum, vel Miſſa Rogationum cum commemoratione feſti*. Unde, quæſo, colligit id eſſe liberum? Nam verba illa Rubricæ, *in feriis Rogationum, in Miſſis privatis, ſi dicitur de Sancto, fit commemoratio Rogationum; ſi dicitur de Rogationibus, fit commemoratio feſti*. Verba inquam illa, haudquaquam optionem ullam continent, ſed id tantùm volunt ut in qualibet trium illarum Feriarum, cùm Miſſa fit de feſto, putà fer. 2. & 4. de Duplici vel Semiduplici, & etiam fer. 3. de Simplici, fiat commemoratio Rogationum; & è contra ſi Miſſa fiat de Rogationibus, feria 2. quidem, non occurrente feſto Duplici, vel Semiduplici, feria verò 3. etiam ſimplici, fiat commemoratio de Rogationibus. Quod enim habet conſequenter eadem Rubrica, *Feria verò 3. ſi feſtum non occurat &c.* perinde dictum eſt de feſto ſimplici (de quo videlicet etiam fit ea die Officium) atque de Duplici & Semiduplici.

Fer. tertia Rogat. Miſſa de die infra Octavam, ſi occurrat, non autem de Rogationibus.

At quæres unum aliud, quod præfata Rubrica non ſatis reſolvit. An ſi eadem feria 3. fiat Officium de die infra Octavam, ſimiliter & Miſſa de eodem dicenda ſit? Ratio dubitandi eſt, quia ex dictis feſtum ſimplex de quo fit Officium in prædicta feria, habet etiam in ea ſuam Miſſam: ergo & à fortiori, dies infra Octavam, qui potior eſt feſto ſimplici. Sed obſtat aliunde, quòd dies infra Octavam, licèt præferatur Feriæ Rogationum quoad Officium, non tamen quoad Miſſam, ut patet ex eo quòd in ipſa feria 2. facto Officio de die infra Octavam, Miſſa nihilominus etiam privata fit de feria: atqui eadem eſt Miſſa pro feria 3. ergo & idem illius jus. Aſſentior ego magis ut in prædicto caſu Miſſa conformiter Officio fiat de die infra Octavam cum commemoratione Rogationum, idque innuit ſatis Rubrica initio quæſtionis relata ſolam feriam ſecundam recenſens. Nam licèt eadem ſit Miſſa Rogationum feriæ tertiæ, quæ feriæ ſecundæ, non tamen cum eodem jure, quippe non eſt addicta feriæ tertiæ, & eſt ſecundæ; unde occurrente feſto, nec legitur Homilia in Evangelium ad Matutinum, nec ipſum Evangelium in fine Miſſæ, ſicut legitur feria ſecunda; ipſaque adeò Oratio, quæ ponitur in Miſſa, videtur eſſe tantùm ad inſtar votivæ. Convenit mecum Cæremoniale Monaſticum *lib. 4. cap. 12. nu. 5.* nec adverſatur Gavantus *par. 4. tit. 11. n. 14.* ajens commemorationem feſti ſimplicis anteponendam eſſe Orationi Rogationum; quod nec ipſi abnuimus.

Cærem. Monaſt.

Gavanto.

QUÆSTIO III.

An & qualiter fiat commemoratio feriæ 6. poſt Octavam Aſcenſionis?

Octava Aſcenſionis prorogatur ultra octavum idem.

MYſterio non vacat, quòd Feſtum Aſcenſionis præter morem aliorum feſtorum Octavam ſuam ultra octavum diem quodammodo prorogat: quippe cùm Octava quælibet conſummatam in æternitate gloriam repræſentet,

huic Octavæ duo dies additi quid aliod innuunt, quam beatam illam æternitatem nunquam exhauriendam? adeò verum illud eſt, *Dominus regnabit in æternum & ultrà*.

Exodi 5.

Biduum poſt Oct. Aſcenſ. celebratur more Octavarum.

Sed & alia bidui illius ratio eſt, nimirum cùm ambæ ſint cognatæ feſtivitates Aſcenſio & Pentecoſte, nullumque aliud poſt terminatam Octavam Aſcenſionis tempus ſubintret, neceſſe fuit ipſum Aſcenſionis Officium continuari uſque ad Pentecoſtem; continuatio autem iſta id exigere viſa eſt, ut pari ritu fieret atque infra ipſas Octavas, nempe Semiduplici, quamquam & ſimplicem retineant nonnulli uſus proprii; ſed nos de Romano agimus.

De feria 6. poſt Octav. Aſcenſ. impedita, fit com. perinde ac de die infra Octavam.

Hæc porrò Officii ratio, cùm conſequentes duos dies obtineat, nempe feriam 6. & Sabbatum, nonniſi tamen de primo controverſia eſt, omne enim feſtum occurrens in Sabbato, quod eſt Vigilia Pentecoſtes, transfertur. De feria itaque ſexta Feſto occupata, ſic habet Rubrica propria: *Si in ea occurrat feſtum novem Lectionum, fit de feſto cum commemoratione Officii ejuſdem diei, niſi illud feſtum fuerit ex ſolemnioribus, ut dicitur in Rubr. de Commemorationibus*. Ex qua poſtrema clauſula, planum eſt ritum hujuſce Officii more dierum infra Octavam eſſe menſurandum, adeòque juxta hanc regulam, ſi feſtum occurrens fuerit primæ claſſis, nulla fiet commemoratio hujus feriæ, nec in Officio, nec in Miſſa; ſi ſecundæ claſſis, fiet tantùm commemoratio in ſecundis Veſperis: ſi Duplex per annum, fiet commemoratio dictæ feriæ in Laudibus, Miſſa, ac ſecundis Veſperis, abſque tamen Lectione Homiliæ, cujus Evangelium in Dominica fuit ſufficienter lectum: ſi Semiduplex, commemoratio itidem in Laudibus ac Miſſa; in ſecundis verò Veſperis, à Capitulo fiet de feria, cum commemoratione feſti. Negat id Gavantus *ſect. 6. cap. 17. num. 7.* vultque Veſperas integras fieri de feſto cum commemoratione feriæ, quia, inquit, potiùs eſt Occurrentia feſti & feriæ, quàm Concurrentia cum Sabbato ſequenti. Rectè omnino, neque nos inde etiam ſumimus, quòd ſit concurrentia cum Sabbato; ſed cùm ſit occurrentia feſti in ipſa feria 6. & ipſa feria 6. more dierum infra Octavas celebretur, ut diximus, certè præſtandum idem videtur, ac ſi eſſet dies infra Octavam: in tali autem caſu fieret à Capitulo, ergo &c. Si denique dies infra Octavam (de qua an fieri poſſit, alibi quæretur) fiet itidem commemoratio feriæ in Laudibus ac Miſſa: at juxta Gavantum, ipſius Octavæ Officium terminari debet ad Nonam, ita ut Veſperæ ſint de feria, abſque ulla deinceps commemoratione Octavæ. Certumne verò ſit illud, examinabitur ſuo loco inferius.

Refellitur Gavanti opinio.

Poſito quòd fiat Officium de die infra Oct. occurrente fiet commemoratio hujus feriæ.

QUÆSTIO IV.

An contingat aliquando fieri commemorationem cæterarum feriarum per annum, & Temporis Paſchalis.

NUnquam, niſi in caſu quem propoſuimus, *quæſt. 4. Capitis præcedentis*, quando videlicet reſumenda eſt aliqua Dominica, Sabbato, aliove die præcedentis hebdomadæ.

TABELLA COMMEMORATIONIS Feriarum

	Occurrente in iis					
	Semiduplici.	Die infra Octavam.	Die Octavæ.	Duplici per annum.	Duplici ſecundæ Claſſis.	Duplici primæ Claſſis.
Adventus,	1	1	1	1	1	1
Quadrageſimæ,	2	0	0	1	1	2
Secunda Rogationum,	3	4	3	3	3	3
Quatuor Temporum,	3	4	3	3	3	3
Sexta poſt Oct. Aſcenſionis,	7	7	5	5	6	8

1. *Commemoratio in utriſque Veſperis, Laudibus ac Miſſa.*
2. *Commemoratio in utriſque Veſperis & Laudibus, cum nona Lectione de Homilia ad Matutinum: Item in Miſſa cum Evangelio in fine.*
3. *Commemoratio in Laudibus, cum nona Lectione de Homilia ad Matutinum: Item in Miſſa cum Evangelio in fine.*
4. *Commemoratio in Laudibus, cum nona Lectione de Homilia: Miſſa verò de Feria ipſa, cum commemoratione Octavæ.*
5. *Commemoratio in Laudibus, Miſſa & Veſperis.*
6. *Commemoratio in Veſperis tantùm.*
7. *Commemoratio in Laudibus & Miſſa: in Veſperis à Capitulo de Feria.*
8. *Nulla commemoratio Feriæ.*

CAPUT IV.

DE COMMEMORATIONE FESTI ſimplicis.

FRequentiſſimè occurrit ejuſmodi commemoratio, cùm enim feſtum ſimplex nunquam transferatur, & tamen contingat ſæpiſſimè impediri à digniore Officio, supereſt ut de eo fiat commemoratio; qualiter autem ea fieri debeat, breviter accipe.

QUÆSTIO I.

An & qualiter fiat Commemoratio feſti ſimplicis impediti à feſto Duplici, Semiduplici, & die infra Octavam.

IMpeditum à Duplici primæ claſſis, omnino ſupprimitur, neque de eo ulla fit prorſus mentio. A Duplici ſecundæ claſſis, caret commemoratione in primis Veſperis, & in Miſſa ſolemni, habetque tantùm in Laudibus & Miſſis privatis, cum nona Lectione ad Matutinum, ut mox dicetur. A quocunque alio Duplici, Semiduplici, & die infra Octavam, habet commemorationem in primis Veſperis, Laudibus & Miſſa, cum nona Lectione ad Matutinum, modò propriam habuerit, & non de Communi acceptam, alioquin ea carebit. Carebit item ſi coincidat cum Dominica, aut Feria aliqua, ſeu Vigilia, cujus legenda ſit pro nona Lectione Homilia in Evangelium. Cùm autem legitur, jam dictum eſt, ex duabus, ſi tot fuerint, ſimul junctis fieri debere unam. Ita Rubrica de Commemorat. *num. 9.* Brev. Senonenſe adimit Lectionem feſto ſimplici, de quo fit commemoratio in feſto ſemiannuali ſeu ſecundæ claſſis, fortè ne à digniori Celebrante alia quàm de die legatur.

Commemoratio feſti ſimplicis regulariter fit in 1. Veſperis, Laudibus, & Miſſa.

Non legitur nona Lectio de ſimplici, niſi habeatur propria.

Uſus Senon.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quibus aliis diebus fiat commemoratio feſti ſimplicis?

Comm. feſti ſimplicis in Dominicis.

SEorſim illos à prioribus recenſeo quòd ad feſta propria minimè pertineant.

Simplici occurrente in quacunque Dominica, de eo fit commemoratio in Veſperis Sabbati, & Laudibus Dominicæ, cum nona Lectione ad Matutinum ut ſuprà, exceptis Dominicis Adventus, & à Septuageſima uſque ad Paſcha, in quibus omittitur Lectio, quia videlicet non dicitur *Te Deum*, ſed ejus loco Reſp. nonum, quod prædictæ Lectioni minimè quadraret. Fit item commemoratio in Miſſa, præterquàm in Dominica Palmarum. Similiter in Vigilia Pentecoſtes omittitur commemoratio Simplicis in Miſſa, licèt de eo in Officio ut aliàs facta fuerit commemoratio cum nona Lectione ad Matutinum, ex cit. Rubr.

Item in Feriis Adventus, Quadrageſimæ &c.

Simplici occurrente in feriis Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, ſecunda Rogationum, infra octavas Paſchæ & Pentecoſtes, & in quacunque Vigilia, ſicut & in Feria, in qua reſumitur aliqua Dominica, denique in omni Sabbato, in quo fit de B. Maria, ſicut & pari jure, ſtato die hebdomadæ, quo in aliquibus Eccleſiis fit de Patrono, fit de eo commemoratio pridie in Veſperis, ipſaque die in Laudibus ac Miſſa, abſque tamen Lectione, ex eadem Rubr.

De Feſto ſimplici fit tantùm Cõmemoratio pridie in Veſperis, ſi de eo poſtridie non fiat Officium.

Ex alia verò Rubr. de Concurrentia Officii *numer.* 10. eſt illud valdè notandum, quòd de feſto ſimplici occurrente in Feria 4. Cinerum, aut in Feria 4. & 6. quatuor Temporum Septembris, aut in aliqua Vigilia, pridie in Veſperis Ferialibus, in quibus nihil obſtabat quin à Capitulo fieret de Simplici, fiat tantùm Commemoratio, ob eam rationem, quòd non conveniat feſtum illud pridie habere ſuas Veſperas, de quo poſtridie non fit Officium. Qua eadem ratione de feſto ſimplici occurrente feria 5. in Cœna Domini, nulla fit commemoratio pridie in Veſperis. Sunt aliqua feſta ſimplicia, quæ cum aliis feſtis ſimplicibus eadem die occurrunt, in quo caſu de uno fit Officium, & de alio commemoratio in Laudibus, Veſperis & Miſſa, abſque Lectione ad Matutinum.

TABELLA COMMEMORATIONIS
Feſti Simplicis

Occurrentis cum	Duplici primæ Claſſis.	5
	Duplici ſecundæ Claſſis.	3
	Duplici per annum.	1
	Semiduplici.	1
	Dominica ſine *Te Deum.*	2
	Dominica cum *Te Deum.*	1
	Feria majori.	1
	Vigilia.	2
	Alio Simplici.	4
	Die infra Octavam.	1
	Die Octava.	1

1. *Commemoratio in primis Veſperis & Laudibus, cum nona Lectione ad Matutinum, ſi propriam habuerit: item in Miſſa.*
2. *Commemoratio in primis Veſperis, Laudibus & Miſſa, ſine Lectione ad Matutinum.*
3. *Commemoratio in Laudibus & Miſſis privatis tantùm, cum nona Lectione, ſi propriam habuerit.*
4. *Commemoratio poſterioris in primis Veſperis, Laudibus & Miſſa prioris.*
5. *Nihil fit de eo.*

CAPUT V.

DE COMMEMORATIONE VIGILIARUM.

Vigiliæ aliæ communes, aliæ privilegiatæ.

VIgiliarum aliæ communes, quales ſunt Vigiliæ Apoſtolorum, cæteræque omnes, in quibus fit Officium de Feria cum precibus ferialibus; aliæ privilegiatæ, nempe Vigiliæ Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis & Pentecoſtes, quæ videlicet peculiare habent Officium. Hæc verò ſunt, quæ ad ſingulas illarum quoad commemorationem pertinent.

QUÆSTIO I.

An in Feſto primæ claſſis fiat commemoratio Vigiliæ communis occurrentis?

Jejunium Vigiliæ an ſervandum in feſto Patroni. Gavantus.

NEgat diſertè Rubrica VI. de Vigiliis num. 2. neque de hoc ulla eſt controverſia: ſed an ideò quoque non jejunandum? Expedire ait Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 7. *num.* 3. ut in eo caſu authoritate majorum jejunium anticipetur, eo modo quo Vigilia S. Joannis Baptiſtæ incidente in Feſto Corporis Chriſti, jejunium ſervatur pridie ejuſdem feſti, IV. videlicet Feria, ex præſcripto Leonis X. quod & poſſe Epiſcopum in feſto ſolemni Patroni loci, docet Cajetanus, verbo *jejunium*, cum Tabiena & aliis: itaque fit Quintinopoli, ſeu Auguſtæ Veromanduorum in Feſto ipſius S. Quintini Martyris occurrente in Vigilia omnium Sanctorum, quæ eò loci jejunatur pridie, nempe 30. Octobris.

Cajetanus. Tabiena.

Uſus S. Quintini Veromand.

Jejunio anticipato an etiam debet anticipari Officium Vigiliæ?

Hoc verò poſito, anticipandumne etiam Vigiliæ Officium? Negat Gavantus paulò antè citatus, ſubdens ſeparari poſſe Officium Vigiliæ & jejunium ejuſdem, ut in Vigilia Nativitatis Domini cùm occurrit in Dominica. Eſto illud: ſed quid vetat anticipari Officium unà cum ipſo jejunio, uti fit quando Vigilia communi occurrente in Dominica, jejunium Sabbato anticipatur? Certè id non adeo alienum videtur, quod & diſertis verbis expreſſit Breviar. Senonenſe novum *Rubr.* 6. *num.* 2. quamquam ne à Gavanti opinione diſcedam, unum obſtat quod opponi poteſt, id videlicet minimè expreſſum haberi in caſu Vigiliæ S. Joann. Bapt. pridie Corporis Chriſti quoad jejunium anticipandæ.

QUÆSTIO II.

An & qualiter in aliis Duplicibus & Semiduplicibus fiat commemoratio Vigiliæ occurrentis?

Commemoratio Vigiliæ fit in Duplicibus ſecundæ claſſis, æquè ac in aliis inferioribus.

AN, inquam, in Duplicibus ſecundæ claſſis? propterea quòd Rubrica cit. habet, *Si autem in Vigilia occurrat feſtum ſolemne alicujus loci, vel ex ſolemnioribus quæ in Rubrica de Commemorationibus enumerantur &c.* Atqui numerantur in eadem Rubrica duplicia ſecundæ claſſis: ergo &c. Verùm tollit omne dubium eadem Rubrica cùm ſubdit, veluti ſi in Vigilia S. Joannis Baptiſt. venerit Feſtum Corporis Chriſti, eo enim exemplo innuitur omiſſionem commemorationis Vigiliæ adſcribi duntaxat duplicibus primæ claſſis; quod & liquidò conſtat ex annotatis ad primam Tabellam poſt Rubricas. In aliis verò duplicibus tam ſecundæ claſſis quàm per annum, item & ſemiduplicibus, de Vigilia occurrente fit 9. Lectio ad Matutinum de Homilia, & commemoratio ejuſdem in Laudibus & Miſſa, cum Evangelio item in fine. In Eccleſiis verò Cathedral. & Collegiat. dicuntur duæ Miſſæ, una de feſto poſt Tertiam, & alia de Vigilia poſt Nonam.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO III.

Qualiter fiat commemoratio Vigiliæ occurrentis in diebus infra Octavas?

Miſſa fit de Vigilia, cum comm. Octavæ.

FIt ad Matutinum nona Lectio de Homilia, & commemoratio in Laudibus; Miſſa verò tam Conventualis quàm privata eſt de Vigilia cum paramentis violaceis, ſine *Gloria* & *Credo*, Oration. 2. de Octava, Præfatio Communis. Ita præcipit Rubr. III. num. 2. & rationem reddit Gavantus ibidem. Qui & dubium proponit de Vigilia S. Joannis Baptiſtæ incidente infra Octavas Corporis Chriſti. Sed jam dubium omne ſublatum eſt, inſerta hacce clauſula in Miſſali authoritate Urbani VIII. recognito, ad præfatam Rubricam, *Præterquam infra Octavam Corporis Chriſti, in qua in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ, una de Octava poſt Tertiam, alia de Vigilia poſt Nonam. In Eccleſiis autem privatis dicitur Miſſa de Octava cum commemoratione Vigiliæ, & Evangelio ejuſdem in fine.*

Novum jus pro Octava Corporis Chriſti.

In die Octavæ Miſſa non eſt de Vigilia.

Eſt autem intelligenda hæc aſſertio de die infra Octavam, ut habet titulus, non autem de die Octava, quæ inſtar feſti ſe habet, adeoque ſi in eam incidat Vigilia, fit de ea commemoratio eodem planè modo, quo in quocunque alio feſto duplici, ut colligitur ex citata Rubr. num. 1. ubi vox *Octava* de die ipſa Octava accipitur, non autem de qualibet die infra Octavam, ut quidam perperam interpretati ſunt, quos refutat inibi Gavantus citatus.

QUÆSTIO IV.

An & qualiter fiat commemoratio Vigiliarum certis anni temporibus occurrentium?

VIdelicet in Adventu, Quadrageſima & Quatuor Temporibus. Reſpondeo, nihil fit prorſus in Officio, ex Rubr. VI. num. 2. in Miſſa verò fit commemoratio in Quadrageſima & Quatuor Temporibus. In Adventu autem Miſſa dicitur de ipſa Vigilia cum commemoratione feriæ, ex Rubric. III. Miſſalis num. 4. & meritò, cùm nulla ſit Miſſa Feriæ propria, ſed tantùm repetatur in ea Miſſa Dominicæ. Quòd ſi in eadem Vigilia occurrat feſtum Duplex vel Semiduplex, putà S. Saturnini in Vigilia S. Andreæ, erit quidem facienda in Miſſa commemoratio Vigiliæ, poſt commemorationem Adventus, ſed Evangelium ejus legendumne erit in fine? Negat Cæremoniale Monaſticum *libr. 4. cap. 5. num. 10.* Videturque niti authoritate Gavanti *part. 1. tit. 13. littera T.* aſſerentis ideò non dici debere in fine Miſſæ Evangelium Vigiliæ in feriis Quadrageſimæ & Quatuor Temporum, quia de eo lecta non eſt Homilia in Officio. At eſto, valeat quantum poteſt illa ratio, quoad Ferias Quadrageſimæ & Quatuor Temporum, haud tamen idem eſt in caſu propoſito feſti occurrentis; nam ideò in feſto non legitur Homilia Vigiliæ, quia de ea non fit commemoratio ad Laudes, quæ ſi fieret, haud dubiè legeretur Homilia ad Matutinum, cùm nihil impediat; unde per accidens eſt quòd non legitur. At quandumcunque fieret commemoratio Vigiliæ ad Laudes in prædictis feriis, non propterea legeretur Homilia ad Matutinum, adeoque per ſe omittitur. Item in præfata hypotheſi non impedit tempus Adventus, quin dicantur duæ Miſſæ in Eccleſiis Cathedral. & Collegiat. una de feſto, alia de Vigilia, ex Rubric. cit. quæ ſic habet: *In feriis tamen Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum & Vigiliarum &c.* ergo & in Miſſis privatis dici debet Evangelium in fine, par ſiquidem eſt utriuſque ratio.

Refellitur Cæremoniale Monaſticum.

Legendum Evangelium etiam in Adventu in fine Miſſæ feſti occurrentis.

Inanis quæſtio eſt, è duabus Vigiliis una die occurrentibus, an de alterutra, & utranam fieri debeat commemoratio? Caſus enim is neque in Vigiliis, quæ in Calendario deſcriptæ habentur, unquam accidit; nec verò etiam in propriis, ſi quæ alicubi in uſu ſunt; fruſtra enim aſſignaretur Vigilia eo die, quo jam alia habetur, quæ, utpote prior, aliam adventitiam excludit.

Duæ Vigiliæ nullibi ſimul occurrunt.

QUÆSTIO V.

An & qualiter contingat fieri commemorationem de Vigiliis privilegiatis?

DUæ ſunt extra quæſtionem, nempe Vigilia Nativitatis & Pentecoſtes; nullum enim in iis feſtum ullibi celebrari contingit, ſed ſi quod in iis occurrat, transfertur. Neque item quæſtio eſt de Vigilia Aſcenſionis, cujus quod ad commemorationem ſpectat, ſi quando impediatur, par eſt ratio cum aliis Vigiliis communibus. Una ergo ſupereſt Vigilia Epiphaniæ; de qua poſſit eſſe controverſia, ſed quæ ſtatim dirimitur exceptione quam expreſſam habet Rubr. VI. de Vigiliis n. 2. & Rubr. IX. de Commemor. num. 4. (addita eſt exceptio hæc utroque in loco in poſtrema recognitione Urbani VIII.) Quodcunque igitur feſtum Duplex etiam primæ claſſis occurrat in Vigilia Epiphan. fit de ea commemoratio in primis Veſperis & Laudibus, cum nona Lectione de Homilia. Item in Miſſa cum Evangelio in fine. An verò cantabuntur duæ Miſſæ in Eccleſiis Cathedral. & Collegiat. Non audebit aſſerere Francolinus apud Gavantum, ſi vera eſt ejus ratio, duas Miſſas nunquam cantandas poſt unam Horam; utraque enim harum Miſſarum in hoc caſu cantanda erit poſt Tertiam; ſed cùm rationem illam parum valere jam diximus ſuprà *cap. 2. quæſt. 5.* exiſtimo Rubricæ de Vigiliis futurum conformius, ſi duæ Miſſæ cantentur; nec obſtat quòd non ſit jejunium, Vigilia enim Aſcenſionis perinde ſine jejunio eſt, & tamen duas imò tres in ea dicendas eſſe Miſſas, cùm feſto impeditur, declarat propria Rubrica. Imò ſi vera Dominica eſt Vigilia iſta Epiphaniæ, ut infrà eſſe probabitur, dicendam nihilominus ejus Miſſam non improbavimus loco mox citato, & quidem poſt Primam, ſi incommodum videtur duas Miſſas nulla mediante Hora cantare.

Vigiliæ Nativit. & Pentecoſt. excludunt feſtum quodlibet.

De Vigilia Epiph. fit commemoratio quocunque feſto occurrente.

Duæ Miſſæ in eo etiam caſu cantandæ.

De feſto Semiduplici, itemque de die infra Octavam, omiſi mentionem facere in aſſertione; de hoc quidem quoniam novo jure Urbani VIII. interdictum eſt omnibus Octavis à die 17. Decembris uſque ad Epiphaniam. De illo verò quia cùm Vigiliam hanc Dominicæ rationem habere ſim dicturus poſtmodum, conſequens eſt ut in ea non poſſit fieri Officium de occurrente feſto ſemiduplici, quod & aſſerit Gavantus *ſect. 6. cap. 7. num. 1.* Sicubi tamen ſecus fieret in utroque caſu, commemoratio Vigiliæ facienda erit, ut antè dictum eſt. Imò & in die infra Octavam non duæ Miſſæ, ſed unica de Vigilia tam Conventualis quàm privata dicenda erit cum commemoratione Octavæ, & *Credo* etiam extra Dominicam, ſi talis Octava illud habeat; non enim eſt Vigilia ſimplex ſeu Ferialis, ut ſunt aliæ Vigiliæ communes, ſed feſtiva & Dominicalis, adeòque capax Symboli aliunde debiti.

Non fit de feſto Semid. nec de ulla Oct. in Vigilia Epiph.

TABEL-

Digitized by Google

TABELLA COMMEMORATIONIS Vigiliæ		
Occurrentis cum	Duplici primæ Claſſis.	2
	Duplici ſecundæ Claſſis.	1
	Duplici per annum.	1
	Semiduplici.	1
	Die infra Octavam.	3
	Die Octava.	1
	In Adventu.	4
	In Quadrageſima.	5
	In Quatuor Temporibus.	5

1. *Commemoratio in Laudibus, cum nona Lectione de Homilia ad Matutinum: Item in Miſſa cum Evangelio in fine.*
2. *Nulla commemoratio in Officio, nec in Miſſa.*
3. *Commemoratio in Laudibus, cum nona Lectione de Homilia: Miſſa de ipſa Vigilia, cum commemoratione Octavæ.*
4. *Nulla commemoratio in Officio: Miſſa de ipſa Vigilia.*
5. *Commemoratio in Miſſa tantùm.*

De Vigiliis Nativitatis & Pentecoſtes nuſquam fit commemoratio, quia de iis ſemper fit Officium. De Vigilia Epiphaniæ fit commemoratio pridie in Veſperis more Feſti. Ipſa verò die fit Officium novem Lectionum; ſi tamen occurrat alicubi Feſtum Duplex, fiat de eo, cum nona Lectione de Homilia, & commemoratione Vigiliæ in Laudibus ac Miſſa, & ultimo Evangelio in fine.

CAPUT VI.

De Commemoratione Octavarum.

GRadus quatuor Octavarum, quibus ſeſe invicem ſuperant, aſſignat Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 2. eoſque diſtinguit pro jure quo quælibet Octava, vel omnia, vel plura pauciorave feſta à ſe excludit. Nos verò jus illud dumtaxat hic ſervamur, quo commemorationem ſibi retinent, ſi quando occurrente feſto Officium amiſerint; neque tamen idcirco à Gavanti ordine procul ibimus.

QUÆSTIO I.

An contingat aliquando fieri commemorationem Octavarum Paſcha & Pentecoſtes.

Nulla fit commemoratio Oct. Paſchæ & Pentec. quia de iis ſemper fit Officium.

APage uſus omnes hac in parte Romano adverſantes, ſi qui tales uſpiam habentur. Certè nullum ego novi, ſaltem recentiorum, apud quem non omne feſtum infra utramque hanc Octavam occurrens transferatur; adeoque nunquam de utraque contingit ſimplicem fieri commemorationem (unum excipe in quo feſtum quinque Plagarum ritu duplici feria 6. infra hebdomadam Paſchæ celebrandum indicitur.) Imò in Breviario Bituricenſi ſex illi dies hebdomadarum Paſchæ & Pentecoſtes in duplicium primæ claſſis ſerie recenſentur, omnemque adeò ſimplicium commemorationem excludunt.

QUÆSTIO II.

Qualiter fiat commemoratio Octavarum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & Corporis Chriſti?

QUæcunque feſta in hiſce tribus Octavis admittantur, (de qua re inferiùs) fiat ſemper commemoratio illarum in utriſque Veſperis, Laudibus, ac Miſſa, (abſque tamen Lectione de Homilia) *ex Rubr. 7. de Octav. num.* 3. *& Rubr.* 9. *de Commemor. num.* 6. neque laudabilis eſt uſus ullus contrarius. Terminantur quoque Hymni omnes ejuſdem metri per verſum proprium Octavæ, niſi ipſummet feſtum propriam habeat terminationem, quod rarum eſt. In Miſſa item dicitur *Credo*, & Præfatio Octavæ, niſi feſtum quoque propriam habuerit, quæ tamen ipſa nec dicitur infra Octavas Nativitatis, uti arguitur à pari de S. Joanne Evangeliſta. *Communicantes* denique Nativitatis & Epiphaniæ, ſemper dicuntur.

De his Octavis ſemper fit commemoratio, quodcumque feſtum occurrat.

Retinetur quoque Terminatio Hymnorum, & alia quæ ſunt propria Octavæ.

QUÆSTIO III.

An & qualiter fiat commemoratio cæterarum Octavarum?

OCcurrente in illis feſto principalis Patroni, ſeu Tituli, aut Dedicationis Eccleſiæ, ſeu quod idem eſt, duplici primæ claſſis, nulla prorſus fit commemoratio Octavæ, nec in Officio, nec in Miſſa, *ex Rubr. 7. de Octavis numer.* 3. *& Rubr. 9. de Commem. num.* 4. Itidem occurrente in illis duplici ſecundæ claſſis, niſi quòd in ſecundis Veſperis fit commemoratio Octavæ, ſi de ea ſequenti die futurum eſt Officium; alioquin nihil fit, *ex eadem Rubr. 9. num.* 6. Volunt aliqui, de tribus Octavis S. Stephani, S. Joannis & SS. Innocentium fieri debere commemorationem in feſto duplici ſecundæ claſſis, ideò quia fit commemoratio Octavæ S. Stephani in Feſto S. Joannis, quod eſt ſecundæ claſſis. Verùm caſus hic peculiaris eſt; qui ſine Rubrica expreſſa ad alios non eſt extendendus; maximè cum id haudquaquam ex privilegio tribus illis Octavis conceſſum eſſe conſtet, imò verò deſit aliis longè nobilioribus, ſed ex convenientia quadam inter ipſas tres Octavas pari ei quæ eſt inter ipſamet tria feſta, adeò ut de una non fiat commemoratio, quin fiat etiam aliarum, unde vel nulla, vel omnes pariter ſunt omittendæ. Cùmque ex Rubrica generali omnes omittantur occurrente feſto duplici primæ claſſis, quidni occurrente quoque duplici ſecundæ claſſis, cùm illud æquè Rubrica præcipiat?

Omittenda commemoratio Octavæ occurrente dupl. 1. claſſis.

Item occurrente dupl. 2. claſſis.

Occurrente demum alio omni Duplici fit commemoratio Octavæ in utriſque Veſperis, Laudibus ac Miſſa, abſque tamen Lectione de Homilia. Itidem occurrente feſto Semiduplici, niſi quòd in ſecundis Veſperis à Capitulo fit de Octava cum commemoratione feſti.

Commemoratio Octavæ in aliis duplicibus & ſimpl. occurrentibus.

In his verò omnibus occurrentiis, ſive fiat commemoratio Octavæ, ſive non fiat, terminantur Hymni omnes ejuſdem metri per verſum proprium Octavæ, ſi talis habetur, ut infra Octavas B. Mariæ, niſi cùm ipſummet quoque feſtum propriam habet terminationem. Item dicitur in Miſſa *Credo*, ſi Octava id ferat, & Præfatio propria ejuſdem Octavæ, ſi talem habet, & non ſit alia quoque propria feſti; *Communicantes* denique infra Octavam Aſcenſionis.

Terminatio Hymnorum, & alia propria Octavæ retinenda.

QUÆSTIO IV.

Poſſitne tribui Octavis aliquibus, ut de iis fiat ſemper commemoratio quocunque feſto occurrente?

AD inſtar videlicet Octavarum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & Corporis Chriſti? Id juris tribuunt Octavæ Aſſumptionis B. Mariæ, Breviaria, Pariſienſe, Noviomenſe, Meldenſe, & plura alia. Meldenſe item Octavæ Inventionis S. Stephani: nec non fortè alia ſimiliter Octavis ſuorum Patronorum, legitimè id quidem, ſi vel fiat jure proprii Breviarii quod adhuc vigeat, vel vi

receptæ

receptæ ab omni ævo nec intermiſſæ conſuetudinis; ſecùs ſi de novo abſque facultate inducatur. Carpit Gavantus *ſect. 3. cap. 12. num. 25*, aliquem, qui id fieri debere ſcripſerat.

QUÆSTIO V.

Duabus Octavis ſimul occurrentibus utriuſnam fieri debeat Officium cum commemoratione alterius?

Gavantus.

Major dignitas Octavarum unde colligenda?

CErtum eſt ex Rubr. VII. de Octavis num. 3. fieri debere dignioris. At utra eſt dignior? & unde peti debet major illa dignitas unius ſupra aliam? Reſpondet Gavantus *ſect. III. cap. 8. numer. 6.* id attendi debere penes claſſem feſtorum, nam prima claſſis dignior eſt ſecunda. In eadem verò claſſe attendendus ordo perſonarum, videlicet Chriſti Domini, Beatæ Virginis, Angelorum, S. Joannis Baptiſtæ, Apoſtolorum, & aliorum juxta ordinem Litaniarum & Rubricæ de Concurrentia Officii num. 2. Cæteris verò paribus dignior eſt ea Octava quam celebrat univerſalis Eccleſia. Ex qua Gavanti reſolutione congrua ſanè ac perquàm opportuna inferas

Nulla Octava præfertur Octavis Feſtorum Domini.

Primò: Nullam prorſus Octavam præferri debere Octavis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis & Corporis Chriſti; quod adeò verum eſt, ut licèt feſta quædam propria in quibuſdam Eccleſiis ſolemniori ritu celebrentur quàm feſta Epiphaniæ & Aſcenſionis, haudquaquam tamen Octavæ illorum, horum Octavis præferantur. Sic in Eccleſia Bituricenſi, quantumcunque feſtum S. Guillelmi ritum Cantoris, ut vocant, obtineat, Epiphaniæ verò feſtum nonniſi Succentoris, fit tamen de Octava Epiphaniæ cum commemoratione Octavæ S. Guillelmi. Itidem in Eccleſia Turonenſi, cùm Octava S. Gatiani, quod feſtum Annuale eſt, incidit infra Octavam Aſcenſionis, quod non eſt niſi quinque candelabrorum, de hoc nihilominus fit cum commemoratione illius. Imò nec ſi feſtum habens Octavam propriam, Domini fuerit, idcirco præfertur ejus Octava ſupradictis, ut patet exemplo Inventionis S. Crucis, cujus Octava in Eccleſia Aurelianenſi, ſaltem juxta Breviarium antiquum minimè præfertur Octavæ Aſcenſionis, quando cum ea occurrit. Sunt quippe myſteria illa præcipua, & ad omnem Eccleſiam pertinentia, quibus par eſt cedere alia omnia. Unum excipe Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium, quod cùm primum ſit ac digniſſimum omnium, ejus Octava in Eccleſiis, quarum Titulus eſt, præfertur Octavæ SS. Sacramenti, eaque ratione digeſſit Gavantus in ſuo Octavario Lectiones pro ejuſmodi Octava præ Octava Corporis Chriſti.

Ec cleſ. Turon inſ.

Eccleſ. Aurelian.

Myſterium SS. Trinitatis primum omnium.

Nulla item Octava præfertur Octavis Aſſumpt. B. Mariæ & feſti omnium Sanctorum.

Secundò: Nulla item Octava propria præfertur Octavis Aſſumptionis B. Mariæ & Feſti omnium Sanctorum. Pro primo facit praxis Eccleſiæ Andegavenſis, de ſuæ Dedicationis, quam poſtridie Aſſumptionis celebrat, octava commemorationem dumtaxat faciens infra Octavas ejuſdem Aſſumptionis. Idemque aſſerit Gavantus, qui de ſecundo tacet: ſed quam affert rationem pro uno, ea valet & pro altero. Supponit quippe ex D. Thom. *Lectione 5. in cap. Joann. 10.* majus eſſe feſtum Dedicationis Eccleſiæ, quàm alicujus ullius Sancti, quòd in illo recolantur beneficia toti Eccleſiæ collata, quæ haud dubiè ſuperant beneficia cuivis Sancto donata, quæ in ejus feſto commemorantur. At, inquit, majora beneficia contulit Deus uni Deiparæ in ejus Aſſumptione, quàm contulerit toti militanti Eccleſiæ. Ex quo infert digniorem eſſe Octavam Aſſumptionis, Octava Dedicationis, & hanc quacunque alia cujuivis Sancti. Cùm autem Sancti omnes ſimul ſumpti, & præſtent ſingulis ſeorſim, & ſint ipſimet tota Eccleſia non jam militans, ſed triumphans, an non pari jure, Feſti illorum omnium Octava, aliis omnibus eſt præferenda? Præſtat verò adhuc ſequens argumentum. Illius feſti Octava, cuicunque alteri præferri debet, cujus feſtum alteri cuicunque feſto præfertur: ſed Feſtum Omnium Sanctorum præfertur feſto cujuslibet Patroni & Dedicationis, ergo & ejus Octava præferri debet. Major certa eſt, acceſſorium ſiquidem ſequitur naturam principalis: minor conſtat ex Rubric. X. de Translatione feſtorum num. 1. ubi inter dies, quibus cedunt quæcunque alia feſta, numerantur ex additione Urbani VIII. Feſta Aſſumptionis B. Mariæ & Omnium Sanctorum.

Octavæ feſtorum primæ claſſis præferendæ Octavis feſtorum ſecundæ claſſis.

Tertiò: Octavæ omnes feſtorum primæ claſſis, putà Dedicationis Eccleſiæ, ac Patroni ſeu Titularis, præferri debent Octavis feſtorum ſecundæ claſſis, putà Nativitatis B. Mariæ & S. Laurentii. Ita fert Declaratio Sacræ Rit. Congreg. 16. *Octobr.* 1604. pro feſto Dedicationis reſpectu Nativitatis B. Mariæ, & patet ratio, nam dignitas perſonæ non attenditur niſi in æqualitate claſſis ſeu ſolemnitatis: ergo quæ ſunt claſſis ſuperioris præferri debent ſemper aliis quæ ſunt inferioris, licèt aliunde perſona ſit dignior. Unde arguas eos qui Octavam Viſitationis B. Mariæ præferunt Octavæ Apoſtolorum Petri & Pauli, niſi & ipſum feſtum Viſitationis æquè faciant primæ claſſis.

Octavæ propriæ præferendæ Octavis S. Joannis Bapt. & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſi feſtum proprium iis præferatur.

Sed quid de Octavis S. Joannis Baptiſtæ & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quorum feſta ſunt primæ claſſis? An præferendæ, an poſtponendæ Octavis Dedicationis & Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ, aut cujuslibet alterius feſti æquè primæ claſſis? Præponendas probant Gavanti rationes, quòd cæteris paribus ſint Joannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum perſonæ dignitate aliis præſtantium; item quòd ab univerſali Eccleſia celebrentur, idque in praxi ſervat Eccleſia Sagienſis poſtridie Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ de ejus Octava faciens cum commemoratione Octavæ Sanctorum Gervaſii & Protaſii ſuorum Titularium. Poſtponendas verò, tum quòd illorum aliud ſit Dedicationis, ex eodem Gavanto Sanctis omnibus dignioris, tum quòd alia ſint Sanctorum qui in propriis locis vel Eccleſiis ſolemniter admodum celebrantur, adeòque ex Rubr. XI. de concurrentia Officii num. 2. aliis in Calendario deſcriptis præferendorum. Nodus hic non poteſt ſolvi melius quàm ex dicendis de Translatione feſtorum. Quorum enim feſtum in occurrentia præferetur ſeu celebrabitur proprio die, tranſlato aliorum feſto, horum utique Octava aliorum Octavæ jure videtur præferenda, ut de ea fiat Officium cum commemoratione alterius, ex citata juris regula, *Acceſſorium ſequitur naturam principalis.*

Prior Octava ſuperveniente altera, olim dimitti ſolita.

Controverſiam hanc omnem in antiquis quibuſdam Breviariis ſic diremptam obſervavi, ut inchoata aliqua Octava, ſi aliqua alia intercederet, prior terminaretur, anticipata die illius Octava ante feſtum alterius. Sic in antiquo Aurelianenſi Octava S. Joannis anticipabatur *die 27. Junii* ante feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli, Octava Nativitatis B. Mariæ pridie Exaltationis S. Crucis, & Octava S. Martini pridie S. Aniani. Sed ea ratio cùm emendata fuerit, nullibi jam valere poteſt.

QUÆSTIO VI.

E duabus Octavis propriis ſimul occurrentibus, utra alteri præferenda?

Triplex Octavarum inter ſe comparatio.

SUpponitur utramque eſſe parium inter ſe feſtorum; nam ſi altera ſit feſti primæ claſſis, & altera feſti ſecundæ, dubium non eſt, illam huic eſſe præponendam. Triplex autem ejuſmodi com-

paratio

Digitized by Google

paratio poteſt inſtitui. Prima Octavæ Dedicationis cum Octava Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ: Secunda variorum Patronorum inter ſe, putà loci, Eccleſiæ, Ordinis &c. Tertia aliorum non Patronorum ſaltem primariorum, quorum Octavæ conſueverunt celebrari.

Octava Dedicationis ex Gavanto præferenda Octavæ Patroni.

Quod ad primum attinet, tuetur multis Gavantus loco jam citato, Octavam Dedicationis præferendam Octavæ Patroni: Ego verò ſi non ſecus planè ſentio, haud tamen ei ultro adhæſerim, tum quia multarum Eccleſiarum uſus alius eſt, in quibus videlicet feſtum & Octava Patroni ſeu Titularis, in majori eſt veneratione quam feſtum & Octava Dedicationis; tum quia non deeſt quoque ratio ſic agendi. Nam cùm Eccleſiæ ſub nomine Sanctorum jam inde à primis temporibus ideo erectæ, ac ſolemni ritu dedicatæ fuerint, ut eorum memoria iis præſertim in locis coleretur, in quibus eos vel ſanguinem fundere, vel piè obire, vel virtutes ac miracula patrare contigiſſet, unde & *Memoriæ* uſitatiſſimo apud antiquos vocabulo dictæ ſunt, *Non ob aliud*, inquit Auguſt. *libr. de Cura pro mortuis agenda capit. 4. niſi quia eos, qui viventium oculis morte ſubtracti ſunt, ne oblivione etiam cordibus ſubtrahantur, in memoriam revocant, & admonendo faciunt cogitari.* Altaria item ſuper eorum ſepulcris extructa Menſæ nomine appellata, eodem Auguſtino teſte, qui de S. Cypriano ſelectiſſima hæc habet *ſerm. 113. de diverſis*: *Ibi hodie venerans multitudo concurrit, quæ propter Natalem Cypriani bibit ſanguinem Chriſti, & tanto dulcius in illo loco propter Natalem Cypriani ſanguis bibitur Chriſti, quanto devotius ibi propter nomen Chriſti ſanguis fuſus eſt Cypriani. Denique ſicut noſtis, quicunque Carthaginem noſtis, in eodem loco menſa Deo conſtructa eſt, tamen menſa dicitur Cypriani, non quia ibi eſt unquam Cyprianus epulatus, ſed quia ibi eſt immolatus, & quia ipſa immolatione ſua paravit hanc menſam, non in qua paſcat, ſive paſcatur, ſed in qua ſacrificium Deo, cui & ipſe oblatus eſt, offeratur.* Quæ quidem integra eò placuit referre, quò legenti conſtet pleniùs hoc ipſum quod inpræſentiarum dico, Eccleſias ideo ſub Sanctorum nomine erectas ac dicatas, ut eorum ſolemnis jugiſque memoria in iis recolatur. Hic verò erigendarum dicandarumque Eccleſiarum finis cùm ſit præcipuus, annon ad eum cætera omnia, quæ eò pertinent, adeòque Dedicatio ipſa, ſic tanquam media ad finem referuntur? finem autem præſtare mediis, ſi bene philoſophatus conceſſeris, concedes quoque Dedicationi præſtare Sanctum Eccleſiæ Patronum ſeu Titularem; perinde atque conſecrationi Calicis præſtat uſus ad quem ipſe conſecratur, conſecratio videlicet ſanguinis Chriſti.

Rationes Gavanto contrariæ.

Eccleſiæ dictæ olim Memoriæ. Auguſtinus.

Feſtum Patroni Eccleſiæ, pro feſto Dedicationis.

Idipſum vel ex eo confirmatur, quòd aliquæ Eccleſiæ, loco Dedicationis celebrent ipſummet Patroni ſeu Tituli feſtum, ut conſtat ex feſtis Dedicationis S. Mariæ ad Nives *5. Auguſti*, S. Michaelis Archangeli *29. Septemb.* Tranſlationis S. Martini *4. Julii*, qui & Dedicationis dies eſt, Commemorationis B. Mariæ in Eccleſia Carnutenſi *17. Octob.* quæ itidem pro Dedicatione habetur. Addam & quod mihi opponas tu fortè Eccleſiæ Aurelianenſis exemplum, cujus Dedicatio, cùm in ipſum diem Inventionis S. Crucis, qui ejuſdem Eccleſiæ Titulus eſt, incidat: etſi partem Officii non modicam obtineat ipſa die, videlicet duos priores Nocturnos, & Orationem junctam ſub una concluſione cum Oratione de Inventione S. Crucis, cætera tamen ſunt penè omnia de Inventione. Infra Octavas verò Officium integrum eſt de Dedicatione, ſed *die 8. Maji*, quo celebratur Liberatio urbis, & in ipſa die Octava, totum Officium fit de Inventione. Ex quo arguas Dedicationem non præferri Titulo, ſed ad ſummum æquari; nec verò quamlibet Dedicationem, ſed hancce numero, quam manu ipſa Domini inſtar nivis ſplendidiſſimæ ſuper caput B. Evurtii Epiſcopi apparente, terque oblata benedicente fuiſſe peractam communis Eccleſiæ illius traditio eſt.

Eccleſiæ Aurelianenſis Dedicatio fit ſimul cum Titulari.

Rationes Gavanti ſolvuntur.

Rationes porrò Gavanti in contrarium ſolvere, difficile non eſt admodum. Nam quod ex D. Thoma profert feſto Dedicationis recoli beneficia toti Eccleſiæ collata, id quidem de Dedicatione in genere verum eſt; qualiber autem Dedicatione particulari, finem illum generalem ad beneficia Eccleſiæ illi ſpeciatim collata reſtringi, non malè ratiocinabitur qui inferet; hæc autem potiora eſſe beneficiis omnibus Sancto cuilibet donatis, quis niſi divinando queat aſſerere? maximè ſi quòd Eccleſia ipſa ſpecialis in Sancti illius Patrocinium ac Tutelam ceſſerit, non ſit ex gratiis ipſimet Sancto conceſſis.

Quod præterea allegat idem Gavantus *Rubr. 1. numer. 1. & Rubr. 7. numer. itidem* 1. recenſeri priùs Dedicationem, quàm Patronum loci ſeu Titularem Eccleſiæ. Allego ego contrà *Rubric. 4. numer. 1. Rubr. 7. numer. 3. & Rubr. 9. numer. 3.* in quibus nominatur principalis Patronus vel Titulus ante Eccleſiæ Dedicationem. Allego item eamdem Rubricam IX. de Commemorat. num. 4. ubi privilegia omnia Duplicis primæ claſſis primò & per ſe tribuuntur feſto ſolemni principali loci, ſequenti verò num. 5. feſtis aliis ipſique adeò Dedicationi quaſi analogicè tantùm & per derivationem.

Quod denique ait additas eſſe in Breviario Lectiones proprias pro tota Octava Dedicationis, non item pro aliis omnibus Patronis locorum, leve eſt ac nullum; neque enim à Lectionibus propriis major aut minor colligitur feſti dignitas: imò cùm ipſemet jam Lectiones proprias pro Octavis quibuſcunque Sanctorum approbatas digeſſerit, ipſum quod aſſerebat defenſionis ſuæ firmamentum penitus evulſit.

Hujus itaque opinionis neque aſſertor ego, neque impugnator, media incedens via, exiſtimo uſum hac in re conſuetudinemque Eccleſiarum eſſe attendendam, ut quæ primas dant Dedicationi, quæ verò Patrono, in ſua quæque ſtare agendi ratione nihil innovando permittantur.

Variæ Patronos æquales comparandi rationes.

Alteram Patronorum inter ſeſe comparationem diluet commodè ſatis, vel major perſonæ dignitas, ſi videlicet Angelus Apoſtolo, Apoſtolus Martyri, Martyr cæteris, & cæteri alii aliis ordine Litaniarum præferantur, prout indicatum jam fuit ſuperiùs à Gavanto; vel inter pares, jus antiquitatis, ut qui prior eſt tempore, prior ſit & honore; vel denique præſentia corporis, ſeu inſignis reliquiæ ubi habetur, propior ex patrocinio devinctio, ut qui videlicet Patronus eſt, ſeu Titularis propriæ Eccleſiæ, præferatur Patrono loci, & apud Regulares Patrono Ordinis, hunc verò Regulares ipſi præferant Patrono loci. Eſt contra Gavantum poſtrema hæc ratio, aſſerentem *ſect. 3. cap. 10. num. 15. & ſect. 5. cap. 18. num. 7.* Patronum loci præferendum Titulari Eccleſiæ; ſed cùm ibi de feſto agat, non autem de Octava, interim dum ſuo ipſum loco refutabimus, accipe quoad Octavam attinet brevem unam aut alteram dicti mei rationem. Dedicatio propriæ Eccleſiæ præfertur Dedicationi Eccleſiæ Cathedralis, fitque de illa infra Octavas cum commemoratione hujus, ex ipſomet Gavanto *ſect. 8. cap. 5. numer. 6.* citans ſuper hoc Deciſionem 616. Rotæ Romanæ: ergo à pari feſtum & Octava Patroni ſeu Titularis propriæ Eccleſiæ æquè præferenda ſunt feſto & Octavæ Patroni Eccleſiæ Cathedralis ſeu totius Diœceſis, cedo enim diſcrimen? Item ex eodem Gavanto *ſect. 3. cap. 12. num. 5.* non tenentur Regulares ad Octavam Patroni loci, ergo licèt

Gavantus refutatur.

faciant,

Digitized by Google

faciant, ei nihilominus præferre debent Octavam ſui Patroni, ſive Eccleſiæ, ſive Ordinis, ad quas tenentur.

Variæ Octavas comparandi rationes.

Denique in concurſu aliarum Octavarum (quæ eſt tertia comparatio) ſervanda in primis regula, ut Octava dignioris, putà Angeli, Apoſtoli &c. præferatur Octavæ minùs digni: inter pares verò, quæ univerſalior eſt præferenda particulari; ſic Eccleſia Andegavenſis Octavam Sancti Martini, quæ illi cum multis aliis communis eſt, præfert Octavæ Sancti Renati, ſicut & Minores Octavam Sancti Laurentii, Octavæ Sanctæ Claræ.

Andegav.

Minores.

Octavis paribus invicem concurrentibus de utraque viciſſim facere.

Quid ſi de una Octava fieret Officium una die, cum commemoratione alterius, & altera die Officium de hac cum commemoratione illius, & ſic viciſſim, ita ut quotidie in Veſperis à Capitulo mutaretur Officium? Non eſſet explodenda hæc agendi ratio, ſi alicubi uſitaretur, cùm ſit conformis admodum ordini ſervando in concurrentia feſtorum æqualis ſolemnitatis. At in his omnibus nihil conſultius eſt, quàm ſequi uſum legitimum in qualibet Eccleſia receptum, nec ab eo uſquam, niſi gravi de cauſa, & cum majorum conſilio diſcedere; uſus ſiquidem ubique ſemper eſt optimus legis interpres.

TABELLA COMMEMORATIONIS
Dierum infra Octavas

	Occurrentium cum						
	Die alia Octava.	Die infra aliam Octavam.	Dominica quæcumque.	Semiduplici.	Duplici per annum.	Duplici ſecundæ Claſſis.	Duplici primæ Claſſis.
Nativitatis Domini,	0	5	1	4	1	1	1
Epiphaniæ,	0	0	1	0	0	0	1
Corporis Chriſti,	1	5	1	0	1	2	3
Cujuſvis alterius,	1	5	1	4	1	3	2

1. *Commemoratio in utriſque Veſperis, Laudibus ac Miſſa.*
2. *Nulla commemoratio.*
3. *Commemoratio in ſecundis Veſperis, ſi fiat poſtridie de ipſa Octava.*
4. *Commemoratio in Veſperis, Laudibus & Miſſa. In ſecundis Veſperis à Capitulo de Octava.*
5. *Officium de digniore, commemoratio de minùs digno.*
6. *Hæc nota indicat nullum dari caſum ejuſmodi.*

Omiſſæ ſunt Octavæ Paſchæ & Pentecoſtes, quia cùm ambæ Feſta omnia rejiciant, nunquam de iis contingit fieri commemorationem.

TABELLA COMPARATIONIS
inter plures Octavas ſimul occurrentes, ut ſciatur utra dignior.

	Feſtorum propriorum 2. Claſſis.	Feſtorum propriorum 1. Claſſis.	Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ.	Dedicationis Eccleſiæ.
Nativitatis Domini,				
Epiphaniæ,	1	1	1	1
Aſcenſionis,	1	1	1	1
Corporis Chriſti,	1	1	1	1
Nativitas S. Joannis Baptiſtæ,	1	1	2	2
SS. Petri & Pauli Apoſtolorum,	1	1	2	2
Sancti Laurentii,	1	2	2	2
Aſſumptio B. Mariæ,	1	1	1	1
Nativitas B. Mariæ,	1	2	2	2
Omnium Sanctorum,	1	1	1	1
Dedicationis Eccleſiæ,	1	1	3	0
Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ,	1	1	0	3
Feſtorum propriorum primæ Claſſis,	1	3	2	4
Feſtorum propriorū ſecundæ Claſſis,	3	2	2	4

1. *Prima dignior.*
2. *Secunda dignior.*
3. *Servandus uſus loci, vel præferenda ea quæ eſt perſonæ dignioris, aut antiquior &c.*

QUÆSTIO VII.

An & qualiter contingat fieri commemorationem diei Octavæ?

DE diebus infra Octavam actum fuit hactenus, nunc de ipſa die Octava, quæ cùm ſit ejus naturæ ut nunquam poſſit transferri, neque etiam uſu Romano anticipari conveniat, hinc fit ut occurrente in ea feſto aliquo, neceſſe ſit aut feſtum transferri, ut ſuus Octavæ locus ſervetur; aut ſi maneat, Octavam loco Officii ſimplicem retinere commemorationem.

Et quidem Octavæ quatuor ſunt, quæ omne omnino feſtum à ſe expellunt, Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paſchæ, & Pentecoſtes. Cæteræ omnes feſta primæ & ſecundæ claſſis admittunt (fortè Octava Corporis Chriſti nonniſi primæ,) de quibus omnibus agetur in ſequentibus, ubi de Tranſlatione feſtorum. Cedunt item Octavæ Dominicis primæ & ſecundæ claſſis, videlicet primæ, ſecundæ, & tertiæ Adventus, Septuageſimæ, Sexageſ. & Quinquageſimæ (reliquas non nomino, quia in illis jure communi nulli Octavæ eſt locus.)

Dies Octava (exceptis quatuor) cedunt feſtis dupl. 1. & 2. claſſis.

In talibus igitur occurrentiis, de die Octava ſic impedita fit commemoratio in utriſque Veſperis, Laudibus ac Miſſa. Ita *Rubr.* 9. *num.* 4. *& Rubr.* 10. *num.* 2. Sed an legitur Homilia ad Matutinum, & Evangelium in fine Miſſæ? Nulla id Rubrica exprimitur, ſed nec opus eſt, quia jam Evangelium lectum fuit in die Feſto, & fortè diebus infra Octavam ſæpiùs. Excipe diem Octavam Apoſtolorum Petri & Pauli, quæ cùm habeat Evangelium & Miſſam totam propriam, omnino legi debet ejus Homilia ad Matutinum, & ipſum Evangelium in fine Miſſæ, ſi impediatur. Ita Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 11. *num.* 32. Addo & duas Miſſas in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis convenientiùs eſſe cantandas, unam de Octava, alteram de Feſto, prout dictum eſt in pari caſu de Dominicis

Commemoratio diei Octavæ, occurrentis in feſto Duplici, primæ & ſecundæ claſſis.

Legenda Homil. & Evangelium diei Oct. Apoſtolorum, ſi ea impeditur. Gavantus.

nicis ſuprà *cap.* 2. *quæſt.* 5. Quòd ſi fuerit inſuper Dominica, ſentio cum Gavanto ibidem *num.* 37. legendum potiùs Evangelium Dominicæ, quam Octavæ, ob cauſam quam affert, ſed & quod tacet ille, dicendas convenienter tres Miſſas, perinde ac totidem notantur in Miſſali, occurrente feſto in Vigilia Aſcenſionis.

Item de die Octava Epiphaniæ. Idem a pari arguendum de die Octava Epiphaniæ, ſicubi fit in ea de Patrono, (quod tamen quantum repugnet demonſtrabitur aliàs) nam præter commemorationem in utriſque Veſperis, Laudibus ac Miſſa, legenda erit inſuper nona Lectio de Homilia ad Matutinum, & Evangelium in fine Miſſæ, quæ praxis eſt Eccleſiarum Rhemenſis & Ambianenſis, quæ ea die celebrant, illa feſtum S. Remigii, hæc Inventionem S. Firmini. An verò duas Miſſas cantent neſcio, ſed ex protinus dictis, convenientiùs cantari ſatis ipſe colliges. Celebrat eadem quoque die feſtum S. Hilarii Patroni ſui Eccleſia Pictavienſis, ſed anticipat Octavam Epiphaniæ die præcedenti, nempe 12. *Januarii*, quod longè minus congruit ob rationem aliò referendam.

Eccleſ. Rhem. Ambian.

Pictavienſ.

Commem. diei Octavæ occurrentis in Dominicis primæ & ſecundæ claſſis. Gravior ſupereſt difficultas de die Octava occurrente in Dominicis privilegiatis. Utrum enim facias? An de Octava cum commemoratione Dominicæ? An de Dominica cum commemoratione Octavæ? Non primum, cùm Octava ejuſmodi non ſit niſi duplex minus, quale non fit in ejuſmodi Dominicis. Non ſecundum, quia cùm Dominicæ Officium, quantumvis primæ, aut ſecundæ claſſis, quà talis Dominica eſt, non ſit tamen in ratione Officii niſi Semiduplex, abſurdum videtur facere Officium de Semiduplici cum commemoratione Duplicis. Eſt nihilominus poſtremum hoc viſum juris hujus peritis conformius Rubricæ 2. *de Translatione feſtorum num.* 1, quod & liquidò declarat Tabella de Occurrentia, adeò ut nulli jam dubium eſſe queat.

In Veſperis Sabbati omnia fiunt de Dominica, cum commemor. diei Octavæ. Sed quærit Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 8. *numer.* 13. Quid agendum in Veſperis Sabbati? An integræ erunt de Dominica, hoc eſt Pſalmi de Sabbato, Capitulum verò & reliqua propria Dominicæ? An integræ, & quidem ritu duplici de die Octava, ut in primis Veſperis feſti? An dimidiatæ de Octava, hoc eſt Antiphonæ cum Pſalmis ritu ſemiduplici ut infra Octavas, à Capitulo verò de Dominica? Tres illi modi cùm Sacræ Rituum Congregat. propoſiti fuiſſent, decrevit illa *die* 9. *Novembris* 1622. petente ipſomet Gavanto, primo modo eſſe agendum, omiſſis inſuper Suffragiis, & precibus ad Primam & Completorium. Nam & ſecundus ille modus viſus eſt omnino abſonus, ut inchoaretur cum ſolemnitate dies Octava, quæ ſequenti die nullum habitura eſſet Officium. Tertius verò haud mihi diſplicuiſſet admodum; quod enim objicit Gavantus terminatum in Nona Sabbati Officium de die infra Octavam, incertumque de Pſalmis Veſperarum, an dicendi eſſent ut in primis Veſperis, an verò ut in ſecundis, nullam prorſus vim habet; metitur enim ſingulos dies infra Octavam quaſi ſingula feſta, quod naturæ ipſius Octavæ repugnat; neque enim Octava feſtum eſt, ſed ut copioſè docuimus aliàs ex ipſomet Gavanto & aliis, continuatio & prolongatio feſti, quod tamdiu perſeverat, quamdiu durat Octava. Unde nonniſi impropriè dictum eſt Officium diei infra Octavam terminatum fuiſſe ad Nonam, niſi quatenus Veſperæ fiunt de die Octava. Quòd ſi contingat, ut Veſperæ non ſint ejuſmodi, quidni continuanda erit in iis Octava eo modo quo fieri poteſt, nempe ſumendo Pſalmos & Antiphonas de ipſa ex ſecundis Veſperis feſti, Capitulum verò & cætera deinceps de Dominica, cum commemoratione Octavæ per Antiphonam ad Magnificat & Verſum ex primis Veſperis?

Caſal. Bened. Hæc ratio quadrabat apprimè cum antiquo uſu Breviarii Caſalis Benedicti & aliorum, in quibus anticipato pridie ob feſtum aliquod majus Officio diei Octavæ, fiebat nihilominus adhuc ejus commemoratio in ipſa die Octava, ut ſic tandem quo meliori modo fieri poſſet, integra compleretur Octava. At his non obſtantibus ſtandum Decreto quod à Sacra Congregatione emanavit.

Caſus particularis pro Clero Regienſi. Standum item Clero Regienſi ejuſdem Congregationis Decreto, quo teſte Gavanto *ſect.* 3. *cap.* 12. *num.* 20. de die Octava Patroni ſui S. Proſperi, in Feſto Viſitationis B. Mariæ occurrente, commemorationem duntaxat faciunt, licèt Feſtum Viſitationis non ſit primæ, vel ſecundæ claſſis. Stent & ii qui ſimiles habent Declarationes. Cæteris in hoc caſu ſervanda Rubr. 2. de Tranſlat. feſtorum num. 2.

Occurrentibus duabus Octavis Officium de digniori, Commemor. minus dignæ. In caſu denique, in quo duæ Octavæ una ſimul eademque die occurrunt, ſervanda eſt Rubr. 11. num. 3. ut fiat Officium de digniore cum commemoratione alterius in utriſque Veſperis, Laudibus, ac Miſſa, abſque Lectione de Homil. ad Matutinum, nec Evangelio in Miſſa. Utra autem dignior ſit judicanda, par eſt ratio atque diei infra Octavam.

TABELLA COMMEMORATIONIS
dierum Octavarum

Occurrentium cum	Dominica primæ & ſecundæ Claſſis.	1
	Duplici primæ & ſecundæ Claſſis.	1
	Alia die Octava.	2

1. *Commemoratio in utriſque Veſperis, Laudibus ac Miſſa.*
2. *Commemoratio minùs digna in Officio dignioris.*

Octava Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paſchæ, & Pentecoſtes, cùm Feſta omnia occurrentia rejiciant, numquam cum ſola commemoratione fiunt.

S E C T I O II.

IN qua explicatur altera Rubrica omnium implicatiſſima de Tranſlatione Feſtorum, cujus uſus ſpectat maximè ad Feſta propria.

C A P U T VII.

DE TRANSLATIONE FESTORUM in genere.

EX conflictu duorum Officiorum una ſimul eademque die occurrentium, id efficitur, ut ſi neutrum cum ſola commemoratione peragi queat, neceſſe ſit alterum dimitti, donec dio quamprimùm libera reſumatur; quod cùm fit, Tranſlatio propriè dicitur, de qua luculenter ſatis egit Micrologus *cap.* 42.

Q U Æ S T I O I.

Quid ſit & quorumnam feſtorum fiat Tranſlatio?

Differentia Mutationis & Tranſlationis feſtorum. TRanſlatio non idem eſt quod mutatio, de qua egimus *libr.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 3. *& ſequentibus.* Nam licèt utraque ſit amotio feſti à ſuo die proprio, differunt tamen in eo, quòd mutatio veluti tranſmigratio eſt, perpetuaque ſedis alterius occupatio; Tranſlatio verò inſtar eſt peregrinatio-

nis.

nis, qua ſe aliò quis ſic confert, ut tamen ad ſedem propriam illico ſit rediturus. Utriuſque cauſa eſt Officium aliquod diem feſto deſtinatum occupans; at hujus ex accidenti, atque pro hac aut alia ſimili vice dumtaxat, ut fit in occurſentiis Dominicæ Septuageſimæ, feriæ 4. Cinerum, Aſcenſionis Domini, & aliis feſtorum mobilium; illius conſtanter ac perpetuò, propter occurſum videlicet feſtorum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſſumptionis B. Mariæ, Omnium Sanctorum & ſimilium, quæ eodem ſtato ſemper Calendarii die recurrunt. Porrò occupantis Officii ratio qua alteri ſic præfertur, vel eſt ipſius dignitas, vel neceſſitas, vel dignitas ſimul & neceſſitas; dignitas quidem, ut in feſtis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſſumptionis B. Mariæ, quæ cùm duplicia ſint primæ claſſis, & quidem Chriſti Domini ac Beatiſſimæ Virginis, omnibus aliis dignitate antecellunt. Neceſſitas verò, ut in Dominicis Adventus, Septuageſimæ, Quadrageſimæ, Feriæ 4. Cinerum &c. quæ cùm nonnisi ritu Semiduplici ac Simplici celebrentur, ideò tamen feſtis Duplicibus longè dignioribus in occurrentia præſtant, quia nec omitti penitus, nec ullo alio die fieri poſſunt. Dignitas denique ſimul & neceſſitas, in Dominicis Paſchæ, Pentecoſtes & Trinitatis, quæ ſimul & Dominicæ ſunt, & feſta item omnium ſolemniſſima.

Major Officii unius præ alio dignitas, vel neceſſitas, vel dignitas ſimul & neceſſitas, cauſa cur alteri præferatur.

Ex his colliges Officii de Tempore ut ſic nullam dari propriè Translationem. Quamvis enim aliqua pars Officii Dominicalis aut Ferialis, putà Lectiones primi Nocturni, Reſponſoria, hiſtoriæ, expoſitio item Homiliæ & Evangelii Dominicæ, alia die interdum reſumantur, nunquam tamen Officium talis Dominicæ, aut talis Feriæ alio die fit, quàm tali Dominica, aut tali Feria. Non ſic Feſta Sanctorum, ſeu quæcunque in Calendario deſcripta habentur; ex ſe enim idonea ſunt æquè uno die fieri atque alio, unde ſi ſuo proprio impediantur, facilè reſumi poſſunt in alio. Hinc quod eſt quòd Translatio propriè feſtorum dicatur.

Translatio propriè eſt feſtorum, non autem Officii de Tempore.

Cùm autem feſta, quò digniora ſunt & ſuperioris gradus, eò firmiùs diem ſuum retineant, & ab eo difficiliùs amoveantur; idcirco ut eorum Translationes certiùs à nobis inveſtigentur, operæ pretium eſt rem juxta varios ſingulorum gradus definire, qui quatuor numerantur, videlicet Duplicium primæ claſſis, Duplicium ſecundæ claſſis, Duplicium per annum ſive majorum, ſive minorum, & Semiduplicium. An verò etiam Simplicium? An item Vigiliarum & Octavarum dentur Translationes, in quæſtionem quoque adducetur.

Feſta quò ſunt digniora eò difficiliùs loco moventur.

QUÆSTIO II.

Qui ſint termini Translationis feſtorum?

CUm Translatio feſtorum ſit motus aliquis, duos habeat terminos neceſſe eſt, à quo videlicet, & in quem fit. Primus eſt dies, à quo feſtum removetur; ſecundus, in quem rejicitur. Qui duo dies ſi ſeſe immediatè conſequuntur, nullum erit medium; ſecùs ſi aliorum interjectione ſeparentur. Terminus à quo non idem eſt, pro omnibus feſtis: quæ enim digniora ſunt, difficiliùs ſuo loco amoventur, unde qui dies rejiciunt ſuperiora feſta, iidem quoque rejiciunt omnia inferiora, ſed non contrà; Semiduplicia enim verbi gratia à Dominicis repelluntur, in quibus ſtant immota Duplicia &c. Terminus verò ad quem, quoad Ferias idem eſt pro ſuperioribus & inferioribus, ita ut tam hæc quàm illa in primam quæ vacat transferantur. Quoad verò dies infra Octavam, non item. Neque enim in iis pari jure admittuntur translata Semiduplicia, atque Duplicia. Eſt illud quoad utraque verum, omnem diem qui rejicit feſtum occurrens, à fortiori rejicere etiam translatum. Duplicia enim & Semiduplicia, quæ in die ſuo cedunt feſto proprio digniori occurrenti, non tamen cedunt translato. Unde cùm in Rubricis dicitur, *Transfertur in primam diem ſimiliter non impeditam*, intellige, impeditam feſto Duplici, vel Semiduplici, juxta quod expreſsè habetur *Rubr.* 10. *de Translatione numer.* 1. Feſti verò nomine hìc non veniunt dies infra Octavam, in quibus fit de Duplicibus translatis, imò & de Semiduplicibus è proximo die. Sed hæc generatim propoſita ſolventur pleniùs in caſibus particularibus.

Terminus à quo Translationis.

Terminus ad quem.

Ut intelligendum illud, in primam diem ſimiliter non impeditam.

QUÆSTIO III.

Quis ordo ſervandus inter plura feſta transferenda?

IS qui præſcribitur *Rubr.* 10. *de Translatione numer.* 7. ut videlicet priùs transferatur Duplex quàm Semiduplex, & inter Duplicia, quod eſt magis ſolemne præ alio, ſeu Duplex primæ claſſis ante Duplex ſecundæ claſſis, & hoc ante Duplex per annum; ſi verò fuerint æqualia, unum ante aliud transferatur eo ordine, quo celebranda erant in propriis diebus, ita ut quæ deſcripta ſunt in Calendario prima die menſis verbi gratia, fiant ante alia, quæ deſcripta ſunt tertia, vel quarta &c. qui ordo longè aptior eſt & convenientior, quàm ſi feſta eo ordine transferas, quo venerant, etiamſi minus præcedat, ut habet Breviarium Ordinis Prædicatorum.

Duplex transferendum ante Semid. inter æqualia verò, quod prius in Calendario deſcriptum erat.

Verùm tria hìc occurrunt dubia. Primum, an in transferendis feſtis æqualibus habenda ſit ratio dignitatis perſonarum, ut videlicet quæ ſunt Domini, transferantur ante omnia alia; quæ B. Mariæ, ante feſta Sanctorum; quæ Angelorum & Apoſtolorum, ante cætera alia, juxta ordinem præſcriptum *in Rubr. de concurrentia Officii numer.* 2. Reſpondeo, videri id mihi quidem valdè conſonum, quin & Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 10. *numer.* 5. aſſerit hunc eſſe ſenſum Rubricæ citatæ. Vix tamen apparet, imò contrarium æquè facile eſt colligere. Valeat nihilominus tanti viri authoritas, cum ratione congruenti conjuncta.

In Translatione non habetur ratio dignitatis perſonarum.

Gavantus;

Haud tamen valet in Romano, quod habet Meldenſe Breviarium, feſta æqualia Martyrum priùs transferenda, quàm Confeſſorum, & Confeſſorum, quàm Virginum. Non enim ut Angelorum & Apoſtolorum, ſic Martyrum ſupra Confeſſores, & Confeſſorum ſupra Virgines, datur præcellentia quoad occurrentiam, ſicut nec quoad concurrentiam, ut infrà docebitur.

Brev. Meld.

Neque multò etiam magis placet, quod addit idem Gavantus *num.* 56. Officia conceſſa ad libitum in pari gradu cedere aliis de præcepto, ſeu vi Rubricarum recitandis. Eſto enim, de iis nihil fiat, ſi lubet; poſito tamen quòd fiant, eo ritu fieri debent qui ipſis conceditur, nullum autem in eo ritu diſcrimen aſſignant Rubricæ inter libera & non libera, ergo iis æquè ſtandum pro utriſque.

Feſta ad libitum non cedunt aliis de præcepto.

Alterum dubium eſt, An cùm plura feſta transferuntur, ut in Paſchate, poſſit non ſervari ordo prædictus, eò quia non convenit cum ordine qui ſervatur in Diœceſi, v.g. occurrente Feſto Paſchatis die 27. Martii, in Diœceſi Pariſienſi, Feſtum Annunciationis transfertur non tantùm quoad Officium, ſed etiam quoad celebritatem fori, in Feriam tertiam poſt Dominicam in Albis, quæ eſt 5. Aprilis, quòd videlicet die præcedenti, in Calendario Pariſienſi habeatur feſtum duplex S. Ambroſii, quod cùm deſit in Romano, fit in eo de Annunciatione ipſa Feria 2. quæ eſt 4. Aprilis. Reſpondeo, in eo caſu & ſimilibus ſequendum eſſe uſum Diœceſis, non eo quidem quòd neceſſe

Sequendus uſus Diœceſis, in qua feſtum transfertur etiam à populo.

ſit ei

ſit ei ſe conformare, fortè enim nimis probaret hæc ratio, adeòque nihil; ſed ea præcisè de cauſa, quòd feſta quæ ſic à choro ſimul & à foro transferuntur, non tam transferri quàm mutari dicenda ſunt; mutari, inquam, pro iis annis quibus ſuo die impediuntur; mutatio autem feſto mutato id præſtat, ut dies in quem mutatum eſt, quaſi ipſius proprius, non verò alienus cenſeatur: quo poſito, nihil eſt ampliùs difficultatis; omnia enim diſponenda ſunt, perinde ac ſi feſtum ejuſmodi die illo occurreret. Hæc verò doctrina de mutatione nititur dictis alibi de celebratione feſtorum in foro.

Huc etiam pertinet, quod in Proprio quodam Sanctimonialium habetur, quando videlicet occurrunt feſta in Calendario deſcripta transferenda, & alia item propria Ordinis, priora illa eſſe facienda iis diebus, quibus fiunt communiter ab Eccleſia, etiamſi poſteriora eſſent aliis, ut ſic cum Eccleſia conveniatur. Id ſi de æqualibus intelligatur, quamvis habeat nonnihil congruentiæ, nihilominus æquè præſtat meo judicio ſervare ſtatum ex Rubricis ordinem.

Feſtum cui poſtridie locus eſt, non ideo debet aliis æque transferendis antepo- ni.

Tertium dubium. Quibuſdam in uſu eſt, ut cùm feſtum die aliquo occurrit, à quo neceſſe eſt transferri, & dies proximè ſequens ſeu craſtina non eſt impedita, fiat de eo illa die, præ aliis, ſaltem æqualibus, ex anteriori æquè transferendis: quia videlicet, cùm uno tantùm die transferatur, cenſetur veluti ſuo die fieri. Ita dictum Sanctimonialium Proprium, in quo idcirco Feſtum S. Eliſæi occurrens in Dominica Trinitatis, transfertur in ſequentem diem præ S. Barnaba itidem transferendo. Imò habet aliquid amplius uſus Pariſienſis, nonnullique alii in caſu S. Andreæ, cujus feſtum occurrens in Dominica prima Adventus, transfertur in Feriam ſecundam ſequentem; feſtum verò S. Eligii, quod in illis uſibus eſt Semiduplex ab ipſa Feria ſecunda, quæ dies ejus proprius eſt, transfertur in Feriam tertiam. Hæc quidem in prædictis uſibus legitima ſunt; faciunt enim ſuas ſibi ipſi leges. At Romano utentibus, ſtandum Romanis legibus, quæ nullibi habent feſtum cenſeri veluti ſuo die fieri, cùm uno tantùm die transfertur; imò contrarium argui docet Gavantus *cap.* 10. *num.* 7. Nec favet dicto huic, quòd feſtum S. Hilarii poſt Octavam Epiphaniæ priùs fiat quàm feſtum S. Pauli Eremitæ, translatum utique è die immediatè præcedenti; non eſt enim hoc translatio ſed mutatio, quæ mutatio non iiſdem translationis legibus regitur, ut demonſtratum fuit *libr.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 8.

Uſus Pariſ.

Contingere poteſt, ut quod poſterius eſt in Calendario, prius tamen alio transferatur.

Supereſt contra præfatum ordinem inter æqualia feſta transferendi priùs, quæ ſunt priora in Calendario, objectio gravis ſatis, quæ ſic in exemplo proponitur. Occurrat feſtum SS. Joannis & Pauli in die Octava Corporis Chriſti, transferetur in ſequentem diem quæ eſt Feria 6. Superſit transferendum item è longinquo feſtum S. Antonii da Padua, non poteris de eo fieri neque ipſa Feria 6. neque Sabbato, quia eſt infra Octavam S. Joannis, ſed rejicitur ulteriùs, poſt Octavam Apoſtolorum Petri & Pauli; ſicque in ordine Translationis feſtum SS. Joannis & Pauli poſterius in Calendario, celebrabitur ante feſtum S. Antonii quod eſt prius. Ita eſt, ſed ex violato ſic ordine nihil uni advenit dignitatis præ altero; cùm enim privilegium iſtud, ne Semiduplex infra Octavam transferatur niſi in proximè ſequentem diem, non ſit in gratiam feſti Semiduplicis, ſed Octavæ, ne videlicet nimium ipſi detrahatur, ſalvum eſt Octavæ privilegium, altero ex prædictis Semiduplicibus admiſſo; quòd verò hoc præ illo, non id excellentiæ ratio, ſed ſors una facit concurrentium Octavarum.

QUÆSTIO IV.

An licitum aliquando anticipare feſta, potiùs quàm in longinquum differre?

NOn loquor de anticipatione per mutationem, qualis eſt in Breviario Romano anticipatio S. Dominici, in Turonenſi S. Juliani Mart. &c. de hac enim egimus *libr.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 3. ſed de anticipatione loco translationis, quando videlicet dies præcedens feſtum aliquod transferendum, vacua eſt, conſequentes verò omnes per unam pluresve hebdomadas feſtis occupantur, putà cùm *dies* 23. *Decembris* incidit in Dominicam; ſi quod enim feſtum proprium ea die alicubi aſſignatum habeatur, differendum illud erit uſque in finem *menſis Januarii*: quod fateor, non leve incommodum eſt. Certè in Breviario Pariſienſi, feſtum S. Hippolyti Martyris *die* 13. *Aug.* & feſtum S. Lucani item Martyr. *die* 30. *Octobr.* item in Turonenſi feſtum S. Eutropii *die* 30. *April.* cùm occurrunt in Dominica, anticipantur Sabbato præcedenti: & in Breviario Ordinis Prædic. feſtum SS. Philippi & Jacobi Apoſt. occurrens in die Aſcenſionis pridie anticipatur, ſicut & feſta occurrentia in die Cinerum, Fer. 3. præcedenti aut aliàs: quod longè commodius viſum eſt, quàm ea in longum tempus amandare. Commodum id quidem, nec verò illegitimum præfatis Eccleſiis jus tale habentibus; at in Romano uſus ejuſmodi planè eſt incognitus.

Brev. Pariſ.

Turonenſ.

Anticipatio Feſtorum Roman. uſu incognita.

QUÆSTIO V.

Quid ſi feſtum diu nimis dilatum penitus omitteretur?

AN oblivione ſeu incuria? Non eſt hoc vitium artis, ut ei medeamur. An tædio protelandi? at *Expectatio juſtorum lætitia*. An vitandæ confuſionis gratia? nulla erit ſi feſta præter jus minimè congeras. Sed habet hoc Breviarium Ordinis Prædicatorum, ut feſta Simplicia, quæ eadem illis ſunt ac nobis Semiduplicia, per quindecim dies poſſint transferri, ultra quod ſpatium nihil de iis fit illo anno. Eſt Breviarium, quod habet leges ſuas; tu verò ſi Romanus es, Romano vivito more.

Prov. re: Omiſſio feſti illicita.

Brev. Ord. Prædic.

CAPUT VIII.

DE TRANSLATIONE FESTORUM Duplicium primæ claſſis propriorum.

RArò contingit, imò nunquam feſta Duplicia primæ claſſis, quæ in Breviario talia ſunt, transferri; tum quia ſic ſunt in Calendario ſeu Proprio de Tempore collocata, ut nec ſimul iiſdem diebus, nec aliis impedientibus poſſint occurrere, niſi unum Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſt. cum Feſto Corporis Chriſti; tum quia exceptis Feſtis Nativitatis ejuſdem S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, cætera omnia quibuſcunque aliis anteponenda nominatim & expreſsè edicit Rubr. *de Translatione feſtorum num.* 1. Sermo itaque hic eſt maximè de feſtis propriis, nempe Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ, Dedicationis ejuſdem, & quibuſvis aliis quæ ritu primæ claſſis celebrantur.

Feſta primæ claſſis in Breviario poſita vix unquam transferuntur.

QUÆSTIO I.

A quibus diebus Duplicia primæ claſſis excludantur?

Sunt 37 dies a quibus feſta propria primæ claſſis excluduntur.

HI recenſentur *Rubr. cit. de Tranſlatione feſtorum*. Dominica prima Adventus, Vigilia Nativitatis Domini, & a fortiori ipſummet feſtum. Circuncisio Domini, Epiphania & ejus dies Octava, Feria 4. Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Paſſionis, Dominica Palmarum, ac deinceps uſque ad Dominicam in Albis incluſivè, Aſcenſio Domini, à Vigilia Pentecoſtes uſque ad Dominicam Trinitatis incluſivè, Feſtum Corporis Chriſti, Aſſumptio B. Mariæ, & feſtum Omnium Sanctorum; nec immeritò, cùm enim ſint ii dies vel primariis Religionis noſtræ myſteriis recolendis, vel Sacrorum Temporum inchoationi deſtinati, nihil profectò æquius videtur, quàm ut in iis obſervandis Eccleſiæ omnes, ut fidei, ſic & cultus unitate conveniant.

Duplex ratio dierum prædictorum feſta propria excludentium.

Non eſt tamen eadem iſtorum omnium in excludendis feſtis ratio, quod jam obſervatum fuit *libr. 2. cap. 2. quæſt. 6.* hucque opportunè eſt revocandum. Nam cùm prædictorum dierum alii ſint inſtabiles, ſeu certam in Calendario ſedem non habentes, puta Dominica prima Adventus, Feria 4. Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, cæteraque feſta mobilia; alii è contrà fixi, ſtatoque quotannis menſis die ſemper recurrentes, ut ſunt Vigilia & Feſtum Nativitatis Domini, Circuncisio, Epiphania, & ejus Octava, Aſſumptio B. Mariæ, & Feſtum Omnium Sanctorum; hi quidem occurrentia ſecum feſta perpetuò excludunt, adeò ut de iis nullo unquam anno tali die poſſit fieri, putà de S. Anaſtaſia *die 25. Decembris*; illi non item, Dominica enim prima Adventus incidens in diem 30. Novembris, feſtum quidem S. Andreæ ab eo extrudit; at id non niſi quinto vel ſexto quoque anno, aut etiam undecimo accidit. Unde in hoc poſtremo caſu, tranſlatio eſt adhibenda: in illo verò priori, commodior eſt mutatio, de qua actum *cit. cap. 2. libr. 2. quæſt. 3. & ſequentibus.*

QUÆSTIO II.

An in aliquibus prædictorum dierum contingat fieri alicubi de feſto primæ claſſis proprio occurrente?

Uſus Aurelian.

LEges habent nonnulli uſus à Romano hac in parte diverſas. Nam Breviarium Aurelianenſe inprimis ita præcipit: *Feſtum Patroni principalis & Dedicationis Eccleſiæ nunquam transfertur, niſi contigerit die Palmarum, aut infra triduum ante Paſcha, vel infra Octavas Paſchæ & Pentecoſtes, vel diebus Feſtorum annualium*; adeòque juxta hunc uſum, fit de hujuſmodi feſtis in Dominicis prima Adventus, prima Quadrageſimæ, Paſſionis, in Vigilia Nativitatis, in Circunciſione Domini, Octava Epiphaniæ, Feria 4. Cinerum, & Feriis 2. 3. & 4. majoris hebdomadæ.

Uſus Rhem. Ambianenſ. Pictavienſ. Pariſienſ. Carnutenſ. Andegav. Rothom. &c.

Uſus item Rhemenſis retinet in die Octava Epiphaniæ, feſtum S. Remigii, ut & Ambianenſis Inventionem S. Firmini, & Pictavienſis feſtum S. Hilarii. Retinent item Pariſienſis, Carnutenſis, Andegavenſis, aliique non pauci feſtum Annunciationis B. Mariæ, imò & Rothomagenſis quodcunque duplex in Feriis 2. 3. & 4. majoris hebdomadæ, parique adeò jure, ſi non & potiori, feſta principalis Patroni & Dedicationis Eccleſiæ.

Infra Octavas Paſchæ & Pentecoſtes uſitatum fuit olim, & eſt fortè etiamnum in aliquibus Eccleſiis particularibus, ut occurrentis Patroni ſui principalis Officium celebrent. Ita ferebat ordo antiquus Eccleſiæ Pariſienſis S. Germani à Pratis pro ipſo S. Germano occurrente infra Octavas Pentecoſtes; ſicut & pro S. Regulo ordo Eccleſiæ Silvanectenſis ipſius nominis. Claromontenſis item celebrat feſtum quinque Plagarum Feria 6. infra Octavas Paſchæ. Non ſic Eccleſia Nivernenſis, quæ S. Cyrici Patroni ſui feſtum occurrens infra Octavas Pentecoſtes transferre ſolet; de ipſomet verò (quod mirabilius eſt) occurrente in feſto Corporis Chriſti facit Officium, tranſlato Officio Corporis Chriſti.

Uſus Sylvan.

Nivern.

Et hæc quidem ubicunque Rubricis proprii Breviarii legitimi in hunc modum ordinata ſunt, aut privilegio Sedis Apoſtolicæ conceſſa, haud negaverim ab omni cenſuræ ictu eſſe immunia; ſed alia eſt

QUÆSTIO III.

An Romano utentibus fas ſit prædictis ſeſe uſibus conformare?

DUplex quæſtionis poteſt eſſe ſenſus. 1. An ejuſmodi uſus quælibet Eccleſia particularis ad ſua feſta propria poſſit traducere, quos Eccleſia Cathedralis, aut alia primaria loci, in pari caſu adhibet, putà de ſuo Patrono facere in Feriis 2. 3. & 4. majoris hebdomadæ. Alter ſenſus eſt, An in feſtis ipſis locorum propriis celebrandis, Eccleſiæ particulares Romano adſtrictæ, prædictis uſibus ſeſe conformare poſſint aut debeant, putà Pictavis celebrare feſtum S. Hilarii in die Octava Epiphaniæ, Rhemis S. Remigii, Ambiani S. Firmini &c.

Uſus locorum à Romano diverſus non eſt traducendus ad feſta propria apud eos qui ipſum uſum Roman. ſequuntur.

Juxta primum ſenſum, negativè omnino mihi reſpondendum videtur. Ecquis enim dicat ſecluſo privilegio liberum tibi eſſe à legis, cui ſubjaces, ſtatuto deflectere? Uſum verò loci proprium privilegio æquivalere, quam facilè aſſerueris, tam facilè negabo; neque enim idem ſunt, eoſdemve habent effectus uſus ſeu conſuetudo & privilegium, ut alterum pro altero temerè ac promiſcuè fas ſit uſurpare. Deinde ſi illud ex uſu loci tibi aſſumas, quidni poteris & quidlibet aliud? adeòque Breviarii Romani Ordinem dum ſic in multis ac præcipuis pro nutu infringis, deſerere magis aut confundere, quàm ſequi dicendus es. Denique inutilis erit ac ſupervacanea Rubr. VII. Miſſalis de Tranſlatione Feſtorum, caſus enim qui in ea ſupponitur, vel is ipſe eſt de quo agimus, vel certè nullus alius.

Ceremoniale Monaſt.

Huic etiam reſponſioni meæ adſtipulatur Ceremoniale Monaſticum, quod licèt conſuetudinis locorum in Feſto Annunciationis B. Mariæ aliiſque communibus celebrandis rationem cenſeat eſſe habendam, haud tamen illam ad Feſtum S. Benedicti aliave propria traducere permittit.

Servandum eſſe uſum locorum in feſtis propriis.

Major verò difficultas eſt quoad ſecundum ſenſum, tum quia ipſummet feſtum loci eſt, putà Pictavis S. Hilarii, in quo celebrando nihil opportunius eſt quàm ut loci uſus ſervetur; tum quia vix à ſcandalo abeſt alium à cæteris totius Diœceſis ſeu loci Eccleſiis modum tenere, adeò ut iis in allato exemplo de S. Hilario facientibus, una aut altera Officium de Octava Epiphaniæ peragat. His ductus rationibus crediderim Ceremonialis Monaſtici authores *lib. 4. cap. 16.* decreviſſe ut Feſtum Annunc. B. Mariæ in ſuis quoque Monaſteriis juxta conſuetudinem Diœceſium celebretur Fer. 2. 3. & 4. majoris hebdomadæ. Itidem Commemoratio fidelium Defunctorum fiat in Dominica, quando in eam incidit; ſic etiam olim præcipiebat Breviarium Caſalis Benedicti, *Si feſtum ſummum contingat infra Octavas Paſchæ & Pentecoſtes, & ab Eccleſia Diœceſana celebretur, tunc noſtri ibidem illud celebrabunt.*

Feſtum S. Hilarii Pictav. fit die 13. Jan.

Annunc. B. Mariæ in majori hebdom.

Comm. Defunctor. die Dominica.

Cujus equidem ſententiæ etſi apertum me refragatorem profiteri nolim, contrariam tamen

haud

haud verebor dicere firmioribus niti argumentis.

Refutatur prior opinio.

Primò: Quia Rubrica cit. de transferendo quocunque feſto in prædictis diebus occurrente, cùm ſit generalis, obligat in omni caſu qui non excipitur: atqui caſus iſte nec explicitè nec implicitè excipitur, neque ei apponitur aut ſuppleri poteſt clauſula illa, (*niſi Titularis Eccleſiæ privilegio aliter fieri oporteat.*)

Caſus prævisi, nec tamen definiti à Rubricis, cenſendi nunquam incurrere.

Secundò: Quia cùm ex aliquo caſu ſequitur incommodum quod Rubricæ prævideriut, nec tamen quid in eo caſu ſit agendum, definierunt, argumentum eſt caſum illum haud unquam debere incurri. Atqui de feſtis occurrentibus in die Octava Epiphaniæ, in Feriis 2. 3. & 4. majoris hebdomadæ, nihil definierunt Rubricæ, ſitne legenda Homilia de prædicta Octava necne? ſitne item legenda Paſſio in prædictis feriis in fine Miſſæ? ut facienda commemoratio Octavarum Paſchæ & Pentecoſtes &c. nihil, inquam, de his omnibus definierunt Rubricæ, cùm tamen negari non poſſit incommoda illa ab iis fuiſſe prævisa; ergo argumentum eſt caſus ejuſmodi nunquam incurri debere. Major probatur, cùm enim Rubricarum ſit ſtatuere quid in quolibet caſu, qui occurrere poteſt, ſit agendum, certè ut inutile eſſet ac ſupervacaneum, ſi quid de caſu qui nunquam occurrit Rubricæ ſtatuerint; ſic de eo qui poteſt occurrere nihil definire, pudendum probroque obnoxium. Minor ſeipſa conſtat; neque opponi poteſt prædicta incommoda haud fuiſſe prævisa, cùm eò ſpectent verba iſta Rubr. vi. Miſſalis, *In Eccleſiis autem ubi Titulus eſt Eccleſiæ &c.* Concluſio itaque legitima eſt, caſum ejuſmodi nunquam incurri debere.

Uſus Pictav. pro Feſto S. Hilarii incommodus.

Præ cæteris verò aberrare mihi videtur uſus Pictavienſis celebrandi feſtum S. Hilarii die 13. Januarii, anticipata pridie Octava Epiphaniæ. Cùm enim in Dominicam incidit dies illa, vel nulla tum ſit commemoratio Dominicæ, quæ & ipſa anticipari debuit Feria ſexta, hoc autem Ordini Romano ſummè repugnat; vel ſi Dominica prima poſt Epiphan. eo die ponatur, ordo illius omnis erit perturbandus.

Tertiò denique probatur, quia cùm dies illi ideò ab omni feſtorum occurrentia immunes facti fuerint, ut fideles unà omnes præcipua Redemptionis noſtræ myſteria in iis recolant, putà Baptiſmum Chriſti Domini in die Octava Epiphaniæ, Paſſionem in majori hebdomada &c. videtur

Ratio generalis anteponenda particulari.

ea ratio ſtrictiùs obligare, quàm quæcunque alia conformandi ſe conſuetudini loci, cùm hæc non ſit niſi particularis & loco addicta, illa verò communis & generalis.

Ritus loci proprius nō prævalet contra Rubricas.

Hincque ſolvas facilè duo contrariæ opinionis firmamenta. Primum enim, congruum eſſe in celebrando feſto loci proprio ritum loci proprium ſervare, nec univerſim in omnibus admittitur, nec ſi admiſſum fuerit, valere poteſt contra quod Rubricis præſcriptum habetur. Secundum verò, quod de ſcandalo infertur, nullum eſt; nam & quotidie ferè in diverſis unius ejuſdemque civitatis Eccleſiis varia celebrantur Officia, nec inde

Nullum oritur ſcandalum ex varietate Officiorū juxta varios uſus.

tamen ſcandalum ullum oritur. Eſſet id quidem ſcandaloſum ſi in feſto quod de præcepto eſt per totam civitatem, vel Diœceſim, infringerent aliqui abſtinentiam à ſervilibus publicamque obſervantiam; at in ratione Officii, ſcandalo nemini eſt, cùm ſuum quælibet Eccleſia uſum, ritumque proprium ſervaverit: uti ſervavit Eccleſia S. Aniani Aurelianenſis *Anno* 1625. cùm Officium de Feſto Purificationis B. Mariæ, non juxta Diœceſis

Eccleſ. S. Aniani Aurelian.

uſum in ipſa Dominica Sexageſimæ, in quam incidebat; ſed poſtridie more Romano, quem ipſa ſequitur, peregit.

Satius eſt Romanum uſum admittere.

Ex quibus item rationibus inferas, Eccleſias ſeu Diœceſes illas quæ ſe de novo Romano uſui addicunt, licèt fortè antiquos ſuos ejuſmodi ritus legitimè præſcriptos ablegare haud protinus teneantur, ſuo tamen decori meliùs conſulturas, ſi id præſtiterint: quod cùm majoribus impenſis non ſit obnoxium, tum verò etiam multò concinnius eſt, Officiorumque rationi conforme magis & appoſitum.

Guyet. Heortologia.

QUÆSTIO IV.

An ſint alii præterea dies in quibus occurrens Duplex primæ claſſis excludatur?

Feſtum SS. Trinitatis ultima Domin. poſt Pentec.

Quibus in uſu eſt ultima Dominica poſt Pentecoſtem perinde ac prima, Feſtum SS. Trinitatis celebrare, eamdem æquè Dominicam immunem faciunt ab omni occurrentia feſti: congruè id quidem ſatis, ſed nihil hoc pertinet ad Romanum uſum cui incognitum eſt ejuſmodi feſtum.

Feſta S. Stephani, S. Joannis, & SS. Innoc. feſto Nat. Domini addicta.

Dubium verò eſſe poteſt etiam in Romano: Primò, de tribus feſtis Natale Domini comitantibus, S. Stephani, S. Joannis, & SS. Innocentium, tum quia videntur eſſe primæ claſſis, ad inſtar Feriarum 2. & 3. poſt Paſcha & Pentecoſtem; tum quia etſi fortè talia non ſint, ſic tamen addicta eſſe videntur feſto Nativitatis Domini, ex mente Divi Bernardi *ſermone de iiſdem*, ut nonniſi ægrè ab eo ſeparari poſſint; ipſa verò ſeparatio ſi

S. Bernardus.

fiat, multas invehat confuſiones ob tranſlationem prædictorum feſtorum faciendam ſæpiùs in diem ipſorummet Octavam. His de cauſis, licèt abſolutè non negem poſſe de feſto proprio primæ claſſis iis diebus fieri, prout in caſu Dedicationis cujuſdam Eccleſiæ reſolvit Gavantus *ſect. 6. capit. 7. num.* 11. exiſtimaverim nihilominus longè opportunius, ſi feſtum ipſum proprium ſic occurrens mutetur, ſeu alio commodiori die aſſignetur, juxta ea quæ dicta ſunt *libr. 2. cap. 1. quæſt. 3. & cap. 2. quæſt. 3. 5. & 6.*

Gavantus.

Satius eſt ut tria hæcce feſta nunquam transferantur.

Cæterum ut rem totam uno tractu conficiam, cùm tria hæcce feſta ſaltem in Duplicium ſecundæ claſſis numero habenda ſint, quod de S. Joanne certum eſt; de S. verò Stephano, & de SS. Innocentibus rectè infert Gavantus *ſect. 6. cap. 6. numer. 1. & 4.* ſintque item feſta in univerſali Eccleſia valde celebria, haud dubitaverim aſſerere, ea tranſlatis cæteris omnibus ſecundæ claſſis, aliiſque inferioribus locorum propriis occurrentibus, ſuo loco eſſe retinenda.

Feſta Nativ. S. Joann. Bapt. & SS. Petri & Pauli, non cedunt niſi Patrono ſolemni principali, & Dedicationi Eccleſiæ.

Secundò: Dubium eſt de feſtis Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quod utrumque primæ claſſis eſt in Breviario Romano, & in univerſali Eccleſia celebre admodum, adeòque juxta Gavanti regulam de Octavis, propriis locorum æqualibus præferendum. Verum cùm in recognitione poſtrema Rubricarum, inter dies, in quibus occurrentia quæcunque feſta transferuntur, addita fuerint feſta Aſſumptionis B. Mariæ & Omnium Sanctorum, tacitis duobus hiſce S. Joannis Baptiſt. & SS. Petri & Pauli, rectè infertur iis idem jus haud eſſe conceſſum quod aliis. Res itaque mihi ſic opportunè ſtatuenda videtur, ut de Patrono quidem ſolemni principali ſeu Titulo aut Dedicatione Eccleſiæ iis duobus diebus occurrente fiat, juxta rectam præfatæ Rubricæ intelligentiam, maximè ubi receptus pridem ita fert uſus. De aliis verò Duplicibus primæ claſſis, quæ præter Patronum & Dedicationem alicubi fiunt, non item; ſed valeat in iis Gavanti dictum cui adſtipulor, ut feſta in univerſali Eccleſia celebria, æqualibus propriis in occurrentia præferantur. Imò ſi quis feſta etiam Patroni & Dedicationis præfatis duobus diebus occurrentia, non transferenda quidem ſed mutanda dixerit, maximè ubi de novo in novis Eccleſiis inducuntur, aut nondum inductus eſt confirmatuſque uſus ea retinendi, id præſtare jam ſignificavi *libr. 2. cap. 3.* ubi de Dedicatione. At non

Imò poſſunt non transferri aliàs mutari.

præſtare dumtaxat, ſed abſolutè, & ex rigore juris transferenda ſeu mutanda cætera omnia quæ primæ claſſis non ſunt, dixiſſe hic juverit, ne in ſequentibus repetere opus ſit.

Tertiò denique dubium eſt de 2. die Novembris ob Commemorationem omnium Defunctorum, quæ ea die fit per totam Eccleſiam: de qua ſit

QUÆSTIO V.

Ut agendum in feſto Patroni, & quovis alio proprio occurrente in die Commemorationis omnium Defunctorum?

Feſtum primæ claſſis occurrens die 2. Nov. non eſt transferendum.

CONjecturis & argumentis veroſimilibus quæſtio hæc reſolvenda. Et quidem quod inprimis attinet ad Patronum, Dedicationem, ſeu quodcunque aliud feſtum primæ claſſis ea die occurrens, cùm ipſum transferri debere nullibi vel leviter Rubricæ indicent, nemo non judicaverit eſſe retinendum. Cùm autem eo ſic retento non ſatis congruat cum feſti ſolemnitate Officium Commemorationis Defunctorum, quid ſupereſt niſi ut transferatur? perinde atque uſu Romano jam à paucis non recepto, cùm in Dominicam incidit, transfertur in ſequentem Feriam ſecundam, quod & conforme eſt Rituali itidem Romano non permittenti Miſſam Defunctorum etiam inſepulto corpore in feſtis magnæ celebritatis, qualia ſunt feſta primæ claſſis, addit Gavantus *part. 1. tit. 5. litera X.*

Neque item quodcunque aliud quod eſt de præcepto.

Sed anne idem quoque præſtandum in Duplici ſecundæ claſſis, imò & in quocumque alio Duplici ac Semiduplici, quæ in variis locis ſeu Eccleſiis die 2. Novembris poſſunt occurrere? Reſpondeo, cùm Rubricæ nihil ſuper hoc decreverint, non poſſe quidquam præſtari aptius, quàm ut ſervetur cujuſque loci ſeu Eccleſiæ uſus ac conſuetudo; ubi verò certa nulla eſt ac determinata, videant ii quorum intereſt, num hæc fuerit omnium aptiſſima, ut videlicet transferatur Officium Defunctorum, prout dictum eſt, quando feſtum proprium eſt de præcepto; id enim ſuadet Decretum Sacræ Rituum Congregationis 23. *Maji* 1603. concedens Miſſam Defunctorum in Dominicis & feſtis de præcepto, præſente tantùm corpore & inſepulto, non autem aliàs. Quin & Gavantus ipſe *ſect. 7. cap. 13. num. 3.* dum ait Commemorationem ipſam omnium Defunctorum in Dominica occurrentem eſſe transferendam in diem Lunæ ex decreto Urbani VI. addit protinus; niſi dies Lunæ ſit item impedita feſto de præcepto.

Gavantus.

Feſtum quod non eſt de præcepto, transferendum.

At ſi feſtum ejuſmodi proprium non ſit de præcepto, qualecunque fuerit ſive Duplex, ſive Semiduplex, ſatius omnino eſt illud non transferri ſimpliciter, ſed mutari ſeu aſſignari altera die commodiori, juxta ea quæ de mutatione dicta ſunt. Sic Eccleſia Pictavienſis feſtum S. Victorini Epiſcopis & Martyris repoſuit *die 3. Novembr.* Ratio verò eſt, quia etſi juxta Gavantum cit. ſtare poſſit cum Officio feſti Officium Defunctorum, quando videlicet ipſum transfertur è die Dominica in diem tertium vel quartum Novembris feſto aliquo occupatum, una tum Miſſa cantata de Feſto, altera pro Defunctis, haud tamen par eſt ratio utriuſque caſus: in hoc enim Miſſæ privatæ de Feſto non ſingulis annis omittuntur, ſed eo dumtaxat, quo ſic transferri contingit Commemorationem Defunctorum; in illo verò, quo fieret de Feſto proprio ipſa 2. die Novembris, Miſſæ privatæ de ejuſmodi feſto ſingulis annis eſſent omittendæ, quod omnino videtur incongruum. Quæ ratio cùm non perinde valeat pro die Octava, cujus videlicet Miſſa in feſto ipſo præcedentibuſque infra Octavam diebus pluries repeti potuit, imò nec poſſit ipſa dies Octava ullatenus transferri,

Eccleſ. Pictavienſ.

Die Octava incidente 2. Nov. non ideo transfertur Officium Defunct.

idcirco ſi occurrat, de ea fiet eadem ipſa die qua fit Commemoratio Defunctorum, cum duabus Miſſis, una de Octava poſt Tertiam, alia pro Defunctis poſt Nonam.

QUÆSTIO VI.

In quem diem transferri oporteat Duplicia primæ claſſis?

IN primam diem (ſupple ſequentem) feſto Duplici vel Semiduplici non impeditam, ait diſertè *Rubr. 10. de Translatione num. 1.* explicans illud quod ter quaterve alibi legitur, *In primam diem ſimiliter non impeditam*, (*ſimiliter*) hoc eſt non ſimili alio feſto primæ claſſis, ſed ſimili feſto novem lectionum, quale eſt omne Duplex & Semiduplex. Qualis item eſt Dominica omnis & dies Octava cujuſcunque feſti; non autem dies infra Octavam, qui licèt ſint novem lectionum, admittunt tamen duplicia quælibet translata, præterquam dies infra Octavam Epiphaniæ & Corporis Chriſti. Similiter quoque impediri cenſentur dies omnes, qui ipſummet feſtum occurrens à ſe æquè repellunt, putà Vigilia Nativitatis, Feria 4. Cinerum, feriæ majoris hebdomadæ, & hebdomadarum Paſchæ & Pentecoſtes. Et hæc quidem certa ſunt ex Rubricis. Dubia verò quæ ſequuntur.

Quæ ſit prima dies ſimiliter non impedita.

Primò: An feſtum Patroni ſeu Dedicationis, aut aliud ſimile, quod uſu proprio loci conſuevit transferri, etiam quoad præceptum publicum, ſeu ut loquuntur à Clero & à populo, in proximè ſequentem diem, aut aliam certam ac ſtatam, putà poſtridie Dominicæ in Albis: An inquam debeat feſtum illud fieri tali die, translato alio duplici aut ſemiduplici, quod eadem quoque die occurrerit? Reſpondeo uſum ejuſmodi poſſe retineri, ob eam maximè cauſam, quòd talis translatio feſti ſolemnioris, non tam cenſenda ſit translatio quàm mutatio, haud illa perpetua quidem, ſed ordinaria in tali caſu; unde ſicut Romæ v. g. dies 25. Auguſti eſt dies proprius S. Bartholomæi, ſic talis dies in eo loco & tali anno eſt dies proprius prædicti feſti. Imò ſecluſa etiam feſtivatione publica, ſi talis fuit ſemper conſuetudo, ut feſtum ejuſmodi ſuo die impeditum, certo alio ſtato ſolemniter in Choro celebretur, ajo conſuetudinem ejuſmodi, utpote laudabilem, poſſe retineri, dictique hujus mei rationem affero ſatis opportunam; quòd videlicet ſupponat Rubrica Romana concurſum populi, externumque omnem feſti apparatum nunquam transferri cum Officio, ſed ſervari ſemper eo die quo feſtum in Calendario eſt aſſignatum, ob idque duas Miſſas in tali caſu, unam de die, alteram de feſto, aut ſaltem commemorationem fieri de feſto permittit *Rubr. 6. Miſſalis de Translatione feſtorum*; quin & prædictam commemorationem extendit Gavantus ibidem ad privatas etiam Miſſas, *Quia*, inquit, *cum fiat ejuſmodi commemoratio in gratiam concurrentis populi, qui non poteſt adeſſe totus Miſſa ſolemni, in privatis Miſſis libenter audiet de translato feſto commemorationem.* Ergo, cùm iſtud ſic ſtatutum fuerit in gratiam concurſus populi, ſeu externi apparatus, certè ubi concurſus ejuſmodi ſeu apparatus unà cum Officio transfertur, ceſſabit obligatio Rubricæ ejus, imò & cujuſcunque alterius id ſupponentis. Eſſe autem conſuetudinem ejuſmodi laudabilem, ut apparatus ille ac concurſus translationem feſti comitetur, nemo tantiſper in rituum ratione verſatus negaverit.

Feſtum ſolemne transferri ſolitum in ſequentem, vel aliâ certam diem ex uſu proprio poteſt ea die fieri, translato duplici vel ſemid. quod ea ipſa die occurrit.

Gavantus.

Quam ego argumentationem in eo potiſſimùm caſu valere contendo, in quo feſtum ſolemne longiùs eſſet differendum, propter occurrentiam feſti alicujus inferioris recenter inducti, v. gr. feſtum S. Joannis ante Portam Latinam, quod eſt 6.

Item caſus quo feſtum S. Joannis ante Portam Latinam occurrens in die Aſcenſionis.

Digitized by Google

eſt 6. Maji, occurrens in die Aſcenſionis Domini, transferebatur aliàs in ſequentem proximè diem nempe 7. nunc verò cùm dies ille 7. occupetur feſto ſemiduplici S. Stanislai à Clemente VIII. additi, rejiciendum eſt prædictum feſtum S. Joannis ante Portam Latinam uſque in diem 10. Maji, quod ſanè incommodum valdè eſt Eccleſiis, in quibus feſtum illud ſic impeditum conſueverat olim poſtridie ſolemniter celebrari. Unde ſi ſuam illam antiquam conſuetudinem retineant, nonniſi laudabiliter mihi facere videntur. Qua etiam ratione excuſaverim eos, qui die 2. Januarii, de ſimili feſto faciunt, quod pridie occurrit, cum commemoratione diei Octavæ S. Stephani, quamquam id propriè mutatio dici debeat, non autem tranſlatio.

Feſtum primæ claſſis occurrens in feſtis Epiph. & Corporis Chriſti transferri debe in ſequentem diem.

Secundò: dubium eſt, An feſtum item Patroni, ſeu quodlibet primæ claſſis occurrens in die Epiphaniæ, aut in feſto Corporis Chriſti, transferri debeat in diem proximè ſequentem? Reſpondeo, debet, quia cùm Octava Epiphaniæ admittat occurrens feſtum ejuſmodi, nihil obeſt quin admittat etiam tranſlatum. Octava verò Corporis Chriſti etſi novo jure Duplicia tranſlata à ſe excludat, haud tamen jus illud extendit ad Duplicia primæ claſſis, cùm feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, quod tale eſt, occurrens in ipſo feſto Corporis Chriſti transferatur in ſequentem diem ex Rubr. x. de Tranſlat. feſtor. numer. 1. ergo & quodlibet aliud ejuſmodi.

De duplicibus tranſlatis non fit in Dom. infra Oct. Nativ. & Epiph. etiam extra Dominicam.

Tertiò: An in Dominicis infra Octavas Nativitatis & Epiphaniæ, quando eæ extra Dominicam fiunt, locus ſit Duplicibus tranſlatis? Reſp. nequaquam, verè enim fit etiam tum Dominicale Officium. Idem eſto judicium de Vigilia Epiphan. cujus Officium verè Dominicale eſt; inſtarque eſt Dominicæ inter Circumciſionem & Epiphaniam, ut infrà demonſtrabitur.

QUÆSTIO VII.

Tranſlato feſto, quæ praxis celebrandi Miſſam de eo in proprio die?

ID permittit Rubr. VI. Miſſalis proximè citata, cujus verba ſic habent: *In Eccleſiis autem ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus populi ad celebrandum feſtum quod transferri debeat, poſſunt cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de feſto, aut ſaltem commemoratio fieri de feſto, ſi de eo non debeat celebrari Officium illa die.* Vox, *poſſunt*, indicat licentiam dumtaxat id præſtandi, non autem præceptum: at nec licentia ejuſmodi utendum

Talis Miſſa celebranda non eſt niſi feſtum fuerit primæ claſſis, aut ſit in eo concurſus populi.

Primò: In feſtis aliis quantumvis ſolemnioribus, quæ vel Tituli non ſunt ſeu Patroni, aut Dedicationis, aut alterius cujuslibet Duplicis primæ claſſis, vel in quibus non ſit concurſus populi; in gratiam enim utriuſque aut alterutrius conceſſa eſt ejuſmodi licentia, quam non licet extendere.

Neque item quando ipſum transfertur etiam à populo.

Secundò: Nec ea item utendum, quando feſto tranſlato, transfertur quoque ipſa feſtivatio ſeu celebritas & concurſus populi; nam cùm in gratiam celebritatis ejuſmodi ſeu concurſus, ea Miſſa conceſſa ſit, ceſſante tali celebritate ſeu concurſu, dubium non eſt ceſſare quoque Miſſæ illius celebrandæ conceſſionem.

Neque item à Fer. 5. in Cœna Domini uſque ad Fer. 3. Paſchæ.

Tertiò: Declaravit Sacra Rit. Congreg. *die 9. Maji* 1606. Miſſam de Annunciatione B. Mariæ non eſſe celebrandam à Feria 5. majoris hebdomadæ uſque ad Feriam 3. Paſchæ incluſivè, quod de quacunque alia pari jure eſt intelligendum. Gavantus abſtinendum quoque judicat ab ejuſmodi Miſſa, in diebus Paſchatis, Pentecoſtes, & ſimilibus feſtis, qualia haud dubiè habenda ſunt, Dominica Palmarum, Aſcenſio, feſtum Corporis Chriſti, ac

Cayet. Heortologia.

reliqua omnia primæ claſſis, à quorum, inquit, myſteriis ne minimùm quidem eſt aliò diſtrahendus populus.

Dicitur cum *Gloria in excelſis &c.*

Cæterùm, Miſſa illa quacunque die celebretur, perinde celebranda eſt, ac ſi feſtum non eſſet tranſlatum, nempe cum *Gloria in excelſis*, Oratione unica, *Credo*, Præfatione propria, aut ſi deſit, de feſto ſeu tempore currente. Nunquam autem ſolemnis illa Miſſa celebranda eſt quin altera quoque de die cantetur; hæc quidem poſt horam ipſi congruentem; illa verò, cùm nullam, ait Gavantus, habeat cum Officio connexionem, poſt Nonam. Annon rectius poſt Tertiam, cùm ſit hora ipſi ſuo die debita? Quòd ſi una tantùm dicatur Miſſa ſolemnis, convenienter Officio diei, fiet in ea commemoratio feſti tranſlati, & quidem ante quamcumque aliam Orationem, ſi plures fuerint dicendæ, abſque tamen *Gloria in excelſis*, nec *Credo*, nec Præfatione ipſi propria, ſi talem habuerit; quod & in Miſſis privatis, in quibus eamdem commemorationem permittit Gavantus, æquè ſervandum erit. At omittenda prorſus ea commemoratio à Feria 5. in Cœna Domini, uſque ad diem Paſchæ incluſivè. Atque hæc de prædicta Miſſa ſeu commemoratione, quæ æquè locum habent, in quibuſcunque feſtis ea alias uſurpabitur.

Debet cantari alia Miſſa de die.

QUÆSTIO VIII.

In quem diem transferenda feſta impedita ſuo die, ab occurrente Duplici primæ claſſis?

REſpondeo, juxta regulam generalem *ſuprà quæſt.* 6. explicatam, in proximam diem feſto Duplici, vel Semiduplici non impeditam, vel quæ Dominica non eſt, aut dies Octava, aut alia quæcunque, quæ ipſamet etiam feſta occurrentia à ſe repellit. Infra Octavas Epiphaniæ & Corporis Chriſti ſola Duplicia primæ claſſis tranſlata è die ſuo locum habent, cætera omnia remittuntur poſt Octavam. Infra alias Octavas Duplicia quæcunque tranſlata, quolibet die locum obtinent. Semiduplicia verò nonniſi die proximè ſequenti, quæ ſi fuerit impedita, non ultrà locum habent, ſed poſt Octavam rejiciuntur, ex *Rubr.* 10. *num.* 5. ne videlicet Octavæ nimis detrahatur ab æquali cum ipſa Officio. Sed ecce tibi caſum propono non adeò metaphyſicum.

Duplicia in quamlibet diem infra Octavas transferuntur, Semiduplicia in proximè ſequentem dumtaxat.

Occurrat feſtum S. Catharinæ Senenſis, Dominica 5. poſt Paſcha, cùm non ſit niſi Semiduplex transferri debet: At Feriæ 2. 3. & 4. occupantur feſtis Duplicibus. Feria 5. celebratur feſtum Aſcenſionis, Feria 6. vacua eſt omni feſto, nec aliud in ea occurrit Officium quàm de Octava Aſcenſionis, An non in ipſam transferri poteſt prædictum feſtum S. Catharinæ? Ratio affirmandi ea poteſt afferri, quòd feſtum illud ſic tranſlatum è die Dominica, non ſit infra Octavas ante diem Aſcenſionis, à quo proinde dicitur primùm transferri infra Octavas: ergo, quemadmodum ſi occurreret in ipſo feſto Aſcenſionis, transfertur ex Rubrica in ſequentem Feriam 6. minimè impeditam, ita & in eamdem transferri poteſt è Dominica, cùm æquè ſit proxima dies infra Octavam minimè impedita. Subtilior eſt iſta ratio, quam, quia mea eſt, nolo ut certam adſtruere, ſed eam cuilibet perito dijudicandam relinquo.

Caſus particularis notandus.

Duo item dies ſunt, de quibus dubitari poteſt, an tranſlatis Duplicibus & Semiduplicibus aditum præbeant, videlicet Vigilia Epiphaniæ, & Feria 6. poſt Octavam Aſcenſionis. De primo nego firmiter cum Gavanto *ſect. 6. cap. 7. numer.* 1. Imò ne de occurrente quidem Semiduplici fieri poſſe infrà ſum afferturus. De ſecundo eò faciliùs concesſerim, non tantùm quoad Duplicia, quod extra dubium eſt, ſed etiam quoad Semiduplicia

De nullo feſto tranſlato fit in Vigilia Epiphaniæ, fit verò Fer. 6 poſt Oct. Aſcenſionis de Semiduplici etiam non immediatè tranſlato.

tranſlata ex die non immediatè præcedenti, quo nec in rigore Octava eſt, quantumcumque titus Octavæ ſervetur, nec moleſtia caret è longinquo jam fortè tranſlatum feſtum Semiduplex, ulteriùs adhuc; nempe poſt Octav. Pentecoſtes; nonnunquam etiam poſt Octav. Corporis Chriſti rejicere.

QUÆSTIO IX.

Quomodo Feſta S. Agnetis, SS. Petri & Pauli, & commemorationis ejuſdem ſancti Pauli ſint transferenda?

PEculiaris eſt in hiſce tribus difficultas, quam ſingillatim unamquamque evolvo.

Caſus proprius feſti S. Agnetis.

Prima de S. Agnete talis eſt, Sit ejus feſtum transferendum, & dies 23. Januarii, quæ primùm vacua occurrit, ſit Dominica, non poterit de ea fieri ante diem 28. quo occurrit ipſiuſmet S. Agnetis feſtum ſecundò dictum. Quæris jam ut erit faciendum Officium? Reſp. totum ut in priori feſto notatur; ſed fietne commemoratio feſti ejuſdem ſecundò dicti? Nequaquam, ceſſat enim omnis commemoratio ejus de quo ſit Officium. Quid ſi ulteriùs adhuc transferatur prædictum feſtum, fietne nihilominus commemoratio feſti ſecundò dicti, die quo occurrit? Nihil vetat, non enim ideò dictum eſt ſecundum, quaſi aliud neceſſariò ſit ipſi præmittendum.

Secundò: Quoad feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſuppono illud poſſe transferri, non tamen aliter quàm ob occurrens feſtum principalis Patroni ſeu Tituli aut Dedicationis Eccleſiæ, ut dictum eſt *ſuprà quæſt.* 4. puta Argentonii, ſeu in Argentomacho caſtro Diœceſis Bituricenſis, ubi ſit ea die de S. Marcello in Eccleſia ſui nominis. In eo itaque caſu, quem in diem transferendum erit feſtum Apoſtolorum? An in ſequentem, qui eſt Junii 30. ſed occupatur feſto Duplici commemorationis S. Pauli; ſicut & prima Julii, Octava S. Joannis; & ſecunda, feſto Viſitationis B. Mariæ: Ergo in diem 3. Julii, imò in quartam, ſi tertia incidit in Dominicam. Verùm ſic agendo, fiet de commemoratione S. Pauli, ante feſtum ipſius præcipuum, quod mihi perquàm abſurdum videtur. Eſt enim commemoratio illa, non feſtum S. Pauli propriè, ſed ſupplementum feſti, quod præcedenti die de eo factum eſt, quo videlicet ſupplentur Antiphonæ, Reſponſoria &c. quæ illius propria ſunt, nec dici potuere propter Officium S. Petri; ergo cùm ſupplementum ſupponat id quod ſupplet, videtur prius debere fieri feſtum ipſum S. Pauli, quàm commemorationem, quæ feſti dumtaxat ſupplementum eſt. Hæc me ratio ita convincit, ut non dubitem aſſerere in dicto caſu feſtum ipſum Apoſtolorum Petri & Pauli transferendum eſſe in ſequentem proximè diem nempe 30. Junii, feſtum verò commemorationis S. Pauli remittendum in diem infra Octavam, quæ primùm libera occurret; nec video quid quemquam poſſit cogere ut à me diſſentiat. Tantùm rogabis, An ſi dies 30. Junii fuerit Dominica, judicem faciendum in ea feſtum Apoſtolorum? Judico planè, ea ductus ratione, quòd nullum inde præjudicium Dominicæ inferatur, quæ perinde amiſſura erat Officium ex occurſu commemorationis S. Pauli.

Commemoratio S. Pauli eſt in ſupplementum feſti.

Feſtum SS. Petri & Pauli, ſi transferatur, transferri debet in ſequentem diem 30. Junii, etiam cùm fuerit Dominica.

Tertiò: Difficultatem habet ipſamet S. Pauli Commemoratio, quando contingit eam ſuo die à feſto majoris ordinis impediri. Cùm enim transferri non poſſit, niſi in tertiam aut quartam diem Julii, erit qui dicat abſurdum eſſe ut fiat de Octava S. Pauli per tres quatuorve dies antequam feſtum illius celebretur. Ad hoc reſpondet Gavantus *ſect.* 7. *cap.* 8. jam cœptum eſſe feſtum illius celebrari unà cum S. Petro. Addis, quid ſi nulla dies occurrat libera ante ipſammet diem Octavam? Reſpondeo valdè metaphyſicum eſſe, ſi id unquam accidat. Eſto verò, haudquaquam in eo caſu facienda erit commemoratio in die Octava, ſed poſtridie dumtaxat, tuncque habebit totum Officium à primis ad ſecundas Veſperas incluſivè, uti in propria Eccleſia, ſicuti habere cùm ſit infra Octavam monet idem Gavantus citatus. Hæc ni placeant, prome tu meliora.

Commemoratio S. Pauli transferri poteſt infra ipſammet Octavam.

Gavantus.

QUÆSTIO X.

Ut transferendum feſtum Sancti unius, ſeu plurium eodem die cum Patrono ſeu Titulo Eccleſiæ in Calendario deſcriptorum?

OFfert ſe hìc opportunè explicanda Rubrica illa poſt primam Tabellam, de occurrentia feſtorum appoſita, quæ ſic habet: *Si occurrat ut Patronus vel Titulus Eccleſiæ deſcriptus ſit eodem die in Calendario cum aliis Sanctis, in ea Eccleſia fit tantum de Patrono vel Titulo, abſque commemoratione aliorum.* Torſere ſe plurimi perperam, exiſtimantes agi hìc de duobus feſtis, quorum alterum eſt in Calendario Romano, alterum in Calendario loci proprio; ſed ut rectè arguit Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 10. *num.* 11. liquidò refelluntur ex iis verbis, *deſcriptus ſit eodem die in Calendario.* Caſus itaque eſt, ut in feſtis SS. Fabiani & Sebaſtiani, SS. Vincentii & Anaſtaſii, SS. Marcellini, Petri, & Eraſmi, aliiſque ſimilibus. Quorum ſi unus Patronus eſt Eccleſiæ, Rubricæ ſenſus eſt, ut de eo feſtum fiat ſeorſim ab aliis, quod demonſtravimus *lib.* 1. *cap.* 5. *quæſt.* 14. De iſtis verò aliis ſic definit eadem Rubrica, *Si in Calendario deſcripti ſunt ſub Officio Duplici & Semiduplici, transferuntur in primam diem ſimili Officio non impeditam, & de eis fiat Officium Semiduplex*, putà de S. Sebaſtiano, de S. Anaſtaſio, in Eccleſiis S. Fabiani & S. Vincentii, aut è contrà de S. Fabiano & de S. Vincentio, in Eccleſiis S. Sebaſtiani & S. Anaſtaſii. Subdit Rubrica, *niſi tamen ſint de majoribus feſtis*, hoc eſt primæ, vel ſecundæ claſſis, *quia tunc de tranſlato quoque fiet Officium duplex, ac ſi proprio die celebraretur.* Putà de S. Jacobo Apoſtolo ſeorſim à S. Philippo.

Separatis Sanctis qui ſimul juncti erant, de Tranſlato fit tantùm Semiduplex.

Ex quo colligas, id quod ait Rubrica, multiſque movet admirationem, ut feſtum aliquod de Duplici fiat Semiduplex, non habere locum niſi in caſu propoſito SS. Fabiani & Sebaſtiani, quod unicum eſt feſtum Duplex non majus duorum Sanctorum ſimul junctorum; reliqua enim omnia majora ſunt, nempe SS. Philippi & Jacobi, Petri & Pauli, Simonis & Judæ. In eo ergo unico caſu, de tranſlato fit tantùm Semiduplex, fortè quia quiſque amborum, ſi ſeorſim deſcriptus eſſet, nonniſi hocce gradu donaretur. Pergit Rubrica; *Si verò in Calendario omnes ſint tamquam feſtum ſimplex, de aliis nihil fit.* Patronus quippe cùm ſit primæ claſſis, excludit commemorationem omnem Simplicium. Hac tantilla luce addita, clariſſimus evadit Rubricæ hujus ſenſus, quem plerique minùs cautè obſcuritatis incuſant.

Caſus propoſitus tantùm habet locum in SS. Fabiano & Sebaſtiano.

Eſt peculiaris difficultas, ubi Patroni habentur SS. Nazarius & Celſus, qua ratione ſint ab iis ſeparandi SS. Victor & Innocentius, hic Confeſſor, ille Martyr? An de utroque ſimul, an de hoc & illo ſeorſim Officium peragendum? Rem ex Gavanto definiemus infrà commodiore loco.

CAPUT IX.

De Translatione cæterorum Feſtorum Duplicium propriorum.

EA ſunt vel ſecundæ claſſis, vel per annum, ſive majora, ſive minora: utrorumque quoad Translationem, cùm eadem ferè ſit ratio, ideò omnia ſimul uno Capite complectimur.

QUÆSTIO I.

A quibus diebus Duplicia ſecundæ claſſis occurrentia excludantur?

PRæter relatos quæſt. 1. & 4. capitis præcedentis, qui nimirum Duplicia primæ claſſis excludunt. Præter item ipſamet Duplicia primæ claſſis, quæ aliis quibuſcunque inferioribus præferenda eſſe pluſquam certum eſt; hi inſuper Duplicibus ſecundæ claſſis abſceſſionem è loco imperant, Dominicæ ſecundæ claſſis, videlicet 2. 3. & 4. Adventus, Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ, 2. 3. & 4. Quadrageſimæ, & ſex dies infra Octavam Epiphaniæ, *ex eadem Rubr.* 10. *de Translatione feſtorum num.* 1.

Gavantus.

Dubium verò eſt de die Octava Corporis Chriſti, an id quoque juris habeat? Nam Rubric. cit. *num.* 2. poſtquam dixit, Occurrente Duplici ex majoribus in die Octava alicujus feſti habentis Octavam, fieri de feſto cum commemoratione Octavæ; duas tantùm excipit Octavas, videlicet Nativitatis Domini & Epiphaniæ. Per majora verò Duplicia, interprete Gavanto *ſect.* 3. *cap.* 8. *numer.* 12. comprehendit tam Duplicia ſecundæ claſſis quàm primæ; ergo ſi exceptio firmat regulam, non videtur ullatenus hæc Octava Corporis Chriſti immunis à ſuſcipiendo feſto Duplici ſecundæ claſſis.

Probabilius eſt diem Octavam Corporis Chriſti excludere feſta ſecundæ claſſis.

Optimum ſanè argumentum. Vergo tamen ego magis in ipſiuſmet Gavanti opinionem loco citat. ajentis *num.* 24. feſta ſecundæ claſſis debere cedere Octavæ prædictæ Corporis Chriſti: & hujus quidem aſſertionis tria mihi videntur afferri poſſe argumenta non ſpernenda.

Primum: Quòd inter alios dies *Rubr.* 10. *num.* 1. enumeratos, nominatim expreſſa habeatur dies Octava Corporis Chriſti, non autem dies Octava Aſcenſionis, ex quo infertur habere illam aliquid amplius ſupra iſtam: illud autem amplius nihil aliud eſſe poteſt, quàm ut illa rejiciat Duplicia ſecundæ claſſis, quæ iſta admittit.

Secundum: Pari proportione præſumi debet aucta ſupra alias diei hujus Octavæ celebritas, quà dierum infra Octavam: ſed diebus infra Octavam conceſſum eſt ad majorem celebritatem, ut arceant feſta Semiduplicia, quod primum occurrebat concedendum ſupra dies infra alias Octavas: ergo & diei Octavæ præſumi debet conceſſum ut excludat feſta Semiduplicia, quod æquè primum ſe offert ei concedendum ſupra alias dies Octavas.

Joannes XXII.

Tertium: denique favet authoritas Joannis XXII. cujus liberalitate cùm ex relatione Gavanti cit. id habeat Octava Corporis Chriſti, ut nulli feſto cedat niſi feſto S. Joannis Baptiſtæ, aut alteri ex majoribus, conſentaneum profectò eſt, ut par ſit feſtum illud alterum majus feſto S. Joannis Baptiſtæ, adeòque etiam primæ claſſis.

QUÆSTIO II.

Sitne alii præterea dies, à quibus præfata Duplicia excludantur?

Feſta Purif. Annunc. & Nativ. B. Mariæ, excludunt propria ſecundæ claſſis.

EXcludenda inprimis à feſtis Purificationis, Annunciationis, & Nativitatis B. Mariæ, à pari de feſtis Aſſumptionis B. Mariæ, & omnium Sanctorum evincitur; ut enim illa duo, quia ubique Eccleſiarum maximè ſolemnia ſunt, quibuſcunque feſtis ejuſdem ſecum gradus, nempe primæ claſſis, præferenda edixit *Rubr. de Translat. numer.* 1. Sic & præfata tria, utpote B. Virginis, cùm ubique ritu æquè ſolemniori celebrentur, par eſt præferri quibuſcunque propriis ejuſdem cum ipſis ordinis, nempe ſecundæ claſſis; nec puto futurum quempiam, qui huic opinioni refragetur. His quoque libenter addidiſſem feſtum Conceptionis B. Mariæ, ſi ut in pleriſque Galliæ Breviariis, itidem in Romano eſſet ſecundæ claſſis.

Feſta item tria S. Stephani, S. Joannis, & SS. Innoc.

Idem affirmandum de tribus feſtis S. Stephani, S. Joannis, & SS. Innocentium Natale Domini comitantibus, quæ & ſecundæ ut minimum claſſis haberi, & ſingulari myſterio, dicto Natalis feſto addicta eſſe docuimus *cap. præcedenti quæſt.* 4.

Item Natalitia Apoſtolorum, & reliqua ſecundæ claſſis.

De aliis verò quæ æquè ſunt ſecundæ claſſis, puta Natalitiis Apoſtolorum & Evangeliſtarum, Inventione S. Crucis, Feſto S. Laurentii, & Dedicatione S. Michaelis Archangeli, quæſtio eſt generatim de aliis æquè duplicibus mox tractanda, ſed quam in horum favorem utplurimùm reſolvendam præjudico, tum ob dignitatem perſonæ, quippe Angelorum ſunt & Apoſtolorum, tum ob generalem totius Eccleſiæ cultum; niſi fuerint alia valdè ſolemnia, perpetuoque uſu tali die in loco celebrari conſueta, à qua etiam conſuetudine non illaudatos dimittam qui ultro receſſerint.

Denique de occurrentia ejuſmodi Duplicium, ſicut & aliorum quorumcumque tam Duplicium quàm Semiduplicium in die Commemorationis fidelium Defunctorum, dictum ſuprà *quæſt.* 5. *capitis præcedentis.*

QUÆSTIO III.

A quibus diebus cætera Duplicia inferiora excludantur?

PRimò: A ſupradictis omnibus Duplicia majora tam primæ quàm ſecundæ claſſis excludentibus. Cui enim cedit majus, haud dubiè à fortiori cedere debet & minus.

Secundò: A quocunque feſto Duplici ſecundæ claſſis, *ex Rubr.* 10. *de Translat. num.* 4.

Tertiò: A quacunque die Octava feſti habentis Octavam, *ex eadem Rubr. num.* 2. quamquam Sacra Rituum Congregatio teſte Gavanto *ſect.* 3. *capit.* 12. *num.* 20. approbans Officia pro Clero Regienſi decrevit fieri Officium de feſto Viſitationis B. Mariæ (quod tantùm Duplex eſt majus per annum) cum commemoratione diei Octavæ S. Proſperi Patroni ſui ea die occurrentis. Sed hoc privilegium eſt, ſeu magis diſpenſatio, quæ cæteros haud ſolvit à lege communi, niſi fortè pia ac probabili interpretatione extendatur ad feſtum Conceptionis æquè ſaltem ſolemne ac Viſitationis.

QUÆSTIO IV.

An legitimus ſit uſus, ut in aliquibus prædictorum dierum fiat de occurrente feſto Duplici contra præſcriptum ordinem?

USus eſt Diœceſum Rothomagenſis, Pariſienſis, Aurelianenſis, Carnutenſis, Meldenſis,

Andegavenſis, & aliarum plurium, ut de feſto Purificationis B. Mariæ quod eſt ſecundæ claſſis, fiat in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ, itaque Urbanum VI. obſervari præcepiſſe refert Radulphus *prop.* 15. Uſus item Pariſienſis, Aurelianenſis, Carnutenſis, Meldenſis &c. ut de occurrente feſto Duplici, imò & Semiduplici fiat infra Octavas Epiphaniæ. Uſus denique Bituricenſis, ut fiat de Duplici etiam minore occurrente in die Octava feſti habentis Octavam. Quæ quidem omnia ſarta tecta eſſe velim jure Breviarii proprii, illis nimirum qui eo utuntur. At Romano adſtrictis, ſtandum eſſe ejus legibus ſatis ſuperque demonſtrant, quæ in ſimili argumento copioſè tractata ſunt *quæſt.* 5. *capitis præced.* imò & quod ibidem additum eſt, qui propiùs cæteris Diœceſum uſus proprii in hiſce omnibus ad Romanum accedent, eò ſe probatiores ipſi præſtabunt.

Standum magis Romano uſui ipſo meritibus, quàm contrario locorum.

QUÆSTIO V.

Duplici proprio occurrente eadem die cum altero paris ordinis in Calendario deſcripto, utrum retinendum tranſlato altero?

TRia ſunt rationum capita, ex quibus peti debet quæſtionis hujus reſolutio.

Primum eſt major alterutrius celebritas, putà ſi unum eſt de præcepto quoad forum, non verò alterum, aut fiat cum majori apparatu Chori, frequentiorive populi concurſu. Eſt enim ejuſmodi major ſolemnitas, ob quam alterum alteri præferendum edicit *Rub.* 10. *de Tranſlat. feſtorum num.* 6. Sic S. Rochus ubi de eo fit legitimè, præferendus S. Hyacintho 16. *Auguſti*.

Major Chori celebritas facit ut feſtū proprium æquali præferatur.

Secundum, major perſonæ dignitas, puta ſi alterum illorum eſt Chriſti Domini, aut B. Mariæ, aut Angeli, aut Apoſtoli, aut Patroni minùs principalis, aut ſecundarium Patroni principalis, erit haud dubiè præferendum ex eadem Rubr. interprete Gavanto *ſect.* 3. *cap.* 10. *num.* 5. Sic indicavi jam natalitia Apoſtolorum aliis ejuſdem ordinis eſſe præferenda: Sic S. Sulpitius Biturigibus præferendus S. Antonio 17. *Januarii*, Translatio SS. Gervaſii & Protaſii, in Eccleſiis Cenomanenſi, Sagienſi & aliis ipſis dicatis, S. Luciæ 13. *Decemb.* &c. Gradum verò Martyrum præ Confeſſoribus, & Confeſſorum præ Virginibus, nequaquam attendi debere, docui jam aliàs *cap.* 7. *quæſt.* 3.

Item major perſonæ dignitas.

Tertium eſt antiquitas: Qui enim prior eſt tempore, potior eſt jure, *ex Regula Juris* 54. *in* 6. Antiquitatem verò intellige non temporis, quo Sanctus unus præ alio extitit, ſed feſti, prout videlicet feſtum unum inſtitutum fuit ac receptum ante feſtum alterius: quod conſtare poteſt ex antiquis cujuslibet Eccleſiæ ſeu Diœceſis Calendariis. Sic S. Julianus Epiſcopus in pleriſque Galliæ Eccleſiis, ubi fit Duplex, præponitur S. Chryſoſtomo 27. *Jan.* S. Eufronius Turonis S. Dominico 4. *Auguſti*. Qua item ratione feſtum S. Catharinæ Senenſis, quando inſtitutum fuit Semiduplex; è die 29. Apr. jam à S. Petro Mart. occupata, mutatum fuit in diem 30. Imò nonnunquam etiam feſtum ſuperioris gradus diem cedit alteri licèt inferiori, ſed antiquiori; ſic feſtum S. Birgittæ, quod primò aſſignatum fuerat diei 7. Octobris, poſtmodum mutatum fuit in diem 8. ne feſtum S. Marci Papæ, ſimplex quidem, ſed antiquius, ſuo die ſpoliaretur: ſed hæc mutatio eſt non tranſlatio.

Ipſa etiam antiquitas feſti unius præ alio.

S. Catharina Senenſis. S. Petro Mart. poſtpoſita.

Juri antiquitatis affine eſt, ſi non idem penitus jus univerſalitatis, quo videlicet feſtum in univerſali Eccleſia receptum, cæteris paribus æquali particulari æquè præferendum aſſero, atque cæteris paribus præferendam aſſeruit Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 6. Octavam quam celebrat univerſa Eccleſia. Jus verò illud affine eſſe dixi aut idem cum jure antiquitatis, quia utplurimùm quæ antiquiora ſunt feſta, eadem quoque univerſalia ſunt, & viciſſim quæ univerſalia, eadem utplurimùm antiquiora.

Feſtum univerſale utplurimum debet præferri proprio æquali.

Porrò quocunque ex his capitibus feſtum unum alteri præferatur, cùm id ſemper conſequens ſit, ut alterum illud quod poſthabetur, nunquam die ipſo celebrari poſſit, à quo rejectum eſt, valet in hocce caſu, ſi unquam aliàs, quod de mutatione adhibenda potiùs quàm tranſlatione diximus *lib.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 6. ſaltem quando feſtum quod ſic poſthabetur eſt proprium.

In præfatis caſibus mutatio potius adhibenda quàm tranſlatio.

Obſerva autem nihil nos hîc dicere de ratione transferendi Sanctum unum ſeu plures in Calendario deſcriptos cum eo, de quo fit Duplex, putà de S. Anaſtaſio, ubi fit Duplex de S. Vincentio: ſuprà enim docuimus *lib.* 2. *cap.* 8. *quæſt.* 4. ſeparationem illam unius ab alio, non eſſe adhibendam, niſi ubi alter eſt Patronus; quod non ita ſe habet in caſu præſenti.

Patronus ab aliis ſeparandus quibuſcum in Calendario junctus eſt.

QUÆSTIO VI.

In quam diem transferri oporteat Duplicia tam ſecundæ claſſis, quàm alia inferiora?

IN primam diem ſimiliter, hoc eſt feſto alio Duplici vel Semiduplici non impeditam, perinde ac Duplicia primæ claſſis, hoc tantùm excepto, quòd perinde non poſſunt tranſferri infra Octavam Epiphaniæ & Corporis Chriſti. Cætera planè eadem, quæ definita ſunt *quæſt.* 6. *capitis præcedentis*: ſicut & quoad feſta transferenda, quæ ſuo die impediuntur ab occurrente Duplici proprio tam ſecundæ claſſis, quàm alio inferiori, nihil itidem addendum iis quæ explicata ſunt *quæſt.* 8.

CAPUT X.

DE TRANSLATIONE FESTORUM Semiduplicium propriorum.

PAuca admodum ſuperſunt, quæ non ſint cum Duplicibus hac ex parte communia, quibus addemus quæ de tranſlatione itidem ſimplicium quæri poſſent.

QUÆSTIO I.

A quibus diebus excludantur feſta Semiduplicia propria?

PRimò, ab iis omnibus quibus excluduntur ipſa Duplicia. Secundò: Ab ipſiſmet Duplicibus quibuſcunque. Tertiò: Ab omnibus univerſim Dominicis. Quartò: A diebus infra Octavas Corporis Chriſti. Hæc certa ſunt *ex Rubr.* 10. *num.* 5. Certum item ex Rubrica particulari excludi feſtum ſemid. à prima die poſt Oct. Epiphaniæ, quando adveniente ſtatim Septuageſima, anticipanda eſt in eâ Dominica ſecunda. Dubium an etiam à Vigilia Epiphaniæ. Aſſerit Gavantus *ſect.* 6. *cap.* 7. *num.* 1. nec immeritò, tum quia Vigilia hæc Dominicæ rationem habet, ut alias diximus; tum quia ea de cauſa videtur in poſtrema Breviarii recognitione expreſsè additum in Calendario, *Semiduplex*, ne quis ſupereſſet ſcrupulus, diem hunc verè eſſe inſtar feſti Semiduplicis.

Vigilia Epiphaniæ excludit Semiduplicia.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

An legitimè nihilominus fiat de feſto Semiduplici in aliquo ex prædictis diebus?

FIebat olim in veteribus Breviariis de quocunque feſto novem lectionum in Dominicis communibus occurrente: At ritus ille jam ubique obſolevit, neutiquam revocandus; imò nec retinendus, ſicubi adhuc ſupereſt. Fit item etiamnum in pleriſque uſibus de Semiduplicibus occurrentibus infra Octavam Epiphaniæ: At hoc non fert uſus Romanus, nullo prætextu hac ex parte violandus: imò laudabile erit ſi ad eum ſeſe alieni conforment.

QUÆSTIO III.

An Semiduplex proprium præferendum ſit alteri in Calendario deſcripto eadem die occurrenti?

TAm de Semiduplicibus, quàm de Duplicibus, ſi duo vel plura eadem pariter die occurrant, dictum habetur *Rubr.* 10, *num.* 6. fieri debere de digniori ſeu ſolemniori; quæ verò minoris ſunt ſolemnitatis, transferenda. Sed dubium, unde petatur major ejuſmodi dignitas ſeu ſolemnitas? An à præcepto, aut majori apparatu Chori, frequentiorive populi concurſu? Sed vix ullibi extat præceptum pro feſtis Semiduplicibus, maximè poſt Bullam Urbani VIII. Chori verò apparatus, æqualis eſt in Eccleſiis bene ordinatis pro omnibus item Semiduplicibus; frequentior denique populi concurſus per ſe ſolus nihil ad majorem ſolemnitatem confert. An à majori perſonæ dignitate? Ea cùm non ſit niſi feſtorum Chriſti Domini, B. Mariæ, Angelorum, Apoſtolorum, aut Patronorum, dictum eſt *lib.* 2. *cap.* 11. *quæſt.* 3. & *cap.* 12. *quæſt.* 2. feſta omnia ejuſmodi ex uſu Romano ſolere eſſe duplicia. Supereſt igitur antiquitas, cujus potiſſimùm hìc habenda ratio eſt, v. g. in quibus Galliæ Diœceſibus feſtum S. Germani Antiſſiodorenſis Epiſc. *die* 31. *Julii*, uſu pridem legitimè ſervato Semiduplex habetur, omnino præferendum eſt feſto S. Ignatii recenter inducto. Ubi verò non favet antiquitas, eò tandem recidendum, ut quæ in Calendario deſcripta habentur, ſeu ab univerſali Eccleſia fiunt, ea particularibus locorum præferantur, facta horum Translatione, ſeu mavis mutatione, prout dictum eſt *quæſt.* 5. *capitis præcedentis*.

Semidupli-cia antiquiora aliis præferenda.

QUÆSTIO IV.

In quem diem transferenda Semiduplicia?

EAdem quæ ſuprà pro Duplicibus reſponſio: in primam diem feſto Duplici vel Semiduplici non impeditam, hoc tantùm addito diſcrimine, quòd Semiduplicia infra Octavas non in quamcunque diem transferantur perinde ac Duplicia, ſed tantùm in proximè ſequentem ab ea in qua occurrunt, putà è Dominica in Feriam 2. quæ ſi alio feſto Duplici vel Semiduplici fuerit impedita, non in Feriam 3. ſed poſt peractam Octavam erit producenda Translatio, *ex Rubr.* 10. *num.* 5. cui contrariam habent Breviaria aliqua propria, in quibus videlicet dies infra Octavam nonniſi ſimplici ritu celebrantur; ſed eſt ritus ille à Romano alienus.

Semiduplicia infra Octavas non niſi in proximè ſequentem diem transferenda.

QUÆSTIO V.

An contingat unquam feſta ſimplicia transferri?

NUlla dari feſta propria, quæ ſimplici ritu peragantur à Romano Breviario utentibus, aſſeruimus *lib.* 2. *cap.* 12. *quæſt.* 4. Si quæ tamen alicubi uſus non adeo probandus induxit, & eadem die occurrant cum aliis in Calendario deſcriptis, ajo de iis tantùm faciendam eſſe commemorationem in Officio aliorum. Vel enim ipſa æqualia ſunt aliis, vel digniora: Si primum, in æqualitate ejuſmodi præferenda ex dictis ſuperiùs, quæ ab univerſali Eccleſia fiunt; Si ſecundum, exinde ſimplicia eſſe non debent; quæ enim ſolemniora habentur quàm ſimplicia, ea ſtatim ſemiduplicia eſſe debent, *ex Rubr. de Officio Semid. num.* 1.

Simplex proprium ſi datur, cedat ſimplici in Calendario deſcripto.

Sed annon eadem transferri poſſunt? Nonnulla id in uſu olim habebant antiqua Breviaria, quod & retinuit proprium S. Martini Turonenſis, itemque Ordinis Prædicatorum, cujus eſt hæc Rubrica: *Feſtum trium Lectionum, ſi ſuo die celebrari non poteſt, poteſt transferri per ſpatium* 15. *dierum, quo elapſo ampliùs de eo fieri non debet eo anno*. Extorris verò prorſus eſt à Romano, ac quovis alio probè ordinato talis uſus; ſtatque inconcuſſa lex iſta, feſtum ſimplex, nunquam è ſuo die transferri, minùs verò adhuc mutari, ſed ipſo eodem die vel de eo fieri commemorationem, ſi impediatur, vel omitti penitus, ſi occurrat in feſto Duplici primæ claſſis. Pari itidem jure translato feſto novem Lectionum, vel anticipata Vigilia, quibuſcum facienda ponitur commemoratio ſimplicis, non ideo transfertur aut anticipatur iſta commemoratio, ſed fit ipſo die quo aſſignata eſt. Contra quod habet idem Brev. Ordinis Prædicatorum, *Quando feſtum habens annexam alicujus Sancti memoriam transfertur, transfertur & ipſa memoria*.

Simplex nunquam transferendum uſu Romano. *Brev. S. Martini.* *Brev. Ord. Præd.*

CAPUT XI.

DE MUTUA INVICEM FESTORUM propriorum comparatione.

TRactationem hanc ideo ſuſcipio, ut in occurrentia parium conſtet, quodnam alteri præferendum, ſeu quodnam ſit proprio die retinendum, quodnam verò transferendum? Quæ eadem Tractatio valebit itidem pro concurrentia, quando dubium erit de quonam fieri debeant Veſperæ? Conflictus autem ejuſmodi cùm non oriatur, niſi inter feſta æqualis ordinis, ſeu quæ ſint ambo vel primæ claſſis, vel ſecundæ &c. horum quoque inter ſeſe præſens dumtaxat intelligitur fieri comparatio: nempe Dedicationis cùm Patrono ſeu Titulo Eccleſiæ, hujus cum Patrono loci aliiſque ſolemnioribus ſeu primæ claſſis gradum obtinentibus, tum cæterorum in ſuo quorumlibet ordine.

Comparatio ejuſmodi intelligitur tantùm inter feſta æqualis ritus ſeu ordinis.

QUÆSTIO I.

An præferendum feſtum Dedicationis feſto Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ?

AFfirmat Gavantus, iis ductus rationibus, quas paulò antè recitavi *quæſt.* 6. *capitis* 6. Sed cùm eæ parum urgentes ſint, & oppoſitæ multò probabiliores, haud ab ea dimoveri me ſinam opinione, quam ibidem adſtruxi, ſequendum eſſe uſum Eccleſiarum, ut ſi quibus talis uſus eſt, Patrono præſtet Dedicatio; ſin minùs, poſtponatur.

Gavantus.

Vix uſquam Patrono præſtat Dedicatio.

Digitized by Google

tur. Præſtare verò ullibi nedum obſervavi, ut in aliquibus etiam Eccleſiis omitti penitus, in aliis à Patrono ipſo veluti abſorberi loco citato demonſtraverim.

Patronus & Dedicatio vix in eumdem diem cadunt.

Rarum verò eſt ut in eamdem diem incidant Patronus ſeu Titulus ſimul & Dedicatio. Cùm enim in arbitrio ſit Dedicantium, diem faciendæ Dedicationi conſtituere, eum profectò è multis ſeligere debuerunt, qui alterius ſolemnitatis occurſu non eſſet incommodus. Imò etſi id non caviſſent, Conſecrator tamen in actu ipſo conſecrandi, diem ejuſmodi incommodum in alium potuit ac debuit mutare, ex dictis *lib.* 2. *cap.* 1. *quæſt.* 2.

Ubi Dedicatio omnium Eccleſiarum ſit ſimul una die, Patronus eadem ipſa die occurrens videtur præferendus.

Neque id ſecùs ullibi contingere arbitror, quàm iis in Diœceſibus, in quibus omnium ſimul Eccleſiarum Dedicatio una eademque die celebratur; tum enim fieri poteſt facilè, ut in eumdem ſimul diem incidat feſtum Patroni ſeu Tituli alicujus Eccleſiæ. In quo caſu videant Eccleſiarum Præſides, quid loci ferat uſus ac conſuetudo: ex qua ſi nihil certi poteſt argui, exiſtimaverim ego, transferendum potiùs feſtum Dedicationis quàm Patroni, cum ob rationes alibi à me allatas, tum ob id maximè, quòd ea dies magis propria ſit Patroni quàm Dedicationis, quippe quæ Dedicationi non à conſecratione facta illa die, ſed ex ſtatuto Diœceſano deſtinata.

Dedicatio hic intelligitur propriæ Eccleſiæ.

Adverte autem de Dedicatione dumtaxat propriæ Eccleſiæ hic agi, nam Cathedralis aut alterius cujuſcunque Dedicationem, ſi ea fiat, utplurimùm vix ritum alium quàm Duplicis per annum obtinere docuimus *lib.* 2. *cap.* 20. *quæſt.* 3. Imò etſi altiorem obtineat, haud tamen propriæ æquari Gavantus ipſemet teſtis eſt *ſect.* 8. *cap.* 5. *num.* 6. adeòque nec Patrono ipſi ſeu Titulo.

QUÆSTIO II.

An feſtum Dedicationis propriæ Eccleſiæ, & Patroni ſeu Tituli præferenda ſint quibuslibet aliis Patronis ſeu feſtis loci ſolemnioribus?

DEdicationem propriæ Eccleſiæ eatenus Patrono ſeu Titulo adjungo, quatenus eumdem cum illo ritum obtinere ex uſu communi conſuevit: ubi verò aliud in praxi eſt, jure an injuria, nihil amplius ei tribuendum in hacce comparatione, quàm quod fert ratio ritus, ſub quo deſcripta eſt, putà Duplicis majoris aut minoris per annum, quamdiu is ritus perſeveraverit.

Refutatur Gavanti opinio de diſtinctione Patroni loci à Titulari Eccleſiæ.

Jam verò quoad Patronum ſeu Titulum Eccleſiæ attinet, Gavantus non uno in loco huic præferendum cenſet Patronum loci, eo nixus principio, quòd hic ampliùs pateat, *quippe totius loci protector habetur, ille verò unius dumtaxat templi particularis.* Ita loquitur *ſect.* 3. *cap.* 10. *num.* 15. At cùm ſupponat idem duo triave, de quibus mihi cum illo non convenit, nil mirum eſt, ab illo me in hac quoque concluſione diſcrepare.

Supponit namque primò, Patronum dici propriè Sanctum illum, qui ex electione Epiſcopi cum populo, in tota civitate vel Provincia, ut ſpecialis apud Deum interceſſor colitur: Titulum verò nonniſi ad Eccleſiam materialem pertinere, ut ſit Sanctus ille Titularis alicujus Eccleſiæ, ſub cujus nomine dicata eſt & nuncupata Eccleſia: quod nos ſtrenuè refutavimus *lib.* 1. *cap.* 4. *quæſt.* 9. ex textu ipſo Rubricarum, ubi Patronus æquè ac Titulus ſemper de Eccleſia dicitur.

Supponit ſecundò: Ea omnia privilegia, quæ feſto ſolemni principali concedit *Rubr.* 9. *de Commemor. num.* 3. & 4. perinde intelligenda de Patrono & Titulo prædictis, quaſi duo ſint à ſe invicem diſtincti, cùm tamen utplurimùm nonniſi unus idemque ſit; & ſi duos alicubi eſſe contingat, non tamen eo ſenſu, quo ille accipit, prout ibidem loco citato demonſtravimus.

Non datur ubique communis loci Patronus præter Titularem Eccleſiæ.

Tertiò denique ſupponit ubique id eſſe in uſu, ut præter Titulum cujuslibet ſingularis Eccleſiæ, Patronus communis totius civitatis ſeu Provinciæ habeatur, quod nos in ſenſu proprio, neque univerſim eſſe verum docuimus *lib.* 1. *cap.* 7. *quæſt.* 3. & 4. nec ſi verum ſit alicubi, continuò Patronum illum celebrari ritu ſolemni Duplicium primæ claſſis, cum probatum fuit à nobis ipſis *lib.* 2. *cap.* 11. *quæſt.* 1. tum uſu conſtat planè contrario Diœceſum Bituricenſis, in qua feſtum S. Urſini principalis Patroni, ne in ipſa quidem Cathedrali Eccleſia, ritu alio quàm Duplici communi celebratur: Aurelianenſis, in qua Sancti itidem Patroni habentur Evurtius & Anianus. Itidem Pictavis S. Hilarius, Redonis S. Melanius, Veneti S. Paternus &c. Sed nec in aliis ferè omnibus, licèt Patronus ejuſmodi in Breviario Diœceſis proprio ſummo ritu conſignetur, ideò tamen in aliis Eccleſiis (præterquam in Cathedrali, ac ipſi dicatis nominatim) ritu ſeu apparatu Chori ſolemniori fieri conſuevit. Unde & Ceremoniale Monaſticum Gavanto licèt addictiſſimum *lib.* 4. *cap.* 16. ubi de feſtis Patronorum, feſtum principalis etiam Patroni non niſi tertii vult eſſe ordinis, quoad ritum ſeu Chori celebritatem.

Cærem. Monaſt.

Feſtum quo magis proprium, eo aliis propriis potiori jure præferendum.

Ex quibus videas quàm levi fundamento nitatur hæc Gavanti opinio, Patronum communem loci præferendum Patrono ſeu Titulo propriæ Eccleſiæ; imò contrarium evincit ratio iſta Gavanti rationi protſus oppoſita, feſtum, quo maximè proprium eſt, eo quibuſvis aliis feſtis propriis æqualibus, potiori jure præferendum. Cùm enim titulus quo fit de aliquo feſto proprio ſit ipſa proprietas, certè quo propior ſeu ſtrictior eſt proprietas, eo vel ſaltem nomine præſtare aliis feſtum ejuſmodi haud ineptè arguitur; perinde atque in confeſſo eſt, inter feſta communia, quæ maximè omnium communia ſunt, ſeu quæ communi jure Eccleſiam omnem propiùs attingunt, ea protinus cæteris anteponenda, ut patet de Paſchate, Pentecoſte & aliis ſimilibus. Hincque vides feſtum quo latiùs patet, eo altero eſſe dignius, (quod erat Gavanti argumentum) valere quidem in feſtis generalibus, at in propriis nullius planè eſſe roboris.

Feſtum Titularis Eccleſiæ omnium propriorum maximè proprium.

Quòd verò Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ feſtum omnium ſit maximè proprium, vel ex eo colligas, quòd ut homini nihil proprio nomine proprium magis eſt, quo utique ab aliis diſcernitur; ita nec cuilibet Eccleſiæ, Patrono ſuo ſeu Titulo quidquam magis proprium eſt, cujus ſcilicet nuncupatione ab aliis Eccleſiis ipſa diſcernitur. Nihil item magis proprium, quàm id unum cujus intuitu fundata primùm ac dotata ſubſtitit hactenus, ſtabitque in ævum, nempe ut in ea Deo Omnipotenti cultus perpetuus ſub Sancti talis invocatione impendatur, quod & ipſis fundationum Tabulis expreſſum habetur, quæ ſic ferè ſemper habent, *Do & concedo Domino Deo, & SS. Apoſtolis ejus Petro & Paulo, & S. Martino &c.*

Proprium denique ſi dixeris, quod idem ſemper immutatum manet, nuſquam videre eſt, ut Patronus ſeu Titulus Eccleſiæ alicujus immutetur. Tranſire illa quidem poteſt de ſtatu ſæculari ad Regularem, aut de uno Ordine ad alium, adeòque mutare Patronum Ordinis ſeu Regulæ; verùm à quibuſcunque incolatur, ſive Monachis ſive Clericis, ſive ſtrictioris, ſive laxioris obſervantiæ, pari, eoque ſummo apud omnes in honore habetur impoſitus ab ortu ſeu fundatione Eccleſiæ illius Patronus ſeu Titulus, quippe omnium maximè proprius.

Feſtum Patroni, ſeu Tituli Eccleſiæ Patrono loci, vel Ordinis præferendum.

Hincque tandem concludas quod hic potiſſimùm in quæſtione eſt, occurrente ſimul eadem die Patrono ſeu Titulo Eccleſiæ cum Patrono loci vel Ordinis, ſeu quocunque alio, illum his eſſe præferendum, ut de eo translatis aliis ſuo die fiat Officium, putà Pariſiis de S. Euſtachio in Eccleſia

Paro-

Digitized by Google

Parochiali ſui nominis *die* 3. *Novembris*, præ S. Marcello Epiſcopo Pariſienſi, de quo tamquam Patrono eodem die fit in tota Diœceſi: Itidem de S. Hermete, aut S. Juliano Martyribus in Eccleſia propria, ſi quæ ſit, Ordinis S. Auguſtini, *die* 28. *Auguſti*, eadem ipſa die occurrente.

QUÆSTIO III.

Inter Patronos loci, Ordinis alioſve, uter alteri præferendus?

SI Gavanti ratio bona eſt, quam præcedenti quæſtione diſcuſſimus, is erit alteri in occurſu præferendus, qui latiùs patebit, putà Patronus Diœceſis ſeu Provinciæ, Patrono Ordinis. At quoniam minùs valere rationem illam in feſtis propriis demonſtravimus, advertendum potiùs, quodnam duorum feſtorum ejuſmodi magis ſit proprium; hinc faverim ego libentiùs Regularibus Patronum ſui Ordinis, Patrono loci præferentibus, putà S. Ignatium Societatis Jeſu Patronum, S. Germano in Diœceſi Antiſſiodorenſi, eadem cum illo die nempe 31. *Julii* occurrenti; videtur enim ille ſuis eſſe propior, quippe cujus inſtituto, ubique gentium verſati fuerint, addicti ſemper manent; Sancto verò loci Patrono, non aliter, nec niſi quamdiu eos ibi morari contigerit.

Patronus Ordinis Patrono loci præferendus.

QUÆSTIO IV.

Inter alia feſta qualibet propria æqualis inter ſe ſolemnitatis, utrum alteri in occurrentia præferendum?

Rationes variæ præferendi.

PRonum eſt ex dictis concludere præferendum eſſe magis proprium, ſeu quod propriori ratione Eccleſiam attingit. Quo in ordine prima omnium cenſenda videntur feſta ſecundaria Patronorum, item Sanctorum quorum habentur Reliquiæ, tum propria Ordinis apud Regulares, ac demum cætera, ad locum ſeu Diœceſim in communi pertinentia; ubi verò & alia propinquitate paria fuerint, ſervanda erit ratio, vel majoris celebritatis, vel præſtantioris perſonæ dignitatis, vel quod potius eſt, antiquitatis, ſeu univerſalitatis, prout definivimus ſuprà *quæſt.* 5. *capitis* 9.

CAPUT XII.

DE VIGILIARUM ET OCTAVARUM Tranſlatione, ſeu potiùs anticipatione, ceſſatione & omiſſione.

NOn transferuntur propriè Vigiliæ, nec Octavæ; ſed cùm ab his interdum ceſſetur vel ex toto, vel ex parte, de illis vero per anticipationem fiat die proprium antecedente, de hac utraque ſpecie nonnihil viſum eſt debere diſquiri.

QUÆSTIO I.

An Officium Vigiliæ anticipandum.

Anticipandæ Sabbato Vigiliæ propriæ, quæ fiunt ritu ordinario Vigiliarum, ſecùs ſi extraordinario.

SAbbato videlicet, quando in Dominicam incidit; aut alio die, quando impeditur feſto ſolemni loci, ſeu primæ claſſis. De primo caſu reſponſum jam fuit affirmativè aliàs, eſtque uſus ubique receptus pro Vigiliis communibus, ergo & pro propriis, ubi tales habentur; modò tamen ritu communi Vigiliarum, hoc eſt, cum Officio feriali, & precibus ferialibus celebrentur, ut in Breviario Pariſienſi Vigilia S. Dionyſii; nam ſi feſtivum habent Officium ſive à Laudibus, ſive à Tertia, aut abſque Officio Miſſam more feſti, ut fert variarum Eccleſiarum uſus, non fit ulla anticipatio, ſed retinetur in ipſa Dominica vel Officium, vel commemoratio Vigiliæ, ut habet uſus Eccleſiarum Pariſienſis in Vigilia Aſſumptionis B. Mariæ, Andegavenſis in Vigilia Nativitatis ejuſdem B. Mariæ, S. Maurilii, & S. Martini, & aliarum.

Alter caſus de Vigilia occurrente in feſto ſolemni loci ſeu primæ claſſis, ſolutus jam fuit ſuprà *cap.* 5. *quæſt.* 1.

QUÆSTIO II.

An Octava poſſit transferri, vel anticipari?

Vox Octava tripliciter accipitur.

VOx, *Octava*, in hacce quæſtione tripliciter accipi poteſt, vel pro tota ſerie dierum, ex quibus componitur Octava, vel pro ſingulis ipſorum, vel pro die ultima, quæ Octava ſpeciatim nominatur. Et hujus quidem inprimis transferendæ neceſſitas, ſi qua eſſe poteſt, duplici ex caſu oritur. Primò: Si feſtum ipſum fuerit tranſlatum è die proprio. Secundò: Si immoto feſto, dies Octava ſuo ipſa die impediatur.

Tranſlato Feſto non ideo transfertur dies Octava.

In primo caſu nunquam transferendam eſſe Octavam, diſertis verbis edicit *Rubr.* 10. *de Tranſl. feſtorum num.* 1. propoſito exemplo Nativitatis S. Joannis Bapt. in feſto Corporis Chriſti incidentis, & in ſequentem diem tranſlatæ, cujus tamen dies Octava incidens in diem Octavam ipſiuſmet feſti Corporis Chriſti, nequaquam transfertur, ſed de ea fit tantùm commemoratio in Officio dictæ Octavæ Corporis; moxque ſubditur Regula generalis, *& id ſemper ſervetur, quando feſtum habens Octavam transfertur, ut non ideo dies Octava transferatur, ſed ipſa die de ea fiat commemoratio, quæ aliàs erat Octava, ſi feſtum non fuiſſet tranſlatum.* Quæ regula locum habet, non tantùm quando feſtum transfertur in diem immediatè ſequentem, ſed etiam in aliam remotiorem, adeò ut ſi in ſeptimam uſque transferatur, nihil de Octava ſuperfuturum ſit, niſi ipſa dies Octava, quæ ſtatim poſtridie fiet. Quin & ſi ipſamet Octava fuerit prima dies libera, fiet in ea de feſto tranſlato, quod eo anno ſua carebit Octava, perinde atque cùm transfertur poſt totam Octavam. Contrariam habet Rubricam Breviarium Ordinis Prædicatorum, Romanæ haud æquandam, in hæc verba, *Quando feſtum habens Octavam transfertur, transfertur quoque Octava.*

Brev. Ord. Præd.

Neque item cùm ipſa dies Octava impeditur.

In altero caſu, multò minùs transferri debet Octava, cùm immoto feſto, jam non eſſet Octava, ſed Nona. Quare reſtat, ut de ea fiat tantùm commemoratio modo ſuprà deſcripto *quæſt.* 7. *cap.* 6. vel certè ex uſu aliquarum Eccleſiarum anticipetur die præcedenti; quod an ſit legitimum, reſolutum fuit *lib.* 2. *cap.* 5. *quæſt.* 3.

QUÆSTIO III.

Qualiter numerandi dies infra Octavam tranſlato feſto?

CUm diebus octo conſtet omnis Octava, quorum primus eſt ipſummet feſtum, poſtremus verò dies Octava, conſequens eſt ut cæteri dies intermedii hac ratione numerentur, ſecunda dies infra Octavam, 3. 4. 5. 6. & 7. Et de his quidem ſingillatim ſumptis controverſia non eſt, ſintne tranſlatione recuperandi quando impediuntur, cùm certum ſit aut omittendos penitus, aut cum ſola commemoratione peragendos. At tranſlato feſto cùm neceſſe ſit unum aut plures ex iis ſupprimi, quæritur in quos cadat ſors ejuſmodi? An in primos? An in poſtremos? Omnino in primos, adeò ut tranſlato feſto in proximè ſequentem diem,

Tranſlato feſto ſupprimendi priores dies infra Octavam.

Digitized by Google

diem, quæ ſecunda erat infra Octavam, poſtridie feſti numeretur dies tertia: ſi verò in tertiam, reſecatis ſecunda & tertia, numerabitur quarta, & ſic deinceps. Ratio eſt, quia priores ii dies verè perimuntur à feſto, cùm poſtremi perinde atque octavus ipſo ſuo quilibet die conſiſtant. De ipſis verò prioribus diebus feſtum ſic antecedentibus ſi quæras, An fieri debeat commemoratio? Reſpondeo, non; cùm enim ipſa tota Octava nihil aliud ſit quàm continuatio feſti, abſurdum planè eſſet continuare id quod nondum inchoatum eſt.

QUÆSTIO IV.

An poſſit aliquando tota Octava transferri ſeu reſumi?

QUando videlicet contingit feſtum poſt totam ſuam Octavam, vel in ipſam diem Octavam transferri. Hoc admittebat Brev. antiquum Caſalis Benedicti pro feſtis occurrentibus infra Oct. Paſchæ & Pentec. quæ ſic transferri volebat, ut Octava inciperetur à celebratione feſti, non autem à die quo cadit: at hoc reprobatur penitus *Rubrica cit. de Transl. feſt. num.* 1. his verbis: *Quòd ſi feſtum poſt totam ſuam Octavam transferri contigerit, illo anno celebrabitur ſine Octava, niſi Titularis Eccleſiæ privilegio aliter fieri oporteat;* quale privilegium habet Ordo Minimorum, pro Octava S. Franciſci de Paula, ex conceſſione Clementis VII. Præter hoc verò nullum mihi aliud licuit obſervare, & ſi quod uſpiam habetur, exiſtimaverim conceſſum dumtaxat pro Octava Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ, quod indicare videtur vox *Titularis* in ſupradicta exceptione, ut ſit ſenſus, *niſi aliter fieri oporteat, ex privilegio conceſſo Eccleſiæ alicui in gratiam ſui Tituli.*

Brev. Caſ. Ben.

Feſtum poſt ſuam Octavam translatum, eo anno caret Octava.

Octava S. Franciſci de Paula.

Privilegio autem ejuſmodi, haud negaverim ex dictis alibi de conſuetudine, æquiparandum uſum, ſive proprium, ex præſcripto videlicet Breviarii proprii, quibus adhuc ſupereſt, ſive legitimè retentum ex antiquo apud eos etiam qui Romano utuntur; quamquam parciores quoque ſunt hac in parte antiqui uſus, ut patet ex proprio S. Germani Pratenſis, in quo feſtum ipſum S. Germani quod occurrit *die* 28. *Maji*, carebat omni Octava propter frequentem occurſum cum Octava Pentecoſtes.

Prop. S. Germani.

QUÆSTIO V.

An in aliis æquè valeat præfata exceptio, niſi Titularis Eccleſiæ &c.

DIlatam ſæpiùs quæſtionem ſuo hìc tandem loco reponimus, cujus ſenſus eſt, An ſicut vi privilegii poteſt feſtum ultra ſuam Octavam translatum, cum Octava nihilominus celebrari, ita & poſſit quodlibet aliud, vi itidem privilegii, contra præſcriptum Rubricarum induci, vel retineri; putà celebrari occurrens in Octava Epiphaniæ, vel in majori hebdomada, vel infra Oct. Paſchæ & Pent. &c. Reſpondeo, poſſe, ſi æquè privilegium de iſtis habeatur atque de alio, ſecùs verò ſi non habeatur. Nam cùm privilegium ex Panormitano in cap. *Olim, de verborum ſignif. num.* 7. & ex communi conſenſu, propriè ſit facultas aliquid faciendi vel non faciendi contra leges, Canones, & jura, poteſt quidem id quod privilegio conceditur, ita fieri: at in reliquis, quæ privilegio minimè comprehenduntur, ſtare vim legis nemo inficias ierit, niſi qui legem omnem ſolvere, ipſamque privilegii naturam deſtruere profitebitur.

Non valet in aliis clauſula iſta, niſi in quibus æquè habetur privilegium. *Panormit.*

Privilegium quid ſit?

Neque dicas id fieri privilegii ipſius interpretatione; privilegii enim, ſicut & legis interpretatio, locum non habet, niſi ubi verba ſunt obſcura & ambigua, *l. Ille aut ille. Dig. de legatis* 3. qualia hìc nulla ſupponimus: neque item extenſione; cùm ad aliud ſimile trahi aut extendi privilegium vetare videatur *caput ultimum de Præbendis.*

Interpretatio privilegii locum non habet, niſi quando verba ipſius ſunt obſcura.

Quod verò dixi *quæſtione præcedenti* privilegio æquiparandum uſum ſeu conſuetudinem legitimam haud ſic intelligas, quaſi velim idem eſſe privilegium ac conſuetudinem, cùm ambo valdè inter ſe differant, ſed tantùm eamdem eſſe hac in parte utriuſque rationem habendam; cùm hocce tamen diſcrimine, quòd conſuetudinis major vis eſt quàm privilegii. Privilegium enim ante Bullam Pii V. conceſſum, quodcumque illud ſit, per ipſammet Bullam abolitum eſt, ut patet ex ejus contextu, *necnon privilegia, licentias, indulta &c. omnino revocamus*: Conſuetudines verò haud omnes fuiſſe revocatas, fusè probavimus *lib.* 1. *cap.* 13. *quæſt.* 2. unde ſi quid alicubi in uſu eſt ex conſuetudine legitima, qualem ibi deſcripſimus, omnino id retineri poteſt; ſecùs, ſi ex privilegio dumtaxat non conceſſo poſt Bullam Pii V.

Privilegium non eſt idem quod Conſuetudo.

Obſerva item non immeritò additum hìc, *Niſi Titularis Eccleſiæ privilegio &c.* Cùm enim, uti ex Baronio alibi retulimus, non quælibet Eccleſia Titularis propriè appelletur, ſed inſigniores dumtaxat, putà Cathedrales aliæque juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, nonniſi fortè de privilegio iis conceſſo clauſula hæc intelligenda eſt; raro enim aliis inferioribus Eccleſiis ejuſmodi privilegia conceduntur.

Non omnis Eccleſia dicitur Titularis.

QUÆSTIO VI.

An omitti aliquando debeat Octava, an ab incœpta ceſſari?

OMitti debere conſequens eſt ex dictis præced. quæſt. 4. quando videlicet contingit transferri feſtum vel in ipſammet, vel poſt totam ſuam Octavam expletam. Item quando involvitur tota Octava Temporibus privilegiatis, nimirum Adventus, à die 17. Dec. Quadrageſimæ, à die Cinerum, & à Vigilia Pentecoſtes, ut dictum jam fuit *lib.* 1. *cap.* 18. *quæſt.* 11.

Omittenda prorſus Octava in duobus caſibus.

Iiſdem verò Temporibus ſupervenientibus ceſſari debere ab quacunque Octava jam inchoata, necdum abſoluta, declaratum quoque fuit *lib.* 2. *cap.* 5. *quæſt.* 4. At quo in loco ceſſandum? An ſtatim poſt Nonam? An dictis inſuper Veſperis & Completorio?

Primum aſſerit Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 9. in eo ſaltem caſu in quo dies Octava incidit in diem 17. Dec. aut ipſa Feria 4. Cinerum, aut Vigilia Pent. tunc enim, ait, abſurdum eſſet pridie facere primas Veſperas de eo Officio, de quo neque Matutinum & Laudes, nec quidquam aliud ſuo die faciendum occurrit. Ex quo infert terminandam Octavam pridie ad Nonam, adeòque in Veſperis conſequentibus agendum de Feria. Quod non tantùm in caſu propoſito diei immediatè præcedentis diem Octavam aſſerit Ceremoniale Monaſticum *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 6. ſed etiam abſolutè de quocunque alio die infra Octavam inchoatam. At meo judicio perperam.

Gavantus.

Cærem. Monaſt.

Cùm enim compertum ſit Officium cujuslibet alterius diei infra Octavam non terminari ad Nonam, ſed habere inſuper, nullo ſaltem ſequente feſto, Veſperas & Completorium, quorſum hoc tu illi detrahas, ob ſequentem feriam, cujus Officium inchoatur dumtaxat à Matutino? Imò cùm ex dictis ſuprà *cap.* 6. *quæſt.* 7. Officium diei Octavam præcedentis haud cenſeatur terminari propriè ad Nonam, niſi quia Veſperæ fiunt de die Octava ſequente; quidni in eo caſu in quo dies Octava ſupprimitur, continuabitur in Veſperis & Completorio Officium diei illius infra Octavam, perinde atque continuatur aliorum nullo feſto ſequente? Hoc certè Rubricis & rationi longè conformius

Refutatur Gavanti opinio de ceſſatione Octavæ ad Nonam.

minus eſt, quàm ſi feſtivo Officio uſque ad Nonam producto, Veſperas feriales protinus annectas, ut vult Gavantus mihi hac in parte minùs probatus. Quod enim affert exemplum diei Octavæ in Dominicam privilegiatam incidentis, ob idque carentis primis Veſperis, par omnino non eſt; in eo ſiquidem caſu, verè abſurdum eſſet tribuere primas Veſperas diei Octavæ, de qua poſtridie fieri debet dumtaxat commemoratio; at in caſu propoſito, ceſſante prorſus & quoad Officium & quoad commemorationem die Octava, abſurdum non eſt, imò perquàm congruum Officium inchoatum diei infra Octavam abſolvere, cùm nihil aliunde obſtat. Ajo itaque Veſperas de eo recitandas ritu Semiduplici ad inſtar aliorum dierum infra Octavam, videlicet ut in ſecundis Veſperis feſti.

QUÆSTIO VII.

An fieri poſſit de die infra Octavam in Vigilia Epiphaniæ, & in Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis?

PRo utroque hocce caſu particularis quæſtio eſt; ſed de primo, nonniſi ex hypotheſi, quòd fiat tum temporis aliqua Octava, ſive ex privilegio, ſive ex uſu proprio; nam aliàs jure novo Urbani VIII. prorſus interdicitur ex Rubr. VII. de Oct. num. 1. Controverſiæ verò huic occaſionem dat potiſſimùm uſus Breviarii Pariſienſis editi anno 1636. in quo poſita eſt, quæ in antiquo decrat, Octava S. Genovefæ, adeòque dies 5. Januarii ſic inſcribitur, *De Octava S. Genovefæ, com. Vigiliæ Epiph.* Rectène verò illud? Rectè quidem eo vel nomine, quòd cum jure Breviarii proprii, jus itidem retineatur decernendi, quid in certis caſibus præſtandum ſit. Verùm haud mihi ſatis videtur ea ratio convenire ex uſu Romano, ſed magis ut fiat de Vigilia Epiph. cum commemoratione Octavæ; tum quia Dominicæ rationem habet ea Vigilia, adeoque diei infra Octavam more Dominicarum præferenda; tum quia etſi pro Dominica non habeatur, eſt tamen ejus Officium Semiduplex, & quidem Domini; quo nomine præſtat item perſonæ dignitate cuilibet alteri æquali.

Uſus Pariſ.

Præferenda Vigilia Epiphan. diei infra Oct.

Quòd autem prædicta Vigilia, aut Dominica ſit, aut inſtar Dominicæ, conſtat vel ex hoc uno, quòd de ea fiat commemoratio pridie in Veſperis, contra rationem Vigiliæ, cujus Officium nonniſi à Matutino incipit. Item ex Evangelio Reverſionis pueri Jeſu de Ægypto, quod, utpote Myſterio adorationis Magorum poſterius, haud aptè ſatis huicce Vigiliæ quadrat; niſi dixeris eam nomine tenus eſſe Vigiliam, re autem vera Dominicam, ſeu poni in ipſa Evangelium Dominicæ, quæ occurrere poteſt, & de facto plerumque occurrit inter Circumciſionem & Epiphaniam, quæque vacans in triduo præcedenti, hac die, quæ unica eſt libera ab omni feſto, commodè reſumitur, ſicut reſumitur die 29. Decembris, quæ vacans fuit poſt Nativitatem Domini, in feſtis S. Stephani, S. Joannis, & SS. Innocentium.

Vigilia Epiphan. inſtar eſt Dominicæ.

Quoad Feriam 6. poſt Octavam Aſcenſionis, qui alter fuit caſus in hac quæſtione propoſitus, ambigua eſt reſolutio. Et quidem Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 9. docens ab Octava inchoata hac die ceſſandum poſt Nonam, innuit de ea conſequenter huc uſque poſſe fieri Officium, quod & disertè aſſerit Ceremoniale Monaſticum *lib.* 4. *cap.* 16. *ad* 12. *Maji*. At duo non levia in contrarium afferri poſſunt argumenta. Alterum, ex Rubrica hujus diei propria expreſsè haberi, *Si Feria 6. occurrit feſtum novem lect.* &c. ubi nomine feſti haud venire diem infra Octavam, conſtat, tum ex verbis illis *Rubr.* 10. *de Tranſl. feſtorum num.* 1. 2. *&* 3. *Transfertur in primam diem ſimiliter non impeditam; ſimiliter*, id eſt, feſto Duplici & Semiduplici, quod nullatenus ad dies infra Octavam extenditur; tum ex Rubrica poſita ante feſtum SS. Angelorum Cuſtodum, quod feſtum conceſſum dicitur *prima die non impedita Officio novem lect. poſt feſtum S. Michaelis Archang.* Officio, non feſto, quo videlicet excludatur etiam Octava, quæ licet habeat Officium novem lectionum, haud tamen verè feſtum eſt, ſed tantùm continuatio feſti.

Gavantus.

Cerem. Monaſt.

Feria item 6. poſt Oct. Aſc. præferenda diei infra Oct.

Alterum argumentum eſt, id quod diximus aliàs, & colligitur ex verbis citatis Rubricæ propriæ, nempe hujuſce feriæ Officium more ac ritu dierum infra Octavas, & quidem Aſcenſionis Domini eſſe diſpoſitum. Cùm ergo ex dictis ſuprà *cap.* 6. *quæſt.* 5. Octavæ Aſcenſionis, nulla Octava propria ſit præferenda; neque itidem Feriæ huic, quæ ejuſdem Octavæ juribus communicare dignoſcitur. Nec obſtat quod admiſimus ſuprà *cap.* 8. *quæſt.* 8. fieri poſſe in hac Feria de feſto Semiduplici tranſlato, non ex die immediatè præcedente; non enim privilegium id cuilibet diei infra Octavam ſingillatim conceſſum eſt, ſed toti Octavæ, ne videlicet plures illi dies detrahantur; quæ ratio eò minùs valet pro hacce Feria, quò Octavam ipſam pleniùs dilatat & extendit. Adde quòd licèt more ac ritu dierum infra Octavas ordinetur, haud tamen idcirco verè eſt infra Octavam. His itaque rationibus, in eam libentiùs adducor opinionem, ut de feria ejuſmodi fiat Officium, cum commemoratione diei infra Octavam. Si quis verò ſecus ſenſerit, quid præſtandum ſit, requirat ex dictis ſuprà *cap.* 3. *quæſt.* 3.

Officium hujus Feriæ diſpoſitum eſt ut infra Octavas.

Solvitur objectio.

QUÆSTIO VIII.

Ut agendum de Octavis cum feſto ipſo ſeu principali ſeu ſecundario coincidentibus?

TRiplex hujuſce caſus exemplum poteſt occurrere. Primum, cùm feſtum habens Octavam, transferri contingit in ipſammet diem Octavam, putà feſtum S. Stephani, aut S. Joannis, aut SS. Innocentium. Secundum, cùm in die Octava aſſignatur aliquod aliud feſtum ejuſdem Sancti, cujus eſt Octava; ſic feſtum S. Agnetis ſecundò idem eſt Octava Natalis ejuſdem Sanctæ. Tertium, cùm Translatio, aut aliud ſecundarium feſtum alicujus Sancti occurrit, vel transfertur infra Octavam Natalis ejuſdem; ſic feſtum Receptionis S. Martini, quod ſub die 18. Calend. Decemb. hoc eſt 14. *Novemb.* fieri olim ſolitum fuiſſe colligit Baronius ex Concilio primo Turonenſi, occurrebat infra Octavam ejuſdem Sancti. Sic apud Minores Translatio S. Bernardini *è die* 17. *Maji*, nonnunquam transfertur infra Oct. Natalis ejuſdem, quod eſt 20. *ejuſdem menſis*. In quibus omnibus exemplis valet axioma illud receptiſſimum, nunquam de eodem fieri Officium ſimul & commemorationem. Unde in primo fit totum Officium ut in feſto abſque ulla commemoratione Octavæ. In ſecundo dicuntur omnia ut in die, ait Gavantus *ſect.* 7. *cap.* 3. *ad* 28. *Januarii*, excepta Oratione, Antiphona ad *Magnificat* in 1. Veſperis, Lect. 1. Nocturni de Scriptura occurrente, & Lect. 4. quæ eſt de S. Agnete ſecundò, quinta & ſexta de Communi Virginum. In tertio denique, occurrente, aut tranſlato feſto Translationis ſeu alio ſecundario infra Octavam feſti principalis, omittenda eſt commemoratio Octavæ. Itidem concurrentibus invicem, nulla fit commemoratio minùs principalis. Secus de die Octava, cui feſtum ſecundarium in concurſu alterutrius præferendum videtur, modò fuerit Duplex; eſt enim feſtum ejuſmodi per ſe tale, Octava verò nonniſi dependentia feſti. Haud tamen transferri debet feſtum ſecundarium in diem Octavam feſti principalis, nam licèt ambo ejuſdem ſint, eſt tamen diverſum feſtum ſecundarium à principali, adeòque ab ejuſdem die Octava.

Proponitur & ſolvitur triplex caſus notabilis.

Feſtum ſecundarium præferendum in concurſu diei Octavæ feſti principalis.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

Poſſitne vibui aliquibus Octavis ut feſta infra eas occurrentia transferantur?

Octavæ vivæ feſta omnia excludentes. Brev. Leon.

OCtavas vivas appellabat vetus Leonienſe Brev. quæ occurrentia feſta omnia excludebant, quales ſunt Octavæ Paſchæ & Pentecoſtes; mortuas verò cæteras quæ ſuſcipiunt; metaphora ducta, ut par eſt credere, à fluxu maris, cui ora illa Leonienſis adjacet; dicitur enim mare vivum, cùm fluxus ejus eſt diffuſior, mortuum verò cùm demiſſior. Vivas itaque ſeu immunes ab omni feſto facit Brev. Pariſienſe Octavas Aſſumptionis B. Mariæ (tacito an etiam Patroni?) ipſam verò diem Octavam parem diei Octavæ Nativitatis Domini. Semiduplicia rejiciunt in aliquo Sanctimonialium Proprio duæ Octavæ apud ipſas præcipuæ. Quo verò id jure? Si Breviarii proprii, vel conſuetudinis legitimæ, vel denique vi privilegii à Pontifice ſeu Sacra Rit. Congreg. obtenti, rectè omnino: ſin minùs, nequaquam ſe à Rubricarum Romanarum infractione tueri ac vindicare valent, qui ejuſmodi uſum inducunt, vel inductum retinent;

Octava Aſſumptionis, immunis ab omni Feſto; Uſus Pariſ.

TABULA GENERALIS TRANSLATIONIS FESTORUM Propriorum occurrentium in Dominicis & Feſtis Mobilibus.

Si occurrant ſimul

	Dominicæ poſt Pentecoſten.	Dies Octava Corporis Chriſti.	Infra Octavam Corporis Chriſti.	Feſtum Corporis Chriſti.	A Vigilia Pentecoſtes uſque ad Dñicam Trinitatis incluſivè.	Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis.	Dies Octava Aſcenſionis.	Dominica infra Octavam Aſcenſionis.	Aſcenſio Domini.	Dominicæ ſecunda, tertia, quarta & quinta poſt Paſcha.	A Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis.	Dominica Paſſionis.	Dominicæ ſecunda, tertia & quarta Quadrageſimæ.	Dominica prima Quadrageſimæ.	Feria quarta Cinerum.	Dominicæ Septuageſimæ, Sexageſimæ & Quinquageſimæ.	Dominicæ poſt Epiphaniam.	Dominicæ ſecunda, tertia, & quarta Adventus.	Dominica prima Adventus.
Duplex primæ Claſſis proprium,	2	2	2	1	1	3	2	2	1	2	1	1	2	1	1	2	2	2	1
Duplex ſecundæ Claſſis proprium,	2	1	2	1	1	3	2	2	1	2	1	1	1	1	1	1	2	1	1
Duplex majus proprium,	2	1	2	1	1	2	1	2	1	2	1	1	1	1	1	1	2	1	1
Duplex minus proprium,	2	1	2	1	1	2	1	2	1	2	1	1	1	1	1	1	2	1	1
Semiduplex proprium,	1	1	1	1	1	2	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1
Dies infra Octavam propriam,	4	4	4	5	0	4	4	4	5	4	0	0	0	0	0	4	4	4	4
Dies Octava propria,	2	4	2	4	0	2	4	2	4	4	0	0	0	0	0	4	2	4	4

1. *Transfertur Feſtum proprium;*
2. *Fit de Feſto proprio cum commemoratione alterius Officii.*
3. *Fit de Feſto proprio abſque commemoratione alterius Officii.*
4. *Commemoratio Octavæ propriæ in Officio dici.*
5. *Nulla commemoratio Octavæ propriæ.*
6. *Ceſſat Octava propria.*

TABELLA

TABELLA TRANSLATIONIS FESTORUM PROPRIORUM
occurrentium in Feſtis immobilibus ſeu in Calendario deſcriptis.

Si occurrant ſimul

	Semiduplex.	Dies Octava quælibet.	Duplex minus.	Duplex majus.	Duplex ſecundæ Claſſis.	Feſtum Omnium Sanctorum.	Nativitas B. Mariæ.	Aſſumptio B. Mariæ.	Feſtum SS. Petri & Pauli Apoſtolorum.	Nativitas S. Joannis Baptiſtæ.	Purificatio & Annunciatio B. Mariæ.	Dies Octava Epiphaniæ.	Infra Octavam Epiphaniæ.	Epiphania Domini.	Vigilia Epiphaniæ.	Circumciſio Domini.	Dominica infra Octavam Nativitatis.	Feſta SS. Stephani, Joannis, & Innocentium.	Vigilia & Feſtum Nativitatis Domini.
Duplex primæ Claſſis proprium,	2	3	2	2	2	1	2	1	4	4	2	1	3	1	3	1	3	4	1
Duplex ſecundæ Claſſis proprium,	2	3	2	2	4	1	1	1	1	1	1	1	1	1	3	1	3	4	1
Duplex majus proprium,	2	1	2	4	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	3	1	3	1	1
Duplex minus proprium,	2	1	4	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	3	1	3	1	1
Dies Octava Feſti proprii,	2	4	2	2	5	5	5	5	5	5	5	6	6	6	6	6	6	6	6
Semiduplex proprium,	4	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1

1. *Transfertur Feſtum Proprium.*
2. *Fit de Feſto Proprio, tranſlato altero.*
3. *Fit de Feſto Proprio, cum commemoratione alterius Officii.*
4. *Fit de digniori, tranſlato minùs digno, juxta ea quæ definita ſunt quæſt. 4. cap. 8. & quæſt. 2. & 5. cap. 9.*
5. *Fit tantùm commemoratio Octavæ Propriæ.*
6. *Ceſſat Octava.*

De Feſto Proprio occurrente in die Commemorationis Defunctorum, vide quæſt. 5. cap. 8.

Tabellam non damus de Tranſlatione Feſtorum propriorum eadem ſimul die occurrentium, quia ut caſus ejuſmodi tutiùs ſolvatur, præſtat conſulere Caput ipſum immediatè antè poſitum, *De mutua invicem Feſtorum propriorum comparatione.*

S E C T I O III.

QUa difficilem æquè de Concurrentia tractationem duabus prioribus annexam & ad feſta, propria perinde attinentem explicamus.

C A P U T XIII.

De Concurrentia festorum in genere.

DUorum Officiorum non tantùm conflictus eſt mutuaque pugna, ſi ambo una eademque die occurrant, de qua te toto hocce libro actum à nobis hactenus; ſed etiam ſi ſe invicem continuis duobus diebus conſequantur, quod cùm accidit, concurrentia eſt, (concomitantiam appellat Brev. Ord. Prædicatorum) quam generatim primùm libet inveſtigare.

Q U Æ S T I O I.

Quid ſit concurrentia, & inter quæ Officia reperiatur?

Concurrere quid ſit in Jure Civili.

COncurrere in Jure Civili dicuntur propriè Collegatarii, quibus eadem res in ſolidum legata fuit, *lege 1. dig. de uſufructu §. interdum: Cum autem utrimque uterque ad rei, putà fundi alicuius poſſeſſionem acquirendam accedit, ubi ad medium pervenerunt & concurrerunt, quo in loco obvii inter ſe facti ſunt, ibi partis quiſque ſuæ fines conſtituunt*, ait Salluſtius de Bello Jugurthino.

Salluſtius.

Concurrentia duorum Officiorum fit in Veſperis.

Non poteſt aliunde meliùs indagari, quid ſit ipſa feſtorum concurrentia. Cùm enim quodlibet Officium ſaltem Duplex & Semiduplex utraſque exigat Veſperas, nempe primas & ſecundas, neceſſe eſt ut cùm duo ſeſe Officia proximè conſequuntur, eædem Veſperæ, quæ ſecundæ ſunt præcedentis, ſint eædem pariter primæ ſequentis. Unde fit in iis utriuſque Officii concurſus ſeu concurrentia, quæ propterea duplex eſt, activa una, paſſiva altera: & activa quidem ad Officium præcedens ſpectat, ipſumque eſt, quod dicitur concurrere; paſſiva verò ad ſubſequens, cum quo à præcedente concurritur. Idque eſt quod exprimit Rubr. x1. ſtatim initio hiſce verbis: *Concurrentia Officii attendenda eſt ſemper in 2. Veſperis, quomodo ſit ordinandum Officium cum ſequenti die.*

Activa una, paſſiva altera.

Inter quæ Officia reperiatur concurrentia?

Ex quibus verbis colligas, concurrentiam propriè non dari niſi inter Officia, quæ jus habent aliquod in Veſperas illas veluti intermedias, & utrique communes, qualia ſunt, Primò, Feſta omnia Duplicia cujuſcunque ordinis, item Semiduplicia, quæ cùm utraſque habeant Veſperas, utriuſque etiam concurrentiæ capacia ſunt activæ & paſſivæ. Secundò: Feſta Simplicia quoad paſſivam concurrentiam, habent enim tantùm primas Veſperas. Tertiò: Dies Dominicæ, quamvis enim ut tales incipiant à Matutino, adeòque unicas habeant Veſperas, quæ Veſperæ ſunt Dominicæ; quatenus tamen Officio conſtant ſemiduplici, habent & ipſæ primas Veſperas, nempe Veſperas Sabbati, unde & concurrere poſſunt tam activè quàm paſſivè. Quartò: Feriarum nulla propriè datur concurrentia, incipit enim & deſinit illarum Officium, ubi deſinit aut incipit aliud à quo ſupprimuntur, juxta *Rubr. 11. num. 9.* Quòd autem Feriarum Adventus & Quadrageſimæ fiat commemoratio in Veſperis quocunque ſequente feſto, id non fit ratione concurſus, ſed ipſius temporis privilegium eſt. Quintò: Vigiliæ itidem, cùm à Matutino incipiat earum Officium, & termine-

Feriæ non concurrunt.

Neque item Vigiliæ.

minetur ad Nonam, nullam ſuſcipiunt concurrentiam, excepta Vigilia Epiphaniæ, de qua fit commemoratio in Veſperis pridianis; ſed ipſa, ut dixi aliàs, rationem magis habet Dominicæ.

Dies infra Oct. habent tan ùm concurrentiam activam.

Sextò: Dies infra Octavam cùm ſinguli feſta minimè ſint, ſed continuatio unius ejuſdemque feſti, cujus videlicet Officium per illos ſingulos repetitur à Matutino uſque ad Completorium, nullam inter ſeſe ſortiuntur concurrentiam; ſed activam habent, cum quolibet ſequenti feſto & Dominica: An verò & paſſivam interdum ſuſcipiant? erit qui conteſtetur, eò quòd in ſecundis Veſperis feſti Semiduplicis infra Octavam occurrentis, regulariter à Capitulo fiat de Octava cum commemoratinne feſti. Verùm non ideò id fit, quaſi tum incipiat Officium diei ſequentis infra Octavam, qui nonniſi poſtridie à Matutino inchoatur; ſed potiùs quòd diei ipſiuſmet præſentis Officium à Capitulo reſumatur dimiſſo feſti Semiduplicis Officio, quicum par eſt gradu ac dignitate: ſicut concurrentia non eſt cùm deſinente feſto Simplici ad Nonam ſubintrat ad Veſperas Officium Feriæ occurrentis. Pariquè item jure in ſecundis Veſperis Duplicis ſecundæ claſſis reponitur commemoratio Octavæ, quæ dimiſſa fuerat in primis Veſperis & Laudibus, (ſi de ea futurum eſt poſtridie Officium) non pro ſequentis, ſed pro ipſiuſmet diei præſentis commemoratione. Hoc verò propriè non ad concurrentiam, ſed ad occurrentiam magis referri debet; aut ſi concurrentiam dixeris, ſumenda tota ſeries dierum infra Octavam quaſi feſtum unum continuatum, juxta Radulphi dictum prop. 25. *Omnes dies Octavæ pro una feſtivitate computantur*, cum quo quidem feſto à quocunque alio occurrente Officio concurritur: eoque ſenſu ſolvitur, quod objici poteſt ex textu hujus Rubricæ, ubi habetur, *Semiduplici feſto, Dominica concurrente cum die infra Octavam &c.* Item quod ait Gavantus *ſect. 3. cap. 8. num. 19. In ſecundis Veſperis Dominicæ, nonniſi fit commemoratio de die ſequenti infra Octavam*; non enim propriè eſt commemoratio diei ſequentis, ſed præſentis, ſeu potiùs Octavæ indefinitè. Quis enim niſi impropriè dicat, diem infra Octavam incipere pridie à Veſperis, quæ non primæ ſed ſecundæ ſunt Veſperiæ feſti?

Dies Octava habent utramque concurrentiam.

Septimò: Dies Octava cùm utraſque habeat Veſperas, utriuſque concurrentiæ capax eſt, perinde atque feſtum Duplex quodlibet.

QUÆSTIO II.

Quis ſit effectus Concurrentiæ?

Concurrentia efficit ut inter feſta inæqualia Veſperæ ſint de majori cum commemoratione minoris, inter æqualia verò dimidientur.

TOtus eſt in Veſperis, ut vel integræ fiant de alterutro concurrentium, vel inter utrumque dimidientur. Cùm enim concurrentia omnis, aut ſit majoris cum minore, aut minoris cum majore, aut denique æqualium inter ſe: In primo & ſecundo caſu Veſperæ fiunt integræ de majori cum commemoratione minoris, nonnunquam etiam abſque ejuſmodi commemoratione, prout dignitas majoris exigit. In tertio autem caſu regulariter Veſperæ dimidiantur, adeò ut Pſalmi cum Antiphonis ſint de Officio præcedenti, Capitulum verò cum reliquis fiat de ſequenti cum commemoratione præcedentis.

Dimidiatio Veſperarum multis olim uſibus incognita.

Eſt quidem dimidiatio iſta inuſitata in pleriſque antiquioribus Breviariis, necnon etiam in recentioribus Pariſienſi, Carnutenſi, & paucis aliis, quorum uſus eſt, ut Duplici concurrente cum alio Duplici, regulariter dicantur Veſperæ de ſequenti cum commemoratione præcedentis: itidem de Semiduplici concurrente cum æqualibus. Fortè quia ex Amalario *lib. de ordine Antiphonarii cap.* 16. ſecundis Veſperis primæ præſtare creduntur. E contrà Micrologus *cap.* 35. & ex eo Radulphus *prop.* 38. exemplo S. Stephani contendunt in reliquis itidem feſtivitatibus ſimul concurrentibus ſecundas Veſperas ex toto concedendas, etiamſi major feſtivitas ſubſequatur. *Non enim congruum eſt*, inquit Micrologus, *ut Pſalmi Veſpertinales tantummodo præcedenti feſto, reliqua verò ſubſequenti tribuamus. Nam ſancti Patres nullum nobis inde exemplum reliquerunt, qui potiſſimum nos concordiam Officiorum ſingulari diligentia ſervare docuerunt.*

Amalarius. Micrologus. Radulphus.

Uſus dimidiandi Veſperas probatur authoritate & ratione.

Radulphus.

Præſtat nihilominus uſus Romanus tum authoritate, tum etiam ratione. Authoritate quidem, quoniam talis fuit uſus jam inde à multis ſæculis, ut conſtat ex antiquo Breviario Romano, aliiſque pluribus, imò & ex his Radulphi verbis loco cit. *In duabus feſtivitatibus continuè occurrentibus*, id eſt ſimul concurrentibus, *communis Veſpera officiari non debet ex integro*. Id eſt, Veſperæ quæ utrique Officio concurrenti communes ſunt, non debent eſſe integræ de alterutro: ergo dimidiandæ. Ratione verò id etiam probatur; ut enim inter cohæredes & collegatarios par jus habentes, hæreditas aut legatum ex æquo dividitur, ſeu ut loquitur lex *Conjunctim, dig. de legatis, 3. partes concurſu fiunt*: ſic etiam æquum eſt Officia æqualis inter ſe ſolemnitatis concurrentia, Veſperas in quibus concurrunt ex æquo dividere. Eſt autem diviſio Veſperarum à Capitulo in partes ferè æquales, inquit Gavantus *ſect. 3. cap. 9. nu. 9.*

Gavantus.

Solvuntur rationes contrariæ.

Nec obſtat exemplum S. Stephani, qui cùm careat primis Veſperis, æquum fuit ut ſecundis minimè privaretur. Adde quòd Rubrica ait expreſsè id fieri regulariter, eò quòd in aliquibus non ſervatur, maximè verò in tribus feſtis Nativitatis Domini, in quibus ait Gavantus, *fallit hæc regula diviſionis Veſperarum*. Imò nec in præjudicium trahi debet Micrologi ex adverſo Radulphique teſtimonium, loquuntur enim ambo juxta antiquum morem, Pſalmos etiam in feſtis ferè ſemper ex Pſalterio deſumendi: qua ratione, cùm ii Pſalmi ad unum concurrentium Officiorum non magis pertineant quàm ad aliud, nunquam ſic agendo propriè dimidiantur Veſperæ, ſed ejus potiùs cenſendæ integræ, de quo fit Capitulum cum reliquis. Quam verò potiſſimùm hic impugnat Radulphus Officiorum diſſonantiam, ea non ad Veſperas attinet, ſed ad Matutinum, cùm unum Nocturnum fiebat de uno feſto, reliqui verò de alio: cui confuſioni nihil ſimile habet mutatio Veſperarum à Capitulo.

QUÆSTIO III.

An in Concurrentia majoris cum minore, & minoris cum majore, Veſperæ ſint ſemper integræ de majori?

Reprobatur uſus antiquus, quo Veſperæ fiebant de Dominicis privilegiatis cum commemoratione Duplicis præcedentis.

SUnt omnino, disertè id præcipiente *Rubr. 11. de concurrentia Officiorum*, ut ſcilicet *feſta majora habeant primas & ſecundas Veſperas integras, cum commemoratione minorum*, quando de eis fieri debet: nec niſi illegitimus jam fuerit priſcus ille uſus Breviarii antiqui Pariſienſis & aliorum, quo Duplici concurrente cum Dominicis Adventus, & à Septuageſima uſque ad Paſcha, Veſperæ fiebant integræ de Dominica, cum commemoratione feſti Duplicis, ritu tamen ſolemnitatis ſemper retento, ajebat Brev. Caſalis Benedicti. Majora verò hoc ordine haberi debent. Duplex primæ claſſis ſupra duplex ſecundæ claſſis. Duplex ſecundæ claſſis ſupra duplex per annum. Duplex per annum ſupra Dominicam, feſtum Semiduplex & diem infra Octavam: hæc verò ſupra feſtum ſimplex, & Officium B. Mariæ in Sabbato.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

An in concurrentia æqualium Veſperæ ſemper ſint à Capitulo de ſequenti, cum commemoratione præcedentis?

EST quidem regula iſta generalis, à quâ tamen cùm multæ ſint exceptiones, omnium celeberrima eſt quæ continetur hiſce verbis Rubricæ hujus num. 2. *Inter feſta æqualis ſolemnitatis ſervetur hic ordo, ut feſta Domini &c.* quæ verba fusè à nobis explicata fuere *lib. 2. cap. 9. quæſt.* 4. Quantum autem ad præſens negotium attinet, Corollaria hæc ex iis eruuntur.

Rubrica illa locum habet tantum inter feſta æqualis gradus.

Primò: Locum habere ejuſmodi Rubricam inter feſta æqualis ſolemnitatis ſeu gradus dumtaxat, adeò ut ſi feſtum aliquod Domini vel B. Mariæ, quod eſt tantùm Duplex per annum, concurreret cùm feſto ſecundæ claſſis Apoſtoli aut Sancti cujuſvis alterius, Veſperæ integræ fieri debent de Sancto, cum commemoratione feſti Chriſti Domini & B. Mariæ, quia videlicet major perſonæ dignitas non attenditur, niſi in æqualitate gradus & ſolemnitatis.

Dignitas perſonæ attenditur etiam inter feſta 1. & 2. claſſis.

Secundò: Hanc majorem perſonæ dignitatem æquè attendi debere inter Duplicia primæ & ſecundæ claſſis, atque inter Duplicia per annum, ut probavimus loco citato: tam enim habet Veſperas integras feſtum Corporis Chriſti concurrens cum Nativitate S. Joannis Bapt. item feſtum Nativitatis Domini cum feſto S. Stephani in Eccleſia ejus propria, item feſtum Inventionis S. Crucis cum feſtis S. Marci, & SS. Philippi & Jacobi tranſlatis, quàm feſtum Exaltationis S. Crucis concurrens cum die Octava Nativitatis B. Mariæ, aut feſtum Apparitionis S. Michaelis cum feſto S. Gregorii Naz. & verò ita notatur expreſsè ſuis locis.

Item inter Semiduplicia, ſi dantur talia de Chriſto Domino, &c.

Tertiò: Valere item inter Semiduplicia, ſi videlicet alicubi concurrant aliqua Chriſti Domini, aut B. Mariæ &c. cum aliis æquè Semiduplicibus. At cùm nulla ſint ejuſmodi in Calendario Romano, nec verò alibi eſſe conveniat, ex dictis *citato capite, quæſt.* 6. hoc non aſſeritur niſi ex hypotheſi quòd fuerint.

Dignitas perſonæ non attenditur niſi in Deo, Chriſto Domino, B. Virgine, Angelis & Apoſtolis, non autem in aliis.

Quartò: Majorem illam perſonæ dignitatem non eſſe niſi Domini, ſive Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſive Chriſti Dei & hominis, præ omnibus aliis, B. Mariæ præ Sanctis omnibus, Angelorum denique & Apoſtolorum præ cæteris aliis; an verò eſt & Angelorum præ Apoſtolis, & Apoſtolorum præ Evangeliſtis? diſcutietur ſtatim quæſtione ſequenti. Non eſſe ullam Martyrum præ Confeſſoribus, nec Confeſſorum præ Virginibus, aut quorumcumque aliorum Sanctorum præ aliis, ne ipſius quidem S. Joannis Bapt. diximus aliàs, & confirmatur ex concurrentia S. Auguſtini cum Decollatione ejuſdem S. Joan. Bapt. Quænam verò ſit Sanctorum propriorum, tradetur ſuo loco inferiùs.

Attenditur tam in feſtis præcipuis quam ſecundariis.

Quintò: Attendendam eſſe majorem ejuſmodi perſonæ dignitatem, in quibuſcunque feſtis Chriſti Domini, B. Mariæ, Angelorum & Apoſtolorum etiam non principalibus, ſeu ſecundariis, ut colligitur ex feſtis Apparitionis S. Michaelis, Cathedræ utriuſque S. Petri, ejuſdem ad Vincula, Converſionis S. Pauli, & S. Joannis ante Portam Latinam: nec niſi duo ſunt in quibus contrarium ſignificatur, nempe Commemoratio S. Pauli Apoſtoli, & feſtum SS. Angelorum Cuſtodum.

Com. S. Pauli, & feſtum SS. Angelorum Cuſtodum, cur ſunt Duplicia minora dumtaxat.

At primum tantùm eſt feſti ſupplementum, quo toto peracto ad Matutinum, nihil neceſſe fuit in Veſperis habere rationem dignitatis Apoſtolicæ, cum præjudicio ſequentis Officii Octavæ S. Joan. Bapt. Secundum verò Duplex minus dumtaxat in gratiam S. Hieronymi à Sacra Rit. Congreg. *die 2. Oct.* 1627. ideò fuiſſe decretum refert Gavantus *ſect. 7. cap.* 12. ne ipſe S. Doctor utraſque Veſperas amitteret: cùm tamen Gavantus ipſe multa ibidem afferat, ob quæ dixerat prius feſtum illud Duplex majus eſſe habendum inſtar Apparitionis S. Michaelis Archangeli.

Dies Octavæ Sanctorum non præferuntur æqualibus in concurrentia.

Sextò: Exceptis diebus Octavis quatuor feſtorum Chriſti Domini, de quibus mox dicendum, non haberi in ullis aliis Octavis rationem majoris dignitatis perſonæ, ut de iis in concurrentia fiant integræ Veſperæ. Optaſſe ſe ait Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 23. ut haberetur item in Octavis B. Mariæ; verùm, ut ipſemet ſibi objicit, habenda quoque fuiſſet in Octava feſti omnium Sanctorum, & in Octavis Angelorum & Apoſtolorum. Item in Octava principalis Patroni, quod poſtremum expreſsè negat; utriuſque verò prioris uſus planè contrarius eſt.

QUÆSTIO V.

In quo fundatur major illa perſonæ dignitas?

FUndari oportet aut in natura, aut in gratia, aut demum in utroque.

Dei præcellentiam in natura quàm in gratia. *Dionyſius. Greg. Naz.*

Et quidem in utroque fundari Dei Optimi Maximi præcellentiam, tam certum eſt, quàm quod nihil certius: Dei, inquam, cujus natura ex D. Dionyſio *de divinis nominibus cap. 1. omnem orationem, ſenſum, eſſentiamque vincit*; qui ex Nazianz. *Orat. 49. poſt medium, Cùm dicitur, non poteſt dici, cùm æſtimatur, non poteſt æſtimari, cum definitur, ipſa definitione creſcit, quem omnia neſciunt, & metuendo ſciunt.*: qui denique, ut uno verbo definit Anſelmus *de Incar. Verbi cap.* 4. ad rem noſtram perquàm appoſitè, *ſummum bonum eſt, hoc eſt quod ſic præſtat aliis, ut nec par habeat, nec præſtantius.*

Anſelmus.

Chriſti item præcellentia in natura & gratia. *Chryſoſt.*

Chriſti itidem Domini præcellentia in utroque fundatur: in natura quidem, non tantùm divina, quam eamdem habet cum Patre & Spiritu Sancto, ſed etiam humana, ſecundùm quam verè dicitur ab Apoſtolo *Coloſſ.* 1. interprete Chryſoſtomo in eum locum, *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cælis, & in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates, omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant. Et ipſe eſt caput Corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus primatum tenens.* Quibus poſtremis verbis gratia quoque Capitis eidem Chriſto Domino adſtruitur, ſive gratia illa eadem fuerit cum gratia habituali, ſive ſola ipſamet gratia unionis hypoſtaticæ, de qua re diſputant Theologi; certè qualiſcunque fuerit, tanta eſt ut *de plenitudine ejus omnes nos accepiſſe* aſſeveret Joan. *cap.* 1. hoc eſt, inquit D. Thomas in hunc locum, *omnes Apoſtoli, Patriarchæ, Prophetæ & juſti qui fuerunt, ſunt & erunt, & etiam omnes Angeli:*

D. Thomas.

B. Virginis præcellentia in gratia.

De excellentia verò Beatiſſimæ Virginis ſupra Sanctos omnes, non natura quidem, quam in Angelis ſuperiorem, in hominibus verò parem agnoſcimus, ſed gratiæ meritorumque dignitate, cùm innumera ſint SS. Patrum teſtimonia, quæ impenſum ei ab Eccleſia hyperduliæ cultum adſtruant, unum dumtaxat aut alterum proferre lubet ad utramque propoſiti noſtri partem illuſtrandam. Et de natura quidem, non quà præciſè humana eſt, ſed propter diſpenſationem myſterii, qua digna facta eſt, accipe egregium Germani Conſtantinopolitani dictum in Epiſtola ad Joannem Epiſcopum Synadenſem, quæ in ſeptima Synodo eſt probata: *Nam & ipſam propriè vereque Matrem Dei colimus & magnificamus, & univerſa viſibili & inviſibili creatura ſuperiorem arbitramur;*

Germanus Conſtantinop.

S. Chryſ.

Digitized by Google

adeò ut *uno excepto Deo omnibus antecellat*, quod uno verbo perſtrinxit Chryſoſtomus, ſive author Homiliæ de Natali, ſeptimo ejus operum tomo inſertæ. Pro gratia verò facit vulgatum, ſed non ideo minùs appoſitum Divi Bonaventuræ elogium, *in ſpeculo B. Virginis, lect.* 3. ubi uſurpans illud Eccli. 1. *Omnia flumina intrant in mare*, *Omnia*, inquit, *flumina, id eſt omnes gratiæ intrant in Mariam, flumen gratiæ Angelorum, flumen gratiæ Patriarcharum, flumen gratiæ Martyrum, flumen gratiæ Confeſſorum &c.*

S. Bonaventura.

Præſtare utrùm Angeli hominibus in gratia?

Quod ad Angelos attinet, præſtare illos hominibus in natura controverſum non eſt. An verò itidem in gratia? Affirmant & probant nonnulli Theologi, ex loco illo Lucæ *cap.* 7. ubi poſtquam Chriſtus de Joanne dixit, *Inter natos mulierum non ſurrexit major*, ſubdit ſtatim, *Qui autem minor eſt in regno cælorum, major eſt illo*, quod de Angelis utique dictum explicant, ut ſit ſenſus, minimum Angelorum, Joannem & gratia & gloria antecellere. Quam explicationem SS. Ambroſii & Cyrilli Alex. authoritate fulciunt, quorum alter *lib.* 5. *in Lucam*, ait ea verba adducta fuiſſe à Domino, ut demonſtraret, *Joannem infra omnes Angelos æſtimari*. Alter *lib.* 2. *Theſauri cap.* 4. abſolutè aſſerit, *Angelos natura & charitate in Deum eſſe majores Joanne*. Si autem Joanne, ergo & reliquis hominibus. Probant item ex eo, quòd gratia collata eſt Angelis, juxta quantitatem naturalis perfectionis, ſed naturalis perfectio cujuslibet Angeli ſuperat naturalem perfectionem cujuſcunque hominis, ergo &c.

Ambroſius. Cyrillus Alex.

Plures ex hominibus æquari, aut etiam præſtare Angelis in gratia.

S. Gregorius. Magiſter. D. Thomas.

Alii contrà aſſerunt, plures eſſe homines, quorum gratia & gloria adæquat, imò & ſuperat gratiam & gloriam multorum Angelorum, hac ducti communi & certa doctrina, quam tradunt S. Gregorius *Homil.* 34. *in Evangelia*, Magiſter *in* 2. *diſt.* 9. D. Thomas 1. *parte quæſt.* 108. *art.* 8. & alii multi, aſſumi videlicet ex hominibus in cæleſti regno ad ordines, ſeu choros Angelorum, alios quidem inter Seraphinos, alios inter Cherubinos, & ſic de aliis, prout quique æquantur illis in gratia & gloria; additque Banes, *in art. cit. S. Thomæ*, probabile ſibi videri, temerarium eſſe Apoſtolos in gloria eſſentiali dicere inferiores quocunque Angelo.

Banes.

Ex hac utraque contraria licèt opinione, ſic arguo pro tuendo legitimo Eccleſiæ uſu præferendi in concurrentia Sanctos Angelos Sanctis hominibus. Etſi hominum aliqui præſtent aliquibus Angelorum ex ſecunda opinione, haud tamen omnibus, faceturque Granadus *tom.* 3. *in* 3. *partem Tract.* 16. *de Angelis, diſp.* 3. Michaelem qui ſupremus creditur Seraphinorum, à nullo hominum excedi: Idemque par eſt credere de Gabriele, & Raphaele, quos tres duntaxat ſingulariter colit Eccleſia: imò cùm ne de ipſis quidem ſeorſim feſtum celebretur, ſed de omnibus conjunctim, ut demonſtravimus alias, interque ipſos multi ſint haud dubiè hominibus præſtantiores, quantumcunque nutent rationes primæ opinionis, ſtabit nihilominus ſemper firma ratio, primas in æqualitate Officii Angelis præ hominibus tribuendi.

Granadus.

In æqualitate Officii SS. Angeli ſemper præferendi SS. hominibus.

Pro Apoſtolorum verò præ Sanctis quibuſcunque aliis dignitate ſatis diſſertum eſt *lib.* 2. *cap.* 7. *quæſt.* 5. Sed annon ii etiam Angelis poſthabendi, aut magis præferendi? Commodum valdè eſt, quòd nulla utrorumque feſta de facto ſic concurrant, ut quæſtionis hujus ſolutionem reddere teneamur; quam nec dedit ipſamet Rubrica, qua de agitur, ubi cùm feſta Domini omnibus aliis præferenda edixit, feſta B. Mariæ feſtis Sanctorum, ſubdit ſtatim feſta Angelorum & Apoſtolorum cæteris quoque aliis, nulla inter ipſoſmet Angelos & Apoſtolos facta diſtinctione. Si quid tamen in omni eventu definitum vis, in dubio utri præſtent gratia, cùm certum maneat Angelos præſtare Apoſtolis in natura, ex hoc ſaltem capite putaverim eſſe præferendos.

Angeli videntur etiam Apoſtolis in concurrentia Officii præferendi.

Porrò Apoſtolorum nomine veniunt Lucas & Marcus Evangeliſtæ, Barnabas item, Silas quoque, Martialis, & alii, quibus ex uſu antiquo non illegitimo, certis in locis tribui diximus loco citato Officium Apoſtolorum, Officii ipſius ratione magis quàm dignitatis Apoſtolicæ eo jure potientes. Vult tamen Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 9. *num.* 3. Apoſtolos Evangeliſtis, perinde ac Sanctis reliquis eſſe præferendos; ſed cùm nullam dicti ſui proferat rationem, pares ego ut aſſeram, facit claſſis & Officiorum omnimoda paritas.

Quinam Apoſtolorum nomine præter duodecim veniant?

Mirabitur quis, nullam nos hìc Joannis Baptiſtæ feciſſe mentionem, quem tamen plerique SS. Patrum Apoſtolis, ipſiſque etiam Angelis non parem modò, ſed & faciunt ſuperiorem. Bernardus ſeu Petrus Dam. ſerm. de ejus privilegiis, *Lætantur Angeli, & utrinſque naturæ numeroſitas admiratur hominem ſic ingreſſum abyſſum luminis, & intra interna Divinitatis abſorptum, ut ipſam reverberet aciem Angelicæ puritatis.* Item, *Hoc Joannes in utero legitur aſſecutus, quod Apoſtolica celſitudo tandem largiori promiſſione meruerit obtinere*: quod uno ferè verbo Euſebius Gallicanus de univerſis Sanctis expreſſit, *Meritò inter conſervos ſuos, nulli ſecundus eſſe creditur, cui ſolus Dominus antefertur.* Rationem verò reddit Chryſoſtomus ſeu author imperfecti operis *homil.* 27. *Quanto vox proximior verbo, non tamen verbum, tanto Joannes proximior Chriſto, non tamen Chriſtus. Vide ergo, quia omnibus Sanctis eſt major, cui ſolus Chriſtus eſt prior.* Quibus teſtimoniis nihil officit allatus antea Lucæ locus cap. 7. *Qui autem minor eſt in regno cælorum, major eſt illo.* Hunc enim longè aliter, & quidem congruentiſſimè explicant Salmeron *tom.* 4. *parte* 2. *tract.* 3. Toletus *Annot.* 30. & Maldonatus *in cap.* 11. *Matth. num.* 11.

S. Joan. Bapt. an aliis Sanctis in concurrentia præferendus?

Petrus Dam.

Euſebius Gall.

Chryſoſt.

Salmeron. Toletus. Maldonatus.

His tamen non obſtantibus ſtat uſus Breviarii Romani contrarius in feſto Decollationis ipſius S. Joannis, quod dimidiat ſuas primas Veſperas cum ſecundis S. Auguſtini; cujus rei quatuor cauſas affert Gavantus *ſect.* 7. *cap.* 11. *ad* 29. *Aug.* quarum nulla mihi ſatisfacit. Probabilior hæc tibi fortè videbitur, nimirum ſingularia Sancti hujus dona in feſto Nativitatis ipſius, eoque ſingulari, præ Sanctis omnibus ab Eccleſia præcipuè recoli, quod ideò inter Duplicia primæ claſſis annumeratur, æquè ac feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli: in feſto verò Decollationis ipſius, uti Officio, ſic nonniſi Martyris cultu ipſum coli; adeòque in concurrentia æqualem tantummodo eum quocumque alio, ad inſtar cujuslibet alterius Martyris haberi.

Uſu Romano S. Joannes Bapt. dimidiat Veſperas in concurrentia cum æquali.

Fuiſſet verò controverſiæ huic locus abſque effugio, ſi poſtridie Apoſtolorum Petri & Pauli, nullum occurriſſet feſtum; de utra enim Octava, Apoſtolorum an S. Joannis faciendum fuiſſet Officium? Hunc verò ſcopulum opportunè eluſit inſerta in illum diem Commemoratio S. Pauli, in qua ex regula utique Apoſtolo communi, de S. Petro fit primùm commemoratio, deinde Octavæ S. Joannis, adeò ut nec inde poſſis judicare utra Octava alteri præferatur; imò nec præferentiam ullam dignitatis ex eo diſcernas, quòd in Litaniis & in Confeſſione nominetur Joannes Baptiſta ante Apoſtolos Petrum & Paulum; non enim in hoc ſervatur ordo dignitatis perſonarum, ſed ſtatus quo Prophetæ ut tempore, ſic & appellatione præeunt Apoſtolis: qui ordo itidem ſervandus in caſu quo transferretur commemoratio S. Pauli propter occurrentem diem Octavam Corporis Chriſti, ut videlicet fiat commemoratio Oct. S. Joannis ante commemorationem Octavæ Apoſtolorum.

Salvata eſt commodè concurrentia S. Joan. Bapt. cum SS. Petro & Paulo.

De reliquis Sanctis, an alii aliis in concurrentia ſint præferendi? reſpondi jam ſuprà *quæſt.* 4. nullam haberi hac in parte rationem dignitatis perſonarum: ratio verò eſt, quia cùm dignitas illa, ut di-

Nulla eſt præferentia aliorum Sanctorum in concurrentia.

Digitized by Google

tur dictum eſt initio, fundetur in gratia, & ea quidem gratia, quæ majoris gloriæ eſſentialis cauſa ſit & menſura, haudquaquam novit Eccleſia, quanta ſit cujuſque Sancti gratia, nec proinde gloria eſſentialis, ut ex eo capite alteri præponat. Quod enim afferri poteſt de aureolis, quibus videlicet Martyres, Virgines, ac Doctores præ aliis Sanctis remunerari dicuntur, accidentarium planè eſt, nihilque ad eſſentialis gloriæ augmentum faciens: ſicut nec gratiæ gratis datæ, quæ præciſè ex ſe non ſunt ſemen gloriæ, multò minùs dignitates in hac vita obtentæ, putà Pontificis, Regis &c. undè dicitur 2. *quæſt.* 7. *can. Quamquam*, qui ex Auguſtino ipſo deſumptus eſt, quòd *quamquam Epiſcopatus major ſit Presbyterio, Auguſtinus tamen in multis rebus Hieronymo minor eſt*; & *can. Puto*, ibidem, *Etſi diſtat Cathedrarum gratia, una tamen eſt Martyrum gloria*.

D. Thomas.

Suarez.

Soli itaque ſuperſunt Apoſtoli, de quibus certum eſt illud D. Thom. *in cap.* 1. *Ep. ad Epheſios*, *quòd habent gratiam majorem quàm aliqui alii Sancti poſt Chriſtum & Virginem matrem*. Quæ verba Suarez *tomo* 2. *in* 3. *partem diſp.* 8. *ſect.* 2. ne S. Joſepho præjudicium afferant, quem Apoſtolis non imparem probare nititur, haud ſatis appoſitè explicat non de donis gratiæ gratum facientis, ſed de gratiis gratis datis. Et verò valeat Suaris docta non minùs quàm pia in gratiam Sponſi ſanctiſſimi Genitricis Dei Mariæ argumentatio, ſitque verè Joſeph Apoſtolis ut ſanctitate, ſic & gloria non impar; ſubſcribam ego ejus opinioni, nec invitus inter concionandum profitebor; at non eſt privati cujuſquam jus illud de quo agimus præferentiæ in divinis Officiis ei tribuere, niſi accedente Eccleſiæ authoritate legitima.

S. Joſeph in concurrentia cum æquali minimè præferendus.

Sanctorum denique propriorum cum aliis concurrentium præferentia cùm non ex perſonæ dignitate petatur, ſed ex eorum ad propria loca ſeu Eccleſias habitudine, de ea ſuo loco inferiùs tractabitur.

QUÆSTIO VI.

Quandonam item Veſperæ non dimidientur in concurrentia æqualium?

Dies Octavæ feſtorum Domini non dimidiant Veſperas cum æqualibus.

PRimò: In diebus Octavis quatuor feſtorum Domini, Epiphaniæ, Paſchæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti. Licèt enim hæ Octavæ Duplicium per annum dumtaxat gradum obtineant, in concurrentia tamen quibuſcunque aliis Duplicibus, quæ primæ & ſecundæ claſſis non ſunt, præferuntur, habentque integras Veſperas cum commemoratione aliorum, *ex præſenti Rubr. num.* 7. nec immeritò, ob reverentiam tantis myſteriis præ aliis omnibus debitam. His verò haudquaquam annumeranda dies Octava S. Joannis Evangel. licèt enim ex Rubrica particulari tribuantur ei ſecundæ Veſperæ integræ præ Octava SS. Innocentium, haud tamen idcirco inter duplicia majora cenſetur; unde nec ei tribuuntur primæ Veſperæ integræ, ſed eas dimidiat cum Octava S. Stephani, adeòque ſecundas etiam dimidiare deberet cum alio quocumque, ſi concurreret.

Rationes cur Dominica non dimidiat ſuas Veſperas, cum ſequenti Semiduplici.

Secundò: Dominica concurrente cum ſequente feſto Semiduplici, vel cum die infra Octavam, fiunt Veſperæ integræ de Dominica, cum commemoratione ſequentis. Ita eadem Rubr. num. 5. quod & obſervat Radulphus *prop.* 15. videturque id debitum, tum dignitati Dominicæ, quæ verè Officium Domini eſt, tum etiam proportioni Officiorum. Cùm enim Pſalmi & Antiphonæ Veſperarum Dominicæ Pſalteriales ſint, nec ad Officium talis Dominicæ tamquam propriæ pertineant, ſi à Capitulo fieret de ſequenti (prout ferebat uſus nonnullorum veterum Breviariorum) non plus inde aliquid Dominicæ tribueretur, *Guyet. Heortologia.*

quàm ſi totæ Veſperæ eſſent de ipſo feſti Officio. Quæ ratio non perinde valet pro Veſperis Sabbati, in quibus ſi occurrat feſtum Semiduplex, vel dies infra Octavam, nihil Dominicæ detrahitur, quòd loco Antiphonarum cum Pſalmis de Pſalterio, Pſalmi & Antiphonæ ſumantur de ipſo feſto vel die infra Octavam: ſervatur verò illi ſuum integrum jus, cùm de ea fit à Capitulo. Rationes hujus rei alias profert Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 9. *quæſt.* 7. ſed quæ ſua tenuitate parum mihi arrident.

Feſta habentia Hiſtoriam propriam, æqualibus olim præferri ſolita.

Tertiò: Hiſtoriæ propriæ plurimum deferebant antiqua Breviaria, adeò ut quæ feſta Antiphonas proprias haberent, ea præferrent aliis ſibi æqualibus non habentibus. Id videtur in Romano Breviario conceſſum feſto SS. Joannis & Pauli, cujus ſecundæ Veſperæ non dimidiantur cum Oct. S. Joan. Baptiſtæ; quam verò ob cauſam, niſi propter Antiphonas proprias? Verùm cùm tali privilegio feſtum illud minimè gaudeat reſpectu Dominicæ, neque S. Leonis, aliorumve Semiduplicium, cum quibus poteſt concurrere, abſque privilegio vel ampliori declaratione, non putaverim ad alia id poſſe extendi.

Dominicæ Adventus & Quadrag. Semiduplicibus cum iis concurrentibus præpoſitæ.

Uſus Pariſ.

Quartò: Dominicis Adventus & à Septuageſima uſque ad Paſcha tribuuntur à Breviario Pariſienſi Veſperæ integræ, cum commemoratione Semiduplicis concurrentis, quod & antiqua Breviaria extendebant ad alias omnes Dominicas, in quibus nova hiſtoria inchoatur, *quia tum ad Veſperas Sabbathinas ex jucunditate Reſponſorium cantabatur*, ait Radulphus cit. At in Romano nulla eſt talis regula.

Uſus Rothom. Senon. Turon.

Quintò: Semiduplici feſto concurrente cum die infra Octavam; die item infra Oct. cum Dominica, vel cum feſto Semiduplici, Veſperas feſto vel Dominicæ integras tribuunt Rothomag. Senon. Turon. ac non pauci alii uſus, quippe quibus dierum infra Octavas ritus non eſt niſi trium Lectionum ſeu ſimplex, quod à Romano eſt alienum. Tribuendæ quoque ritu etiam Romano feſto Semiduplici infra Octavam præcurrenti diem 17. Decembris, vel Feriam 4. Cinerum: cùm enim in iis diebus ceſſetur ab Octava inchoata, incongruum eſſet pridie à Capitulo de ipſa Octava facere, de qua poſtridie nihil fiat.

Feſtum carens primis Veſperis non dimidiat apud aliquos ſecundas cum æquali.

Sextò: Pleraque antiqua Breviaria id obſervabant, ut feſto, quod caruiſſet primis Veſperis, ſecundas tribuerent integras, etiamſi cum æquali concurreret, ſicut fit de feſtis occurrentibus infra Oct. Nativitatis Domini, addit Breviarium Caſalis Benedicti. Si verò & ipſum æquale, ſuis æquè cariturum ſit ſecundis Veſperis, ex præſcripto Breviarii Ord. Prædicatorum, primas in eo caſu à Capitulo ſortietur. Unica ſe Rubrica Romanum eximit ab iſtis ambagibus.

Feſtum colibile non ideo habet integras veſperas præ alio non colibili.

Septimò: Volunt aliqui eo ipſo quòd feſtum Duplex eſt in præcepto, ſeu ut vocant colibile, deberi ipſi Veſperas integras præ alio, cum quo, & quod cum ipſo concurrit; ſed hoc refutavimus *lib.* 2. *cap.* 11. *quæſt.* 3.

QUÆSTIO VII.

An propter majorem Chori celebritatem tribuendæ ſint Veſperæ integræ uni feſto præ alio ipſi æquali?

FRequens ſatis eſt dubii hujus occaſio. Contingit namque, ut feſtum aliquod, ſive ob Reliquias, ſive ob Confraternitatem aliquam, ſive etiam ex fundatione, aut quavis alia de cauſa, cum ampliori apparatu, putà cum cappis, ſolemni incenſatione &c. in aliqua Eccleſia celebretur, cùm ipſum ad altiorem gradum non idcirco evehi debeat, ſed maneat Duplex ver. gr. minus, quid facto opus, ſi concurrat cum alio

æquali, vel etiam majori, quod ex præſcripto Rubricarum Veſperas vel dimidiet, vel integras ſibi præripiat: An nihilominus de prædicto feſto faciendæ erunt Veſperæ, ut ſervetur ritus ille ſolemnior? An ceſſandum à ritu illo, ſi de eo feſto non fiant Veſperæ? Dubium hocce jam attigimus *lib. 2. cap. 9. quæſt. 7.* dedimuſque artem, qua id caveri poſſit. In caſu autem, quo vitari non poteſt, ajo nihil propter apparatum, de Officii ratione à Rubricis præſcripta eſſe immutandum; quod expreſsè habebat Brev. antiquum Caſ. Benedicti, in caſu, quo Duplici cum Dominicis Adventus, & aliis majoribus occurrente, fiebant Veſperæ de Dominica, *Ritu ſolemnitatis ſemper ſervato*.

Nihil de ratione Officii mutandum ob celebritatem Chori.

Brev. Caſ. Ben.

QUÆSTIO VIII.

Veſperis de altero concurrentium Officiorum integris, vel à Capitulo factis, ſitne ſemper commemoratio de altero?

Fit equidem ſemper, cùm Veſperæ dimidiantur à Capitulo; at cùm integræ de altero dicuntur, non item. Nam

In primis Veſperis Duplicis primæ claſſis, nulla fit commemoratio, neque feſti Duplicis, neque Dominicæ præcedentium, niſi ipſa fuerint primæ, vel ſecundæ claſſis. Neque item feſti Semiduplicis; neque diei infra Octavam (exceptis Octavis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & Corporis Chriſti;) neque diei Octavæ, præterquam Epiphaniæ, Paſchæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti. In ſecundis verò Veſperis, nulla ſequentis feſti ſimplicis, nulla diei infra Octavam, niſi Nativitatis Domini, Epiphaniæ & Corporis Chriſti.

Commemorationes omittendæ in Dupl. 1. claſſis.

In primis Veſperis Duplicis ſecundæ claſſis, nulla fit commemoratio præcedentium feſti Semiduplicis, Dominicæ per annum, & diei infra Octavam, exceptis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & Corporis Chriſti. In ſecundis verò Veſperis, nulla diei infra Octavam, niſi de ea poſtridie fiat Officium, exceptis dictis tribus Octavis.

Commemorationes omittendæ in Dupl. 2. claſſis.

Cæterorum omnium concurrentium tam activè quàm paſſivè nunquam omittitur commemoratio, nunquam item omittitur Feriarum Adventus & Quadrageſimæ; ſed hoc ad occurrentiam pertinet.

QUÆSTIO IX.

An mutari debeat aliquando ordo commemorationum in concurrentia?

Ordo commemorationum, cùm plures concurrunt, deſcriptus eſt ſuprà *cap. 1. quæſt. 3.* à quo nunquam diſcedendum, niſi in eo caſu, in quo die Octava incidente in Dominicam privilegiatam, putà Adventus, Septuageſimæ &c. fit Officium de Dominica cum commemoratione diei Octavæ; tunc enim ſi Feria 2. ſequenti occurrat feſtum Duplex, fiunt de eo Veſperæ in Dominica, cum commemoratione ipſius Dominicæ, licèt ſemiduplicis dumtaxat, ante commemorationem diei Octavæ Duplicis. Ita Gavantus *ſect. 3. cap. 8. num. 14.* Id autem fit, quia ipſa Octava nullum Officium habuit, ſed tantùm commemorationem; Officium autem præferendum commemorationi.

Com. Dominicæ in uno caſu præfertur com. diei Octavæ.

Sed in altero caſu quem ponit idem Gavantus *num. 22.* haud ipſi aſſentior; vult enim ut feſto ſemiduplici occurrente in Sabbato ante Dominicam privilegiatam, quæ eſt ſimul dies Octava feſti habentis Octavam, commemoratio ipſius Semiduplicis, de quo fiunt Veſperæ uſque ad Capitulum, præcedat commemorationem diei Octavæ, eò quòd, inquit, Octava illa in toto die ſequenti non habitura ſit, niſi meram commemorationem. Non placet hæc ratio, nam de Dominica per annum, in qua occurrit feſtum duplex, fit commemoratio Sabbato in Veſperis, ante commemorationem Semiduplicis, quod in ipſo Sabbato factum eſt; & tamen de ipſa Dominica poſtera die non fit niſi commemoratio.

Refutatur Gavantus ſtatuens commemorationem Semid. in uno caſu debere præcedere commemorationem diei Octavæ.

Quod inſuper obſervat idem Gavantus eadem *ſect. cap. 11. num. 39.* fieri commemorationem de feſto Semiduplici ante commemorationem diei infra Octavam, licèt in concurrentia utriuſque fiat à Capitulo de die infra Octavam, cum commemoratione Semiduplicis, veriſſimum eſt: neque ex eo quis rectè inferret commemorationem diei infra Octavam præcedere debere commemorationem feſti Semiduplicis: ſicut nec ex eo quòd omiſſa commemoratione diei infra Octavam, in feſto Duplici primæ claſſis, fiat nihilominus commemoratio Feriæ Adventus, aut Quatuor Temporum, aut ſecundæ Rogationum, inde bene arguas, nobiliores eſſe prædictas Ferias, die infra Octavam; ſiquidem cederent Feriæ illæ diei infra Octavam, ſi abeſſet feſtum illud primæ claſſis.

QUÆSTIO X.

An contingat caſus aliquis, in quo Feriale Officium habeat concurrentiam?

Propriè dictam nunquam habet; quòd enim ex opinione Gavanti, adveniente die 17. Decembris, aut Feria 4. Cinerum, ceſſet ad Nonam Officium diei infra Octavam, & Veſperæ fiant de Feria, non magis concurrentia eſt, quam cùm finito Officio feſti Simplicis ad Nonam, Veſperæ itidem fiunt de Feria.

Feria nunquam propriè concurrit.

Huc pertinet caſus perdifficilis, nunc quidem extra omnem uſum, poſtquam feſtum SS. Januarii & ſociorum Mart. factum fuit ſemiduplex. At cùm erat ſimplex aliàs, & occurrebat Feria 5. Veſperæ Feriæ 4. præcedentis ut ordinandæ erant? An à Capitulo de feſto ſimplici Martyrum? Sed perſeverabat adhuc Officium Feriale majus, præferendum feſto ſimplici, complendumque cum precibus Ferialibus & Oratione Dominicæ. An Veſperæ integræ de Feria, cum commemoratione feſti ſimplicis ſequentis? Ergo tum Feria activam habuiſſet concurrentiam? Habuiſſet omnino. Quis ſcit annon caſus illius vitandi gratia, prædictum feſtum è Simplici factum fuerit Semiduplex?

Caſus notabilis.

CAPUT XIV.

De Concurrentia Feſtorum propriorum, tam activa quàm paſſiva cum feſtis in Calendario deſcriptis.

Quamvis ex dictis præcedenti capite facilè ſolvi poſſint, quæcunque dubia hoc & ſequenti capite proponenda ſunt, juvat nihilominus ea ſeorſim attingere, ut cùm opus erit, promptiùs ac dilucidiùs dirimantur.

QUÆSTIO I.

Semperne majora minoribus in ejuſmodi concurrentia præferenda.

Omnino ſemper, ut definivimus *quæſt. 3. capitis præcedentis:* adeòque Duplici proprio primæ claſſis, concurrente cum quocumque alio non primæ claſſis, vel hoc concurrente cum illo, debentur proprio Veſperæ integræ, cum, vel ſine commemoratione alterius, pro ratione gradus ipſius, prout declaratum fuit *quæſt. 8. dicti capitis præcedentis*. Itidem Duplici ſecundæ claſſis concur-

Affirmativa declaratur inductione.

concurrente cum alio inferiori, & hoc cum Semiduplici, Dominica &c. & viciſſim.

E contrario verò, Proprio quocunque non primæ claſſis concurrente cum Duplici primæ claſſis generali tam activè quàm paſſivè, debentur generali Veſperæ integræ, cum aut ſine commemoratione Proprii, pro ratione gradus ipſius. Item Duplici proprio per annum concurrente cum Duplici ſecundæ claſſis generali, aut Semiduplici cum Duplici &c. Neque ullam hic majoris apparatus, ſeu celebritatis Chori habendam eſſe rationem, (quod unum opponi poteſt) demonſtravimus *quæſt. 7. cap. præcedentis*.

QUÆSTIO II.

Semperne dimidiandæ Veſperæ in concurrentia feſti proprii cum alio, ſibi æquali in Calendario deſcripto?

Affirmativa reſponſio.

SEmper equidem in concurrentia mutua Duplicis minoris, cum Duplici æquè minori, aut cum die Octava non privilegiata. Item Semiduplicis, cum Semiduplici, Dominica, & die infra Octavam, ut conſtat *ex Rubr. 11. num. 2. 4. &* 7. At dubium eſt, An etiam in concurrentia mutua Duplicium primæ & ſecundæ claſſis, & majorum per annum, cum paribus?

Dubitatur inter feſta primæ & ſecundæ claſſis.

Dubitandi autem ratio hinc oritur. Primò quòd poſtrema verba cit. Rubricæ *Inter feſta æqualis ſolemnitatis*, videantur abſolutè tribuere præferentiam feſtis propriis, præ quibuſcunque aliis æqualibus in Calendario deſcriptis; ſic enim habent, *Et feſta illorum Sanctorum, qui in propriis locis vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, aliis in Calendario deſcriptis*, ſupple, *præferantur*. Secundò, in Tabula concurrentiæ ad calcem Rubricarum poſita, concurrentibus invicem duplicibus primæ & ſecundæ claſſis, & majoribus per annum, notatur è regione numerus 6. cujus explicatio eſt, *Totum de digniori, commemoratio de minus digno*. Ex quo planè infertur, nunquam in ejuſmodi concurrentia dimidiandas eſſe Veſperas; quod & confirmatur exemplo SS. Stephani, Joannis, & Innocentium, qui cùm inter ſeſe concurrant, habent nihilominus ſuas ſecundas Veſperas integras, nulla facta dimidiatione.

Etiam dimidiantur Veſperæ concurrentibus invicem Duplicibus primæ & ſecundæ claſſis.

His tamen haud infringi putaverim Rubricæ hujus generalis vim, *Duplici concurrente cum alio ſequenti Duplici, ſi utraque ſint ejuſdem ſolemnitatis*, ſeu ut explicat Gavantus *ſect. 3. cap. 9. num. 2.* ſi ſint æqualia, *regulariter à Capitulo fit de ſequenti, cum commemoratione præcedentis*. Quæ verba æquè omnino intelligenda videntur de Duplicibus primæ & ſecundæ claſſis, & majoribus per annum concurrentibus, atque de aliis minoribus, adeò ut ſi feſtum unius Apoſtoli v. g. concurreret cum feſto alterius, æquè fieri deberet à Capitulo de ſequenti, cum commemoratione præcedentis, atque fit in concurſu, v. g. SS. Fabiani & Sebaſtiani, & S. Agnetis. Et verò cùm regula generalis ad plura ſe extendere debeat quàm exceptio, falleret hæc ratio, ſi ex quatuor Duplicium generibus unum duntaxat ſub regula generali contineretur, tria verò alia ſub exceptione.

Caſus quidam particulares admodum rari.

Fateor quidem rarò admodum contingere, ut feſta duo primæ vel ſecundæ claſſis ex his quæ in Calendario deſcripta habentur, ſimul concurrant: imò vix unquam aliàs, niſi cùm feſtum Corporis Chriſti concurrit cum feſto Nativitatis S. Joan. Baptiſtæ, & cùm feſta S. Marci, & SS. Philippi & Jacobi poſt Octavam Paſchæ tranſlata concurrunt invicem, aut cum Inventione S. Crucis. Unde quoad ejuſmodi feſta, mirum non eſt, ſi in Tabula concurrentiæ notetur abſolutè, *Totum de digniori, cum commemoratione de minus digno*. Etſi enim æqualia ſint inter ſe, nempe priora duo primæ claſſis, & tria poſteriora ſecundæ, quia tamen in ejuſmodi æqualitate, unum eſt Chriſti Domini, putà feſtum Corporis Chriſti præ S. Joanne Bapt. & Inventio S. Crucis præ S. Marco & SS. Philippo & Jacobo, nullus proinde locus eſt dimidiationi, ne inter ipſum quidem S. Marcum, & SS. Philippum & Jacobum, cùm juxta Gavantum Apoſtolus Evangeliſtæ ſit præferendus. Hincque patet ſolutio ſecundæ objectionis, cujus confirmatio petita ab exemplo SS. Stephani, Joannis, & Innocentium, nihil urget, cùm ſint aliæ rationes cur ſinguli illorum ſecundas Veſperas obtineant, nempe quòd & primis careant, & ſecundas ipſas nonniſi dimidiatas habeant, propter Antiphonas & Pſalmos de Nativitate.

Gavanti Heortologia.

Quoad verò feſta propria primæ & ſecundæ claſſis, ac majora per annum concurrentia cum generalibus ejuſdem ſecum ordinis ac ſolemnitatis, fateor item vix contingere ut ſint Veſperæ dimidiandæ, eò quòd ex verbis illis in objectione prima allegatis, feſta Sanctorum, qui in propriis locis vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, aliis in Calendario deſcriptis ſint præferenda. Sed quiſnam ſit ſenſus verborum illorum, & an ſemper tribuendæ ſint feſtis propriis Veſperæ integræ præ aliis quibuſcunque æqualibus, accuratiùs eſt indagandum.

QUÆSTIO III.

An feſta propria primæ & ſecundæ claſſis, ac majora per annum concurrentia cum æqualibus generalibus, ſemper habere debeant Veſperas integras?

Feſta propria non omni generali æquali præferuntur.

AFfirmandum tibi eſt, ſi præfata verba univerſim ut ſonant, accipias, *Feſta Sanctorum qui in propriis locis vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, præferenda ſunt aliis in Calendario deſcriptis*. At cùm de S. Stephano in Eccleſia propria in ſecundis Veſperis Nativitatis Domini fieri tantùm debere commemorationem doceat Gavantus *ſect. 6. cap. 5. num. 9.* uſuſque omnium Eccleſiarum ſub ejuſdem Sancti Protomartyris nomine dicatarum confirmet: Item cùm errare eos dicat idem Gavantus *ſect. 3. cap. 9. num. 3.* qui in Eccleſia B. Rochi propria, de eodem ut Patrono recitant primas Veſperas, cum commemoratione Aſſumptionis B. Mariæ, cui, inquit, debentur integræ Veſperæ ex Rubrica generali, quam ibidem explicat: certè non poteſt univerſim eſſe verum feſta propria æqualibus generalibus eſſe præferenda. Sic itaque diſtinguendum, ut intelligatur prædicta Rubrica de aliis feſtis Sanctorum in Calendario deſcriptis, non autem de feſtis Chriſti Domini & B. Mariæ, quibus nulla feſta ejuſdem ordinis, quantumcunque propria, præferri debent: Qua diſtinctione poſita claræ ſunt hæ concluſiones.

Sex Duplicia primæ claſſis, quibus propria minimè præferuntur.

Prima, Duplici proprio primæ claſſis concurrente cum feſtis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Corporis Chriſti, Aſſumptionis B. Mariæ & Omnium Sanctorum, aut his cum illo concurrentibus, Veſperæ integræ erunt de prædictis feſtis, cum commemoratione feſti proprii. Et verò ſi prædicta feſta præferuntur in occurrentia cuicumque proprio, quantumvis ſolemni, *ex Rub. 10. de Tranſl. feſtorum num. 1.* quidni & in concurrentia? Superſunt itaque duo tantùm Duplicia primæ claſſis generalia, nempe Nativitas S. Joan. Bap. & feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quibus in concurrentia præferri contingit feſtum proprium primæ claſſis, ita ut de eo fiant Veſperæ integræ, cum commemoratione illorum; eo planè modo quo diximus ſuprà *cap. 8. quæſt. 4.* præferri iiſdem in occurrentia.

Secunda: Parijure, Duplici proprio ſecundæ claſſis concurrente cum feſtis Circumciſionis Domini

Quinque Duplicia ſecundæ claſſis quibuſvis æqualibus propriis præferenda.

& Sanctiſſimæ Trinitatis, item cum feſtis Purificationis, Annuntiationis & Nativitatis B. Mariæ, aut his cum illo concurrentibus, Veſperæ integræ erunt de prædictis, cum commemoratione feſti proprii. In concurrentia verò reliquorum feſtorum ſecundæ claſſis, nempe Inventionis S. Crucis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Natalitii Apoſtolorum & Evangeliſtarum, ac S. Laurentii, non denegaverim feſto proprio integras Veſperas cum commemoratione aliorum. Quamquam ſi feſtum proprium non fiat in Choro niſi cum ſolemnitate eadem, qua fit ipſummet generale, latius judicem in eo caſu, ſi generale proprio præferatur. Quòd verò Inventionem S. Crucis

Inventio S. Crucis eſt feſtum Domini.

cum feſtis Sanctorum ſecundæ claſſis annumeraverim, ne tu quæſo ſic accipias, quaſi velim non eſſe feſtum Domini; verè enim tale eſt, quod nullibi cum tanta ſolemnitate fieri ſoleat atque alia Chriſti Domini & B. Mariæ, unde nec cum his recenſetur in Ceremoniali Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 34. ob idque etiam in Proprio Eremitarum S. Au-

Cerem. Epiſc. Prop. Aug.

guſtini, aſſignantur primæ Veſperæ integræ de S. Monica, cum commemoratione Inventionis S. Crucis.

Quinque feſta Duplicia majora per annum aliis præferenda.

Tertia: Duplici quocumque proprio majori per annum concurrente cum feſtis æqualibus Transfigurationis Domini, Exaltationis S. Crucis, Viſitationis, Præſentationis & Conceptionis B. Mariæ, ac feſto ejuſdem ad Nives, aut his cum illo concurrentibus, Veſperæ integræ de prædictis feſtis, cum commemoratione Proprii, ob eamdem rationem quæ ſuprà. Concurrente verò eodem Duplici proprio majore per annum, cum cæteris æquè majoribus; Veſperæ integræ de ipſo, cum commemoratione aliorum; hocque eſt, quod inprimis ſignificatur verbis illis cit. Rubr. *Feſta Sanctorum quæ in propriis locis vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, præferantur aliis*, videlicet Sanctorum, *in Calendario deſcriptis.*

Octavæ quatuor in concurrentia Duplicibus æqualibus præferendæ.

Quarta: Duplici quocunque proprio majori per annum concurrente cum Octavis Aſcenſionis & Corporis Chriſti, aut his, itemque Octavis Epiphaniæ & Paſchæ cum ipſo concurrentibus, Veſperæ integræ de prædictis Octavis, cum commemoratione feſti, *ex Rubr.* 10. *de Tranſl. feſt. nu.* 7. & Gavanto *ſect.* 3. *cap.* 11. *nu.* 18. An verò id juris tribui etiam poſſit diebus Octavis Patronorum? negat Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 23. à quo non recedimus. In caſu verò quo ejuſmodi Octava ſolemniori apparatu celebratur, quid agendum ſit, diximus *cap. præcedenti quæſt.* 7. *& lib.* 3. *cap.* 13. *quæſt.* 3.

Gavantus.

QUÆSTIO IV.

Ut agendum in concurrentia feſtorum propriorum Chriſti Domini & B. Mariæ, cum aliis eorumdem feſtis generalibus?

Feſta generalia Chriſti Domini, & B. Mariæ præferenda æqualibus propriis.

Fiunt ſiquidem in aliquibus Eccleſiis feſta quædam particularia Chriſti Domini, aut B. Mariæ, ſub iis Titulis, quos recenſuimus *libr.* 1. *cap.* 6. *quæſt.* 7. *& ſeq.* Si ergo contingat feſtum ejuſmodi aliquod concurrere cum alio æqualis ſolemnitatis ejuſdem Chriſti Domini & B. Mariæ in Calendario deſcripto, utrius erunt Veſperæ? An proprii? An generalis? Hujus ergo debere eſſe concludo, tum quia univerſalius & antiquius eſt, ex dictis ſuprà *cap.* 3. *quæſt.* 5. tum quia Tituli illi particulares, ſub quibus inſcripta ſunt & indicta ejuſmodi feſta, non æquant dignitatem myſteriorum quæ in feſtis generalibus recoluntur. Favet huic concluſioni Proprium Nanoetenſe, in quo in ſecundis Veſperis Octavæ Epiphaniæ aſſignatur tantùm commemoratio de ſubſequente feſto Nominis Jeſu.

Facienda commemoratio ejus quod poſtponitur.

An verò in tali caſu factis de uno Veſperis, de alio facienda ſit commemoratio, dubitari poteſt; propterea quòd nunquam de eodem fit commemoratio, de quo factum eſt Officium? Reſpondeo, valere illud quidem, quando mera eſt commemoratio, ut cùm omittitur in ſecundis Veſperis Purificationis commemoratio ſequentis Officii B. Mariæ in Sabbato; at ſi feſtum illud aliud fuerit Myſterii, ſeu facti alicujus particularis, de quo propria habeatur Antiphona cum Verſu & Oratione, nihil obſtare video, quin fiat de eo commemoratio, perinde ac fit commemoratio Octavarum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis & Corporis Chriſti, in Dominicis infra ipſaſmet Octavas.

TABELLA

Digitized by Google

TABELLA OCCURRENTIÆ FESTORUM PROPRIORUM cum Generalibus, & horum cum illis.

Si Proprium præcedat & Generale ſequatur.									Si Generale præcedat & Proprium ſequatur.							
Duplex primæ Claſſis proprium,	Duplex ſecundæ Claſſis proprium,	Duplex majus proprium,	Duplex minus proprium,	Semiduplex proprium,	Æquale Chriſti & Beatæ Mariæ proprium,	Dies infra Octavam proprium,	Dies Octava propria,		Dies Octava propria.	Dies infra Octavam proprium.	Æquale Domini & Beatæ Mariæ proprium.	Semiduplex proprium.	Duplex minus proprium.	Duplex majus proprium.	Duplex ſecundæ Claſſis proprium.	Duplex primæ Claſſis proprium.
	0	0	0	0	0	0	0	Nativitas Domini,	0	0	0	0	0	0	1	1
1	1	1	1	0	1	0	0	Circumciſio,	1	3	1	0	0	0	1	2
1	1	3	3	0	1	0	0	Epiphania,	0	0	1	0	0	0	0	1
1	1	3	3	3	1	3	3	Aſcenſio,	1	3	1	1	1	1	1	1
0	0	0	0	0	0	0	0	Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis,	0	0	1	1	1	1	1	2
1	1	3	3	3	1	3	3	Feſtum Corporis Chriſti,	1	3	1	0	1	1	1	1
1	2	3	3	3	1	3	3	Feſtum Omnium Sanctorum,	1	3	2	2	1	1	1	1
2	1	1	1	3	1	3	1	Purificatio Anniverſaria Beatæ Mariæ,	1	1	1	2	1	1	1	2
6	1	3	3	3	2	3	3	Quodlibet aliud Duplex primæ Claſſis,	1	3	2	1	1	1	1	6
2	6	1	1	3	2	3	1	Quodlibet aliud Duplex ſecundæ Claſſis,	1	1	2	1	3	1	6	2
2	2	1	1	1	1	1	1	Duplex majus Domini & Beatæ Mariæ,	1	1	5	1	1	1	2	4
2	2	5	1	1	2	1	1	Quodlibet aliud Duplex majus,	1	1	2	1	1	6	2	4
2	2	2	5	1	0	1	5	Duplex minus,	5	1	0	1	5	2	2	4
2	2	2	2	5	0	5	2	Dominica primæ & ſecundæ Claſſis,	2	1	0	2	2	2	2	2
2	2	2	2	5	0	5	2	Dominica per annum,	2	1	0	1	2	2	4	4
2	2	2	2	5	2	5	2	Semiduplex,	2	5	2	5	2	2	4	4
4	2	2	2	2	0	2	2	Simplex,	0	0	0	0	0	0	0	0
2	2	2	2	0	0	1	2	Dies infra Oct. Nativitatis, Epiph. & Corp. Chriſti,	2	1	0	0	2	2	2	2
4	2	2	2	5	0	6	2	Dies infra quamlibet aliam Octavam,	2	6	0	5	2	2	4	4
2	2	1	1	1	0	1	1	Octava Epiphaniæ, Paſchę, Aſcenſ. & Corp. Chriſti,	1	1	2	1	1	1	2	2
2	2	2	5	1	0	1	5	Quælibet alia Octava,	5	1	0	1	5	2	2	4

1. *Veſpera tota de Feſto Generali, commemoratio Proprii.*

2. *Veſpera tota de Proprio, commemoratio Generalis.*

3. *Veſpera tota de Generali, nulla commemoratio Proprii.*

4. *Veſpera tota de Proprio, nulla commemoratio Generalis.*

5. *Veſpera dimidianda à Capitulo.*

6. *Veſpera tota de digniori, commemoratio minùs digna. Utrum autem dignius, colligendum ex præmiſſis quæſtionibus.*

CAPUT XV.

De mutua inter ſeſe Feſtorum propriorum concurrentia.

Quæ de mutua invicem horum feſtorum comparatione ſoperiùs tractata ſunt *cap.* 11. huc penè eadem recurrunt, nec niſi pauca admodum addere opus eſt ad majorem elucidatiooem. Imò ne ſemel dicta, iterum repetamus, duo extra omnem ſunt controverſiam. Primum, concurrentibus duobus feſtis propriis diverſi ordinis, quorum unum videlicet ſit Duplex primæ claſſis, alterum ſecundæ, aut Duplex unum & alterum Semiduplex: Veſperæ debent ſemper fieri integræ de majori, cum, aut ſine commemoratione minoris, prout dignioris ratio exigit. Alterum, io concurrentia duorum feſtorum propriorum, quæ ſingula Semiduplicis dumtaxat, aut Duplicis per annum gradom obtineant, Veſperas ſemper à Capitulo fieri debere de ſequenti, cum commemoratione præcedentis. Hæc ex di- *Guyet. Heortologia.*

Duo certa ſupponuntur ex ſupradictis.

ctis clara ſunt. Duo tantùm aut tria reſtant à dubio eximenda.

QUÆSTIO I.

An concurrentibus invicem Duplicibus propriis primæ vel ſecundæ claſſis, aut majoribus per annum, dimidiandæ ſint Veſperæ?

Negabit quiſquis objectioni *quæſt. 2. præcedentis capitis* allatæ mordicos adhærebit, in Tabula videlicet concurrentiæ ad calcem Rubricarum poſita, concurrentibus invicem ejuſmodi Duplicibus, notari è regione numerum 6. cujus numeri ſignificatio eſt, totum de digniori cum commemoratione de minùs digno. At ſi æquale utrumque eſſe contingat, & ratione dignitatis perſonæ, & ſolemnitatis Chori, & cujuſvis alterius præcellentiæ, annon à Capitulo faciendum de ſequenti cum commemoratione præcedentis? Ecqois inficiabitur, ſtante & urgente Rubrica illa generali, *Duplici concurrente cum alio Duplici, ſi utraque ſint ejuſdem ſolemnitatis, regulariter à*

Inter æqualia Veſperæ ſemper dimidiandæ.

Capitulo fit de ſequenti cum commemoratione præcedentis? Quin & facit opportunè uſus Eccleſiæ Andegavenſis, in concurrentia S. Martini cum S. Renato; nam cùm ambo ſint ſecundæ claſſis, utpote Eccleſiæ illius fundator alter, alter Epiſcopus & Patronus ſecundarius, cautè ac prudenter proviſum eſt, ut in ſecundis Veſperis S. Martini fiat à Capitulo de S. Renato. Hincque videas veram eſſe quam attulimus præfatæ objectionis ſolutionem, idcirco poſitum in Tabula pro hominec feſtorum concurrentia, *Totum de digniori, commemoratio de minus digno*, quia raro admodum contingit, ut non ſit alterum altero dignius: ſi quando autem contrarium evenerit, ſintque ambo æqualia, quidni valebit regula generalis?

Uſus Andeg.

QUÆSTIO II.

Inter feſta propria æqualis ſolemnitatis, an & quæ ſint alia aliis digniora?

Diſpar ratio occurrentiæ & concurrentiæ inter feſta æqualia.

COmparationis feſtorum æqualium inter ſe par omnino ratio non eſt quoad occurrentiam & concurrentiam. Nam in occurrentia neceſſe eſt unum alteri cedere, cùm non poſſint duo Officia uno eodemque die peragi: at in concurrentia poteſt utcumque ſalva retineri utriuſque dignitas, ſi nimirum Veſperæ dimidientur. Quod quidem ita fieri debere compertum eſt ex dictis hactenus, niſi cùm unum eſt alio dignius: hoc autem ut diſcernas, ſic habeto.

Concurrentia Patroni & Dedicationis Eccleſiæ.

Primò: Patrono ſeu Titulo & Dedicatione Eccleſiæ propriæ concurrentibus invicem, primas Dedicationi tribuit Gavantus; ego verò pares ad ſummum facio, ut ſint utrimque Veſperæ dimidiandæ. Imò iis in Eccleſiis, ubi non adeò celebris habetur Dedicatio, Patronum abſolutè eſſe præferendum tueor iis rationibus, quas attuli ſuprà *cap. 11. quæſt.* 1.

Patroni ſeu Dedicationis Eccleſiæ cum Patrono loci & ordinis.

Secundò: Patrono ſeu Titulo & Dedicatione propriæ Eccleſiæ concurrentibus cum Patrono loci, Ordinis, aut quovis alio primæ claſſis, & vice verſa, dandæ Veſperæ integræ Patrono ſeu Titulo & Dedicationi Eccleſiæ, ex dictis ſuprà *eodem cap. quæſt.* 2. aut ad ſummum nonniſi dimidiandæ, ſi fuerit par utriuſque ſolemnitas, contra quod ſentit Gavantus ibidem refutatus, dandas eſſe integras Patrono loci.

Patroni loci cum Patrono ordinis.

Tertiò: Patrono Loci & Ordinis invicem concurrentibus, hunc illi præferendum diximus *eodem cap. quæſt.* 3.

Inter reliqua propria habenda ratio dignitatis perſonæ, vel propioris Tituli.

Quartò: In concurrentia mutua reliquorum Feſtorum propriorum æqualium, quæ primæ, quod rarum eſt, vel ſecundæ claſſis, aut majorum per annum gradum obtinent, contingit unum præferri alteri, vel ratione dignitatis perſonæ, ſi nimirum fuerit Chriſti Domini, vel B. Mariæ, vel Angeli, vel Apoſtoli; vel quia propiori Titulo attingit, qua ratione Breviarium Ordinis Prædicatorum Sanctis Ordinis, & iis quorum habetur Corpus ſeu inſignis Reliquia, Veſperas integras præ aliis tribuit: vel denique, quia ex more pridem uſitato major eſt Chori celebritas in uno quàm in alio. In quibus omnibus habenda ſæpiùs ratio eſt uſus ac conſuetudinis locorum. His verò rationibus deficientibus ſtandum Rubricæ de dimidiandis inter æqualia Veſperis.

QUÆSTIO III.

Ut agendum concurrentibus de eodem Sancto feſtis propriis?

Veſperæ de digniori, omiſſa commemoratione minùs digni.

PUra die Natali, vel Octava ipſius, cum feſto Translationis, aut alio ſimili. Dubium non eſt, quin de digniori faciendæ ſint integræ Veſperæ. Eſt autem Duplex Semiduplici dignius, & Duplici minori Duplex majus, & quocunque alio Natale, Datis verò ſic uni Veſperis integris, de alio nullam fieri debere commemorationem probant ea quæ diximus *cap. 12. quæſt.* 8. Nec valet hic quod in pari caſu diximus de feſtis Chriſti Domini, & B. Mariæ, in iis enim recoluntur primò & per ſe myſteria ipſa, quæ inter ſe planè diverſa ſunt; at in Inventione ſeu Traslatione, aut ſimili alio feſto, Sanctus ipſe primò & per ſe recolitur, qui idem utrobique eſt.

TABELLA FESTORUM
Propriorum invicem concurrentium.

	Dies Octava.	Dies infra Octavam.	Semiduplex.	Duplex minus.	Duplex majus.	Duplex ſecundæ Claſſis.	Quodlibet aliud Duplex primæ Claſſis.	Patronus, ſeu Titulus Eccleſiæ.	Dedicatio propriæ Eccleſiæ.
Dedicatio propriæ Eccleſiæ,	1	5	1	1	1	1	1	4	0
Patronus, ſeu Titulus Eccleſiæ,	1	5	1	1	1	1	1	0	4
Quodlibet aliud Dupl. i. Claſſ.	1	5	1	1	1	1	3	2	2
Duplex ſecundæ Claſſis,	1	1	1	1	1	3	2	2	2
Duplex majus,	1	1	1	1	3	2	6	6	6
Duplex minus,	3	1	1	3	2	2	6	6	6
Semiduplex,	2	3	3	2	2	6	6	6	6
Dies infra Octavam,	2	4	3	2	2	6	6	6	6
Dies Octava,	3	1	1	3	2	2	6	6	6

1. *Veſpera tota de præcedenti, commemoratio ſequentis.*
2. *Veſpera tota de ſequenti, commemoratio præcedentis.*
3. *Veſpera à Capitulo de ſequenti, commemoratio præcedentis.*
4. *Veſpera de celebriori, commemoratio minùs celebris; vel certè dimidianda.*
5. *Veſpera de præcedenti, nihil de ſequenti.*
6. *Veſpera de ſequenti, nihil de præcedenti.*

SECTIO IV.

COmmemorationes, Translatio & Concurrentia, quæ Librum hunc occupavere hactenus, accidentia equidem ſunt; ſed quæ feſto ſic occurrenti, translato, aut concurrenti inhærent proximè: quæ verò de initiis Librorum Sacræ Scripturæ, Reſponſoriis hiſtoriarum aliiſque ejuſmodi transferendis examinanda reſtant, extrinſeca ſunt penitus, & remota ab ipſo feſto; quippe ab eo impedita ſuo die, alio deinceps reſumenda.

CAPUT XVI.

DE INITIIS LIBRORUM Sacræ Scripturæ transferendis, ſeu reſumendis.

INitia Librorum Scripturæ (qui ferè ſemper in Dominicis inchoantur) eo die ponuntur, quo notata ſunt, etiamſi fiat Officium de Sancto, niſi in feſto aliæ propriæ Lectiones Scripturæ, vel de Communi aſſignentur. Hæc Rubr. 26. de Lectionibus num. 6. Circa quæ, dubia aliquot ſolvenda ſeſe offerunt.

QUÆSTIO I.

Quorumnam Librorum Sacræ Scripturæ, & quibuſnam diebus poſita ſint initia?

ELenchum & ordinem, quo per anni curſum diſtributi ſunt in quotidianas ad Matutinum Lectiones Sacræ Scripturæ Libri, recenſet celebris Gelaſii Canon *Sancta Romana Eccleſia*, *diſt.* 15. quem & decem hiſce verſibus à nobis paululum emendatioribus redditis expreſſum habebant antiqua quædam Breviaria:

Septua fert Geneſim, ſed Paſſio Jeremiam dat,
Poſt Paſcha Actorum liber, & ventura revelantis,
Additur atque Jacobus, Petrus item, atque Joannes.
Poſt Pentecoſtem lege Reges: Hinc Salomonem
Auguſtus: Jobum, Tobiamque, & Judith, & Eſther
September: Machabæorum ambos inde revolvit
Plenius October: mox cum Daniele November
Suſcipit Ezechielem, biſſenoſque Minores.
Occupat Adventum quaſi præſens fatus Iſaias:
Poſtremus Natale ſubit Paulus, completque catenam.

Liber Geneſis ponitur in Septuageſima.

Catena verò ipſa tota ideò à Septuageſima inchoatur, quòd in Dominica ſic nuncupata ponatur initium Libri Geneſis, qui primus eſt omnium. Pentateuchum aſſignat præfatus Gelaſii Canon: hincque fortè eſt, quòd antiquum Pariſienſe Breviarium infra hebdomadam Septuageſimæ & Sexageſimæ duas primas Lectiones de libro Geneſis aſſumebat; tertiam verò de Libris Exodi, Levitici, Numeri & Deuteronomii, item Joſue, Judicum & Paralipomenon; infra hebdomadam verò Quinquageſimæ, de Libro Ruth: quem morem retinuit Breviarium S. Martini Turonenſ. recens, quoad Lectiones libri Judicum & Ruth, infra hebdomadas Sexageſimæ & Quinquageſimæ: Romanum verò præter Geneſis Librum nihil de toto Pentateucho habet, niſi Lectiones tres de Libro Exodi, in Dominica quarta Quadrageſimæ.

Uſus antiquus Pariſ.

Uſus S. Martini Turon.

Jeremias in Domin. Paſſionis.

Jeremias ponitur in Dominica Paſſionis, & de eo legitur tantùm in Dominica Palmarum ac Feriis tertia & quarta ſequentibus. Deinde in triduo Lamentationes ejuſdem.

Actus Apoſt. Apocalypſis & Epiſtolæ Catholicæ Tempore Paſchali.

Tempore Paſchali ponuntur Libri de Novo Teſtamento, videlicet Liber Actuum Apoſtolorum, Feria ſecunda poſt Dominicam in Albis. Apocalypſis, Dominica tertia poſt Paſcha. Epiſtola Catholica Jacobi, Dominica quarta. Epiſtola 1. Petri Dominica quinta. Secunda, poſtridie Aſcenſionis. Prima Joannis, Dominica infra Octavas Aſcenſionis. Feria quarta ſequenti, ſecunda, & Feria 6. tertia. Sabbato in Vigilia Pentecoſtes, Epiſtola Judæ. Olim Liber Apocalypſis poſitus erat poſtridie Dominicæ in Albis, Actuum verò infra Octavas Aſcenſionis.

Libri Regum poſt Pentecoſtem.

Poſtridie Octavæ Pentecoſtes, incipit Liber 1. Regum: Secundus, Dominica 5. Tertius, Dominica 7. Quartus, Dominica 9. poſt Pentecoſtem, & continuantur ſive omnes, ſive aliqui tantùm, donec adveniat Dominica 1. Auguſti. Canon Gelaſii annumerat quoque Libros Paralipomenon, ſed cùm eadem ſit ac Regum hiſtoria, horum viſa eſt Lectio ſufficere.

Libri Salomonis menſe Auguſto.

Auguſtum menſem quinque Salomonis Libri occupant, videlicet à Dominica prima Parabolæ, à ſecunda Liber Eccleſiaſtes, à tertia Liber Sapientiæ, à quarta Liber Eccleſiaſtici, & hic continuatur donec adveniat Dominica prima Septembris. Cantica verò Canticorum leguntur in feſto & per Octavas Aſſumptionis B. Mariæ. Dominica autem prima menſis in hoc & tribus ſequentibus menſibus appellatur ea, non quæ ſemper prima eſt in menſe, ſed quæ proximior eſt Calendis, ſive eas ſequatur, ſive antecedat, ſive in eas incidat, ex *Rubr.* 4. *de Dominicis num.* 7. quod per Literas Dominicales antiqua quædam Breviaria, nec non Senonenſe recens commodè ſatis exprimunt, mutato videlicet charactere Literarum, quæ tribus poſterioribus diebus exeuntis menſis affiguntur, ad indicandum videlicet, quòd quælibet illarum, cùm Dominicalis eſt, Dominicam primam menſis deſignat.

Dominica prima Auguſti & trium ſequentium menſium quæ proximior eſt Calendis.

Brev. Senon.

Liber Job poſitus in Dominica prima Septembris producitur uſque ad Dominicam tertiam. In tertia verò ponitur Tobias; in quarta Judith; in quinta Eſther, qui anticipatur Feria 5. hebdomadæ quartæ, quando ſunt tantùm quatuor Dominicæ. Librum Judith non recenſet Canon Gelaſii (niſi legeris juxta emendationem Ivonis:) Eſdram verò reponebat, quem tamen in nullo Breviario legi.

Libri Job, Tobiæ, Judith & Eſther menſe Septembri.

Primus Machabæorum Liber Dominicam primam Octobris obtinet. Secundus verò quartam. Sicut & primam Novembris, Ezechiel: tertiam Daniel. Ipſa autem Dominica tertia, fit ſecunda, quando ſunt tantùm Dominicæ quatuor Novembris. Duabus verò ultimis hebdomadibus ponuntur duodecim Prophetæ minores, hoc ordine. Priore Dominica Oſee, Fer. 3. Joel, Fer. 5. Amos, Fer. 6. Abdias, Sabbato Jonas. Poſteriore Dominica Michæas, Fer. 2. Nahum, Fer. 3. Habacuc, Fer. 4. Sophonias, Fer. 5. Aggæus, Fer. 6. Zacharias, Sabbato Malachias.

Libri duo Machab. menſe Octobri.

Novembri Ezechiel, Daniel, & Prophetæ minores.

Totum tempus Adventus meritò ſibi vendicat Iſaias, in ipſa Dominica prima incipiens. Paulus demum Apoſtolus, quidquid temporis intercurrit à Nativitate Domini, uſque ad Septuageſimam, partitis ſic ejus Epiſtolis. Ad Romanos Dominica infra Octavam Nativitatis. Prima ad Corinthios, Dominica prima poſt Epiphaniam. Secunda ad Corinthios, Dominica 2. Ad Galatas, Dominica tertia. Ad Epheſios, Fer. 4. ſequenti. Ad Philippenſes, Dominica quarta. Ad Coloſſenſes, Fer. 3. ſequenti; Feria verò 5. & Sabbato, prima & ſecunda ad Theſſalonicenſes. Prima ad Timotheum Dominica quinta, ſecunda verò Feria tertia ſequenti, Feria quinta ad Titum, Sabbato ad Philemonem. Denique ad Hebræos Dominica ſexta. Cùm autem non expletur numerus ille Dominicarum adveniente Septuageſima, quod ſupereſt de Epiſtolis Pauli eo anno omittitur, etiamſi de aliquibus nihil ſit lectum, *ex Rubr.* 26. *de Lectionibus, num.* 8.

Iſaias in Adventu.

A Nativit. uſque ad Septuag. Epiſtolæ Pauli.

Cæterum ordinis hujus, ſeu diſtributionis rationes afferre, cùm noſtri jam inſtituti non ſit, tum id præſtitit abundè Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 12. *numer.* 8. 9. & 10. relatis ſelectioribus ex Ruperto, Durando, & aliis, quibus addere potuiſſet quas refert Petrus de Natalibus in diviſione ſui operis Catalogi Sanctorum haud omnino ſpernendas.

Petrus de Natal.

QUÆSTIO II.

An prædictorum omnium Librorum initia, cùm ſuo die impediuntur, in alium transferenda ſint?

QUæ nunquam impediri contingit, ea utique nunquam opus eſt transferri. Ejuſmodi ſunt duo, videlicet initium Iſaiæ poſitum in Dominica prima Adventus, & initium Jeremiæ in Dominica Paſſionis; hæ enim Dominicæ cùm ſint primæ claſſis, nullique feſto occurrenti cedant, ſtant æquè in iis immota prædictorum Librorum initia. Cætera verò omnia, ſi die quo poſita ſunt impediantur Lectionibus propriis feſti occurrentis, omnino transferenda ſunt, ſeu reſumenda alia die ſequenti non impedita, *ex Rubr.* 26. *de Lectionibus num.* 6. Itidemque prædicta duo Iſaiæ & Jeremiæ initia, ſicubi fortè (quod tamen nefas eſt) ſuo die impediantur.

Initia Iſaiæ & Jeremiæ nunquam impediuntur.

Tan-

Digitized by Google

Gavantus omnes Epiſtolas Pauli, item Catholicas Petri & Joannis, pro uno libro computat.

Tantùm difficultas eſt de Epiſtolis B. Pauli poſt Nativitatem, quas omnes ſimul unum dumtaxat Librum conſtituere docet Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 12. *num.* 12. cujus Libri initium ſufficienter poſitum eſt per inchoationem primæ Epiſtolæ, nempe ad Romanos, adeò ut ſequentium Epiſtolarum initia, ſi diebus quibus poſita ſunt impediantur, non ſit opus reſumere. Idemque aſſerit pari jure de Epiſtolis Catholicis ſecunda Petri, ſecunda & tertia Joannis infra Octavam Aſcenſionis, *eadem ſect. cap.* 17. *num.* 3. videturque ſavere ejus opinioni textus *Rubr.* 26. *num.* 7. ubi receoſitis Epiſtolis Catholicis tempore Paſchali, & Prophetis minoribus menſe Novembri, quorum initia reſumenda ſunt, nihil ejuſmodi præſcribitur de Pauli Epiſtolis poſt Nativitatem, quod alinqui æquè fuerat inſerendum.

Refutatur Gavantus.

Ab hac nihilominus Gavanti opinione ut recedam, tum uſus, tum ratio ipſa cogit. Uſus quidem, ut patet ex annuis illis Ordinibus, quotquot ante annos 40. prodiere, in quibus dictarum Epiſtolarum initia ſuo die impedita, ut plurimùm in alio reſumenda vel anticipanda notantur. Ratio verò colligitur ex ipſomet Titulo, qui idem hiſce Epiſtolis præmittitur, atque aliis Librorum initiis, videlicet, *Incipit Epiſtola prima B. Pauli ad Corinthios. Incipit Epiſtola B. Pauli ad Galatas* &c. ubi vox *Incipit* perinde atque in aliis indicat eſſe initium Libri, de quo ſequentibus deinceps diebus legi, non poſito initio, æquè abſurdum eſt, atque de aliis.

Concil. Trid.

Nam quod ait Gavantus omnes illas Epiſtolas conſtituere Librum unicum, id ſi de unitate numerica intelligit, verum non eſt; numerantur enim à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 4. *in Decreto de Canonicis Scripturis*, quatuordecim Epiſtolæ Pauli, quæ ſanè tot eſſe non poſſunt, niſi ſingulæ ab aliis ſingulis diſtinctæ habeantur. Fortè quia ſunt ejuſdem authoris? At ſunt ejuſdem authoris Libri quinque Moyſis, ejuſdem item, nempe Salomonis, Proverbia, Eccleſiaſtes & Cantica Canticorum, Ejuſdem denique Lucæ Evangelium, & Actus Apoſtolorum; Apocalypſis & Evangelium Joannis, item ejuſdem Epiſtolæ; & tamen ii omnes pro diverſis Libris habentur.

Quòd ſi poſtremò arguas rationem Tituli eſſe eamdem, eſt eadem æquè Librorum 3. & 4. Regum, & 2. Machabæorum cum primo, quorum tamen omnium initia, cùm ſuis diebus impedita ſunt, Gavantus ipſe in ſuis tabulis, alio die reſumenda deſignat. Nihil itaque ſupereſt, unde unitas illa peti poſſit. Quod autem de Rubricæ ſilentio in objectione additum fuit, nonniſi negativum eſt argumentum, quod abſque expreſſa & poſitiva exceptione haudquaquam ſatis valet adverſus Rubricam generalem. Quare concludo prædictarum Epiſtolarum tam B. Pauli quam Canonicarum initia, perinde ac cætera alia eſſe reſumenda, quando impediuntur.

QUÆSTIO III.

An contingat alias item Lectiones de Scriptura, quæ initium Libri non ſunt, in aliam diem transferri?

Lectiones de Machabæorum reſumendæ, ſi ſuo die impediantur.

Contingit planè quoad Lectiones de Martyrio ſeptem Machabæorum, quæ in Dominica quinta Octobris, ac Feria 2. & 3. ſequentibus poſitæ, ſi fortè iis diebus, aut aliquo illorum non poſſunt legi propter proprias feſtorum occurrentium, *ex Rubrica propria* debent transferri in ſequentes Ferias. Similiter quando quatuor tantùm ſunt Dominicæ Octobris, anticipantur Feria quinta hebdomadæ quartæ, *ex eadem Rubrica*.

Eſt verò dubium, quod ne Gavantus quidem ipſe proponit, An ſimiliter reſumi debeant, occurrente Patrono ſeu Titulo aut Dedicatione Eccleſiæ, aut alio quocumque feſto primæ claſſis, impeditæ Lectiones Dominicarum, Sexageſimæ, Quinquageſimæ, ſecundæ, tertiæ, & quartæ Quadrageſimæ? Nam etſi initia non ſint Libri alicujus, ſed mera continuatio, continent tamen ſingulæ inſignes hiſtorias ab aliis penitus diſtinctas, propriiſque nominibus, Noemi videlicet, Abrahami, Jacobi, Joſephi & Moyſis nuncupatas; quodque ad rem facit maximè, non fortuitò, ſeu obvia currentis Libri ſerie, ſed cum delectu hiſce Dominicis privilegiatis addictas, ut pote eximias ex SS. Patrum interpretatione figuras, ac veluti præludia quædam myſteriorum Redemptionis noſtræ, cujus tum primordia recoluntur. Adde quòd duæ ſaltem priores Noemi & Abrahami continuantur in ſequentibus Feriis, quod niſi poſito initio, haud ſatis congruenter fieri à ſimili de aliis inferas.

Hiſtoria Noemi, Abrahami, Jacob, Joſeph & Moyſis, inſignes Chriſti figuræ.

His ſanè rationibus facilè adducor, ut ſentiam prædictas Lectiones, ſi ſuo die impediantur, in alium eſſe transferendas, maximè illas Dominicarum Sexageſimæ & Quinquageſimæ, necnon verò alias Dominicarum ſecundæ, tertiæ, & quartæ Quadrageſimæ, ſi infra illarum hebdomadas occurrat feſtum novem Lectionum, non habens proprias, vel de Communi aſſignatas.

Lectiones prædictarum hiſtoriarum reſumendæ, ſi ſuis Dominicis impediantur.

Dominicarum verò ſecundæ, tertiæ, & quartæ Adventus, ſi æquè impediantur, par non eſt ratio, eo quòd earum Lectiones non niſi mera ſint Libri Iſajæ continuatio. Itidemque de Dominica prima Quadrageſimæ (ſicubi feſto cedat, quod tamen nefas eſt, cùm ſit primæ claſſis,) ejus ſiquidem Lectiones non ſunt Scripturæ currentis, ſed ſelectæ ac propriæ.

Non reſumendæ Lectiones Dominicarum Adventus.

QUÆSTIO IV.

In quem diem transferri oporteat initia Librorum ſuo die impedita?

In ſequentem diem ſimiliter non impeditam, ait *Rubr.* 26. *de lect. num.* 6. Poteſt verò ſequens illa dies impediri tripliciter. Primò: Si in ea occurrat feſtum aliud, quod æquè habeat Lectiones de Scriptura vel proprias, vel de Communi aſſignatas; in quo caſu initium Libri erit adhuc ulteriùs remittendum donec occurrat dies libera. Secundò: Si in illa ſequenti die poſitum ſit itidem aliud Libri de Scriptura initium, nempe alicujus Epiſtolæ Catholicæ Tempore Paſchali, aut Prophetæ minoris menſe Novembri, aut denique Epiſtolæ B. Pauli, in hebdomadis 4. & 5. poſt Epiphaniam, & tum ſervandum quod habet *Rubr. cit. num.* 7. ut videlicet prædictum initium, quoad commodè fieri poterit, ponatur in ſequenti Feria, alio ſimili initio non impedita, alioquin in præcedenti ſimiliter item non impedita, ita ut aliquo modo ponatur, etiamſi plura initia eodem die poni oporteat, uti fit quotannis menſe Novembri, cujus rei tabulam facile eſſet condere, & condemus fortè aliàs. Tertiò denique ſequens dies impeditur, ſeu potiùs idonea non eſt ad recipiendum Scripturæ initium, quando Feria eſt habens Homiliam, purà Quadrageſimæ, vel Quatuor Temporum, vel Rogationum, vel Vigiliæ, in quibus omnibus, quando de iis fit Officium, nihil prorſus de Scriptura legitur.

Triplex impedimentum reſumendi initia Librorum ſequenti die.

At quæſtio eſt, An ſi in ejuſmodi Feriis, quibus nullæ de Scriptura Lectiones attributæ ſunt, occurrat feſtum 9. Lectionum, non habens proprias de Scriptura Lectiones, vel de Communi aſſignatas, & aliunde ſuperſit initium Libri alicujus de Scriptura ex Dominica præcedenti reponendum: An inquam ejuſmodi initium poni poſſit in prædicto feſto? Omnino poni debet ex Rubrica poſita

Reſumitur initium Libri in feſto occurrente Feria 3. Rogat. aut alia ſimili,

Digitized by Google

ſita in feſto SS. Cleti & Marcellini, cùm occurrit Feria ſecunda Rogationum. Quæ Rubrica extendenda eſt ad quemcumque caſum ſimilem: ſic legi debet initium Libri Tobiæ in feſto SS. Cornelii & Cypriani, occurrente Feria quarta Quatuor Temporum Septembris, ſi illud in præcedenti Dominica poſitum non fuit, ex Gavanto *ſect. 7. capit. 11. ad 16. Septembr.* Quin & extendi debet ad Lectiones illas Dominicarum 2. 3. & 4. Quadrageſimæ, quas ſuprà diximus æquè reſumendas ſi impediantur, atque ipſa initia. Itidem dicendum à fortiori de ipſo initio Jeremiæ, ſi ullibi fiat de feſto aliquo in Dominica Paſſionis, quod vix crediderim, nefaſque omnino eſt.

QUÆSTIO V.

Qua ratione prædictorum Librorum initia reſumantur?

Modus jungendi ſimul plures Lectiones.

QUo die reſumenda ſunt, vel fit Officium 9. Lectionum, vel trium. Si primum, tres Lectiones initii reſumendi ponuntur in primo Nocturno. Si ſecundum, & Officium fit de Feria, ſumuntur eædem tres Lectiones. Si verò Officium ſit de feſto Simplici, quod habeat duas Lectiones proprias, ponetur pro prima Lectione, quæ eſt prima initii, vel ſola, vel duabus quoque aliis cum ipſa in unam junctis: quòd ſi Simplex unam tantùm habuerit propriam: Prima erit quæ eſt prima initii. Secunda quæ eſt ſecunda, omiſſa tertia, vel juncta in unam cum ſecunda. Liberum quoque eſt, *ex Rubr. de Lectionibus num. 6.* Lectiones de eadem Scriptura aſſignatas diei illi, in quo initium reſumitur (non autem ullius alterius) cum ſuperioribus conjungere hoc modo: pro prima, Lectiones tres de ipſo initio, pro ſecunda duæ priores diei, pro tertia quæ ſupereſt tertia diei; aut ſi fuerit feſtum ſimplex duas habens Lectiones proprias, pro prima, Lectiones dictæ ſex in unam junctæ, vel ſi ſimplex unam tantùm habeat Lectionem, pro prima, tres de initio Libri, pro ſecunda, tres diei præſenti aſſignatæ. Fallor ſi plures fuerint qui hac libertate utantur, quam nec

Gavantus.

Gavantus ipſe approbat; nam *ſect. 6. cap. 21. numer. 11.* agens de Lectionibus Martyrii Machabæorum, juxta ordinem hiſtoriæ reſumendis, diſertè aſſerit, nunquam legendum ultra tres Lectiones in qualibet feria, ne Clerus gravetur, idque præſente ſeipſo fuiſſe ſancitum in recognitione Breviarii ſub Clemente VIII. Addit tamen, Qui voluerit uno eodemque die eas omnes novem (de Machabæis videlicet) unà ſimul legere, impeditis aliis diebus, legat arbitratu ſuo. Qua item ratione liberum eſt, cùm plures Prophetæ minores menſe Novembri una die reſumuntur, aut primam tantùm, aut tres ſimul in unam junctas legere. Rectè tamen monet idem Gavantus *ſect. 5. capit. 12. numer. 12.* nunquam duo initia Prophetarum in unam Lectionem eſſe compingenda. Item cùm per duas hebdomadas diſtributi ſint Prophetæ illi minores, cavendum ne ullus extra ſuam hebdomadam reſumatur.

Non ſemel ſimul jungendæ Lectiones duorum Prophetarum minorum.

Quod autem de hiſce initiis diximus, qua ratione ſint reſumenda, idem dictum puta de aliis Lectionibus hiſtoriarum notabilium, quas ſuprà *quæſt. 3.* aſſeruimus eſſe reſumendas cùm impediuntur.

QUÆSTIO VI.

An contingat interdum omitti Lectiones, quæ ſunt initia Librorum Sacræ Scripturæ?

Adveniente Septuageſima omittitur, quod ſupereſt de Epiſtolis Pauli.

DUplici ratione poteſt id contingere, ceſſatione vel impeditione. Et ceſſatione quidem omittuntur adveniente Dominica Septuageſimæ, quæcumque ſuperſunt de Epiſtolis B. Pauli, licèt una tantùm aut altera lectæ fuerint. Similiter adveniente Dominica prima Auguſti omittitur quidquid ſupereſt de Libris Regum. Taliſque adeò eſt inter hæcce duo proportio, ut quantum plus minuſve temporis tribuitur Lectionibus Epiſtolarum B. Pauli poſt Epiphaniam, tanto plus minuſve demátur Lectionibus de Libris Regum poſt Pentecoſtem; quippe quantum accedit ad Epiphaniam Septuageſima, tantum recedit à Pentecoſte Dominica prima Auguſti, & contrà tantum accedit ad Pentecoſtem Dominica prima Auguſti, quantum ab Epiphania recedit Septuageſima.

Item adveniente Dom. 1. Aug. quod ſupereſt de Libris Regum.

Monet verò hic Gavantus *ſect. 5. cap. 12. numer. 13.* novum, quod non ultro ego conceſſerim, nempe anticipato propter advenientem proxima Dominica Septuageſimam, Officio alicujus Dominicæ poſt Epiphaniam, per Homiliam & Orationem in Feria 3. aut alia propiori poſitam, in ſequentibus deinceps ejuſdem hebdomadæ diebus legi debere Epiſtolas B. Pauli quæ poſitæ ſunt in Dominica ſic anticipata. Exempli gratia, Occurrente Septuageſima die 27. Januarii, in Feria 4. præcedenti, nempe die 23. fiet anticipatio Dominicæ 3. poſt Epiph. adeòque ſequenti die quo fit de S. Timotheo, Lectiones 1. Nocturni erunt de Epiſt. ad Galatas ex primo Nocturno ejuſdem Domin. 3. & Sabbato, quo fit de S. Polycarpo, Lectiones tres de Feria 4. ſequenti. Ita Gavantus, qui & aſſerit in poſtrema recognitione id decretum fuiſſe. Verùm ſalvo ejuſmodi Decreto, quod nec in Rubricis nec alibi uſquam legi, non videtur id neceſſarium, tum quia nulla eſt connexio Officii harumce Dominicarum, quoad Homiliam, Antiphonas ad *Benedictus* & *Magnificat*, & Orationem, (quod utique propriiſſimum eſt Dominicæ Officium) cum Lectionibus & Reſponſoriis, quæ magis ſunt Temporis currentis, quàm Dominicæ, adeòque nulla inter hæc dependentia, ut unum neceſſariò ſequatur aliud: & verò id patet quoties eædem Dominicæ poſt Pentecoſtem reſumuntur: tum quia *ex citata ſæpiùs Rubrica de Lectionibus num. 8.* adveniente Dominica Septuageſimæ, quod ſupereſt de Epiſtolis B. Pauli eo anno omittitur, ergo ex ipſamet Rubrica nequaquam debet anticipari, nam ſic non omitteretur. Unde mirari ſatis non poſſum Gavantum qui tam pertinaciter defendit non eſſe reſumenda initia Epiſtolarum B. Pauli, etiam intra tempus quo ipſarum adhuc Lectio perſeverat, exiſtimare nihilominus eas poſtliminio eſſe revocandas, quas utpote extra metam poſitas, omitti debere Rubrica ipſa declarat.

Refutatur Gavanti opinio de reſumendis Lectionibus Dominicæ anticipatæ.

Poſtremò id exinde incommodi ſequitur, quòd nulla de cauſa diſcrepabunt aliqui à communi cæteris omnibus ratione Officii, ut patet in allato exemplo; nam ipſa die 23. Januarii, qua communiter fit de Dominica tertia anticipata, occurrat alicubi, (ut facilè poteſt) feſtum Duplex, vel Semiduplex, non fiet in ea Eccleſia niſi commemoratio dictæ Dominicæ, idque non ipſa die 23. quæ eſt Feria quarta, ſed Sabbato ſequenti in Officio S. Polycarpi, adeòque nec in die S. Timothei legentur cum aliis Lectiones de Epiſtola ad Galatas, ut vult Gavantus; nec in ipſo die S. Polycarpi de Epiſtola ad Epheſios, ſed quæ poſitæ ſunt pro iis Feriis de ſecunda ad Corinthios. At cui bono talis diſcrepantia? Dixi verò etiam in die S. Polycarpi non legendas Lectiones de Epiſtola ad Galatas, aut ad Epheſios, eò quòd nec ipſe Gavantus *Tabula ſexta, die 22. Januarii*, poſita commemoratione Dominicæ tertiæ poſt Epiph. haud idcirco ponat Lectiones primi Nocturni, de primo Nocturno ejuſdem Dominicæ, cùm tamen ejus agendi ratio id videatur exigere, nec obſit quòd nondum lecta ſit Homilia, cùm nec in ipſamet Dominica tum lecta ſit, cùm legitur in primo Nocturno Epiſtola ad Galatas.

Incommodum ex diſcrepantia Officii.

Impe-

Sic poteſt impediri initium Libri Eſther, ut penitus omittatur.

Impeditione, quæ altera ratio eſt omittendi initii Librorum Sacræ Scripturæ, contingere poteſt ut nullus ſit locus Libro Eſtheris, quando videlicet Septembri menſe quatuor duntaxat hebdomadas obtinente, occurrit intra poſtremum triduum quartæ hebdomadæ, ſive pridie S. Michaelis, ſive poſtridie S. Hieronymi, feſtum proprium habens Lectiones de Scriptura proprias, vel de Communi aſſignatas. Itidem ſub finem Novembris, ex occurſu feſtorum propriorum, qualem fingit Gavantus *ſect. 6. cap. 21. num. 13.* poteſt evenire, ut unus duo treſve Prophetæ minores omittantur. Parum verò referre ſubdit idem author, ſi in aliqua Eccleſia particulari non legatur de omnibus Prophetis eo anno. Quid ſi in iis caſibus loco Lectionum propriarum feſti, ponantur Lectiones de initio Libri alioquin omittendi? Id non incongruum fore indicat Rubrica poſita in feſto SS. Angelorum Cuſtodum de omittendis propriis eorum Lectionibus Scripturæ, pro ponendo Libro Eſtheris. Haud tamen id probarem in feſto Dedicationis aut Patroni Eccleſiæ, aliove iis pari.

Itidem omitti poſſunt aliqui Prophetæ minores.

CAPUT XVII.

DE TRANSFERENDA HISTORIA, ſeu Reſponſoriis primò poſitis.

Hiſtoriæ nomine appellari non tantùm Reſponſoria ſed & Antiphonas, cæteraque ad cantum pertinentia, jam obſervavimus alias, rationemque hujus appellationis attulimus, nempe quòd ex hiſtoria Myſterii, vel Sancti propria eruantur. Inter Reſponſoria verò ea ſpeciatim hiſtoriæ nomine appellantur, quæ ex Libris Scripturæ pro Lectionibus poſitis excerpta, iiſdem veluti Lectionibus affiguntur, ex quo fit ut poſito novo Libro, ponatur quoque nova hiſtoria, ſeu nova ſeries Reſponſoriorum; & de his jam nobis ſermo eſt, quatenus videlicet, ſi in die quo primum poſita ſuat dici non potuerint propter feſtum occurrens, reſumi debent in alio, *ex Rubr. 27. numer. 7.* perinde atque reſumendum diximus *capit. præcedenti* ipſum Libri initium, quod ſimiliter impeditur.

QUÆSTIO I.

Quarumnam Hiſtoriarum Reſponſoria reſumantur?

Hiſtoriæ diſpoſitæ per annum.

Earum inprimis quæ per Dominicas Temporis per annum diſtribuuntur, appellabanturque ſingulæ in antiquis Breviariis à primo vocabulo unde incipit primum cujuſque Reſponſorium, videlicet Hiſtoria *Domine ne* ex Pſalmis deſumpta, in Dominica ſecunda poſt Epiphaniam. Hiſtoria *Deus omnium,* ex libris Regum, in Dominica tertia poſt Pentecoſtem: nunc juxta Romanum hæc Hiſtoria dici debet *Præparate*. Hiſtoria *In principio*, ex libris Salomonis, in Dominica prima Auguſti. Hiſtoria *Si Bona*, ex libro Job, in Dominica prima Septembris. Hiſtoria *Peto*, ex libro Tobiæ, in Dominica tertia Septembris. Hiſtoria *Adonai*, ex libro Judith, pro Dominica quarta Septembris. Hiſtoria *Domine mi Rex*, ex libro Eſther, pro Dominica quinta Septembris: hæc deerat in pleriſque antiquis Breviariis. Hiſtoria *Adaperiat*, ex libris Machabæorum, in Dominica prima Octobris; & Hiſtoria *Vidi Dominum*, ex Prophetis, pro Dominica prima Novembris. Sunt & duæ Hiſtoriæ Temporis Paſchalis, videlicet Hiſtoria *Dignus es*, ex libro Apocal. in Dominica tertia poſt Paſcha, & Hiſtoria *Si oblitus*, ex Pſalmis, in Dominica quarta.

QUÆSTIO II.

Sintne & aliarum Hiſtoriarum Reſponſoria reſumenda?

Hiſtoria In principio creavit reſumenda, quando impeditur Dominica Septuageſimæ.

Reſumenda omnino ſunt Reſponſoria ex libro Geneſis poſita in Dominica Septuageſimæ, quando ea Dominica impeditur feſto primæ claſſis. Itidem Reſponſoria ex Hiſtoria Iſaiæ poſita in Dominica prima Adventus, & Reſponſoria de Paſſione poſita in Dominica Paſſionis, ſi alicubi de aliquo feſto in iis Dominicis fiat, quod nefas omnino eſt.

Reſumenda item Reſponſoria quæ primò ponuntur in quacunque Dominica.

At dubium eſſe poteſt de Reſponſoriis Dominicarum 2. 3. & 4. Adventus, item Feriæ 4. Quatuor Temporum, quorum primum incipit *Clama*, propterea quòd videntur omnia pertinere ad hiſtoriam Iſaiæ Prophetæ, aut certè myſterium Adventus Domini, ideòque haud eſſe nova hiſtoria. Item de Reſponſoriis Dominicarum Sexageſimæ, Quinquageſimæ, 2. 3. & 4. Quadrageſimæ, propterea quòd ex eodem libro Geneſis deſumuntur, aut ſi ax Exodi, non ex libro novo. Exiſtimo nihilominus prædicta omnia Reſponſoria habenda inſtar novarum hiſtoriarum, adeòque ſi impediantur eſſe reſumenda; eò vel maximè, quòd etſi ex eodem Libro excerpta ad eamdem hiſtoriam pertineant, ſingula tamen illorum in Dominicis quæque ſuis primò ponuntur, adeòque ſervanda in iis æquè ac in aliis præfata Rubrica; *Si Reſponſoria primi Nocturni ejus Dominicæ, in qua primo ponuntur, propter feſtum Duplex in ea occurrens poni non poſſint, ponantur prima die ejus hebdomadæ, in qua occurrit fieri de Feria.* Ubi illud, *primò ponuntur*, non ſic accipiendum, quaſi ſecundò, hoc eſt in alia Dominica poni debeant; ſed *primò*, id eſt, quæ non antea, ſed de novo in tali Dominica ponantur. Adde quòd perinde judicandum videtur de iis Reſponſoriis, atque de Lectionibus ipſis; ſed Lectiones ipſas, ſaltem quæ hiſtoriarum ſunt Noemi, Abrahami & aliarum, ſi impediantur, reſumendas diximus *cap. præcedenti quæſt.* 3. ergo & Reſponſoria. Favet denique pro Reſponſoriis Feriæ quartæ Quatuor Temporum Adventus, quòd apud Micrologum & in pleriſque antiquis Breviariis expreſsè nuncupetur hiſtoria *Clama*. De Reſponſoriis Dominicæ primæ Quadrageſimæ, ſi quæras an ſint etiam reſumenda, ſi, quod nefas eſt, Dominica ipſa feſto occupetur? Reſpondeo, repeti quidem ipſa per hebdomadam, ſed propriè non eſſe hiſtoriam, cùm non ex certo libro, ſed ex ſelectis de jejunio Scripturæ locis excerpta ſint.

Hiſtoria Clama. Micrologus.

QUÆSTIO III.

Quænam cujuslibet Hiſtoriæ Reſponſoria ſint reſumenda cùm impediuntur?

Deſignat expreſsè Rubrica cit. tria primi Nocturni, ſunt enim illa Hiſtoriæ principium, quæ proinde ante alia poni æquum eſt, perinde atque in Lectionibus initium Libri ponitur ante alias ejuſdem Libri Lectiones. Tempore Paſchali duo ſufficiunt, quia non dicitur tertium. Imò ſi caſus contingeret, in quo unum duntaxat diceretur Reſponſorium, primum ſufficeret; unde in Breviario Monaſtico, hacce Rubrica de Reſponſoriis num. 6. habetur, quòd ad imponendam novam hiſtoriam ſufficit primum illius Reſponſorium, dicendum poſt 12. Lectionem de Homilia Dominicæ feſto impeditæ. Juxtaque hanc regulam poſſet quis dicere Reſponſorium *Vidi Dominum*, poſitum in feſto Omnium Sanctorum occurrente in Dominica, ſufficere pro initio Hiſtoriæ menſis Novembris, niſi fortè quis reſpondeat, non

Brev. Monaſtic.

poni

Fer. 4. Quatuor Temporum Adventus ulu generali nunquam feſto impeditur.

poni ſic qua initium eſt Hiſtoriæ, ſed qua eſt primum feſti Omnium Sanctorum.

In Hiſtoria *Clama*, tria Feriæ quartæ Quatuor Temporum Adventus ſunt priora, & aliis ſequentium Feriarum præponenda. Sed hac obſervatione minimè eſt opus quoad uſum generalem, cùm nullo unquam feſto Feria hæc impediatur: neque enim in illam incidere poſſunt, aut feſtum S. Luciæ, aut feſtum S. Thomæ, inter quæ duo feſta nullum aliud in Calendario Duplex, aut Semiduplex deſcriptum habetur.

Reſponſoria certæ diei affixa non reſumuntur.

Reſponſorium primum Dominicæ primæ Adventus, *Aſpiciens à longe*, & Reſponſorium item primæ Dominicæ Paſſionis, *Iſti ſunt dies*, in nullo caſu reſumuntur, quia ſunt diebus illis affixa.

QUÆSTIO IV.

Qua die ſint reſumenda prædicta Reſponſoria?

QUa primùm ab illa Dominica continget fieri de Feria, ſive in ipſamet hebdomada, ſive in alia ſequenti, ubi Hiſtoria per plures hebdomadas excurrit, omiſſis aliis Reſponſoriis de eadem Hiſtoria, quæ fortè in illa Feria propria haberentur. Ita *Rubr. cit. de Reſponſoriis*. Bene autem monet Gavantus *ſect. 5. cap. 13. num.* 8. Reſponſoria de Tobia, ſi in Dominica ac Feriis ſecunda & tertia poni non poſſunt, ponenda quidem Feria quarta; ſed Feria quinta ſequenti, ne eadem immediatè repetantur, poſſe dici Reſponſoria ſecundi Nocturni; idemque non improbaverim in alio ſimili caſu, ſi contigerit.

Caſus particularis de Reſp. Tobiæ.

QUÆSTIO V.

An contingat aliquando ejuſmodi Reſponſoria, ſeu Hiſtoriam omitti penitus?

Uſu antiquo feſta transferebantur è Dominica ob Hiſtoriam ponendam.

TAnta erat veterum Breviariorum hac in parte religio, ut Dominicas, in quibus ponenda eſſet nova Hiſtoria, perinde haberent, atque Dominicas Adventus & Quadrageſimæ, translatis videlicet feſtis, quæ in iis occurrebant, ut de feſto S. Matthæi obſervat Radulphus *propoſ.* 16. ad finem. Quin & Breviarium ipſum Romanum ante recognitionem Clementis VIII. præcipiebat Officium fieri de Feria, ſuppreſſo feſto ſimplici, vel Officio B. Mariæ in Sabbato, potiùs quàm Hiſtoria Eſther aliave ſimilis omitteretur. At viſum eſt poſtmodum tanti non eſſe Reſponſoria ejuſmodi, ut pro iis ponendis ordo Officiorum intervertatur, adeòque ſi nullus dies occurrat ferialis intra tempus Hiſtoriæ ad quam pertinet præſtitutum, eo anno omittenda edicit Rubrica cit. Excipienda dumtaxat Reſponſoria Hiſtoriæ *Domine ne in ira*, quando poſt Octavam Epiphaniæ occurrit ſtatim Septuageſima, ut dicetur aliàs.

Radulphus.

CAPUT XVIII.

DE ANTIPHONIS CÆTERISQUE per annum in Officio variandis ob concurſum Feſtorum propriorum.

COlligimus in unum hocce Capite, quæ nec ad ſuperiora facilè revocari potuerunt, nec verò integrum ſatis ſingula ipſa per ſe conflare valent; quædam videlicet Antiphonas privilegiatas, aliaque ſparſim per annum variis temporibus interjecta, quæ vel reſumi, vel alio ſe modo habere neceſſe eſt, propter Feſta propria, quæ in ſingulis Eccleſiis ſeu locis occurrunt. Ac licèt potuiſſent quæſtiones hæ rejici in tomum alterum, in quo ſervato menſium ac dierum anni ordine, quidquid in ſingulis feſtis accidere poteſt, ſeorſim evolvetur, ne quid tamen deeſſet generalibus præceptis hocce tomo traditis, etiam pauca de iſtis mihi viſa ſunt hìc delibanda.

QUÆSTIO I.

An & qua die reſumendæ ſint Antiphonæ Laudum Dominicarum Adventus, quando occurrente feſto impediuntur?

Gavantus. Cæremoniale Monaſticum.

ASſerit Gavantus de Antiphonis Laudum Dominicæ quartæ, *ſect. 7. cap. 2. ad* 20. & 21. *diem Decembris*, & cum eo Cæremoniale Monaſticum *libr. 4. cap. 2. num.* 11. nimirum ubi contingit feſtum S. Thomæ eſſe primæ claſſis, & celebrari Dominicâ quarta Adventus, Antiphonas Laudum hujus Dominicæ dici debere in Sabbato præcedenti, cum Antiphona *Expectetur*, loco quartæ. Nulla id quidem Rubrica disertè præcipit, verùm id opportunè omnino infertur, tum ex verbis illis Rubricæ propriæ de Antiphonis Laudum pro ſex diebus ante Vigiliam Nativitatis, *Quæ autem dicendæ eſſent in die quo occurrit feſtum S. Thomæ &c.* tum à ſimili, quando videlicet Vigilia Nativitatis incidit in eamdem Dominicam; tum denique ex eo quòd alioqui deeſſent Antiphonæ ad Laudes, vel pro Sabbato præcedenti, vel pro Feria ſecunda ſequenti, cùm in alterutro die poni debeant Antiphonæ Feriæ ſecundæ *Ecce veniet*, nec aliæ adſint pro altero. Hoc autem omnino eſſet abſurdum, ut inchoatis jam inde à Feria quarta Antiphonis Laudum propriis, una dies intermedia iis careret.

Antiphonæ Laudum Domin. 4. Adventus reſumendæ ſi impediantur.

Sed an valet quoque illud pro quocumque alio feſto primæ claſſis in eam Dominicam incidente? Valet ſi mihi credatur, non equidem vi primæ & tertiæ ex allatis rationibus, quippe quæ extra caſum S. Thomæ deficiunt, ſed vi ſecundæ: Cur enim eo in caſu, in quo Vigilia Nativitatis incidit in hanc Dominicam, Antiphonæ Laudum illius ex citata Rubr. in Sabbato anticipantur, omiſſis Antiphonis Sabbati, niſi quia Antiphonæ illæ cùm Dominicales ſint, haud dubiè præferendæ ſunt Ferialibus? Atqui militat æquè eadem ratio pro eo caſu in quo Dominica iſta feſto alio ſimiliter impeditur, cùm nec ſic Antiphonæ prædictæ in ea poni poſſint.

Aliarum Dominicarum Adventus minimè reſumendæ.

Idemne verò tandem etiam argues de Antiphonis ad Laudes Dominicarum præcedentium, ſi æquè feſto primæ claſſis impediantur? Tacent hìc Rubricæ, tacet ipſe Gavantus. Loquerer ego, diceremque non incongruè reponendas ejuſmodi Antiphonas, vel in præcedenti Sabbato, aut eo impedito, Feria ſexta, aliave proximè non impedita, vel in ſequenti Feria ſecunda, aut ea impedita, Feria itidem tertia, niſi me duo triave incommoda ab ea opinione dimoverent. Alterum quòd inuſitatum ſit, ut Feriis ullis præterquam ſex ante feſtum Nativitatis Domini, & ſex ante feſtum Paſchæ tribuantur Antiphonæ aliæ quàm Pſalteriales; neque verò ſatis id conſonum fore videtur ſi Feria aliis ſimilibus inſerta id non obtineat, etiam ex accidenti. Alterum, quòd cùm Feſtum ſic impediens Dominicam plerumque habeat Octavam, non poſſunt proinde Antiphonæ illæ in ſequentes Ferias rejici, præcedentes verò vix occurrunt à feſtis aliis liberæ, ſicque metuenda eſſet nimia confuſio, quam ſatius eſt vitare, maximè cùm parum referat, quod de minoribus Prophetis dixit Gavantus, Antiphonas illas in Eccleſia aliqua particulari omitti. Illud denique maximè incommodum eſt, quòd inter Antiphonas illas, quæ eſt quarta pro Cantico *Benedicite omnia opera*, nullo modo quadrat Ferialibus Canticis; hoc autem attendi

omnino

Digitized by Google

omnino debere colligitur ex Antiphona *Expectetur*, quæ in caſu præfato Dominicæ quartæ, ponitur loco Antiphonæ *Dominus veniet*. At in caſu aliarum Dominicarum nulla ſuppetit alia Antiphona quarto loco reponenda.

QUÆSTIO II.

Quid ſtatuendum de Antiphonis Laudum, ſex Feriarum ante Vigiliam Nativitatis, ſi aquè feſto impediantur?

[Satius eſt non reſumi.] REfert Gavantus *ſect. 6. cap. 2. num. 7.* conceſſiſſe Hiſpanis Gregorium XIII. ut anticipent prædictas Antiphonas in die 16. Decembris, quia die 18. celebrant feſtum Expectationis B. Mariæ. At privilegium id eſt, quod ad ſimiles caſus ſine concedentis venia minimè extenditur.

Erit quoque qui reſumendas ejuſmodi Antiphonas inde arguat, quòd ex Rubrica cit. quæ dicendæ eſſent quotannis in die quo occurrit feſtum S. Thomæ, dicantur in Sabbato: quidni igitur & aliæ ſimiliter impeditæ alia itidem die reponendæ erunt? Verùm par non eſt ratio, quòd enim in Sabbato dicantur, quæ dicendæ eſſent in die quo occurrit feſtum S. Thomæ, id fit quia nullæ pro Sabbato poſitæ ſunt, niſi quarta *Expectetur*: ideò autem nullæ pro Sabbato poſitæ ſunt, quia cùm feſtum S. Thomæ in unam ſemper ex illis ſex Feriis incidat, ſatis fuit pro Sabbato aſſignare illas quæ diei ſunt in quo occurrit feſtum S. Thomæ; nihil verò ſimile contingit in aliis feſtis. Fuit quidem veterum Breviariorum in reſumendis ejuſmodi Antiphonis ſumma religio, eòque conſtructæ erant quædam Tabulæ, *per ſeptem Adventus*, ut [Tabulæ per ſeptem Adventus, Radulphus.] loquitur Radulphus mentionem de iis faciens *propoſ.* 16. juxta quas anticipabantur ex illis Antiphonis quæ ſuo poſtea die non erant dicendæ; idque accuratè præ aliis digeſtum obſervavi in an- [Brev. Turon.] tiquo Turonenſi ob feſtum S. Gatiani Patroni occurrentis *die* 18. *Decembr.* At enim nec ea agendi ratio multis ambagibus eximatur, præſtare exiſtimo, ut quæ illarum ſuo die propter feſtum occurrens dici non poterunt, illo anno omittantur; quod parum refert quoad aliquam Eccleſiam particularem, uti in pari caſu de Dominicalibus diximus.

Si qui tamen Antiphonas illas anticipare maluerint, (quod haud videtur improbare Gavantus cit. *num.* 8.) id ſaltem cautè ex eodem Gavanto advertant, ut quarta ſemper aſſumatur, quæ Cantico Feriæ ſit conformis.

QUÆSTIO III.

Quid de Antiphonis majoribus O, aliiſque privilegiatis, ſi itidem impediantur?

NIhil in his unquam mutandum occurrit, ſumuntur enim in feſtis occurrentibus pro commemoratione Adventus, iis diebus quibus aſſignantur, nempe ad Magnificat die 17. Decembris, *O ſapientia*, die 18. *O Adonaï &c.* die 21. ad Benedictus, *Nolite timere*, die 23. *Ecce completa*. Sunt tria tantùm ex diverſis uſibus hìc explicanda.

[Uſus ſubdendi Magnificat ad Antiphonam O, pro Comm. Adventus. Uſus Andegav.] Primum: In more eſſe apud aliquas Eccleſias ut cùm pro commemoratione Adventus ponitur Antiphona O, ſubdatur demum Canticum *Magnificat*, cum repetitione Antiphonæ. Ita uſus Andegavenſis, qui cùm proprius ſit ac legitimus, haud planè videtur illaudabilis, imò retinendus etiam in Eccleſiis Romanum ſequentibus, ſi quæ à recepto pridem, hactenus non deſtiterint, ex dictis de conſuetudine. Ne verò ullibi de novo inducatur, multis verbis opus non eſt ut ſuadeam.

[Antiphonæ O plures quàm ſeptem in nonnullis uſibus.] Secundum: Antiphonam *O ſapientia*, nonnulli uſus inchoant die 16. Decembris, adduntque ſeptem aliis Octavam *O Virgo Virginum*. Alii alteram inſuper pro die S. Thomæ *O Thoma Didyme*. Sed hæc à Romano uſu ſunt aliena, imò & à myſtico ſeptem illarum Antiphonarum ſenſu, quem refert ex Durando & aliis Gavantus *ſect. 6. cap. 2. num. 3. & 4.* [Gavantus.]

[Omiſſio precum Ferialium in Veſperis quando dicuntur Antiphonæ O.] Tertium: Omnes ferè uſus Galliæ proprii, etiam recens reformati, excludunt preces Feriales ab iis Veſperis, in quibus cantantur Antiphonæ majores OO. eò quia, ut reor, adhibetur ſolemnitas in Choro, quæ non ſatis quadrat cum precibus ferialibus. Verùm nihil hoc ad privatam recitationem attinet, nihil ad publicam ubi talis deeſt ſolemnitas, nihil univerſim ad Romanum uſum, juxta quem omitti non debent preces ejuſmodi, quantacunque adhibeatur ſolemnitas.

QUÆSTIO IV.

Quænam ex tribus Miſſis Nativitatis Domini dicenda ab eo qui unam tantùm eſt celebraturus?

VEl prima, inquit Gavantus *part. 4. tit. 3. numer. 6.* vel tertia, & hæc potiùs quàm illa, quippe cujus Oratio cum Officio concordat. A media tamen nocte ad auroram, poſſe æquè opportunè primam aſſumi haud abnuo, cum Ceremon. Monaſtic. *libr. 4. cap. 3. num.* 21.

QUÆSTIO V.

An Antiphonæ Tecum principium, *cum Pſalmis Veſperarum diei Nativitatis, dici debeant in Veſperis cujuſcumque feſti infra Octavam occurrentis?*

DEbent, Rubrica propria & uſu communi ſic ſtatuente. At dubium eſt, an etiam in ſecundis Veſperis S. Silveſtri, aut alterius cujuſvis Patroni ſeu Dedicationis Eccleſiæ, ultima die Decembris occurrentis? Negat Gavantus *ſect. 6. capit. 6. num. 9.* & ex eo Ceremon. Monaſtic. ea ratione, quòd, inquiunt, terminatæ fuerint pridie in primis Veſperis Antiphonæ illæ, adeòque ſumendas eſſe in ſecundis Veſperis Antiphonas cum Pſalmis de Communi. [Gavantus.] At unde habetur terminatas fuiſſe pridie illas Antiphonas, niſi quia hacce die Veſperæ fiunt de ſequenti feſto Circumciſionis, quod proprias habet Antiphonas & Pſalmos? Sed poſito quòd Veſperæ hacce die non ſint de Circumciſione, annon ſemper continuatur in Octava Nativitatis, adeòque locum habet Rubrica de iſtis Antiphonis & Pſalmis poſita in ſecundis Veſperis S. Stephani, *Et dicuntur etiam in aliis feſtis infra hanc Octavam occurrentibus*? [Antiphonæ *Tecum principium*, dicendæ pridie Circumciſionis, ſi Veſperæ ſint de feſto ea die occurrente.]

Et verò ſi idem fieret Officium in Circumciſione ſeu Octava Nativitatis, quod fit in die, annon ſtante præfata Rubrica ut eſt, dicerentur in caſu propoſito prædictæ Antiphonæ? Certè nihil eis ſui juris adimit Officium proprium Circumciſionis: ſed nec ipſa quidquam adimit celebritas feſti proprii, in cujus gratiam haud vult Gavantus prædictas Antiphonas deſeri, ſed ideò tantùm quia pridie ceſſaſſe ſupponit. Non itaque placet iſta Gavanti reſolutio, imò eò firmiùs aſſero dicendas in tali caſu Antiphonas *Tecum principium &c.* quò fuit olim in multis Eccleſiis, & eſt etiamnum in aliquibus uſitatum, ut Antiphonæ illæ cum ſuis Pſalmis, uſque ad Octavam Epiphaniæ in quibuſcunque feſtis occurrentibus impenderentur.

Digitized by Google

QUÆSTIO VI.

Quo die facienda commemoratio Dominicæ infra Octavas Nativitatis?

Uſus Biturienſ.

CONtingit in aliquibus Eccleſiis, ut tota Octava Nativitatis Domini impedita ſit feſtis Duplicibus, putà Biturigibus, ubi 29. *Decembris*, occurrit feſtum S. Urſini, & 30. fit de S. Thoma Cantuarienſi duplex. Quonam igitur die ibidem faciendum erit de Dominica infra Octavas? Ratio dubitandi eſt, quòd cùm nullus ſit unquam locus de ea faciendi Officium, videtur quòd poſſit æquè commodè imò congruentiùs ejus commemoratio fieri die ipſa quæ verè Dominica eſt, quàm quavis alia ſuper hebdomadam. Excipe ſi placet diem ipſum Nativitatis, in quo abſurdum eſſet prædictam commemorationem inducere. Inducit equidem reliquis diebus uſus Breviarii Bituric. ſed rectiùs omnino Gavantus ait *ſect. 6. cap. 6. numer.* 10. eodem die faciendam ejuſmodi commemorationem, quo univerſalis Eccleſia facit de eadem Dominica Officium vel commemorationem. Nunquam autem facit in diebus S. Stephani, S. Joannis, & SS. Innocentium, etiamſi in Dominicam incidant. Sunt enim illi dies Natalis Domini veluti comites & aſſeclæ, eodem jure quoad excluſionem Dominicarum cum illo potientes, tum ratione myſterii, quod aliàs attigimus, tum ad conſonantiorem Officiorum ordinationem: unde Dominica in quam incidunt, ſolet inſcribi, *Dominica vacat*, cujus Officium in eo caſu ſemper reſumitur *die* 30. *Decembris*, inter feſta S. Thomæ & S. Silveſtri. Quocunque verò ex aliis tribus diebus, nempe 29. 30. & 31. *Decembris*, evenerit, fit de ea ubique, ſive Officium, ſive commemoratio.

Commemoratio hujus Dominicæ eo die facienda, quo de ea fit Officium ſeu eadem commemoratio in univerſa Eccleſia.

QUÆSTIO VII.

An Homilia & Miſſa poſita pro die infra Octavam Nativitatis habeant alicubi locum extra diem Sabbati?

QUibus annis Litera Dominicalis eſt A, occurrit feſtum S. Silveſtri in Dominica, in eaque fit 9. Lectio de Homilia & commemoratio Dominicæ quæ dicitur infra Octavas Nativitatis; unde Sabbato præcedenti, cùm nullum occurrat feſtum, fit Officium de Octava Nativitatis, pro quo poſita eſt in Breviario Homilia in Evangelium *Paſtores loquebantur*, & Miſſa in Miſſali: At nunquamne poſſunt eſſe uſui aliàs prædicta Homilia & Miſſa? Poſſunt, ubi nimirum feſtum S. Thomæ Cantuar. fit Duplex: ibi enim quando occurrit in Dominica, non transfertur; ſed fit de eo, cum nona Lectione de Homilia, & commemoratione Dominicæ, adeòque ſequenti Feria ſecunda, cùm feſto vacua ſit, ſupereſt ut fiat Officium de Octava Nativitatis, in qua ſumentur prædicta Homilia & Miſſa.

Ubi feſtum S. Thomæ fit in Dominica, poſtridie fit de Octava Nativitatis.

QUÆSTIO VIII.

Quæ Lectiones primi Nocturni, tribuendæ feſto proprio occurrenti in ultimo triduo Decembris?

SI tale eſt feſtum, cui debeantur Lectiones de Communi, aut propriæ aſſignentur, eæ omnino dicendæ erunt. Si verò id non exigat, die quidem 30. *aut* 29. (ſi fuerit Dominica) ſumendæ erunt Lectiones primi Nocturni Dominicæ infra Octavam Nativitatis, nimirum initium Epiſtolæ B. Pauli ad Romanos, & *die* 31. Lectiones primi Nocturni de eadem Epiſtola poſitæ in feſto S. Silveſtri. At *die* 29. extra Dominicam ſumendæ erunt de Communi, eò quòd nondum inchoata B. Pauli Epiſtola deſint de Scriptura occurrente.

QUÆSTIO IX.

An contingat initium Epiſtolæ ad Romanos, poni extra Dominicam infra Octavam Nativitatis?

Tres caſus notabiles.

TRifariam poteſt id accidere. 1. Si occurrat feſtum proprium *die* 30. *Decembris*, cui debeantur Lectiones primi Nocturni propriæ, ſeu de Communi aſſignatæ: 2. Si duo ejuſmodi feſta occurrant 29. & 30. 3. Si duo item 30. & 31.

In primo caſu Lectiones de prædicto initio ponuntur in die S. Silveſtri, omiſſis, vel ſimul junctis iis quæ pro illo die poſitæ ſunt. Si tamen dies 29. fuerit Dominica, non opus erit ea tranſlatione, quia nimirum Lectiones illæ tum poſitæ fuerunt in ipſa Dominica.

In ſecundo caſu prædictum initium ſemper ponitur die S. Silveſtri, cùm nullo modo aliter poni poſſit.

In tertio denique, ponendum ſemper erit die 29. quod quidem citra dubium eſt, quando ea dies fuerit Dominica; aliàs verò, quando Officium eſt de S. Thoma Cantuar. fieri quoque itidem debere hinc arguo, quòd alius modus non ſuperſit ponendi prædictum initium. Cùm enim Lectiones primi Nocturni diei Circumciſionis ſint de eadem Epiſtola currente, ſic tamen ut pertineant quoque ad ipſum myſterium Circumciſionis, neque omitti penitus debent, ut legantur tres de initio, neque item jungi cum iſtis par eſt ob diei ſolemnitatem. Reſtat igitur ut anticipetur initium die S. Thomæ, loco Lectionum *A Mileto*, quæ ipſi ob id tantùm tributæ videntur, quòd deſint ea die de Scriptura occurrente: unde ſi adſint (ut in caſu propoſito verè adſunt) eas dici debere nemo juris hujus conſultus inficiabitur. Imò etſi propriiſſimæ eſſent S. Thomæ, earum tamen loco reponi debere prædictum initium Epiſtolæ ad Romanos, rectè omnino infertur à pari de initio libri Eſther, cui ex Rubrica expreſſa, cedunt Lectiones primi Nocturni propriæ Officii SS. Angelorum Cuſtodum. Quod autem dixi Lectiones *A Mileto*, ideò tributas S. Thomæ, quòd deſint de Scriptura occurrente, idipſum efficit, ut quibus in locis ipſum S. Thomæ feſtum transferri contingit poſt Octavam Epiphaniæ, non exiſtimem improbabile eas tum legi non debere, ſed alias quæ ea die occurrunt de Epiſtolis B. Pauli.

Lectiones diei Circumciſionis ita ſunt de Scriptura occurrente, ut ſint nihilominus propriæ feſti.

Translato feſto S. Thomæ Cantuar. rectiùs ponantur in eo Lectiones de Scriptura occurrente.

Cæterùm caſum de tribus feſtis propriis triduo illo occurrentibus, non propoſui, ratus nihil ejuſmodi ullibi contingere; ſi tamen contingat, ſentio ex dictis ponendum itidem in aliquo illorum prædictum initium Epiſtolæ B. Pauli, omiſſis aliis Lectionibus ſive propriis ſive de Communi aſſignatis.

QUÆSTIO X.

Quæ Præfatio dicenda in Miſſa feſti proprii occurrentis in die Octava S. Joannis Evangeliſtæ?

Dicenda Præfatio Apoſtolorum.

AN Apoſtolorum? An de Nativitate? Soluta jam fuit quæſtio hæc *lib.* 3. *cap.* 28. *quæſt.* 5. ſed cùm in annuis Ordinibus editis Pariſiis ſæpiùs aſſignatam legerim in feſto S. Genovefæ, Præfationem *Quia per incarnati*, juvat explorare quo argumento nitatur hæc aſſignatio. Exiſtimatum fuit ut reor Octavæ S. Joannis eatenus tantùm deberi Præfationem Apoſtolorum, quatenus de ea fit Officium; idque infertur ex die præcedenti, in quo cùm fiat de Octava S. Stephani, Præfatio dicitur de Nativitate, non autem de Apoſtolis.

Digitized by Google

ſtolis, licèt hanc præ illa, commemoratio ipſa Octavæ S. Joannis videtetur exigere. At ſciant qui ſic ratiocinantur, patem non eſſe rationem diei Octavæ, & diei infra Octavam, huic ſiquidem alia tribuenda non eſt Præfatio, quàm quæ in die feſto adhibita eſt, atqui in die S. Joannis adhibita eſt Præfatio de Nativitata, ergo & eamdem adhiberi convenit in die infra Octavam: Diei autem Octavæ expreſsè tribuitur Præfatio Apoſtolorum. Adde quòd Præfatio de Nativitate, cùm per extenſionem dumtaxat continuetur uſque ad Epiphaniam, non debet talis extenſio prævalere contra Præfationem aliam propriam, qualis eſt Præfatio Apoſtolorum pro die Octava S. Joannis.

QUÆSTIO XI.

An Dominica infra Octavas Epiphaniæ anticipetur aliquando ultra Sabbatum?

SUpponit caſus iſte diem Octavam Epiphaniæ incidere in Dominicam, cujus proinde Officium ex Rubrica propria anticipari debet Sabbato præcedenti. Jam verò occurrat in ipſo Sabbato feſtum Patroni, ſive aliud, eritne ulteriùs removenda Dominica in feriam ſextam? Scripſere aliqui, inquit Gavantus *ſect. 6. capit. 7. num. 9.* ſed

Gavantus.

Non anticipatur ultra Sabbatum.

reſpondet ipſe negativè, cui aſſentior; ſufficit enim in Sabbato fieri commemorationem de Dominica cum nona Lectione de Homilia ejuſdem, argumento à pari de Dominica 23. poſt Pentecoſtem, de qua fit itidem commemoratio in Sabbato, quando nullus alius occurrit in hebdomada dies liber, in quo poſſit anticipari. Unum tantùm eſt in hocce exemplo, de quo non convenio cum Gavanto, nempe quòd velit de prædicta Dominica 23. poſſe fieri commemorationem in Sabbato impedito feſto Patroni; ego contrà cenſui antè *cap. 2. quæſt. 4.* ſatius eſſe ut in præcedentem diem rejiciatur ejuſmodi commemoratio. Neque tamen idem inferas de hacce Dominica infra Octavam Epiphaniæ, quòd videlicet ita ſit immixta Octavæ, ut in alium diem commodè rejici non queat.

QUÆSTIO XII.

An ad anticipandam Dominicam II. poſt Epiphaniam poſſit aut debeat transferri feſtum Duplex?

DUbium ex eo oritur, quòd Rubrica particularis de anticipanda hacce Dominica expreſsè id habeat, ut ſi Sabbatum fuerit impeditum feſto novem Lectionum, in eo caſu prima die poſt Octavam Epiphaniæ, fiat Officium de Feria, in quo ponantur Lectiones de Homilia, & Reſponſoria primi Nocturni ejuſdem Dominicæ, tranſlato feſto Semiduplici, quod ea die occurrit. At cur non id fiat potius in ipſomet Sabbato, tranſlato feſto, quod in eo occurrit? Attendenti propiùs obvia ſeſe prodit ratio, quòd videlicet feſtum novem Lectionum impediens tunc Sabbatum non aliud ſit quam Duplex, nempe S. Antonii, vel Cathedræ S. Petri; congruit autem magis ut Semiduplex quàm Duplex è ſuo die dimoveatur. Urgebis: Quid ſi nullum in tota hebdomada fuerit feſtum Semiduplex, ſed omnia Duplicia? Reſpondeo vix id poſſe contingere, cùm enim tria ſint conſequenter Semiduplicia, videlicet S. Hilarii, S. Pauli Eremitæ & S. Marcelli, difficile eſt ut ſint tria illa alicubi Duplicia, aut iiſdem diebus occurrant tria propria itidem Duplicia, ſicque unus ſemper aut alter ſupererit dies Semiduplici dumtaxat feſto occupatus, quod tum ex prædicta Rubrica transfertur, ut detur locus Officio Feriali. At ſi ne unus quidem ſuperſit dies feſto

Ratio cur Semiduplex ſit transferendum ob anticipationem hujus Dominicæ.

Duplici vacuus? In eo caſu exiſtimat Gavantus *ſect. 6. cap. 8. num. 4.* ſatis eſſe, ſi fiat commemoratio Dominicæ in Sabbato. Non repugno, at nec improbarem admodum ſi unum illorum feſtorum Duplicium, quod minus ſit, transferatur, ut fiat de Feria: is enim videtur eſſe Rubricæ citatæ ſcopus, ut de Officio per annum ſemel ut minimum fiat.

QUÆSTIO XIII.

Quodnam è pluribus Semiduplicibus ſit transferendum ut fiat locus prædictæ anticipationi?

CUm impedito Sabbato ad id deſignet Rubrica cit. primam diem poſt Octavam Epiphaniæ, dubium non eſt, quin feſtum quoque Semiduplex ea die occurrens, hoc eſt S. Hilarii, præ aliis ſit transferendum. Verùm ubi ipſum S. Hilarii feſtum fuerit Duplex, clarè ſatis infertur ex eadem Rubrica, Semiduplex alterum, quod ſequitur, hoc eſt S. Pauli, & ſi ipſum quoque aut aliud ea die occurrens fuerit Duplex, tertium, hoc eſt S. Marcelli, eſſe transferendum.

Caſus particularis.

Quid verò ad hunc caſum? Dominica Septuageſimæ occurrente die 20. Januarii, pridie nempe Sabbato, cùm non ſit niſi Simplex, fit de Feria ad anticipandam Dominicam ſecundam. At ſi alicubi in ipſo Sabbato occurrat feſtum Semiduplex, eritne illud transferendum, ut fiat prædicta anticipatio? an verò fiet ipſa anticipatio poſtridie Epiphaniæ, translato Semiduplici quod ea die occurrit? Hoc poſtremum ſonare videntur verba illa Rubricæ (*Alioquin, hoc eſt impedito Sabbato feſto novem Lectionum, prima die poſt Octavam.*) At cùm feſto illo novem Lectionum deſignari feſtum Duplex præcedenti quæſt. demonſtraverim, omnino ad ſenſum Rubricæ magis eſt, ut Sabbato ipſo fiat prædicta anticipatio ſimul cum univerſali Eccleſia, translatò Semiduplici proprio quod ea die occurrit.

QUÆSTIO XIV.

Qualiter facienda prædicta anticipatio infra Octavam aliquam?

Gavantus.

AD hanc quæſtionem ſic reſpondet Gavantus *ſect. 6. cap. 8. num. 5. Si Octava celebretur in ea hebdomada, tunc fiat prima die,* poſt Octavam videlicet Epiphaniæ, *de Feria, quia dies infra Octavam cedit Semiduplici: ergo à fortiori etiam huic Officio Dominicæ ſecundæ; ſed omittendæ erunt preces cum Suffragiis more Octavæ.* Fateor, in nullo me repugnantiorem habet Gavantus quàm in hacce reſponſione. Semper enim mihi viſum fuit iſtud ab omni divinorum Officiorum œconomia alieniſſimum, ut Feriale Officium ex Pſalterio, infra Octavas, quæ nihil aliud ſunt quàm feſti ipſius continuatio, uſurpetur: cùm Dominicale ipſummet via olim locum haberet, ſitque tanta inter utrumque diſſonantia, ut qui alterum alteri inſerit, commiſſuram non à novo veſtimento in vetus, ſed quod longè eſt abſurdius à veteri in novum dicendus ſit immittere. Quam verò affert rationem Gavantus, ea prorſus nulla eſt; *Cedit,* inquit, *Semiduplici dies infra Octavam, ergo & à fortiori huic Officio Dominicæ ſecundæ poſt Epiph. cui cedit Semiduplex.* Id enim argumenti genus non valet, niſi idem ſit, vi cujus cedit dies infra Octavam feſto Semiduplici, & feſtum Semiduplex Officio Dominicæ ſic anticipatæ: atqui non eſt idem: nam ideò cedit dies infra Octavam feſto Semiduplici, quòd cùm ambo ſint ejuſdem ritus & ſolemnitatis, Semiduplex quod per ſe feſtum eſt, eo vel titulo præfertur diei infra Octavam, quæ non eſt niſi repetitio ſeu continuatio feſti: at feſtum Semiduplex non

Feriale Officium nunquam fieri ſolitum infra Octavas.

Ratio contraria Gavanti nulla.

Diſcrimen inter feſtum Semid. & diem infra Octavam.

ideò

Digitized by Google

ideò cedit Officio Dominicæ anticipatæ, quòd hoc æqualis ſit cum illo ritus ac ſolemnitatis; imò eſt inferioris, ſed quòd tali privilegio gaudeat, ut cùm de eo fieri neceſſe ſit, nec poſſit niſi iſto die, feſtum Semiduplex in eo occurrens transferatur. Ipſum verò Semiduplex ſic translatum, nullum inde accipit detrimentum, quippe ſuum æquè integrum Officium alio die eſt recuperaturum: at dies infra Octavam cedens ejuſmodi Officio Dominicæ anticipatæ cum ſola commemoratione peragitur, quod alterum eſt diſcrimen irritam Gavanti ratiocinationem faciens. En verò tibi ſimile argumentum, ut videas quàm non rectè concludat. Cedit feſtum Semiduplex diei infra Octavam Corporis Chriſti, ergo & diei infra Oct. SS. Trinitatis, ubi ea fit, utpote cui, vel ipſo Gavanto teſte, cedit ipſa Octava Corporis Chriſti; verumne illud conſequens? Nequaquam, neque enim ſi occurrat feſtum Semiduplex infra Octavam Trinitatis ſaltem Feriis 2. 3. & 4. ex ulla Rubrica eſt transferendum; adeò verum illud eſt, quod ex privilegio particulari uni etiam inferiori Officio conceditur, non ſtatim intelligi conceſſum alteri, etiam ſuperiori.

Privilegium uni Officio etiam inferiori conceſſum non ideo alteri etiam ſuperiori conceditur.

Abſurdo denique abſurdius eſt, quod ſubjicit Gavantus, omittendas preces cum Suffragiis ratione Octavæ. Quis enim hoc unquam audivit, ut fiat Officium de Feria ut in Pſalterio ſine precibus ac Suffragiis, maximè de Cruce, qui eſt veluti Officii Ferialis proprius caracter ac nota præcipua? Ajo itaque in præſenti controverſia Rubricis fore conformius, ſi perinde agatur de hac Feria pro anticipanda Dominica, atque de Vigiliis infra Octavas occurrentibus, ut videlicet fiat Officium de die infra Octavam cum nona Lectione de Homilia & commemoratione Dominicæ. Miſſa verò erit de ipſa Dominica ſine *Gloria & Credo*, cum commemoratione Octavæ. Hac ratione vitantur abſurda omnia, quæ incurri neceſſe eſt, ſi Officium fiat de Feria. Quæ verò Dominicæ anticipandæ propria ſunt, nempe Homilia in Evangelium, Antiphona ad Benedictus & Oratio, & quod omnium præcipuum eſt, Miſſa integra recitantur. Tantùm omittuntur Reſponſoria primi Nocturni, ſeu initium Hiſtoriæ *Domine ne in ira;* at eadem æquè omittenda decernit ipſemet Gavantus, quando feſta omnia illius hebdomadæ ſunt duplicia: Quòd ſi in aliqua alia Hiſtoria toleratur facilè ejuſmodi omiſſio, uti obſervavimus aliàs, quidni & in iſta, ſaltem quoad aliquam Eccleſiam particularem?

Abſurdum eſt omittere preces ac Suffragia in Officio Feriali.

In caſu propoſito Officium fit de die infra Octavam cum comm. Feriæ more Vigiliarum infra Octavas.

Hactenus de die infra Octavam, qui unus tantummodo eſſe poteſt, nempe 19. *Januarii*. Quid ſi nec iſte feſto vacuus ſit, aut in Dominicam incidat? Stabitne immotum feſtum Semiduplex, quod alioqui ex Rubrica transferri debet, ut detur locus anticipationi Dominicæ? Stabit equidem, non ratione ſui, ſed Octavæ, quæ ex allatis ſuprà rationibus, apta non eſt intra ſuos limites Officium Feriale admittere; adeóque vel ipſomet die, vel in Sabbato fiet nona Lectio de Homilia & commemoratione Dominicæ in Laudibus & Miſſa ac ultimo Evangelio, imò & duabus Miſſis in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis. In utro verò ex illis duobus diebus id præſtat fieri? Reſpondeo in priore, ſi eo die æquè anticipatio illa Dominicæ fiat in univerſali Eccleſia; ſin minùs in poſteriore.

Alius caſus perdifficilis.

QUÆSTIO XV.

An in anticipatione aliarum Dominicarum poſt Epiphaniam, perinde neceſſe ſit interdum transferri feſtum Semiduplex?

NUllibi Rubricarum id præcipitur, ſed dubio occaſionem præbet altera ex rationibus quas *Guyet. Heortologia*, affert Gavantus *ſect. 6. cap. 8. num. 2.* cur id privilegii Dominicæ ſecundæ tributum ſit, nempe, inquit, ut Reſponſoria Dominicarum poſt Epiphaniam, ſeu Hiſtoria *Domine ne in ira*, ſaltem ſemel dicatur ſuo tempore, nec omittatur omnino. At poteſt contingere ut eadem ratio locum æquè habeat in aliis ſequentibus Dominicis, v. g. occurrente Septuageſima *die 27. Januarii*, Feria quarta præcedente fiet in univerſali Eccleſia anticipatio Dominicæ tertiæ poſt Epiphan. ſit verò illa die alicubi feſtum Duplex, aut Semiduplex, ſive translatum, ſive ea die occurrens; non poterunt poni illa die Reſponſoria prædicta, neque verò eadem poſita fuere in Dominica præcedente, in qua factum eſt Officium Duplex de SS. Fabiano & Sebaſtiano; aliunde nullus ſupereſt dies iis ponendis idoneus: Eritne igitur in eo caſu transferendum aliquod feſtum Semiduplex, puta S. Polycarpi in Sabbato occurrentis, ut fiat de Feria, & detur locus ponendis ejuſmodi Reſponſoriis? Reſpondeo, non; id enim extendi non debet à Dominica ſecunda ad alias abſque expreſſa Rubrica, ſed eo anno omittentur prædicta Reſponſoria; ex quo apertè confirmatur, quod præcedenti quæſtione diximus de omiſſione eorumdem Reſponſoriorum.

Non eſt Semiduplex transferendum ut ponatur Hiſtoria Domine ne in ira.

QUÆSTIO XVI.

Qua ratione deponendum Alleluja, *Sabbato antè Septuageſimam, quando Veſperæ ſunt de feſto?*

NOn alio modo quàm addendo bis *Alleluja*, ad *Benedicamus* poſt ultimam Orationem. Quem modum ex Romano acceptum æquè jam adhibent reliqui ferè omnes uſus proprii, abdicatis quæ olim ubique ferè receptæ erant, frequentioribus ad nauſeam uſque repetitionibus vocis *Alleluja*. Nam parciores illud pro Antiphonis ad Veſperas Sabbati more Paſchali uſurpabant. Alii inſuper ad Completorium, item ad Matutinum & Laudes Dominicæ. Reſponſoria verò aſſumebant non de Geneſi, ſed de Hiſtoria *Domine ne in ira*, addito *Alleluja* in fine. Imò & nonnulla de Tempore Paſchali, *Viderunt te aquæ*, *Narrabo &c.* Liberaliores adhuc erant, qui ultimum Pſalmum Laudum ſic alternabant, ut primo verſui adderent ſemel *Alleluja*, ſecundo bis, tertio ter, quarto ſemel, quinto bis, ſexto ter, & ſic deinceps. Alii Hymnum habebant proprium in Veſperis Sabbati, cujus initium erat *Alleluja dulce carmen:* non legi quidem, ſed ab aliquibus accepi fuiſſe in aliqua Diœceſi uſitatum hunc Verſum poſt Hymnum Sabbati, *Vade vias tuas, Alleluja*. ℟. *Et noli redire niſi poſt Paſcha, Alleluja &c.* Superſtitioſum iſtud ac ridiculum. Tolerabilius quod pro Reſponſorio Veſperarum præſcribebat antiquum Cluniacenſe, *Alleluja nomen bonum melius quàm divitiæ multæ*. Item quod pro Antiphona ad Magnificat antiquum Caſalis Benedicti, *Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion Alleluja, ibi ſuſpendimus organa noſtra Alleluja*. Quod poſtremum fulcitur authoritate Hugonis à S. Victore *libr. 3. de Off. Eccleſiaſticis cap.* 10. ſic loquentis: *Nos cum Iſraelitico populo vocem gaudii & lætitiæ intermittimus, quaſi cum eis in ſalicibus ſuſpendentes organa noſtra, & à deliciis abſtinentes, oſtendimus qualiter Chriſtiano vivendum ſit per totum tempus ſæculi.*

Alleluja olim in Sab. & Dom. Septuageſimæ frequentius repetitum.

Hugo à S. Victore.

Hunc porro ritum frequentis adeò repetitionis ſanè antiquiſſimum attingit Amalarius *lib. 4. de Eccleſiaſticis Officiis cap. 7. In Veſperis*, inquit, *Septuageſimæ, & in nocte ſequenti Alleluja per omnia Officia Cantoris currit:* ejuſque rei rationem ſubdit: *Ita agimus de Alleluja, quando illud recondimus in theſauris ſuis, id eſt in cordibus electorum, &*

Amalarius.

Angelorum vocibus, ſicut ſolet dilectus circa dilectum agere, qui perrecturus eſt iter longinquum, oſculatur os ejus, collum, oculos, frontem &c. Et quia quod diligitur, nonniſi ægrè ac cum dolore dimittitur, neſcio annon vulgaris ille loquendi modus inde profluxerit, ut dicatur in Septuageſima *Alleluja* tumulari, ſeu funerari: quò facit Collecta illa, quam in fine Laudum poſitam legi in manuſcripto Breviario Aurelianenſi ducentis annis antiquiore, *Deus qui nos concedis Allelujatici cantici deducendo ſolemnia celebrare, da nobis cum Sanctis tuis Alleluja cantantibus, perpetuum Alleluja feliciter poſſe decantare. Per Dominum &c.*

Brev. Aurel. vetus.

Uſu Romano bis tantùm dicitur ad Verſ. Benedicamus.

Rectè autem iterationes illas omnes Romanus uſus proſcripſit, *Alleluja* ipſum jubens deponi in Veſperis Sabbati, bis dumtaxat eo cantato & repetito ad Verſum *Benedicamus Domino:* tum quia ſic decrevit Alexander II. ex Micrologo *cap. 47. Ut videlicet ejus geminatio*, addit Durandus *lib. 6. cap. 34. num. 18. ad finem præcedentis temporis referatur, & ejus depoſitio luctui ſequentis temporis aſſignetur:* tum quia *non decet*, inquit Leo IX. *C. Hi duo, de Conſecr. diſt. 1. cantare Alleluja, quando lapſus protoplaſti in Eccleſia recitatur:* recitatur autem in Lectionibus Dominicæ Septuageſimæ.

Micrologus. Durandus.

Uſus Andegav.

Omnium à Romano congruentiſſimus mihi videtur uſus Andegavenſis, qui ipſum *Alleluja* deponit ad Nonam Sabbati, addito bis *Alleluja* ad Reſp. breve, (de quocunque illud fuerit, ſive de Feſto aliquo, ſive de Tempore,) & ſemel ad Verſum more conſueto Temporis Paſchalis, ac demum bis ad *Benedicamus*, quem ritum notavit Durandus cit. dum ait quoſdam dimittere *Alleluja* ad Sextam, quoſdam ad Nonam.

Loco Alleluja, in Antiphonis nihil reponendum.

Cùm demum pro *Alleluja* in principio Horarum dicatur, toto Tempore Septuageſimæ, *Laus tibi Domine Rex æterna gloriæ*, quærunt nonnulli, num ſit ejus quoque loco aliquid reponendum in Antiphonis, in quibus reperitur? Et quidem reponunt Muſici, *In æternum*; at nihil tale uſſibi præcipitur, præſtatque penitus omittere.

QUÆSTIO XVII.

Qui Pſalmi dicendi in primis Veſperis S. Agnetis, quando de ea dicuntur integræ?

Gavantus.

PUta in propria ejus Eccleſia, aut cùm transfertur, aut denique cùm occurrit poſtridie Dominicæ Septuageſimæ: dicendos de Communi virorum Sanctorum exiſtimat Gavantus *ſect. 7. cap. 2. ad 21. Januarii*, perinde atque dicuntur in Matutino; & probat exemplo S. Agathæ, quæ ſanè optima eſt ratio. Sed an iidem Pſalmi perinde uſurpari poſſint in aliis feſtis Virginum & Martyrum, maximè quæ in Martyrio ſuo egregiam animi fortitudinem exhibuere, nolim ego affirmare, niſi fortè ubi talis uſus ex antiquo legitimus fuerit.

QUÆSTIO XVIII.

An tranſlato feſto Purificationis B. Mariæ facienda ſit nihilominus Benedictio Candelarum?

FEſtum Purificationis B. Mariæ transferri contingit, vel quia occurrit in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, aut Quinquageſimæ, vel quia in eo occurrit feſtum Patroni, aut aliud primæ claſſis. Si primum, clara eſt Rubrica Miſſalis, *Fit tantum benedictio & diſtributio Candelarum & Proceſſio, & Miſſa dicitur de Dominica, Miſſa vero feſti transfertur in ſequentem diem.* Nimirum ſupponit duo hæc Rubrica, alterum transferri debere feſtum Purificationis occurrens in hiſce Dominicis, ex Decreto Clementis VI. at in pleriſque Galliæ Diœceſibus, in quibus ex Decreto anteriori Urbani VI. prædictum feſtum minimè transfertur,

Non ſeparatur Benedictio Candelarum, ſi feſtum non transfertur.

Miſſa haud dubiè æquè de feſto dicenda eſt, ſicut & in Eccleſiis, quæ ſub Titulo ejuſdem Purificationis erectæ ſunt; eſt enim in his feſtum primæ claſſis. Alterum quod ſupponit Rubrica, eſt, transferri dictum feſtum Purificationis à Clero dumtaxat ſeu quoad Officium, non autem à populo ſeu quoad feſtivationem publicam: at ſi à populo quoque transferatur, ut fit aliquibus in locis; nemo non dixerit Benedictionem Candelarum ſimul cum feſto ipſo transferendam, quippe quæ tranſlato feſto, eapropter tantùm in Dominica retinetur, ut ei populus commodiùs adeſſe poſſit.

Tranſlato feſto quoad feriationem, transferenda quoque videtur Benedictio.

Ut agendum occurrente feſto Patroni, & Dedicationis Eccleſiæ.

Occurrente verò eadem die Patrono Eccleſiæ (qui fuit caſus alter initio propoſitus,) quamvis Officium fit de eo, tranſlato feſto Purificationis, Benedictio nihilominus Candelarum fieri debet hac ipſa die, ex cit. Rubrica. At non idem aſſero de feſto Dedicationis Eccleſiæ, cui primùm faciendæ non decuit hanc diem ſeligi; vel ſi hac die peracta eſt, debuit ab Epiſcopo in actu ipſo conſecrationis in aliam mutari, ex dictis *libr. 2. capit. 1, quæſt. 3.* Idemque eſto judicium de Tranſlatione, feſto Reliquiarum, aut quovis alio quod ritu primæ claſſis alicubi fortè celebrari contingit: debuit enim in inſtituendo ejuſmodi feſto caveri, ne quid ſolemnitati feſti Purificationis in univerſa Eccleſia valdè celebri detrahatur.

QUÆSTIO XIX.

An in Eccleſiis ſub Titulo B. Mariæ dicatis, tranſlato feſto Purificationis, Miſſa nihilominus de ipſo feſto dicenda ſit?

Ceremon. Epiſcop.

Item Monaſt.

VIdetur id aſſerere de Miſſa ſolemni Ceremoniale Epiſcoporum *libr. 2. capit. 16.* quin & pro certo aſſumit Ceremoniale Monaſticum *libr. 4. cap. 4. §. 1. num. 1.* ubi facta mentione de Eccleſia dicata ſub Titulo Purificationis, in qua fit Officium de feſto, ſubdit, *Vel etiam in aliis Eccleſiis ſub B. Virginis patrocinio dicatis quovis alio titulo, ubi Miſſa ſolemnis tantùm erit de feſto cum commemoratione Dominicæ, cujus legetur Evangelium in fine &c.* Verùm cenſeo ego cum Gavanto *Comment: in Rubr. Miſſalis part. 4. tit. 14. littera B.* ſenſum Ceremonialis eſſe de Eccleſia ſub Titulo Purificationis B. Mariæ, in qua videlicet ſicut dicitur Officium de ea, ita dici debet & Miſſa; & colligitur ex ipſo contextu qui ſic habet, *Niſi feſtum hujuſmodi ageretur in aliqua Eccleſia Beatiſſimæ Virgini dicata, quia tunc fieret Miſſa de feſto cum commemoratione Dominicæ*; niſi enim factum eſſet Officium de feſto, non poneretur commemoratio Dominicæ, cùm *ex Rubrica 7. Miſſalis*, facto Officio de Dominica duæ ſint cantandæ Miſſæ, una de feſto, altera de Dominica; at fieri non debet Officium de feſto, niſi habeatur primæ claſſis; tale autem non habetur, niſi fuerit Titulus Eccleſiæ, aut certè Eccleſia dicata univerſim B. Virgini hocce feſtum præ aliis ejuſdem B. Virginis inſtar Tituli colat.

Gavantus.

Duæ Miſſæ cantandæ ubi feſtum Purific. non eſt Titulus Eccleſiæ.

Quòd ſi nihilominus contendas præfatum textum intelligi de quacunque Eccleſia B. Virginis, rectè monet Gavantus duas tum Miſſas eſſe cantandas *ex cit. Rubr. Miſſalis*, non autem unam tantùm de B. Virgine cum commemoratione Dominicæ, ut vult Ceremoniale Monaſticum, quod item aſſignat perperam ultimum Evangelium de Dominica, cùm nec id exigat Rubrica Miſſalis de duabus Miſſis in tali caſu, nec verò etiam ſit conforme aſſertioni ejuſdem Ceremonialis, qua dicitur in Miſſa feſti occurrentis in Vigilia S. Andreæ, vel S. Thomæ in Adventu, non eſſe dicendum ultimum Evangelium de Vigilia.

QUÆ-

QUÆSTIO XX.

An tranſlato item feſto Purificationis differri debeat Antiphona Ave Regina cœlorum?

Gavantus.

ASſerit Gavantus *ſect. 5. cap. 22. num. 7.* & ratio patet, nam Antiphona *Alma Redemptoris* pertinet adhuc ad myſterium Purificationis, adeòque non debet dimitti niſi in fine illius, quocumque die celebretur. Imò verò ubi feſtum Purificationis habet Octavam, continuari debet uſque ad Completorium diei Octavæ excluſivè, ſeu uſque ad finem Octavæ, ſi adveniente Quadrageſima ab ea ceſſetur pridie Cinerum; ſicque decreviſſe refert idem Gavantus Sacram Rit. Congreg. in Officiis authoritate ipſius editis Romæ 1616. ad uſum Carmelitarum Diſcalceatorum. Porro dicendam Antiphonam *Ave Regina cœlorum*, die ipſo Purificat. non ad Veſperas quidem, ſi eæ à Completorio ſeparentur, ſed in fine Completorii nemini jam dubium eſſe poteſt, cùm idcirco, ait idem Gavantus *num. 8.* additum fuerit Rubricæ in poſtrema Breviarii recognitione verbum *incluſivè*.

QUÆSTIO XXI.

Sintne reſumendæ Antiphonæ de Laudibus Dominicæ Septuageſimæ, & ſequentium, ſi feſto impediantur?

NEquaquam; ſunt enim hæ Antiphonæ Pſalteriales, ac ſuis quæque Pſalmis ſic addictæ ut ab iis nunquam ſeparentur, ut patet ex eo quòd ne per Horas quidem repetantur. Itaque in tali caſu omittuntur penitus, potiori adhuc jure quàm Antiphonæ Dominicarum Adventus, quæ Hiſtoriales ſunt.

QUÆSTIO XXII.

Sintne reſumenda Reſponſoria ex Evangeliis quarumdam Feriarum Quadrageſimæ?

QUatuor dumtaxat ſunt ejuſmodi: primum Feriæ quintæ poſt Cineres: primum Feriæ quintæ hebdomadæ primæ: primum Sabbati ſecundæ hebdomadæ: & primum Feriæ tertiæ hebdomadæ quartæ, quæ ſi diebus ſuis dici non poſſunt, quia Officium fit de feſto, eo anno omittuntur; nec enim rationem habent Hiſtoriæ ut reſumantur. In Monaſtico Breviario commodè ponuntur poſt Lectionem de Homilia Feriæ pro 12. Reſponſorio.

Brev. Monaſtic.

QUÆSTIO XXIII.

An tempore Quadrageſimæ Veſperæ in feſto Patroni poſſint cantari pomeridianis horis?

MOrem hunc video jam ab aliquibus induci, nec deſunt in ſpeciem rationes, quibus id legitimè fieri contendant; prolixior Officii decantatio, qua Matutinis horis obruuntur Clerici, Veſpertinis verò nimiùm liberi otiantur; concurſus populi à prandio ad Concionem, quam nulla vel exigua Officii pars excipit; major ſolemnitatis expreſſio, utpote quæ à ratione Quadrageſimali plus recedit. Sed hæ rationes ac ſimiles haudquaquam prævalere debent contra communem Eccleſiæ ritum ubique receptum. Nec obſtat quod diximus ſuprà *cap. 1. quæſt. 1.* nullam fieri commemorationem de Vigilia; imò & ipſius jejunium quibuſdam in locis pridie anticipari, cùm in ea occurrit feſtum Patroni; par enim non eſt ratio Vigiliæ cum tempore Quadrageſimali, ut quæ illi

Non eſt par ratio Feriæ Quadrageſ. cum Vigilia.

Guyet. Heortologia.

remiſſio conceſſa eſt, ad hoc quoque extendi itidem poſſe præſumatur.

At quo die incipiunt dici Veſperæ ante comeſtionem? An ab ipſa Feria 4. Cinerum, an à Sabbato ſequenti tantùm? Primum ſervant Eccleſiæ Rhemenſis, Senonenſis, Pariſienſis, Andegavenſis, aliæque in Gallia ſui adhuc juris, ſuarumque ceremoniarum uſu potientes, & quidem congruenter, ſi hac ipſa die uſurpare incipiant in Officio, quæ propria ſunt pro Quadrageſimæ tempore: ſin minùs, conſormius longè eſt rationi Officiorum, ut Sabbato unà cum Officio Dominicæ primæ, quæ caput eſt Quadrageſimæ, incipiant dici Veſperæ ante prandium, more utique uſuque Romano omnium laudatiſſimo. Id autem intellige, etiamſi Veſperæ fuerint de feſto. Canon verò *Solent*, ex Concilio Cabilonenſi *de Conſecr. diſt. 1.* quem allegat Gavantus, non magis uni uſui favet quàm alteri. Item non minùs ritus ille ſervari debet in privata recitatione, quàm in publica, niſi quod ſcandalo eſt, ſi in hac omittatur, non item in illa.

Laudabilior uſus dicendi Veſperas ante comeſtionem à Sabbato 1. Quadrageſimæ.

QUÆSTIO XXIV.

Sitne omittendum Suffragium Patroni, quando in Oratione diei fit de eo mentio?

UNicum hujus rei exemplum extat Feria quinta hebdomadæ tertiæ Quadrageſimæ, in cujus Collecta nominantur SS. Coſmas & Damianus. Sed negat Gavantus *ſect. 5. cap. 11. num. 9.* idcirco omittendum commune de iis Suffragium in propria ipſorum Eccleſia: cui facilè aſſentior, ob id vel maximè quòd in Dominica Sexageſimæ, in cujus Collecta æquè fit mentio de S. Paulo, non omittitur in Officio Suffragium ipſius S. Pauli, nec in Miſſa ponatur alia Oratio quàm *A cunctis*. Non itaque urget hic Regula illa, De eodem bis non fit in eodem Officio; Statio enim neque feſtum eſt, neque commemoratio, neque quid votivum de Sanctis, etiamſi ii tacitè vel expreſsè memorentur; ſed merum Officium de Tempore.

Gavantus.

QUÆSTIO XXV.

Quandonam tegi debeant Cruces & Imagines?

IN multis Galliæ locis uſu receptum eſt ut id fiat Sabbato ante Dominicam primam Quadrageſimæ. At uſu Romano nonniſi ad Veſperas Sabbati ante Dominicam Paſſionis, ex Ceremoniali Epiſcoporum *libr. 2. cap. 20.* quod & in poſtrema recognitione authoritate Urbani VIII. inſertum fuit in Miſſali. Et verò hic uſus longè conformior eſt rationi quam affert Durandus *lib. 1. cap. 3. num. 34. Quia tunc*, inquit, *Divinitas fuit abſconſa & velata in Chriſto, permiſit enim ſe capi & flagellari ut homo, tamquam non habens in ſe virtutem Divinitatis; unde in Evangelio hujus diei dicitur, Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de Templo*. Si tamen prior illa conſuetudo auferri non poteſt ſine ſcandalo, retinendam concedit Ceremon. Monaſticum *libr. 4. cap. 5. num. 9.* Addit item in ſolemnioribus feſtis, quæ eo tempore celebrantur, velamina omnia tam ab Altari majori quàm à Choro, & ab Altari Sancti cujus feſtivitas agitur eſſe removenda; quod quamvis ſine authore dicatur, haud tamen abnuo, ſaltem quoad ultimum.

Ceremon. Epiſc.

Durandus.

Ceremoniale Monaſticum.

De velo autem quod in pleriſque Eccleſiis appendi ſolet Chorum inter & Altare, par non eſt ratio: illo enim ſi exprimitur quod ait Iſaias cap. 59. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum*, æquum profectò eſt ut ab ipſo ſtatim initio Quadrageſimæ, nempe à Veſperis Sabbati, vel etiam

Velum inter Altare & Chorum tempore Quadrag.

ab ipſa Feria 4. Cinerum uſurpetur, ita ſentiente Durando *lib. 1. cap. 3. num. 35.*

Vela porrò iſta omnia coloris debent eſſe violacei, nec mutari opus eſt juxta colorem feſtorum occurrentium. Nuda quoque ſint oportet ac plana, abſque imagine ulla in medio intexta.

QUÆSTIO XXVI.

An dicendum Gloria Patri *in Reſponſoria brevi Completorii, concurrente feſto cum Dominicis Paſſionis & Palmarum?*

Gavantus.

OMnino, ſi feſtum fuerit Duplex, nec eſt quòd quis dubitet. At ſi fuerit Semiduplex, concedit quidem Gavantus *ſect. 6. cap. 12. num. 8.* quoad Completorium Dominicæ, quia, inquit, inchoato feſto Semiduplici per commemorationem de eo factam in Veſperis ipſius Dominicæ, ea quæ ſequuntur deinceps feſtiva cenſentur, adeòque Completorium ipſum. Negat verò de Completorio Sabbati, quia, inquit, magis habet de ratione Dominicæ jam inchoatæ à Capitulo Veſperarum, quàm de ratione feſti finiti ab Antiphona ultimi Pſalmi, & ideò debet omitti Verſus *Gloria Patri*, in Reſp. brevi. Non placet hocce Gavanti diſcrimen, tum quia utrumque Completorium tam Dominicæ quàm Sabbati, æquè pertinet ad Dominicam, ideòque ſi in uno omittendus eſt Verſus *Gloria Patri*, erit etiam in altero; tum quia ratio omittendi quæ afferri poteſt optima, æquè pugnat pro utroque. Ratio autem optima hæc eſt; quòd cùm id ſit proprium Officii de Paſſione, ut omittatur Verſus *Gloria Patri*, ad Reſp. brevia, perinde atque propria eſt v. g. terminatio Hymnorum in feſtis Domini, certè perinde debet ſervari ejuſmodi omiſſio in omni Hora, in qua incipit & deſinit Officium de Paſſione, atque retinetur terminatio propria Hymnorum in omni Hora, in qua incipit & deſinit Officium feſti, cujus eſt propria; at in caſu propoſito incipit Officium de Paſſione à primis Veſperis Sabbati, & non terminatur niſi in Completorio Dominicæ; ergo ejuſmodi omiſſio ſervari debet tam in Completorio Sabbati, quàm in Completorio Dominicæ, cùm ad idem Officium de Paſſione utrumque pertineat.

Reſicitur Gavanti opinio.

Omittendus Verſus Gloria Patri, in caſu propoſito.

Solvitur objectio.

Nec obſtat concurrentia feſti Semiduplicis, cujus non eſt proprium ut dicatur Verſus *Gloria Patri*, ſicut eſt proprium Officii de Paſſione ut omittatur; ſed etſi eſſet proprium ut diceretur; cùm tamen utrumque Completorium ad Officium Dominicæ pertineat, non autem feſti Semiduplicis, adhuc debet omitti. Unum tantùm poteſt objici, nempe quòd ſi omiſſio illa Verſus *Gloria Patri*, æquè propria eſt Officii de Paſſione, atque propria eſt terminatio Hymnorum feſtorum Domini, tam deberet ſervari in feſtis etiam duplicibus occurrentibus toto tempore Paſſionis, atque retinetur terminatio Hymnorum in quibuſcumque feſtis occurrentibus infra Octavas prædictorum feſtorum; ſed hoc non fit, nam expreſsè notatur dicendum in feſtis Verſum *Gloria Patri*. En tibi diſparitatem maximam. Terminatio propria perinde convenit Hymnis feſtorum, modò ſint ejuſdem metri, atque alia communis, ideòque hujus loco facilè ſubſtituitur: at omiſſio Verſus *Gloria Patri*, non perinde quadrat Reſponſoriis brevibus feſti ſicut Reſponſoriis Officii de Paſſione, unde non ut in his, perinde in illis ſervari debet. Si autem non ſervatur in feſtis ad Reſp. brevia Horarum, exigit Officii concordantia ut nec ſervetur in Reſp. Primæ & Completorii.

QUÆSTIO XXVII.

An in Miſſis feſtorum tempore Paſſionis omittendus ſit Pſalmus Judica, *& Verſus* Gloria Patri *ad* Lavabo?

DUbitavere nonnulli, eo quòd Rubrica poſita ante Dominicam Paſſionis abſolutè ſic habeat, *Ab hac die uſque ad Sabbatum Sanctum excluſivè, non dicitur Judica &c.* Verùm ſupplendum hic quod habetur *tit. 3. de Ritu celebranda Miſſa num. 6.* & in ordine Miſſæ, *In Miſſis de Tempore.*

QUÆSTIO XXVIII.

An poſt commemorationem feſti Simplicis Tempore Paſſionis, & infra Octavas Paſcha & Pentecoſtes, addenda ſit in Miſſa tertia Oratio?

Certamen cum Gavanto.

ACre nobis hic eſt certamen cum Gavanto, amico licèt optimo ac plurimùm venerando. Negat ſiquidem ille *Comment. in Rubr. Miſſalis parte 1. tit. 9. num. 8.* dicendam in tali caſu tertiam Orationem, & ut profitetur *ad ſenſum Rubricæ:* quem ſequuti reliqui omnes uno globo, nec de ea quidem aſſertione vel minimum dubium movent; quam tamen ego Rubricæ inprimis, deinde & rationi planè eſſe contrariam luce clariùs demonſtrabo; adeò ut quod altercanti mecum aliàs viro harum quæſtionum ſcientiſſimo contigit, ut daret manus, auſim polliceri mihi, cuilibet quamvis repugnantiſſimo idem eventurum, ſi paginam hanc attentiùs legerit.

Expenduntur textus Gavanto faventes.

Profero inprimis textus omnes Rubricarum, quibus ſuam Gavantus adſtruit aſſertionem. *Infra Octavas Paſcha & Pentecoſtes, in Miſſa de Octava dicuntur duæ tantùm Orationes, una de die, altera Eccleſiæ vel pro Papa.* Rub. 9. de Orationibus nu. 8. vim facit in eo, *duæ tantùm Orationes.* Ab hac die *uſque ad Sabbatum in Albis incluſivè, poſt Orationem diei, dicitur Oratio, vel contra perſecutores Eccleſiæ, vel pro Papa.* Ita Rubrica propria poſita in Dominica Paſſionis. Nota non haberi hic vocem excluſivam *tantùm*. *Ab hac die uſque ad Sabbatum in Albis incluſivè, poſt Orationem diei dicitur una ex ſequentibus Orationibus tantùm, niſi facienda ſit commemoratio alicujus feſti ſimplicis occurrentis.* Sic habet Rubrica poſita in Miſſa Feriæ quartæ poſt Paſcha, ex eoque ſuum ſibi Achillem conficit Gavantus, ſed inermem planè & imbecillem. Denique in Miſſa Feriæ quartæ poſt Pentecoſtem ſic legitur: *Ab hac die uſque ad Sabbatum ſequens incluſivè poſt Orationem diei dicitur Oratio Eccleſiæ vel pro Papa*, nullo addito, *tantùm*.

Ex his quatuor textibus, duo, nempe ſecundus & quartus, carentes excluſiva *tantùm*, nullatenus Gavanto favent, niſi quatenus ſupponit explicandos ex duobus aliis. Explicentur, per me licet. Primum integrum admitto, ut jacet in terminis, cum ſua excluſiva *tantùm*, ac nulla adhibita gloſſa fateor infra Oct. Paſchæ & Pentecoſtes, in Miſſa de Octava dici duas tantùm Orationes, unam de die, alteram *Eccleſiæ* vel pro Papa: ergo, inquies, ſi occurrat commemoratio feſti Simplicis, dimittenda erit Oratio *Eccleſiæ*, vel pro Papa. Vide num hæc mea directior ſit illatio? ergo ſi occurrat commemoratio feſti Simplicis, non duæ illæ tantùm Orationes dicuntur, ſed tres, nempe prima de die, ſecunda de feſto Simplici, tertia *Eccleſiæ*, vel pro Papa. Urges, nequaquam, nam duas tantùm nec plures Orationes dicendas Rubrica indicit. Vis quippe excluſivam, *tantùm*, cadere in duas Orationes præciſè, adeòque excludere omnem tertiam. Hoc ſi ita eſt, cùm duas illas Orationes eadem Rubrica expreſsè deſignet, nempe

pri-

Digitized by Google

primam de die, alteram *Eccleſia*, vel pro Papa, utramque ex æquo afficit excluſiva *tantum*, ergo occurrente feſto Simplici, dicenda nihilo minus erit ex hac Rubrica ſecunda illa Oratio *Eccleſia*, vel pro Papa, Oratio verò feſti Simplicis, vel tertio loco dicenda, vel omittenda penitus; hoc poſtremum, næ tu nimis bonus es ut admittas; ſi primum, tres igitur erunt Orationes, contra quod tueris.

Audio te, appellas ad tertium textum: Appello & ego haud invitus; litem enim totam ſua quam non expectas, ſed quàm maximè vera ac legitima interpretatione, ſic tamquam decretorio judicio dirimit: *Poſt Orationem diei dicitur una ex ſequentibus Orationibus tantum*. Nihil clarius, perge. *Niſi facienda ſit commemoratio alicujus feſti ſimplicis:* Conclude; ergo ſi facienda ſit commemoratio Simplicis, non dicetur una ex ſequentibus Orationibus tantùm: Hoc ipſum volo, ergo omittetur. Parce quæſo, non hoc textus pronunciat, ſed tu ipſe. Si deeſſet particula *tantum*, omnino intentum haberes; legeres enim ſic, *Dicitur una ex ſequentibus Orationibus, niſi facienda ſit commemoratio alicujus Simplicis;* quia nimirum ſi facienda ſit commemoratio Simplicis, non dicitur una ex ſequentibus Orationibus, ſed ipſamet Oratio Simplicis.

Viden, ut ipſum, quo præcipuè niteris, cauſæ tuæ firmamentum, non nutat modò, ſed ſua ipſius mole ſeu magis inanitate ſuccuſſum ruit; erectum verò à me, meam ſua vi opinionem ſtabilit, corroboratque radicitus? Nam cùm *Tantùm* illud, vox ſit excluſiva, *Niſi* verò, vox ſit adverſativa, hæc non adverſatur illi, niſi recludendo, ut ita loquar, ſeu reponendo in aliquo caſu particulari, quod illa univerſim excluſit: atqui quod illa univerſim excluſit, eſt, dicendam unam ex ſequentibus Orationibus tantùm: ergo quod hæc recludit, eſt, occurrente feſto Simplici non dicendam unam tantùm.

Qualiter opponuntur *Tantum* particula excluſiva, & *Niſi* adverſativa.

Exemplum accipe *ex Rubr. generali de Orationibus num.* 10. ubi ſic legitur, *In Dominicis infra Octavas occurrentibus dicuntur duæ Orationes, una de Dominica, ſecunda de Octava, & in die Octava dicitur una tantùm Oratio, niſi facienda ſit aliqua commemoratio*. *Niſi* adverſatur *Tantùm*, in quo verò, niſi quod cùm *tantum*, excludat tertiam Orationem in Dominicis infra Octavas, & ſecundam in die Octava, *niſi* illam reponit, ſi facienda ſit aliqua commemoratio? fatere ingenuè, clariorne hoc textu ſic evoluto vel ipſa meridies?

Argumentum à ſimili.

Verùm ampliorem adhuc à ratione, qualiſcunque afferri poſſit, Rubricæ hujus lucem accipe. Rogo itaque, cur duæ tantùm Orationes præfatis diebus adſcriptæ? An majoris ſolemnitatis gratia, ut cùm videlicet in Duplicibus una tantùm dicatur Oratio, tres verò ordinariè in Semiduplicibus & Simplicibus, in hiſce Feriis Paſſionis & Octavarum Paſchæ & Pentecoſtes, duæ tantùm, quaſi intermedio quodam honoris privilegio impendantur? Eſto illud: Hinc verò arguis tu, quòd uti occurrente in feſto Semiduplici commemoratione ſimplicis, quæ erat ſecunda Oratio tranſit in tertiam, completoque jam ternario numero Orationum, relinquitur quæ erat tertia, nec additur quarto loco; ita ſimiliter occurrente in hiſce Feriis & Octavis commemoratione Simplicis, & ea poſita ſecundo loco, completo jam binario numero, non eſt addenda tertia Oratio, ſed dimittenda quæ aſſignata erat.

A ratione propter quã duæ tantùm Orationes iis diebus dicantur.

Putas te rem acu tetigiſſe; vide verò ut deciperis. Nam ſi id tantùm attenditur, ut binarius numerus Orationum hiſce Feriis & Octavis, quaſi ex prærogativa quadam tribuatur, longè magis erat obvium tribuere Orationem *Concede nos*, quæ ſecundo loco aſſignatur pro Octavis, quàm ea rejecta, illam, quæ tertiam ſedem occupat, nempe *Eccleſiæ*, vel pro Papa, ejus loco ſubſtituere; talis eſt enim ordo Orationum illarum inter ſe, ut ſecunda quidem ſuo loco pulſa, locum tertiæ occupet, ſed nunquam tertia locum ſecundæ. Quare ergo non eſt aſſignata? Rationem profers ex Durando, quia, inquis, ceſſant commemorationes in Officio, *ut ſcilicet noſtra intentio feratur in Chriſtum ſolum, & ſpes noſtra elevetur ad unicum ejus ſingulare refugium*. Non ergo jam ratione numeri præcisè, ſed myſterii duæ tantùm poſitæ ſunt pro iis diebus Orationes, quatenus videlicet excluſa ſecunda quæ minùs idonea videtur, traductaque in ejus locum tertia, non ſuperſunt ampliùs niſi duæ. At occurrente commemoratione Simplicis & ſecundum locum occupante, quidni Oratio illa *Eccleſiæ*, in tertium locum ſibi proprium retrudatur? Dicis, quia completus eſt numerus binarius: ubinam verò legitur hæc Rubrica? ſed lege tu iſtam num. 16. hujus quam tractamus: *Si cum plures dicuntur Orationes, occurrat fieri commemorationem alicujus Sancti, ea ponitur ſecundo loco, & tertia Oratio dicitur, quæ aliàs ſecunda loco dicenda erat*. Quid clarius? non ſunt dies illi duplices, ut ab hac Rubrica excludantur, habent plures Orationes ut ea includantur; fare age, adhuc reſiſtis?

Telo te igitur hocce ultimo confodio. Orationum in feſtis Semiduplicibus par omnino ordo eſt, idemque numerus ac Dominicarum ſeu Feriarum temporis, in quo occurrunt; ut conſtat ex tota hacce Rubrica 9. de Orationibus. Si ergo in hebdomada Paſſionis duæ, ut ais, tantùm ſunt Orationes, quare tres ponuntur in Semiduplicibus infra illam occurrentibus? ſic enim habet Rubr. numer. 5. *In Semiduplicibus à Dominica Paſſionis, uſque ad Dominicam Palmarum, ſecunda Oratio de Feria, tertia Eccleſiæ, vel pro Papa*. Annon ſi privilegium eſt illius temporis, ut duæ tantùm habeantur Orationes, tranſire æquè debet ad feſtum Semiduplex in eo occurrens, atque omiſſio Suffragiorum in Adventu tranſit ad Semiduplex illo tempore occurrens? imò verò adhuc nobilius eſt Semiduplex, quàm talis Feria, ſiquidem ipſi præfertur, & tamen huic negas tertiam Orationem, quam Rubrica expreſsè illi concedit. Dicis enim ſic, Occurrente ſimplici in tali Feria, Miſſa de Feria, ſecunda Oratio de feſto ſimplici, ſine tertia. Dicit verò Rubrica, Occurrente itidem Semiduplici, *Miſſa de feſto, ſecunda Oratio de Feria, tertia Eccleſiæ*, vel pro Papa. Quæſo aut dictum tuum cum Rubrica concilia, aut certè bonam affer diſcriminis inter utrumque rationem. Dares manus, nunquid Gavante mi, ſi viveres? Da vel ejus nomine quiſquis te diſcipulum illius profiteris.

A fortiori quòd in Semiduplicibus ipſo tẽpore Paſſionis occurrentibus tres à Rubrica aſſignentur Orationes.

QUÆSTIO XXIX.

Quæ Miſſa privatim dicenda in Sabbato Sancto?

NEgant ullam dici debere Navarrus *in Manuali cap.* 25. *numer.* 88. Francolinus *Tractatu de Horis Canonicis cap.* 30. *numer.* 2. *&* 9. Azor. *libr.* 10. *capit.* 24. *quæſ.* 4. quibus accedit Gavantus *parte* 4. *tit.* 10. *numer.* 45. & habetur can. *Sabbato de conſecrat. diſt.* 3. *Iſto biduo*, nempe Feria 6. Paraſceves & Sabbato Sancto, *ex traditione Eccleſiæ, Sacramenta penitus non celebrari*. Intellige præter Sacrum illud ſolemne quod noctis eſt, & Sabbato ſub noctis initio celebrabatur adhuc tempore S. Thomæ *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 1. nunc autem matutinis quidem horis, ſed extremis. Illud autem privatim dici non debere argumento eſt, quòd nullus pro Miſſis privatis additus fuerit Introitus, ſicut additus eſt in pari caſu Vigiliæ Pentecoſtes.

Nulla dicenda. *Navarrus, Francolinus, Azor. Gavantus.*

D. Thomas.

Hoc ſi rigidum nimis aliquibus videatur; eſt alia Soti ſententia *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 2. eo die jus eſſe Sacerdotibus Sacrum privatim faciendi,

Poteſt dici Miſſa privatim adhibitis conditionibus.

quia ſicut uſu introductum eſt, ut fiat publicum & ſolemne, ſic & privatum deinceps; quam utique ſententiam ſequuntur hoc tempore, inquit Azor cit. viri pii & docti, eum hocce tamen duplici temperamento; primò, ut accedat ſuperioris conceſſio, & authoritas; ſecundò, ut juſta ſubſit cauſa, putà quia multi ſunt, quibus eo die ſacrificio ſolemni & publico intereſſe non vacat, uti accidit maximè, quando in ipſo Sabbato incidit feſtum Annunciationis B. Mariæ, aut aliud ex præcepto. Tertium addit Azor, quod rationi congruum mihi videtur admodum, ut id non fiat ante ſacrificium ſolemne ac publicum ex toto abſolutum, aut magna jam ex parte factum; Gavantus verò, niſi ſaltem poſt inchoatum, depoſitoque luctu & mœrore Eccleſiæ. Talis porrò Miſſa privata erit eadem quæ ſolemnis, videlicet ipſiuſmet Sabbati, ſine Introitu, cum Veſperis ipſis loco Communionis, aut ut placet aliis, Antiphona, *Veſpere autem Sabbati*, tantùm pro Communione.

Si mane celebretur dicenda magis videtur Miſſa aliqua votiva.

Quid ſi Miſſa de mane celebretur, & ante depoſitum Eccleſiæ luctum? Vitandus caſus hic eſt magis quàm decidendus, quippe quem abnuunt omnes præfati Authores. Sed quocunque tandem id jure fiat, an dicetur Miſſa Sabbati? Vidi qui diceret, poſtque peractam, ac pronunciato jam *Alleluja*, ſubderet Horas Primam, Tertiam, Sextam & Nonam de Officio luctuoſo. Quid diſſonantius? Miſſam feſti eadie occurrentis putà Annunciationis reſpuit Gavantus citat. Rectè omnino: attamen alterutram, vel feſti, vel votivam aliquam, putà de Paſſione, longè adhuc congruentiorem judico pro tali Hora: aptiſſimam verò, omnium, nullam.

QUÆSTIO XXX.

Quis ritus accendendi Cereum Paſchalem?

NOn de prima illa accenſione quærimus, quæ ſolemniter fit à Diacono Sabbato Sancto inter ipſummet Cereum benedicendum, cujus ut & Cerei ipſius præclara myſteria pluribus proſequuntur accurati Rituum interpretes, juvabitque nos aliàs eadem inveſtigare pleniùs; ſed de ea accenſione quæ reperi ſolet tempore Paſchali uſque ad Aſcenſionem, quibus videlicet diebus, & ad quas Horas Cereus ille ſit accendendus? Pertinet autem quæſtio hæc ad noſtrum inſtitutum, quarenus Rubrica poſita in feſto Aſcenſionis, id quidem expreſsè habet, ut dicto Evangelio extinguatur Cereus Paſchalis, nec ulteriùs accendatur, niſi in Sabbato Pentecoſtes ad Benedictionem Fontis; at quandonam aliàs ſit accendendus, nullibi Rubricarum pronunciatur, ſuntque hac in re varii Eccleſiarum uſus.

Varii uſus accendendi Cereum Paſchalem.
Ecclеſ. Turonenſ.

Inprimis laudabilis valdè eſt conſuetudo utriuſque Eccleſiæ Turonenſis, tum Metropolitanæ, tum Collegiatæ S. Martini, neſcio annon & aliarum, ut à prima ſui accenſione Sabbato Sancto facta non extinguatur Cereus ille uſque ad Veſperam diei Paſchæ, ſed reliquo die Sabbati, totaque nocte ac die ſequentibus perpetuò ardeat; deinceps verò ſingulis diebus ad Miſſam omneſque Officii Horas, ſaltem præcipuas, Matutinum videlicet ac Veſperas, accenditur, eaque proinde forma ac proceritate effingitur, ut ad id ſufficere valeat.

Tota nocte & die Reſurrectionis.

Ad Miſſam & Veſperas tridui Paſcharis, Sabbati in Albis & Dominicarum Temporis Paſch. Gavantus.

Sacra Rituum Congregatio 19. *Maji* 1607. cenſuit regulariter accendi debere ad Miſſas & Veſperas ſolemnes in triduo Paſcharis, in Sabbato in Albis & Dominicis uſque ad Aſcenſionem. Addit Gavantus *part.* 4. *tit.* 10. *numer.* 48. à peritioribus laudari, ut ardeat à Sabbato Sancto uſque ad Dominicam in Albis incluſivè ad Miſſam, & ad omnes Horas, quia, inquit, eſt unicum Reſurrectionis feſtum. Et verò ubi ſervatur adhuc conſuetudo procedendi ad Fontes in Veſperis hebdomadæ

Ad Miſſam & omnes Horas hebdomadæ Paſchæ.

Paſchalis, geſtari debet Cereus accenſus, inſtar columnæ Neophytos præeuntis, ait Albinus Flaccus ubi de Sabbato in Albis. Præterea accendi debet diebus Dominicis à Veſperis Sabbati uſque ad Completorium Dominicæ incluſivè, ad Miſſam & omnes Horas, quia Dominica eſt repetitio feſti Reſurrectionis; & ubi Miſſa Parochialis ſeu Conventualis ſolemnis non eſt, nihilominus accenditur. Poſtremò à primis Veſperis Aſcenſionis Domini uſque ad finem Evangelii Miſſæ ſolemnis ſeu principalis. In aliis diebus, inquit Gavantus, non accenditur. Haud tamen putaverim ipſum improbare, quod habet Ceremon. Monaſticum, ut videlicet accendatur in feſtis ſolemnioribus ad Laudes, Miſſam, & utraſque Veſperas: in aliis verò minùs ſolemnibus ad Miſſam & utraſque Veſperas. Certum verò illud eſt, nunquam accendi debere in Officio vel Miſſa Defunctorum, quantumlibet ſolemnia fuerint. Certum item nec id exigere Miſſas privatas, ut ulla die in iis accendatur; unde quibus uſus eſt ejuſmodi, aliorum Officiorum penuria id facere putandum eſt. Sed cur ad Evangelium in Miſſa, & ad Magnificat in Veſperis duntaxat accendant, rationem à me ne quæras, quia neſcio, ni tu docueris. Cereus ipſe à latere Evangelii ſolet collocari. Collocatur tamen nec minùs commodè in majoribus Eccleſiis in ipſo Chori medio.

Albinus.

Iiſdem diebus Dominicis.

In feſtis item ſolemnioribus.
Cæremoniale Monaſticum.

Nullatenus in Officio Defunctorum.

Quatenus in Miſſis privatis.

QUÆSTIO XXXI.

Ut diſponenda Officia & Miſſa quorumdam feſtorum, cum ea extra Tempus Paſchale transferri contingit, & è contrà?

QUorumdam dixi, nam de omnibus, in quibus Officium de Communi ſumitur, nulla eſt difficultas; ſumitur enim pro iis tam Officium quàm Miſſa de Communi extra tempus Paſchale, ut dictum eſt *libr.* 3. *capit.* 12. *quæſt.* 1. At eorum quæ Officium & Miſſam habent propria, ſive quoad totum, ſive quoad partes aliquas, puta Inventionis S. Crucis, SS. Philippi & Jacobi, S. Joannis ante Portam Latinam, Apparitionis S. Michaelis &c, non tam facilis eſt adaptatio. Univerſim ſummovendum *Alleluja* à fine Antiphonarum, Invitatorii, Reſponſoriorum & Verſuum. Item reponendæ tres Antiphonæ in quolibet Nocturno; quæ, ſicut & cætera quæ deſunt propria, de Communi ſupplebuntur, ſeu in Inventione S. Crucis & Apparitione S. Michaelis, ex aliis feſtis Exaltationis, & Dedicationis.

Alleluja ſummovendum à fine Antiphonarum &c.

In Miſſa ſummovendum itidem *Alleluja*, ab Introitu, Offertorio & Communione, reponendumque Graduale loco primi Verſus. Quæ autem propria ſunt Temporis Paſchalis, aliunde ſupplenda, putà in feſto SS. Philippi & Jacobi, Epiſtola, Graduale & Offertorium ex Miſſa votiva Apoſtolorum. In Inventione S. Crucis, exceptis Orationibus, Evangelio & Offertorio, reliqua tota Miſſa ut in Exaltatione. In feſto S. Joannis ante Portam Latinam, præter Orationes & Evangelium, reliqua ut in principali ejus feſto. In feſto SS. Nerei &c. Martyr. Miſſa de Communi extra tempus Paſchale, retentis Orationibus & Evangelio propriis.

Supplenda aliunde quæ propria ſunt Temporis Paſchalis.

E contrà verò in feſto S. Barnabæ occurrente Tempore Paſchali, Officium ſumitur de Communi Apoſtolorum pro eo tempore; Miſſa verò ut in feſto S. Marci, præter Orationes, Epiſtolam & Evangelium. Ita præſcribitur in poſtrema Miſſalis recognitione. Quæ omnia ſuis quæque locis accuratiùs ſecundo tomo, ſi Deus dederit, diſcutientur.

Feſtum S. Barnabæ ut ſi Tempore Paſchali.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO XXXII.

Utrum infra Octavas Sanctiſſimæ Trinitatis fieri poſſit de feſto Semiduplici?

DUbitandi occaſio hinc oritur, quòd Feria ſexta & Sabbato fieri debeat de tali Octava præ Octava Corporis Chriſti, uti aſſerit Gavantus nemine contradicente. Ipſa autem Octava Corporis Chriſti excludit omnia Semiduplicia, ergo & excludere debet à fortiori Octava Trinitatis, cui cedit ipſamet Octava Corporis Chriſti. Jam verò ſi Semiduplex occurrens prædictis Feria ſexta & Sabbato excludatur, quidni excludetur quoque occurrens in Feriis 2. 3. & 4. cùm eadem ſit Octava? Reſpondeo, dato antecedenti, haud tamen videri mihi conſequens eſſe concedendum: quòd enim excludatur prædictum Semiduplex à Feria ſexta & Sabbato, privilegium eſt, non Octavæ Trinitatis, ſed Corporis Chriſti, de qua utique fit commemoratio: at nullum tale privilegium conceſſum eſt Octavæ Trinitatis, quo per ſeſe excludat Semiduplex à Feriis 2. 3. & 4.

Reſpondetur affirmativè.

QUÆSTIO XXXIII.

An dicenda ſit nona Lectio de Homilia Dominicæ ſeu Feriæ, quando idem eſt ejus Evangelium quod feſti?

OCcurrit caſus ille in iis Eccleſiis, quæ in feſto S. Ludovici Regis Francorum legunt Evangelium *Conſiderate lilia agri*. Cùm enim Evangelium illud contineatur in Evangelio Domin. 14. poſt Pentecoſt. ſi quando feſtum S. Ludovici in eam Dominicam incidat, (quod utique fieri poteſt) erit ex parte idem feſti ac Dominicæ Evangelium. Reſpondeo, ſi eſſet planè idem, omnino omittenda videretur Homilia Dominicæ in Matutino, ſicut & Evangelium in fine Miſſæ. Quorſum enim unum idemque bis repetere? At cùm non ſit idem utriuſque initium, & multis ſuperet textus Dominicæ textum feſti, judicaverim congruentius retinendam Homiliam Dominicæ in Matutino, adeòque & Evangelium in fine Miſſæ. Atque inde facilè argues quid in alio ſimili caſu agendum, ſi fortè occurrat.

Si idem ex toto eſt, ne legatur; ſecus ſi ex parte tantùm.

QUÆSTIO XXXIV.

An dicendæ preces Feriales in Vigiliis quæ non jejunantur?

VIdetur quòd non; habet enim expreſsè *Rubrica* 34. *num.* 3. Rubrica item propria poſita Feria ſecunda, ante ipſas preces dicendas tantùm *in Vigiliis quæ jejunantur*. At cùm *libr.* 1. *cap.* 17. *quæſt.* 3. de iis faciendum eſſe Officium demonſtraverimus, conſequens eſt ut preces itidem dicantur; urget enim idem loci illius argumentum, duo eſſe genera Vigiliarum, earum videlicet quæ jejunantur, ſeu quæ ex ſe jejunabiles ſunt, quamvis ex accidenti alicubi non jejunentur, & earum quæ ex ſe nullibi jejunantur, quales ſunt duæ tantùm Epiphaniæ & Aſcenſionis; & hæ quidem à præfata Rubrica excipiuntur, haudquaquam verò aliæ, quæ conſuetudine locorum à jejunio excidere, ſuntque quatuor ut plurimum, S. Matthæi, S. Jacobi, S. Bartholomæi & S. Thomæ. In his itaque ut Officium, ſic & preces vi Rubricæ hujus dicendas affirmo; ſunt enim eæ ab Officii illius forma inſeparabiles; unde & eas obtinet in Breviariis propriis Pariſienſi & Meldenſi Vigilia S. Dionyſii, licèt minimè jejunetur.

Reſpondetur affirmativè.

QUÆSTIO XXXV.

Quodnam Officium faciendum in feſto duorum Sanctorum, quorum unus eſt Martyr, alter verò Confeſſor?

TRactanda fuerat quæſtio hæc *libr.* 3. *cap.* 13. quam ibi omiſſam, commodè hìc recuperamus. Caſus verò hic ſemel dumtaxat in Breviario Romano contingit, nempe in Feſto SS. Victoris Papæ & Mart. & Innocentii Papæ & Confeſſor. quando ambo ſeparantur à SS. Nazario & Celſo in Eccleſia horum propria. Gavantus *ſect.* 7. *capit.* 9. refert decretum fuiſſe à Sacra Rit. Congregat. 12. *Februar.* 1633. Officium de Communi plurimorum Martyrum, tum quia, inquit, S. Innocentius colitur ut Martyr unà cum Martyre: dubia hæc ratio eſt; etſi enim colatur cum Martyre, non tamen ut Martyr, cùm verè talis non ſit; tum quia colitur in tota Eccleſia cum Officio Martyrum: ita quidem, ſed junctus cum pluribus Martyribus, non autem cum uno tantùm; tum quia Martyr ut nobilior trahit ad ſe non Martyrem. Tolerabilis hæc ratio; ſed quam ſubdit de Pſalmis Martyris tributis S. Martino Confeſſori, itidemque SS. Agneti & Agathæ, ut probet à pari poſſe Confeſſori tribui Officium Martyrum, frigida eſt minùſque valens. Item explicat Antiphonas illas, *Iſtorum eſt enim. Iſti ſunt qui venerunt &c.* de præparatione animi ad Martyrium reſpectu Innocentii, vel quia plurale ponitur in Breviario pro ſingulari, & è contrario, ut cùm de pluribus Apoſtolis dicitur, *Colloret eum Dominus &c.* & de uno, *Iſti ſunt qui viventes &c.* Placet magis quam poſtremam omnium affert de accipiendis illis verbis, totoque Officio encomiaſticè in laudem totius ordinis Martyrum. In quo ſenſu nos explicuimus anteà verba illa, *Omnes Sancti quanta paſſi ſunt tormenta*. Optima verò omnium ratio eſt, quòd cùm jam eſſent Sancti duo illi ſimul juncti, ſatius viſum fuit Sacræ Congreg. id decernere, quàm alium ab alio celebrando, feſta duo, imò tria pro uno celebrare. Singulare porrò cùm ſit ejuſmodi Decretum, haudquaquam extendi debet ad caſus alios ſimiles, in quibus, ſi commodius & congruentius videbitur Eccleſiarum Præſidibus, ſecùs decerni poterit.

Caſus de SS. Victore & Innocentio Pontificibus.

Rationes Gavanti rejectæ.

Ratio verior.

SECTIO V.

ETſi jam extra metam currimus, non tamen extra rem. Examinamus hac poſtrema Sectione, Officia votiva, quæ præter Officium quotidianum in Breviario præſcriptum certis diebus in Choro aut extra Chorum pro opportunitate temporis recitantur. Appendices Breviarii vocat Gavantus *ſect.* 9. Item Miſſas votivas, quæ & ipſæ dicuntur præter ordinem diei; ac demum Officium Miſſaſque Defunctorum; quo peracto, operi huic finem imponimus. Spectant autem illa omnia ad Tractatum de feſtis propriis, quatenus vel ex eorum occurrentia omittuntur, vel in aliquibus Eccleſiis extraordinariè uſurpantur, vel denique illorum ratio à Romano uſu alia eſſe deprehenditur.

CAPUT XIX.

De utroque Officio B. Mariæ, tam in Sabbato quàm parvo.

Utrumque Officium B. Mariæ qualiter dicitur votivum.

UTrumque ſimul jungimus, quòd ad eamdem B. Virginem pertineat, non autem quòd utriuſque ſit eadem ratio. Eſt enim primum ordinarium diei in quo dicitur, eoque ſenſu non votivum, ut rectè arguit Gavantus *ſect. 8. capit. 6. num.* 1. Alterum verò eſt ſuperadditum Officio diei, ex obligatione quidem in Choro, ſive vi Decreti Urbani II. ſive potiùs, ut fert communis opinio Summiſtarum, ac Juris Canonici interpretum, conſuetudine vim legis obtinente. Extra Chorum verò, relaxatione Pii V. ex devotione tantùm, eoque nomine votivum, ſicut & utrumque ſic appellari poteſt, quatenus, ait idem Gavantus, habet originem à voto Eccleſiæ.

QUÆSTIO I.

Quis ritus Officii B. Mariæ in Sabbato?

Semiduplex in uſibus Rhem. Rothom. Carnut. & aliis.

SEmiduplicem faciunt, ſeu novem Lectionum uſus Rhemenſis, Rothomagenſis, Carnutenſis & plerique alii, ubi videlicet Eccleſiæ primariæ dicatæ ſunt eidem B. Virgini: Regulares item non pauci; quibus omnibus opus eſt Lectionibus ſecundi Nocturni, & Homilia in Evangelium pro tertio item Nocturno, quas digeſtas habet Rothomagenſe Breviarium per menſes binos & binos, Rhemenſe verò juxta varietatem temporum, Adventus, poſt Nativitatem &c. Alii ſimplicem quidem ritum ſeu trium Lectionum dumtaxat adhibent; at loco Nocturni de Pſalterio, novem Pſalmos de Officio ejuſdem B. Virginis aſſumunt ſub una Antiphona. Gaudeant illi omnes ſuis privilegiis ſuaque conſuetudine, quibus ejuſmodi legitima ſunt. At longè iis præſtat Romanus uſus, ritu ſimplici Officium prædictum peragens, à quo recedere nullatenus debent, qui ei adſtricti ſunt.

In aliis ſimplex novem Pſalmorum.

Præſtat omnibus Rom. uſus.

Nec minùs idcirco cenſendi ſunt bene erga B. Virginem affecti; nam ut ait S. Bernardus, *Honoranda valde mater Domini, ſed honor Reginæ judicium diligit:* Judicium autem in eo eſt, ut quæ prima habetur Officii divini inſtitutio, Pſalterii nimirum integri per ſingulas hebdomadas recitatio, ordinariè non omittatur, omittitur verò ordinariè juxta prædictos uſus, ſuppreſſis ſtato ſemper die certis Pſalmis, eoſque proinde non admodum probat Radulphus *propoſ.* 20. Laudandus è contrà Romanus, qui ſic Officio Sabbati ipſam B. Virginem colit, ut quod obſervavimus aliàs, nullum inde, ne vel unius Pſalmi detrimentum inferatur. Laudandus item Turonenſis, qui cùm ritum æquè ſimplicem retineat, ſolemnitatem nihilominus in Choro more Semiduplicium adhiberi præcipit.

Bernardus.

Radulphus.

QUÆSTIO II.

A quibuſnam feſtis propriis impediatur Officium B. Mariæ in Sabbato?

Impeditur ab omni Offic. novem Lectionum & Vigiliis.

AB omnibus Duplicibus & Semiduplicibus, diebus infra Octavas, necnon etiam Vigiliis ubi aliquas fieri contingit. Vigilias non excipiunt uſus Rhemenſis, Rothomagenſis, Carmelitanus & alii, neque item Octavas, niſi fuerint ſolemnes, imò nec ipſum tempus Adventus Rhemenſis, niſi in Sabbato Quatuor Temporum: piè id quidem & ſuis juribus congruenter, haudquaquam tamen aptum à Romano utentibus ſuſcipi, ſicut nec quod habet Breviarium S. Martini Turonenſis, ut omittatur ejuſmodi Officium occurrente feſto ſimplici.

QUÆSTIO III.

Quæ ratio habenda hujuſce Officii in concurrentia feſtorum propriorum?

Commemoratio in Veſperis præcedentis feſti, niſi fuerit primæ claſſis, aut B. Mariæ.

EAdem quæ in concurrentia cæterorum, nempe ſi præcedat feſtum Duplex, vel Semiduplex, ſit commemoratio dumtaxat de B. Maria in Veſperis Feriæ ſextæ, niſi ipſum feſtum fuerit etiam B. Virginis, aut primæ claſſis; tunc enim debet omitti ejuſmodi commemoratio. Hunc etiam morem ſervant Eccleſiæ Rothomagenſis, Carnutenſis, & aliæ, quæ licèt Officium iſtud ritu Semiduplici ordinent, haud tamen dimidiant Veſperas cum præcedente Semiduplici.

Ad Completorium terminatio Hymni.

Facta porrò prædicta commemoratione in Veſperis, dicitur ad Completorium, *Jeſu tibi ſit gloria, Qui natus es de Virgine &c.* niſi feſtum præcedens habeat quoque terminationem propriam, ut feſtum Transfigurationis.

An verò dici quoque debeat omiſſa commemoratione? Negat Gavantus *ſect. 5. cap. 6. num.* 15. haud tamen multùm reſiſterem aſſerenti è contrario debere dici. Eſto enim nondum inchoatum fuerit Officium de B. Maria formaliter & expreſsè, quatenus nulla de ea facta eſt commemoratio; at cùm de eadem poſtridie futurum ſit Officium, quidni virtute ſaltem cenſeri debet inchoatum? adeòque jam inde aſſumenda quæ ejus ſunt, perinde atque retinentur in feſto aliquo primæ claſſis occurrente intra Octavas, quæ ad Octavam pertinent, licèt de ea nulla fiat commemoratio.

Non concurrit hoc Officium cum ſequenti.

Hujus denique Officii cum altero, nulla eſt concurrentia, ceſſat enim ad Nonam more Simplicium, quod & ſervant ſupradictæ Eccleſiæ, apud quas eſt Semiduplex. Libellus tamen Patrum Diſcalceatorum, teſte Gavanto à Sacra Congregatione approbatus, dimidiat Veſperas cum ſequenti Dominica, continuatque in Hymno Completorii, *Jeſu Qui natus es &c.*

QUÆSTIO IV.

Quibus diebus omittendum Officium parvum B. Mariæ, ratione Feſtorum propriorum?

OMnibus, in quibus fit Officium novem Lectionum, ſive de feſto Duplici, ſive de Semiduplici, ſive de die infra Octavam. Ita fert Rubrica propria poſita ante dictum Officium.

Omittitur in Adventu aliiſque Tēporibus ſecundùm varios uſus.

Omittunt prætcrea aliqui uſus proprii certis aliis diebus & temporibus, videlicet Turonenſis in Adventu, & à Dominica Paſſionis uſque ad Octavam Pentecoſtes. Itidem Pariſienſis, Meldenſis, Silvanectenſis, & alii qui & immunitatem hanc Adventus inſuper extendunt uſque ad Purificationem. Omittit Andegavenſis in Vigiliis ſolemnibus Feſti Omnium Sanctorum, & S. Andreæ: Rothomagenſis quoque in Vigiliis Aſcenſionis, Pentecoſtes & Aſſumpt. B. Mariæ, quæ apud ipſum ſimplici ritu fiunt. Quæ agendi ratio haud eſt in propriis ejuſmodi uſibus ulli reprehenſioni obnoxia, tum quia legitima jam præſcriptione firmata eſt, tum quia nulla hujuſce Officii decantandi obligatione exiſtente, etiam in Choro, niſi ex conſuetudine ubique recepta, non autem ex ullo jure ſcripto, uti Doctores omnes affirmant apud Azor. *part.* 1. *libr.* 10. *cap.* 16. *quæſito* 1. ſit omnino ſatis ejuſmodi conſuetudini vim legis obtinenti, ſi juxta modum quo in ſingulis Eccleſiis recepta eſt ſervetur. Eſt quippe ſui ipſius interpres optima conſuetudo. Ex quo id etiam planè conſequens eſt, ut quibus è contrà talis agendi ratio uſitata non eſt, ii eam de novo nullatenus ſuſcipere queant.

Azor.

Digitized by Google

queant. Imò laudabile prorſus erit, ſi abdicata ſponte præfata conſuetudine, cæteri ſe Romano uſui omnium probatiſſimo conforment, quod nemo queri poterit eſſe nimis oneroſum, poſtquam inducta ubique feſtorum Duplicium ac Semiduplicium multitudo atque congeries paucos admodum dies, ac vix è decem unum, huic parvo B. Virginis Officio reponendo vacuos ac liberos relinquit.

Gavantus. Dolet ſuper hoc Gavantus noſter *ſect. 9. cap. 1. num. 7.* ſed quos monet ut ipſi viderint, oculos habent, ut videntes non videant.

QUÆSTIO V.

An ex uſu proprio dici debeat prædictum parvum B. Virginis Officium aliis diebus quàm quibus à Rubrica notatur?

Varii uſus recitandi hoc Officiũ.

NImirum uſus Rothomagenſis ab eo non eximit feſta Semiduplicia, nec Octavas, niſi Paſchæ tantùm ac Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Aſſumptionis & Nativitatis B. Mariæ. Ambianenſis ſolas Paſchæ & Pentec. & B. Mariæ. Carnutenſis ne ipſas quidem priores tres ferias hebdomadæ majoris. Itidem Ordo Prædicatorum. Sed omnium ſtrictiſſimus hac in parte uſus Ciſtercienſis, qui nullum diem ab hoc onere immunem habet. Quid verò juris in hiſce omnibus?

Retinenda cujuslibet Eccleſiæ in hoc conſuetudo, etiam admiſſo Romano Breviario.

Reſpondeo, ſtare in integro vim conſuetudinis ejuſmodi inſtar legis obligantis, adeòque nihil ab ea poſſe remitti legitimè; quod non tantùm locum habet pro iis Eccleſiis quibus ſuum adhuc perſtat Breviarium proprium, prædictis uſibus obnoxium, ſed etiam pro aliis quæ ad Romanum convolarunt. Expreſſa enim eſt exceptio Pii V. in ſua Bulla ſic loquentis: *Hoc autem concedimus* (nimirum relaxationem Officii B. Virginis extra Chorum) *ſine præjudicio ſanctæ conſuetudinis illarum Eccleſiarum, in quibus Officium parvum B. Virginis in Choro dici conſueverat, ita ut in prædictis Eccleſiis ſervetur ipſa laudabilis conſuetudo celebrandi more ſolito prædictum Officium.*

Gavantus. Ad hæc decrevit Urbanus VIII. de conſilio Sacræ Rit. Congreg. 2. *Jan.* 1627. referente Gavanto *ſect. 9. cap. 1. num. 6.* etiam mutato proprio Breviario & Romano acceptato, adhuc teneri eos ad quotidianam Officii B. Virginis recitationem, qui antea ex conſuetudine tenebantur. Haud tamen putaverim cum ipſomet Gavantò & Azor nu-

Azor. per cit. *quæſ.* 3. Canonicum earum Eccleſiarum teneri extra Chorum ad id Officium recitandum. Favet enim cuilibet in particulari Pii V. relaxatio, cùm nullam ipſe ſubdiderit exceptionem. Non putaverim quoque ullibi recitandum Officium hocce parvum B. Mariæ, iis diebus, quibus Officium majus eſt de eadem; ſi enim de uno eodemque non fit Officium ſimul & Commemoratio, multò minùs Officium & Officium.

QUÆSTIO VI.

Quis modus jungendi prædictum Officium cum Officio diei?

Radulphus.

Alii præmittunt Officio diei, alii poſtponunt.

NOtat Radulphus *prop.* 20. ſecundùm uſum plurium, ſingulas Horas hujuſce Officii, ſive in Choro, ſive privatim, dici ante Horam principalem, excepto Completorio; quod præcipuè in Ordine Ciſtercienſi ſervatur. Secundùm verò uſum Fratrum Minorum, quem Romanum eſſe ait, Matutinum & Veſperas præponi Officio diei, cæteras verò Horas poſtponi, quæ & eadem eſt Rubrica Breviarii Romani moderni. Cui tamen contrariam habent plerique uſus Galliæ, Matutinum ipſum quoque ac Veſperas Matutino ac Veſperis diei poſtponentes.

Forma jungendi hujus Officii cum Officio diei. *Uſus Pariſ.*

Forma autem jungendi eſt ejuſmodi, ut videlicet, dictis ante Matutinum, *Pater*, *Ave*, *Credo*, & ante Veſperas *Pater*, *Ave*, incipiatur Officium B. Mariæ, in cujus fine, dicto *Benedicamus*, ſtatim ſubjungitur Officium diei. Placet ſatis uſus Pariſienſis, vicinioribus quoque Eccleſiis Meldenſi & Silvanectenſi acceptus, inſerendi Matutinum & Veſperas hujus Officii, intra Matutinum & Veſperas diei, ſtatim poſt commemorationem de Cruce, aut ſi non fit, dicto *Benedicamus* poſt primam Orationem, eo ipſo loco quo ponitur commemoratio ejuſdem B. Mariæ: dicta verò in fine Oratione B. Mariæ, pergitur in Suffragiis. In aliis omnibus Horis dicto *Benedicamus*, poſt Orationem de Officio diei, ſubjungitur par Hora de Officio B. Virginis. Prima tamen dicitur ante Lectionem Martyrologii: Completorium verò ante *Benedicat & cuſtodiat &c.* Neque huic præmittitur Salutatio Angelica, de quo dubitavere nonnulli, propterea quòd in principio Completorii de die dicta non fuerit. Verùm Rubrica illa ſingulis Horis præmittendi Salutationem Angelicam, locum non habet cùm prædictum Officium jungitur cum Officio diei, ut patet ex textu ipſius.

Ante Completorium dicenda non eſt Salutatio Angelica; quando jungitur cum Completorio diei.

QUÆSTIO VII.

Licetne aliqua in hoc Officio variare?

UT in cæteris Officiis, ſic & in iſto pleraque variant alii uſus à Romano. Libet obſervare præcipua.

Lectiones aliæ.

Erant olim uſitatæ multis, & ſunt etiamnum aliquibus tres Lectiones de S. Auguſtino, *O Beata Maria quis tibi valeat &c.* Aliis tres aliæ incerti Authoris, quarum meminit Radulphus *prop.* 20. *Sancta Maria piarum piiſſima*. Aliquibus in Adventu tres de Iſaia, *Locutus eſt Dominus ad Achaz.*

Hymni.

Hymno *Memento ſalutis author*, plerique olim, nunc etiam aliqui addunt primum Verſum *Veni Creator Spiritus*, ultimum præterea Cluniacenſes,

Per tuum Virgo filium,
Per Patrem ac Paraclitum,
Adſis præſens ad obitum,
Noſtrumque muni exitum.

In Pariſienſi Breviario habetur pro Matutino Hymnus, *O quàm glorifica*, pro Laudibus verò & Completorio, *Virgo Dei genitrix*. Pro quo in aliis ponitur, *Virgo ſingularis*, *Inter omnes mitis*. Antiqua Breviaria non pauca, tempore Adventus Hymnum ſignatum ad Laudes habebant, *Vox clara ecce intonat*, & per Horas, *Te deprecamur agie*. Poſt Nativitatem verò, pro Laudibus, Hymnum *A ſolis ortu*, per Horas *Beatus author ſæculi*, ſeu *Enixa eſt puerpera*, pro Veſperis denique *Veni Redemptor gentium*.

Pſalmi.

Eſt in Pſalmis nonnulla quoque variatio: nam ad Primam habent Rhemenſe, Turonenſe & alia, poſt *Deus in nomine tuo*, Pſalmos, *Laudate Dominum omnes gentes* 116. & *Confitemini Domino quoniam bonus* 117. Rothomagenſe autem Pſalmos *Beatus vir*, *Quare fremuerunt*, & *Domine quid multiplicati ſunt*; Monaſtica per Horam, Pſalmos, *Beati immaculati*, *Legem pone &c.* Ad Veſperas olim apud multos Pſalmi de feſto Nativitatis Domini; apud nonnullos etiam, *Sæpè expugnaverunt*. *De profundis*. *Domine non eſt exaltatum cor meum*. *Memento*. *Ecce quàm bonum*. Ad Completorium denique, Turonenſe, Rothomagenſe, & alia antiqua Breviaria, Rhemenſe item & Aurelianenſe, etiam recens emendata, Pſalmos ſignant, *Uſquequò exaltabitur*. *Judica me Deus*. *Sæpè expugnaverunt*. *Domine non eſt exaltatum*. Monaſtica quædam, *In te Domine ſperavi*. *Fundamenta ejus*. *Laudate Dominum omnes gentes*. Ordo Prædicatorum, *Memento Domine David*. *Ecce quàm bonum*. *Ecce nunc benedicite*.

Anti-

Antiphonæ & Reſponſoria.

Antiphonarum & Reſponſoriorum tam multiplex ferè ratio, quàm varii ſunt uſus. Sunt in multis uſitatæ per Horas Antiphonæ, *O admirabile commercium*, & ſequentes: multis item ad Veſperas poſt Nativitatem, Antiphonæ *Tecum principium &c.* Singulare eſt Dominicanis iſtud Invitatorium, *Regem Virginis filium, Venite adoremus*. Pleriquc etiam hodie in Horis apponunt poſt Capitulum Reſp. brevia, *Ave Maria. Poſt partum. Sancta Dei genitrix Virgo. Speciosa facta es.*

Invitatorium.

Reſp. brevia.

Sed nihil in hac tota obſervatione frequentius reperire eſt, quàm tres Orationes ſimul junctas ſub una concluſione in fine Laudum, Veſperarum, & omnium Horarum, nempe primam de Spiritu ſancto, ſecundam de S. Maria, tertiam de S. Joanne Evangeliſta. Ita antiqua Brev. Aurelian. Bellovacenſe, Cluniacenſe, Caſalis Benedicti, imò & Rhemenſe modernum. Fortè ut ſponſam ſponſus præire veluti conſpiciatur, filius verò matrem comitari.

Orationes de Sancto Spiritu, & de S. Joanne Evangeliſta.

Suffragiorum denique uſus in multis erat oneroſus, de S. Joanne Bapt. de Omnibus Sanctis, de Pace. Regularibus item de Patrono, & de Sanctis Ordinis. Quin & habebat Cluniacenſe antiquum Laudes, & Veſperas integras de Omnibus Sanctis.

Suffragia.

Veſperæ de Omnibus Sanctis.

Quæ omnia eò referre placuit, non quaſi liberum ſit Romano utentibus, aliqua ex his in uſum revocare aut ſectari, ſed ut vel hoc uno argumento probetur, quàm non ſit Romanus uſus cæteris prolixior, imò facilior & ordinatior. In eo tamen ſervanda eſt æquè ac in aliis differentia Temporum, ut videlicet Officium poſitum pro Adventu aſſumatur in Veſperis Sabbati ante Dominicam primam Adventus, uſque ad Nonam Vigiliæ Nativitatis incluſivè. A primis verò Veſperis Nativitatis, uſque ad Completorium diei Purificationis incluſivè, etiam cùm ipſum Purificationis feſtum transfertur, (quod non video quam ob cauſam neget Gavantus *num.* 12.) imò & per Octavas ejuſdem feſti ubi fiunt, Officium poſitum pro Tempore poſt Nativitatem; reliquo verò toto anno, illud quod primò poſitum eſt, niſi quòd toto Tempore Paſchali ſumenda eſt Antiphona *Regina cœli* ad *Benedictus*, *Magnificat* & *Nunc dimittis*. An verò eodem tempore addendum ſit *Alleluja* Antiphonis, Verſibus &c. ut fit in alio omni majori Officio, dubium quondam erat, quod mihi affirmativè omnino reſolvendum videbatur; negando tamen reſolvit Sacra Rit. Congregatio 28. *Martii* 1626. quod & Rubrica ipſa poſtremæ recognitionis ſignanter expreſſit; ideò fortè quia cùm Officium illud in Laicorum æquè ac Clericorum uſum aptatum ſit, moleſtum illis fuiſſet, tot additionibus attendendo turbari.

Rom. uſus cæteris facilior.

Servanda ratio Temporum in mutatione hujus Officii.

Alleluja non additur Tempore Paſchali ad Antiphonas &c.

CAPUT XX.

DE PSALMIS GRADUALIBUS, Pœnitentialibus, & Litaniis.

DE horum origine, appellatione, ſignificationibuſque myſticis, copioſè Gavantus *ſect.* 9. *cap.* 3. & 4. poſt Radulphum & alios antiquiores. Pauca nos dumtaxat evolvimus, quæ ex obliquo feſtorum propriorum rationem attingunt.

QUÆSTIO I.

Quandonam ratione feſtorum propriorum omittantur Pſalmi Graduales & Pœnitentiales cum Litaniis?

ASſignat Breviarium Romanum Pii V. Graduales ſingulis Feriis quartis Quadrageſimæ, quando videlicet Officium fit de Feria, initio ducto à Feria quarta Cinerum; Pœnitentiales verò cum Litaniis, ſingulis Feriis ſextis. Cùm olim Graduales, ex Gavanto, quotidie in Quadrageſima ante Matutinum recitarentur. Imò & in uſu antiquo Cluniacenſi ſingulis anni diebus. Uſu item Sanctimonialium Fontiſebraldi, diebus ferialibus Adventus & Quadrageſimæ, omnibus Feriis ſextis, & ſingulis jejuniis Eccleſiæ.

Pſalmi Graduales & Pœnitentiales olim frequentiùs uſitati.

Pœnitentiales itidem, quotidie in Quadrageſima poſt Matutinum, ex Radulpho *prop.* 21. ubi dum ait mandaſſe Innocentium III. ſuis Capellanis, ut ſolùm in Quadrageſima dicerentur, ſignificat ſatis fuiſſe anteà & aliis diebus uſitatos.

His adde Pſalmos in multis antiquis Breviariis per Horas ad preces binos, aut etiam ternos interjectos, dictoſque inde *proſtratos*, quòd inter proſternendum recitarentur. Alios item, quos Monaſtica vocant familiares, unum duoſve in feſtis, in Feriis verò quinque, Horis ſuperadditos. Denique Pſalterium ipſum diebus ferialibus Quadrageſimæ ſic fuiſſe diſtributum refert idem Radulphus, ut quotidie poſt Primam decem Pſalmi bini & bini ſub uno *Gloria Patri* legerentur. Quin & aſſignat Brev. antiquum Sylvanectenſe, quod adhuc in uſu eſt, viginti quinque iiſdem diebus itidem poſt Primam recitandos cum Litaniis & Orationibus ſequentibus valdè prolixis, & quidem tanto cum rigore, ut occurrente feſto aliquo, vel pridie, vel poſtridie recitentur quinquaginta, quò nimirum intra ſex cujuſlibet hebdomadæ Ferias totum Pſalterium complectatur.

Alii inſuper Pſalmi per Horas interjecti.

Uſus Sylvan.

Ite jam vos, prolixioris Officii exprobratores importuni, clamate, ululate, litem Pio V. Pontifici verè pio intentate, quòd ſummoto tot Pſalmorum onere, redactiſque ipſis Gradualibus & Pœnitentialibus ad unicum per ſingulas Quadrageſimæ hebdomadas diem, imò & penſo ejuſmodi nonniſi quoad Chorum impoſito, nondum tamen ſatis, non dicam occupationibus, ſed otioſitati veſtræ indulſerit. Haud equidem ſanguiſugæ eſtis vos, qui, non ut illæ *Affer Affer*, ſed magis *Aufer Aufer* perpetuò inclamatis. Sed ecce totum ferè quod flagitatis quoad Pſalmos iſtos ex voto ſuccedit, nam cùm ii præſcriptis quoque diebus dici non debeant occurrente feſto aliquo, multiplicatis jam ubique feſtis brevi penitùs evaneſcent.

Increpantur brevitatis in Officio amatores deſidioſi.

QUÆSTIO II.

An ſint Pſalmi illi ex obligatione recitandi conſtitutis Feriis, cùm nullum in iis feſtum occurrit?

SUnt equidem in Choro apud eos qui Breviario Romano utuntur. Eſt enim expreſſa Rubrica, quam & Bulla ipſa Pii V. ſuo tenore confirmat. An verò etiam apud alios, quibus id uſu proprio minimè receptum? Favet his quidem reſponſio ſuperiùs allata pro Officio parvo B. Mariæ, non teneri videlicet ad iſta ulla lege, ſed conſuetudine dumtaxat, ſi qua exiſtit; at ex hypotheſi, nulla exiſtit, ergo &c. Eſt tamen quod advertant Breviariorum inſtauratores, ne Pſalmos illos precibus Horarum interjectos, de quibus ſuprà, prætextu ad Romanum quàm fieri poteſt proximè accedendi, ſic reſcindant, ut non perinde atque in Romano factum eſt, levamen illud aliquo alio faci-

Notandum pro Breviariorum Reformatoribus.

liore

liore onere compenſent : nullum autem Pſalmorum iſtorum recitatione commodius eſt, nec verò congruentius.

QUÆSTIO III.

Quis modus prædictos Pſalmos jungendi cum Officio diei ?

Graduales Matutino præmittuntur, Pœnitentiales verò poſtponuntur.

GRaduales, uti olim teſte Radulpho, etiam nunc præponuntur Matutino dici, itemque Officii B. Mariæ ; dictis videlicet ſecretò, *Pater*, *Ave*, *Credo*, incipitur abſolutè à primo Pſalmo *Ad Dominum cum tribularer &c.* Pœnitentiales verò poſtponuntur, nempe dicto ad Laudes dici *Benedicamus*, ſtatim inchoatur Antiphona *Ne reminiſcaris &c.* in fine verò ſi diſcedendum eſt à Choro, non additur Antiphona B. Mariæ, *ex Rubr. 36. num. 3.* Obſervat Radulphus olim poſt Primam dici ſolitos fuiſſe : quod ſi alicubi adhuc ſervatur, crediderim Martyrologio præponendos ; in aliis verò Horis, dicto *Benedicamus* ; poſt Completorium denique, eo penitus expleto. Declaravit Sacra Rit. Congregatio *in una Laudenſi*, 2. *Auguſt.* 1603. conſuetudinem antiquam inveteratam recitandi in Quadrageſima Pſalmos Pœnitentiales in Choro Feria 5. præcedenti, & Graduales Feria 3. poſt Completorium, poſſe retineri. Ita Gavantus *ſect. 9. cap. 4. num. 6.* Extra Chorum tam Graduales quàm Pœnitentiales incipiunt & terminantur abſolutè.

Gavantus.

QUÆSTIO IV.

An æquè omittantur Litaniæ conſtitutis diebus, ſi in iis feſtum occurrerit ?

SIc annexæ ſunt Litaniæ Pſalmis Pœnitentialibus, ut hi quidem nunquam abſque illis in Rubrica præcipiantur ; illæ verò ſeparatim à Pſalmis præſcribuntur diebus Litaniarum majorum & minorum, hoc eſt in feſto S. Marci, & in triduo Rogationum ante feſtum Aſcenſionis Domini. Quibus ergo diebus omittuntur Pſalmi propter feſtum occurrens, Litaniæ quoque conſequenter omittendæ : ſecùs verò in illis quatuor diebus, in quibus ſeorſim à Pſalmis præſcriptæ ſunt ; quocunque enim feſto in illis occurrente, ſemper dici debent, non tantùm in Choro, ſeu in Proceſſionibus, ſed etiam privatim ab iis qui Proceſſionibus non interſunt, & quidem cum obligatione ſub peccato mortali, ut vult Gavantus poſt Suarez *lib. 4. de Horis Canon. cap. 25. num. 8. & 9.*

Litaniæ ex obligatione etiam privatim dicendæ diebus Rogationum.

Suarez.

QUÆSTIO V.

Utrum tranſlato feſto S. Marci transferendæ ſint etiam Litaniæ ſeu Proceſſiones ?

Transferendæ 1 die Paſchæ in Feriam 3. ſequentem.

POteſt occurrere feſtum S. Marci die ipſo Paſchatis, uti accidet anno 1666. in quo caſu Litaniæ, ſeu Proceſſiones, transferendæ ſunt in Feriam tertiam ſequentem, ex decreto Sacræ Rit. Congreg. *die 25. Septemb.* 1627. quod & Rubricæ de Litaniis poſt Laudes S. Marci appoſitum fuit in poſtrema recognitione Breviarii. Quocunque verò alio die occurrens prædictum feſtum transferatur, dicendæ ſunt nihilominus Litaniæ in ipſo die ex propria Rubrica, quæ jam ubique ferè communis eſt. Sunt tamen aliqui adhuc uſus hac in re diverſi, quod procedit ex varia ratione ſervandi jejunii ſeu abſtinentiæ à carnibus. Et quidem tranſlato feſto, unà cum ipſo abſtinentiam & Litanias transfert uſus Turonenſis haud ita probandus, cùm nulla ſit harum connexio cum ipſo feſto. Minùs adhuc placet uſus Carnutenſis & Aurelianenſis recens ille ac de novo ſuſceptus, transferendi abſtinentiam cum Litaniis ſeorſim à feſto, in diem Veneris poſt Octavam Paſchæ, commodè id quidem, ut abſtinentiæ parcatur, at bonam aliunde aſſerri poſſe rationem vix mihi perſuaſerim.

Uſus Turon. Carnut. & Aurelian.

Commodiores iſto, imò & Romano ritui conformiores, Nannetenſis, Venetenſis, Coriſopitenſis & ſiqui alii ; in quamcunque enim hebdomadæ Paſchæ Feriam incidat feſtum S. Marci, Litanias ſeu Proceſſiones in ea peragunt, abſtinentiam verò prorſus intermittunt, niſi fuerit Feria ſexta aut Sabbatum. Strictiores Bituricenſis & Cenomanenſis, qui in quacunque die hebdomadæ Paſchæ, tranſlato feſto abſtinentiam & Litanias retinent. Itidem Andegavenſis, niſi quòd ea ex die Paſchæ transfert in Feriam tertiam poſt Octavam, & ex Feria ſecunda Paſchæ in Feriam quartam item poſt Octavam.

Nannet. Venet. Coriſopit. &c.

Bituric. Cenoman.

Andeg.

Et hæc quidem quoad diem Paſchæ ejuſque hebdomadam, quando in eam incidit feſtum S. Marci. Quoad verò Dominicas conſequentes, non improbandus uſus Pariſienſis, qui idem olim erat Bituricenſis & Aurelianenſis, transferendi abſtinentiam cum Litaniis ſeu Proceſſionibus in Feriam ſecundam ſequentem, eòque ſpectant duo illi Verſus,

Pariſienſ.

> *Si ſint lux Domini, ſimul & ſolemnia Marci,*
> *Fit jejunando Proceſſio luce ſequenti.*

Quamquam ubique ferè receptum eſt, ut fiant in Dominica ipſa Proceſſiones & Litaniæ, ceſſet verò tum abſtinentia : inauditum ſiquidem eſt in Eccleſia, ut in ulla Dominica extra Quadrageſimam ſervetur uſpiam abſtinentia ; quam tamen *anno* 1638. fuiſſe ſervatam accepi in aliqua Diœceſi Galliæ, Epiſcopo rigorosè nimis præceptum hoc interpretante.

Servata alicubi abſtinentia die Dominica.

Quid verò in hac multiplici uſuum varietate agendum ſit Romanum Breviarium ſectantibus, facile eſt definire : cùm enim ad abſtinentiam ſervandam eo quiſque die teneatur quo in Diœceſi præcepta eſt, abſtinentiæ autem tamquam comites adjunctæ ſint Litaniæ ſeu Proceſſiones, eæ omnino videntur eo ſemper die peragendæ, quo ſervatur in Diœceſi abſtinentia.

Litaniæ dicendæ eo die quo in qualibet Diœceſi ſervatur abſtinentia.

At ſi eo item die occurrat feſtum Patroni, aut Dedicationis Eccleſiæ, ſeu quodvis aliud ſimile, eritne nihilominus locus integer Litaniis ? Providit huic caſui uſus Cenomanenſis, in quo poſtridie Octavæ Paſchæ, celebratur quotannis feſtum Dedicationis Eccleſiæ ; nam ſi is dies fuerit S. Marci, abſtinentia & Proceſſiones transferuntur in ſequentem diem, feſtum verò in primam diem non impeditam. Eſt ratio illa omnino laudabilis & retinenda iis in Diœceſibus, ubi uſu recepta eſt ; habet enim paritatem cum ea ratione qua diximus aliàs anticipari laudabiliter jejunium Vigiliæ occurrentis in ſimili feſto. At ubi talis uſus non eſt, recitandæ erunt Litaniæ & Proceſſiones faciendæ, neque enim omiſiſſet Rubrica id explicare pro ipſiuſmet S. Marci Eccleſiis, ſi aliter faciendum fuiſſet. Idemque eſto judicium de tribus diebus Rogationum, ſi in altero quoque illarum ſimile feſtum incidat. Eſtque hæc praxis Eccleſiarum Turonenſis & Aurelianenſis, hujus in feſto Inventionis S. Crucis, illius in feſto Tranſlationis S. Gatiani.

Dicendæ in feſto Patroni aut Dedicationis.

Uſus Cenom.

Turon. & Aurelian.

QUÆSTIO VI.

Qua ratione jungendæ Litaniæ cum Officio diei ?

DIcto ad Laudes *Benedicamus Domino*, ſtatim inchoatur pro Litaniis *Kyrie eleiſon*, & continuatur flexis genibus, ut vult Gavantus, cui non diſſentior, nec in fine additur Antiphona B. Mariæ. Itidem in Proceſſione, dicto *Benedicamus* in fine Horæ quæ præcedit Miſſam, inchoatur Antiphona *Exurge &c.* ut in Rituali ſeu Proceſſionali

An ſingulæ invocationes bis repetendæ.

nali notatur. In Litaniis verò decantandis, alii ſingulas Sanctorum invocationes integras repetunt, ut in Vigiliis Paſchæ & Pentecoſtes; alii Cantoribus ſimpliciter reſpondent *Ora pro nobis*. Standum, inquit Gavantus *ſect.* 6. *cap.* 16. *num.* 5. locorum conſuetudini, habita etiam ratione longioris aut brevioris viæ.

Rejicitur opinio Gavanti exiſtimantis poſſe Litanias pridie recitari.

Haud tamen placet quod ſubdit Gavantus *ibidem num.* 6. poſſe eum qui recitat veſperi Matutinum cum Laudibus, recitare Litanias, quia, inquit, Rubrica conjungit Litanias cum Laudibus, quibus idcircò adimitur ℣. *Fidelium anima*, & acceſſorium ſequitur naturam principalis; non, inquam, placet hæc reſolutio. Licèt enim Litaniæ jungantur cum Laudibus, non tamen habentur, aut verè ſunt pars illarum, adeòque iis veſperi anticipatis, non ſtatim ſequitur Litanias ipſas poſſe etiam anticipari; ſicut nemo dixerit poſſe anticipari veſperi Miſſam, quæ mane jungi poteſt cum Laudibus, iiſque adimere Antiphonam finalem B. Mariæ. Sed ecce tibi argumentum ad hominem.

Argumentum à pari de Officio Defunctorum.

Refert ipſemet Gavantus *ſect.* 7. *cap.* 13. *ad* 2. *Novemb.* Decretum Sacræ Congregationis Rituum 1. *Septembris* 1607. ne pridie Commemorationis omnium fidelium Defunctorum veſperi recitetur Matutinum Defunctorum, ſed ipſa die mane. Quæro à Gavanto, annon Matutinum & Laudes Defunctorum æquè pars ſint Laudum diei ac Litaniæ, nam æquè Laudibus adjunguntur per Rubricam, & æquè iis adimunt Verſum *Fidelium anima*. Imò cùm Matutinum & Laudes Defunctorum talia ſint per ſe, magis accedunt ad formam Laudum diei quàm Litaniæ. Adde quòd uſus eſt multarum Eccleſiarum, ut veſperi decantent Matutinum & Laudes Defunctorum; at nullibi receptum eſt ut Litaniæ pridie decantentur.

A ratione Decreti.

Denique ſi quæ ratio Decreti illius afferri poteſt, ea vel maximè, quòd cùm dies 2. Novembris addicta ſit communi Eccleſiæ voto fundendis Orationibus pro Defunctis, anticipato veſperi Matutino cum Laudibus, nihil pro Defunctis ſupereſſet Orationis in ipſa die; at ejuſmodi ratio æquè pugnat, imò ampliùs, pro Litaniis; nam cùm ex inſtituto Eccleſiæ univerſalis addictæ ſint diei 25. Aprilis, & tribus diebus Rogationum, ad certum finem, ad quem etiam inſtitutum eſt jejunium ſeu abſtinentia; ſi veſperi anticipentur, nihil ſupererit ejuſmodi precum in ipſo die jejunii, nihil inquam prorſus, cùm tamen anticipato pridie Officio Defunctorum, adhuc ſuperſit ipſo die Miſſa à ſingulis Sacerdotibus pro Defunctis celebranda.

Solvitur objectio.

Nec obſtat quod antè diximus de Pſalmis Gradualibus & Pœnitentialibus, poſſe illos ex declaratione Sacræ Rit. Congreg. anticipari veſperi, tum quia liberum non eſt talem declarationem ad ſimilia extendere, tum quia par non eſt utrorumque ratio: ſunt enim Pſalmi illi extra Chorum ex devotione tantùm, Litaniæ verò ex obligatione: hæ ſtatæ diei unà cum abſtinentia & proceſſione ſolemni adſtrictæ ſunt, illi non item.

QUÆSTIO VII.

Licitumne Litaniis Sanctos alios, aliaſque preces & Orationes addere?

Quadruplex precandi forma in Litaniis ſervata.

PRecandi formas omnes ab Apoſtolo recenſitas 1. *Tim.* 2. continet ſeries una Litaniarum. Primò quidem Orationes in invocatione Sanctorum. Secundò obſecrationes ea parte qua liberari *Ab omni malo*, *Ab omni peccato*, *Ab inſidiis diaboli*, aliiſque poſcimus, *Per Adventum Chriſti*, *Per Nativitatem*, aliaque myſteria. Tertiò poſtulationes indicantur particula, *ut*, *Ut nobis parcas*, *Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris*, *Ut Eccleſiam tuam ſanctam regere &c.* quibus omnibus ſubditur reſponſio, *Te rogamus audi nos*; Quartò denique gratiarum actiones habentur tum in Pſalmo, tum in ſequentibus Collectis ſeu Orationibus.

Litaniæ in variis uſibus prolixiores. Radulphus.

Fuiſſe verò olim ſingulas haſce Litaniarum partes fuſiores ac prolixiores, conſtat, tum ex Radulpho *prop.* 21. tum ex antiquis Breviariis, in quibus longè plures Sancti, pluresque petitiones & orationes continentur. Nam in antiquo Pariſienſi, ſinguli Angelorum Ordines ſeorſim ſic invocabantur, *Omnes SS. Angeli & Archangeli. Omnes SS. Throni & Dominationes. Omnes SS. Principatus & Poteſtates. Omnes SS. Virtutes cælorum. Omnes SS. Cherubim & Seraphim. Omnes SS. Beatorum Spirituum Ordines.*

Singuli Angelorum Ordines invocati.

Varia Apoſtolorum collocatio. S. Martialis inter Apoſtolos.

In pleriſque poſt Petrum, Paulum, & Andream, cæteri Apoſtoli diverſo à Romano ordine collocantur. Jungitur Apoſtolis in Lemovicenſi S. Martialis, in Cluniacenſi ponitur ante, *Omnes Sancti Diſcipuli Domini*. Rhemenſe ſingulos Sanctorum Ordines ſic collectim invocat, *Sancte Chorus Apoſtolorum. Sancte Chorus Martyrum &c.*

Additi item plures Martyres.

In ſerie Martyrum poſt S. Stephanum hi omnium ferè uſu inſerti reperiuntur, *Linus*, *Cletus*, *Clemens*, *Sixtus*, *Cornelius*, *Cyprianus*; poſt Vincentium verò, *Dionyſius cum ſociis*, *Mauritius item cum ſociis*; in pleriſque item promiſcuo ordine, *Georgius*, *Chriſtophorus*, *Symphorianus*, *Quintinus*, *Adrianus*, *Blaſius*, *Leodegarius*, *Euſtachius cum ſociis*, *Hyppolitus item cum ſociis*, aliique multi; vix unquam duo ſimul juncti, ſed ſeorſim pronunciabantur, putà *S. Coſma S. Damiane*, *S. Criſpine S. Criſpiniane &c.*

Plures item Confeſſores.

Confeſſores non duplici ordine Pontificum & Sacerdotum, ſed unico recenſebantur; & quidem primus apud omnes S. Silveſter, poſt ipſum verò promiſcuo ordine præter nominatos in Romano *SS. Hilarius*, *Remigius*, *Eligius*, *Germanus*, *Ægidius*, *Maurus &c.*

Denique inter ſanctas fœminas poſt S. Magdalenam vario itidem ordine *SS. Anna*, *Martha*, *Felicitas*, *Perpetua*, *Margarita*, *Barbara*, *Chriſtina*, *Scholaſtica*, *Geneveſa &c.*

Patroni & alii Sancti proprii, etiam additi.

Præter hos verò alioſque plurimos ſolemne ſemper fuit omnibus uſibus, ut ſuos quique Sanctos proprios non omitterent; nempe inprimis Patronos ſeu Titulares Eccleſiarum ſuarum; deinde Epiſcopos Diœceſis, tum alios naturales ſive indigenas, ſive advenas. Item quorum habentur Reliquiæ, aut quibus in civitate dicatæ ſunt inſigniores Eccleſiæ, aut quorum fama inibi ex virtute miraculorum, opitulationum aliove dono celebris eſt. Quem utique morem in poſtremis Breviariorum propriorum proximè ad Romanum reformationibus noſtrates omnes piè ac ſapienter retinuere. Nam in Rhemenſi invocantur etiamnum inter Martyres *S. Nicaſius cum ſociis*, *S. Maurus item cum ſociis*, *SS. Timotheus & Apollinaris*; inter Confeſſores *SS. Remigius*, *Sixtus*, *Sinicius*, *Nivardus*, *Rigobertus* Rhemenſes Archiepiſcopi, *SS. Theodoricus & Baſolus* Confeſſores; inter Virgines *S. Macra*, *SS. Bova & Doda*. In Senonenſi inter Martyres *SS. Savinianus & Potentianus*, *S. Victor*, *S. Dionyſius cum ſociis*, *S. Sanctianus item cum ſociis*; inter Pontifices *SS. Lupus*, *Heraclius*, *Leo*, *Ebbo*, *Vulfrannus* Archiepiſcopi Senonenſes; inter Confeſſores *SS. Maturinus*, *Ludovicus*, *Baldus*; inter Virgines *S. Columba*. In Pariſienſi inter Martyres *S. Dionyſius cum ſociis*, *S. Juſtinus & S. Lucanus*; inter Pontifices *SS. Marcellus*, *Germanus*, *Landericus*, *Ceraunus* Epiſcopi Pariſienſes; inter Confeſſores *SS. Ludovicus*, *Maurus*, *Severinus*; inter Virgines, *S. Geneveſa*. In Turonenſi *S. Mauritius cum ſociis*, *SS. Benignus & Beatus*, *Arnulphus*, *Voluſianus* Martyres, *SS. Gatianus*, *Lidorius*, *Briccius*,

Uſus Rhemenſis. Senonenſis. Pariſienſis. Turonenſis.

Digitized by Google

cius, *Euſtochius*, *Perpetuus*, *Baldus*, *Eufronius*, *Gregorius* Archiepiſcopi omnes Turonenſes. In Andegavenſi *S. item Mauritius cum ſociis*, *SS. Sergius & Bacchus*, *Felix & Adauctus* Martyres, *SS. Apothemius*, *Maurilius*, *Renatus*, *Albinus*, *Licinius*, *Magnobodus*, *Lupus*, *Benedictus* Epiſcopi omnes Andegavenſes. In Rothomagenſi *S. Nicaſius cum ſociis* Martyr. *SS. Mello*, *Victricius*, *Evodus*, *Gildardus*, *Romanus*, *Audoenus*, *Ansbertus*, *Hugo* Archiepiſcopi Rothomagenſes; *SS. Vandregeſilus*, *Philibertus*, *Hermelandus* Confeſſores; *S. Auſtreberta* Virgo. In Bituricenſi *SS. Urſinus*, *Guillelmus*, *Sulpicius*, *Auſtregeſilus* Archiepiſcopi Bituricenſes & Patroni. In Aurelianenſi *SS. Evurtius*, *Anianus*, *Floſculus*, *Proſper*, *Monitor*, *Eucherius* Epiſc. Aurelianenſes; *Mamertus* item celebris in eadem Eccleſia; *SS. Avitus*, *Euſpicius*, *Maximinus*, *Lipbardus* Confeſſores. In Ordine Prædicatorum *S. Petrus* Martyr, *S. Antoninus* Epiſcopus, *SS. Thomas*, *Vincentius*, *Hyacinthus*, *Raymundus* Confeſſores; *S. Catharina Senenſis*, & *S. Agnes de Monte Politiano* Virg. Superſedeo pluribus enumerandis.

Andegavenſi. — *Rothomagenſi.* — *Bituricenſi.* — *Aurelianenſi.* — *Ord. Prædic.*

Ex his verò colligas, quid ad propoſitam quæſtionem de Sanctis addendis ſit reſpondendum. Negat id eſſe licitum Gavantus *ſect. 9. cap. 4. numero* 10. tum quia Bulla Pii V. prohibet omnem additionem, tum quia reſpondit Sacra Rituum Congregatio Canonicis Rhegienſibus, non poſſe inſeri alios Sanctos in Litaniis præter deſcriptos, etiam tempore peſtis, quo ii petebant facultatem addendi Sanctos Titulares & Patronos civitatis. At neutra hæc ratio valet adverſus præfatas Eccleſias quæ ſui adhuc omnes Breviarii jus retinent. Imò nec contra alias Romanum uſum ſectantes, ſi modò tali conſuetudine gaudeant Sanctos ſuos Litaniis inſerendi: Cùm enim conſuetudo illa non ſit niſi laudabilis, valent pro ea retinenda quæ alibi diximus de feſtis ex conſuetudine pariter retinendis. Nec obſtat reſponſio Congregationis ad Canonicos Rhegienſes, qui id ſibi de novo concedi poſtulabant. Denique extra dies Rogationum, & Ferias ſextas Quadrageſimæ, Gavantus ipſe haud inficiatur poſſe in quibuſcunque Eccleſiis fieri ejuſmodi additionem Sanctorum Patronorum.

An legitima ſit ejuſmodi Sanctorum additio?

Quod dictum ego de quibuſcunque Patronis velim accipi, tam Eccleſiæ, quàm loci & Ordinis, ſeu Congregationis, tam primariis quàm ſecundariis, cum hacce tamen triplici reſtrictione. Prima, ne quis nondum Canonizatus, non tantùm publicè ſed nec privatim inſeratur, ut benè monet Gavantus ex Bellarmino *de Sanctorum Beatitudine cap.* 10. & Sanchez in Summa *lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 5. Secunda, ut nonniſi Patroni ſeu alii ſolemniori ac præcipuo cultu in Eccleſia, loco, vel Ordine celebres, non autem naturales quilibet aliive remotiores, ne numerus in immenſum protrahatur. Legi ego in Proprio Diœceſis alicujus additos inter Martyres 48. inter Pontifices 37. inter reliquos Confeſſores 21. inter Virgines 42. Longam oportet eſſe Proceſſionem quæ par ſit tot Sanctorum invocationi. Tertia, ut qui ſic adduntur, nonniſi poſt ultimum ſui ordinis locum habeant, putà Martyres poſt ultimum Martyrum, Confeſſores poſt ultimum Confeſſorum &c. ubi tamen uſus ex antiquo contrarium obtinuit, præſertim in primariis Eccleſiis, haudquaquam id reprehenderim: ſic in Eccleſia Senonenſi nominantur ſtatim poſt S. Stephanum *SS. Savinianus & Potentianus*, & ſtatim poſt S. Silveſtrum *S. Lupus*. In Turonenſi itidem *S. Mauritius* poſt S. Stephanum, & *S. Gatianus* poſt S. Silveſtrum. Non improbaverim quoque uſum nominandi bis Patronum primarium, & Sanctum cujus dies feſtus agitur. Item bis terve Sanctum Patronum Eccleſiæ ex qua egreditur Proceſſio, aut ante quam foris tranſeundo ſiſtit.

Patroni quilibet addi poſſunt. — *Nullus addi debet non Canonizatus.* — *Non omnes naturales addendi.* — *Qui adduntur reponendi poſt ultimum ſui ordinis.* — *Nonnulli bis invocantur.*

Dubitabis quo ordine collocandi Sancti Confeſſores, qui cum Pontifices non ſint, aut Doctores, neque etiam Sacerdotes ſunt, aut Levitæ, aut Monachi, aut Eremitæ, v. g. S. Ludovicus? Quibuſdam viſum eſt hunc reponere in prima ſerie poſt S. Hieronymum. At prudentiùs meo judicio in ſecunda ſerie collocant poſt S. Franciſcum, uſus ipſe Pariſienſis, aliique ferè omnes Galliæ proprii, Rhemenſis, Senonenſis, Carnutenſis, Turonenſis, Nannetenſis &c.

S. Ludovicus & ſimiles collocandi in ſecundo ordine Confeſſorum.

Hactenus de additione Sanctorum, nunc de additione obſecrationum & poſtulationum. En inſigniores quas ex antiquis Breviariis colligere licuit. *Ab immundis cogitationibus. A carnalibus deſideriis. Ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis. Ab appetitu inanis gloriæ. A peſte, fame & bello. A cæcitate cordis. Ab infeſtationibus dæmonum. A vinculis diaboli. A ventura ira. Ab ira tua nimium tremenda. A damnatione perpetua. In hora mortis ſuccurre nobis Domine. Per Circumciſionem tuam. Ut miſericordia tua & pietas tua nos cuſtodiat. Ut oculos miſericordiæ tuæ ſuper nos reducere digneris. Ut obſequium ſervitutis noſtræ facias rationabile. Ut remiſſionem peccatorum noſtrorum nobis donare digneris. Ut compunctionem cordis fontemque lacrymarum nobis dones. Ut fidem, ſpem & charitatem nobis donet. Ut regularibus diſciplinis nos inſtruere digneris. Ut Antiſtitem & Abbates noſtros & cunctas Congregationes illis commiſſas in tuo ſancto ſervitio conſervare digneris. Ut miſerias pauperum & captivorum intueri ac relevare digneris. Ut peſtilentiam & mortalitatem à nobis auferas. Ut pacem nobis donet. Ut Regem noſtrum conſervare digneris. Ut cunctum populum Chriſtianum pretioſo ſanguine tuo redemptum conſervare digneris. Ut loca noſtra & omnes habitantes in eis viſitare & conſolari digneris. Ut civitatem iſtam & omnem populum ejus protegere & conſervare digneris. Ut hæreticorum conatus reprimere, & ad nihilum redigere digneris. Ut omnes fideles navigantes & itinerantes ad portum ſalutis perducere digneris. Ut Regi noſtro N. pacem & concordiam, atque contra hoſtes victoriam donare digneris. Ut Antiſtitem noſtrum regere & protegere digneris. Ut Sanctos Angelos tuos ad noſtram cuſtodiam mittere digneris.* Horum verò omnium cùm pleraque ſenſum non diſſimilem habeant ab iis quæ in Romano leguntur, ſupervacaneum eſſet quærere an ſint addenda ejuſmodi? Cætera quæ in occurrentibus neceſſitatibus uſui eſſe poſſunt, haud negat poſſe addi Gavantus, citans & ipſe Rituale Romanum ubi legitur *A peſte & fame*, aliaque juxta varios caſus. Neque Paulus V. inquit, videtur prohibuiſſe additionem ex cauſa rationabili.

Variæ obſecrationes & poſtulationes olim uſitatæ.

Quod denique ad poſtremam Litaniarum partem attinet, quæ Pſalmum, Preces & Collectas ſeu Orationes continet: Aliqui uſus habent Pſal. *Deus miſereatur noſtri.* Alii *Deus venerunt gentes.* Radulphus cit. notat Pſal. *Inclina Domine aurem tuam.* Collectas verò ſic deſignat, de omnibus Sanctis, pro Papa, pro Epiſcopo, pro Imperatore; contra hæreſes, pro familiaribus, pro iter agentibus, pro populo, pro peccatis, pro ſerenitate, pro vivis & defunctis, & hujuſmodi neceſſitatibus. Peculiares habet preces Rhemenſe etiam modernum, videlicet poſt ℣. *Ego dixi Domine miſerere mei.* ℣. *Oremus pro omni gradu Eccleſiæ.* ℟. *Sacerdotes tui induantur juſtitiam &c.* ℣. *Pro Rege noſtro.* ℟. *Domine ſalvum fac Regem &c.* ℣. *Pro Pontifice noſtro.* ℟. *Dominus conſervet eum &c.* ℣. *Pro cuncto populo Chriſtiano.* ℟. *Salvum fac populum &c.* ℣. *Pro Pace.* ℟. *Fiat pax &c.* ℣. *Pro iter agentibus.* ℟. *O Domine ſalvum me fac &c.* ℣. *Pro adverſantibus & calumniantibus nos.* ℟. *Domine Jeſu Chriſte ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia neſciunt quid faciunt.* ℣. *Pro diſcordantibus.* ℟. *Pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum*,

Pſalmi item alii.

ſum, cuſtodiat corda & intelligentias eorum ad pacem. ℣. *Pro omnibus benefactoribus noſtris*. ℟. *Retribuere &c.* ℣. *Pro infirmis*. ℟. *Mitte Domine verbum tuum & ſana eos, & eripe eos de interitionibus eorum*. ℣. *Pro fidelibus defunctis*. ℟. *Requiem &c.* ℣. *Pro fratribus noſtris abſentibus*. ℟. *Salvos fac &c.* ℣. *Pro afflictis & captivis*. ℟. *Libera eos Deus Iſrael &c.* ℣. *Pro nobiſmetipſis*. ℟. *Fiat miſericordia tua &c.* ℣. *Pro peccatis & negligentiis noſtris*. ℟. *Domine ne memineris iniquitatum &c. Adjuva nos Deus ſalutaris &c.*

Collectæ aliæ.

His deinceps poſtulationibus, ſuo ordine ſuo reſpondet Collecta, quarum proinde numerus ad 14. perducitur. Sunt & in Silvanectenſi uſque ad 31. Omnium caſtigatiſſimus eſt Romanus uſus, cui nihil horum omnium addere neceſſe eſt, præter Orationem pro Rege à noſtratibus omnibus communiter uſurpatam poſt Orat. pro ſummo Pontifice. Hanc verò cum poſtulatione, *Ut Domnum Apoſtolicum*, & ℣. *Oremus pro Pontifice noſtro*, omittendam Sede vacante rectè monet Gavantus *num.* 11.

QUÆSTIO VIII.

An in aliquo pertineant ad Feſta propria, Ordo Commendationis animæ, Benedictio menſæ, Itinerarium, & Præparatio ad Miſſam?

IN nullo planè niſi quòd in ordine Commendationis animæ, inſerunt aliqui uſus in Litania Sanctos Patronos, Pſalmoſque addunt, *In exitu Iſrael. Dilexi quoniam. Credidi*, & alios ex Rituali mutuatos.

Mutatio Verſuum Benedictionis menſæ, & Gratiarum actionis, propria eſt feſtorum Chriſti Domini, nec in ullis aliis adhibetur. Retinetur in feſtis quibuſcunque propriis occurrentibus infra Octavas dictorum feſtorum, etiamſi de Octava nulla fiat commemoratio, ut infra Octavas Aſcenſionis. Difficultas eſt de ejuſmodi mutatione, quandonam inchoanda, & quandonam terminanda.

Verſus proprii Bened. & Grat. Actionis inchoandi pridie feſti in cœna, ſi cœnatur,

Et quidem pridie feſti in cœna, ſi cœnatur, eſſe inchoandam aſſero cum Gavanto *ſect. 9. cap. 6. num.* 10. quia videlicet feſtum ipſum jam inchoatum eſt à primis Veſperis; idque habet locum etiam in Vigilia Nativitatis, quando incidit in Dominicam, item & alio quolibet die apud eos qui cœnam differunt poſt Veſperas. Apud alios verò qui comedunt ante Veſperas, quantumcumque comeſtio illa dicatur cœna, haud tamen dicendi ſunt in ea Verſus Nativitatis, quia videlicet nondum inchoatum eſt ejus Officium. Continuantur autem Verſus illi Nativitatis uſque ad prandium Vigiliæ Epiphaniæ incluſivè, ex nova recognitione Breviarii, ad cœnam verò inchoantur Verſus Epiphaniæ.

In Paſchate dicendum Benedicite.

Nullum jam dubium eſt, quin ſit dicendum in Paſchate, ſicut & aliis diebus, *Benedicite*, ſublato à poſtrema recognitione adverbio *tantùm*, quod erat cauſa dubii.

Verſus Pentecoſtes dicendi etiam in Sabbato ſequenti.

Verſus proprii Pentecoſtes inchoantur in Vigilia, ſive prandium, ſive cœnam appellaveris, quia videlicet jam in Miſſa inchoatum fuit Officium feſti. Continuantur verò *uſque ad cœnam Sabbati ſequentis excluſivè*. Ita Rubrica, quod Gavantus ſic accipit, ut velit excludi penitus Sabbatum, quia, inquit, in ipſo Sabbato poſt Nonam terminatur tempus Paſchale, unde addidit ipſe de ſuo, *uſque ad cœnam Feriæ 6. Quatuor Temporum*. Ego verò contrà exiſtimo non excludi comeſtionem Sabbati illius à Verſibus Pentecoſtes, niſi ubi ſit poſt Veſperas: ratio eſt, quia adhuc perſeverare cenſetur Officium Pentecoſtes, adeòque omnia quæ ad illud pertinent, uſque dum inchoatum fuerit Officium ſubſequens; ſed ante Veſperas nondum eſt inchoatum Officium ſubſequens, ergo &c. Nec valet ullatenus Gavanti ratio, quòd finita Nona terminatum fuerit tempus Paſchale; nam alioqui Miſſa adhuc pertinet ad idem tempus Paſchale, quæ tamen dicitur poſt Nonam. Unde ſicut Officium Epiphaniæ terminatur in die Octava finito Completorio, & tamen ipſamet die in cœna, quæ ſumitur poſt Completorium, adhuc dicuntur Verſus Epiphaniæ; ita in Sabbato Quatuor Temporum finito ad Nonam Officio Pentecoſtes, Verſus ejus feſti proprii adhuc dicuntur in comeſtione meridiana, nondum videlicet inchoato Officio ſequentis feſti.

Rejicitur ratio contraria Gavanti.

Solvitur objectio & explicatur textus Rubricæ.

Nec obſtat item excluſio illa Rubricarum, *uſque ad cœnam Sabbati excluſivè*, quaſi prandium Sabbati quod jejunium eſt, appellandum ſit cœna, eò quia *quando ſemel comeditur, omnia dicuntur ut in cœna*. Nam aliud eſt eſſe cœnam, & aliud omnia dici ut in cœna; in diebus jejunii omnia quidem dicuntur in prandio, ſicut in cœna; at prandium ipſum propterea non dicitur cœna, ideòque cautè admodum expreſſit Rubrica cit. *uſque ad cœnam Sabbati excluſivè*, in gratiam videlicet eorum, ſi qui ſuperſunt, qui ex antiqua jejunii lege comeſtionem differunt ad ipſam uſque cœnam: at qui ſecùs in prandio jejunium ſolvunt, hacce Rubrica minimè tenentur. Inſtabis, eſto, ſit prandium, at in eo prandio omnia ut in cœna dicenda ſunt; ſed in cœna diceretur Verſus Communis *Edent pauperes*; ergo & in prandio dici debet. En tibi ſimile argumentum, in prandio Vigiliæ Nativitatis Domini omnia dicenda ut in cœna, ſed in cœna diceretur ℣. *Verbum caro factum eſt*, ergo & dici debet in prandio, eſtne neceſſaria conſequentia? Nec Rubrica, nec Gavantus, nec quiſpiam alius id conceſſerit. Eſt itaque dictum illud, *omnia dicuntur ut in cœna*, intelligendum de iis tantùm quæ cœnæ propria ſunt, nimirum de Benedictione, *Ad cœnam vitæ æternæ*, & de Gratiarum actione, *Benedictus Deus*, non autem de Verſibus propriis, qui ſequuntur rationem feſti, cujus propria ſunt.

In jejuniis Regularium, in prandio omnia etiam dicuntur ut in cœna.

Ex occaſione quæres, num ea quoque Rubrica ſervanda ſit apud Regulares in diebus jejuniorum ex præſcripto ſuæ Regulæ? Non video ego cur dubites, quando ſunt perfecta jejunia, in quibus videlicet ſemel tantùm comeditur.

Itinerarium.

De Itinerario nihil dicendum ſe offert quod ad inſtitutum noſtrum pertineat. Nihil item de præparatione ad Miſſam, niſi quòd Antiphona *Ne reminiſcaris*, monente Gavanto *parte* 2. *tit.* 1. *litera C.* duplicatur in omni Miſſa, quæ ritu duplici celebratur, hoc eſt cum unica Oratione, ut fit in Miſſis votivis pro re gravi, parique adeò jure in Vigilia Nativitatis, Dominica Palmarum, & Vigilia Pentec. Itidem Antiphona *Trium puerorum* in Gratiarum actione poſt Miſſam. An & in Miſſis quoque Defunctorum? Affirmat idem Gavantus eodem loco, ſed quod ſubdit ſtatim longè mihi congruentius videtur, poſſe nimirum omitti totam illam præparationem, ſiquidem prohibetur dici ab Epiſcopo ante Miſſam Defunctorum in Ceremoniali Papali, quod ipſe citat. At non placet, quod ait *tit.* 12. *litera I.* non debere omitti in iiſdem Miſſis Defunctorum gratiarum actionem poſt Miſſam: par enim mihi videtur eſſe ratio præparationis, & gratiarum actionis.

An duplicanda Antiphona *Ne reminiſcaris* in Miſſa Duplici Defunctorum?

C A-

Digitized by Google

CAPUT XXI.

De Missis et Orationibus votivis.

PErtinet pars iſta etiam ad Tractatum de Feſtis propriis; tum quia de iis fiunt itidem Miſſæ votivæ; tum quia Miſſa quælibet votiva cùm ſit præter ordinem Officii diei, ſeu ex celebrantis voto, hoc eſt voluntate & arbitrio pendeat, hoc ſenſu propria dici poteſt. Hoc itaque toto capite de Miſſis votivis univerſim agendum nobis erit: item & de Orationibus æquè votivis, multæque de iis quæſtiones ambiguæ ſatis ac difficiles exolvendæ.

QUÆSTIO I.

Quænam dicantur Miſſæ votivæ?

Gavantus.

ADmitto quam hìc affert Gavantus *parte 1. tit. 4. litera N.* voti definitionem largè ſumpti pro voluntate & deſiderio, ut ſit Miſſa votiva ea omnis, quæ non ex præſcripto Eccleſiæ conformiter Officio diei, ſed pro voluntate dicitur, ſive Sacerdotis ipſius, ſive ejus ad cujus votum celebrat. Benè autem monet non debere eſſe voluntatem irrationabilem, qualis eſt ut Sacerdos breviorem celebret Miſſam. Sed nec reſpuo aliam quoque Miſſæ votivæ acceptionem Caſtaldi, quem citat idem Gavantus, nec refutat; ut videlicet talis etiam dicatur, quæ eſt ex voto Eccleſiæ, licèt eadem cum Officio conveniat, ut eſt Miſſa B. Mariæ in Sabbato, quando de ea factum eſt Officium, quæ & ipſa ſub titulo atque in ſerie Miſſarum votivarum comprehenditur.

Duplex definitio Miſſæ votivæ.

Utrique igitur acceptioni deferendo, ajo Miſſam votivam dici latè vel ſtrictè. Et ſtrictè quidem ea ſola votiva cenſenda eſt, quæ non convenit cum Officio diei, ſed dicitur à Sacerdote juxta ipſius votum ſeu voluntatem, putà de Trinitate, de Spiritu Sancto, de Angelis, de Pace &c. Latè verò ea quoque votiva dicitur, quæ licèt non ſit ad arbitrium Sacerdotis, utpote quæ cum Officio diei convenit, ipſa tamen ſicut & Officium præſcribuntur tali die ab Eccleſia, non ratione feſti alicujus, quod nullum ſit, ſed voto ſeu devotione ipſiuſmet Eccleſiæ. Talis eſt prædicta Miſſa B. Mariæ in Sabbato, non tantùm quando de ea factum eſt Officium, ſed etiam in duobus prioribus Sabbatis Adventus, item Andegavenſi uſu Feriis 3. & 5. quibus ſit Officium de Feria; quia licèt tunc Miſſa ejuſmodi non conveniat cum Officio, eſt tamen præſcripta ab Eccleſia, adeòque non pendet ex voto & delectu Sacerdotis. Talis item eſt Miſſa de SS. Sacramento, quæ qualibet Feria 5. non impedita, à quibuſdam Regularibus, conformiter Officio, quod ex privilegio de eodem SS. Sacramento faciunt, celebratur. Talis denique Miſſa de Patrono apud eos, qui ex uſu vel privilegio, certo hebdomadæ die de eo itidem Officio celebrant.

Miſſa votiva ſtrictè dicitur ea quæ non convenit cum Officio.

Latè verò quæ eſt ex voto Eccleſiæ ſicut ipſum Officium cum quo convenit.

Nequaquam verò talis eſt, ſed nec ullo modo cenſenda votiva altera Miſſa de Feria, ſeu de Vigilia, quæ in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, præter Miſſam feſti occurrentis dici debet, tum quia præſcribitur Miſſa ejuſmodi ab Eccleſia, nec pendet ex voluntate Sacerdotis, tum quia convenit etiam, non Officio quidem, ſed commemorationi dictæ Feriæ ſeu Vigiliæ ea die factæ. Qua item ratione Miſſa pro Defunctis *die 2. Novemb.* ſicut & prima die cujuslibet menſis non impedita, votiva non eſt, cùm & præſcribatur, & Officio quod de ipſis itidem ſit conveniat; aliàs ſemper eſt votiva.

Miſſa altera de Feria jejunii, præter Miſſam feſti, non eſt votiva.

QUÆSTIO II.

De quibus ſint Miſſæ votivæ?

IN Miſſali Romano habentur duæ veluti claſſes Miſſarum votivarum. Altera earum, quæ ex devotione per ſingulas hebdomadæ Ferias vacuas celebrantur in honorem Myſteriorum ſeu Sanctorum, videlicet *de Trinitate, de Angelis, de Apoſtolis Petro & Paulo, de Spiritu Sancto, de SS. Sacramento, de Cruce, de Paſſione Domini, & B. Maria*. Altera earum, quæ pro diverſis rebus, urgente præſertim neceſſitate, dici poſſunt quacunque die non impedita: hæ ſunt numero 13. *Pro eligendo ſummo Pontifice. In Anniverſario Creationis & Coronationis Papæ. In Anniverſario Electionis, ſeu Conſecrationis Epiſcopi. Ad tollendum Schiſma. Pro quacunque neceſſitate. Pro remiſſione peccatorum. Contra Paganos. Tempore belli. Pro Pace. Pro vitanda mortalitate, ſeu Tempore peſtilentiæ. Pro infirmis. Pro peregrinantibus, vel iter agentibus. Pro ſponſo & ſponſa.* Sed annon de aliis etiam dici poſſunt Miſſæ votivæ? Poſſunt equidem.

Duplex claſſis Miſſarum votivarum.

Aliæ de Myſteriis ſeu etiam de Sanctis.

Aliæ pro diverſis neceſſitatibus.

Atque in primis de quocunque Sancto Canonizato, concedit Gavantus *parte 4. tit. 17. num. 13.* dum explicat qualis dicenda ſit & quomodo ordinanda Miſſa votiva Sanctorum in genere. Et verò id ſatis conſtat ex Bullis Canonizationis. Cùm enim Canonizari Sanctum aliquem nihil aliud ſit, quàm à Summo Pontifice talem declarari, cui partes omnes cultus publici Sanctis exhiberi poſſint tribui; Miſſæ autem celebratio de Sancto pertineat ad ejuſmodi cultum: conſequens profectò eſt, ut de quocunque Sancto, qui ritè Canonizatus fuit, poſſit Miſſa ſaltem votiva celebrari: ſive quia Patronus eſt loci, vel Eccleſiæ, vel Ordinis: ſive quia habentur ejus Reliquiæ notabiles: ſive quia ipſius ope atque interceſſione ſanitas, aliave beneficia, tam ſpiritualia quàm corporalia à Deo impetrantur: ſive denique particulari devotione erga ipſum aliquis afficiatur. Dixi autem de Sancto Canonizato, nam de Beatificato duntaxat, ſignificavimus aliàs, nullam publici cultus partem poſſe ipſi tribui, niſi quæ nominatim & expreſsè conceditur à Pontifice in Brevi Beatificationis.

De quocunque Sancto Canonizato poteſt dici Miſſa votiva. Gavantus.

Non item de Beatificato.

Secundò, de Myſteriis Chriſti Domini, ne quæſtionem quidem attingit Gavantus; quam tamen à pari ex iis quæ de Myſteriis B. Virginis diſcutit *loco cit. num.* 8. opportunè ſatis ſolvendam judico: nempe cùm dicat Miſſam, ſi exigatur de Aſſumptione vel Nativitate B. Virginis, poſſe dici votivam de eadem tempori congruentem, cum intentione ad honorem Aſſumptionis, vel Nativitatis ejuſdem; ita prorſus, ſi exigatur Miſſa de Nativitate, vel Reſurrectione, vel Aſcenſione, aut quovis alio Myſterio Chriſti Domini, poſſe dici votivam de SS. Trinitate, ſeu etiam, ut vult Ceremoniale Monaſt. *lib. 3. cap. 13. num. 6.* diei occurrentis, cum intentione venerandi feſtivitatem ſeu Myſterium cujus petitur Miſſa. Quæ enim incommoda Gavantus ſequi ait ex mutationibus faciendis, v. g. in Introitu *Gaudeamus omnes in Domino*, vocis illius, *diem feſtum*, in *commemorationem*, & aliis ſimilibus, ea longè plura & incongruentiora occurrunt in Miſſis Myſteriorum Chriſti Domini, putà in omittendis *Alleluja* in Introitibus Paſchæ, Aſcenſionis &c. in ſubſtituendis Graduali, Tractu, aut duplici verſu, pro ratione Temporis &c. Ac licèt Miſſale Carmelitanum deſignet etiam Miſſas illas pro votivis, hoc tamen in Romano minimè tentandum eſt, nihil ejuſmodi ulla Rubrica permittente. Similiter de Reliquiis ejuſdem Chriſti Domini, putà *de Sancto Præputio, de Sancta Lacryma, de Faſciis, de Corona Spinea, de Lancea, de Clavis, de Sacra Syndone, de ſacratiſſima Hoſtia*,

De Myſteriis Chriſti, ut poteſt dici Miſſa votiva.

Cerem. Monaſt.

Miſſale Carmelit.

ſtia, item & *de Nomine Jeſu*, dicatur Miſſa de Cruce, vel de SS. Sacramento, vel certè diei, ad illorum intentionem, ut dictum eſt; niſi fortè de iiſdem habeatur Miſſa propria legitimè approbata, quales non deſunt in pleriſque Miſſalibus tum antiquis, tum recentioribus.

De perſonis & attributis divinis nullæ habentur Miſſæ votivæ.

Tertiò: De perſonis & attributis divinis, nullæ poſitæ ſunt in Miſſali Romano Miſſæ votivæ, niſi de Spiritu Sancto; ſed ad eorum honorem & intentionem, ſi res exigit, poteſt itidem dici votiva de Trinitate, quæ omnium ad id aptiſſima eſt. Quæ autem in veteri Miſſali habebantur, Miſſæ *de Sapientia*, *de Charitate*, ſicut & *de Patre æterno* Madriti edita, & *de* 15. *Auxiliatoribus* Venetiis; item Miſſas S. Gregorii pro vivis & defunctis, omnes rejectas fuiſſe à Sacra Rituum Congregatione teſtatur Gavantus *cit. num.* 14. qui tamen poſtremum illud de Miſſis S. Gregorii ſic explicat *parte* 1. *tit.* 5. *litera D.* ut non prohibuerit Sacra Congreg. per dies 30. continuos (quod S. Gregorii propriè inſtitutum eſt) offerri Sacrificium pro Defuncto, ſed ne dicantur eo fine Miſſæ *de Dominica* 1. *Adventus*, *de feſto Nativitatis Domini*, *de Dominica Septuageſima*, & reliquæ haudquaquam à S. Gregorio ſic diſpoſitæ, hincque confirmatur egregiè quod habet citatum Cærem. Monaſticum, de Tempore & Feſtis mobilibus Miſſas votivas nullatenus dari.

Triginta Miſſæ S. Gregorii. Gavantus.

Miſſa Roſarii & aliæ ſimiles non omnibus conceſſæ.

Quartò: Miſſa Sanctiſſimi Roſarii conceſſa tantùm Dominicanis, ſicut & Sanctæ Mariæ de Carmelo Carmelitis, nequaquam ab aliis uſurpari debent, ex Decreto Sacræ Rit. Congreg. *die* 8. *Aprilis* 1628. ſed earum loco, ſi votiva exigitur, dicatur communis temporis currentis, ex eodem Gavanto *nu.* 9. itidem de Miſſa Lamentationis, ſive B. Mariæ Pietatis, & aliis quæ in quibuſdam Miſſalibus ad calcem appoſitæ reperiuntur.

De feſtis ſecundariis ut dici poſſunt Miſſæ votivæ.

Quintò: De feſtis ſecundariis Sanctorum, putà Inventione, Translatione, & aliis ejuſmodi, vix occurrit, ut fiant Miſſæ votivæ aliæ à communi & ordinaria ipſorummet Sanctorum. Quia tamen Gavantus *cit. num.* 6. non excludit prorſus votivam de Converſione S. Pauli, idcirco placet addere, poſſe dici Miſſas votivas de iis omnibus feſtis ſecundariis, quæ apta nata ſunt Eccleſiæ titulum imponere, qualia recenſuimus *lib.* 1. *cap.* 6. *quæſt.* 14. præter dictam S. Pauli Converſionem, Feſta item S. Petri ad vincula, S. Joannis ante Portam Latinam, Decollationis S. Joannis Bapt. & ſi qua ejuſmodi inter propria locorum ſeu Eccleſiarum reperiantur. Quamquam mihi ſicut & Gavanto magis arridet, ut & in his dicatur quoque Miſſa votiva ordinaria de ipſiſmet Sanctis, cum intentione ad venerandam ejuſmodi Converſionem, Vincula &c.

De Sanctis pluribus aut omnibus collectim poteſt dici Miſſa votiva.

Sextò: De Sanctis collectim ſumptis, putà de Apoſtolis, de Martyribus, de Confeſſoribus &c. imò & de omnibus generatim, æquè dici poſſe Miſſas votivas ac de iiſdem ſingillatim, non video ego quid obſtet; ſi quidem & iis ſic ſumptis dicari etiam Eccleſias obſervatum eſt *libr.* 1. *capit.* 5. *quæſt.* 11. Et verò in Miſſali Andegavenſi emendatiſſimo habentur Miſſæ votivæ de Martyribus, de Confeſſoribus &c. maximè verò de Sanctis, quorum Reliquiæ habentur in Eccleſia, nec non de Omnibus Sanctis; quarum Miſſarum partes omnes, cùm ex Miſſis de Communi aliiſve approbatiſſimis deſumptæ ſint, non poſſunt & ipſæ non eſſe approbatæ, quocirca & eas ſequenti quæſtione referemus.

Miſſ. Andeg.

Aliæ Miſſæ pro diverſis neceſſitatibus. Miſſ. Andeg.

Septimò: Præter recenſitas in ſecunda claſſe Miſſas pro diverſis neceſſitatibus, reperiuntur & aliæ in variis uſibus, ut in Andegavenſi, *Ad poſtulandam pluviam*, *pro aeris ſerenitate*, *contra hæreticos*, *pro Rege*, *pro Amicis*, *pro Inimicis*, *pro Afflictis*; ſed & in antiquo Romano editionis anni 1555. & alio anni 1508. iiſque anteriore MS. anni 1497. reperi Miſſas ſequentes: *Pro Domino Papa. Pro Imperatore. Pro ſeipſo Sacerdote. Pro Congregatione. Pro omni gradu Eccleſiæ. Pro concordia. Pro petitione lacrymarum. Ad poſtulandam fidem, ſpem, charitatem, humilitatem*, & alias circiter quadraginta. Quæ Miſſæ omnes ſatis quidem ex eo ſunt approbatæ, quòd ſingulæ illarum partes, nempe Introitus, Graduale &c. ex aliis Miſſis votivis, ſeu Miſſis Quadrageſimalibus, aut Dominicarum poſt Pentecoſtem decerptæ ſint. At cùm in Miſſali Romano deſint, jam pro iis omnibus ſupplebit commodè Miſſa *Pro quacunque neceſſitate*, ſeu etiam *Pro Remiſſione peccatorum*. Quin & placet monitum illud antiqui Miſſalis Cluniacenſis, Miſſam de Spiritu Sancto poſſe rationabiliter cantari, *Pro Congregatione. Pro concordia. Pro Inimicis. Pro lacrymarum gratia impetranda. Pro tentatione ſubmovenda. Pro Synodo, & Colloquiorum tempore, & aliis ejuſmodi ſecundùm exigentiam rei*,

QUÆSTIO III.

Unde deſumenda Miſſa votiva.

Difficultas non eſt pro iis quæ in ſerie votivarum poſt Commune Sanctorum ordine deſcriptæ ſunt: inde enim, cùm opus eſt, ſumendæ integræ uti jacent, ſervata varietate temporum. At cùm ex dictis, de aliis itidem dici poſſint Miſſæ votivæ, pro quibus tamen nulla ibi poſita eſt, Quæris, quænam tum Miſſa ſit adhibenda?

De Myſteriis tam Chriſti Domini, quàm B. Mariæ, dixi jam præcedenti quæſtione, ut agendum.

Miſſa votiva de Sanctis ſumenda de feſto illorum, aut ſi deſit, de Communi.

In votivis Sanctorum dicitur Miſſa propria Sancti, ſi habetur in Miſſali, vel in Proprio loci, omiſſo verbo *hodie*, ubi reperitur, & mutatis in Oratione vocibus, *natalitia*, *feſtivitas*, *ſolemnia*, & aliis ejuſmodi, in *commemorationem*, aut *memoriam*; deſumptis item, ſi defuerint, vel Tractu, vel altero Verſu poſt Paſcha, vel Graduali extra Tempus Paſchale, ex Miſſa de Communi; vel certè tota Miſſa dicatur de Communi, prout ratio temporis ſive Paſchalis, ſive non Paſchalis exigit. Ita Gavantus *nu.* 13. & Cerem. Monaſt. *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 5. quod & Miſſale Andegavenſe indicavit expreſſa Rubrica poſita inter Miſſas votivas. Sic autem dictum illud tempero, totam Miſſam de Communi poſſe accipi, pro ratione temporis Paſchalis vel non Paſchalis, ut tamen quæ Sancti alicujus propriiſſima ſunt, ea quocunque tempore dicantur, putà Verſus S. Andreæ, S. Martini, S. Franciſci; Communio S. Ignatii, S. Agathæ, & ſimilia. Nulla autem ratione aſſumendæ ſunt Miſſæ quædam votivæ propriæ de SS. Sebaſtiano, Rocho, Antonio, Barbara, Geneveſa, & aliis, quæ in quibuſdam Miſſalibus ad calcem additæ reperiuntur. Sunt enim eæ omnes vel proſcriptæ, vel non legitimè approbatæ; in his igitur erit ad Commune recurrendum.

Gavantus & Cerem. Monaſt. Miſſ. Andeg.

In Miſſa de Communi retinenda quæ ſunt propria Sancti.

Miſſæ quædam votivæ proſcriptæ.

Sed quid de Sanctis, quorum nullum eſt Commune? Non laborabis pro Angelis: Eſt enim pro iis Miſſa votiva generatim, præter propriam S. Michaelis, item alia de Angelis Cuſtodibus. Quæ autem habentur in calce aliquorum Miſſalium, de S. Gabriele, de S. Raphaele, & de S. Angelo proprio, nequaquam ſunt aſſumendæ, niſi approbatæ fuerint, nec niſi ab iis quibus conceſſæ ſunt. De Sanctis veteris Teſtamenti Patriarchis & Prophetis eadem quæ pro illorum feſto, ſive propria, ſive de Communi, prout definivimus *lib.* 3. *cap.* 23. *quæſt.* 7. & *cap.* 24. *quæſt.* 2.

Miſſa votiva de Angelis.

De Sanctis veteris Teſtamenti.

De S. Joanne Baptiſta, ut agenda.

De S. Joanne Baptiſta, Miſſa ut in feſto Nativitatis ejuſdem, niſi quòd Oratio, Secreta, & Poſtcommunio Vigiliæ commodiùs aſſumi poſſunt abſque ulla mutatione. Tractus poſt Septuag. *Deſiderium*; Verſus alter tempore Paſchali, *Juſtus germinabit*,

minabit. De ejus verò Decollatione, itidem ut in ipſomet feſto; at Tempore Paſchali, Miſſa *Protexiſti*, ut in feſto S. Marci, retentis Orationibus Epiſtola & Evangelio.

De SS. Petro & Paulo ſeorſim.

De SS. Apoſtolis Petro & Paulo conjunctim eſt Miſſa votiva in Miſſali, de iiſdem verò ſeorſim ſic videtur poſſe ordinari. De S. Petro ut in feſto ejuſdem ad Vincula, præter Orationes, quæ ſumuntur ut in feſto Cathedræ ejuſdem, poſt Septuag. Tractus *Deſiderium*. De S. Paulo, Miſſa de ejus Commemoratione, vel de Converſione. Tempore verò Paſchali pro utroque *Protexiſti*, exceptis Orationibus, Epiſtola & Evangelio: præſtat ex mente Gavanti *num.* 6. communem utrique pro alterutro aſſumere.

De reliquis Apoſtolis.

De reliquis Apoſtolis, Miſſa votiva ut in ſingulorum feſtis. Pro Septuag. Tractus *Deſiderium* pro uno; pro pluribus; *Qui ſeminant*. Tempore Paſchali *Protexiſti*, ut in feſto S. Marci, exceptis Orationibus, Epiſtola & Evangelio. Ita ſentit Gavantus *num.* 10. cui addo, verſum S. Andreæ, *Dilexit Andream*, videri retinendum tempore Paſchali, quia eſt proprius. Item Miſſam de S. Joanne eodem tempore Paſchali dicendam ut in feſto ejuſdem ante Portam Latinam.

De S. Marco.

De S. Marco extra tempus Paſchale, Miſſa ut pro S. Luca, præter Orationes & Epiſtolam; poſt Septuag. Tractus *Beatus vir*. De SS. verò Philippo & Jacobo tam conjunctim quàm ſeorſim, itidem extra tempus Paſchale, Miſſa quæ eſt votiva Apoſtolorum Petri & Pauli, præter Epiſtolam, quæ ſumitur commodè ex Miſſa S. Thomæ, *Jam non eſtis hoſpites &c.* Evangelium verò de S. Philippo ſeorſim *Non turbetur*, quod eſt ipſius proprium; itidem Verſus *Tanto tempore*, ſicut & tempore Paſchali ſeorſim, de S. Jacobo ℣. *Poſuiſti Domine*. Evang. *Ego ſum vitis, vos palmites*.

De SS. Philippo & Jacobo.

De SS. Innocentibus.

De SS. Innocentibus tempore Paſchali, Miſſa *Sancti tui Domine*, primus ℣. *Laudate pueri*.

De omnibus ſimul Apoſtolis.

De Sanctis collectim poteſt ſumi una ex Miſſis de Communi, quæ aptior videbitur. Et quidem pro Apoſtolis, cùm de iis nulla ſit Miſſa communis, obvia eſt votiva de SS. Petro & Paulo, ſumptis Orationibus ex Miſſa SS. Simonis & Judæ (ſuppreſſo tamen eorum nomine) & Epiſtola de S. Thoma, *Jam non eſtis hoſpites &c.* De SS. Martyribus, quam voles ex tribus de Communi plurimorum Martyrum, exceptis Orationibus primæ, quarum loco ſumi poſſunt quæ propriæ ſunt in Miſſa SS. 40. Martyrum. Miſſale Andeg. aſſignat Introitum *Sapientiam Sanctorum*. Orat. *Deus qui nos concedis*. Epiſtolam *Juſti autem*. Graduale *Exultabunt*. Verſus *Sancti tui Domine*. Evang. *Cum audieritis*. Offertorium *Mirabilis Deus*. Commun. *Ego vos elegi*.

De omnibus SS. Martyribus.

Miſſ. Andeg.

De omnibus SS. Confeſſoribus.

De SS. Confeſſoribus. Miſſa *Sacerdotes tui*, cum Orationibus primæ Miſſæ in plurali. Eamdem habet Andegavenſe cum Orat. de S. Euſebio in plurali, exceptis Verſu *Sancti tui Domine benedicent te*. Tractu *Benedicite Sacerdotes Domini Domine*. 2. Verſu temp. Paſchali, *Sancti & juſti Domino gaudete*. Offert. *Exultabunt*. Commun. *Juſtorum animæ*.

De Virginibus.

De SS. Virginibus. Miſſa *Dilexiſti* cum Orationibus in plurali.

De Reliquiis Sanctorum.

De Sanctis quorum habentur Reliquiæ, ſi fuerint omnes ejuſdem qualitatis, putà omnes Martyres, vel omnes Confeſſores, Miſſa de Communi, ut ſuprà; ſin verò fuerint Martyres alii, alii Confeſſores, aut Virgines, Miſſa erit de Communi Martyrum, niſi quòd in Orationibus tacenda erit qualitas Martyrum, vel ſumendæ erunt de Miſſa S. Callisti. Andegavenſe ſic diſponit, conformiter prorſus antiquo Romano MS. anni 1492. Introitus, *Sapientiam Sanctorum*. Orat. *Propitiare quæſumus*, quæ ubique ferè in uſu eſt. Epiſtola, *Hi ſunt viri miſericordiæ*. Graduale, *Exultabunt*.

Miſſ. Andeg.

Guyet. Heortologia.

Verſ. *Corpora Sanctorum*. Evangelium, *Qui vos audit*. Offert. *Mirabilis*. Comm. *Juſtorum animæ*.

De omnibus Sanctis.

Denique de omnibus Sanctis, Miſſa de feſto Omnium Sanctorum, niſi quòd loco Introitus *Gaudeamus*, aptè ſatis ſeponi poteſt ex feſto SS. Cyriaci &c. *Timete Dominum*, & Orat. *Concede quæſumus*, prima inter diverſas. Ita Andeg. Oratio pro Tempore Adventus *Conſcientias*, cum Secreta & Poſtcomm. adjunctis. Item Epiſt. *Scimus quoniam diligentibus Deum*. Graduale *Exultabunt*. Offert. *Mirabilis*. Tempore Paſchali aptior videtur Miſſa *Sancti tui Domine*.

QUÆSTIO IV.

Quæ ſit rationabilis cauſa dicendi Miſſam votivam?

BIs terve admonent Rubricæ Miſſalis non debere dici Miſſas votivas paſſim, ac niſi rationabili de cauſa; ſed quoad fieri poteſt Miſſa cum Officio conveniat. Ita *Rubr. 4. num. 3. & Rubr. ante Miſſas votivas*.

Ex devotione alia eſt ordinaria, alia extraordinaria.

Cauſa autem rationabilis, quoad Miſſas votivas ex devotione, vel eſt ordinaria, vel extraordinaria. Ordinaria eſt quando fit de Feria, & non eſt reſumenda Miſſa Dominicæ præcedentis quæ fuerit impedita; Extraordinaria verò, Gratiarum actio pro accepto aliquo beneficio; invocatio Spiritus Sancti pro ineundo aliquo opere; Gratia aliqua ſive ſpiritualis, ſive temporalis, ope Sancti alicujus impetrata, vel impetranda; Peregrinatio ad pium locum ſuſcepta; Votum complendum; Fundatio ab aliquo facta; præceptum impoſitum à Superioribus, & alia ejuſmodi. Quoad verò Miſſas votivas ex neceſſitate, neceſſitas alia eſt publica & generalis, ſeu pro re gravi, ut ſi ingruat ſchiſma, bellum, peſtis &c. alia privata & ſingularis, puta pro remiſſione peccatorum, pro infirmis, pro peregrinantibus, pro ſponſo & ſponſa &c. Quod autem ait Gavantus *par.* 1. *tit.* 8. *lit. R.* rem dici gravem pro qua convenit totus Clerus cum Epiſcopo, non ſic accipiendum quaſi ipſe conventus Cleri cum Epiſcopo faciat eſſe rem gravem; ſed quòd ſignum ſit, ex quo arguatur eſſe talem. Cæterum quamvis poſſit æquè eſſe neceſſitas privata & ſingularis de re gravi, haud tamen pro ea convenire ſolet Clerus cum Epiſcopo, ut pro publica, ideòque Rubrica utrumque ſimul junxit, *Pro re gravi vel pro publica Eccleſiæ cauſa*, quod & Rodericus *tom.* 1. *quæſt.* 43. *art.* 15. ſic fuſiùs exponit, *Quando*, inquit, *fit aliqua proceſſio, quæ nunquam fit niſi pro re gravi, vel quando aliquæ Miſſæ dicuntur in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, & Regularibus vel Parochialibus, pro ſalute Principis vel totius reipublicæ, vel pro aliqua intentione temporali bonum commune immediatè concernenti, vel quando fit in gratiarum actionem pro aliqua re gravi petita & obtenta, velutì pro victoria parta &c.* Ad extremum benè monet Gavantus cit. *tit.* 4. *lit. N.* non eſſe cauſam illam rationabilem dicendæ Miſſæ votivæ, ut Sacerdos breviorem celebret Miſſam, puta in Sabbatis Quatuor Temporum, & in quibuſdam Feriis Quadrageſimæ, in quibus prolixior eſt Epiſtola vel Evangelium.

Ex neceſſitate alia eſt publica, ſeu pro re gravi, alia privata & ſingularis.

Ut intelligendum illud *pro re gravi*. Gavantus;

Rodericus;

QUÆSTIO V.

Quotuplex ſit Miſſa votiva?

QUotuplex, inquam, non ex parte objecti, hoc enim jam definitum eſt, ſed ex parte modi ſeu ritus, quo celebrari debet. Eſt verò duplex, publica altera, ſive eadem fuerit Conventualis ſive non, altera privata. Et publica quidem ea dicitur, quæ eſt cum cantu; privata verò, quæ ſine cantu. Cantum autem intellige, tum ipſius Sacerdotis,

Alia eſt publica cum cantu, alia privata ſine cantu.

dotis, Orationes, Evangelium deficiente Diacono, Præfationem & reliqua, quæ ad ipſum pertinent, cantando pronunciantis; tum Chori Sacerdoti cantando itidem reſpondentis, ac Introitum, Graduale, cæteraque omnia, ſive notis, ſive in directum proſequentis. Nam Miſſæ illæ quas Sacerdos continuè ac demiſſa voce abſolvit, muſicorum cœtu moteta interim, varioſque cantus figuratos ad arbitrium intonante, (ritu haudquaquam Canonico) nonniſi privatæ habendæ ſunt, quantumcumque palam, & affluente populo celebrentur. Imò nec Miſſam ipſam Parochialem ſine cantu decernit aliam eſſe quàm privatam Gavantus *par. 1. tit. 15. nu. 2.* licèt ad eam conveniat populus ſeu loci Clerus; adeò verum eſt cantum, qualem deſcripſimus, diſcrimen integrum facere inter Miſſam publicam & privatam.

Nulla Miſſa publica niſi fuerit cum cantu Sacerdotis & Chori.

Gavantus.

Ipſa jam verò Miſſa publica, aut ſolemnis eſt, aut non ſolemnis. Solemnis eſt, quæ cum ordine & apparatu, tum Altaris & Chori, tum Miniſtrorum in feſtis ſolemnioribus impendi ſolito, celebratur: Non ſolemnis, in qua ſervatur ritus dierum duntaxat profeſtorum; licèt fortè parati etiam adſint Diaconus & Subdiaconus. Prior illa ſolemnis, ex *Rubr. 8. numero* 4. tantùm adhibetur *pro re gravi vel pro publica Eccleſiæ cauſa*: Poſterior verò ſeu non ſolemnis pro quacunque alia cauſa rationabili.

Miſſa votiva publica alia ſolemnis, alia non ſolemnis.

QUÆSTIO VI.

Quibuſnam diebus dici poſſint Miſſæ votivæ?

EX præmiſſis in utraque præcedenti quæſtione diviſionibus facilis erit hujus & ſequentium deciſio. Inprimis Miſſæ votivæ ordinariæ, ſeu quæ in Miſſali per ſingulas hebdomadæ Ferias diſtributæ ſunt, nempe *de Trinitate* Feria 2. *de Angelis* Feria 3. *de Apoſtolis* Feria 4. *de Spiritu Sancto, vel de Sanctiſſimo Sacramento* Feria 5. *de Cruce, vel Paſſione* Fer. 6. & Sabbato *de B. Maria*, poſſunt dici in præfatis Feriis, quando in iis fit Officium de Feria, & non eſt reſumenda Miſſa Dominicæ præcedentis, quæ fuerit impedita, adde & ſequentis quam anticipare oporteat (par enim utriuſque ratio eſt:) exceptis Feriis Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum; idque non tantùm privatim à quolibet Sacerdote, ſed etiam in principali Miſſa quæ vocatur Conventualis. Ita diſertè *Rubr. 4. n. 3.* quæ dum addit *Secundum ordinem in fine Miſſalis aſſignatum*, ſatis innuit ordinem illum, ſi nulla alia cauſa ſubeſt ex iis quas infrà memorabimus, non eſſe invertendum.

Miſſæ votivæ ordinariæ, ut dicendæ in Feriis per hebdomadam aſſignatis.

Recenſita eſt in eo ordine Miſſa de B. Maria, non quòd par ſit omnino illius ratio cum aliis; convenit enim ſemper cum Officio, quod de ipſamet fit in Sabbatis deſignatis, in eoque caſu votiva non eſt, niſi latè; ſed quia ea item opus eſt in aliis Sabbatis, in quibus non fit Officium de ipſa, eſtque tum votiva ſtrictè dicta. Perinde eſt de Miſſa SS. Sacramenti, apud eos, qui de eo recitant Officium ſingulis Feriis 5. perinde item de Miſſa Patroni, ubi ea ſtato ſingulis hebdomadis vel menſibus die conformiter Officio celebratur.

Miſſa de B. Maria in Sabbato qualiter cenſenda votiva.

Secundò: Eædem Miſſæ, ſicut & omnes aliæ votivæ in Miſſis privatis dici poſſunt pro arbitrio Sacerdotum, quocunque die Officium non eſt Duplex. Ita eadem Rubr. quæ tamen Gavanto bono interprete ſic alimode ſuppletur; ut Dominicæ quoque omnes ab ejuſmodi Miſſis votivis immunes ſint: tum quia id ſatis innuunt verba ipſa Rubric. *aliis diebus infra hebdomadam*, hoc eſt à Dominica in Dominicam, utraque excluſa: tum quia diſertè id exprimitur in alia Rubr. poſita inter Miſſas votivas, poſt Miſſas de B. Virgine, quæ ſic habet, *Aliæ Miſſæ votivæ pro diverſis rebus, quæ dici poſſunt quacunque die, niſi fuerit Dominica, vel Officium Duplex*. Ex quo inferas argumento à fortiori, dies item illos, in quibus prohibetur fieri de feſto Duplici, ab iiſdem Miſſis votivis planè eſſe immunes: ſunt autem ii, dies infra Octavam Epiph. Paſchæ, & Pentec. Feria 4. Cinerum, Feriæ majoris hebdomandæ, Vigiliæ Nativitatis Domini & Pentecoſtes: idipſumque decrevit Sacra Rit. Congreg. *die 28. Aug. 1627.*

Miſſæ votivæ quæcunque privatim dici poſſunt, quando non eſt Officium Duplex vel Dominica.

Aliqui dies excepti.

Huic porro tam largæ conceſſioni cautè adhibita eſt à Rubrica, reſtrictio illa, *Id paſſim non fiat, niſi rationabili de cauſa*. Et verò irrationabilis eſt ea devotio, quæ præſcriptum tam ſapienter ab Eccleſia ordinem pro libito infringit: multòque adhuc magis à ratione alienum, ſi quis votivas pro aliqua neceſſitate poſitas, putà tempore belli, peſtis &c. extra ejuſmodi neceſſitates uſurpet.

Rationabilis debet eſſe cauſa dicendi Miſſam votivam.

Tertiò: Extra ferias ſuprà deſcriptas nullæ unquam dicuntur Miſſæ votivæ ex devotione, pro Miſſa Conventuali; ſed ſi qua dicenda occurrit ex aliqua obligatione, ea præter Conventualem cantanda erit, ut mox dicetur de votiva ex neceſſitate.

Quartò: Quæcunque urgeat neceſſitas, nunquam Miſſa votiva pro ea, Conventualis loco ſubſtituitur; ſed præter ipſam cantanda erit, etiam in feſtis non majoribus. Ita Gavantus *parte 1. tit. 4. lit. O. & P.* & colligitur ſatis ex ipſamet Rubr. quæ cùm Miſſas privatas permittat arbitrio Sacerdotum, haud dubiè publicam, ſeu Conventualem ab ejuſmodi permiſſione excludit. Præterea id conſtat ex cap. *Cum Creatura, de celebr. Miſſarum*, ubi ex verbo *mandamus*, quo utitur Honorius Papa III. inferunt Doctores à Bonacina citati *de legibus diſp. 1. quæſt. 1. puncto 7. §. 4. nu. 7.* obligationem eſſe ſtrictam, ut Miſſa Conventualis ſemper cum Officio concordet: quod & declaravit Sacra Rit. Congregatio *die 25. Junii* 1611. & *die 28. Jan.* 1612. decernens teneri Canonicos ad cantandam Miſſam de die, ut lucrentur diſtributiones.

Miſſa votiva pro neceſſitate, nunquam haberi debet loco Conventualis.

Bonacina.

Porro Conventualis, ſeu principalis, ut Rubricæ etiam vocant, nomine, ea duntaxat intelligitur propriè, quæ in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis cantari debet quotidie juxta Officium diei. An verò Collegiatarum Eccleſiarum nomine comprehendantur etiam Regulares? non negat Gavantus, ſed obligationem ad Miſſam Conventualem, ſicut & ad Horas Canonicas, iis tantùm ineſſe ait, vi regulæ & conſuetudinis interpretantis regulam, non autem ex lege Eccleſiaſtica; quod etſi facilè conceſſerim, ſaltem de Eccleſiis Mendicantium, exiſtimo tamen de Eccleſiis Abbatialibus ſeu Conventualibus tam Monachorum quàm Canonicorum Regularium idem eſſe ſentiendum, quod ad præſentem quæſtionem attinet, ac de Cathedralibus & Collegiatis; tum quia perinde ſunt ad divinum Officium celebrandum fundatæ & inſtitutæ, uti obſervatum fuit *lib. 3. cap. 30. quæſt. 3.* imò & aliquæ illarum ſunt æquè celebres ac numeroſæ; tum quia talis conſuetudo in multis recepta eſt, nec niſi recenti admodum uſu contrarium inducitur.

Conventualis Miſſa ea eſt duntaxat, quæ convenit cum Officio diei.

Ad ipſam non mutandam pro votiva tenentur etiam Regulares.

Pari id etiam jure aſſeruerim de iis Parochialibus majoribus, in quibus ex inſtituto ſeu fundatione, Miſſa principalis quotidie juxta ordinem diei perſolvitur: Ea enim nunquam debet omitti, nec in quamcunque Miſſam votivam mutari, ſicut nec in quibuſcunque aliis Parochialis ipſa, quæ diebus Dominicis & feſtis populo conveniente decantatur. Quin & valdè notandum eſt illud quod habet Gloſſa nec non Panormitanus in cap. *Cum quidam laicorum, de celebratione Miſſarum*: *In Eccleſiis*, indiſcriminatim loquitur, *in quibus plures ſunt Sacerdotes, uno faciente ſacrum quod diei eſt proprium, alteris licere quidem arbitratu*

Itidem in Parochialibus Eccleſiis.

Panormitanus.

ſua

Digitized by Google

ſuo ſacrum facere, quod ipſis libuerit. At ubi unus eſt tantùm Sacerdos, is ſacrum facere debet, quod diei convenit.

Porrò ratio prædictæ aſſertionis optima hæc afferri poteſt, quòd cùm Miſſam inter & Officium talis ſit connexio ex mente Eccleſiæ, ut utrumque ad idem Myſterium, eumdemve Sanctum colendum ex æquo pertineat; imò Officium ipſum ad Miſſam, veluti medium quid, ad id quod præcipuum eſt, ordinetur: Annon uti Officium diei nunquam fas eſt pro votivo aliquo omittere, ſed ſi quod tale occurrit, ipſi ſuperadditur, ut conſtat ea Officio Defunctorum, Litaniis, aliiſque precationibus, quæ pro diverſis interdum neceſſitatibus adhibentur; ita Miſſam diei propriam in nullo caſu vel omitti, vel in votivam commutari, multò adhuc æquius eſt?

Miſſæ votivæ pro neceſſitate poſſunt dici quocunque die, niſi ſit Dominica, vel feſtum Duplex.

Quintò: Miſſæ votivæ ejuſmodi præter Conventualem, aut etiam ſolæ, ubi Conventualis non habetur, cantandæ, quocunque die dici poſſunt, niſi fuerit Dominica, vel Officium Duplex. Id expreſsè non ſignificat Rubrica, ſed à pari colligitur de Miſſis privatis, quæ cùm ſic dici poſſint ad arbitrium Sacerdotum, quidni & publicæ? eò vel maximè, quòd nullum inde Conventuali Miſſæ detrimentum inferatur. Taliſque eſt uſus communis Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum. Imò nec improbaverim ſolemniores illas votivas pro re gravi, vel publica Eccleſiæ cauſa, concurrente præſertim cum Epiſcopo Clero univerſo, populoque frequenti, poſſe etiam dici in Dominicis & feſtis Duplicibus; tum ob rationem prædictam; tum quòd id fiat in die S. Marci, & in diebus Rogationum, occurrente in illis feſto quolibet, pro Miſſa Litaniarum: nec ad ſummum exciperem niſi feſta præcipua, videlicet Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paſchæ cum triduo præcedenti, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Aſſumpt. B. Mariæ, & Omnium Sanctorum; eo modo quo Miſſa Litaniarum majorum, occurrens in die Paſchatis, novo Decreto transfertur in Feriam tertiam ſequentem.

Solemniores poſſunt dici etiam in Dom. & feſto Duplici.

QUÆSTIO VII.

An fas ſit aliis diebus quàm ex præſcripto Rubricarum conceſſis Miſſas votivas celebrare?

Rationes contrariæ poſtmodum refutandæ.

QUi vel levi crepitatione digiti jugum omne Rubricarum excuſſum volunt, tria hæc proferunt argumenta, quibus liberum eſſe aſſerant, Miſſas votivas extra Conventualem quocunque die celebrare. Primum ab uſu & conſuetudine ubique recepta, ut patet ex Miſſis de Spiritu Sancto, & de B. Maria paſſim cantari ſolitis ante Miſſam de *Requiem* in exequiis Defunctorum. Secundum ab obligatione ortum habente, ſive ex præcepto Superioris, putà Epiſcopi in ordinatione Presbyterorum votivas eaſdem de Spiritu Sancto, & de Beata Virgine, & pro Defunctis poſt primam Miſſam dicendas imponentis; ſive ex fundationibus, ſeu ſtipendiis ad certas & peculiares Miſſas celebrandas legatis & acceptatis. Tertium à ratione, quòd cùm liberum ſit cuilibet privato Sacerdoti Miſſam celebrare vel non celebrare, ita & eidem liberum eſt pro ſuo arbitrio hanc vel illam aſſumere, cùm nullum ſit præceptum latum ſub mortali dicendi Miſſam de Feria, aut de Sancto. Ita Bonacina & alii apud ipſum *de Sacr. Euchariſtia diſp. 4. quæſt. ultima puncto 7. §. tertio*. Sed vide quàm vel nihil vel parum faciant ejuſmodi argumenta contra præſcriptum à Rubricis ordinem.

Bonacina.

Conſuetudo omnis contraria ſublata eſt.

Nam quod affertur inprimis de conſuetudine, ea omnis ſublata eſt per Bullam Pii V. adeò ut abuſus ſit Miſſali Romano adſtrictis, quidquam deinceps hac in parte Rubricis contrarium ex antiquo uſu retinere, ut de ſimilibus paſſim toto hocce opere docui. Sed nec in aliis uſibus propriis vigere ampliùs ejuſmodi conſuetudo exiſtimanda eſt, cùm vel plerique jam ipſum Miſſale Romanum admiſerint, vel proprium alii ad ejus rationem quàm fieri potuit proximè revocaverint. In nullo autem obſervavi laxiores quàm in Romano Miſſis votivis habenas concedi, præter id unum, quòd non à quocumque feſto duplici, niſi fuerit de præcepto, excludantur, quod & Romanum Miſſæ pro ſponſo & ſponſa attribuit, ipſo interprete Gavanto *parte 4. tit. 17. num.* 22. Tolerantur ad ſummum Miſſæ illæ de Spiritu Sancto, & de B. Maria in exequiis Defunctorum, in feſtis de præcepto minùs ſolemnibus; nequaquam autem in ſolemnioribus Chriſti Domini, B. Mariæ, & Patronorum, cùm & in iis plerique uſus prohibeant ipſammet Miſſam Defunctorum, ut infrà notabitur, quantò magis duas illas, quæ nonniſi huic accidentariæ ſunt? Ecquis verò ferat decantari in die Nativitatis Domini Miſſas prædictas, aut Miſſam de Angelis in exequiis parvuli? Diu eſt quòd vidi ego poſtremum hoc, necdum, fateor, ſtomachus deferbuit.

Guyet. Heortologia.

Ad ſummum tolerantur Miſſæ votivæ in Duplicibus quæ non ſunt ex præcepto.

Fundatio, vel ſtipendium, aut præceptum Superioris non obligant contra ordinem Eccleſiæ.

Azor.

Ad ſecundum de obligatione ex fundatione vel ſtipendio, reſpondet optimè Azor 1. *part. lib.* 10. *cap.* 32. *quæſt.* 5. *parendum eſſe potiùs Rubricis & Eccleſiæ præceptionibus quàm teſtatoris verbis, qui mentem ſuam & voluntatem Eccleſiæ inſtitutioni accommodare debuit, quique ſi adfuiſſet nunc, hoc procul dubio voluiſſet*. Idemque *quæſt.* 6. confirmat de Miſſa pro Defunctis, (cujus hac in re par eſt ratio) quam oblato ſtipendio laicus à Sacerdote exigit: *Quoniam*, inquit, *hæc laicorum poſtulata, ut ſint rationi conſentanea, debent cum Eccleſiæ regulis & præceptionibus congruere*. Ita etiam cenſet Panormitanus, in cap. *Cum quidam laicorum, de celebratione Miſſarum*. Bonacina item jam cit. *numero* 5. cum aliis quos refert, idemque explicat qua ratione nihil ſic faciendo peccetur contra juſtitiam nec fidelitatem. Denique Gavantus ipſe *parte* 3. *tit.* 12. *num.* 22. iis annuens addit, *ſenſum eſſe Eccleſiæ, ut Miſſa concordet cum Officio, quoad fieri poteſt, cui ſenſui fideles omnes conformari debent: unde non ſunt verba petentis Miſſam votivam ſeu de Requiem ita amarè intelligenda, ut eo modo rigoroſè celebrare teneatur Sacerdos, ſed civili more & cum cauſa rationabili; lex enim Eccleſiæ prævalere debet ſuper laicorum legem privatam & ſæpè irrationabilem*. Hæc ille, qui & *parte* 1. *tit.* 4. *lit. O.* præceptum Epiſcopi de tribus Miſſis poſt primam, intelligendum eſſe ait *ſalvis Rubricis, alioqui abſonum eſſet celebrata prima Miſſa in Natali Domini, vel die Paſchatis, in tribus ſequentibus diebus Miſſas prædictas recitari*. Eademque ratione à fortiori explicandum aſſero præceptum cujuſcunque alterius Superioris Miſſam aliquam votivam imperantis.

Panormitanus.

Bonacina.

Gavantus.

Ex eo quòd quis non teneatur ad aliquid, non ſequitur liberum ipſi eſſe facere ut volet.

Quæ demum tertio loco adducta fuit ratio, vacillans eſt & infirma. Dicam enim ego ſimiliter, non teneor die profeſto Sacro intereſſe, ergo ſedens & incompoſitus, aut ſine attentione intererо: roganti non teneor conſilium dare, ergo dabo non proficuum: non teneor convivio te excipere, ergo tenue ac jejunum apparabo. Annon cavillari magis dixeris eum, qui ſic ratiocinabitur? Audi me verò meliùs arguentem. Quærunt Doctores, an ut ſatisfiat præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro diebus feſtis, neceſſe ſit audire Miſſam de ipſa Dominica ſeu Feſto quod agitur? Aſſerunt aliqui, ut Angelus verbo *Miſſa num.* 33. quod tamen alii penè omnes longè probabiliùs negant; inprimis Silveſter eodem verbo *Miſſa* 2. *num.* 4. & tamen ipſe idem verbo *Miſſa* 1. *num. item* 4. quærens de quo debeat Miſſa celebrari, poſtquam reſpondit celebrandam eſſe de eo, de quo ſit Officium, ſtatim adjicit: Quòd ſi quis Miſſam

Angelus.

Silveſter.

peculiarem ſeu votivam celebrare velit, id eum facere debere in occulto, diebus videlicet, quibus ex præcepto Miſſa eſt audienda. Cautè omnino ne audientibus in re dubia periculum præbeat non ſatisfaciendi præcepto. I jam, ò bone, & tuam illam devotionem in dicendis Miſſis votivis altiùs extolle, de qua controvertunt Doctores annon in aliquo caſu peccatum involvat? niſi tu fueris illorum forſan unus, qui cùm legere neſciant, Miſſam pro Defunctis aut de B. Virgine ex voto ignorantiæ coguntur quotidie decantare.

QUÆSTIO VIII.

An quandocunque exponitur SS. Sacramentum dici debeat Miſſa votiva de eo?

Initio Orationis 40. Horarum cantatur Miſſa votiva ſolemnis de SS. Sacramento ad ipſum exponendum.

COntingit nonnunquam exponi SS. Sacramentum extra Octavam feſti ipſius, ſive pro Oratione 40. Horarum, ſive ob neceſſitatem aliquam: tum verò poſſe, imò & debere dici Miſſam votivam de ipſo, ſenſus eſt communis ferè omnium. Et quidem ſolemnem cantari initio ipſius Orationis ad faciendam expoſitionem, præcipit inſtructio de ea re Clementis VIII. juſſu edita, quam etiam Conventualis locum obtinere ſupponit Ceremoniale Monaſticum *lib.* 4. *cap.* 14. §. 7. *numero* 2. quippe non pluſquam Miſſam unam ſolemnem qualibet die admittit, quæcunque illa fuerit: ſubdit enim *numero* 3. Quod ſi occurrat Feſtum vel Dominica primæ vel ſecundæ claſſis, Miſſa ſolemnis erit de die cum Commemoratione SS. Sacramenti. Id verò cùm non ſatis congruere conſtet, ex dictis *quæſt.* 6. exiſtimo Miſſam ejuſmodi ſolemnem non poſſe eamdem ad ſummum eſſe Conventualem, niſi in Feriis, in quibus non habetur alia Miſſa quàm Dominicæ præcedentis, quæ jam fuerit dicta. In Miſſis verò privatis, ait idem Cerem. Monaſt. fiet ſaltem commemoratio de SS. Sacramento, maximè ſi dicantur in Altari ubi eſt expoſitum. Illud *ſaltem* innuit poſſe dici Miſſam ipſam, quod facilè conceſſerim, in diebus quibus non eſt feſtum Duplex, vel Dominica, aut Octava, vel Feria privilegiata, juxta id quod dictum eſt ſup. *quæſt.* 6.

Miſſ. Andeg.

Eſt in Miſſali Andegavenſi Rubrica huc pertinens admodum congrua, quæ ſic habet, *Miſſæ votivæ quæ ſolemniter celebrantur pro re gravi, vel publica Eccleſiæ cauſa, ut in proceſſionibus generalibus, dicuntur vel de Patrono Eccleſiæ, in qua celebratur: vel de Officio convenienti cauſæ ſeu neceſſitati publicæ, juxta ordinem in fine Miſſalis præſcriptum: ſed tamen ſi in Eccleſia SS. Sacramentum ſolemni more publicè diſcoopertum, & adorationi fidelium expoſitum fuerit, Miſſa celebrabitur de SS. Sacramento, cum ſecunda Oratione de neceſſitate publica.*

QUÆSTIO IX.

An poſſit dici Miſſa votiva de eo de quo fit Officium?

Non convenit id fieri. Gavantus.

PUta de B. Virgine in aliquo ipſius feſto, vel infra Octavam. Benè reſpondet Gavantus *parte* 1. *tit.* 4. *lit. P.* id minimè convenire. Addo præterea ſupervacaneum eſſe, atque inſulſum ſi fiat. Votiva enim Miſſa cùm ad colendam B. Virginem dicatur, certè ampliùs ipſa colitur per Miſſam Feſti, ſeu Octavæ currentis. Deinde cùm in omni Miſſa votiva, ſecunda Oratio de eo dici debeat, de quo factum eſt Officium, addeſne primæ Orationem ſecundam de Feſto, vel de Octava ejuſdem B. Virginis? Diceſne in Præfat. *Et te in veneratione &c.* Tacent ſuper hoc Rubricæ. Quid mirum? fruſtra daretur reſolutio de eo caſu, qui in uſum non venit. In quibuſcunque igitur Eccleſiis Miſſa una de B. Maria quotidie ſolet celebrari, in feſtis ejuſdem B. Virginis & infra Octavas dici debet Miſſa ipſius feſti, cum *Gloria, Credo &c.* neque enim tunc eſt votiva, ſed verè diei propria. Quod non tantùm aſſero pro feſtis ipſis ac diebus infra Octavas, in quibus fit de ipſa Octava, ſed etiam pro aliis diebus, in quibus fit Officium de feſto vel Dominica occurrente, putà in die S. Hyacinthi infra Octavas Aſſumptionis, & in die S. Nicolai infra Octavas Nativitatis. Nam licèt tunc Miſſa de Octava non conveniat cum Officio diei, convenit tamen cum commemoratione ipſius Octavæ, de qua utique fieret Officium, ſi tale feſtum vel talis Dominica abeſſet; adeòque non eſt adhuc propriè cenſenda votiva. Itidem de Vigilia Aſſumptionis, cujus Miſſa, licèt feſtiva non ſit, ſed Ferialis, & in ea dicatur Præfatio communis, quia tamen tota eſt de B. Virgine, alia perperam votiva aſſumeretur.

Infra Oct. B. Mariæ, dicitur loco votivæ Miſſa de ipſamet ut infra Octavas.

Idem eſto judicium in pari caſu de aliis Miſſis votivis, videlicet de SS. Trinitate, de Spiritu Sancto, de SS. Sacramento, de Cruce, item & de Paſſione, (quæ duæ quantum ad hoc pro eadem mihi cenſendæ videntur) item de Angelis, & de SS. Apoſtolis Petro & Paulo, denique & de Patrono. Quarum omnium Miſſarum votivarum uſus non eſt in feſtis propriis, nec infra Octavas eorum de quibus ſunt; ſed illarum loco ſubſtituenda Miſſa Feſti ſeu Octavæ, prout ea die ordinatur.

QUÆSTIO X.

An de Sancto de quo non ſit Officium, poſſit nihilominus dici Miſſa die ipſius feſto?

Poteſt dici Miſſa ejuſmodi. Gavantus.

COncedit Gavantus *par.* 1. *tit.* 8. *lit. B. & tit.* 9. *num.* 16. *lit. I.* Et verò debetur id Sancto cuilibet Altaris Patrono, ſicut & potiori adhuc jure Sanctis Eccleſiarum ipſarum Patronis ab externis Sacerdotibus, in iis die illorum feſto celebrantibus. Durus item nimis eſſet qui de Sancto Sacrum fieri poſſe negaret die itidem ipſius feſto ab eo, qui ejus nomen gerit, vel cujus interceſſione inſigne aliquod beneficium à Deo conſecutus eſt, vel denique qui erga eum quacumque ex cauſa peculiari devotione afficitur. At duo hic dubia ſunt.

Talis Miſſa eſt ex parte votiva.

Primum, an ea Miſſa dicenda ſit votiva? licèt enim non conveniat cum Officio diei, ſitque ad arbitrium Sacerdotis, eſt tamen de feſto, ſeu de Sancto ipſo die ejus Natali, unde & habet *Gloria in excelſis* more feſtorum. Nodum hunc commodè ſolvit Gavantus cit. appellans ex utroque votivo ſcilicet & feſtivo mixtam.

Non debet dici in Dominica.

Alterum dubium: An ſi fuerit ea die feſtum Duplex vel Dominica, dici nihilominus poſſit ejuſmodi Miſſa? Non debet, ex Rubrica ſuperiùs explicata, quia ſufficit tum ſimplex Oratio, aut certè poterit Miſſa ipſa transferri in primam diem non impeditam, & tum erit merè votiva. Condonarem tamen ei, qui in Eccleſia Sancti propria celebrans, Miſſam privatam de ipſo recitaret potiùs quàm de Dominica, aut de Duplici feſto ea die occurrente. Dixi privatam Miſſam: Qui enim ſolemnem decantat, quantumcunque is ſit peregrinus & advena, debet ſe Choro ipſius Eccleſiæ penitùs conformare. Miſſa verò feſti ab eo ſic omiſſa, nequaquam erit alio die reſumenda, ſaltem more feſti, eſto inſtar votivæ.

QUÆSTIO XI.

An, & quando dicendum Gloria in excelſis, *in Miſſis votivis?*

Regula generalis, in nulla Miſſa votiva dici Gloria in excelſis.

RUbrica 8. Miſſalis ſic habet, *In Miſſis votivis non dicitur etiam tempore Paſchali, vel infra Octavas, niſi in Miſſa B. Mariæ in Sab-*

in Sab-

in Sabbato, & Angelorum, & niſi Miſſa votiva ſolemniter dicenda ſit pro re gravi, vel pro publica Eccleſiæ cauſa. Regula itaque generalis eſt, in nulla Miſſa votiva ſive privata, ſive publica, quæ non ſit ſolemnis, dici *Gloria in excelſis*, etiam cùm dictum fuerit *Te Deum* ad Matutinum in Officio diei, ut fit tempore Paſchali, & infra Octavas: quod mirum non eſt, cùm in his & ſimilibus non conveniat Miſſa cum Officio. Ab hac verò Regula generali tres ponuntur exceptiones.

Opinio Gavanti eſt, in omni Sabbato dicendum Gloria in excelſis, in Miſſa B. Mariæ.

Prima, pro Miſſis B. Mariæ in Sabbato. Quomodo autem intelligendum illud *in Sabbato*, an de iis Sabbatis tantùm, in quibus Officium ipſum, adeòque Miſſa dicitur de B. Maria? an verò etiam de aliis, in quibus non dicitur Officium? gravis eſt controverſia. Poſtremum tuetur Gavantus hoc uno ductus argumento, quòd alioqui ſuperfluum eſſet illud *in Sabbato*; nam, inquit, *parte* 1. *tit.* 8. *n.* 4. *lit. Z.* vel intelligis de Sabbato, in quo de ea fit Officium, & eo caſu dicitur *Gloria in excelſis*, quia nimirum dictum eſt *Te Deum*; ſed tunc non eſt votiva, ſiquidem concordat cum Officio. Vel intelligis de verè votiva, quæ dicitur principalis in Sabbatis Adventus, & tunc additum fuiſſet in hac Rubrica, *in Sabbato de Adventu*. Vel denique intelligis de merè votiva, quæ videlicet privatim ad libitum dicitur, in Sabbatis Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & quibuſcunque aliis, in quibus non fit Officium de B. Virgine, & eo caſu ſufficeret dixiſſe *in Miſſa B. Mariæ* abſolutè, quocunque die dicatur. Quare ne ſuperfluat illud *in Sabbato*, concludit tollendum eſſe comma, ſeu diſtinctionem, quæ mendosè in quibuſdam Miſſalibus poſita eſt, eoque ſublato intelligendam Rubricam illam de omni Sabbato, ſive concordet, ſive diſcordet Miſſa B. Virginis ab Officio; quia nimirum dies ille B. Virgini potiſſimùm dicatus habetur.

Contraria opinio defenditur, nec in ipſo Sabbato dicendum Gloria in Miſſa B. Mariæ, niſi cùm de ea factum eſt Officium.

Hæc ille, ſed parcat mihi optimus Rubricarum interpres, ſi in hoc etiam placito ab eo diſſentiam. Ajo ſiquidem contra in nullo Sabbato dicendum eſſe *Gloria in excelſis*, in Miſſa B. Mariæ, niſi in eo in quo de ea factum eſt Officium, aut in quo perinde Miſſa de ipſa dicitur, atque ſi factum fuiſſet Officium; quod contingit in duobus prioribus Sabbatis Adventus.

Innocentius III.

Hoc autem inprimis demonſtro, ex textu ipſo cap. *Concilium, de Celebr. Miſſar.* ubi ſic reſpondet Innoc. III. Archiep. Braccarenſi, *Inquiſitioni tua taliter reſpondemus, quod apud nos in diebus profeſtis cum Miſſarum ſolemnia in honorem B. Virginis celebrantur, neque Hymnus Angelicus, neque Symbolum decantatur, ut inter commemorationem & ſolemnitatem differentia oſtendatur.* Solemnitas autem, ut obſervavimus aliàs, dicitur propriè de feſto, eoque Duplici vel Semiduplici, commemoratio verò de Simplici ſeu ad modum Simplicis. Poteſtne quidquam dici clarius?

Exponitur verus Rubricæ ſenſus.

Sed nec minùs dilucida eſt Rubrica Miſſalis, ſi benè intelligatur; intelligi autem debet in primo ſenſu ex tribus prædictis, nempe de Sabbato in quo fit Officium de B. Maria; nam licèt tum Miſſa verè conveniat cum Officio, adeòque ex priori Rubrica certum ſit debere dici in ea *Gloria in excelſis*, cùm in Officio dictum ſit *Te Deum*: quia tamen Miſſa illa poſita eſt inter votivas, imò etiam votiva eſt latè ſumendo, ut explicuimus *quæſt.* 1. idcirco oriri potuiſſet dubium num in ea quoque dicendum ſit *Gloria in excelſis*; hoc autem dubium tollitur additione illa, *in Sabbato*, ut ſit ſenſus, etiamſi aliàs in Miſſa votiva B. Mariæ non dicatur *Gloria in excelſis*, dicitur tamen in Sabbato, quando nimirum ipſa cum Officio convenit. Nedum ergo redundat illud *in Sabbato*, quod objiciebat Gavantus, ut etiam penè ſit neceſſarium ad rei explicationem: quod & exemplo iſto adhuc plenius illuſtratur. Si, quod multis hodie Regulaɾibus in uſu eſt, in univerſali Eccleſia induceretur, ut ſingulis Feriis 5. fieret Officium de SS. Sacramento, annon quoque addendum eſſet in hac eadem Rubrica, *niſi in Miſſa SS. Sacramento Feria* 5. Omnino, quippe eſſet eadem votiva, quæ jam recitatur; ſed quia tum recitaretur conformiter Officio, & in Officio diceretur *Te Deum*, ideò & tunc dicendum eſſet *Gloria in excelſis* in Miſſa, idque exprimeretur per illud additum *Feria* 5. cujus profectò ſenſus non eſſet, ut quacunque alia Feria 5. diceretur. Idem prorſus judicandum de clauſula, *in Sabbato*, quoad Miſſam B. Virginis.

Guyet. Heortologia.

A pari de Miſſa SS. Sacramenti.

In duobus prioribus Sabbatis Adventus cur dicendum Gloria in excelſis.

Sabbatis verò, in quibus fit Officium de B. Maria, æquiparavi quoad Miſſam Sabbata duo priora Adventus; in quibus videlicet Miſſa B. Mariæ præſcribitur ab Eccleſia, licèt de ea factum non ſit Officium: cujus diſcriminis ratio eſt, quòd Sabbatum Adventus, cùm ſit Feria major, non fert Officium B. Mariæ; at cùm non habeat Miſſam propriam, ſicut habent Sabbata Quadrageſimæ, Quatuor Temporum & Vigiliarum, ſed tantùm Miſſam Dominicæ præcedentis, quæ repetitur tota hebdomada, liber fuit locus retinendæ Miſſæ B. Virginis, ſicut aliis temporibus; idque eſt quod ſignificavi antè, perinde in his duobus Sabbatis dici Miſſam de B. Virgine, atque ſi de ea dictum fuiſſet Officium, ideòque habet *Gloria in excelſis*: nec cenſenda eſt niſi latè votiva, cùm non ſit ad arbitrium Sacerdotis, ſed ex præſcripto Eccleſiæ, perinde atque aliis Sabbatis, in quibus fit Officium. Ex quo vides non debuiſſe addi Rubricæ (quod erat alterum à Gavanto illatum) clauſulam illam, *in Sabbato de Adventu*. Sic enim reſtringendo, hæc exceptio non comprehendiſſet, niſi præfata duo Sabbata Adventus, cùm tamen ex dictis, æquè communis ſit aliis omnibus, in quibus fit Officium de eadem B. Maria. Relinquenda itaque Rubrica ut eſt, quæ itidem ſic intellecta nullam habet difficultatem, noſtramque concluſionem illibatam prorſus adſtruit.

In Miſſa votiva Angelorum ſemper dicitur.

Secunda exceptio eſt pro Miſſa votiva Angelorum, etiam privata, in qua nimirum ſemper dicitur *Gloria in excelſis*. Eſt quippe Hymnus Angelicus, cujus priora verba ab Angelis primò prolata fuere.

Conditiones Miſſæ ſolemnis, ut in ipſa dicatur *Gloria in excelſis*.

Tertia, pro Miſſa ſolemni, qualem deſcripſimus ſuprà *quæſt.* 6. nempe quæ ſit primò publica; nulla enim Miſſa privata eſt ſolemnis, ut ibidem docuimus. Secundò pro re gravi vel publica Eccleſiæ cauſa, ſeu ut definit ipſemet Gavantus, pro qua convenit Clerus cum Epiſcopo, quod ut ſit accipiendum, *quæſt. item* 4. declaravimus. Nimis verò liberalis eſt idem Gavant. *lit. B.* ubi explicans quibus modis poteſt Miſſa eſſe ſolemnis, ait, *vel ratione temporis, puta quia Sabbatum dicatum B. Virgini*; & id quidem ut tueatur ſuam de cunctis Sabbatis ſententiam: at dicam ego perinde ſolemnem eſſe Miſſam SS. Sacramenti, quia Feria 5. ei Myſterio dicata eſt. Sed cùm hæ & ſimiles Miſſæ non ſint propriè niſi commemorationes, vide num id rectè quadret cum eo, quod dicit Innoc. III. *debere eſſe differentiam inter commemorationem & ſolemnitatem.*

Malè dicitur Miſſa votiva *ſolemnis* ratione Temporis.

In Miſſis votivis luctus non dicitur *Gloria in excelſis*.

Porrò ab hac exceptione, qua Miſſis votivis ſolemnibus tribuitur *Gloria in excelſis*, eximendas Miſſas illas, quibus adhibentur paramenta violacea, declaravit Sacra Rit. Congr. 19. *Maji* 1607. nimirum, *Pro quacunque neceſſitate, pro peccatis, ad tollendam ſchiſma, contra Paganos, tempore belli, pro pace, pro vitanda mortalitate, pro iter agentibus, & pro infirmis. De Paſſione Domini* dubitarem, aut ſi dicitur non incongruum judicarem adhiberi colorem rubeum. Ratio declarationis ejuſmodi clara eſt: ſunt enim Miſſæ illæ omnes luctus ac triſtitiæ, inſtar Miſſæ Rogationum, in qua licèt ſolemni, non dicitur *Gloria in excelſis*. Adduntur & ſequentes exceptiones.

Quarta, pro Miſſa Sancti die ejus Natali,

Dicitur in Miſſa Sancti, die feſto ipſius.

Non eſt iſta exceptio expreſſa in Rubrica, ſed cùm ex Gavanto Miſſa ejuſmodi, ut diximus *queſtion.* 9. ſit ex votivo & feſtivo mixta, æquum maximè videtur, ut qua feſtivum ſapit, obtineat quod ad rationem feſtivi maximè omnium ſpectat, nempe *Gloria in excelſis*; idque diſertè aſſerit Gavantus citans & laudans Petrum Ruiz in ſuo Ceremoniali.

Et dicendum in Miſſa de SS. Sacramento. Miſſ. Andeg.

Quinta, Miſſæ votivæ cuilibet etiam privatæ de SS. Sacramento Miſſale Andegavenſe tribuit *Gloria in excelſis*. Potuit pro jure ſuo hoc Eccleſia illa apud ſe ſtatuere; poſſunt, imò & id facere debent quotquot ex privilegio legitimo ſingulis Feriis 5. recitant Officium de eodem SS. Sacramento; Miſſa enim tum convenit cum Officio. Optarent denique multi ut id ad majorem devotionem æquè concederetur omni Miſſæ votivæ etiam privatæ, quæ celebratur in Altari, in quo Sacramentum exponitur diſcoopertum; ſed non videtur ratio illa majoris devotionis ſatis probanda, perinde enim valeret in Miſſa v. g. Dominicæ Palmarum, ſi ea die Sacramentum exponatur, cùm tamen alienum omnino ſit à ritu dici illius & ſimilium, ut dicatur *Gloria in excelſis*: ſtandum igitur Rubricæ.

Sexta: Eſt privilegium Ædis Lauretanæ, inquit Gavantus, ut in omnibus Miſſis B. Virginis, quæ ibidem celebrantur, dici queat *Gloria in excelſis*. Idem quoque conceſſum fuit Minoribus ab Alexandro IV. pro Miſſis votivis tam ſolemnibus quàm privatis de B. Maria & de Spiritu Sancto; item à Sixto IV. pro omnibus votivis. Sed ſublatum jam ejuſmodi privilegium per Conſtitutionem Pii V. fatetur Rodericus & ipſe Minorita *tom.* 1. *queſt.* 43. *art.* 15. & verò quid boni vel commodi ex eo privilegio conſequatur, mihi ſatis compertum non eſt.

Rodericus.

QUÆSTIO XII.

An & quæ Orationes dicendæ in Miſſis votivis?

Unica tantùm Oratio in Miſſa votiva ſolemni.

IN Miſſis votivis quando ſolemniter dicuntur pro re gravi, vel pro publica Eccleſiæ cauſa dicitur una tantùm Oratio. Ita *Rubr.* 9. *num.* 14. Ubi obſerva non præcipi in hiſce Miſſis ſolemnibus Orationem ſecundam de eo de quo factum eſt Officium, ſicut præcipitur in Miſſis privatis, quia nimirum talis Miſſa ſolemnis ſupponitur dici præter Conventualem, quæ cùm ſit de Officio diei, non eſt opus aliam fieri de eo commemorationem. Ubi tamen eadem Miſſa votiva ſolemnis haberetur & pro Conventuali, non dubito ego faciendam eſſe commemorationem de Officio diei, ſaltem quæ fieret in feſto ſolemni, nempe de Dominica, de Octava privilegiata, de Feria majore, item de feſto Duplici & Semiduplici ea die occurrentibus, ut bene obſervavit Cerem. Monaſticum *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 8.

Cerem. Monaſt.

Oratio 2. de Neceſſitate, ſi Miſſa non eſt de ipſa met.

Videtur item dicenda in iiſdem Miſſis ſolemnibus ſecunda Oratio de neceſſitate, pro qua celebrantur, puta ad poſtulandam pluviam, vel aeris ſerenitatem & ſimilia, quando videlicet Miſſa non dicitur de ejuſmodi neceſſitate, ſed de Trinitate, de Spiritu Sancto, aut alia ejuſmodi; ſi autem dicatur pro pace, pro vitanda mortalitate, pro infirmis &c. nulla eſt addenda alia Oratio; unde idem Miſſale Andegavenſe, quod præcedenti quæſtione laudavi, benè monet in ejuſmodi Miſſis, ſi de Patrono dicantur, Orationem ſecundam debere eſſe de neceſſitate; ſi verò dicantur de neceſſitate Orationem ſecundam debere eſſe de Patrono.

Miſſ. Andeg.

In Miſſa pro Gratiarum actione Oratio Deus cujus miſericordiæ, ſub una concluſione.

In ſolemni item Miſſa pro Gratiarum actione, ſive fuerit de Trinitate, ſive de Spiritu Sancto, aut de B. Maria, ſive etiam de die, additur primæ Orationi ſub una concluſione Oratio pro Gratiarum actione, *Deus cujus miſericordiæ*. Ita Miſſale recognitum, ut jam non ſit ampliùs dubitandum, Gavantus licèt contrarium doceat *par.* 4. *tit.* 17. *n.* 15.

In Miſſa votiva privata 2. Oratio de eo de quo factum eſt Officium, 3. quæ eſt ſecunda Temporis currentis.

Jam verò in Miſſis votivis privatis dicuntur ſemper plures Orationes ut in feſtis ſimplicibus, ex eadem Rubr. ſuprà cit. nimirum ſecunda, de eo de quo factum eſt Officium, ſive Feſto, ſive Feria. Imò ſi in Officio facta eſt commemoratio aliqua, aut Sancti, aut Vigiliæ, aut Feriæ ea die occurrentis, eamdem perinde in Miſſa fieri debere conſequens eſt, tumque erit numerus completus Orationum. Aliàs verò tertia Oratio erit ea quæ eſt ſecundo loco in Miſſa de Officio diei juxta occurrentiam temporis, videlicet in Adventu *Deus qui de Beata*. A Nativitate uſque ad Purific. *Deus qui ſalutis*, Temporis Paſſionis, & infra Octavas Paſchæ & Pentec. *Eccleſiæ* vel pro Papa. Tempore Paſchali & infra quaſcunque Octavas, quæ non ſunt B. Mariæ, & feſti Omnium Sanctorum, item in Vigiliis, *Concede nos*. Infra Oct. B. Mariæ, & feſti Omnium Sanctorum eorumdemque Vigilia, *Deus qui corda*. Reliquo anni tempore, hoc eſt à Purific. uſque ad Dom. Paſſionis, & ab Oct. Pentec. uſque ad Adventum, *A cunctis*. Cujus tamen loco in Miſſis votivis B. Mariæ dicitur Oratio, *Deus qui corda*, & in Miſſis votivis de SS. Apoſtolis Petro & Paulo, *Concede nos*. Itidem in Miſſa votiva de Patrono qui nominatur ad literam N. niſi malis vel ipſum reticere, vel alium pro tua devotione ejus loco nominare, ut placet Gavanto *in hanc Rubr. lit. H.* Dubium item, an in Miſſa votiva de Converſione S. Pauli addenda ſit ſecunda Oratio de S. Petro, ſicut & viciſſim in Miſſa votiva S. Petri, ſecunda itidem de S. Paulo? Affirmo cum Gavanto *par.* 4. *tit.* 17. *n.* 6. niſi malueris dicere votivam utrique communem, cum intentione ad venerandam Converſionem S. Pauli, quod congruentius judicat Gavantus, videlicet ne ab invicem ſeparentur, quos Eccleſias aliàs ſemper conjungit.

SS. Petrus & Pauli nuſquam ſeparandi.

Oratio pro Gratiarum actione in Miſſis privatis non eſt dicenda ſub una concluſione.

Oratio pro Gratiarum actione ſecundo ſemper loco dicitur, ait idem Gavantus paulò antè; ſed annon jungenda primæ ſub una concluſione? Aſſeritur in Ceremoniali Monaſtico *lib.* 3. *cap.* 13. *nu.* 7. & videtur favere Miſſale nuperrimè recognitum, in quo addita fuit ad Rubricam hujuſce Orationis, clauſula iſta *ſub una concluſione*. Exiſtimo tamen probabilius cum eodem Gavanto *tit.* 7. *nu.* 7. *lit. N.* id præſtandum in Miſſa ſolemni dumtaxat, non autem in privatis; quod à pari probat ille de Orationibus in Collatione Ordinum, conſecratione Epiſcoporum, Virginum, Eccleſiarum & Altarium, Benedictione Abbatum & Abbatiſſarum, Cœmeterii Benedictione, & Conſecratione Regum & Reginarum, quæ omnes uniuntur ſub uno *Per Dominum*, majoris celebritatis gratia, ut videlicet unica videatur Oratio; at celebritas ejuſmodi nonniſi propria eſt Miſſarum ſolemnium. Subdit præterea deprehendiſſe ſe clauſulam illam *ſub una concluſione* additam primùm fuiſſe in Miſſali Romæ edito 1631. ſine Superiorum facultate, quæ etſi poſtea acceſſerit, haud tamen in ullo urget, ut ea clauſula ſecùs accipiatur quàm dixi. In Miſſa votiva tam privata quàm ſolemni ad poſtulandam gratiam Spiritus Sancti, non additur, ſed reponitur Oratio, *Deus cui omne cor patet*, loco Orationis *Deus qui corda*, in ipſamet Miſſa de Spiritu Sancto.

Oratio Deus cui omne cor patet, loco alterius reponenda.

De aliis Orationibus quæ inſuper addi poſſunt, ſermo erit in ſequentibus quæſtionibus.

Ubi dicitur Miſſa Conventualis diei, non eſt opus facere commemorationem de eo in Miſſa votiva publica.

De Miſſis publicis, quæ in Choro cantantur, ſed non ſolemniter, ut ſunt Miſſæ de Spiritu Sancto & de B. Maria in exequiis Defunctorum, item plures aliæ ex fundatione, aliave ratione inſtitutæ, par eſt ratio quoad Orationes, atque de Miſſis privatis; niſi quòd in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, aliiſque ubi Miſſa Conventualis de

die

Digitized by Google

dic nunquam omittitur, exiſtimaverim opus non eſſe addere ſecundam Orationem de eo, de quo ſit Officium; ſuppletur enim ſatis per ipſammet Miſſam Conventualem, quæ integra eſt de eo, perinde atque in Miſſa jejunii in Quadrageſima, Quatuor Temporibus & Vigiliis, non ſit commemoratio Feſti de quo ſit Officium, quia nimirum ipſa quoque Miſſa feſti decantatur.

QUÆSTIO XIII.

An & quando dicendum Symbolum in Miſſis votivis?

Non dicendum niſi in Miſſa ſolemni pro re gravi, &c.

DIcitur *Credo*, in Miſſis votivis quæ ſolemniter pro re gravi, vel pro publica Eccleſiæ cauſa celebrantur. Ita *Rubr.* 11. *in fine*, cui nihil addendum, niſi declaraſſe Sacram Rit. Congreg. 19. *Maji* 1607. non dici, perinde atque *Gloria in excelſis*, in Miſſis votivis etiam ſolemnibus, quibus adhibentur paramenta violacea, niſi fuerit Dominica, quia tunc dicitur quidem *Credo*, non autem *Gloria in excelſis*; in reliquis Miſſis votivis, tam privatis quàm publicis non ſolemnibus, nunquam dicitur, etiamſi fuerit Dominica, vel infra Octavas, quibus debeatur: patet quia cùm regula ſit generalis, locum habere debet in quibuſcunque caſibus non exceptis.

QUÆSTIO XIV.

Quæ Præfatio dicenda in Miſſis votivis, item an Communicantes propria?

Propria ſi habeatur, alioquin Communis, ſeu Temporis currentis.

IN Miſſis votivis dicitur Præfatio propria, ſi propriam habeant (qualem habent Miſſæ de SS. Trinitate, de Spiritu Sancto, de Cruce & Paſſione Domini, de B. Maria & de Apoſtolis.) Si verò propriam non habuerint, dicitur Præfatio de Tempore vel Octava, infra quam contigerit hujuſmodi Miſſas celebrari; alioqui Præfatio Communis. Ita *Rubr.* 12. *nu.* 4. & de B. Maria ſpeciatim habetur, cap. *Conſilium*, *de Celebr. Miſſarum*.

Propria etiā dicenda infra Octavas, etiam Nativitatis, contra Gavantum.

Excipit ab hac Regula Gavantus *parte* 1. *tit.* 12. *num.* 4. *lit. D.* Votivas infra Octavas Nativitatis Domini, quibus tribuit Præfationem de Nativitate, etiamſi aliunde propriam habeant, argumento à fortiori de S. Joanne Evangel. cùm tamen nulla id Rubrica præcipiatur; de aliis verò Octavis nihil ſimile afferit. Ego verò in hanc propriùs eo ſententiam, ut vel tridem in aliis votivis, quæ infra alias Octavas celebrantur, ſaltem Epiphaniæ, Paſchæ, Aſcenſionis & Pentecoſt. æquè dicatur Præfatio Octavæ propria, vel certè non dicatur infra Octavam Nativitatis. Quid enim habet ampliùs Præfatio Nativitatis, quàm Præfatio aliarum ſolemnitatum? An quòd ſit propria Feſti & Octavæ? ſunt & aliæ. An quòd habeat adjunctum *Communicantes* proprium? habent & aliæ præfatæ quatuor. Sed urget, inquies, exemplum feſti S. Joannis. Bene ais feſtum, & quidem addictum ratione aliqua peculiari feſto Nativitatis, quod non convenit Miſſæ votivæ. Adde quòd eſt fortaſſis in S. Joanne aliquid, quo ipſi quadret appoſitè Præfatio illa, *Quia per Incarnati Verbi &c.* quippe qui Verbi illius ab æterno geniti, jamque incarnati ineffabile Myſterium, magnificis illis verbis, ac ſtuporem omnem ſuperantibus expreſſerit, *In principio erat Verbum*. Hincque liber inferre Præfationi huic, quoad Miſſas attinet, nihil tribuendum magis quàm aliis, adeòque ſi aliæ ſupra propriam Miſſæ votivæ non prævalent, neque etiam iſta prævalere debet, nulla id præcipiente Rubrica.

In Miſſis ſolemnibus Præfatio dicenda in cantu ſolemni.

Addit verò Rubr. *Quando aliqua Miſſa votiva pro cauſa publica ſolemniter celebratur, Præfatio dicitur in cantu ſolemni, ut in duplicibus*; demptis tamen verbis, quæ non congruunt votivæ Miſſæ, ut in Præfatione de Spiritu Sancto, omittendum *hodierna die*. Hoc tamen quod de cantu ſolemni dictum eſt, haudquaquam extendi debet ad Miſſam Litaniarum in die S. Marci & diebus Rogationum. Eſt enim Miſſa illa, quantumcunque ſolemniter celebretur, Ferialis, cui nullatenus competit cantus ſolemnis; unde & in Miſſa Litaniarum majorum occurrente infra Octavam Paſchæ, bene monet Gavantus *parte* 4. *tit.* 11. *num.* 10. dicendam Præfationem Paſchalem Ferialem, ſeu quæ in cantu Feriali notata eſt, retentis tamen ut reor verbis illis, *ſed in hac potiſſimùm die*, perinde atque retinetur *Comunicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes*, non tamen duplici *Alleluja* ad *Ite Miſſa eſt*.

Non tamen in Miſſa Litaniarum.

Gavantus.

Deeſt in Miſſali cantus ferialis Præfationis de Nativitate Domini, pro Miſſis votivis non ſolemnibus de SS. Sacramento. Quid ita? An quia talis Miſſa omnis ſolemnis eſt? Eſto id quidem, quando ipſum SS. Sacramentum expoſitum habetur: aliàs verò poteſt non eſſe ſolemnis, tumque cani debere prædictam Præfationem in cantu feriali mihi perſuaſum eſt, quod calleuti artem haud erit admodum difficile.

Præfatio de Nativitate ut cantanda.

Ad caſum autem quem proponit Cerem. Monaſt. *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 27. de duabus Præfationibus propriis una & eadem die occurrentibus, puta Paſchali & B. Mariæ in Sabbatis poſt Paſcha; Paſchali item & Octavæ Inventionis S. Crucis, aut hac & Aſcenſionis, utra illarum dicenda in Miſſa votiva quæ non habet propriam? reſponſum fuit ſuprà *lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 5. ſicut & de *Communicantes* feſtorum Chriſti Domini, quod infra Octavam illorum dicitur in quibuſcunque Miſſis votivis, etiamſi ſeparari contingat à ſua Præfatione.

Utra dicenda cùm duæ occurrunt propriæ.

QUÆSTIO XV.

Quodnam Evangelium dicatur in fine Miſſarum votivarum?

NUnquam aliud quàm S. Joannis, *In principio erat Verbum*, ait expreſsè *Rubr.* 13. *num.* 2. *in fine*; unde non placet quod habetur in Ceremoniali Monaſtico *lib.* 4. *cap.* 5. *nu.* 8. In Miſſa quæ dicitur de Sancto extra ordinem Officii, in die ejus feſto, dicendum in fine Evangelium Feriarum Quadrageſimæ, Quatuor Temporum aut Vigiliarum, ſi in iis celebretur, quia, inquit, iſta Miſſa non eſt votiva. Imò votiva eſt, non tantùm latè, ſed etiam ſtrictè, ſiquidem non convenit cum Officio dici, licèt detur ipſi feſtivum aliquid, ut diximus *ſup. quæſt.* 10. Miror verò prædicti Ceremonialis authorem tribuere Miſſis illis ultimum Evangelium de Feria ſeu Vigilia, quod ſtatim *nu.* 11. negat feſtis occurrentibus in Vigiliis S. Andreæ, & S. Thomæ in Adventu, cùm tamen his longè magis debeatur, quàm iſtis, ut probavimus ſuprà *cap.* 5. *quæſt.* 4.

Refutatur Cerem. Monaſt.

QUÆSTIO XVI.

Sintne in Miſſis votivis retinenda aliqua de proprietate Temporis, vel Octavæ currentis?

TRia hìc ab aliquibus dubia proponuntur. Primum, An in Miſſis votivis, quæ dicuntur in Feriis Adventus, Quatuor Temporum, & Vigiliarum, omittendum ſit poſt Graduale *Alleluja* cum Verſu, perinde atque omittitur in Miſſa prædictarum Feriarum? Reſpondeo cum Gavanto *parte* 4. *titul.* 17. *num.* 31. non, quia non ſunt Miſſæ de Tempore. Et verò ponitur in ſingulis Miſſis votivis Tractus pro Tempore poſt Septuageſimam, qui tamen perinde eſſet tum omittendus,

Non omittendum Alleluja, cum Verſu in Feriis Adventus &c.

dus,

dus, atque Verſus alio Tempore. Adhuc multò minùs omitti debet idem *Alleluja* cum Verſu in Miſſis de Spiritu Sancto, & de B. Maria, quæ dicuntur in exequiis Defunctorum; quod nulla ex lege, imò cum gravi abuſu à multis inducitur.

Abuſus quorumdam carpitur.

Secundum: An in votivis de Cruce & de Paſſione Tempore Paſſionis omittendus Pſalmus *Judica* & ℣. *Gloria Patri*, ad Introitum & Lavabo? Aſſeruiſſe id quoſdam recentiores Hiſpanos refert Gavantus *parte 2. tit. 3. num. 6. lit. V.* quos jure ipſe refutat; non enim ſunt Miſſæ illæ de Tempore, ut hoc in ipſis ſervetur.

Non omittendus Pſalmus Judica &c. Tempore Paſſionis.

Tertium: An ſi quæ dicatur Miſſa votiva in hebdomada Paſchæ, dicendum ſit in ea Graduale, perinde atque dicitur in Miſſa propria diei? Reſpondeo, non, ſed ejus loco dici debent duo Verſus cum quatuor *Alleluja*, ut fert ratio Temporis Paſchalis. Similiter non dicetur *Ite Miſſa eſt* cum Duplici *Alleluja*, quòd proprium id ſit dumtaxat Miſſæ Paſchalis de Octava. Ita Ruiz in ſuo Ceremon. quem citat & ſequitur Gavantus *parte 4. tit. 17. num. 12.*

Non dicendum Graduale in hebd. Paſchæ.

Sunt qui in Miſſa votiva ſolemni de SS. Sacramento inſerant ſequentiam, *Lauda Sion Salvatorem*; ſed qua authoritate? Rectiùs omittendam, etiam in expoſitione ejuſdem SS. Sacramenti, monet Cerem. Monaſt. *lib. 4. cap. 14. n. 2.* cùm nec verum eſſet enunciatio iſta: *Dies enim ſolemnis agitur.* Hactenus de Miſſis votivis, nunc de Orationibus.

Sequentia de SS. Sacramento non dicenda.

QUÆSTIO XVII.

Quis uſus Orationum in fine Miſſalis poſitarum?

PAtet ex Titulo, qui ſic habet, *Orationes diverſæ dicendæ in Miſſa ad libitum Sacerdotis, cum iis quæ in propriis Miſſis aſſignantur, quando non eſt feſtum Duplex.* Ex quorum verborum explanatione multa dubia reſolvuntur.

Primò: Dicuntur *diverſæ*, hoc eſt pro diverſis rebus ac perſonis, ſeu ad diverſa obtinenda, purà *Pro Papa, Prò Rege, Pro Prælatis & Congregationibus eis commiſſis, Pro Congregatione & familia, Contra perſecutores Eccleſiæ, Tempore famis, Ad petendam pluviam vel ſerenitatem, Pro ſeipſo Sacerdote, Pro petitione lacrymarum, Pro tentatis & tribulatis, Ad poſtulandum humilitatem, patientiam, charitatem, Pro devotis amicis, Pro inimicis &c.* denique generalis *Pro vivis & defunctis.* Quarum omnium authores laudat Gavantus *parte 4. tit. 17. nu. 28. & ſeq.* Sunt & plures aliæ in diverſis uſibus, purà in Andeg. *Pro Epiſcopo, Pro Rege & exercitu ejus, Pro fœmina.* In Ordine Prædic. *Pro Prædicatoribus &c.* & in antiquo ipſo Miſſali Rom. habentur, *Pro nimiis preſſuris, Pro ſtabilitate loci, Pro confitente peccata ſua, Pro facientibus eleemoſynam &c.* Et hæ quidem aliæque omnes inſcribuntur hocce Titulo, *Miſſa pro &c.* tum quia habent pleræque illarum Officium ſeu Introitum, & reliqua ex quibus Miſſa componitur; tum quia Oratio ipſa per ſe ad Deum dicta venit etiam nomine Miſſæ, ex Can. 12. Concilii Milevitani.

Varii Tituli Orationum votivarum.

Secundò: ſequitur, *dicendæ ad libitum Sacerdotis*, nimirum quando, vel poſt Orationem ſecundam *A cunctis*, tertia ponitur ad libitum, vel urget aliqua neceſſitas; debet autem libitum ejuſmodi eſſe rationabile: ineptus enim eſſet qui diceret Orationem v. g. ad petendam pluviam, cùm nulla urget pluviæ neceſſitas. Adde, non tantùm ad libitum Sacerdotis, ſed inſuper ex præcepto Superiorum, quibus utique jus eſt ejuſmodi Orationes ob ingruentem aliquam neceſſitatem, Sacerdotibus ſibi ſubditis dicendam ad tempus imponere; ſicut & laicis eaſdem à Sacerdotibus impetrare pro ſuis quibuſque privatis neceſſitatibus.

Cauſa dicendarum ejuſmodi Orationum.

Tertiò: Illud quod additur, *Cum iis quæ in propriis Miſſis aſſignantur*, indicat, non eſſe omittendas Orationes qualibet die præſcriptas, ut earum loco reponantur aliæ ad libitum; ſed ſi quæ ejuſmodi dicendæ fuerint, illis eſſe ſuperaddendas: quo autem ordine, quæretur poſtea.

Ut votivæ dicantur, præſcriptæ non ſunt omittendæ:

Quartò: Reſtringitur facultas illa, *quando non eſt feſtum Duplex*; ſed de hac reſtrictione ſeorſim quærendum.

QUÆSTIO XVIII.

An poſſint dici ejuſmodi Orationes quandocunque non eſt Duplex?

NOn tantùm poteſt, ſed etiam debet dici ſaltem una, quandocunque poſt *A cunctis* tertia eſt ad libitum; item quando aſſignatur pro ſecunda *Concede nos*, vel de Spiritu Sancto, tertia conſequenter eſt *Eccleſiæ* vel pro Papa, utraque ex hac ſerie deſumpta. Certum denique eſt, ex Rubr. de Orationibus *num. 12.* poſſe in Simplicibus & Feriis dici Orationes quinque vel ſeptem ad libitum: ſed dubitatur, an id etiam locum habeat in Dominicis, feſtis Semiduplicibus, & diebus infra Octavam, ita ut præter tres ſive etiam plures quæ pro ratione diei occurrunt, poſſint aliæ inſuper ex his adjungi ad libitum Sacerdotis? Videtur id Rubricæ præſentis textus concedere, & à pari prætereà colligitur; nam ſi ex *Rubr. 4. nu. 3.* Miſſæ votivæ poſſunt dici privatim pro arbitrio Sacerdotis, quocunque die Officium non eſt Duplex, quidni itidem Orationes votivæ? Eſto illud, maximè quoad Orationes, quæ à Superioribus indicuntur ad tempus; quoad alias tamen videtur mihi duplex iſtud moderamen adhibendum. Primò, ut paſſim non fiat, nec niſi rationabili de cauſa, perinde atque de Miſſis votivis præcipitur. Secundò, ut abſtineatur ab ejuſmodi Orationibus, iis diebus, quibus prohibetur fieri de feſto Duplici, argumento ducto ab ipſis quoque Miſſis votivis, quas diximus iiſdem diebus minimè dici debere.

Ut plures addi etiam poſſunt in Semiduplicibus.

QUÆSTIO XIX.

An dici quoque poſſint in Duplicibus?

DEcrevit Sacra Rituum Congreg. *die 28. Auguſt.* 1627. Orationem *Deus refugium noſtrum*, ſeu quamcunque aliam à Superioribus pro publica cauſa quotidie indictam, omitti debere in feſtis primæ claſſis; ex quo infertur in aliis omnibus Duplicibus eſſe dicendam: placet tamen mihi, ut & Gavanto, communior uſus quem ipſe citat, inſigniorum Eccleſiarum urbis, ut videlicet omittatur quoque ejuſmodi Oratio in feſtis ſecundæ claſſis, non tantùm in Miſſa ſolemni, à qua excluditur commemoratio feſti Simplicis, ſed etiam in privata: quamquam poſtremum hoc non admittat Cerem. Monaſticum *lib. 3. cap. 13. num. 22.* Pari jure omittendam exiſtimo in Dominica Palmarum, & in Vigilia Pentecoſt. cujus utriuſque diei Miſſas inſtar primæ claſſis haberi conſtat ex eo, quòd excludunt omnem commemorationem Simplicis. Cæteras verò alias omnes Orationes, quæ à Superiore non imponuntur, in quocunque Duplici omittendas cenſeo: Quæ enim eſt privati cujuſlibet authoritas, ut contra expreſſam Rubricam pro ſuo nutu aliquid faciat?

Nulla in Duplicibus addenda Oratio, niſi à Superioribus indicta.

QUÆSTIO XX.

Quid cavendum in illis Orationibus?

DOctè ſuo more Gavantus *parte quarta, titul. 17. numero 27.* obſervat locum hîc habere maximè regulam illam, *De eodem non fit*

bis in

Digitized by Google

bis in Miſſa, per modum principalis & per modum commemorationis. Id verò cùm generatim explicet, nos propoſitis ſingillatim Orationibus, de quibus poteſt eſſe quæſtio, clariùs evolvemus.

Oratio *A cunctis* quando mutanda.

Primò: Oratio *A cunctis*, nunquam dicitur in Miſſis votivis B. Mariæ, nec SS. Apoſtol. Petri & Pauli, nec denique Patroni, qui ſolet in ipſa nominari. Cùm enim prædicta Oratio ſit per modum commemorationis, ſeu ſuffragii, quod dicit ordinem ad Officium, de eodem fieret commemoratio, de quo facta eſt Oratio principalis. Quare loco illius in Miſſis B. Mariæ dicitur Oratio *Deus qui corda*, in Miſſis verò Apoſtolorum vel Patroni *Concede nos*, ex *Rubr. 9. num. 15.*

Oratio *Concede quæſumus* non dicenda poſt *A cunctis*.

Secundò: Oratio *Concede quæſumus*, ad poſcenda ſuffragia Sanctorum, nunquam dicitur, quando dicta eſt Oratio *A cunctis*, quia ambæ eædem ſunt, ut patet ex titulo. Poterit autem dici in ea Miſſa, cujus ſecunda Oratio eſt *Concede nos*, ſeu alia de B. Virgine, quæ videlicet non eſt per modum commemorationis, ſed purè acceſſoria, ut loquitur Gavantus, ſubdens non eſſe proinde ſuperfluam in Miſſali Orationem illam, quod à nonnullis objiciebatur.

Nec item Oratio *Eccleſiæ tuæ*.

Tertiò: Pari jure Oratio *Eccleſiæ tuæ*, non debet dici, quando dicitur item Oratio *A cunctis*, utriuſque enim finis ſeu petitio eadem eſt. Ita Ceremon. Monaſtic. *libr. 3. capit. 13. num. 25.* quod Gavantus omiſit. Addo ego Orationem *Deus refugium* pro quacunque neceſſitate non debere dici in Miſſa Dominicæ 22. poſt Pentecoſt. eſt enim eadem prorſus, ipſaque adeò Secreta & Poſtcommunio, cum Oratione, Secreta, & Poſtcommunione illius Dominicæ.

Orat. *Defende &c.* & ſimiles poſſunt dici poſt *A cunctis*.

Quartò: Licèt in Oratione *Defende quæſumus* pro Congregatione & familia, fiat expreſſa mentio B. Virginis, id tamen non impedit, quin ea dici poſſit, etiam cùm dicta eſt Oratio *A cunctis*, vel *Concede nos*; tum quia acceſſoria tantum eſt, nec ſapit commemorationem; tum quia nunquam alias diceretur, ſicque eſſet planè ſuperflua. Similiter Orationes *Ure igne S. Spiritus*, & *Deus qui charitatis dona*, in quibus nominatur Spiritus Sanctus, poſſunt nihilominus dici in Miſſa votiva de Spiritu Sancto: Oratio pro conſtituto in carcere, in qua fit mentio B. Petri, in Miſſa votiva ejuſdem S. Petri, aut cùm dictum eſt *A cunctis*.

Orat. pro ſeipſo Sacerdote non dicenda coram Prælato.

Quintò: Exigit modeſtia ut Oratio pro ſeipſo Sacerdote non dicatur coram Prælato proprio, aut eo majore, ſeu coram Principe. Ita Gavantus ex Burchardo in ordine celebrat. Miſſæ; quin potiùs dicenda videtur pro ipſo Prælato ſeu Principe præſente.

Non mutandus in Orationibus numerus pluralis in ſingularem.

Sextò: Orationes pro Tentatis & Tribulatis, pro devotis amicis, pro inimicis, & pro ſalute vivorum, ſi pro uno dicantur, non debent propterea dici in ſingulari numero: ſingularis enim continetur in plurali, non contrà pluralis in ſingulari; unde in Oratione pro conſtituto in carcere, vel in captivitate, ſi pro pluribus dicatur, non incongruum fortè erit ſingularem mutare in pluralem.

In Miſſa Conventuali non ſunt addendæ ex propria Sacerdotis devotione.

Ad hæc monitio iſta rationabilis admodum videtur, ut in Miſſa principali ſeu Conventuali Sacerdos Orationes non pro devotione ſua, aut neceſſitate privata ſeligat, ſed vel uſu præſcriptove Eccleſiæ in qua celebrat, vel certè ex generali ac communiori omnium intentione, habita ratione temporis, urgentiumque neceſſitatum.

QUÆSTIO XXI.

An aliæ item Orationes peti poſſint aliunde quàm ex hac ſerie diverſarum?

Triplex locus ex quo poſſunt deſumi Orationes aliæ.

NEmpe vel ex Miſſis de Tempore ad recolendum aliquod Myſterium; vel ex Proprio ſeu Communi Sanctorum, ad invocandum Sanctum aliquem; vel denique ex Miſſis votivis de Trinitate, de Spiritu Sancto, & aliis; maximè verò Oratio pro gratiarum actione, *Deus cujus miſericordiæ*, & Oratio ad invocandam gratiam Spiritus Sancti, *Deus cui omne cor patet*.

Non ſumendæ ex Miſſis de Tempore.

Primi generis non ſunt opus, tum quia de iis præcipuis myſteriis habentur Orationes in earumdem Miſſis votivis, puta de Trinitate, de Spiritu Sancto, de Paſſione, ut neceſſe non ſit aliunde eas mutuare; tum quia in aliis de quibus non habentur Miſſæ votivæ, ſatis eſt, quod intentio celebrantis ea ſit, ut per Miſſam & Orationes diei veneratio iis impendatur, ſicut de Miſſis votivis dictum fuit ſuperiùs.

Poſſunt ex Proprio Sanctorum.

Secundi generis non negaverim minùs liberum eſſe dicere Orationes votivas, quàm Miſſas; ſed hæ dici poſſunt, ergo & illæ; putà ad invocandum Sanctum in die ipſius natali, (non tamen in Miſſa Conventuali) ut dictum fuit quæſtione præcedenti. In ejuſmodi verò Orationibus cautus debet eſſe Sacerdos, ut extra diem natalem commutet voces, *Natalitia*, *Solemnia*, & ſimiles. De B. Maria, quando ſecunda Oratio eſt de ea, vel *A cunctis*, nonniſi perperam adderetur altera: aliàs poteſt quidem addi, ſed ſumenda de Miſſa ejuſdem juxta occurrentiam temporis.

Item ex Miſſis votivis.

Poſſunt itidem tertii generis pro devotione Sacerdotis, aut ad exigente aliqua alia occaſione, præſertim duæ illæ Pro gratiarum actione & Ad invocandam gratiam Spiritus Sancti. Item de SS. Sacramento, quando ipſum exponitur, nec de eo Miſſa dicitur.

QUÆSTIO XXII.

An plures dici poſſint, & quo ordine?

Poſſunt in Simplicibus non item in Semid. minùs adhuc in Dupl.

PLures dici poſſe in Simplicibus & Feriis dubium non eſt, permittente Rubr. *de Orat. numer. 13.* addere uſque ad quinque vel ſeptem ad libitum. An itidem in Dominicis, Semiduplicibus, & infra Octavas? Affirmare debent, qui imparem Orationum numerum ſemper ſervari debere putant: addita enim una poſt tertiam dici, impar non erit numerus, niſi ſuperaddatur & altera. At quibus non placet neceſſitas illa imparis numeri, haudquaquam premuntur hac ratione, aſſeruntque congruentiùs in Dominicis, Semiduplicibus, & infra Octavas plures non debere addi Orationes ad libitum, ſed tantùm ex urgenti neceſſitate, quæ rarò pluſquam una ſimul occurrit. De Duplicibus controverſum non eſt, nullam enim in iis debere addi jam diximus, niſi quæ à Superioribus imponitur.

Triplex Orationum addititiarum genus. Commemorationes, Suffragia, & votivæ.

Ut verò quo ordine dici debeant clariùs explicetur, diſtingue triplex Orationum genus, quas præter primam ſeu propriam Miſſæ quæ dicitur, addi contingit. Aliæ ſunt commemorationes, de quibus eſt Rubr. 7. generalium, quæ videlicet reſpondent commemorationibus in Officio factis, putà de Dominica, de Octava, de feſto ſimplici; ad quas item pertinent quæ inſtar ſunt commemorationum, eæque mox recenſebuntur. Aliæ rationem habent Suffragii, qualis eſt Oratio *A cunctis*, reſpondens Suffragiis communibus, de S. Maria, de Apoſtolis &c. Item Oratio *Concede nos*, vel alia quælibet infra Octavas ſecundo loco aſſignata, & de his eſt Rubr. 9. generalium. Aliæ denique addititiæ ſunt, ſive ex præſcripto Rubricarum, ut Orationes *Eccleſiæ* vel pro Papa certis diebus, & Oratio *Omnipotens ſempiterne Deus qui vivorum* tempore Quadrageſimæ; ſive ex juſſu Superiorum, cùm pro re gravi ab iis indicitur Oratio *Deus refugium* vel alia; ſive denique ad libitum Sacerdotis, cùm videlicet poſt *A cunctis*, relinquitur ejus arbitrio, non ut addat tertiam ſi velit, debet enim addere, ſed ut addat quam volet; item cùm præ-

Oratio tertia poſt *A cunctis* dicitur ad libitum, non omittenda, ſed addenda quam volet.

ter

ter præſcriptas, unam aut plures ex diverſis addit pro ſua devotione, aut quacunque alia ex cauſa legitima, & eæ dicuntur propriè votivæ Orationes.

Commemorationes primò ponendæ.

Hac poſita diſtinctione, certæ mihi videntur hæ reſponſiones. Prima, Orationes omnes, non tantùm quæ veræ ſunt commemorationes, ſed etiam quæ inſtar ſunt commemorationum, primæ omnium ante alias ſecundi & tertii generis ſunt reponendæ. De communibus expreſſa eſt *Rubr. 7. num. 5.* De aliis verò quæ inſtar ſunt commemorationum, ſic elicitur, ſingillatim ipſas enumerando.

Oratio ejus de quo factum eſt Officium.

Primò: In Miſſis votivis Oratio ejus de quo factum eſt Officium, ſemper dicitur poſt primam Orationem, ex *Rubr. 9. de Commemor, nu.* 3. ideòque *Rubr. 4. de Miſſis votivis num. item* 3. appellatur commemoratio, *cum commemoratione Feria, de qua factum eſt Officium.*

Oratio de SS. Sacramento.

Secundò: Oratio de SS. Sacramento dum ipſum exponitur, nec Miſſa de eo celebratur, dicenda eſt poſt primam Orationem, more videlicet commemorationis, ex Gavanto ipſo *parte* 2. *titul.* 14. *num.* 4. qui & citat uſum Cappellæ Papalis, aſſeritque commemorationem ejuſmodi faciendam etiam in feſto primæ & ſecundæ claſſis, quod etſi ægrè concedam, hinc tamen eruo, haberi Orationem illam diſponique inſtar commemorationis.

Oratio Feſti transferendi.

Tertiò: Ex *Rubr.* 6. ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus populi ad celebrandum Feſtum quod transferri debet, ſi non dicitur altera Miſſa de ipſo feſto transferendo, poteſt de eo ſaltem fieri commemoratio, Oratione ejus videlicet poſita ſecundo loco in Miſſa diei, etiam cùm fuerit Duplex. Pari jure de Sancto, cujus non fit Officium, ſed quia Titulus eſt Altaris, aut alia ex cauſa colitur, ſi in die ejus feſto non poteſt dici commodè Miſſa de eo, infero poſſe fieri commemorationem, ejuſque proinde Orationem ante alias recitandam, quippe quæ in eo caſu vices obtinet commemorationis.

Oratio pro ſponſo & ſponſa.

Quartò: Oratio pro ſponſo & ſponſa, quando Miſſa non dicitur, appellatur commemoratio in Rubric. propria, fierique debet in Dominica vel alio feſto ſolemni, id eſt *de præcepto*, interprete Gavanto, qualecunque ipſum fuerit Duplex; mihi tamen videtur ſemper excipiendum primæ claſſis, à pari de Oratione à Superioribus impoſita.

Pro gratiarum actione.

Quintò: Oratio pro gratiarum actione ſemper dicitur ſecundo loco per modum commemorationis, inquit Gavantus *parte* 2. *tit.* 9. *num.* 14. An verò ſub una concluſione? definivimus ſuprà *quæſt.* 12.

Orationes de Trinitate &c. haud dicendæ ante præſcriptas, niſi cùm rationem habent commemorationis.

Sextò: Libenter aſſererem Orationes de SS. Trinitate, de Spiritu Sancto, de SS. Sacramento, de Cruce, de B. Maria, imò & de quocunque Sancto præferendas itidem aliis omnibus 2. & 3. generis, niſi me revocaret textus expreſſus *Rubr. 7. numer.* 5. edicentis, ut Orationes quæ 2. vel 3. loco dicendæ aſſignantur, dicantur ante Orationes votivas. Id verò cùm aliquibus durum videri fateatur ipſemet Gavantus in hunc eumdem locum, viſum eſt mihi, ſalva tamen Rubrica poſſe ſic temperari, nimirum ut ſi Orationes illæ vicem commemorationis gerant, ante alias Orationes ponantur: vicem autem commemorationis gerunt, quando dicuntur loco Miſſæ de iiſdem ex fundatione, aut alia juſta de cauſa dicendæ, ſi ratio diei permitteret, quemadmodum de Sancto quolibet in ejus die feſto paulò antè diximus. Si verò dicuntur tantùm ad arbitrium Sacerdotis, ſervanda omnino Rubrica, aliíque omnibus ab Eccleſia præſcriptis erunt poſtponendæ. Portò inter ipſasmet Orationes, ſi plures fortè dicantur, hunc ordinem ſervandum præcipit eadem Rubr. *De SS. Trinitate, de Spiritu Sancto, de SS. Sacramento, de Cruce ante votivam de B. Maria, de Angelis ante Apoſtolos;* & ſimiliter in aliis, hoc eſt de Martyribus ante Confeſſores, de Confeſſoribus ante Virgines, ordine Litaniarum.

Orationes ſuffragiorũ ponendæ ante additias, & hæ ante votivas.

Secunda reſponſio: Orationes ſecundi generis, ſeu quæ rationem habent ſuffragii, ponendæ ſunt ſemper ante additias ſeu tertii generis, & hæ ante votivas ad arbitrium. Id conſequens eſt ex prima reſponſione. Inter votivas verò ejuſmodi, ſi plures congerantur, præferendæ quidem aliis jure videntur, quæ de Myſteriis ſunt & de Sanctis.

Votivarum ordo inter ſe.

Cæterarum verò certus ordo alius vix ſtatui poteſt, quàm quo vel in Miſſali deſcriptæ ſunt, vel proprior unius quàm alterius exigit neceſſitas. Omnes autem quotquot fuerint unica concluſione terminantur, ſeu ſub uno *Per Dominum &c.* & in eo ratio habetur ultimæ tantùm, non autem præcedentium, ut dicatur, *Per eumdem &c. Qui vivis &c.*

Ratio concludendi.

QUÆSTIO XXIII.

An in addendis Orationibus ratio ſemper haberi debeat imparis numeri?

Authoritas affirmativæ opinionis.

TAm certa videtur affirmativa, ut vel de ea minimùm dubitare, piaculo vertatur. Sic enim habet Rubr. 9. de Orat. num. 1. *In feſtis Duplicibus dicitur una tantùm Oratio, niſi facienda ſit aliqua commemoratio.* In ſequentibus verò pro Semiduplicibus aſſignantur tres Orationes juxta varietatem temporum; & num. 11. *In Dominicis dicuntur tres, ut in Ordinario aſſignantur.* Denique numer. 12. *In feſtis Simplicibus & Feriis per annum dicuntur tres aut quinque, poſſunt etiam dici ſeptem ad libitum.*

Gavantus.

Id verò ſic tuetur Gavantus hoc ipſo loco num. 16. ut in caſu, quo in Quadrageſima v. gr. occurrit ſecunda Oratio de Simplici, tertia *A cunctis*, quarta *Omnipotens*, aut addendam quintam, aut quartam demendam aſſerat. Diſertiùs adhuc Ceremon. Monaſticum libr. 3. cap. 13. numer. 18. *Si autem Sacerdos voluerit alias Orationes ſuperaddere, ſic eas addat, ut ſi duæ ſint in Miſſali aſſignatæ, addat alias duas, ut numerus Orationum ſit impar.*

Ceremoniale Monaſticum.

Sed nec recentiorum ea eſt duntaxat opinio, cùm idipſum quoque antiquiores doceant, adductis etiam rationibus talis numeri.

Micrologus.

Micrologus cap. 4. *Sapientiores hoc ſummoperè ſolent obſervare, ut in Miſſa, aut unam, aut tres, aut quinque, aut ſeptem Orationes dicant: unam propter Romanam traditionem: Tres, quia Dominus ante Paſſionem ſuam ter oraſſe legitur: Quinque, propter quinquepartitam ejus Paſſionem: Septem, quia & Apoſtoli ſeptem petitiones Dominicæ Orationis ad conſecrationem eorumdem Myſteriorum frequentaſſe leguntur.*

Radulphus.

Eadem habet Radulphus propoſ. 23. ſubdens uſu Leodienſi ultra quinque non dici.

Innocentius III.

Accedit & his Innocent. Papa III. lib. 2. de Myſteriis cap. 27. *Quia*, inquit, *Deus numero impare gaudet, ſummoperè quidam obſervant, ut impares dicant Orationes in Miſſa, vel unam, vel tres, vel 5. vel 7. unam vel tres propter unitatis Sacramentum & Myſterium Trinitatis, 5. vel 7. propter quinquepartitam Domini Paſſionem, vel ſapientiam gratiæ ſeptiformis:*

Durandus.

Quæ iiſdem verbis repetit Durand. libr. 4. cap. 16. num. 15.

Negativa opinio defenditur.

Non me diſſimulationis argues, qui opinionis hujus rationes ac fulcimenta omnia tam ingenuè, tamque ab omni fuco procul, coram adducam, non eo fine ut ipſam convellam refutemque procaciùs; (tutam enim ab omni telo præſtat tam gravis, tamque multiplex Doctorum authoritas) ſed ut quanta fieri poteſt modeſtia, quæ me ab ea, ſive argumenta, ſive conjecturæ dimoveant, aperiam.

Inprimis licèt non ſim neſcius Sanctos Patres in numeris ſæpè vim facere, multaque in iis myſteria, tum ad fidem, tum ad mores ſpectantia

depre-

Digitized by Google

Auguſtinus. Hieronymus.

deprehendere, ut conſtat ex Auguſtino *tract.* 17. *in Joann.* Hieronymo *in capit.* 1. *Aggæi*, & aliis. Quod tamen ad Rubricas noſtras attinet, fatendum rationes illas omnes à numeris petitas, ut plurimum non niſi exiguas eſſe ac tenues convenientias, quæ vel rei ſic inſtituendæ cauſam nullatenus dedere, vel certè ita fusè ac latè vagantur, ut in quolibet ſimili opportunè importunè perinde afferri queant. Ecquis enim, ubicunque unum, tria, quinque, ſeptemve numero occurrent, non eaſdem, quas ſuprà, ingerat rationes? Quare alia in his quàm à numero præcisè, ineunda mihi videtur explorandi via. Et quidem in præſenti negotio, nego ullam imparis numeri ut ſic habendam eſſe rationem, tum quia nihil ejuſmodi loquitur Rubrica, ſed tantùm dicendas Orationes, unam, tres, aut quinque, vel etiam ſeptem ad libitum; tum quia ſuperſtitioſum eſt, nedum religioſum, ſi in numero ipſo ſtes, quòd Poeta dixit *Numero Deus impare gaudet*: quamvis enim id uſurpet S. Hieronymus in Apologetico pro libris adverſus Jovinianum, cauſam afferens, cur in die ſecundo non additum ſit in Geneſi, ſicut in primo & tertio ac reliquis, *Vidit Deus quod eſſet bonum*? item cur animalia, quæ in arcam Noe bina ingreſſa ſunt, immunda eſſent? quòd nimirum impar numerus mundus ſit: aliud tamen eſt, latens in numero aliquo ex Scripturæ authoritate detegere myſterium, aliud vim in numero ipſo ad aliquid præſtandum figere; hoc poſtremum verſus indicat Virgilianus, primum verò illud duntaxat adſtruit Hieronymus. In quo itidem ſenſu non difiteor locutum fuiſſe Innocentium ſuprà citatum; ſupponit videlicet latere hic myſterium aliquod: at cùm nullum ego, vel non niſi tritum ac vulgare deprehendam, æquius duco, vim illam totam imparis numeri miſſam facere.

Rationes à numeris petitæ tantùm exiguæ ſunt convenientiæ.

Nulla hic habenda ratio imparis numeri.

Virgilius. Hieronymus.

Inſtabis: Quorſum ergo Rubrica nonniſi impari numero, unam, tres, quinque ſeptemve Orationes ſpeciatim dicendas expreſſit? Inſto ego, Annon aliquando ex præſcripto Rubricarum, dicuntur etiam duæ, ut tempore Paſſionis, & infra Octavas Paſchæ & Pentecoſtes, item quatuor ſexve ut infra Octavas Nativitatis Domini? At inquies, hæ ſunt commemorationes ex obligatione, illæ verò Orationes additiæ. Quid tum? Nonne ſi vis eſt, ſeu myſterium aliquod in imparitate numeri, æquè ea ſervari debet in unis atque in aliis? Sed nec ſervari in ipſis addititiis, vide ut tibi demonſtro. Injungitur nonnunquam à Superioribus Oratio *Deus refugium*, vel alia quotidie dicenda propter neceſſitatem aliquam publicam; monet optimè Gavantus cit. ſic eſſe addendam, ut nulla omittatur ex iis, quæ in Miſſali cuique dici ſingillatim & nominatim aſſignantur. Sint ergo duæ aſſignatæ, putà ſecunda *Concede nos*, tertia *Eccleſiæ &c.* ſequetur quarta *Deus refugium*, vel quæ itidem eſt ſecunda, in feſto Duplici nulla occurrente commemoratione; addeſne quintam, ſeu tertiam, ut fiat impar numerus? hoc ne ipſe quidem Gavantus aſſeverat, qui in tali caſu quatuor in Dominicis & Semiduplicibus admittit: ergo nec in addititiis ſemper ſervatur numeri imparitas.

Præſcribuntur nonnunquam Orationes numero pari.

His exolutis reliquum eſt, ut veram ac germanam Rubricæ rationem afferamus, ob quam numerus ille Orationum unius, trium, quinque, ac ſeptem ſpeciatim fuerit expreſſus: hoc autem ſic colligo ex ipſiſmet authoribus initio allegatis.

Ratio, ob quam tres, quinque, & ſeptem Orationes præſcribantur.

Et primò quidem Orationem unam dici, ſicut dicitur Introitus unus, una Epiſtola, & unum Evangelium, teſtis eſt Micrologus, & ex eo Radulphus; nec hujus rei ratio ulterior quæri debet, cùm vel nulla, vel una ſaltem dici debeat. At unde plurium origo, cùm referat Amalarius *in prologo libr.* 1. *de Eccleſ. Officiis*, nonniſi unam olim à Romanis recitari ſolitam? Id factum eſt primò ob concurſum duarum ſolemnitatum in unam eamdemque diem, v. gr. Nativitatis Domini, & S. Anaſtaſiæ, (eſt ipſummet exemplum, quod affert Amalarius:) Item in Dominicis, in quibus occurrebant Sanctorum ſolemnitates, in quibus caſibus cùm in Sacramentario Duplex contineretur Officium, alii duas aut tres Miſſas celebrabant (uti nos duas hodie in feſtis occurrentibus in die jejunii:) alii verò unam duntaxat, in qua addebant Orationem de altero Officio, puta de S. Anaſtaſia, in ſecunda Miſſa diei Nativitatis, *hincque*, ſubdit Amalarius, *principium habuit duplex Oratio in Miſſa*; addo ego, triplex poſtmodum & quadruplex, prout videlicet plura occurrunt in una die Officia. Cùm enim ex dictis de Commemoratione, vices Officii ſuppleat ipſa commemoratio, quot Officia ſupplenda erunt, tot ſunt congruenter addendæ Orationes, quæ & eædem commemorationes proprio nomine appellantur. Hic verò obiter velim obſerves locum hunc Amalarii minimè favere uſui illi, de quo aliàs, nullam unquam in Miſſa Orationem addendi, niſi ad ſummum quoad Orationes addititias, non autem quoad commemorationes, quæ hoc loco, ut vides, diſertè adſtruuntur.

Micrologus. Radulphus.

Amalarius.

Unde ortum ut plures dicantur Orationes.

Abuſus eſt nullam in Miſſa facere commemorationem.

Sed & inde quoque addititiarum Orationum origo depromitur: pergit enim Amalarius, *In cæteris Orationibus Miſſæ, quæ pro diverſis neceſſitatibus inſcribuntur, ſicut ſunt in Tempore belli, & pro iter agentibus, ac pro diverſis benefactoribus, ubi non eſt ſatis homini Oratio communis ſine pane & liquore*, (hoc eſt ſine Sacrificio Corporis & Sanguinis Chriſti) *quid aliud agit Sacerdos, quàm ut Chriſtum quodammodo contendat recordari &c.* quibus verbis apertè innuit Orationes ejuſmodi, quæ pro diverſis neceſſitatibus extra Sacrificium uſurpabantur, fuiſſe quoque in Sacrificio ipſo adhibitas, quò videlicet eſſent efficaciores; quamquam eas ſufficienter in ſequentibus Miſſæ Orationibus, nempe in Canone & aliis contineri idem author poſtea demonſtret.

Origo Orationum addititiarum.

Porrò Orationum ejuſmodi, quas ex affectu proprio quilibet Sacerdos addebat, numerus deinceps in tantum excrevit, ut grave inde tædium aſtantibus inferretur, idque eſt quod reprehendunt Micrologus & Innocentius, quorum ille ſic habet, *Hoc autem ſapientioribus multum diſplicet, qui etſi non ſemper una tantum Oratione ſint contenti, ſeptenarium tamen numerum raro excedunt, quem utique numerum nec Dominica Oratio excedit, quæ cum ſolis ſeptem petitionibus omnia corpori & animæ neceſſaria comprehendit*. Iiſdemque verbis utitur Innocentius, multiloquio huic compendioſam Dominicæ Orationis formam opponens: *Hujus*, inquit, *Orationis formam ſequentes Sacerdotes in Miſſa ſeptenarium numerum non excedunt. Nam Chriſtus ſeptem petitionibus omnia corpori & animæ neceſſaria comprehendit*.

Multiplicata nimium Orationes.

Ex quibus verbis manifeſtum redditur ſeptenarium Orationum numerum non fuiſſe primò ac per ſe ex myſterio aliquo ab Eccleſia limitatum, ſed ad reſtringendam Sacerdotum hac in parte licentiam, ne videlicet nimia Orationum ejuſmodi multiplicatione, faſtidio ſint aſſiſtentibus. Non potuit autem congruentiùs reſtringi, quàm ad numerum petitionum Orationis Dominicæ. En totum myſterium, ſi quod eſt: Cætera verò ab Rituum interpretibus deinceps excogitata, pia ſunt equidem, ac vel ſuorum authorum nomine veneranda; ſed quæ legem minimè faciant, ut iis ad verbum inhæreatur.

Orationum numerus ad ſeptem reſtrictus.

Sed pergis rogare, cur non perinde quatuor, ſexve Orationes Rubrica recenſuit, ac tres, quinque, ſeptemve, ſiquidem vis nulla eſt in numero? Reſponſio ex dictis facilis, & ad conſummatam rei explicationem percommoda. Tres in Semiduplicibus Orationes præſcripſit Rubrica, nempe

Ratio cur præcipuè tres, quinque & ſeptem Orationes Rubrica expreſſerit.

poſt

poſt primam, ſecundam quæ Suffragium eſt ſive *A cunctis*, ſive *Concede nos &c.* tertiam additiiam, modò ad libitum, modò *Eccleſiæ* vel pro Papa, ex utroque genere unam: Annon id quàm ſatis eſt, tam non eſt nimis? Quinque verò in Simplicibus, ut ſi quis præter tres præſcriptas velit unam addere, non ad quartam arctetur, ſi videlicet una ex iis fuerit pro Defunctis (quæ nunquam ultimo loco dici debet,) aut præcepta à Superioribus. Septem denique pro ſummo termino præfixæ ſunt, tum ob præcedentem rationem, ut ſi quis videlicet occurrente duplici commemoratione, putà Feriæ, & feſti Simplicis, nolit omittere additias ab Eccleſia præſcriptas, velitque inſuper addere alteram, non arctetur ad ſextam, ſi ea fuerit pro Defunctis, aut præcepta à Superioribus, ſed per ſeptimam poſſit concludere; tum quia æquum non eſt, ut numerus addititiarum (ſi tales omnes fuerint à tertia) ſuperet numerum præſcriptarum, atqui præſcriptæ non excedunt ad ſummum ſeptenarium numerum; nam in die S. Silveſtri occurrente in Dominica, (qui dies omnium plures habet præſcriptas) non habentur niſi ſex, quibus ſi commemorationem Octavæ alicujus propriæ addideris, aut Orationem præceptam à Superioribus (quale exemplum profert Gavantus hic *num. 12. litt. G.*) ſeptem ad ſummum erunt, additis verò ſecretis totidem, totidemque Poſtcommunionibus, univerſim 18. vel 21. Qui numerus ſatis eſſe debet ad explendam cujuſlibet vel piiſſimi Sacerdotis devotionem. Quamquam vidi ego nonneminem qui novem quotidiano more, nonnunquam 12. ac 15. etiam in Duplicibus uno filo decurreret; adeòque numeratis Secretis ac Poſtcommunionibus 27. 36. 45. ob idque ab aſtantibus, faſtidioſis illis quidem, ſed utcumque excuſandis, genuum tortor, cereque diſſipator vulgò nuncupatus. Et quæris, quæ cauſa fuerit hujuſce reſtrictionis ad ſeptenarium numerum? Tua, ò bone, neſcio an Deo accepta, ſed importuna nimis hominibus prurigo congerendarum Orationum.

Carpuntur qui plures Orationes in Miſſa congerunt.

QUÆSTIO XXIV.

An completo ternario numero Orationum, cuique liberum ſit quas volet addere?

SUpponitur tamquam certum, quod ſuprà ex Gavanto retulimus, ſic addendas Orationes ad libitum, ut nulla omittatur ex iis, quæ in Miſſali cuique diei ſingillatim & nominatim aſſignantur. Cùm ergo in Semiduplicibus & Simplicibus tres Orationes regulariter aſſignentur, nulla alia, ne à Superioribus quidem injuncta earum loco ſubſtitui debet; ſed iis tantùm adjungi, ſive una, ſive duæ, tres, quatuorve ad ſummum, uſque ad ſeptenarium videlicet numerum incluſivè. Quando verò contingit ternarium numerum compleri, ſive duabus commemorationibus, putà Vigiliæ, ac feſti Simplicis eadem die occurrentium, ſive una commemoratione & Oratione *A cunctis*, vel *Concede nos*, aut alia quavis in tertium locum rejecta; dubitare quis poſſet, num ſi quas ſuperaddat Sacerdos, debeant eſſe eædem quæ ſecundo & tertio loco aſſignantur in Miſſa diei, putà *Concede nos*, & *Eccleſiæ &c.* an verò aliæ ad arbitrium ipſiuſmet Sacerdotis? Reſpondeo completo ſic ternario numero, nullam præterea aliam à Rubricis aſſignari, adeòque liberum eſſe tum Sacerdoti, quas volet, addere, relictis quæ alioquin ſecundo & tertio loco dici debuiſſent: hoc enim eſt commemorationes inter & Orationes diſcrimen, quòd priores illæ quocunque numero ſemper dici debeant, poſteriores verò ultra ternarium numerum non ſint ampliùs ex obligatione, adeòque uti penitus omitti poſſunt, ſic poſſunt & aliæ aſſumi pro libito.

Completo ternario numero Orationum, cæteræ adduntur ad arbitrium Sacerdotis.

CAPUT XXII.

DE OFFICIIS EXTRAORDINARIIS.

PRæter ſeptem Horas Canonicas, quibus conſtat divinum Officium; præterque Miſſam, ſive propriam diei, ſive votivam, cantantur nonnunquam in pleriſque Eccleſiis precationes aliæ, ſive ex fundatione, inſtitutoque particularium, ſive ex devotione generali Cleri populive, quarum rationem convenit utcumque etiam à nobis inveſtigari: utcumque, inquam, ſeu generatim & in abſtracto, nam ad ſingularia deſcendere, cum immenſæ eſſet operæ, tum in tanta varietate vix quidquam certò poſſet definiri. De Proceſſionibus verò ſermo nobis hîc nullus erit, cùm earum ratio in Proceſſionali ipſo, ſeu Rituali dilucidè ſatis expreſſa habeatur.

QUÆSTIO I.

An legitima ſint Officia illa extraordinaria?

SUnt equidem adhibitis hiſce conditionibus. Prima, ne quid in iis inſeratur, quod non ſit ab Eccleſia approbatum, eò enim appellat Innocentius III. *libr. 2. de Myſteriis cap.* 27. authoritatem Concilii Africani ſic ſtatuentis, *Nullæ preces, vel Orationes, vel Miſſæ, vel Præfationes, vel Commendationes, vel manus impoſitiones dicantur, niſi in Concilio fuerint approbatæ*. Vide quæ diximus *libr. 3. cap. 1. quæſt.* 10. Et hoc advertant maximè Muſici, ne in componendis ſuis motetis, aliam adhibeant literam, ut vocant, quàm ſacram, ſeu in Eccleſia receptam; multò minùs vulgarem, cùm nullius in Eccleſia Latina, niſi Latinæ linguæ uſus in precibus publicis admittatur: quod temerè nimis, nec ſine gravioris peccati periculo infringi ab aliquibus non ſemel indignabundus obſervavi.

Nihil inſerendum Officiis extraordinariis quod non ſit ab Eccleſia approbatum.

Nihil vulgari lingua.

Secunda, ut ſervetur in his forma aliqua, omnia enim, juxta Apoſtolum, in Eccleſia *decenter & ordine fieri debent*. Quæ autem horum ſit forma decentior, dicetur paulò pôſt.

Sit illis forma aliqua.

Tertia, ut adſit cauſa legitima id præſtandi, quales ſunt iſtæ, ſtatio in navi in pleriſque Eccleſiis à Veſperis certis diebus uſitata: amplior Sancti ſeu Myſterii, cujus feſtivitas agitur, veneratio; ſic in pleriſque Eccleſiis, conſuetudo viget valdè laudabilis, ut à cœna, ſeu ſub veſperum feſtorum ſolemniorum, æſtate maximè, decantetur celebris, ut vocant ſalutatio, qua veluti hauſtus à primo mane pietatis ſenſus, ac per diem identidem regustatus, noctem quoque ipſam ſuo ſapore reſpergat, imbuatque. Gratiarum actio pro inſigni de hoſtibus obtenta victoria, pro ſoluta civitatis obſidione, pro recuperata Principis valetudine, aliove ſimili beneficio, ſive pridem, ſive recenter accepto: aut contrà pro evadenda, hoſtium, peſtis, famis, incendii, aquarum illuvionis, ac cujuſvis alterius cladis moleſtia, indicta in Templis, coeunte populi cœtu, precatio; ſolemnis item expoſitio ac reconditio SS. Sacramenti, aliæque ſimiles cauſæ pro uſu ac conſuetudine locorum & Eccleſiarum.

Cauſæ variæ Officiorum extraordinariorum.

Salutatio veſpertina.

Quarta, ne adeò frequentia ſint aut prolixa ejuſmodi Officia, ut præ illis proprium diei Officium quodcunque ſit, vel in aliquo detruncetur, vel properanter nimis aut cum neglectu perſolvatur. Sic videre eſt in majoribus nonnunquam Eccleſiis poſt Officium aliquod ejuſmodi extraordinarium, frequentiſſimo Choro ſolemnique admodum pompa celebratum, (quippe largior in eo ex ſtata fundatione diſtributio percipitur) ipſum diei Officium illicò à paucis frigidè atque oſcitanter perſtringi.

Haud negligendum Officium ordinarium propter extraordinarium.

Annon

Annon in eo caſu locum habet illa Chriſti Domini exprobratio Matth. 15. *Quare tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Aut verum non eſt illud, *Hæc oportuit facere, & illa non omittere?*

Nihil ſine Superiorum licentia ſtatuatur. Quinta, ut nihil ejuſmodi ſtatuatur, niſi accedente conſenſu & licentia Rectorum qui Eccleſiis præſunt, præſertim verò, non ſinantur laici pro nutu & arbitrio ſuo iſta ordinare; imò ſi quid inducendum ſit novum, atque in loco inuſitatum, quantumcumque illud fuerit pium ac religioſum, haudquaquam tamen niſi conſulto priùs & annuente Epiſcopo tentetur.

QUÆSTIO II.

Quænam precationes in hiſce Officiis extraordinariis uſurpari poſſint?

Dixi jam, nonniſi approbatæ, quales ſunt haud dubiè eæ omnes, quæ in Breviario Romano continentur, nempe Pſalmi, Cantica, Hymni, Reſponſoria, Antiphonæ, Verſus & Collectæ, nec non etiam ex Miſſali Sequentiæ. Tales item habendæ, quæ in Officiis propriis locorum impenduntur, maximè Hymni & Collectæ. Nec verò rejiciendas putaverim Proſas quaſdam, ex antiquo uſu paſſim in multis Eccleſiis decantari ſolitas, in quibus ſi quid eſt quod Latini ſermonis puritatem ſatis non ſapiat, id abundè varia ac multiplici piorum affectuum ſuavitate, quæ optima cordis lingua eſt, compenſatur. Ejuſmodi ſunt Rhythmus ille in ſolemnitate Paſchali ubique celebris, *O filii & filiæ &c.* Carmen item de eadem ſolemnitate, *Salve feſta dies &c.* Rhythmus de SS. Sacramento *Ave verum corpus natum &c.* Rhythmus item alter dictus communiter planctus B. Virginis, *Stabat Mater doloroſa &c.* Alter item de eadem B. Virgine frequentiſſimè uſitatus, *Inviolata integra &c.*

Piæ quædam precationes in propriis uſibus receptæ.

QUÆSTIO III.

Quis ordo ſeu forma Officiorum ejuſmodi extraordinariorum?

Nulla alia, niſi quam ſingularis ac proprius cujuslibet Eccleſiæ fert uſus; in quo licèt vario ac multiplici, nonnulla tamen obſervare eſt conformia, ſatis ac convenientia.

Incipitur abſolutè. Inprimis ſolet abſolutè incipi ejuſmodi Officium, ſine Oratione Dominica, & Salutatione Angelica, ſine ℣. *Deus in adjutorium*, non ad luctum deſignandum, ut fit in triduo majoris hebdomadæ, ſed ut vel ipſo diſpari initio diſcrimen ponatur ab horis diurni Officii. Inchoatur verò ſtatim, vel Antiphona, vel Reſponſorium, vel Hymnus, vel Pſalmus opportunus.

Ordo ſtationis. Et quidem ad ſtationem, quæ fit in pleriſque Eccleſiis diebus Dominicis & Sabbati, cantatur Antiphona aliqua de Cruce, vel de B. Maria, juxta rationem temporis, ſive utraque, ſive alterutra, cum Verſu & Oratione convenienti.

Salutationis veſpertinæ. Salutationem veſpertinam, quæ fit in feſtis ſolemnibus, plurimorum mos eſt ordiri à Reſponſorio, cui ſubdunt Hymnum, aut ſine Hymno Canticum *Magnificat*, cum Antiphona & Oratione propria diei.

Quibus uſus eſt Proſarum *O filii & filiæ*, *Stabat mater*, & ſimilium, ab iis inchoant, nec aliud ſubdunt quàm Verſum & Orationem congruentem.

Gratiarum actionis. In gratiarum actione primùm canitur Hymnus *Te Deum*, cui ſubditur ℣. *Benedicamus Patrem & Filium*, cum Orat. *Deus cujus miſericordia non eſt numerus*. Habentur in Rituali Urbani VIII. authoritate recognito quatuor Verſus, & duæ præterea Orationes aptiſſimæ.

Precationes pro variis neceſſitatibus. In precationibus pro obtinenda pace, pluvia, temporis ſerenitate, liberatione à peſte, fame, hoſtibus, ſive pro alia quavis neceſſitate, aſſumuntur à multis Reſponſoria idonea, putà pro pace ℟. *Tua eſt potentia*, ex hiſtoria Machabæorum. Contra peſtem ℟. *Recordare*, ex hiſtoria Regum. Contra hoſtes, ſeu tempore belli, ℟. *Tribulationes civitatum*, ex hiſtoria Tobiæ, vel *Congregati ſunt inimici*, ex hiſtoria Machabæor. In quacunque tribulatione ℟. *Aſpice Domine de ſede ſancta tua*, ex hiſtoria Prophetarum. Aptiſſimi verò ſunt Pſalmi poſiti in Rituali Urbani VIII. pro Proceſſionibus in iiſdem neceſſitatibus faciendis, quibus item ſubduntur Verſus & Orationes admodum congruentes.

In fine pro Defunctis. Si dicantur plures Orationes, ultima tantùm habebit concluſionem, & quidem longiorem, *Per Dominum &c.* cui ſtatim ſubditur ℣. *Dominus vobiſcum*, *Benedicamus*, vel in precationibus, *Exaudiat nos omnipotens &c.* Deinde ℣. *Fidelium animæ*, vel ſi fundatio aliqua, ut ſolet, aut devotio id ferat, ℟. *Pro defunctis*, nempe *Ne recorderis*, *Libera me Domine &c.* vel aliud, ſeu abſque illis Pſalm. *De profundis*, cum Verſibus & Orat. idoneis.

QUÆSTIO IV.

Quæ precationes adhibendæ in reconditione SS. Sacramenti?

Quando exponitur SS. Sacramentum, ſive in Feſto & infra Octavas ipſius, ſive ob inſtantem aliquam neceſſitatem, ſolet ſub veſperum convenire populus in Eccleſiam, ad ipſius reconditionem. Qui autem ritus in ea actione ſervandi dicemus aliàs, ubi de Ritibus; nunc de cantu duntaxat nobis agendum. Et quidem in Feſto & infra Octav. ipſius, ex dictis præced. quæſtione, cantandus initio, vel Hymnus *Pange lingua*, vel Reſponſorium *Homo quidam*. Deinde *O ſacrum*, cum ℣. *Panem de cœlo*, vel Cantico *Magnificat*, ſi lubet, & Orat. *Deus qui nobis ſub Sacramento*, cum integra concluſione, ℣. *Dominus vobiſcum*. *Benedicamus*. *Fidelium animæ*.

In feſto & infra Octavas Corporis Chriſti.

In Oratione 40. Horarum. In Oratione verò 40. Horarum, & aliàs pro quacunque neceſſitate, cantatur ſtatim initio pars Hymni de SS. Sacramento, *Tantum ergo Sacramentum &c.* vel, *O Salutaris hoſtia*, vel *Panis Angelicus*, vel *Ecce panis Angelorum &c.* Subduntur deinde preces pro neceſſitate, videlicet, vel Pſalmus aliquis, vel Reſponſorium, vel Antiphona, ſive una, ſive plures, vel etiam Litaniæ, iiſque finitis dicitur à Celebrante alta voce *Pater noſter*, quod tam ipſe quàm alii ſecretò proſequuntur. Deinde alta item voce ℣. *Et ne nos &c.* *Panem de cœlo*, cum aliis, qui conveniunt Orationibus dicendis; quorum poſtremi eſſe debent, *Domine exaudi orationem meam*, & *Dominus vobiſcum*. Oratio *Deus qui nobis ſub Sacramento*, altera de B. Maria, reliquæ convenientes neceſſitatibus, omnes ſub una concluſione, eaque longiori, *Per Dominum noſtrum*. Deinde *Dominus vobiſcum*. *Exaudiat nos omnipotens*. ℣. *Fidelium animæ*.

Forma benedicendi cum SS. Sacramento. Ad Benedictionem SS. Sacramenti, eſt in uſu paſſim, ut præmittantur etiam à ſimplici Sacerdote ℣. *Adjutorium noſtrum*. *Sit nomen Domini*. Deinde, *Benedicat nos omnipotens Deus &c.* benedicendo populum cum ipſomet tabernaculo Sacramenti. At uſu Romano, nihil prorſus pronunciari debet, ſed tantùm dari benedictio, ab Epiſcopo quidem triplici ſigno Crucis, unico verò à Sacerdote. Ita Ceremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 33. Rituale Romanum Urbani VIII. ubi de Proceſſione SS. Sacramenti, quod & docet Gavantus *part.* 4. *tit.* 12. *num.* 7. præcipitque Ceremoniale Monaſtic. *libr.* 4. *cap.* 14. §. 2. *numer.* 28. & §. 7. *num.* 10. Et

verò

verò videtur hic uſus rationi conformior, quippe benedictionem voce exprimere non eſt opus, ubi actione ipſa illam Chriſtus Dominus præſens exhibet. At hoc ſaltem ab altero illo uſu reſecandum, ne ſimplex Sacerdos Verſus illos duos ad Benedictionem Pontificalem pertinentes uſurpet, neve triplici Crucis ſigno benedicat; id enim cùm nullo privilegio, ſed ex abuſu dumtaxat inductum fuerit, haudquaquam debet ullo conſuetudinis prætextu tolerari.

Precatio pro Defunctis non fit niſi recondito Sacramento.

Si addenda ſit precatio aliqua pro Defunctis, ea non fiet niſi poſt reconditum SS. Sacramentum. Id habet praxis communis, & colligitur à pari, ex eo quòd non debet manere ipſummet Sacramentum expoſitum dum celebratur Miſſa pro Defunctis, ex Ceremon. Monaſtic. *libr. 3. capit. 13. numer. 14.*

CAPUT XXIII.

DE OFFICIO ET MISSIS Defunctorum.

FInis omnium mors eſt; quidni & operis hujus? Hoc itaque & ſequenti poſtremis capitibus complectimur quæcunque ad Officium & Miſſam pro Defunctis attinent: faciunt enim illa quoque partem non Feſtorum quidem, ſed Officiorum propriorum, quatenus videlicet pro varia dierum, quibus occurrunt ratione, nec non vario ac multiplici locorum & Eccleſiarum uſu diverſimodè ſunt ordinanda. Quæ autem altioris ſunt & copioſioris eruditionis, cùm ea inſtituti noſtri fines prætergrediantur, tum certè ab Theologis & Controverſiſtis abundè tractata reperiri poſſunt; maximè à Bellarmino *libr. 3. de Purgatorio cap. 15. & ſequentibus*. Rituum quoque interpretes, qui de iis egere, indicat Gavantus *ſect. 9. capit. 2. num. 1. & 2.*

QUÆSTIO I.

Quibus diebus dicendum Officium Defunctorum?

Dicitur pro omnibus Defunctis generatim, die 2. Novembr.

OFficium Defunctorum, quod in calce Breviarii poſitum eſt, dicitur, vel pro omnibus Defunctis generatim, vel pro aliquibus ſpeciatim. Pro omnibus generatim dicitur in univerſali Eccleſia die 2. Novembris, quo die inſcripta habetur in Calendario, atque etiam in Martyrologio, *Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum*.

Item initio cujuſque menſis &c.

Dicitur item extra tempus Paſchale prima cujuſque menſis die, non impedita feſto 9. Lectionum, alioquin alia ſequenti die ſimiliter non impedita. In Adventu autem & Quadrageſima, Feria 2. cujuslibet hebdomadæ ſimiliter non impedita, præterquam in majori hebdomada. Ita Rubrica huic Officio præpoſita, quam firmat præclarè

Auguſtinus.

Auguſtini anthoritas libro de Cura gerenda pro mortuis: *Non ſunt*, inquit, *prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana ſocietate Defunctis, etiam tacitis nominibus ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia, ut quibus in iſta vita deſunt parentes, aut filii, aut qualeſcunque cognati vel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi.*

Speciatim in die obitus, Tertio, Septimo, & Anniverſario.

Pro Defunctis verò ſpeciatim dicitur primò in die obitus ſeu depoſitionis Defuncti. Secundò in die Tertio, Septimo, Trigeſimo, ac demum in Anniverſario, ſeu etiam quocunque alio, in quo videlicet ex legato ſeu fundatione, teſtamento, aut quovis pacto exiſtit obligatio aut devotio illius recitandi. Quæ ſtrictim dicta, ſeparatis quæſtionibus juvat expendere accuratiùs.

Obſerva autem diſcrimen eſſe inter Officium pro Defunctis generatim, & ipſummet pro aliquibus particularibus ſpeciatim recitandum, quòd hujus obligatio, ſi qua ſit, ſpectet ad aliquos, ex pacto videlicet, fundatione, præſcripto Regulæ aut alio ſimili titulo: illius verò ad omnes; & quidem in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, tam privatim extra Chorum, quàm publicè in Choro, ut docet Suarez *libr. 4. de Horis Canonicis cap. 25. numer. 8. & 9.* & poſt illum Gavantus; aliis verò diebus in Choro tantùm, ex relaxatione Pii V. in Bulla Breviarii.

Suarez.

QUÆSTIO II.

An Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum peragenda ſemper die 2. Novembris?

Commemoratio Defunctorum cur fit 2. Novembris.

ITa fit univerſalis Eccleſiæ uſu, cujus origo vulgò tribuitur S. Odiloni Abbati Cluniacenſi. Ut verò ea potiſſimùm die fieret, ratio quæ affertur communiter ex Amalario, bona quidem eſt, haud tamen rectè ex ea infertur à Gavanto & aliis fuiſſe ritum hunc jam inde ad ipſius Amalarii temporibus uſitatum: ſic enim habet author ille capit. 65. Antiphonarii: *Poſt Officia Sanctorum, inſerui Officium pro mortuis: multi enim tranſeunt de præſenti ſæculo, qui non illico Sanctis conjunguntur, pro quibus ſolito more Officium agitur.* Quibus verbis

Refellitur opinio Baronii & Gavanti.

aſtruitur uſus Officii Defunctorum à prædicto authore in ſuo Antiphonario inſerti poſt Officia propria & communia Sanctorum, uti etiam nunc inſertum habetur in noſtris Breviariis; at nequaquam ſignificatur dicendum ejuſmodi Officium poſtridie feſti Omnium Sanctorum, cùm nullatenus ibi agatur de feſto Omnium Sanctorum, ſed de Officiis dicendis in feſtis Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum &c. ut patet ex præcedenti cap. 64. cujus titulus eſt, *De Reſponſoriis Communibus Sanctorum*. Et verò non habetur in Amalario, *poſt Officium Sanctorum*, ut legunt Baronius in notis, & Gavantus, ſed *poſt Officia*. Potuit verò ea ratio efficere, ut inſtituta poſtmodum Commemoratione Defunctorum, hæc ipſi dies, nempe 2. Novembris decerneretur.

In Dominicam incidēs uſu Romano transferri debet.

At ſi fuerit jam ipſa dies Dominica, aut in eam incidat feſtum aliquod proprium loci vel Eccleſiæ, fietne nihilominus Commemoratio Defunctorum? In occurrentia feſti proprii, quid ſit agendum, jam definivimus ſuprà *cap. 8. quæſt. 4.* In caſu verò Dominicæ ſtat Rubrica Breviarii Romani conformis Decreto Urbani VI. Commemorationem ipſam Defunctorum in ſequentem diem eſſe transferendam. Quoniam verò Pariſiis, Meldis, Andegavi, necnon fortè alibi adhuc ſupereſt uſus prædictam Commemorationem in Dominica retinendi: quæſtio hic vertitur, An uſus ejuſmodi ſit legitimus, & an ei ſe conformare debeant Romano Breviario mancipati?

Uſus faciendi in Dominica vix probandus.

Ad primum reſpondeo, vix aliter legitimum eſſe quàm quia conſuetudine præſcribitur, cæteroqui enim alienus videtur admodum & à celebritate, & à myſteriis per diem Dominicam repræſentatis. Nam & celebritatem æquè obſcurat, imò magis luctuoſum hocce Officium, quàm jejunii obſervatio, aut genuum flexio; quod utrumque tamen die Dominico interdictum Concilia & Patres proclamant, & habetur *cap. Quoniam, extra. de Feriis*. Myſteriorum verò, quæ Dominico die repræſentantur, cùm præcipuum ſit ac maximum Reſurrectio, tum Chriſti Domini jam facta, quæ *velut Oriens*, inquit Ambroſ. *ſerm. 61. diſcuſſis inferorum tenebris emicuit:* tum etiam noſtra futura aliquando in renovatione ſæculi, quam ex Athanaſio ſuper illud, *Omnia tradita ſunt mihi à Patre; Sol in Paſſione obſcuratus præſignavit, indicans finem prioris creaturæ adeſſe, & principium alterius ſupervenire, quæ diluculum ſuum in Salvatore con-*

Ambroſius. Athanaſius.

ſecuta

Digitized by Google

ſecuta eſt; unde Zachar. 6. dicitur, *Ecce vir Oriens nomen ejus*; nihil utriuſque hujus Reſurrectionis ſigno diſcrepantius accidere poteſt, quàm ipſa mortis effigies in Officio Defunctorum graphicè exarata, & ad vivum exhibita: Unde etiam lex eſt omnium Eccleſiarum benè ordinatarum, ne à Veſpera Sabbati, uſque in pomeridianum tempus Dominicæ, Anniverſaria aliaque Defunctorum Officia decantentur, exceptis ſolis exequiis, ſeu ad præſentiam corporis inſepulti; quod neceſſitatis eſt. Hanc verò legem longè adhuc ſatius eſt ſervare in Commemoratione omnium Defunctorum, tum quia nulla peculiaris urget neceſſitas, tum quia ſic convenitur cum cæteris Eccleſiis, apud quas utplurimum ea transfertur.

Reſponſio ad inſtantiam ex uſu Pariſienſi.

Inſtabis pro Eccleſia Pariſienſi id fieri non poſſe, eò quòd dies 3. Novembr. in quam eſſet transferenda prædicta Commemoratio Defunctorum occupatur feſto ſolemni S. Marcelli Epiſcopi Pariſienſis. Sed huic impedimento occurrit Gavantus *ſect. 7. capit.* 13. à 2. Novembr. aſſerens in 4. diem Novemb. Commemorationem tum eſſe transferendam: vel ſi id minùs placet, cùm ipſum feſtum S. Marcelli non die proprio celebretur, (eſt enim dies ejus proprius 1. Novembr. à quo mutatum eſt in 3.) iis annis quibus litera Dominicalis eſt E. fiat *die* 2. Commemoratio verò Defunctorum *die* 3.

Satius eſt ſervare uſum Romanum.

Hincque facilè colligas, quid ad ſecundum ſim reſponſurus. Cùm enim ratio illa agendi contraria ſit prorſus Rubricæ expreſſæ Breviarii Romani, ex eaque ſequantur incommoda, quibus à Rubricis cautum non fuit, putà quòd omittatur prorſus Miſſa Dominicæ, imò & Officium ipſum apud eos, qui unicum Defunctorum ea die præſcriptum habent; non modò tutum, ſed & præſtabilius eſſe pronuncio Romano utentibus ſuæ ſtare Rubricæ, prout in pari caſu definivi ſuprà *cap.* 8. *quæſt.* 3.

Reſponſio ad objectionem ſcandali.

Neque hìc magis urget quàm illic objectio petita à ſcandalo, quod non leve inde ſequi videtur, ſi cæteris Diœceſis Eccleſiis Commemorationem Defunctorum in Dominica agentibus paucæ ab eo ritu diſcrepent; quæ ratio fuit, ob quam Ceremoniale Monaſticum *libr.* 4. *cap.* 16, *ad* 2. *Novembr.* celebrandam in Dominica præſcribat, ubi talis eſt uſus Diœceſis. Non inquam urget illa objectio, cùm ſcandalum ejuſmodi, aut nullum ſit, iis videlicet, qui ſuum cuilibet Eccleſiæ uſum ſequendum eſſe probè ſciunt; aut ſi qui id neſciant, merè paſſivum ſit, nihilique faciendum. Neque eo ſcandalo motæ fuerunt Sanctimoniales ipſæ Fontebraldenſes, quæ ſic habebant in ſuo antiquo Breviario edito anno 1538. *Si autem fuerit Dominica, transferatur Officium Defunctorum in Feriam ſecundam; fiat tamen pulſatio die Sabbati ſerò, ut in Diœceſi.*

Uſus antiquus Fontebraldenſis.

QUÆSTIO III.

An ſi toto menſe nulla fuerit dies non impedita, dicendum ſit nihilominus Officium Defunctorum?

OCcurrit id non infrequenter menſibus Januario & Auguſto, itidem & Majo, quando poſtremi illius dies Paſchale tempus excedunt: cùm enim menſes illi pluribus feſtis Duplicibus ac Semiduplicibus, Octaviſque impleantur, vix ut numeratis Dominicis duo treſve dies liberi ſuperſint, facilè accidit ut iidem dies feſtis item ſive propriis ſive communibus translatis impediantur. In eo itaque caſu quæritur, An ſit omittendum penitus Officium Defunctorum eo menſe? An verò reponendum in aliquo Semiduplici? Certè cùm poſtremum hoc nullibi Rubricarum præcipiatur; imò conceptis verbis excludatur ejuſmodi Officium ab omni feſto 9. Lect. reliquum eſt ut omittatur. Ægrè id quidem, adeò ut hæc una ſit ratio earum, ob quas *libr.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 19. nimiam feſtorum multiplicitatem improbavimus. Benè autem monet Gavantus *ſect.* 9. *capit.* 2. *numer.* 11. quòd ſi ſola dies ultima menſis ſit libera, in ea nihilominus dici debere ipſum Officium Defunctorum, licèt ſequenti die rurſus pro menſe inſequenti dicendum foret.

Reſpondetur omittendum.

Gavantus.

QUÆSTIO IV.

Quid item facto opus, quando Feriæ omnes ſecundæ Adventus & Quadrageſimæ feſtis novem Lectionum impediuntur?

COntingit caſus hic in Adventu, quotieſcumque litera Dominicalis eſt D: in Quadrageſima verò quando Feria 4. Cinerum occurrit ultima die Februarii; poteſt & frequentiùs contingere quoad Eccleſias particulares ob feſta propria. Quærit autem Gavantus cit. *num.* 12. an tum habenda ſit ratio primæ diei menſis non impeditæ, ut in ea more aliorum menſium dicatur Officium Defunctorum: videtur enim ideò iis temporibus non præcipi prædictum Officium prima die menſis non impedita, quia aliunde ſemel in hebdomada dicitur; unde ſi ne ſemel quidem toto eo tempore dicatur, quidni æquiſſimum judices, ut pro ratione menſis ſemel ſaltem prima die non impedita ponatur? Æquiſſimum ſanè eſt, ut vel ipſa prima die menſis, vel Feria tertia ſequenti Feriam ſecundam non impedita id obſequii præſtes ex laudabili pietatis affectu; neque id negat Gavantus: negat verò teneri te vi ullius Rubricæ: quod verum eſt; nam ſic habet expreſsè Rubrica menſis Decembris, *Ante Adventum prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum*; & Rubrica menſis Martii, *Ante Quadrageſimam prima die non impedita &c.* quæ verba ſic intelligenda ſunt, ut intra Adventum & Quadrageſimam nulla habeatur ratio menſis. Quòd autem in aliquo anno non dicatur iis temporibus prædictum Officium Defunctorum, præterquam quòd rarum id eſt, parum referre ait idem Gavantus ibidem.

Poteſt reſumi prima die menſis, vel proxima Feria 3. ſed non eſt obligatio.

QUÆSTIO V.

An ſi jam dictum fuerit in menſe, dicendum ſit nihilominus prima die non impedita?

CErta eſt reſolutio ex Rubrica poſita initio menſis Novembris; nam cùm præcipiatur dici prima die illius menſis non impedita, & nulla talis dies occurrat, niſi poſt Octavam Omnium Sanctorum, fruſtra poſita eſſet ea Rubrica, ſi præter Officium ſolemne Commemorationis Defunctorum, quod ſemper dicitur 2. vel 3. Novembris, aliud quoque ordinarium non diceretur 10. die vel alio primùm occurrente libero. Ex quo inferas debere itidem dici in aliis menſibus, quantumcunque jam recitatum fuerit pro Anniverſario, aut alio quovis titulo; & eo quidem potiori jure, quo tituli ejuſmodi nonniſi particularium ſunt, ipſa verò Commemoratio generalis eſt omnium Defunctorum.

Dicendum planè.

QUÆSTIO VI.

An & eo ipſo die, quo dicitur item pro obitu ſeu Anniverſario alicujus defuncti?

RAtio dubitandi eſt, quòd ex mente Doctorum, unico actu pluribus obligationibus poſſit ſatisfieri, putà unius Miſſæ auditione obligationi tum Dominicæ, tum Feſti in ipſa occurrentis. Verùm ratio hæc quoad præſentem caſum deficit

Refutatur ratio dubitandi.

Digitized by Google

ficit in duobus. Primò: Quòd cùm obligationes ejuſmodi pendeant ex mente obligantium, quorum hìc unus eſt Eccleſia, alius verò fundator; neutrius mens eſſe præſumitur, ut una eademque recitatione Officii Defunctorum exiſtimet ſatisfactum eſſe obligationi à ſe impoſitæ. Secundò: Quòd altera illarum obligationum, nempe quæ eſt ex legato ſeu fundatione, vim habeat ex juſtitia commutativa, quæ cùm ſpectet æqualitatem rei ad rem, non poteſt expleri ſolutione, quæ alteri ſit communis, ut docent Sanchez, Medina, Suarez, & alii communiter apud Bonacinam de Pœnitentia *diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 3. punct. 2. num. 12.*

Bonacina.

Vel bis dicendum, vel unum in aliam diem rejiciendum.

Cenſeo itaque vel bis ea die dicendum Officium Defunctorum, vel ſi moleſtum id nimis videatur, illud quod ex fundatione eſt, in alium diem eſſe differendum. In iis tamen Eccleſiis, ubi ex proprio uſu, aut etiam ex confuſa ac promiſcua fundatione Officium Defunctorum dici conſuevit ſingulis diebus, quibus non eſt Officium Duplex vel Dominica, exiſtimaverim unica tum recitatione ſatisfieri; quippe non videtur obligatio eſſe ex juſtitia commutativa, poteſtque præſumi eam eſſe mentem obligantium, perinde atque præſumitur mentem eſſe Confeſſarii imponentis pro pœnitentia jejunium ſingulis Feriis ſextis per annum, vel per aliquot menſes ſervandum, ut ſi in aliqua illarum occurrat jejunium ex præcepto Eccleſiæ, unico jejunio utrique obligationi pœnitens ſatisfaciat.

Non valet prædicta reſolutio, ubi quotidie dicitur.

Qua ratione in Breviario Ordinis Prædicatorum explicatur ſic obligatio ſemel qualibet hebdomada, recitandi Officium Defunctorum, ut ſi quod occurrat in hebdomada Anniverſarium, aut Officium, etiam pro præſenti Defuncto, idem valeat & pro penſo illo hebdomadario.

Ord. Prædic.

QUÆSTIO VII.

An dicendum in Vigilia Nativitatis Domini, cùm incidit in Feriam ſecundam?

Negativa reſponſio.

STo ego à Gavanti partibus contra Caſtaldum, adeòque non modò inficior debere dici, ut etiam inanem prorſus ac futilem, quæ contrà affertur, rationem eſſe exiſtimem. Eſto enim ſit hæc Feria ſecunda, non impedita feſto novem Lectionum; at eſt impedita Vigilia, quæ talis eſt ut excludat quodcunque feſtum novem Lectionum etiam Duplex primæ claſſis; imò eſt ipſamet per ſe ſe Duplex à Laudibus, quibus proinde non magis fas eſt adjungere Officium Defunctorum, quàm Laudibus cujuslibet alterius feſti Duplicis. Item nec in Miſſa Orationem, quæ eſſet ultima, cùm tamen nonniſi penultimo loco poni debeat. At, inquit Caſtaldus, Rubricæ excludunt tantùm ab hac Vigilia Officium parvum B. Virginis. Nego excludi eum particula reſtrictiva *tantum*; imò ut ſubdit rectè Gavantus *numer.* 14. ſi excluditur Officium parvum B. Virginis, multò magis Defunctorum.

QUÆSTIO VIII.

An ſit legitimus uſus recitandi aliis præterea diebus Officium Defunctorum?

Officium Defunctorum olim quotidie recitari ſolitum.

INtelligenda quæſtio de Officio pro Defunctis generatim, non autem ſpeciatim pro aliquibus, de quo poſtea. Fuiſſe autem olim Officium Defunctorum quotidie in Eccleſiis Officio diei ſuperadditum, perinde atque Officium parvum B. Virginis, conſtat luculentis teſtimoniis Albini Flacci *libr. de Officiis divinis, tit. de exequiis mortuorum & eorum Commemoratione*; Amalarii Fortunati *libr. 4. de Eccleſ. Officiis cap.* 42. Radulphi Tungr. *propoſ.* 20. in qua de utroque illo Officio conjunctim diſſerit, docetque *Apoſtolicis Conſtitutionibus ac generali omnium conſuetudine, utrumque ſecundum temporum congruentiam perſolvi debere*; Durandi *libr. 7. cap. 35. num.* 18. & colligitur ex can. *Viſum, de conſecratione, diſt.* 2. Recenſentur item ab iiſdem authoribus dies ab ejuſmodi Officio immunes, nempe Pentecoſtes, hoc eſt totum tempus Paſchale, Feſta novem Lectionum, adeòque Dominicæ omnes, & Octavæ majores. In his verò quid juris? An quod de Officio parvo B. Mariæ ſuprà diximus, obligatio eſt retinendæ itidem ejuſmodi conſuetudinis?

Albinus.

Amalarius.

Radulphus.

Durandus.

Laudabilis eſt ejuſmodi conſuetudo.

Reſpondeo primò, nedum carpendos, ut etiam laude digni ſint, ſi qui retineant, non tantùm in uſu proprio, ubi is adhuc perſeverat, ſed etiam in Romano à quibus receptus eſt. Ratio eſt, quia cùm ejuſmodi conſuetudo per ſe laudanda ſit, utpote cum charitate proximi admodum conjuncta, tum certè in nullo officit celebritati Officii diei, ſi infra præfatos limites reſtringatur. Sic Ordo Præmonſtratenſis id Officii præſcribit *ſingulis diebus per annum*, exceptis diebus Dominicis & Feſtis novem Lectionum pro utriſque Veſperis; item infra Octavas Nativitatis, Paſchæ, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Omnium Sanctorum, & Feſtorum B. Mariæ; item quatuor ultimis diebus majoris hebdomadæ, & pridie ante Vigiliam Nativitatis. Sic Ordo Prædicatorum idem præcipit tam in Choro quàm extra ſemel qualibet ſeptimana, exceptis tantùm Paſchæ & Pentecoſtes. Sic denique in nonnullis Cathedralibus, aliiſque majoribus Eccleſiis ſervatur lex iſta, ut extra Dominicas & Feſta Duplicia ſemper dicatur Officium Defunctorum, ſive ſtatum & ſolemne ex certa Defuncti alicujus fundatione, ſive eo deficiente, quotidianum ac commune.

Ord. Præm.

Ord. Prædic.

Sublata eſt uſu Romano talis obligatio.

Reſpondeo ſecundò, obligationem illam, ſi qua ſit, Officii Defunctorum, quotidie aut tam frequenter recitandi, ſublatam fuiſſe quoad Breviarium Romanum per Bullam Pii V. adeòque liberum eſſe omnibus eo utentibus, ad illam ſe normam reducere, ut illud prima die menſis non impedita, ac Feriis ſecundis Adventus & Quadrageſimæ dumtaxat adhibeant: Patet, quia ad nihil amplius Rubrica obligat, nec aliunde ulla eſt reſervatio à Pontifice facta conſuetudinis recitandi Officium Defunctorum, ſicut facta eſt conſuetudinis recitandi Officium parvum B. Mariæ, de qua ſuprà *cap. 19. quæſt. 5.* Itidem in propriis uſibus legitimis fas eſt Epiſcopis diſpenſare ab ejuſmodi obligatione, cùm enim integrum iis reſtet jus antiquum circa divinorum Officiorum ordinationem, poſſunt haud dubiè idem hac in parte in ſua quique Diœceſi, quod poteſt Pontifex in Romana ſeu in univerſa Eccleſia.

Sublata eſt obligatio ex conſuetudine tantùm, non autem ex juſtitia, voto &c.

Hanc porrò reſolutionem intellige quoad obligationem ex uſu ac conſuetudine dumtaxat, non autem quoad alias, quæ ex juſtitia, aut ex voto ſeu debito Regulæ ortum habent: in his enim ſatisfieri debet ad æqualitatem, adeòque quotidianum illud Officium Defunctorum, quod fit in quibuſdam majoribus Eccleſiis, quandocumque non eſt Duplex vel Dominica, ſi ita fit ex reductione plurium Obituum ſeu Anniverſariorum fundatorum, haudquaquam ejuſmodi eſt de quo hìc agimus, ſeu generale; ſed ad particularia pertinet, de quibus paulò pòſt futura eſt quæſtio.

QUÆSTIO IX.

Sitne legitimus uſus omittendi Officium Defunctorum præſcriptis à Rubrica diebus?

Negativa reſponſio, quoad uſum Romanum.

UT ſunt rigidiores aliqui in adhibendo crebriùs Officio Defunctorum, ita ſunt alii ſolutiores, quibus nimirum illius recitandi, præterquàm in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & in Obitibus ſeu Anniverſariis pro parti-

particularibus Defunctis uſus alius non eſt. An verò id legitimum? Næ tu vel perquàm ſanctus es, vel tibimet crudelis & iniquus admodum, qui affirmando reſponderis: ſanctus equidem, ſi talis es cui nullum ex hac mortali vita decedenti vel leviſſimum delictum expiandum ſuperſit: at vide ne hoc ipſum inaniter præſumendo gravioris te pœnæ ſuperbia reum conſtituat; crudelis verò tibimet & iniquus admodum, qui profuturum ſibi aliquando periode atque aliis tam opportunum tamque ſalutare ſubſidium non deſpicis modò, ſed expungis & obliteras. Abſit ut me tuæ hac in parte opinionis aſſeclam habeas. Quin fidenter aſſero illegitimum eſſe prorſus ejuſmodi uſum, ſaltem apud omnes Breviarii Romani ſectatores, quos nulla conſuetudo ab hac ipſius lege ſervanda eximit, quippe quæ & juri communi contraria eſt, & quacunque præſcriptione nitatur, ei per Bullam Pii V. planè fuit derogatum.

Rectius eſt ut alii uſus Romano ſe hac in parte conforment.

Quoad verò alios, qui Breviario proprio legitimo adhærent, ſi quibus talis non eſt Rubrica qualis in Romano, non aliunde id factum crediderim, quàm quòd apud eos crebriùs, non tantùm in menſe, ſed etiam in hebdomada, imò apud aliquos quotidie, præterquàm feſtis diebus, idem Officium ſoleat in Choro decantari, ſive ex fundatione, ſive ex uſu ſtato & ordinario; unde ad id opus non fuit certos alios præfigere dies, cùm alterutro modo quotidie, aut ſæpè ſæpiùs uſurpetur, quod valere poſſe diximus ſuprà *quæſt.* 6. Quibus verò talis uſus non eſt, nolo ſuum iis jus præſcriptione vindicatum eripere: at conſulant ipſi ſuos antiquos codices, num vel quotidie olim, vel ſtato in hebdomada die id Officii præſcriptum haberent; ab eo autem more levandi paulò durioris oneris prætextu penitus deſciviſſe, quis æquus rerum æſtimator non paulò nimiæ laxitatis arguat? Quòd ſi minuendus fuit in gratiam infirmitatis humanæ tanto oneri ferendo minùs idoneæ; nulla minutio æquior, quàm quæ quotidianum in Quadrageſima Officium, (quale præſcribit Sylvanectenſe, quod præ manibus habeo) ad ſingulas ſecundas Ferias, hebdomadarium verò ut minimum reliquis temporibus ad primam menſis diem non impeditam redigit. Romani Breviarii ea ratio eſt, cui optandum ut cætera ſeſe conforment. Obſtabunt moderni Officiorum correptores, digni ipſi magis qui corripiantur.

Reprehenduntur Officii correptores.

QUÆSTIO X.

Quibus diebus dicendum Officium Defunctorum pro Defunctis ſpeciatim?

Signantur in Breviariis & Miſſalibus multiplices ac varii dies ad id muneris opportuniores.

Dies obitus, ſeu depoſitionis.

Inprimis dies ipſe Obitus ſeu Depoſitionis Defuncti, quo nimirum vel is vivere deſiit, vel corpus ejus ſepulturæ mandatur: ſi quidem ad illum diem pertinent præ aliis quæcunque de Orationibus Deo in exequiis ex funeribus Defunctorum fundendis, Patres, Concilia, Traditioque univerſalis Eccleſiæ prædicat. Quin & inde dictum eſt antiquis Officium Defunctorum *Agenda*, quaſi id ſit præcipuè omnium agendum, ſeu celebrandum.

Dies Tertius, Septimus, & Trigeſimus,

Amalarius.

Secundò: Deſignantur dies tertius, ſeptimus, & trigeſimus, ab obitu videlicet ſeu depoſitione Defuncti: quam numeri rationem non ſic accipiendam rectè monet Amalarius *libr.* 4. *cap.* 42. ut iis tantùm diebus, non verò aliis intermediis pro Defuncto Officium, Miſſave celebretur, quaſi iis diebus magis proficiant quàm aliis, eſſet enim id ſuperſtitione damnandum; *ſed quòd tertio die infra ſeptimum, & ſeptimo infra trigeſimum celebrius peragatur;* ſive ut explicat idem alio loco, nempe *libr.* 3. *cap.* 44. *quòd publicè & generaliter convenire ſoleant iis maximè diebus amici omnes ad hoc ut* De-Guyet. *Heortologia.*

functum precibus Miſſarum, atque eleemoſynis, & cæteris bonis ſtudiis juvent: quod pium eſſe ac religioſum docet Ambroſ. *in libr. de obitu Theodoſii Imperatoris*, & refertur *can. Quia alii*, 13. *quæſt.* 2.

Ambroſius.

Myſticas verò horum dierum præ aliis rationes afferunt Alcuinus *libr. de divinis Officiis ad finem*, idem Amalarius *loco cit.* Durandus *libr.* 7. *cap.* 35. *num.* 5. *& ſeq.* Stephan. Duranti *libr.* 2. *cap.* 43. *numer.* 5. quas omnes collectas habet Gavantus *parte* 1. *tit.* 5. *num.* 3. ipſum conſule ſi vis.

Alcuinus. Durandus. Duranti. Gavantus.

Dies Quadrageſimus, Quinquageſimus, Sexageſimus, Centeſimus. Damaſcenus.

Quadragenarium quoque diem Durantus, Quinquageſimum item, Sexageſimum & Centeſimum, Durandus fuiſſe aliquibus in religione ibidem commemorant, elucidantque rationibus. Commemorant & nonum ex Damaſceno *ſerm. de Fidel. Defunct.* cujus locum integrum libet exſcribere, quippe qui præfatos etiam dies diſertè adſtruat: *Neque enim alioqui anſam hanc nobis porrexiſſet, ut eorum qui è vita migraſſent incruento ſacrificio meminiſſemus; neque ut tertio & nono & quarto die, ac denique anno vertente in eorum memoriam ſacra obiremus (quæ quidem citra ullam controverſiam Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, divinitùſque collectus illius populus conſtanter ac ſine ambiguitate retinet) niſi hoc in oculis ipſius rectum eſſet.* Hunc tamen morem reprehendit Auguſtinus in quæſtionibus ad Geneſim ad finem: *Neſcio*, inquit, *utrum inveniatur alicui Sanctorum in Scripturis celebratum eſſe luctum novem dies, quod apud Latinos novemdiale appellatur; unde mihi videntur ab hac conſuetudine prohibendi, ſi qui Chriſtianorum iſtum in mortuis ſuis numerum ſervant, qui magis eſt in Gentilium conſuetudine.* Sed cùm nihil verbis illis præter ſuperſtitionis periculum reprehendat Auguſtinus, ſublato ejuſmodi periculo, non minùs laudabilis eſt noni diei religio quàm aliorum, ſicut nec aliorum probanda magis quàm noni ipſius, ſi adſit ejuſmodi periculum. Optima verò ac tutiſſima ratio eſt ſervare in his quamcumque piam locorum conſuetudinem.

Auguſtinus.

Dies Anniverſarius.

Tertiò denique indicitur Officium pro Defuncto ſpeciatim, in die ejus Anniverſario, hoc eſt ipſomet die, quo is mortuus eſt, poſt annum recurrente, nec tantùm poſt primum annum, ſed etiam poſt alios conſequentes. Qui ritus viget maximè in Cathedralibus ac Collegiatis Eccleſiis, in quibus frequentiſſima ſunt fundata ejuſmodi Anniverſaria, ſeu ut vocant, Obitus; ſimileque aliquid legitur in teſtamento S. Remigii, à quo ritum hunc aliqui originem traxiſſe arbitrantur. Verùm de Anniverſaria die pro mortuis, mentionem facit Remigio antiquior Tertullianus libr. de Monogamia: *Et offerat*, inquit, *annuis diebus dormitionis ejus.* Et de Corona militis, *Oblationes pro Defunctis pro natalitiis annua die facimus.* Gregorius item Nazianz. *Orat.* 10. *in laudem Cæſarii*, mentionem facit de anniverſariis honoribus Defunctis exolvendis.

Tertullianus. Greg. Naz.

Solvitur objectio contra vetuſtatem Anniverſariorum. Auguſtinus.

Objicientibus verò impiis profaniſque hominibus, credibile non eſſe tamdiu Defunctorum animas in Purgatorio detineri, occurrit Auguſtinus *libr.* 2. *de Cura pro mortuis cap. ult.* & refertur *can. Non æſtimemus*, 13. *quæſt.* 2. *Meliùs ſupererunt iſta eis, quibus nec obſunt, nec proſunt, quàm deerunt quibus proſunt.* Adde quòd, *etiam ſi nulla ſint adjumenta mortuorum, qualeſcunque vivorum conſolationes ſunt*, ait idem Auguſt. *in Enchiridio cap.* 110. Optimè verò Alcuinus *cap. penult.* & Amalarius *libr.* 3. *cap.* 44. *ad finem: Anniverſaria dies ideo repetitur pro Defunctis, quoniam neſcimus qualiter eorum cauſa habeatur in alia vita.* Item, *Sicut Sanctorum anniverſaria dies in eorùm honore ad memoriam nobis reducitur ſuper utilitate noſtra, ita Defunctorum, ad utilitatem illorum & noſtram devotionem implendam, credendo aliquando venturos ad conſortium Sanctorum.*

Alcuinus & Amalarius.

QUÆSTIO XI.

Ut computandi dies illi?

Obitus dies quis ſit propriè.

CErtum quòd à die obitus ſeu depoſitionis Defuncti. At dubitatur primò, Quis dies ille eſt, & idemne ſint Obitus & Depoſitio? Obitus dies is eſt propriè, quo quis mortem obit, ſeu deſinit vivere, non tantùm ultro ac ſua ſponte, quod proprium eſſe volunt Juriſconſulti ejus, qui ſeipſum interficit, (& talis quidem obitus nihil ad noſtrum inſtitutum pertinet, cùm pro ejuſmodi deſperatis, fas non ſit Orationes Eccleſiæ adhibere, niſi id ex inſania acciderit) ſed etiam quocumque fato, ſeu naturali ex morbo, ſeu violento ex illato vulnere, aliove caſu inſperato.

Depoſitio in uno ſenſu idem quod Obitus.

Paulus.

Petrus.

Ambroſius.

Depoſitio verò idem planè ſignificat, ſi in eo ſenſu accipitur, quo deponere in Jure Civili, idem eſt quod demoliri, ad aream redigere, & ſolo æquare: in eoque ſenſu locutus videtur Paulus 2. Tim. 4. cùm de ſuo obitu brevi affuturo dicit, *Tempus reſolutionis meæ inſtat*; & de ſuo expreſſiùs Petrus 2. cap. 1. *Certus quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei*. Itidem ſi deponere ſumatur pro eodem, quod eſt ceſſare, abjicere, abalienare, erit quoque in eo ſenſu Depoſitio idem quod Obitus; *Homo quippe mortem obeundo*, ut ex Ambroſio retulimus alias, *vinculis carnalibus abſolutus liber iturus ad cælum terrenum corpus exponit*. Pergens verò, *Ipſa planè eſt Depoſitio, in qua concupiſcere abjicimus, ceſſamus delinquere, peccare deſinimus, & totum quidquid ſaluti eſt grave, quaſi abjecta ſarcina oneris exponimus*.

Depoſitio in alio ſenſu diſtinguitur ſepulturæ.

At ſi deponere ſumas pro eo quod eſt in Jure item Civili, credere & committere fidei ac diligentiæ alterius, ut dicatur Depoſitio ipſa corporis defuncti terræ traditio, commiſſio ac commendatio, juxta illud S. Andreæ, *Tempus eſt ut commendetur terræ corpus meum*, non eſt in eo ſenſu Depoſitio idem quod Obitus; erit tamen eadem utriuſque dies, ſi eodem die corpus ſepeliatur quo Defunctus obiit; ſecùs ſi poſtridie, vel in longum tempus exequiæ differantur, ut fit in Magnatum funeribus. Et licèt haud ſit omnino improbabile à die Depoſitionis in hoc ſenſu poſſe computari dies Tertium, Septimum, & Trigeſimum, imò & Anniverſarium; communior tamen uſus eſt, & Rubricarum ſenſui conformior, ut ab ipſo die veri & naturalis obitus computentur; quamquam nec à die ſepulturæ improbat Gavantus *part. 4. tit. 18. num.* 9. qui ſequendam monet hac in parte locorum conſuetudinem.

Ut computandus dies Obitus.

Sed jam dubitatur ſecundò, quomodo computandus dies ipſemet Obitus? An à media nocte ad mediam noctem more diei naturalis? An à meridie ad meridiem? An denique ab ea hora in qua Defunctus expiravit, ad parem horam diei ſequentis? Primum minùs placet, quia ut de Sanctorum tranſitu diximus, *libr. 3. capit. 2. quæſt.* 2. qui ſub veſperum contingit, magis videtur, quoad Officium attinet, ad ſequentem quàm ad præſentem diem referendus. Secundum vulgare eſt, ac frequentiori uſu tritum. Sed nec tertium minùs opportunum eſt computandis ex integro diebus ab ipſo Obitu Tertio, Septimo, & Trigeſimo: qua ratione facilè definias, quandonam præcisè locum habeat in Miſſa Oratio pro iis diebus poſita, *Quæſumus Domine &c.*

Anniverſaria dies.

Anniverſaria itidem dies à die Obitus ſeu Depoſitionis computanda, & in libro Obituum (quem minùs cautè Martyrologium pro Necrologio aliqui vocant) conſignanda; quando videlicet eſt de aliquo ſingulari Defuncto, cujus dies Obitus certò ſcitur. At ſi plurium generatim fiat Anniverſarium, aut ſi neſcitur dies Obitus ſingularis alicujus, erit Præſidum loci definire, quo id commodiori die fuerit conſignandum.

Brev. Caſalis Bened.

Ceremoniale Monaſticum.

Ord. Prædic.

Præmonſtrat.

Et quidem apud multos Regulares varia pro variis Defunctis generatim certis ac determinatis diebus præſcripta habentur Anniverſaria. Nam vetus Breviarium Caſalis Benedicti, (quod in aliis quoque Benedictinis Monaſteriis vidi ego obſervatum) ſingulis Feriis tertiis ante Quatuor Tempora, Officium Defunctorum cum novem Lectionibus præcipiebat; videlicet ante Quatuor Tempora Quadrageſimæ, pro Defunctis patribus, matribus & conſanguineis Congregationis: ante Quatuor Tempora Pentecoſtes, pro fundatoribus; ante Quatuor Tempora Septembris, pro familiaribus ac fautoribus: in Adventu denique pro omnibus fratribus & ſororibus prædictæ Congregationis: quod poſtremum indicit Ceremoniale Monaſticum Congregationis S. Mauri *die* 14. *Novembris*, vel alia ſequenti non impedita. Breviarium verò Ordinis Prædicatorum, ſic habet 4. *Februarii* Anniverſarium patrum & matrum. 12. *Julii* Anniverſarium ſepultorum in Eccleſiis noſtris. 5. *Septembris* Anniverſarium Familiarium & Benefactorum Ordinis. 10. *Octobris* Anniverſarium Fratrum Ordinis. Breviarium Præmonſtratenſe 13. *Martii*, & *Feria* 3. *poſt Trinitatem*, ſignat *Anniverſarium ſolemne*.

Anniverſarium pro particulari ut ſtatuendum.

Pro ſingularibus verò, quorum ignotus eſt dies Obitus, ejus loco reponi poteſt vel dies quo primùm Obitus ipſe reſcitus eſt, vel quo Sacerdotium incepit, aut Profeſſionem religioſam emiſit, aut quodvis aliud præclarum virtutis edidit monumentum. Haud tamen author fuerim, ut præſcribatur dies quo natus ipſe fuerat, pari ratione quam de Sanctis ipſis actum ſuprà *libr.* 1. *cap.* 8. *quæſt.* 9.

QUÆSTIO XII.

An contingat non poſſe dici Officium Defunctorum prædictis diebus?

COntingit planè, quando videlicet incidunt dies illi in feſta aliqua ſolemniora, quorum tamen par non eſt ratio impediendi.

Officium pro Obitu ſeu Depoſitione Defuncti nõ fit in diebus Paraſceves & Paſchæ.

Durandus.

Nam primò, quoad diem Obitus ſeu Depoſitionis, duo dumtaxat dies ſunt, in quibus cùm liberum non ſit corpus Defuncti tradere ſepulturæ, nempe dies Paraſceves, & dies Paſchæ, ex Rituali Romano Pauli V. & Durando *libr. 7. capit.* 35. *num.* 17. neque etiam liberum erit Officium Defunctorum publicè perſolvere. Cæteris anni diebus nihil prohibet ejuſmodi Officio vacare: quamquam opportuna eſt uſuum aliquorum cautio, ut in feſtis ſolemnioribus, putà Nativitatis Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. Mariæ &c. id quàm fieri poteſt ſub veſperum, poſt expletum diei Officium differatur.

In aliis majoribus feſtis fit tamen ſub veſperum.

Pro die 3. 7. & 30. non fit in Duplicibus primæ & ſecundæ claſſis, nec in Dominicis diebus.

Secundò: Quoad diem Tertium, Septimum & Trigeſimum, item Anniverſarium, & quodcumque aliud Officium ſolemne pro Defunctis, excipit Gavantus *ſect. 9. cap. 2. num.* 20. Feſta primæ & ſecundæ claſſis, conformiter omnino menti Eccleſiæ: ex cujus item communiori uſu (omittente quidem Gavanto id dicere, haud tamen repugnante,) exceptione hac perinde comprehendendas cenſeo Dominicas omnes, cùm ne ipſa quidem Omnium Fidelium Defunctorum Commemoratio fiat in Dominica; & Miſſam itidem Defunctorum diebus Dominicis aliter ſacra Rituum Congregatio non concedat, quàm præſente & inſepulto corpore, 23. *Maji* 1603.

Anniverſaria non ſolita fieri in Duplicibus & Dominicis, nec certis aliis diebus privilegiatis.

Tertiò: Quoad denique Anniverſaria communia, ſeu quodcunque aliud Officium Defunctorum ritu non ſolemni celebrari ſolitum, placet Gavanti mox laudati reſolutio, qua parte ait, dici poſſe Officium Defunctorum iis omnibus diebus, quibus conceditur Miſſa de Requiem; conceditur autem *ex Rubr. 5. Miſſalis num.* 2. quocunque die, præterquam in feſtis Duplicibus & Dominicis,

Digitized by Google

Qua exceptione idem Gavantus à fortiori comprehendi aſſerit dies alios in quibus de Duplici fieri prohibetur, puta Vigilias Nativitatis, & Pentecoſtes, Fer. 4. Cinerum Fer. 2. 3. & 4. majoris hebdomadæ, dies infra Octavas Epiphaniæ, Paſchæ & Pentecoſtes, decernente ſic Sacra Rituum Congreg. *die* 38. *Aug.* 1627. faveteque uſus Eccleſiarum Bituricenſis, Turonenſis, Andegavenſis, & aliarum inſigniorum, apud quas prædictis diebus nulla præſcribuntur Anniverſaria. Cenſuit tamen eadem Congregatio *die* 1. *Sept.* 1607. & rurſus 20. *Jun.* 1626. tolerari poſſe Miſſas, adeòque Officium Defunctorum in Duplicibus quæ non ſunt de præcepto, ne teſtatorum voluntas adimpleatur. Qui ſenſus fuit Durandi cit. ſolos dies feſtos ab Officio Defunctorum eximentis. Qua parte verò ait Gavantus *num.* 20. etiam iis diebus, in quibus prohibetur Miſſa de *Requiem*, adhuc tamen recitari poſſe Officium Defunctorum, vix placet, niſi cùm teſtator id expreſsè ſignificarit: ex uſu enim communiori Eccleſiarum, Miſſa ſequitur Officium; ſicque omiſſo Officio, Miſſa quoque ipſa ſolet omitti.

Tolerantur in Duplicibus non præceptis.

QUÆSTIO XIII.

An & qua ratione prædicta Officia reſumi poſſint alia die?

Reſumenda eſſe nemo inficiabitur, maximè ubi ex legato, aliove pacto obligatorio incumbit ea perſolvere: ſed qua ratione? An transferendo prima die ſequenti libera? An anticipando pridie, aliove die præcedenti? An denique mutando in alium diem ſive præcedentem ſive ſequentem, quotannis deinceps retinendum? Primum magis probat Gavantus in *Rubr. Miſſ. parte* 1. *tit.* 5. *lit. y.* ob translationes ejuſmodi ſæpiùs à ſacra Congreg. factas. Secundum ſuadet Durandus *lib.* 7. *cap.* 35. *num.* 16. quò videlicet citiùs Defunctis conſulatur. Tertium neceſſarium planè eſt, quando dies, quo contingit Anniverſarium talis eſt, ut quotannis ipſum excludat: ſed tum mutatio illa, ait Gavantus, cùm perpetua ſit, ab eo facienda eſt qui poteſt commutare ultimas voluntates, ex Clement. *Quia contingit. de Relig. Dom.* Quando autem impedimentum perpetuum non eſt, ſic translatione utendum cenſuerim, ut quibus in caſibus anticipatio commodior erit, ea æquè adhibeatur: puta ſi occurrente Anniverſario in die Dominica, Feria 2. aut etiam 3. ſequens feſto aliquo impediatur, Sabbatum verò præcedens ſit liberum; nam alterutrius, ſive transferendi, ſive anticipandi uſum video in Eccleſiis ſatis communiter receptum.

Poſſunt vel transferri, vel anticipari, vel mutari.

Gavantus.

Durandus.

QUÆSTIO XIV.

Quæ ſit forma Officii Defunctorum?

Officium *pro mortuis*, ait Alcuinus *cap. penult.* & poſt illum Amalarius *lib.* 3. *cap.* 44. *ad imitationem agitur Officiorum quæ aguntur in morte Domini:* nempe inchoatur abſolutè, terminatur concisè: deſunt in eo Capitula, Hymni, Abſolutiones, Benedictiones, Concluſiones Lectionum &c. ut in triduo majoris hebdomadæ. Aliorum Officiorum more habet Veſperas (à quibus incipit) & Vigilias, ut vocant, ſeu Matutinum cum Laudibus, ſed abſque cæteris Horis, inquit Radulphus *prop.* 20. fortè quòd non ſit Officium illud Canonicum, ſeu nulla unquam die pro Canonico præſcribatur, ſed extraordinariè tantùm, ac præter Officium diei proprium; unde opus non fuit parvas ei Horas tribuere, quippe in quibus præter Pſalmos omni Officio communes, pauca ſunt ad Officium quod fit qualibet die ſpe-

Fit ad modum Officii tridui mortis Chriſti.

Habet tantùm primas Veſperas ſine horis.

Guyet. Heortologia.

ctantia. In quibus tamen Eccleſiis die 2. Novembris, aut etiam quandoque aliàs unicum dumtaxat præſcribitur Officium Defunctorum, in iis itidem diſpoſitæ habentur Horæ Prima, Tertia, Sexta, & Nona: ſed uti primum illud minimè probatori ſumus poſtea, ita nunc poſtremum hoc, utpote ſuperfluum & inutile, ſatius eſſe ducimus explodere.

Caret item Officium Defunctorum ſecundis Veſperis, tum ad minorem Officii ſolemnitatem, ait Gavantus *nu.* 7. tum ob myſterium, ex Durando *libr.* 5. *cap.* 9. *num.* 10. quòd videlicet ſecundæ Veſperæ, cùm ad poſtremam eamque completam Sanctorum in corpore glorificationem referantur, haud competunt iis, quos necdum ipſam animæ gloriam adeptos fuiſſe ſupponimus. In quo ſanè minùs laudabilis videtur uſus Turonenſis, qui ſecundas Veſperas, ac ſubinde Completorium contra communem aliorum morem tribuit Officio Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. Qua item ratione laudandi non ſunt qui Miſſam Vigiliis anteponunt, illam mane, has veſpere ejuſdem diei decantantes. Reliqua quæ in hoc Officio dubia eſſe poſſunt, ſolvent ſequentes quæſtiones.

Caret ſecundis Veſperis.

Uſus Turon.

QUÆSTIO XV.

Quandonam dicendæ novem Lectiones in Officio Defunctorum, quando verò tres?

Matutinum Officii Defunctorum conſtat novem Lectionibus ſeu tribus Nocturnis, qui aliquando omnes dicuntur, aliquando unus tantùm cum tribus Lectionibus. Et quidem novem Lectiones ſeu tres Nocturnos Rubrica Breviarii Romani præſcribit dumtaxat in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & die Depoſitionis Defuncti: imò & in hoc tres tantùm Lectiones ſeu Nocturnum unum poſſe dici concedit Rituale Pii V. Idemque à fortiori inferas pro die Tertio, Septimo, Trigeſimo & Anniverſario. Ubi tamen ex legato, fundatione, aliave ſimili obligatione, mos eſt, ut iis diebus novem Lectiones ſeu tres Nocturni abſolvantur, ii omnino retineri debent, præſertim ſi cum ſolemnitate fiant.

Novem Lectiones in die Comme. Defunct. & in die Depoſitionis.

Aliàs in Officio communi Defunctorum dicitur tantùm unum Nocturnum cum tribus Lectionibus ordine in Rubricis deſcripto, videlicet Feria 2. & 5. primum, Feria 3. & 6. ſecundum, Feria 4. & Sabbato tertium. Quamquam ex Amalario *libr.* 4. *capit.* 42. habemus in aliquibus Eccleſiis ſervatas fuiſſe olim initio menſis novem Lectiones, itemque ex Radulpho *propoſ.* 16. *&* 20. in Feriis Adventus & Quadrageſimæ, perinde atque in diebus Depoſitionum & Anniverſariis. Quæ ratio pro Feriis Quadrageſimæ in uſu adhuc eſt in quibuſdam Eccleſiis, ſed quam ad Romanam reducere nihil vetat.

In Officio Communi tres tantùm Lectiones.

Amalarius.

Radulphus.

Eſt autem obſervandum, quòd cùm à prandio dicitur Matutinum Defunctorum trium Lectionum, ſumitur Nocturnum diei ſequentis, puta Feriæ ſecundæ, ſi fuerit Dominica; Feriæ tertiæ, ſi fuerit Feria ſecunda, & ſic de aliis. Illud enim Officium pertinet propriè non ad præſentem ſed ad ſequentem diem.

Pridie à prandio dicitur nocturnum diei ſequentis.

QUÆSTIO XVI.

Quandonam Officium Defunctorum fiat Duplex?

Ex Rubrica 1. *de Officio Duplici num.* 1. fit in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, & in die Obitus ſeu Depoſitionis Defuncti. Annon item aliàs? Haud negaverim in die Tertio, Septimo, Trigeſimo & Anniverſario, ſeu

In Comm. Defunctorũ & die Obitus. In 3. 7. 30. & Anniverſario.

quandocunque ſolemniter dicuntur tres Nocturni; à qua reſponſione non abit Gavantus *ſect. 9. cap. 2. numer.* 3. Et verò conformis eſt admodum conſueto Rubricarum tenori: quamquam haud planè negaverim in Officio novem Lectionum minus ſolemni poſſe ritum adhiberi Semiduplicem, ut videlicet non duplicentur Antiphonæ, juxta uſum multarum Eccleſiarum.

Gavantus.

Interdum quoque in Officio triū Lectionum.

Quid ſi in die Obitus, aut in alio quovis Officio ſolemni dicatur tantùm unum Nocturnum, an duplicandæ erunt nihilominus Antiphonæ? Erunt, Rituali Romano Pauli V. haudquaquam id in die Obitus detrectante.

QUÆSTIO XVII.

Quandonam dicendum Invitatorium cum Pſalmo Venite exultemus, *& Reſp.* Libera me Domine de morte &c?

NOn aſſignat Rubrica quoad Invitatorium, niſi diem Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & diem Depoſitionis Defuncti. Quoad Reſponſorium verò, ipſum itidem diem Commemorationis Defunctorum, & quandocunque dicuntur novem Lectiones: quod poſtremum pro Invitatorio æquè valere ſentit citatus antè Gavantus, in die Tertio, Septimo, Trigeſimo & Anniverſario, *& regulariter*, inquit, *quando tres Nocturni dicuntur*, ex Durando *libr. 5. cap.* 3. At ſi dicatur unum tantùm Nocturnum, valebitne itidem? Non valebit pro Reſponſorio, obſtante Rubrica expreſſis illis verbis, *quandocunque dicuntur novem Lectiones*. Sed nec pro Invitatorio conſequenter, niſi in die Depoſitionis ſeu Obitus, & quandocunque aliàs Officium fuerit ſolemne: præſtare verò tum ut dicantur novem Lectiones, ſuprà ſignificavimus.

Durandus.

QUÆSTIO XVIII.

Quandonam omittendus Pſalmus in precibus ad Veſperas & Laudes?

STando præciſis Rubricæ verbis, tantùm in die omnium Fidelium Defunctorum. Extendit Gavantus citatus ad diem Depoſitionis, ſi tres Nocturni dicantur, ex Rituali Pauli V. imò & pari ratione quandocunque fit Officium duplex: quod poſtremum vix ego aſſeverare audeo, ob reſtrictionem Rubricæ, cui alioqui facile erat addere, *Et in die Depoſitionis Defuncti*.

QUÆSTIO XIX.

Quandonam unica, & quæ dicenda Oratio?

Orationes diverſæ pro Defunctis.

OCto poſitæ ſunt Orationes in Officio Defunctorum, quarum tres priores dicuntur ſub una concluſione, eaque breviori, in Officio communi initio menſis, & in Feriis 2. Adventus & Quadrageſimæ generatim recitando. Aliàs verò, quandocunque ſaltem fit duplex, dicitur una tantum Oratio, nempe *Fidelium* in die Commemorationis Defunctorum. *Abſolve quæſumus*, in die Depoſitionis Defuncti. *Deus indulgentiarum*, in Anniverſario, quocunque die fiat: cæteræ verò pro particularibus ſunt, nempe *Deus qui nos patrem*, pro patre & matre, ſive Sacerdotis ſive cujuſvis alterius recitantis; ab alio autem nequaquam pronuncianda. *Inclina Domine*, pro uno Defuncto. *Quæſumus Domine*, pro una Defuncta, ambæ uſurandæ extra diem Obitus, & Anniverſariam. Non repugnarem admodum, ſi quando ex Miſſali aſſumantur Orationes propriæ, putà pro Summo Pontifice, pro Epiſcopo &c.

Porrò Orationes ejuſmodi cùm ſic ſolæ dicuntur, habent concluſionem integram, *Per Dominum noſtrum*. In Rituali tamen Orationi *Abſolve quæſumus*, apponitur tantùm brevis concluſio, *Per Christum Dominum noſtrum*: cujus diſcriminis cauſam eſſe conjicio, quòd non ibi terminetur Officium, ſed continenti filo pergatur ad exequias: Aliàs verò integram habet concluſionem. Ex Rituali item colligitur, cùm pro uno fit Officium, Verſus Orationem præcedentes ac ſequentes, perinde ac ipſam Orationem debere dici in ſingulari numero; ita cenſet Gavantus *num.* 3.

Quandocunque una eſt tantùm Oratio, integram habet concluſionem.

Poſſunt denique eædem Orationes ſingulares aſſumi primo vel ſecundo loco, quando videlicet plures dicuntur in Officio non ſolemni. Non videntur autem plures quàm tres dici debere ſub una concluſione, ad inſtar trium pro Officio generali poſitarum; & in iis talis ordo ſervandus, ut quæ generalior eſt poſtremo loco ponatur, putà *Fidelium* poſt quaſvis alias.

In Officio non ſolemni plures non ſunt dicendæ quàm tres.

QUÆSTIO XX.

Eſtne Defunctorum nomen in Oratione ſemper exprimendum?

ESt, ubicunque interjicitur in textu Orationis litera N. ut in Oratione in die Obitus, item in die Tertio, Septimo & Trigeſimo, item in Oratione pro Papa, Epiſcopo, Sacerdote. Ubi verò prædicta litera non interponitur, argumentum eſt eſſe omittendum, puta in Orat. *Inclina*. *Quæſumus Domine pro tua &c.* Excipit Gavantus *parte 4. Miſſalis tit.* 18. *num.* 16. ſi Defunctus eſt nobilis, multò magis ſi Princeps, Rex, aut Imperator: horum enim non tantùm nomen, ſed & qualitas ipſa Regis aut Imperatoris ſolet exprimi. Item ſi conſuetudo fuerit nominandi omnes in Collecta & Oratione: quod affine eſt antiquo ritui Defunctorum nomina in Diptychis recitandi: de qua re vide eumdem Gavantum, & quos citat *part. 2, tit. 9. lit. C.* Haud tamen putaverim in Oratione pro patre & matre Sacerdotis exprimenda eorum nomina, cùm ambo textu ipſo ſatis deſignentur.

Nobilium nomina exprimenda.

Gavantus.

QUÆSTIO XXI.

Ut jungendum Officium Defunctorum cum Officio diei?

IN Officio ordinario, Veſperæ dicuntur pridie poſt Veſperas diei, in quibus dicto *Benedicamus*, ſtatim inchoatur abſolutè Antiphona *Placebo*. Matutinum verò cum Laudibus poſt Laudes, dicto itidem *Benedicamus*, inchoatur abſolutè ab Antiphona Nocturni, vel Invitatorio, ſi dicatur. In fine verò dicto ℣. *Requieſcant in pace*, ſi non ſequatur Completorium aut Prima, exiſtimo dicendum ſecretò *Pater*: quippe quo terminari debet Officium Laudum & Veſperarum, nulla alia hora ſubſequente. Abſtinendum tamen à ℣. *Dominus det nobis ſuam pacem*, & Antiphona finali B. Mariæ, *ex Rubr. 36. num.* 3.

Extraordinarium verò Officium itidem jungendum erit, ſi immediatè ſequatur poſt Veſperas & Laudes diei; itidemque ſi poſt Tertiam, Sextam, & Nonam. Si verò poſt Completorium, dicto in fine ipſius *Pater*, *Ave*, *& Credo*. Si poſt Primam, non improbarem, ut dicto Verſu, *Dominus nos benedicat*, uſque ad *vitam perducat æternam*, reſpondeatur *Amen*, & omiſſo *Fidelium animæ*, inchoetur Officium Defunctorum, conformiter *Rubr. 30. num.* 3.

QUÆ-

QUÆSTIO XXII.

Ut inchoandum ac terminandum cum ſeorſim dicitur ab Officio diei?

SEorſim dicitur in multis Galliæ uſibus propriis die 2. Novembris; in quibus videlicet nullum de Octava omnium Sanctorum, ſed ipſum unicum Defunctorum præſcribitur Officium: & hi quidem ante Horas *Pater*, & *Ave*; & inſuper ante Matutinum & Primam, *Credo*, ſecretò dicendum præſcribunt congruo prorſus ordine.

Præterea ſeorſim dicitur Officium Defunctorum in exequiis; quæ ſi mane fiant, exiſtimat Gavantus *num.* 6. omittendas tum Veſperas ante Matutinum, quòd mane non ſit Veſperarum tempus.

Varia ratio jungendi Anniverſaria Defunctorum cum Officio diei.

Extra exequias in Anniverſariis aliiſque votivis Officiis, utplurimum dicitur conjunctim cum Officio diei in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis; nimirum Veſperæ cum Matutino & Laudibus pridie pomeridianis horis, vel poſt Nonam diei, vel poſt Veſperas, nonnunquam poſt Completorium; quem fuiſſe multorum uſum ſuo tempore obſervat Rad. *prop.* 20. In quibuſdam, dictis pridie Veſperis cum Matutino, Laudes reſervantur in craſtinum dicendæ cum Miſſa, vel poſt Laudes diei, vel poſt Primam, aliamve ex minoribus Horis. Quæ ratio minùs laborioſa eſt, quàm ſi Officium totum, ſeu Vigiliæ cum Laudibus, ac deinde Miſſa mane poſt Laudes vel Primam continenter decurratur, ut ſit in Eccleſia S. Martini Turonenſis.

Non videtur præmitti debere Orationem Dominicam.

At ubicumque ſeorſim dicitur ab Officio diei, ſive in Choro, ſive privatim id fiat, ante Veſperas ac etiam ante Matutinum, præmittendam ſecretò Orationem Dominicam inde conjiciunt aliqui, quòd ita præſcriptum ſit in Cæremoniali Papæ pro Veſperis Defunctorum cantandis in die feſto Omnium Sanctorum, omiſſis ſecundis Veſperis Feſti, ne videlicet, inquit Gavantus *num.* 5. Veſperæ ipſæ Defunctorum inchoentur ex abrupto. Idem habetur in Cæremoniali Epiſcoporum, etiam dictis priùs Veſperis præfati feſti. Hoc ſi quis in praxi ſervare velit, haud equidem repugnabo, videtur enim non incongruum; aſſentior tamen libentiùs Gavanto neganti id regulariter fieri debere, eò vel maximè, quòd Rituale Romanum nihil ejuſmodi præſcribat, cùm tamen agat de Officio ſeparatim dicendo Horis Canonicis.

Neque item addi in fine.

An verò eo expleto dicendum ſit ſecretò *Pater*? Reſpondeo perinde atque de initio, poſſe addi congruè, ſed non ex obligatione. Item an cùm dividitur Matutinum à Laudibus, dicendæ ſint in fine Matutini, preces ſine Pſalmo cum Oratione, ut videlicet congruo fine terminetur? Concedit Gavantus *num.* 5. ſuadetque quod diximus *lib.* 2. *cap.*19. *quæſt.*2. de ratione terminandi Matutinum cùm dividitur à Laudibus. A contrario verò ſi poſt Veſperas immediatè ſequatur Matutinum, haud item inferas ea, omittendas tum preces & Orationem poſt *Magnificat*, uti præſcribunt antiqua quædam Breviaria; eò quia dicendæ ſunt iterum in fine Laudum; cùm enim Veſperæ & Laudes duæ ſint Horæ diſtinctæ, debent ſuam quælibet habere terminationem.

Preces dicendæ in fine Matutini, cùm ſeparatur à Laudibus.

Non omittendæ in fine Veſperarum etiamſi ſequatur Matutinum.

Decretum ne Officium Comm. Defunctorum pridie recitetur.

Valerent iſta omnia pro Officio Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum pridie recitando tam privatim quàm in Choro, niſi obſtaret citatum à Gavanto Decretum Sacræ Rituum Congregationis 1. *Septemb.* 1607. declarans illud mane eſſe recitandum, ſoliſque concedit Epiſcopis Cæremoniale ipſorum *lib.*2. *cap.*10. ut in ſuis Eccleſiis cum ſuo Clero poſſint prædictum Officium pridie anticipare, quò liberiores ſint ad Miſſam ſolemniter pro Defunctis decantandam. At

Guyet. Heortologia.

quis Parochus aut alius Eccleſiæ Rector parem non poſſit cauſam prætendere? An verò locum habeat ejuſmodi Decretum in iis uſibus, in quibus unicum præſcribitur ea die Officium Defunctorum, nollem ego protinus aſſerere; tum quia uſus illi ſui juris ſunt, ut ſupponitur, adeòque Romani legibus ac decretis minimè obnoxii; tum quia privilegium pridie anticipandi proprium cujuslibet diei Officium perinde ad hunc diem pertinet, atque ad quemcumque alium: ergo ſi pro quocumque alio valet, valere debet & pro iſto.

QUÆSTIO XXIII.

Eſtne varietas Uſuum in Officio Defunctorum?

Varietas in Veſperis.

EST multa ſatis. Et primò quidem quoad Veſperas, quinque Pſalmos aliqui ſub una Antiphona convolvunt, nullo addito verſu. Habetur in Carnutenſi Capitulum *Audivi vocem*, itidem in Laudibus. In Bituricenſi Reſponſorium prolixius *Congregati ſunt*, pro ſolemnioribus Officiis. Antiphonam ad Magnificat aliqui habent, *Sancta ergo & ſalubris*, alii *Audivi vocem*, alii *Lux æterna*, alii *Qui Lazarum*, alii *Tuam Domine depoſcimus pietatem*, alii *Abſolve Domine animas* &c. Precibus aliqui inſerunt verſus, *Credo videre*. *Animæ eorum in bonis*. *Non intres in judicium*. *Ne tradas beſtiis*. *Domine miſericordia tua in ſæculum*. Collectas denique ſeu Orationes pauci habent plures quàm in Romano, quæ infrà recenſebuntur ubi de Miſſa.

In Matutino, Sculthingius.

Quoad Matutinum, recenſet Sculthingius *tom.* 2. *part.* 2. Invitatorium *Circumdederunt me gemitus mortis*, quod habent pleraque Breviaria Germaniæ. Pſalmos tres cujuſque Nocturni aliqui ſub una Antiphona recitant. Pſalmos item alios adhibent, nempe, *Uſquequo Domine*. *In te Domine ſperavi*. *Judica Domine nocentes me*, ſub Antiphonis ex iiſdem Pſalmis decerptis. Alios item Verſus, *Anima eorum*. *O Domine libera animam meam*. *Nihil proficiet inimicus*. *A porta inferi*. *In memoria æterna*. *Credo videre*. *Anima mea turbata eſt*. *Audivi vocem*. *Anima noſtra ſuſtinet Dominum*. *Convertere Domine, & eripe me*. *In loco paſcuæ* &c. Singularis eſt uſus S. Martini Turon. ut ante Lectiones præmittatur Abſolutio, videlicet in primo nocturno, *Precibus & meritis Beatæ Virginis Mariæ & omnium Sanctorum & Sanctarum, requiem æternam dona eis Domine*. In ſecundo, *Precibus & meritis Beatorum Apoſtolorum tuorum, requiem æternam dona eis Domine*. In tertio, *Precibus & meritis Beatiſſimi Martini egregii Confeſſoris, requiem æternam dona eis Domine*.

Abſolutiones ante Lectiones.

Varietas Lectionum.

Lectiones novem alias refert Sculthingius citatus, nempe, *Ne des alienis* &c. Prov. 5. *Melius eſt nomen bonum* &c. Eccli. 7. *Memento Creatoris tui* &c. Eccl. 12. *Vivent mortui* &c. Iſa. 26. *Hæc dicit Dominus, De manu mortis* &c. Oſeæ 13. *Multi de his qui dormiunt*. Dan. 12. *Sicut in Adam omnes moriuntur*. 1. Cor. 15. *Ecce myſterium vobis dico*. ibidem. *Ipſi fratres diligenter ſcitis*. 1. Theſſ. 5. Harum tres priores reperi in Rituali quodam Romano edito Pariſiis an. 1607. cum hacce ad quamlibet terminatione, *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, quam in uſu eſſe in quibuſdam Eccleſiis loco *Tu autem Domine*, teſtatur Durandus *lib.* 7. *cap.* 35. *num.* 33. Omnes verò præfatæ novem Lectiones habentur in antiquis Breviariis Germaniæ, Ratiſponenſi, Herpipolenſi, Eyſtetenſi & aliis, appellanturque Vigiliæ minores eæ in quibus leguntur ejuſmodi Lectiones; aliæ verò in quibus leguntur Lectiones Job, majores. Apud noſtrates unam dumtaxat ex illis uſitatam invenio, nempe *Ecce myſterium*. Ex quo eodem Pauli loco Rothomagenſe Breviarium octo integras aſſumit pro die Commemorationis omnium Defunct. & nonam de Epiſtol. 1. ad Theſſal. 4. *Nolumus vos ignorare*. Quo item die Pariſienſe in tertio Noct. Senonenſe

Durandus.

etiam in ſecundo aſſignant ſermonem S. Auguſtini, *Admonet Beatus Apoſtolus*, ſerm. 34. de verbis Apoſtoli. Ordo verò Prædicatorum novem de eodem S. Auguſt. ex Enchiridio capit. 108. *Tempus quod inter hominis mortem & ultimam reſurrectionem interpoſitum eſt &c.* In Lectionibus Job, quæ communiori uſu aſſumuntur, Rhemenſe quartam incipit ab illis verbis, *Quantas habeo iniquitates*, omiſſo *Reſponde mihi*. Sextam idem Rhemenſe, *Lignum habet ſpem*, ex capit. 14. Senonenſe verò ſeptimam. Octavam idem Rhemenſe, *Ecce enim breves anni tranſeunt*, & nonam *Scio quod Redemptor meus vivit*.

Varietas Reſponſoriorum.

Præter Reſponſoria communia hæc in variis uſibus habentur, *Scio Domine quia morti me traditurus es. Requiem æternam. Abſolve Domine animas eorum. Si facta mea recogitare. Redemptor meus vivit. Rogamus te Domine. Ne perdideris me Domine. Ne tradas me Domine beſtiis. Quomodo confitebor tibi. Libera Domine animas eorum. Congregati ſunt &c.* Reſponſorii verò noni, *Libera me Domine de morte æterna*, Verſus hi inſuper reperiuntur, *Vix juſtus ſalvabitur. Creator omnium Deus. Contremunt Angeli. Quid ego miſerrimus. Vox de cœlis ò mortui. Plangent te ſuper ſe. Nunc Chriſte te deprecor &c.*

Brev. Eyſtetenſis in Germania.

Eſt penes me Breviarium antiquum Eccleſiæ Eyſtetenſis in Germania, in quo habentur plura alia Reſponſoria; imò triplex integrum novem Lectionum Officium pro Defunctis, primum Commune, ſecundum in die Animarum, tertiùm pro Commemoratione fratrum, & hoc poſtremum non tantùm Reſponſoria, ſed etiam Antiphonas, Verſus, Lectioneſque habet ab aliis planè diverſas.

Varietas in Laudibus.

Pſalmos Laudum æquè ac Veſperarum nonnulli ſub una colligunt Antiphona; alii ex quinque primam ſic variant, *Dele Domine. Secundum magnam. In iniquitatibus. Sacrificium Deo.* Quartam item, *Eruiſti animam meam ut non periret.* Placet aliis Pſalmus 2. *Domine exaudi orationem meam, auribus &c.* 142. Antiphonam ad *Benedictus* hanc habet Pariſ. *Credo Domine Deus meus*. Ambian. *Anima fidelium quas &c.* ab aliis reponitur, *Omne quod dat*. Quæ omnia placuit referre, ut videas quàm non præſtent Romano uſui, imò ſint ipſi applicatione juxta & coordinatione poſtponenda.

QUÆSTIO XXIV.

An poſſit Officium Defunctorum haberi loco Officii Canonici, ita ut ſolum impendatur?

Ita ferunt varii uſus Galliæ.

PErſeverat in pleriſque Galliæ Diœceſibus receptus pridem uſus ejuſmodi, ut in die Commemorationis omnium Defunctorum unum pro Defunctis perſolvatur Officium. Ita in Breviariis Rothomagenſi, Bituricenſi, Senonenſi, Turonenſi, Pariſienſi, Meldenſi, Andegavenſi, Ambianenſi, Ordinis Prædic. & aliis. Quin & idipſum aſſignat proprium Pictavienſe in Calendario 30. *die Januarii*, 17. *Junii*, & 4. *Septembris*: quibus diebus unicum itidem pro Defunctis præſcribitur Officium ritu Duplici, conſtatque Veſperis & Completorio pridie, poſtridie verò Matutino & Horis uſque ad Nonam incluſivè, cum hocce monito ad finem, *Qui voluerint, poterunt recitare Officium diei ſeu feriæ currentis ad libitum, non ex præcepto.*

Uſu Pictavienſi ter in anno fit Officium Defunctorum pro Officio diei.

Reprobatur ejuſmodi uſus.

Verùm ea agendi ratio, peregrina prorſus & ab uſu Romano perquàm aliena, nedum legitimè de novo aſſumi poteſt ab ulla Eccleſia, ut ab iis etiam præſtet abrogari, quibus in uſu eſt; nefas verò ſit Romano Breviario adſtrictis eam ullatenus retinere: nulla id liberum relinquente Rubrica, imò præter currentis diei Officium, alterum illud Defunctorum expreſſis verbis etiam extra Chorum præſcribente, ut notat Suarez *libr. 4. de Horis Canon. cap. 25. num. 9.* & alii poſt ipſum.

Suarez.

Eccleſiæ multæ in Gallia contrarium uſum habentes.

Sed nec Romanus id tantùm uſus habet, iſque antiquiſſimus, cùm & eadem ſit praxis duarum inſignium valdè Eccleſiarum, Rhemenſis & Carnutenſis, neſcio annon & aliarum ſuis adhuc propriis uſibus addictarum. Id verò disertè præcipiunt antiqua omnia Breviaria, Majoris Monaſterii, Cadomenſe, Fontiſebraldi, aliaque Monaſtica; Biterrenſe item MS. ducentis annis antiquius.

Prætextus ejuſmodi relaxationis.

Unde magna mihi oritur ſuſpicio tentatum id primùm ea perſuaſione, quòd unius Officii recitatio ſatis ſit exolvendo penſo diurno, ex mente Eccleſiæ. Et verò ſatis quidem eſt in concurſu Officii de Sancto v.g. cum Officio Feriæ, vel Octavæ; tunc enim unicum fit Officium de majore ſeu digniore, cum commemoratione minùs digni: at non eadem eſt ratio Officii Defunctorum, tum quia nec hujus cum alio, aut alterius cum illo talis convenientia eſt, quæ commemorationem unius in Officio alterius admittat; tum quia hujus, & alterius cujuſcumque Officii, ſeu de Tempore ſeu de Feſto, diverſi ſunt fines, ad quos ab Eccleſia diriguntur.

Diverſi fines Officii vivorum, & Defunctorum.

Nam Officii de Tempore vel de Feſto finis ab Eccleſia intentus eſt, ſupremi Dei laudes enarrare, ejuſque magnalia ſive in mundi creatione & conſervatione, ſive in miſericordiſſima humani generis per Filium ſuum unigenitum hominem factum reparatione, ſive in Sanctorum ſuorum glorificatione prædicare; unde & Officium ipſum divinum appellatur, quòd ad Dei laudationem maximè, tamquam ad proprium & innatum ſibi finem pertineat, juxta illud Davidis Pſalm. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me*; eaque ratione λατρευτικὸν eſt, & εὐχαριστικὸν, perinde atque Miſſæ Sacrificium, ab Eccleſia itidem quolibet die eo fine, juxta multiplicem temporum feſtorumque obſervantiam deſtinatum & injunctum. Officii verò Defunctorum finis ab Eccleſia intentus talis non eſt, ſed magis impetratorius, quo videlicet Defunctis ipſis, pro quibus impenditur, liberationem à Purgatorii pœnis precando obtineat: qua ratione accedit proximè ad Sacrificium, quatenus ipſum quoque impetratorium eſt & ſatisfactorium.

Hanc ego rationem, quamquam à nemine alio quem ſciam adductam, haud tamen facilè à quoquam non admiſſum iri putaverim, qui eam perſpiciet cum receptiſſimis in Theologia de Sacrificii fine aſſertionibus optimè cohærere, quam & ſequens obſervatio illuſtrabit.

Argumentum à formis ordinum.

Forma ordinationis Presbyterorum ex Pontificali Romano ſic habet: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, Miſſaſque celebrandi, tam pro vivis quàm pro defunctis.* Quæro quid ſibi vult illud, *Tam pro vivis quàm pro defunctis*, quod itidem habetur in forma Ordinationis Diaconorum & Subdiaconorum? Certè non afficit diſtinctio illa differentiam Miſſæ pro defunctis, à Miſſa pro vivis, quoad textum ſeu tenorem verborum; cùm enim tam differat Miſſa Nativitatis Domini v.g. à Miſſa S. Stephani, quàm Miſſa *de Requiem* à quacumque alia vivorum, tam debuiſſet exprimi in forma ordinationis diſcrimen illud quàm iſtud. Neque item cadit præcisè diſtinctio illa in oblationem, quam facit Sacerdos: poteſt enim ipſe & Miſſam de Dominica vel Feſto, æquè pro defunctis offerre, ſeu ſacrificii vim fructumque iis applicare, atque cùm celebrat Miſſam *de Requiem*: in quacunque enim Miſſa certus extat ac determinatus Sacrificii valor, ex meritis Chriſti tamquam principalis offerentis proveniens; iſque fructus eſt, quem ex opere operato iis, pro quibus offertur, conferri aſſerunt communiter Theologi; & hujus quidem fructus qui in remiſſione pœnæ conſiſtit, capaces ſunt maximè Fideles Defuncti in Purgatorii pœnis detenti, quibus proinde in quacunque Miſſa poteſt applicari à Sacerdote. Non eò igitur ſpectat diſtinctio illa, *Tam pro vivis quàm pro defunctis*, ſed

eam

Digitized by Google

eam revocari oportet ad cultum Sacrificii, ut loquitur Suarez *tomo 3. in 3. partem diſp. 78. ſect.* 1. ſeu ad ritum & modum, quo Sacrificium ipſum ab Eccleſia aliter pro vivis, & aliter pro Defunctis offertur: nempe in Miſſia vivorum, de quocumque ea ſint, ſive de Sancto, ſive de Tempore, intendit Eccleſia primariò cultum Dei, quatenus Sacrificium quod offertur, pro fine ſuo primo habet, ut honor Deo, cultuſve ſummus exhibeatur; item ut gratiæ pro collatis, ſive Sanctis qui recoluntur, ſive toti Eccleſiæ beneficiis, eidem rependantur, qui alter finis eſt Sacrificii quatenus *εὐχαριστικὸν* eſt. Denique ut beneficia item impetrentur tam ſpiritualia quàm temporalia, quæ toti Eccleſiæ generatim proficua ſunt ac neceſſaria. Et hi quidem fines ſic ab Eccleſia intenduntur, ut à Sacerdote non poſſint immutari vel excludi; exprimuntur enim verbis, ſeu Orationibus, quibus Miſſa ipſa conſtat, & quas Sacerdos, ut pote Eccleſiæ quoque ipſius Miniſter, ejus nomine pronunciat.

Diſpar ratio & ritus Miſſarum pro Defunctis ab aliis Miſſis.

At in Miſſis mortuorum, ſeu ut vocant *de Requiem*, licèt Sacrificium ex ſe tum atque aliàs habeat ut ſit *λατρευτικὸν* & *εὐχαριστικὸν*, ex intentione tamen Eccleſiæ non attenduntur ii fines, ſed offertur maximè quatenus propitiatorium ſeu ſatisfactorium, ut colligitur tum ex verbis & precationibus, quibus tota ejuſmodi Miſſa conſtat, quæque eædem ſunt pro omnibus Defunctis, nec variantur ſicuti quotidie variantur Miſſæ vivorum: tum ex ritu ſeu cæremoniis in ejuſmodi Miſſis mortuorum adhiberi ſolitis, quæ in multis diſcrepant à ritu & cæremoniis aliarum Miſſarum; in iis enim multæ ſupprimuntur benedictiones, parcior adhibetur thurificatio, cæteraque lætitiæ ac ſuavitatis ſymbola removentur, perinde atque in veteri lege prohibitum erat oleum & thus pro peccato offerri, inquit Durandus *lib. 7. cap.* 34.

Durandus.

Ad hoc itaque diſcrimen Miſſarum pro vivis & pro Defunctis quoad cultum ac ritum, referri debet diſtinctio illa poſita in formis Ordinationum, *Tam pro vivis quam pro defunctis*. Ex qua demum diſtinctione quoad Miſſam, illuſtratur par omnino diſcrimen Officii Defunctorum ab Officio vivorum, adeò ut ſicut alius eſt finis ac ritus Miſſæ vivorum à Miſſa Defunctorum, itidem eſt & Officii; ac proinde cùm Miſſa pro Defunctis nunquam cenſeatur Miſſa diei propria, ſed præter Miſſam Officio diei reſpondentem celebrari debeat (ſaltem in Cathedralibus & Collegiatis, in quibus Officium ipſum in Choro quotidie decantatur): pari ratione Officium ipſum Defunctorum nunquam pro Officio diei cenſeri debet, ſed præter ipſum perſolvi, prout videlicet Depoſitio, Anniverſarium, aliave obligatio ſeu devotio exigit.

Diſpar ſimiliter ratio Officii Defunctorum ab omni alio Officio.

Dices: Rubrica 5. Miſſalis præcipit, ut prima die cujuſque menſis non impedita dicatur Miſſa principalis generaliter pro Defunctis; itidem & Feria 2. cujuſlibet hebdomadæ, in qua Officium fit de Feria: ergo Miſſa pro Defunctis poteſt eſſe Miſſa dici propria. Reſpondeo negando conſequens; quòd enim iis diebus Miſſa principalis, adeòque unica pro Defunctis concedatur, id fit quia nulla alia eſt propria diei; ſupponitur enim expreſsè à Rubrica, Feriam occurrentem non habere Miſſam propriam, nec in ea reſumendam Miſſam Dominicæ præcedentis; unde locus liber planè eſt Miſſæ Defunctorum, quæ licèt tum Miſſa principalis ſit, haud tamen dicenda eſt propria diei, cùm ipſa non conveniat cum Officio. At Officium quolibet die proprium aſſignatur, adeòque ſicut diebus, quibus habetur Miſſa propria, ſi qua occurrat alia dicenda, ſive pro Defunctis, ſive pro quacumque alia neceſſitate, ea dici debet præter Miſſam diei propriam; pari jure, ſi quod Officium pro Defunctis quocunque die occurrat peragendum, illud præter Officium diei perſolvi debet, perinde atque Pſalmi Graduales, Pœnitentiales & Litaniæ, aliaque ejuſmodi Officia extraordinaria, præter diei Officium recitantur.

Solvitur objectio.

Guyet. Heortologia.

QUÆSTIO XXV.

Quibus diebus ordinariè dici debeat Miſſa Defunctorum?

EAdem ferè Miſſæ ratio, quæ Officii, adeòque quibus diebus dicitur Officium, iiſdem regulariter dicitur & Miſſa. Et ordinariè quidem ſeu ex præſcripto Rubricarum

In Comm. Omnium Defunct. 2. Novembr.

Dicitur primò, in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum *die 2. Novembris* ex propria Rubrica, quæ tam intelligitur de Miſſis privatis quàm de principali. In Eccleſiis verò Cathedralibus & Collegiatis dici debent ex eadem Rubrica duæ Miſſæ, una de Octava omnium Sanctorum poſt Tertiam, alia pro Defunctis poſt Nonam. Id autem ſic de novo ſtatutum fuit, inquit Gavantus, *part. 4. tit.* 15. *num.* 18. quia in Miſſa *de Requiem* fieri non poteſt commemoratio illius de quo factum eſt Officium.

Prima die menſis non impedita.

Secundò: *Prima die cujuſque menſis extra Adventum, Quadrageſimam & Tempus Paſchale; non impedita Officiò Duplici, vel Semiduplici, dicitur Miſſa principalis generaliter pro Defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus & aliis: ſi verò in ea fuerit feſtum Simplex vel feria, quæ propriam habeat Miſſam*, qualem habent omnes Vigiliæ, *aut reſumenda ſit Miſſa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita, & infra hebdomadam non occurrit alius dies in quo reſumi poſſit, in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, dicuntur duæ Miſſæ, una pro Defunctis, alia de Feſto ſimplici vel Feria prædicta. Sed in Eccleſiis non Cathedralibus nec Collegiatis, dicitur Miſſa de die cum commemoratione generaliter pro Defunctis*. Ita Rubr. 5. num. 1.

Feria 2. cujuſlibet hebdomadæ.

Tertiò: Ex eadem Rubrica num. 5. *Feria 2. cujuſque hebdomadæ, in quo fit Officium de Feria, Miſſa principalis dici poteſt pro Defunctis*. Vox *poteſt* indicat id permitti, non autem præcipi, ſicut nec præcipitur Officium. Excipitur Quadrageſima, cujus ſunt Miſſæ propriæ per ſingulas Ferias; item Tempus Paſchale, in quo etiam non dicitur Officium Defunctorum; at non excipitur Tempus Adventus, cujus Feriæ ſecundæ non habent Miſſas proprias, & in iis dicitur Officium Defunctorum.

Dubitatur verò ab aliquibus, num hi duo textus Rubricæ 5. intelligendi ſint quoad Miſſam principalem, ſeu pro Choro tantùm, an verò etiam quoad Miſſas privatas, ſeu extra Chorum? Affirmativam ſuadet, quòd utroque illo texto nonniſi principalis Miſſa expreſſo nomine memoratur: item quòd ut Officium Defunctorum iiſdem diebus præſcriptum ad Chorum tantùm ſpectat, itidem & Miſſa ſeu Oratio. Negativam contrà, quòd ſi textus ille ad Miſſam principalem ſeu ſolemnem duntaxat pertineret, Italico charactere, ſicut mos eſt in ſimilibus, debuerat exarari. Miſſæ verò ſeu Orationis cum Officio par non eſt ratio: Officium enim onus eſt diurno penſo ſuperadditum; quo onere qui privatim extra Chorum recitant, indulgentia Pontificis relaxantur; at ex Miſſa ſeu Oratione pro Defunctis, nihil ſuperadditur oneris privatim celebranti.

Rubricæ ſuperiores in Miſſis etiam privatis ſervandæ.

Reſpondeo ego de principali quidem Miſſa duplicem illum textum propriè eſſe accipiendum, ſic tamen ut ad Miſſas privatas eumdem aptari nedum quidquam vetet, quin potiùs conveniat maximè. Nam neque ab iis diebus excluditur Miſſa vel Oratio pro Defunctis, cùm ſtatim in fine ejuſdem textus ſubjiciatur, *Miſſæ privatæ pro Defunctis quocumque die dici poſſunt præterquam in Duplicibus & Dominicis diebus*; ergo & in hiſce quoque Feriis de quibus agitur: aliunde verò, non

debuit in hoc Miſſa privatæ componi cum principali, eò quòd ex Rubrica 4. præcedenti liberum ſit Sacerdoti privatim celebranti, Miſſam votivam dicere quocunque die non eſt Duplex. At ſi Sacerdos privatim Miſſam diei recitat, ut ſit frequentiùs, quidni eaſdem Orationes adhibebit, quæ in principali Miſſa adhibentur; aut Miſſam pro Defunctis celebrabit, ſi eadem quoque pro principali celebretur?

QUÆSTIO XXVI.

Quibus aliis diebus extraordinariè dici poſſit Miſſa Defunctorum?

EXtraordinariè, inquam, hoc eſt præter ordinem Rubricarum præcedenti quæſtione deſcriptum: ex accidenti videlicet Obitus ſeu Depoſitionis alicujus Defuncti, vel propter diem Tertium, Septimum, Trigeſimum, & Anniverſarium, aut demum quandocunque aliàs ex devotione, ſeu obligatione particulari Sacerdotis. Quæſtio autem proponitur tam de Miſſa ſolemni quàm privata.

Die Obitus; Tertio, Septimo, Trigeſimo & Anniverſario.

Et de ſolemni quidem nihil addendum videtur iis, quæ diximus ſuprà *quæſt.* 12. Quibus enim diebus liberum eſt Officium ipſum Defunctorum decantare, putà propter diem Obitus, aut 3. 7. 30. & Anniverſarium, iiſdem haud dubiè Miſſa quoque poteſt ſolemniter decantari: quibus verò diebus interdicitur Officium, Miſſa quoque ipſa interdicitur. Imò etſi diebus ſolemnioribus Nativitatis Domini, Pentecoſtes & ſimilibus, Officium permittatur propter urgentes exequias, non tamen Miſſa; ſiquidem exequiæ ipſæ, ut ibidem docuimus, ex laudabili uſu ſub veſperum, poſt expletum diei Officium ſunt differendæ.

Miſſa privata pro Defunctis dici poſſunt quocunque die, niſi ſit Duplex aut Dominica, aut Feria ſeu Octava privilegiata.

Quoad verò Miſſam privatam, clara ſunt addicta jam præcedenti quæſtione Rubricæ ejus verba, quæ ſic habent: *Miſſæ privatæ pro Defunctis quocunque die dici poſſunt præterquam in feſtis Duplicibus & Dominicis diebus.* Qua item exceptione à fortiori comprehendi cenſuimus *quæſt.* 12. *cit.* dies illos, in quibus de Duplici fieri prohibetur, nempe Vigilias Nativitatis & Pentecoſtes, Feriam 4. Cinerum, Fer. 2. 3. & 4. majoris hebdomadæ, dies infra Octav. Paſchæ & Pentecoſtes. Porrò etſi extra hoſce dies liberum ſit cuilibet Sacerdoti quacunque die Miſſam privatam pro Defunctis dicere, exiſtimo tamen valere hic quoque perinde atque in aliis Miſſis votivis monitum illud, *Id vero paſſim non fiat niſi rationabili de cauſa*, qualis eſt præter diem Obitus ſeu Depoſitionis, aut 3. 7. 30. & Anniverſarium, fundatio, ſeu ſtipendium ab fidelibus ad id oblatum, aut teſtamento relictum.

Toleratur Miſſa Defunctorum in Duplici quod non eſt de præcepto.

Cui etiam obligationi, ſeu piæ teſtatorum voluntati ut ſatisfiat, cenſuit Sacra Congregatio Decretis duobus ſuprà *quæſt. eadem* 12. *relatis*, tolerari poſſe Miſſas Defunctorum (intellige tam ſolemnes quàm privatas) in Duplicibus quæ non ſunt de præcepto. Quibus item Decretis concordat Rubrica Miſſalis Andegavenſis, quam hic juvat referre integram, eſt enim accurata admodum, & ad utramque Miſſam tam ſolemnem quàm privatam pertinens; *Miſſa pro Defunctis non dicitur in Feſtis Domini, nec in Feſtis B. Mariæ quæ ſunt de præcepto Eccleſiæ, nec ſimiliter in quibuſcunque Feſtis Duplicibus primæ & ſecundæ claſſis, nec in Dominicis, niſi fuerit dies Depoſitionis Defuncti: ſed tamen in Feſtis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paſchæ, & tribus diebus præcedentibus, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Aſſumptionis B. Mariæ, Omnium Sanctorum, & in Feſto Patroni Eccleſiæ in propria Eccleſia, etiamſi fuerit Depoſitio Defuncti, nunquam dicitur Miſſa pro Defunctis, ſed transfertur in alium diem; aliis diebus dici poteſt,*

Miſſ. Andegav.

QUÆSTIO XXVII.

Quæ Miſſæ Defunctorum præfatis diebus dicendæ?

QUatuor in Miſſali Romano diverſæ pro Defunctis Miſſæ habentur. Prima in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum. Secunda in die Obitus ſeu Depoſitionis Defuncti. Tertia in Anniverſario Defunctorum. Quarta in Miſſis quotidianis Defunctorum. Quas Miſſas quatuor deſignatis diebus dicendas Titulus ipſe ſingularum ſatis pronunciat. Verùm quæſtio eſt annon etiam aliis? Pro quo adverte quòd cùm Miſſæ illæ, ſicut & aliæ omnes triplicis generis partibus conſtent: Officio videlicet, ſeu Introitu, Graduali & aliis ad Cantum ſpectantibus; Epiſtola ac Evangelio, quæ Lectiones ſunt: & Orationibus, Collecta videlicet, Secreta, & Poſtcommunione:

Quatuor ſunt in Miſſali Miſſæ Defunctorum.

Triplex genus partium Miſſæ.

De primo, nulla eſt controverſia; idem enim eſt quatuor illarum Miſſarum Introitus, Graduale idem, Tractus, Offertorium, & Communio eadem.

Officium ſeu Cantus idem in quatuor Miſſis Defunctorum.

De ſecundo: Idem propè dixeris de Epiſtola & Evangelio, quæ licèt quatuor ſint ſingula, ſingulis illis quatuor Miſſis attributa, facilè tamen mutari poſſe argues ex Rubrica poſita poſt quartam Miſſam, quæ ſic habet: *Epiſtolæ & Evangelia ſuperius poſita in una Miſſa pro Defunctis, dici poſſunt etiam in alia Miſſa ſimiliter pro Defunctis.* Et verò in antiquis Miſſalibus erant quatuor illæ Epiſtolæ, & quatuor illa Evangelia continenti ſerie in una eademque Miſſæ pro Defunctis inſerta, quaſi liberum eſſet Sacerdoti pro arbitrio aſſumere, utram Epiſtolam, & utrum vellet Evangelium.

Quatuor Epiſtolæ totidemque Evangelia pro Defunctis.

Hoc verò ego mihi jam liberum eſſe nullatenus perſuaſerim, quidquid Rubrica citata ſecùs concedere videatur, quam idcirco libet alio veroſimiliore ſenſu donare, ut nimirum illud, *dici poſſunt*, non intelligatur pro nutu Sacerdotis, ſed juxta quod Miſſale ipſum in ſequentibus declarat, aut aliàs ex pari ratione opportunum judicabitur.

Declarat videlicet Miſſale, in die Depoſitionis & Anniverſario Summi Pontificis dicendam primam Miſſam, cujus eſt Epiſtola *Ecce myſterium*, & Evangelium *Amen Amen dico vobis*, itidemque pro Defuncto Epiſcopo.

Prima Miſſa pro Papa & pro Epiſcopo.

Pari ratione judicat Gavantus *part.* 4. *tit.* 18. *numer.* 8. eamdem primam Miſſam dici debere pro Cardinali etiam Diacono Defuncto: *Sunt quippe*, ait, *Cardinales Epiſcopis majores.* An verò etiam pro Sacerdote? non planè aſſerit, quia licèt de eo Rubrica meminerit inter Defunctum Epiſcopum & Cardinalem, haud tamen iis æqualem facit. Præterea conſuetudo eſt in pleriſque majoribus Eccleſiis Urbis, ut dicatur ſecunda Miſſa: ſed nec etiam damnat, ſi dicatur prima, favente citata paulò antè Rubrica. Quia tamen *num.* 6. primam illam pro Summo Pontifice & Epiſcopis idcirco dici vult, *quia*, inquit, *quæ raro adhibentur pretioſa reputantur*; reſtringerem ego ſic, ut non pro omnibus univerſim Sacerdotibus impendatur, ſed pro inſignioribus dumtaxat, iis videlicet, qui in dignitate aliqua, puta Abbatis, Generalis Ordinis, Præpoſiti, Decani, & ſimilibus conſtituti, celebriores obtinent exequias: quales itidem, imò & multò ampliores adhiberi mos eſt in funeribus Imperatorum, Regum, Principum ac Magnatum; quibus proinde ſi quis eamdem primam Miſſam pari ratione tribuendam aſſerat, nihil illi repugnabo: favetque admodum antiquum Miſſale Cluniacenſe, diſtinguens Officia magna pro Defunctis à communibus; & magna quidem celebranda ponit *pro Papa, Cardinalibus, Pontificibus, Abbatibus, Regibus, Ducibus, Comitibus, Fundatoribus, & magnis militibus*; communia verò pro

Item pro aliis Magnatibus.

Magna & communia Officia Defunctor.

Miſſ. Cluniacenſ.

aliis

Digitized by Google

aliis Defunctis præter nominatos. Hoc autem ſenſu intellecta Rubrica, de qua quæſtio eſt, ſic ad plures caſus pertinet, ut tamen plenam Epiſtolas & Evangelia prædicta pro arbitrio permutandi licentiam haudquaquam inducat.

Eadem prima Miſſa dicitur in die Tertio &c. ejuſdem.

Porrò, pro quibuſcunque prima illa Miſſa adhibetur in die Obitus ſeu Depoſitionis, adhibetur quoque in die Tertio, Septimo & Trigeſimo: patet, quia in propria Rubrica de Oratione iiſdem diebus dicenda, expreſsè habetur *iis diebus dici Miſſam ut ſuprà*, id eſt, ut in die Obitus; ergo ſi in die Obitus dicta eſt prima illa Miſſa, dicenda quoque erit eadem in præfatis diebus. Item adhibetur in Anniverſario, quod de Summo quidem Pontifice Rubrica diſertè expreſſit; de aliis verò perinde accipiendum ratio ſuadet.

Item in Anniverſario Pontificis &c.

Extra illos dies Miſſa quotidiana.

Extra præfatos dies pronunciat Gavantus *num.* 12. dicendam Miſſam ut in quotidianis Defunctorum; quod nec renuo ego, niſi in uno caſu, quem ipſemet admittit, moxque ſubjiciam.

De Orationibus, quod tertium ſupereſt Caput Miſſæ partium, nihil hic miſceo; pleniùs ſtatim illud evolvetur.

QUÆSTIO XXVIII.

Quæ Miſſa dicenda, cùm primùm reſcitur obitus alicujus in remotiore loco defuncti?

APud Regulares, necnon pleroſque alios, lex ejuſmodi poſita eſt, ut pro decedentibus ex hac vita ſuæ Religionis aut Congregationis hominibus, certus Miſſarum numerus, aliave Suffragia per totam provinciam exolvantur. Cùm itaque accipitur in loco diſſito nuncium de obitu alicujus, quænam pro eo Miſſa dicenda? Reſpondet Gavantus antè citatus in hæc verba num. 15. *Pro eo qui proximè obiit, longè tamen à nobis, prima vice poteſt dici Miſſa ut in die tertio, omiſſo verbo* Tertium. Huic ego reſponſioni lubens ſubſcribo, adeòque cùm in tertio die præſcribatur Miſſa ut in die Obitus, dicenda erit prima Miſſa, ſi fuerit ejus ſtatus & conditionis quam præcedenti Capite deſcripſimus; ſin minùs, ſecunda cum Oratione *Quæſumus Domine &c.* in qua etiam opus non erit omittere verbum, *Tertium*, ſeu *Septimum*; aut *Trigeſimum*, ſi verè talis fuerit.

Gavantus.

Dicenda ut in die Obitus.

QUÆSTIO XXIX.

Quot & quæ Orationes, & quo ordine dicendæ?

Una in Officio ſolemni ſeu Duplici, tres in aliis.

IN die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & in die Obitus ſeu Depoſitionis, & in Anniverſario Defuncti, dicitur una tantum Oratio; & ſimiliter in die Tertio, Septimo, & Trigeſimo, & quandocunque pro Defunctis ſolemniter celebratur, ſeu ritu Duplici: in aliis Miſſis, nimirum ſub ritu ſimplici, plures: ut de Feriis & Simplicibus dicitur in Rubrica de commemorationibus. Ita *Rubr.* 5. *num.* 3. cui nihil addendum, niſi quòd non eſt numero illi Orationum impari religioſiùs inſiſtendum, prout de Orationibus vivorum docuimus ſuprà *cap.* 18. *quæſt.* 28. Vix autem poteſt contingere ut cùm ſint Orationes illæ omnes pro Defunctis, quinque ad ſummum non expleant devotionem ſeu intentionem Sacerdotis.

Gravior difficultas, quænam ſint aſſumendæ? Cùm enim aliæ ſint Miſſis ipſis inſertæ, ut Oratio in die Obitus, in Anniverſario &c. aliæ verò poſt Miſſas deſcriptæ, ſive particulares pro certis perſonis, ut pro Epiſcopo, Sacerdote &c. ſive generales pro pluribus Defunctis, non ſatis liquet, qualiter hæ vice illarum aliquando ſint ſubrogandæ.

Eſt quidem certum illud Orationes Miſſis inſertas dici cum ipſis Miſſis, nec mutari unquam, niſi cùm aliæ ex diverſis præſcribuntur aut permittuntur Rubrica aliqua particulari. Qua verò id ratione fiat, ſic accipe.

Orationes mutandæ in prima Miſſa.

Primò: Cùm aſſumitur prima Miſſa in die Obitus, Tertio, Septimo, & Trigeſimo, & Anniverſario Summi Pontificis, Epiſcopi & cujuſcunque alterius ſuprà memorati *quæſt.* 27. loco Orationis *Fidelium*, dicitur pro Summo Pontifice, *Deus qui inter ſummos Sacerdotes &c.* Pro Epiſcopo, *Deus qui inter Apoſtolicos*. Pro Sacerdote eadem, *Deus qui inter Apoſtolicos*, mutatis verbis *Pontificali & Pontificis*, in voces *Sacerdotali & Sacerdotis*. Pro Epiſcopo Cardinale, eadem item addendo *Famulum tuum N. Epiſcopum Cardinalem Pontificali feciſti &c.* Pro Presbytero verò Cardinali, *Famulum tuum N. Presbyterum Cardinalem, Sacerdotali &c.* Pro Diacono autem Cardinali, *Inclina Domine aurem tuam &c. ut animam famuli tui N. Diaconi Cardinalis, quam de hoc ſæculo &c.* Pro quibuſcunque aliis Clericis & laicis, in die Obitus, *Deus cui proprium &c.* In die Tertio, Septimo, & Trigeſimo, Oratio *Quæſumus Domine*. In Anniverſario *Deus indulgentiarum &c.* expreſſis ubique nominibus & qualitate, juxta quod definitum fuit ſuprà *quæſt.* 20. Pro patre & matre Sacerdotis (ſi tales fuerint quibus debeatur prima Miſſa) præfatis omnibus diebus Oratio *Deus qui nos patrem &c.* ab ipſomet Sacerdote dumtaxat pronuncianda.

Mutandæ in 2. Miſſa.

Secundò: In ſecunda Miſſa, cùm dicitur in die Obitus Sacerdotis, item Tertio, Septimo, & Trigeſimo Depoſitionis ejuſdem, loco Orationis *Deus cui proprium*, aut *Quæſumus Domine*, dicitur Oratio *Deus qui inter Apoſtolicos*. Cùm dicatur die Tertio, Septimo, & Trigeſimo Depoſitionis cujuſcunque alterius Defuncti, loco Orationis *Deus cui proprium*, dicitur Oratio *Quæſumus Domine*. Pro patre & matre Sacerdotis dicitur ab ipſomet *Deus qui nos patrem &c.* Denique cùm dicitur prima vice pro eo qui proximè obiit, longè tamen à nobis, loco Orationis *Deus cui proprium*, dicitur Oratio *Quæſumus Domine*, omiſſo verbo *Tertium*, *Septimum &c.* niſi is verè fuerit Tertius, Septimus, &c. ut dictum fuit ſuperiùs.

Mutandæ in 3. Miſſa.

Tertiò: In tertia Miſſa Oratio *Deus indulgentiarum*, non mutatur niſi in Anniverſario Sacerdotis, pro quo dicitur Oratio *Deus qui inter Apoſtolicos*, ex Gavanto hìc num. 11. Item in Anniverſario patris & matris dicitur ab ipſomet tantùm Sacerdote *Deus qui nos patrem &c.*

Ut mutandæ in 4. Miſſa.

Quartò: Quartæ Miſſæ, cui Titulus eſt *In quotidianis Miſſis Defunctorum*, tres Orationes mutari non debent quando ea dicitur prima die menſis non impedita, aut Feria ſecunda cujuslibet hebdomadæ ex præſcripto Rubricarum; aliàs verò prima Oratio erit pro eo, ſeu iis Defunctis, pro quo, ſeu pro quibus Sacrificium offertur, putà pro uno Epiſcopo, vel Sacerdote, Oratio *Deus qui inter Apoſtolicos*, vel alia *Da nobis quæſumus &c.* *Præſta quæſumus &c.* Pro quocunque alio Defuncto, *Inclina Domine aurem*; pro una Defuncta, *Quæſumus Domine pro tua pietate*. Pro patre & matre Sacerdotis, *Deus qui nos patrem &c.* Pro fratribus, propinquis, & benefactoribus, *Deus veniæ largitor &c.* Pro iis qui in cœmeterio requieſcunt, *Deus cujus miſericordia*. Pro pluribus Defunctis, *Deus cui proprium*, vel *Animabus quæſumus &c.*

Cùm plures dicuntur, quis ordo ſervandus?

Poſt primam illam Orationem dicuntur & aliæ ſaltem duæ, immò tres quatuorve ſi res ferat, ut ſuprà definitum fuit. Ordo autem illarum eſt, ut quæ pro ſingularibus ſunt, ponantur ante generales, & quæ minùs generales ante generaliores. Nam in Miſſali, Oratio *Deus veniæ largitor* pro fratribus, propinquis, & benefactoribus, ponitur ante generalem *Fidelium*. Quæ duæ Orationes

omnium

Digitized by Google

omnium aptiſſimæ ſunt, ut ſecundo & tertio loco dicantur, quandocunque non urgent aliæ. Et cùm *Deus veniæ* poſita fuerit primo loco, ſecundo ponetur altera quam volet Sacerdos; ſemper verò *Fidelium* cùm dicitur, poni debet ultimo loco; eſt enim generaliſſima omnium.

Miſſ. Andeg. Hunc ergo odinem ex mente Rubricarum à me priùs excogitatum, gaviſus ſum deprehendiſſe poſtmodum in Miſſali Andegavenſi hac ſpeciali Rubrica in Miſſis quotidianis poſita firmatum; *Pro prima Oratione ſumitur aliqua ex Orationibus diverſis quæ habentur poſt hanc Miſſam ſecundùm principalem intentionem celebrantis: ſecunda Oratio dicitur* Deus veniæ, 3. Fidelium, *ut hic ponuntur*.

In Miſſis Defunct. nulla fit commem. vivorum. Stat denique inconcuſſum & ineluctabile effatum illud Rubricæ 7. de Commem. num. 6. *In Miſſis Defunctorum nulla fit commemoratio pro vivis, etiamſi Oratio eſſet communis pro vivis & Defunctis*, qualis eſt illa Oratio *Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum &c.* Hujus verò rei quam affert Durandus à Gavanto citatus, ut videlicet ſignificetur non poſſe Defunctos in Purgatorio juvare viventes, ratio exigua eſt, ne dicam inepta; cùm ne id quidem pro rato à multis Theologis habeatur; & ſi haberetur, nullatenus ad rem faceret; Miſſa enim pro Defunctis non eò tendit, ut ipſi orent pro vivis, ſed magis ut mortui ipſi viventium orationibus adjuventur.

QUÆSTIO XXX.

Quandonam dicenda Sequentia Dies iræ, dies illa?

INanis propè quæſtio hæc videri poſſet, cùm dubium omne tollat clariſſimus Rubricæ 5. textus num. 4. *Sequentia pro Defunctis dicitur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & quandocumque in Miſſa dicitur una tantùm Oratio; in aliis autem Miſſis Defunctorum dicitur ad arbitrium Sacerdotis*. At monendi ſunt, qui eam omittunt in parvis funeribus, ſeu minùs ſolemnibus pauperum ac tenuioris fortunæ hominum, item qui eam amandant ad Offertorii tempus, dum populus facit oblationem, aut poſt elevationem Hoſtiæ, interim dum Sacerdos perficit Canonem, fas id nequaquam ipſis eſſe: fas verò, ut legiſti, in quacunque quotidiana Miſſa, ſi Sacerdoti lubet, ipſammet admittere.

QUÆSTIO XXXI.

Poſſintne aliqua in Miſſa Defunctorum ex alienis uſibus aſſumi?

Introitus, Gradualia &c. diverſa à Romano. IN pleriſque Miſſalibus Diœceſum propriis habetur Graduale, *Si ambulem in medio &c.* idem qui in Sabbato poſt Dom. Quadrageſimæ, & Tractus *De profundis &c.* idem qui in Dominica Septuageſimæ. In paucis item Proſa quædam, cujus initium eſt *Languentibus in Purgatorio*. Dives eſt in Officiis Cluniacenſe antiquum: habet enim præterea, Introitus, *Si enim credimus quod Jeſus mortuus eſt &c. Ne tradas Domine beſtiis &c.* Gradualia, *Converte anima mea. Si enim credimus*. Tractus, *Sicut cervus deſiderat. Commoviſti Domine terram*. Offertoria, *Erue Domine animas eorum. Miſerere mihi Domine. Domine convertere*. In Offertorio, *Domine Jeſu Chriſte*. Verſus ſecundus *Redemptor animarum*. Communiones, *Omne quod dat mihi Pater. Ego ſum reſurrectio. Pro quorum memoria*. Quorum omnium aliqua reperiuntur in aliis etiam Miſſalibus, maximè in Herbipolenſi, ubi Miſſa una ponitur pro uno Defuncto, ſeorſim ab alia pro pluribus; & hujus quidem Introitus & Graduale eſt *Requiem æternam*, Miſſ. Herbip. cum Pſalmo *Animæ eorum in bonis*. Communio, *Abſolve Domine animas*. Illius verò Introitus, *Si enim credimus*. Offertorium, *O pie Deus*, cum duobus verſibus. Habet Carthuſianum Introitum, *Reſpice Domine in teſtamentum tuum &c.* ex Dom. 13. poſt Pentec. Singularis eſt uſui Noviomenſi Tractus; *Domine Jeſu Chriſte Rex ſæculorum*. Carthuſianum. Noviomenſ.

Jam verò præter ſuperiores Epiſtolas & Evangelia, Carthuſianum habet Epiſtolam, *Chriſtus reſurrexit à mortuis* 1. Cor. 15. &c. *Unuſquiſque autem in ſuo ordine*, Herbipolenſe verò Epiſtolam, *Hæc dicit Dominus, orietur in tenebris*, Iſa. 58. &c. *Os enim Domini locutum eſt*. Utrumque verò, ſicut & Cluniacenſe, Evangelium, *Sicut Pater ſuſcitat mortuos &c.* Joan. 5. *Sed tranſiet de morte ad vitam*. Cluniacenſe item Evangelium, *Amen dico vobis, Qui credit in me*, Joan. 6. &c. *Caro mea eſt pro mundi vita*. Evangelium verò, *Dixit Martha ad Jeſum*, vult debere ſemper dici quando corpus Defuncti aut figura ipſius eſt præſens. Epiſtolæ & Evangelia. Cluniacenſe.

Hæc verò omnia nihil ad Romanum uſum; ſicut nec Orationes, quæ in aliquibus uſibus plures & plures, cum ſuis Secretis & Poſtcommunionibus apponuntur. En tibi aliquas, *Adeſto animæ famuli tui &c.* in die Obitus, ſeu Tertio, Septimo & Trigeſimo Depoſitionis Defuncti. *Da nobis Domine &c.* pro Epiſcopo in Romano inſcripta, in aliis pro Abbate, in aliis item pro Sacerdote. *Deus cujus miſericordiæ non eſt numerus*, pro commendatis & benefactoribus. Pro iiſdem, *Omnipotens ſempiterne Deus, cui nunquam ſine ſpe &c.* quam alii aſſignant, pro familiaribus, alii pro omnibus, pro quibus orare tenemur. Pro fundatoribus verò hæc ſpecialis eſt, *Propitiare quæſumus Domine animabus fidelium, & præſta ut qui de tuis donis in hoc loco pervigili cura, quotidiana præparaverunt obſequia, perpetua cum Sanctis tuis perfrui mereantur lætitia*. Item pro benefactoribus, *Miſerere quæſumus Domine animabus benefactorum noſtrorum &c.* In Anniverſario, cùm differtur in alium diem; *Propitiare quæſumus Domine animabus famulorum &c.* Aliæ item Orationes. Oratio ſpecialis pro fundatoribus.

Sunt verò præ aliis memorabiles hæ quatuor, *Deus qui ad cœleſte regnum &c.* pro Defuncto ſtatim poſt baptiſmum. *Omnipotens ſempiterne Deus, in cujus humana conditio poteſtate conſiſtit &c.* Hujus inſcriptio in veteri Miſſali Romano ſic habebat, *Miſſa pro deſiderantibus pœnitentiam. Si quis pœnitentiam petens, dum Sacerdos venerit, officio linguæ fuerit privatus, conſtitutum eſt, ut ſi idonea teſtimonia hoc dixerint, & ipſe per motus aliquos ſatisfaciat, Sacerdos impleat omnia circa pœnitentem, ut mos eſt*. Alibi verò inſcripta legitur, *Pro ſubitò defunctis*. Pia eſt ſatis, ſed an legitima, quæ in antiquo Herbipolenſi, pro miſeris animabus ſeu derelictis inſcribitur: *Miſerere Domine miſeris animabus, quæ interceſſorem ſingularem apud te non habent, quibus non eſt ſpes in tormentis, neque conſolatio, niſi quod ad imaginem tuam creatæ ſunt &c.* Dubia item quæ in antiquo Romano inſcripta erat, Miſſa pro cujus anima dubitatur, deinceps verò ſummota, *Omnipotens & miſericors Deus inclina quæſumus venerabiles aures tuas ad exiguas preces noſtras, quas ante conſpectum majeſtatis tuæ pro anima famuli tui N. humiliter fundimus, ut qui de qualitate ejus diffidimus, de abundantia pietatis tuæ conſolemur: & ſi plenam veniam anima ipſius obtinere non poteſt, ſaltem vel inter ipſa tormenta, quæ forſitan patitur, refrigerium de abundantia miſerationum tuarum ſentiat*. An poteſt orari pro damnatis? aut pro iis impetrari relaxatio aliqua pœnarum ſuarum? Magnam verò charitatis latitudinem affectabant, apud quos in Oratione *Fidelium*, nominatim commemorabantur ſic ſtatus omnes Eccleſiæ, *Epiſcoporum, Presbyterorum, Abbatum, Canonicorum, Monachorum, Regum, Genitorum, ſeu Paren-*

Pro Defuncto ſtatim poſt Baptiſmum. Pro ſubitò Defunctis. Pro animabus derelictis. Pro cujus anima dubitatur. In Oratione Fidelium expreſſis ſtatus omnes.

Digitized by Google

Parentum noſtrorum, nec non eorum qui ſe in noſtras commendaverunt orationes, & qui nobis ſuas largiti ſunt eleemoſynas, ſive omnium utriuſque ſexus Fidelium Defunctorum, remiſſionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam &c.

QUÆSTIO XXXII.

An aliquando dicenda eſt in Miſſa Defunctorum Præfatio alia quàm Communis?

Nec Præfatio, nec Communicantes.

NUnquam, edicente ſic Rubr. 12. num. 4. *In Miſſis Defunctorum quocunque tempore ſemper dicitur Præfatio Communis*. Sed quid de *Communicantes* ſolemnitatum propriis, an dicuntur in Miſſa Defunctorum, ſi in ejuſmodi ſolemnitatibus, aut infra earum Octavas dicatur? Nihil ſuper hac re Gavantus, fortè quia nec legitima eſt dubitandi occaſio. Non etſi contingat ſeparari aliquando *Communicantes* à ſua Præfatione, ut in caſu SS. Philippi & Jacobi, & Inventionis S. Crucis infra Octavas Aſcenſionis; id tamen locum non habet in Miſſis Defunctorum, in quibus cùm Præfatio ipſa propria ex præſcripto Rubricæ omittenda ſit, ipſum quoque *Communicantes* omitti debere, quis niſi Rituum expers & imperitus ambigat? Cauſa verò eſt, quòd nulla ſit habitudo Miſſarum pro defunctis cum Miſſis vivorum, ac proinde nuſquam attenditur ad Feſtum ſeu Tempus occurrens.

QUÆSTIO XXXIII.

Quandonam in Miſſis vivorum dicenda Oratio pro defunctis?

Prima die menſis non impedita.

EX Rubrica 5. num. 1. & 2. prima die cujuſque menſis, extra Adventum, Quadrageſimam, & Tempus Paſchale, non impedita Officio Duplici vel Semiduplici, ſi non poteſt dici Miſſa pro Defunctis propter feſtum ſimplex, vel Feriam, quæ propriam habeat Miſſam, aut in qua reſumenda ſit Miſſa Dominicæ præcedentis quæ fuit impedita, nec reſumi poteſt alia die, in Miſſa diei fit commemoratio generaliter pro Defunctis.

Feria 2. cujuſque hebdomadæ.

Itidem Feria ſecunda cujuslibet hebdomadæ extra Quadrageſimam & Tempus Paſchale, ſi non occurrat Officium Duplex vel Semiduplex, in Miſſa diei fit eadem Commemoratio pro Defunctis. Qui verò exiſtimant valere id tantùm pro Miſſa Conventuali, non autem pro privatis, mentem ſuam corrigant ex dictis ſuprà quæſt. 25.

Quibus aliis diebus?

Præterea, poteſt fieri Commemoratio, ſeu dici Oratio pro Defunctis, ſive generaliter pro omnibus, ſive ſpeciatim pro aliquo vel aliquibus, quotieſcunque non eſt Duplex. Nulla id Rubrica diſertè aſſerit, ſed cùm Miſſa ipſa ſic permittatur in textu ipſo quem tractamus, multò magis commemoratio. Sed an licita eſt etiam in Dominicis? Vix affirmativè reſpondeam, eo quòd Miſſa ipſa hoc eodem textu à Dominicis excludatur. Quia tamen in nullo præjudicat ejuſmodi commemoratio Miſſæ Dominicæ, non acriùs contra inſiterim. An item in Octavis & Feriis privilegiatis, in quibus diximus Miſſam ipſam pro Defunctis non debere celebrari? Certum quòd non in Vigilia Nativitatis & Pentecoſtes, illarum ſiquidem Officium Miſſæ Duplex eſt; in aliis poteſt utcunque tolerari, adhibita ſemper, ut & aliàs, cautione illa, *ne id paſſim ac ſine rationabili cauſa fiat*.

QUÆSTIO XXXIV.

Quænam & quo loco dicenda?

AD primum reſpondeo, Quibus diebus imponitur à prædicta Rubrica Commemoratio generalis pro Defunctis, nempe prima die menſis extra Adventum & Quadrageſimam, & Tempus Paſchale, & Feria ſecunda cujuſque hebdomadæ extra Quadrageſimam & Tempus idem Paſchale, non impeditis Officio Duplici vel Semiduplici, dicenda eſt Oratio *Fidelium*; ejus ſiquidem talis eſt titulus, *Pro Fidelibus Defunctis generalis*. Porrò quòd ea non dicatur in Quadrageſima perinde atque in Adventu, ratio eſt, quòd Oratio *Omnipotens ſempiterne Deus qui vivorum &c.* communis eſt tam pro vivis quàm pro defunctis; hincque colligas ambas illas Orationes non debere dici in eadem Miſſa.

Fidelium, Oratio generalis pro Defunctis.

Aliis verò diebus, quibus pro libito Sacerdotis additur Oratio pro Defunctis, ea ſumenda eſt quam caſus ſeu neceſſitas exigit: puta pro uno Defuncto *Inclina*. Pro una Defuncta, *Quæſumus Domine*. Pro patre & matre, *Deus qui nos patrem*. Pro fratribus, propinquis, & benefactoribus, *Deus veniæ*. Pro iis qui in cœmeterio requieſcunt, *Deus cujus miſeratione*. Pro pluribus Defunctis, *Deus cui proprium*, vel *Animabus quæſumus Domine*. Bene autem obſervat Gavantus cit. num. 17. Orationes illas duas, *Da nobis quæſumus Domine*, quæ pro Epiſcopo, & *Præſta quæſumus*, quæ pro Sacerdote additæ ſunt, convenientiùs dici pro commemoratione; aliam verò priorem, *Deus qui inter Apoſtolicos*, locum magis habere cùm Miſſa ipſa dicitur *de Requiem*. An verò Oratio *Deus cui proprium*, poſita in Miſſa pro die Obitus, item alia *Quæſumus*, pro die Tertio, Septimo & Trigeſimo, & *Deus indulgentiarum*, in Miſſa pro Anniverſario, dici poſſint iis diebus pro commemoratione in Miſſa vivorum, ſi quæras; non habeo unde id negare poſſim.

Orationes ſpeciales.

Gavantus.

Ad ſecundum verò, quo loco reponenda ſit talis Oratio, clara eſt reſponſio ex Rubrica 4. de Commemor. num. 6. *Si facienda ſit Commemoratio pro Defunctis, ſemper ponitur penultimo loco*, non autem ſecundo; unde ſi fuerint in Miſſa quatuor Orationes, dicenda erit Oratio pro Defunctis tertio loco, ſi quinque quarto &c. vis eſt ſiquidem in voce *penultimo*, ut videlicet excludatur ultimus locus. Cur ita? *quia finis ad ſuum debet torqueri principium*, ait Innocentius III. de Myſteriis Miſſæ lib. 2. cap. 27. cui ſubdit Gavantus in hanc Rubricam, *Non igitur dignitatis ergo, ſed ut à vivis, de quibus in prima Collecta, ad vivos, de quibus in ultima, fiat regreſſus*. Myſtica ratio iſta, qua æquè concludas, ſi prima Oratio eſt de Sanctis, ultimam quoque de iis eſſe debere. Vide num hæc ſit ad literam propiùs? excludi nimirum Orationem pro Defunctis ab ultimo loco, ne Secreta, quæ perinde ultimo loco eſſe deberet, deſinat in Præfationem aliquam vivorum, puta de Cruce, de B. Maria &c. ne itidem Poſtcommunionem pro Defunctis excipiat concluſio propria vivorum; nempe *Dominus vobiſcum*, *Ite Miſſa eſt*, vel *Benedicamus*, quod quàm à recto ordine alienum ſit, conſtat ex ipſamet concluſione Veſperarum & Laudum Officii Defunctorum.

Oratio pro Defunctis in Miſſa vivorum ponenda ſemper penultimo loco.
Ratio hujus Rubricæ.

Innocentius III.
Gavantus.

Hinc verò etiam concludas à fortiori nullam pro Defunctis Orationem unquam eſſe addendam in Duplicibus, ſicut nec quotieſcunque aliàs una tantùm dicitur Oratio: eſſet enim tum ultima, adeòque præfato incommodo perinde obnoxia. Concludas item in Feriis tempore Paſſionis, ac etiam infra Octavas Paſchæ & Pentecoſtes, ſi dicatur Oratio pro Defunctis, neceſſariò dicendam tertio loco Orationem *Eccleſiæ* vel pro Papa, contra quod alii cum Gavanto ſentiunt; alioqui ipſa Oratio pro Defunctis eſſet ultima, quod nefas eſſe, Rubricæ hujus textus dubitare non ſinit.

Nunquam addenda Oratio pro Defunctis, quando eſt tantum una in Miſſa dicenda.

CON-

CONCLUSIO OPERIS.

Religioni ducerem manum ab hocce opere ſummovere, niſi facta priùs, quam exigere poſſit rigidiſſimus quiſque cenſor, obteſtatione; nolle me in his, quæ de variis Eccleſiarum ritibus, approbando improbandove ſcripſi, quidquam mihi juris arrogare. Scio quàm id ſit non meum, ut nec privati cujuſquam hominis. Romanum uſum tueri inprimis, lucemque ei, ſi qua opus eſt, afferre mens fuit. Quis hoc exprobret, quod pio cuique non debet non eſſe gratiſſimum? Alienos ab eo ritus, quibus conciliare non placet, ſalvos quantum potui, integroſque laboravi ut vindicarem. Num & illud certum ſatis ſtudii mei obſervantiæque argumentum? At ubi fas nec iſtud fuit, ſic demum ablegandos, immutandoſve ſum ratus, nihil ut authoritati meæ, quam ſentio nullam eſſe, hac in parte deferendum unquam duxerim. Imò, ne quid modeſtiæ non ſatis tribuerem, ab Eccleſiarum nomine abſtinui, quoties in exoticum quid ſermo incidit minùſve laudabile; laudator alioqui, ubi opportunitas eſt, haud ſanè illiberalis.

Verùm quò mihi iſta omnis defenſio? qui ſpongiam non modò paratiſſimam habeo eluendis, ſed & novaculam reſecandis abradendiſque omnibus, quæ imprudenti fortè exciderint, ſecùs quàm Summorum Pontificum, Sacræque Rituum Congregationis Decreta ferant, aut Fidei Juriſque Canonici ratio præſcribat. Totum verò, ſi quid eſt, quod Rei Sacræ utcunque promovendæ juvare poteſt, votis ego omnibus optaverim eò referri, cujus gratia à me ſuſceptum eſt: ad laudem videlicet & gloriam Dei Omnipotentis; ac Beatiſſimæ Virginis, Sanctorumque omnium ubivis Eccleſiarum Patronorum.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
SANCTORUM PATRONORUM,
& aliorum quorum Feſta vel Nomina in toto hocce opere memorantur.

A

Aron Sacerdos Ordinis Levitici, 99. 188.
Aaron Maclovienſis Abbas, 56.
Abdias Propheta, 99.
Abdon & Sennen Mart. 8.
Abel, 28. 99.
Abra Pictav. Virgo, 56. 58.
Abraham Patriarcha, 28. 99. 164. 195. 231.
Achius & Achiolus Ambian. Mart. 107.
Adalbertus Ep. & Mart. 146.
Adamus & Eva primi parentes, 28. 99.
Adrianus Nicom. Mart. 8. 90. 300.
Ægidius Abbas, 8. 21. 41. 140. 300.
Ægidius & Lupus, 190.
Æmiliana & Tarſilla ſorores, 58.
Agabus Propheta, 100.
Agapitus Martyr. 8.
Agatha Virgo & Mart. 7. 121. 119. 224. 225. 226. 228. 295. 304.
Agarius Novar. Epiſc. 146.
Agnellus Neapol. Conſ. 146.
Agnes Virgo & Mart. 7. 124. 130. 153. 169. 170. 171. 226. 262. 269. 295.
Agnes de Monte Politiano, 84. 301.
Agnes & Diſciola Virg. Pict. 56. 123.
Agrippinus Neapol. Ep. 146.
Aigulphus Abb. Mart. 106.
Aigulphus Bitur. Epiſc. 126.
Albanus Moguntinus Mart. 111.
B. Albertus Magnus, 149.
Albertus Rhem. Mart. 55.
Albinus Andeg. Ep. 2. 10. 11. 301.
Alexander Carbonarius, 106.
Alexander & ſocii Mart. 8. 108.
Alexander Epiſc. 103.
Alexius Conſ. 8. 120. 130. 161. 220. 230.
Alipius Epiſc. 58. 130.
Alorius Coriſop. Ep. 2.
B. Aloyſius Gonzaga, 149.
Amos Propheta, 99.
Amandus Burdeg. Epiſc. 56.
Ambroſius Mediol. Ep. Doctor Eccl. 7. 41. 46. 82. 90. 105. 140.
Ananias Diſcipulus, 101.
Ananias, Azarias & Miſael, 99.
Anacletus Papa & Mart. 9.
Anaſtaſius Mart. 9.
Andochius & ſocii Auguſtod. M. 11.
Andreas Apoſtolus, 10. 58. 98. 117. 121. 138. 144. 153. 165. 167. 169. 176. 198. 224. 230. 257. 258. 305.
Ejus Vigilia, 124. 238. 296.
Ejus item Octava, 82. 83.
Ejuſdem Tranſlatio, 46. 48. 51. 121. 146. 182. 238.
Andronicus. 101.
Andronicus & Anaſtaſia Conjuges, 107.
Angeli, 199. 237. 300. 303. 309. 314.
Angeli Cuſtodes, 10. 26. 64. 96. 273.
Anianus Aurel. Epiſc. 11. 42. 57. 85. 108. 119. 123. 133. 146. 266. 301.
Ejus Octava, 82.
Item Tranſlatio, 50.
Anicetus Papa & Mart. 10.
Anna Mater B. Mariæ, 7. 27. 58. 59. 60. 93. 106. 107. 118. 139. 140. 143. 176. 226. 300.
Anna Prophetiſſa, 28. 100. 225. 232.
Ansbertus Roth. Epiſc. 301.
Anthemius Pict. Ep. 56. 123.
Antoninus Apam. Mart. 11. 43.
Antoninus Ep. Ord. Prædic. 84. 301.
Antonius Abbas, 7. 27. 74. 130. 140. 220.
Antonius de Padua, 9. 10. 54. 70. 82. 98. 146. 159. 166. 257.
Antonius, Merula, & Joannes, 30. 107.
Apoſtoli duodecim, 7. 30.
Eorumdem Diviſio, 11. 112.
Apothemius Andeg. Ep. 301.
Appelles & Lucius, 101.
Appollinaris Ep. & Mar. 8. 163.
Appollonia Virgo & Mar. 9. 104.
Archangeli, 300.
Arnulphus Sueſſion. Ep. 91.
Arnulphus Tur. Ep. & M. 11. 300.
Aroulphus & Clarus Mart. 107.
Ariſtarchus S. Pauli Diſcipulus, 58.
Ariſtio, 101.
Aſpren Neapol. Epiſc. 146.
Athanaſius Alex. Ep. 8. 89. 103. 105. 167. 168. 224. 230.
Athanaſius Neapol. Ep. 146.
Audoenus Roth. Ep. 11. 91. 119. 301.
Auguſtinus Ep. & Doctor, 7. 81. 105. 116. 133. 140. 172. 173. 198. 203.
Ejuſdem Vigilia, 77. 124.
Octava, 84.
Converſio, 46. 70. 117. 165. 220. 221.
Tranſlatio, 46. 161. 165.
Officium per menſem, 71. 125. 203. 204.
Avitus Aurelian. Conſ. 11. 301.
Aurelia Pariſ. Virgo & M. 55. 96.
Aurelianus Epiſc. 101.
Aureus & Juſtina Mart. 104.
Auſtreberta Rothom. Virgo, 123. 301.
Auſtregeſillus Bitur. Ep. 6. 10. 82. 301.
Ejuſdem Ordinatio, 46.
Auſtremonius Arver. Ep. 91.

B

Babylas Antioch. Ep. & M. 10. 108.
Baldus Rhem. Conſ. 300.
Baldus Turon. Ep. 301.
Barbara Nicom. Virgo & M. 8. 120. 300. 304.
Barnabas Apoſtolus, 7. 100. 121. 140. 141. 264. 294.
Bartholomæus Apoſtolus, 93. 138. 143. 153. 163. 232.
Ejuſdem Vigilia, 78.
Baruch Propheta, 99.
Baſilides & ſocii Mart. 8.
Baſiliſſa, 90. 102. 107.
Baſilius Epiſc. Cæſar. 8. 46. 90. 105. 167. 221. 232.
Baſilius & Emmelia parentes S. Baſilii, 58. 103. 107.
Baſolus Rhem. Conſ. 55. 300.
Batildes Regina Franc. 55. 107.
Baudelius Nemauſ. Mart. 54.
Bavo Gandav. Conſ. 46.
Benedictus Abbas, 8. 47. 58. 69. 70. 116. 121. 133. 172. 226. 227.

Digitized by Google

Ejuſdem Tranſlatio, 11. 48. 52. 54. 81. 117. 258.
Officium per hebdomadam, 71.
Benedictus Andeg. Epiſc. 301.
Benedictus Monachus, 102.
Benignus Divion. Mar. 42. 44. 100.
Benignus & Beatus Turon. Mart. 300.
Beſcharius Abbas Mar. 106.
Bernardus Abb. Claravall. 8. 54. 70. 234. 235.
Bernardus Ord. Min. 269.
Bertrandus Conſ. 26.
Bethleem, 36.
Bibiana Virgo & Mart. 9. 10. 229.
Birgitta Vidua, 9. 10. 90. 107. 264.
Blaſius Epiſc. & Mart. 7. 21. 76. 140. 236. 300.
Bonaventura Ep. & Doctor, 9. 70. 82. 92. 105. 118. 146. 235.
Bonifacius Mart. 9.
Bonifacius Mogunt. Ep. & Mart. 11. 100. 104.
Bonifacius & Thecla Mart. 107.
Bova & Doda Rhem. Virg. 55. 107. 300.
Briccius Turon. Epiſc. 11. 58. 300.
Brigida Virgo Scota, 10.
Briocus Epiſc. 84. 91. 126.
Bruno Conſ. 8. 10. 69. 168.

C

CÆcilia Virg. & Mart. 8. 121.
Cæſarius frater S. Gregorii Naz. 58.
Calliſtus Papa & Mart. 8. 162. 221.
Candidus Mar. ex legione Theb. 30.
Candidus & Marculphus Sylvan. Ep. 190.
Cantius & ſocii Mart. 120.
Capraſius Agen. Mart. 11.
Carolus Borromæus Med. Epiſc. 31. 64. 105. 221.
Carolus Magnus, 29.
Caſimirus Conſ. 9. 10. 146. 229.
Catharina Virgo & Mart. 2. 28. 102. 122. 140. 141. 153. 156. 161. 170. 225.
Catharina Sen. Virgo, 9. 10. 54. 84. 90. 92. 98. 163. 176. 264. 301.
Centurio, qui Chriſti latus aperuit, 225. 230.
Ceraunus Par. Ep. 123. 300.
Chæremon. & ſocii Mart. 103.
Cherubim, 26. 99. 300.
Chriſtina Virgo & Mart. 9. 300.
Chriſtophorus Martyr, 9. 28. 300.
Chriſtus Dominus, 21. 24. 37. 192. 193. 237. 252.
Ejus Incarnatio, 36.
Nativitas, 6. 36. 77. 79. 114. 139. 164. 200. 233. 253. 277. 303.
Circunciſio, 6. 121. 138. 200. 277.
Epiphania ſeu Apparitio, 6. 79. 84. 121. 138. 139. 164. 200. 238. 277.
Relatio de Ægypto, 193. 237.
Inventio in Templo, 193. 237.
Baptiſmus, 36. 109.
Transfiguratio, 7. 10. 35. 60. 138. 164. 169. 200. 278.
Cœna, 36.
Paſſio ſeu Crucifixio, 36. 308.
Reſurrectio, 6. 37. 121. 200.
Aſcenſio, 6. 37. 79. 121. 138. 139. 164. 200. 277. 296. 303.
Feſtum Corporis ipſius, 7. 79. 95. 138. 139. 200. 238. 245.
Ejus Octava, 97.
Feſtum ſub titulo Salvatoris, 26. 35. 37. 95. 96. 193. 200. 202.
Sub titulo Nominis Jeſu, 10. 60. 75. 95. 98. 118. 119. 125. 153. 169. 172. 176. 193. 200. 202. 223. 234. 237. 278. 303. 304.
Quinque Plagarum, 10. 38. 60. 95. 98. 112. 123. 153. 176. 193. 223. 233. 234. 237. 248.
Præputii, 38. 303.
Sanguinis miraculoſi, 38. 59. 96. 146. 193.
Coronæ ſpineæ, 10. 38. 96. 98. 119. 126. 130. 153. 173. 174. 276. 193. 223. 237. 238. 303.
Sepulcri, Sudarii, Columnæ, Lanceæ, Clavorum, & aliarum ejus Reliquiarum, 37. 38. 96. 303.
Sancta Chriſti lacryma, 303.
Chryſanthus & Daria Mart. 8. 107.
Chryſogonus Mart. 8.
Cilinia S. Remigii mater. 58.
Cindeus Mar. 102.
Ciricus & Julitta Mart. 11. 22. 47. 83. 104. 145. 258.
Clara Virgo, 9. 82. 118. 159. 254.
Clarus Ep. & Mar. 56.
Clarus Nannet. Ep. 42. 146.
Clarus Turon. Presb. 55.
Claudius Veſunt. Ep. 11.
Clemens Papa & Mart. 8. 121. 140. 253. 171. 181. 196. 221. 224. 229. 230. 300.
Cleophas, 101. 195.
Clerus & Marcellinus Pont. & Mart. 9. 30. 164. 300.
Clodoaldus Pariſ. Conſ. 55. 123. 220.
Clotildes Regina, 107.
Cognoganus Coriſp. Ep. 2.
Colloquillus Rex, 120.
Columba Senon. Virgo & M. 11. 55. 91. 92. 120. 191. 300.
Columbanus Abbas, 11.
Conradus Conſ. 16. 158.
Conſtantinus Imperator, 58.
Cordula Virgo & Martyr, 30.
Corentinus Coriſop. Ep. 29. 84. 97. 126. 133. 154. 155. 165. 167. 228.
Cornelius Centurio, 106.
Coſmas & Damianus Mar. 8. 30. 203.
Criſpinus & Criſpinianus Mar. 11. 300.
Crux Sancta, 22. 37. 53. 69. 96. 116. 236. 237. 303. 308. 314.
Ejus Inventio, 7. 81. 121. 138. 139. 143. 144. 156. 164. 165. 170. 252. 277. 294. 299.
Exaltatio, 7. 81. 97. 121. 140. 278.
Apparitio, 96. 98. 119.
Suſceptio, 53. 193. 200.
Cucuſas Mart. 11.
Cunegundes Regina, 107.
Cunibertus Colon. Ep. 89.
Cyprianus Ep. & M. 30. 77. 106.
Cyprianus Pict. Mar. 55. 56. 88. 89. 300.
Cyprianus & Juſtina Mar. 8. 164.
Cyriacus & ſocii Mar. 8. 90. 163. 231.
Cyrillus Alex. Ep. 199.
Cyrillus Jeroſol. Ep. 103. 199.

D

DAmaſus Papa, 8
Daniel Propheta, 99. 164.
David Rex, 99. 195.
Dedicatio Baſilicæ Salvatoris, 9.
Dedicatio Baſil. Petri & Pauli, 9.
Dedicatio S. Mariæ ad Nives, 7. 9. 140. 253.
Dedicatio S. Mariæ ad Martyres, 10.
Dedicatio Eccleſiarum
- Abrincenſis, 146.
- Ambianenſis, 20. 88.
- Andegavenſis, 20.
- Aurelian. 18. 87.
- Bajocenſis. 87.
- Bituricenſis, 30. 87.
- S. Cappellæ Pariſ. 87.
- Carnutenſis, 19.
- Cenomanenſis, 87.
- Coriſopitenſis, 19.
- S. Dionyſii in Francia, 18.
- Ebroicenſis, 88.
- S. Germani Pratenſis, 87.
- Lexovienſis, 20.
- Maclovienſis, 88.
- S. Mariæ Angelorum 20.
- S. Martini Turon. 87.

Novio-

Dedicatio Eccleſiarum
- Noviomenſis, 87.
- Pictavienſis, 87.
- Præmonſtratenſis, 19.
- Rhedonenſis, 88.
- Rothomagenſis, 20.
- Sagienſis, 146.
- Senonenſis, 88.

Delphina Virgo, 107.
Delphinus Burdeg. Ep. 56.
Deſideratus Bit. Ep. 126.
Deſiderius Lingon. Ep. & Mart. 10. 104.
Deſiderius Vienn. Ep. & M. 104.
Deus abſolutè ſumptus, 34.
Deuſdedit Abb. Caſſin. 103.
Deuſdedit Conf. 130.
Didacus Conf. Ord. Min. 82.
Didymus Mart. 104.
Diodorus & ſocii M. 46.
Dionyſius & ſocii Mart. 8. 11. 28. 41. 42. 54. 55. 77. 83. 100. 108. 118. 119. 122. 124. 131. 140. 146. 155. 159. 160. 163. 164. 165. 167. 169. 172. 176. 196. 224. 230. 267. 300.
Eorumdem Inventio, 46.
Dominicus Inſtitutor Ord. Prædic. 8. 69. 70. 71. 84. 90. 116. 126. 165. 167. 170. 174. 203. 220. 257.
Domitilla Virgo & M. 90.
Dominationes, 300.
Donatianus & Rogat. Nannet. M. 10. 42. 119.
Donatus Ep. & M. 8. 221.
Dorothea Virgo & M. 9. 10.
Duodecim Fratres M. 9.

E

Ebbo Senon. Ep. 300.
Eduardus Angliæ Rex, 104.
Eleutherius Papa & M. 10.
Elias Propheta, 28. 70. 99. 164. 195. 230. 231. 237.
Eligius Noviom. Ep. 2. 11. 42. 54. 55. 117. 123. 140. 144. 300.
Ejus Translatio, 11. 51.
Ordinatio, 46.
Eliſabeth Regina Portugalliæ, 10. 64. 107. 174.
Eliſabeth Regina Ungariæ, 70. 107.
Eliſæus Propheta, 82. 99. 164. 195. 230. 231.
Elzearius Comes, 70. 123.
Emerentiana Virgo & M. 7.
Enoch Patriarcha, 28. 99.
Enos Patriarcha, 99.
Epaphras, 101. 164.
Eraſmus Ep. & M. 9.
Eſther Regina, 28. 99.
Evariſtus Papa & M. 9.
Eucherius Aurel. Ep. 301.
Eufronius Turon. Ep. 264. 301.
Eugenius Carthagin. Ep. 103.
Evodius Rotb. Ep. 123. 301.
Euphebius Conf. Neapol. 146.
Euphemia Virgo & Mart. 8. 31. 102. 108. 185.
Euſebius Conf. 8.
Euſebius Vercell. Ep. & M. 9. 10. 102. 163.
Euſpicius Aurelian. Conf. 301.
Euſtachius & ſocii Mart. 8. 93. 162. 166. 266. 300.
Eutropius Sancton. Epiſc. & Mart. 10. 42. 56. 257.
Euthymius & ſocii Mart. 103.
Eutychius Mart. diſcip. S. Joan. 102. 184.
Evurtius Aurel. Ep. 11. 42. 50. 82. 97. 119. 123. 133. 146. 266. 301.
Exuperius Bajoc. Ep. 2.
Exuperius Mart. Theb. legionis, 30.
Ezechias Rex, 99.
Ezechiel Propheta, 99.

F

Fabianus & Sebaſtianus M. 7. 30. 107. 120. 121. 140. 143. 164. 166. 185. 262.
Faro Meld. Ep. 42. 119.
Fauſtinus & Jovita M. 9.
Felicitas Martyr. 9.
Felicitas & Perpetua Mar. 8. 104. 300.
Felix Papa & M. 9.
Felix Papa, 58.
Felix Mart. 7. 42. 102. 184.
Felix & Adauctus M. 8. 162. 301.
Felix & Feliciſſimus M. 120.
Felix, Simplicius, &c. M. 8.
Fiacrius Meld. Conf. 11. 42. 45. 146.
Fides Virgo & M. Agenn. 11.
Fides, Spes & Charitas V. & M. 107.
Firminus Ambian. Ep. & M. 11. 42. 55. 57. 97. 116. 146. 167. 170. 171. 172. 198.
Ejus Vigilia, 77. 124. 125.
Octava, 83.
Inventio, 46. 117. 155. 160. 255. 258.
Ingreſſus in urbem, 46.
Officium per hebdomadam, 85. 203. 204.
Firminus alter Amb. Ep. 42. 116. 146. 231. 232.
Florentia Virg. & M. Pict. 56.
Florentinus Turon. Conf. 126.
Florentius Vienn. Ep. 103. 184.
Florianus Mart. 32. 146.
Florus Epiſc. 43.
Floſculus Aurel. Ep. 92. 301.
Fortis Ep. & Mart. 56.
Fortunatus Pict. Ep. 56. 119.
Franciſca vidua, 9. 10.
Franciſcus Inſtitutor Ord. Min. 7. 46. 69. 71. 89. 105. 116. 140. 153. 159. 161. 169. 170. 174. 180. 221. 224. 226. 230. 304.
Ejuſdem Impreſſio Stigmatum, 10. 46. 64. 70. 117. 125. 189. 238.
Franciſcus de Paula, 9. 10. 54. 84. 89. 98. 145. 161. 163. 166. 170. 268.
Ejus Canonizatio, 50.
Franciſcus Xaverius, 50. 70.
B. Franciſcus Borgia, 149.
Fridolinus Conf. Pict. 56.
Frigdianus Lucenſis Ep. 90.
Fuſcianus & ſocii Ambian. Mar. 11. 42. 83. 116. 170.
Eorum Vigilia, 78. 124.
Inventio, 46. 146.
Fulgentius Epiſc. 189. 221. 231.

G

Gabinus Mart. 103.
Gabriel Archangelus, 10. 25. 60. 96. 99. 112. 119. 159. 172. 173. 194. 304. 236.
Galla filia Symmachi, 107.
Gallicanus Mar. 11.
Gratianus Turon. Ep. 6. 11. 21. 42. 58. 126. 172. 176. 198. 201. 292. 229. 286. 299. 300. 301.
Ejus Octava, 81. 83. 84. 252.
Translatio, 47. 50. 117. 133. 146.
Revelatio, 47. 119.
Gaudentius Novar. Ep. 146.
Gaudioſus Africanus Ep. 103.
Geminianus Epiſc. 59.
Geneſius Arel. Mar. 11. 168. 221. 231.
Genovefa Pariſ. Virgo, 6. 10. 11. 42. 45. 47. 54. 70. 74. 81. 82. 83. 116. 118. 123. 133. 146. 159. 173. 235. 289. 287. 300. 304.
Ardentium, 47.
Georgius Mar. 2. 8. 28. 121. 140. 156. 300.
Geraldus Conf. 11.
Germanus Antiſſiod. Ep. 11. 55. 57. 120. 123. 146. 265. 300.
Germanus Par. Ep. 2. 5. 10. 12. 47. 54. 81. 116. 119. 146. 201. 202. 268. 300.
Gervaſius & Protaſius Mart. 8. 22. 23. 30. 53. 77. 78. 84. 85. 107. 116. 125. 133. 144. 146. 166. 201. 202. 203. 221. 235. 264.
Geruntius Ep. 203.

Gildar-

Gildardus Roth. 123. 301.
Giſlenus Epiſc. 46.
Gohardus Nannet. Ep. & M. 104.
Gordianus & Epimachus M. 8.
Gorgonia ſoror Gregorii Naz. 58.
Gorgonius Mart. 8.
Gregorius Papa & Doctor Eccl, 7. 100. 105. 163.
Ejus Ordinatio, 46.
Gregorius Nazianz. Ep. 8. 46. 48. 54. 58. 98. 105.
Gregorius Nyſſenus, 189.
Gregorius Thaumaturgus, 9. 98. 163. 168, 224. 230,
Gregorius Turon. Ep. 108. 301.
Guillelmus Bitur. Ep. 9. 42. 119.
Guillelmus Brioc. Ep. 52. 84.
Guillelmus Comes Pictav, 56. 82. 118.
Guingaloeus Abbas, 154. 221.
Gurvalius Maclov, Ep, 56.

H

HAbacuc & Michæas Prophetæ, 99.
Heduvigis Duciſſa Poloniæ, 107.
Helena mater Conſtantini Imp. 58. 107.
Henricus Imperator, 9. 10. 106.
Heraclius Senon. Ep. 300.
Hermelandus Conf. 301.
Hermenegildus Mart, 9. 10. 174. 176. 229.
Hermes Mart. 8. 267.
Hieronymus Eccl, Doctor. 7. 46. 105. 140. 163. 229.
Hilarion Abbas, 8.
Hilarius Ep. Pict. 7. 42. 54. 55. 58. 89. 97. 103. 105. 119. 146. 153. 161. 168. 234. 255. 258. 259. 266. 288.
Hilarius & Remigius Epiſcopi, 140.
Hilarius Arel. Ep. 231.
Hippolytus & Caſſianus Mar. 8. 58. 108. 164. 166. 257. 300.
Hœrvæus Conf. Armoricus, 154. 221.
Honoratus Ambian. Ep. 42. 57. 116. 146.
Honoratus Aurel, Ep. 168. 220.
Honulphus & Honobertus Senon, Ep. 58. 107. 190.
Hoſtia miraculoſa, 38. 303. 304.
Hugo Cluniac. Abbas, 116.
Hugo Gratianopol. Ep. 29.
Hugo Roth. Ep. 123. 301.
Hyacinthus Conf. Ord. Præd. 9. 10. 70. 82. 84. 90. 92. 146. 301.
Hyginus Papa & M. 9.

I

JAcob Patriarcha, 99.
Jacobus Apoſtolus Major, 58. 69. 78. 90. 93. 138.
Ejus Tranſlatio, 48.
Jacobus Apoſtolus Minor, 93. 166.
Januarius & ſocii Mart. 9. 10. 146.
Jaſon Diſcipulus, 101.
Jeremias Propheta, 99. 164. 230. 231. 237.
Jeſus filius Sirach, 99.
Ignatius Antioch. Ep. & M. 7. 106. 167. 224. 226. 228. 230. 304.
Ignatius Societatis Jeſu Fundator, 9. 10. 50. 69. 267.
Innocentes Martyres, 7. 30. 79. 84. 104. 139. 143. 163. 164. 170. 224. 230. 233. 234. 237. 238. 259. 269. 305.
Innocentius Papa & Conf. 185.
Innocentius Mar. Theb. legionis, 30. 49.
Joachimus pater B. Virginis, 9. 10. 28. 58. 100. 177.
Joannes Baptiſta, 7. 21. 28. 30. 46. 69. 100. 104. 113. 116. 121. 163. 165. 169. 170. 197. 198. 201. 202. 218. 226. 227. 252. 263. 273. 274. 304.
Ejus Nativitas, 7. 50. 138. 144. 171. 172. 245. 230. 257. 259. 260. 277.
Vigilia, 79.
Octava, 79. 84.
Decollatio, 7. 81. 90. 94. 117. 131. 140. 163. 169. 181. 230. 273. 304.
Inventio Capitis, 196.
Receptio Faciei, 53.
Joannes Evangeliſta, 21. 30. 58. 79. 84. 93. 98. 108. 121. 138. 163. 164. 170. 171. 181. 218. 227. 230. 259. 263. 269. 298. 305.
Idem ante portam Latinam, 7. 40. 121. 140. 201. 260. 294. 305.
Joannes Chryſoſtomus, 7. 47. 54. 90. 98. 105. 165. 168.
Joannes Gualbertus Abbas, 9. 10. 69. 120. 163.
Joannes Papa & M. 9. 102.
Joannes Damaſcenus, 163. 189.
Joannes Rhem. Conf. 55.
Joannes Turon. Conf. 55.
Joannes de Craticula Maclov, Ep. 56.
B. Joannes à S. Facundo, 123.
Joannes & Paulus Mart. 8. 30. 53. 153. 181. 257.
Job Propheta, 99. 164. 195. 230. 231.
Joel & Eſdras Prophetæ, 99.
Jonas Propheta, 99.
Joſeph Patriarcha, 99.
Joſeph Sponſus B. Virginis, 7. 13. 28. 58. 60. 100. 139. 140. 143. 164. 176. 195. 224. 228. 229. 275.
Joſeph ab Arimathia, 101. 196. 230. 232.
Joſias, 99.
Joſue & Gedeon, 99.
Jovinus Pict. Abbas, 55. 56.
Irenæus Lugd. Ep. & M, 106.
Irenæus & Abundius M. 11.
Iſaac Patriarcha, 99.
Iſajas Propheta, 99. 164. 230. 231. 237.
Iſidorus Conf. 50.
Iſidorus Epiſc. 189.
Judas Machabæus, 99.
Judas Apoſtolus, 166.
Juliana Virgo & M. 10.
Julianus Brivatenſis Mart. 11. 30. 44. 85. 92.
Julianus Cenom. Ep. 2. 10. 11. 22. 42. 43. 55. 58. 91. 95. 101. 119. 120. 123. 124. 133. 146. 169. 182. 201. 202. 229. 230. 231. 264.
Julianus & Hermes M. 107.
Julianus Pict. Abb. 56.
Ivo Conf. Armoricus, 10. 11. 34. 58. 70. 84. 118. 123. 130. 167. 220. 226. 228. 229. 231. 232.
Juſtina de Padua, 69.
Juſtinus Pariſ. Martyr, 55. 123. 300.
Juſtinus Martyr. 58.
Juſtus Lugd. Ep. 188.
Juſtus Diſcipulus S. Hilarii, 56.

L

LAmbertus Leodienſis Ep. & M. 11. 78.
Landericus Par. Epiſc. 123. 300.
Latro Sanctus, 196. 225. 230.
Latuinus Sagienſis Ep. 221.
Laudus Conſtant. Ep. 42.
Launomarus Conf. 10. 11. 126. 220.
Laurentius Mar. 7. 121. 138. 153. 163. 169. 170. 171. 176. 218. 223. 225. 226. 227. 228. 230. 278.
Ejus Vigilia, 203. 224.
Octava, 224.
Lazarus Maſſil. Ep. 11. 30. 37. 58. 101. 196. 197. 196. 230.
Ejuſdem Reſuſcitatio, 46. 94.
Lazarus Monachus, 102.
Leo I. Papa, 8. 119. 169. 221.
Leo II. Papa, 8. 163.
Leo Senon. Ep. 300.
Leobinus Carnut. Ep. 119.
Leodegarius Auguſtod. Ep. & M. 11. 104. 300.
Leonardus Lemovic. Conf. 11.
Leonius Pict. Conf. 56.
Leontius Sancton. Ep. 29.
Leufredus Par. Abb. 55.
Liberatus Ab. Mart. 106.
Licerius, 26.

Licinius Andeg. Ep. 29. 301.
Lidorius Turon. Epiſc. 6. 22. 42. 118. 133. 146. 220. 300.
Linus Papa & Mart. 8. 93. 300.
Liphardus Aurel. Conſ. 301.
Lucanus Par. Mart. 55. 123. 257. 300.
Lucas Evang. 7. 122. 140. 143. 229. 230. 238. 274.
Ejuſdem Translatio, 46.
Lucia Virgo & Mart. 8. 121. 141. 153. 169. 171. 181.
Lucianus Bellov. Mart. 45.
Lucius Papa & Mart. 9. 10.
Ludgerus Monaſter. Ep. 89.
Ludovicus Rex Franciæ, 8. 41. 55. 90. 106. 140. 165. 170. 172. 173. 174. 176. 221. 229. 232. 295. 300. 301.
Ejuſdem Translatio, 94.
Lupicinus & Felix Epiſcopi, 107.
Lupus Andeg. Ep. 301.
Lupus Senon. Ep. 11. 42. 82. 83. 97. 220. 300. 301.
Lupus idem & Ægidius, 21. 30. 42. 116. 118.

M

Macarius Abbas, 120.
Macarius Burdig. Epiſc. 56.
Machabæi Mart. 8. 28. 99. 237.
Maclovius Epiſc. 11. 22. 29. 43. 84. 133.
Macra Rhem. Virgo & Mart. 55. 300.
Magi Chriſti Adoratores, 195. 196.
Maglorius Dol. Ep. 11. 57.
Magnobodus Andeg. Ep. 301.
Magnus Mart. 11.
Malachias Propheta, 99.
Mamas Mart. 145.
Mamertus Vien. Ep. 43. 119. 301.
Marcella ancilla, 231.
Marcellinus & Petrus Mart. 8. 262.
Marcellus Papa & Mart. 7. 102. 288.
Marcellus Cabilon. Mart. 11.
Marcellus Pariſ. Epiſc. 6. 42. 45. 82. 92. 118. 119. 120. 133. 146. 159. 160. 170. 220. 238. 300. 319.
Ejuſdem Translatio, 47.
Marcus Evangeliſta, 7. 140. 141. 274. 277. 305.
Marcus cognomento Juſtus, 101.
Marcus Papa, 8.
Marcus & Marcellianus Mart. 8. 166.
Margarita Virgo & Mart. 8. 118. 156. 300.
Margarita Regina Scotiæ, 107.
B. Virgo Maria, 22. 25. 26. 31. 39. 47. 69. 71. 96. 124. 236. 237. 252. 303. 308. 309. 314.
Ejus Conceptio, 7. 39. 70. 71. 73. 81. 125. 140. 143. 144. 201. 278.
Nativitas, 7. 39. 84. 124. 138. 169. 230. 238. 263. 267. 278. 303.
Præſentatio, 7. 39. 60. 140. 172. 278.
Annunciatio, 7. 39. 90. 108. 113. 121. 138. 144. 145. 164. 256. 258. 261. 263. 278. 293.
Viſitatio, 7. 39. 60. 81. 82. 83. 84. 95. 140. 169. 230. 252. 263. 278.
Purificatio, 7. 39. 81. 108. 138. 164. 165. 176. 220. 259. 263. 264. 278. 296.
Aſſumptio, 7. 39. 79. 108. 114. 124. 138. 139. 176. 227. 230. 238. 245. 251. 252. 267. 277. 296. 303.
Expectatio partus, 10. 39. 60. 95. 98. 194. 286.
Compaſſio ſeu Feſtum Dolorum, 10. 39. 60. 95. 98. 119. 125. 126. 130. 153. 169. 173. 194. 237.
Recollectio omnium feſtorum, 39.
Miraculorum feſtum, 37. 59. 112. 123. 194.
Reliquiarum, 40.
Titulus B. Mariæ Angelorum, 10. 39.
Ad Martyres, 237.
De Præſepi, de Pilari, de Victoria, &c. 39. 59.
De Carmelo, 39. 74. 95. 96.
Guyet. Heortologia.
De Roſario, 39. 59. 60. 74. 95. 98. 194. 304.
Odigitria, 40.
Maria Ægyptiaca, 10. 163. 232.
Maria Magdalena, 7. 37. 47. 53. 58. 84. 107. 118. 121. 122. 140. 141. 143. 153. 163. 165. 171. 172. 175. 201. 224. 229. 230. 234. 238.
Ejuſdem Octava, 82.
Maria Jacobi & Salome, 195. 230.
Maria Cleophæ, 107.
Marius & ſocii Mart. 7. 186.
Martha Virgo, 8. 58. 224. 230. 300.
Martialis Lemovic. Ep. 11. 42. 55. 56. 91. 92. 100. 101. 113. 120. 123. 182. 221. 224. 230. 231. 234. 274. 300.
Ejuſdem Apparitio, 46.
Martina Virgo & Mart. 9. 10. 90. 92. 173. 176.
Martinus Papa & Mart. 8. 102.
Martinus Turon. 7. 11. 22. 27. 28. 30. 31. 41. 42. 46. 54. 55. 58. 74. 89. 98. 100. 105. 118. 121. 122. 139. 153. 165. 167. 169. 170. 171. 172. 175. 201. 224. 229. 234. 238. 295. 304.
Ejus Vigilia, 77. 124. 233. 238. 267.
Octava, 11. 81. 82. 83. 84. 131. 132. 133. 252. 254.
Ordinatio, 46.
Translatio corporis, 11. 46. 47. 50. 117. 120. 146. 160. 220.
Translatio capitis, 119.
Subventio, 48. 119.
Reverſio, 47. 119.
Receptio, 48. 269.
Exceptio Reliquiarum, 49.
Officium per hebdomadam, 85. 125. 203. 238.
Maternus Mediol. Ep. 102.
Mathatias, 99.
Mathurinus Conſ. 11. 55. 220. 300.
Matthæus Ap. & Ev. 126. 138. 163. 164. 230. 238.
Matthias Apoſtolus, 78. 93. 138. 139. 143. 164. 182. 230.
Matthias Jeroſol. Epiſc. 102.
Matildes Othonis Imp. mater, 107.
Maudetus Conf. 120.
Maura cum 9. filiis Mart. 107. 126.
Maurilius Ep. Andeg. 11. 22. 42. 77. 120. 124. 146. 172. 198. 220. 238. 267. 301.
Translatio, 49.
Mauritius & ſocii Agaunenſes Mart. 6. 8. 21. 22. 30. 47. 53. 83. 90. 97. 107. 116. 119. 133. 146. 159. 162. 169. 172. 175. 201. 202. 226. 236.
Maurus Abb. 7. 54. 69. 116. 118. 226. 228. 300.
Maurus & ſocii Mart. 55.
Maxentius Pict. Conſ. 56. 123.
Maxima Mart. 102.
Maximinus Aquenſis Ep. 101.
Maximinus Aurelian. Confeſſor, 301.
Maximus Cainon. Conſ. 44. 58. 133. 146.
Medardus & Gildardus Epiſc. 11. 42. 58.
Melanius Redon. Ep. 42. 91. 220. 266.
Melchiades Papa & Mart. 9. 102. 184.
Melchiſedech, 188.
Mellonus Roth. Ep. 119. 158. 220. 300.
Melorus Coriſop. Mart. 154.
Mennas Mart. 8.
Mevennus Maclov. Abb. 56.
Michael Archangelus, 7. 11. 25. 31. 46. 51. 96. 99. 112. 123. 138. 139. 140. 143. 164. 172. 177. 199. 202. 203. 236. 253. 278.
Ejuſdem Octava, 81. 82. 84.
Apparitio, 7. 9. 11. 46. 51. 273. 294.
Michæas Propheta, 28. 99.
Modeſti tres, 92.
Monegundes Matrona Turon. 106.
Monica S. Auguſtini mater, 9. 58. 82. 107. 118. 168. 221. 230. 278.
Monitor Aurel. Ep. 301.
Moſes Legislator, 99. 195. 230.
Mummolus Burdeg. Abb. 56.

N

NAbor & Felix Mart. 9. 78.
Nahum Propheta, 99.
Nazarius & Celſus Martyr. 8. 46. 78. 108. 262. 295.
Neemias Propheta, 99.
Nereus & ſocii Mart. 8. 166. 169. 186. 221. 231. 244. 294.
Nicaſius Rhem. Ep. & ſocii Mart. 11. 42. 57. 146. 172. 300.
Nicaſius Rothom. Ep. & ſocii Mart. 11. 301.
Nicolaus Epiſc. 2. 11. 27. 117. 121. 122. 140. 153. 160. 170. 201. 238.
Ejuſdem Translatio, 10. 46. 50.
Nicolaus Tolentinas, 9. 10. 54. 82. 98. 118. 121. 165. 170. 220. 234.
Ejus Canonizatio, 50.
Nicomedes Mart. 8.
Nivardus Rhem. Ep. 300.
Noe Patriarcha, 99.
Norbertus Epiſc. Fundator Ord. Præm. 9. 10. 69. 70. 90. 116.
Numidicus Mart. 102.

Q

ODilo Cluniac. Abb. 91. 92.
Odo Cloniac. Abb. 55. 69.
Omnes Sancti { Apoſtoli, Martyres, Conſeſſores, Virgines, } 305.
Omnes Sancti, 7. 30. 124. 139. 164. 201. 202. 226. 230. 238. 252. 277. 296. 298. 305.
Oneſimus Pauli Diſcipulus, 101.
Orientius & Patientia Mart. 58.
Oſeas & Aggæus Prophetæ, 99.

P

PAlatialis & Laurentia Mar. 103.
Palladius Bitur. Ep. 126.
Pantaleon Mart. 8.
Paraſceve, 156.
Paſcha, 79. 114. 138. 139. Annotinum, 68.
Pater æternus, 35.
Paternus Vener. Ep. 29. 220. 266.
Patritius Epiſc. 9. 10. 58.
Paula vidua, 58. 107. 118.
Paolinos Nolanus Ep. 8. 54. 56. 220. 224. 230.
Paulinus Trevir. Ep. 103.
Paulus Apoſtolus, 117. 162. 169. 176. 203. 224. 226. 227. 305.
Ejuſdem Cooverſio, 7. 40. 46. 117. 120. 121. 140. 164. 171. 176. 230. 235. 238. 273. 304.
Ejus item Commemoratio, 262. 273.
Paulus Leon. Epiſc. 81.
Paulus Peluſinus Ep. 103.
Paolus primus Eremita, 7. 106. 221. 288.
Pelagia Virgo Antioch. 104.
Pentecoſte, 6. 79. 89. 114. 121. 138. 139.
Ejus Vigilia, 78. 79.
Peregrinus Antiſ. Ep. & Mart. 146.
Perpetua & Felicitas Mart. 8. 104. 107.
Perpetuus Turon. Ep. 93. 301.
Petrooilla Virgo, 8. 156.
Petrus Apoſtolus, 2. 58. 117. 164. 169. 176. 224. 226. 228. 230. 257. 305.
Ejoſdem feſtum ad Vincula, 7. 40. 46. 121. 140. 146. 164. 169. 229. 235. 238. 273. 304.
Cathedra ejuſdem, 7. 9. 40. 46. 121. 146. 164. 171. 273.
Petrus & Paulus Apoſtoli, 21. 30. 79. 83. 84. 116. 121. 138. 183. 201. 202. 236. 259. 262. 277. 303. 305. 308.
Petrus Alexand. Ep. & Mart. 9. 98.
Petrus Chryſologus, 163.
Petrus Cœleſtinus, 69. 116. 120. 163. 188. 221.
Petrus Mart. Ord. Prædic. 8. 70. 82. 84. 151. 229. 301.
Philaſtrius Brixienſis Ep. 102.
Philbertus Abb. 11. 301.
Philemon Pauli Diſcipulus, 101.
Philippus Apoſtolus, 94. 182. 228. 230.
Philippus & Jacobus Apoſtoli, 30. 138. 160. 163. 165. 182. 183. 257. 262. 277. 305.
Philippus Nerius, 10. 50. 64.
Pius Papa & Mart. 9.
Placidus & ſocii Mart. 9. 10. 118. 162. 186.
Polycarpus Ep. & Mart. 7. 224. 231.
Pontianus Papa & Mart. 9. 102.
Pontius Mart. 43.
Pontius Diſcipulus S. Cypriani, 103.
Praxedes Virgo, 8. 58.
Prejectus Arver. Ep. & Mart. 10.
Pretextatus Rothom. Ep. & Mart. 55.
Primus & Felicianus Mar. 8.
Principatus & Poteſtates Angelicæ, 300.
Priſca Virgo & Mart. 7.
Priſcus Mart. 81. 101.
Privatus Gavalitanus Ep. & Mart. 11.
Proceſſus & Martinianus Mart. 8. 229.
Proſper Aquitanicus, 58. 189. 255. 263.
Proſper Aurel. Ep. 301.
Prothus & Hyacinthus Mart. 8.
Ptolemæus Mart. 104.
Pudentiana Virgo, 8. 58.

Q

QUadraginta Martyres, 9. 30. 162.
Quatoor Coroosti, 8. 30. 162.
Quintinus Martyr, 11. 44. 54. 85. 96. 120. 133. 146. 249. 300.
Ejuſdem Inventio, 46.
Quiriacus Epiſc. & Mart. 57.
Quiteria Virgo & Mart. 56.
Quodvultdeus Carthag. Epiſc. 103.

R

RAdegundes Regina Franciæ, 11. 55. 56. 107. 146.
Raphael Archangelus, 25. 96. 99. 236. 304.
Raveonus & Raiyphus Mart. 107.
Regulus Arelat. Ep. 93. 146. 258.
Reliquiæ Sanctorum, 146. 165. 197. 201. 238. 305.
Earum Suſceptio, 53.
Remigius Rhem. Epiſ. 8. 11. 41. 42. 50. 55. 83. 90. 100. 116. 131. 140. 146. 161. 171. 255. 258. 300.
Renatus Andegav. Ep. 11. 22. 42. 82. 118. 146. 167. 220. 234. 254. 280. 301.
Remundus Conf. Ord. Prædic. 84. 301.
Rigobertus Rhem. Ep. 300.
B. Ritta, 123.
Robertus Ciſterc. Abb. 69.
Rochus Conf. 11. 29. 60. 74. 127. 140. 220. 264. 267.
Romanus Burdeg. Conf. 56.

Roma-

Romanus Rothom. Ep. 6. 42. 58. 83. 116. 146. 158. 166. 171. 301.
Romanus Mart. 8. 58. 131.
Romualdus Abb. 9. 10. 69. 70. 90. 116. 120.
Ruffina & Secunda Virg. & M. 8. 58.
Ruffus Martyr, 11. 69.
Ruth Moabitis, 99.

S

SAbas Abb. 9.
Sabina Mart. 8.
SS. Sacramentum, 36. 60. 72. 74. 203. 204. 238. 304. 308. 312. 312. 314. 317.
Ejus Recuperatio, 193.
B. Salonius, 149.
Samſon, 99.
Samſon Dolenſis Ep. 11. 29. 43. 46. 85. 119. 123.
Ejus Ordinatio, 119.
Samuel Propheta, 28. 99.
Sanctianus & ſocii Mart. 55. 107. 300.
Saturninus Mart. 8.
Saturninus Toloſ. Ep. & Mart. 11. 42. 85. 96. 250.
Saturninus & ſocii Mart. 103.
Savinianus & Potentianus Senon. Ep. & Mart. 42. 55. 57. 58. 83. 116.
Savinus Pict. Mart. 55.
Scholaſtica Virgo, 10. 58. 118. 226. 228.
Scillitani Martyres, 30.
Sebaſtianus Mart. 2. 7. 60. 74. 304.
Septem Dormientes, 30. 103.
Septem fratres Martyres, 8. 30. 162. 168.
Septem fratres Armenii, 103.
Seraphim, 25. 26. 99. 300.
Serenedus Andeg. Conſ. 118. 220.
Sergius & Bacchus Mart. 41. 301.
Severinus Agaun. Abb. 10.
Severinus Noricorum Apoſtolus, 100.
Severinus Colon. Ep. 56. 83.
Severinus Pariſ. Conſ. 123. 300.
Severus Neapol. Ep. 246.
Silas Apoſtolus, 100. 101. 164. 230. 234. 274.
Siffredus Carpentoract. Ep. 26.
Silvanus Bitur. Conſ. 101.
Silverius Papa & Mart. 9. 102. 230.
Silveſter Papa, 7. 89. 119. 139. 143. 220. 234. 286.
Silveſter & Martinus, 21. 116.
Silveſter & Tranquillinus Cabil. Epiſcopi, 107.
Simeon ſenex, 28. 100. 195. 225. 230. 232.
Simeon Ep. & Mart. 9. 59.
Simon Sacerdos, 188.
Simon & Judas Apoſtoli, 30. 60. 93. 138. 160. 165. 262.
Simplicianus Epiſc. 58.
Simplicianus Pict. Mar. 55.
Sinicius Rhem. Ep. 300.
Siviardus Cenom. Conſ. 120.
Sixtus Rhem. Ep. 300.
Solemnis Carnut. Ep. 93
Sophia Mart. 35.
Sophonias Propheta, 99.
Sophronia Virgo & Mart. 104.
Soſthenes Pauli Diſcipulus, 102. 184.
Soter & Cajus Pont. & Mart. 9. 30. 164.
Spiritus ſanctus, 35. 200. 202. 236. 298. 303. 308. 314.
Stachis Apoſtolorum Diſcipulus, 101.
Stanislaus Cracov. Ep. & Mart. 9. 10. 90. 104. 146.
B. Stanislaus Koſka, 149.
Stephanus Protomartyr, 2. 7. 21. 23. 26. 101. 117. 121. 138. 164. 169. 170. 171. 173. 176. 198. 201. 202. 224. 226. 227. 230. 234. 259. 263. 277.
Guyet. Heortologia.
Ejus Octava, 81. 83.
Inventio, 7. 46. 50. 81. 83. 94. 97. 117. 123. 133. 140. 146. 149. 160. 163. 169. 238.
Officium per hebdomadam, 85. 125. 203. 204.
Stephanus Papa & Mart. 8.
Stephanus de Mureto Conſ. 69.
Stephanus Rex Ungariæ, 9. 10. 106.
Sulinus Maclov. Abb. 56.
Sulpitius Bitur. Ep. 8. 10. 11. 28. 42. 57. 58. 82. 91. 119. 133. 146. 148. 167. 264. 301.
Sulpitius Severus, 58.
Suſanna Virgo & Mart. 8. 9.
Suſanna uxor Joachim, 99.
Suvibertus Epiſc. Colon. 29.
Symphorianus Auguſtod. Mart. 126. 300.
Symphoroſa cum 7. filiis, 9. 162. 186.

T

TAtiana Virgo & Mart. 102.
Taurinus Ebroic. Ep. 42. 46. 220.
Teleſphorus Papa & Mart. 9. 10.
Tereſia Virgo, 10. 50. 70. 82. 89. 93. 116.
Thaddæus Apoſtolus, 93.
Theobaldus Conſ. 11.
Theodoricus Rhem. Conſ. 300.
Theodorus Mart. 8.
Theodoſius Cœnobiarcha, 102.
Theodorus Cyriniæ Ep. 102.
Theophanes Monachus, 103.
Theophilus Monachus, 103.
Theophilus Nicom. Ep. 103.
Thomas Apoſtolus, 78. 93. 126. 138. 143. 144. 224. 229. 230.
Ejus Translatio, 51.
Thomas Aquinas, 8. 54. 70. 82. 98. 140. 146. 163. 235. 301.
Thomas Cantuar. Ep. & Mart. 8. 54. 98. 104. 163. 169. 221. 226. 231. 234. 287. 288.
B. Thomas de Villanova, 149.
Throni Angelici, 300.
Tiburtius Mart. 8. 102. 164. 166.
Tiburtius, Valer. & Max. Mart. 8.
Tigides & Remedius Ep. 107.
Timotheus Epiſc. & Mart. 7. 46. 58. 101. 164. 165. 224. 231.
Timotheus, Hippolytus & Symphor. Mart. 8.
Timotheus & Apollinaris Mart. 55. 300.
Titus Pauli Diſcipulus, 58. 101.
Tobias Propheta, 99.
Torpes Mart. 102.
Trinitas Sanctiſſima, 6. 10. 21. 34. 35. 67. 69. 95. 138. 200. 202. 236. 237. 238. 258. 259. 278. 295. 303. 314.
Ejus Octava, 84. 295.
Trophymus Arelat. Ep. 100. 101. 164. 168. 172. 182. 221. 234.
Trypho & ſocii Mart. 9.
Tugdualus Trecorenſis Ep. 84. 154.

V

VAlentinus Mar. 7. 106. 229.
Valentinus & alii Ep. 103.
Valeria & Pollena Virg. 107.
Valerianus Ep. & M. 103.
Valerius Mart. 21.
Vandregeſilus Abb. 11. 91. 123. 301.
Vanulphus Confeſſor, 46.
Ubaldus Epiſc. 9. 10.
Vedaſtus & Amandus Ep. 10. 11. 30. 56. 107. 190.
Venantius Turon. Abb. 93.

Vencellaus Dux Bohemiæ, 104. 146.
Victor Maſſil. Mart. 11.
Victor Mart. ex legione Theb. 30.
Victor Papa & M. 9. 295.
Victor Mart. Thebaidos, 118. 300.
Victor Conf. 157.
Victor & Victorinus Mart. 103.
Victorinus Pict. Ep. 56. 119.
Victricius Rothom. Ep. 102. 123. 168. 301.
Vigor Bajoc. Ep. 91.
Vincentius Mart. 2. 5. 7. 21. 22. 70. 84. 116. 133. 140. 145. 146. 161. 167. 172. 173. 198 201. 202.
Vincentius & Anaſtaſius M. 30. 107. 108. 166.
Vincentius Ferrer. Ord. Præd. 49. 70. 82. 84. 93.
Virtutes Angelicæ, 300.
Vitalis Mart. 8.
Vitalis & Agricola Mar. 8. 93.
Vitalis & Valeria Mar. 58. 107.
Vitus & ſocii Mart. 8. 42.
Voluſianus Tur. Ep. & M. 103. 184. 340.
Urbanus Papa & M. 8. 221.
Urſinus Bitur. Ep. 11. 42. 119. 123. 133. 146. 148. 231. 166. 287. 301.
Urſula & ſociæ Virg. & M. 8. 30. 69. 116. 191.
Vvaleſius & Luxor Conf. 190.
Vulfrannus Senon. Ep. 188. 300.

X

Xyſtus & ſocii Mart. 8.

Z

Zacharias & Eliſabeth, 28. 58. 100. 106. 195. 196. 225. 230. 232.
Zacharias Propheta, 99.
Zeno Veron. Ep. 46.
Zephyrinus Papa & M. 9.

INDEX ALTER
RERUM IPSARUM,
Quæ ſingulis quæſtionibus agitantur.

A

Abbas;

ABbatis nomen Sanctis Abbatibus adſcribendum, 106.
Abbas accipiendus pro Regulari, *ibid.*
Abbatibus Martyribus non tribuuntur ea quæ Abbatum propria ſunt in Officio Confeſſorum, *ibid.*
Neque etiam conveniunt Abbatibus ſæcularibus, 188.

Abbatialis Eccleſia.

Quæ dicatur? 3.
Abbatiæ aliæ aliarum matres dictæ, aliæ filiæ, 58.

Accidentia.

Quid hoc nomine intelligatur? 243.

Additio.

Sint-ne legitimæ additiones ad Officium ex alienis à Romano uſibus? 217.
Ut tolerandæ exiguæ? *ibid.*

Advocatus.

Quid differt à Patrono? 24.

Affinitas.

Qualis inter Sanctos? 58.
Feſta Eccleſiæ Cathedralis ex affinitate, vicinitate, &c. non pertinent ad diœceſim, 131.

Alleluja.

Lætitiam ſonat, 227.
Ut addendum tempore Paſchali antiphonis, reſponſoriis, &c. 187.
Olim in ſabbato & Dominica Septuageſimæ frequentius uſitatum, 289.
Illius loco poſt Septuageſimam nihil in Antiphonis reponendum, 290.
Non omittendum cum verſu in Miſſis votivis tempore Adventus, 311.

Altare.

Quid differt à Capella, 75.
Duplex, fixum & portatile, *ibid.*
Feſtum Patroni Altaris an fieri debeat? *ibid.*
Altaria Martyrum ſepulcra, 33.

Amentes.

Ut poſſunt fieri Martyres? 104.

Angeli.

Iis dicantur Eccleſiæ, 25. 26.
Eccleſia dicata ſanctis ſeptem ſpiritibus aſtantibus ante Deum, 26.
Eorum feſta iis diebus conſignata, qui ipſorum apparitione inſignes exiſtunt, 96.
Feſtum Angelorum Cuſtodum, quo die fit, *ibid.*
Eſt duplex minus duntaxat, 273.
Angelorum ordines ut diſpoſiti, 99.
Præſtare univerſim Angelos hominibus in gratia, 274.
Plures ex hominibus æquari aut etiam præſtare Angelis in gratia, *ibid.*
In æqualitate Officii SS. Angeli ſemper præferendi ſanctis hominibus, *ibid.*
Etiam Apoſtolis, *ibid.*

Annunciatio B. Mariæ.

Dies ejus fuit olim mutatus, 90.
Fit in majori hebdomada, aliquibus in locis, 258.

Antiphonæ.

Aliæ Pſalteriales, aliæ hiſtoricæ, aliæ mixtæ, 170.
Propriæ in aliquibus Officiis plures, in aliis pauciores, *ibid.*
Qualis debet eſſe illarum inter ſeſe connexio? 171.

Ut iis addendum Alleluja? *ibid.*
Sitne legitimus uſus non duplicandi Antiphonas? 215.
Sitne legitimum aliquas ſupprimere? *ibid.*
Ratio jungendi Antiphonas cum Pſalmis, à quo derivata, 110.
Antiphonæ Laudum Dominicæ quartæ Adventus reſumendæ, ſi impediantur, 285.
Aliarum Dominicarum Adventus, minimè, *ibid.*
Satius eſt non reſumi Antiphonas Laudum ſex feriarum ante Vigiliam Nativitatis, 286.
Antiphonæ majores O, in quibuſdam uſibus plures quam ſeptem, *ibid.*
Antiphonæ *Tecum principium* dicendæ pridie Circumciſionis, ſi Veſperæ fuerint de Feſto proprio ea die occurrente? 186.
Antiphonæ Laudum Dominicæ Septuageſimæ & ſequentium reſumendæ non ſunt, ſi impediantur, 291.
Antiphonæ *Ne reminiſcaris*, & *Trium puerorum* quando duplicandæ? 302. Omittendæ in Miſſis defunctorum, *ibid.*
Antiphonæ finales B. Mariæ, non dicendæ, niſi à Choro diſcedatur, 207.
Non dicendæ item cùm ſequitur Officium Defunctorum, *ibid.*

Apoſtoli.

Iis dicatæ Eccleſiæ, 29.
Apoſtoli multi appellati in Epiſtolis Pauli, 100.
Dicti item Apoſtoli, primi in regionibus fidei ſatores, *ibid.*
Nonniſi Apoſtolorum diſcipuli aut ab iis miſſi, dicti Apoſtoli, 101.
Nulli de novo inter Apoſtolos cooptandi, *ibid.*
Uſus paucis id tribuit, *ibid.*
Apoſtolorum Officium nullis Sanctis niſi Apoſtolis & Evangeliſtis tribuendum, 182.
Paucis aliis ex uſu receptо, *ibid.*
Quinam præter duodecim Apoſtolorum nomine veniant? 274.
In Officio Apoſtolorum dicta in plurali, etiam uni conveniunt, 183.
Commune Apoſtolorum varium in quibuſdam aliis uſibus, *ibid.*

Apparatus.

Solemnitas apparatus ſupponit ſolemnitatem feſti, 66.

Archiepiſcopus.

Propria Eccleſiarum Metropolitanarum ſuis Sanctis Præſulibus Archiepiſcopi titulum adſcribunt, 105.

Aſſumptio B. Mariæ.

Feſtorum B. Mariæ celeberrimum, 7. 138.
Uſu Pariſienſi eſt immunis ejus Octava ab omni feſto, 270.

Attributa divina.

Nulla templa ſub ipſorum titulo erigi ſolita, 35.

Authoritas.

Quidquam decernendi in divinis Officiis non debet eſſe communis, 254.

B

Baſilica;

HOc nomine dictæ Eccleſiæ auguſtiores, 26.

Beatificatus.

Non poteſt eſſe Eccleſiarum Patronus. 29.

Non poteſt Epiſcopus de eo feſtum populo præcipere, 149.
Non poteſt de eo fieri Octava, nec dici Miſſa votiva, 29. 149.
Beatificatio, ſi Canonizatio eſt, non niſi limitata, 149.

Benedictio Candelarum.

Non ſeparatur à feſto Purificationis, ſi ipſum feſtum non transfertur, 290.
Tranſlato feſto quoad feriationem, transferenda quoque videtur Benedictio; ibid.
Ut agendum, occurrente eodem die Feſto Patroni vel Dedicationis, ibid.

Benedictio menſæ.

Verſus proprii ſolemnitatum inchoandi pridie feſti in cœna, ſi cœnatur, 302.
In Paſchate dicendum *Benedicite*, ibid.
Verſus Pentecoſtes dicendi in ſabbato ſequenti, ibid.
In jejuniis Regulæ apud regulares in prandio omnia dicuntur ut in cœna, ibid.

Biſſextus.

Natalis Sancti qui in die Biſſexti obiit, adſcribendus 23. Februarii, 94.

Breviarium.

Romanum œcumenicum, 6.
Quignonianum proſcriptum, 111.
Eccleſiæ jus Breviarii habentes poſſunt illud ſua authoritate emendare, 156.
Tribus modis diſcrepant alia breviaria à Romano quoad formam, 210.

Brevitas.

Reprehenduntur qui Brevitatem in Officio divino nimis affectant, 74. 212. 214. 215. 298. & *alibi paſſim*.

C

Calendarium.

PRopria Eccleſiarum Calendaria ex Romano deprompta, 6.
Calendarium Radulphi Tongr. ibid.
Vetus S. Genoveſæ Pariſienſis, ibid.
Monaſticum. ibid.
Calendarium Eccleſiæ Metropolitanæ ad Suffraganeas olim traductum, 15.
Multa aliàs ex Pariſienſi tranſcripta, ibid.
Nulla Officia Calendario Romano addenda, 16.
Nulla ex ipſo expungenda, 9.
Comparatio duplicis motus cœli cum duplici Calendarii revolutione; 92.
Pro Calendarii emendatione ſublati decem dies, 93.

Canones.

Canon univerſalis non poteſt infringi niſi uſu legitimè præſcripto, 213.
Canon Gregorii VII. expenſus, 210.
Canon Concilii Carthag. explicatus, 25.
Canones ex Jure citati frequentiſſimè.

Canonizatio Sanctorum.

Quid ſit, quotuplex, &c. 27.
Tribus modis conſtare poteſt de legitima Canonizatione, ibid.
Non eſt liberum de quolibet Canonizato Officium celebrare, 28.
Dubium de Canonizatione Caroli Magni Imp. 29.
S. Rochus ut Canonizatus, ibid.
Sancti aliquot ante Alexandrum III. Canonizati, ibid.
An & qualiter fieri poſſit feſtum Canonizationis Sanctorum, 50.
Feſta propria Sanctorum Canonizatorum non eo nomine majora ſunt præ feſtis paribus Beatificatorum, 119.
Non poſſunt ampliùs Epiſcopi Canonizare, 149.
Honores Sanctis per Canonizationem exhiberi ſoliti, ibid.

Capitulum.

Capitulorum quæ ratio in Officio, 176.
In feſtis propriis rarò habentur propria, ibid.
Nonniſi ex Scriptura ſumuntur, 177.
Et ut plurimùm ex Epiſtola Miſſæ, ibid.
Ut præmittenda vox *Fratres*, vel *Chariſſimi*, ibid.

Cappella.

Unde dicta? 75.
Eſt ædes minor, à majori ex toto ſeparata, ibid.
Non debet celebrari feſtum Patroni, ſeu Tituli Cappellæ, niſi ejus quæ titulus eſt Beneficii, 76.
Stante cenſu Cappellæ vel Altaris, ſtat quoque Patroni cultus, ibid.

Cardinalis.

Dignitas eminentiſſima, 105.
Non apponitur in Calendariis, ibid.

Caſus extraordinarii.

Prævisi, non tamen definiti à Rubricis, præſumendi nunquam occurrere, 259.
Caſus particulares circa tranſlationem Feſtorum, 261. 262. 288. 889. 295.
Triplex notabilis circa occurrentiam feſti cum Octava, 269.
Circa concurrentiam, 276. 277.
Circa initium Epiſtolæ ad Romanos, 287.

Cereoſtata.

Ordo ſeptem Cereoſtatorum, 226.

Cereus Paſchalis.

Quis ritus ipſum accendendi, 294.

Chorus.

Solemnitas ſeu apparatus Chori reſpondere debet dignitati gradus feſti, 113.
Poteſt major adhiberi ſolemnitas in aliquibus feſtis quàm in aliis ejuſdem gradus, ibid.
Major Chori celebritas facit ut feſtum proprium æquali alteri præferatur, 264.
Nihil de ratione Officii mutandum ob celebritatem Chori, 276.

Chriſtus Dominus.

Ejus feſta ubique ſemper ſervata, 6.
Non dicitur propriè Patronus, 24.
Ei convenienter dicatæ Eccleſiæ, 35.
Non tamen ejus perfectionibus in abſtracto, 36.
Templa ſingulorum Chriſti Myſteriorum titulo dicata, ibid.
Item Reliquiarum ejuſdem, 37.
Myſteria ejus nulla ferè ſunt quæ diem certum non habeant, 95.
Vix occurrunt ſimul plura feſta Chriſti Domini, 108.
Ejus præcellentia in natura & gratia, 273.

Civitas.

Quid Civitas, quid Oppidum, Burgum, Pagus, 44.

Clerici.

Sæculares alii, alii Regulares, 69.

Cognomen.

Sanctis quibuſdam additum, 98.

Color.

Alteruter albus vel rubeus in omnibus feſtis adhibendus, 237.
In feſtis Chriſti Domini ad Paſſionem pertinentibus rubeus, albus in aliis apponendus, ibid.
Albus in feſtis B. Mariæ etiam Compaſſionis, ibid.
Sanctis veteris Teſtamenti Martyribus rubeus, cæteris albus tribuendus, ibid.
Violaceus pro SS. Innocentibus, ibid.
Infra Octavas color ut in die, ibid.
In feſtis ſecundariis color idem qui in feſto principali, ibid.
In vigiliis luctuoſis violaceus, in ſolemnibus non luctuoſis color feſti, 238.
Diverſi uſus Eccleſiarum circa colores, ibid.
Romanus uſus concinnior, ibid.
Officium & Miſſa cum colore ipſis convenienti celebrandum, etiam expoſito SS. Sacramento, ibid.
Conopæus ſupra SS. Sacramentum violaceus loco nigri ponendus, ibid.
Mutandi colores vel ante Veſperas vel ante Matutinum, 239.
In Miſſis votivis color proprius adhibendus, ibid.
In Miſſa pro Defunctis utendum ſemper nigro colore, ibid.

Comme-

Digitized by Google

Commemoratio.

Supplet vices Officii, 244.
Conſtat antiphona, verſu & Oratione, *ibid.*
Non fit niſi in Veſperis & Laudibus, *ibid.*
Item in Miſſa, *ibid.*
Ordo Commemorationum, *ibid.*
Plures non occurrunt quàm tres ejuſdem ordinis, 199.
Commem. Dominicarum, 244.
Feriarum Adventus & Quadrageſimæ, 246.
Rogationum, 247.
Feriæ 6. poſt Oct. Aſcenſionis, 248.
Feſti ſimplicis, 249.
Vigiliarum, *ibid.*
Octavarum, 251.
Quæ Commemorationes omittendæ in duplicibus primæ claſſis, 276.
Quæ in duplicibus ſecundæ claſſis, *ibid.*
Commemoratio Dominicæ in uno caſu præfertur Commemorationi Diei Octavæ, *ibid.*
Quo die facienda Commemoratio Dominicæ infra oct. Nativitatis, 287.

Commune.

Officium de Communi ſumendum in feſtis Sanctorum vel totum vel ex parte, ad ſupplendum quod deeſt in Proprio, 181.
Quæ ſeligenda Oratio? *ibid.*
Quis ſermo pro Lectionibus ſecundi Nocturni, *ibid.*
Aſſumenda homilia in Evangelium, quod in Miſſa legitur, *ibid.*
Lectiones de Scriptura pro primo Nocturno poſitæ, quando aſſumendæ? *ibid.*
Nihil in uno Communi ab alio deſumitur niſi interdum homilia, 182.
Commune Apoſtolorum nullis aliis tribuendum, *ibid.*
Commune unius Martyris convenit cuicunque Martyri, etiam veteris Teſtamenti, 183.
Commune plurimorum Martyrum per accidens impenditur non Martyribus, 185.
Commune Confeſſ. Pontificis ſolis Epiſcopis conſecratis tribuendum, 187.
Etiam iis qui Epiſcopatui renuntiarunt, 188.
Non tamen Sacerdotibus veteris legis, *ibid.*
In multis uſibus habetur Commune plurimorum Confeſſorum, 190.
Non Pontifex junctus Pontifici colitur eodem cum ipſo Officio, *ibid.*
Quibus competat Commune Virginum & non Virginum, 191.
In dubio, ſitne Sanctus aliquis Martyr an Confeſſor, præſtat adhiberi Officium Confeſſoris, 196.
In dubio, ſitne Epiſcopus, Abbas, aut Virgo, non tribuenda quæ Epiſcopi, Abbatis aut Virginis ſunt propria, 197.
Explicata aliqua in Officiis de Communi, 183. 184. 185. 186. 187. 189. 191.
Quædam in iiſdem cavenda, 183. 189.
Quædam in aliis Breviariis diverſa à Romano in Officiis de Communi, 183. 184. 185. 186. 189. 191. 192.

Communicantes.

Separatur interdum à ſua Præfatione, 235.
Nunquam dicitur in Miſſis Defunctorum, 331.

Communicatio privilegiorum.

Quid ſit, 71.
Locum non habet in iis quæ ſpectant ad Officium, 72. *& ſeq. fusè.*

Commutatio.

Feſti ex fundatione, an & quomodo facienda in aliud æquivalens, 62.
Non eſt liberum cuique Officium diei in aliud commutare, *ibid.*
Sit-ne peccatum commutatio Officii diei per inſcitiam aut inadvertentiam, *ibid.*

Completorium.

Quæ ſit forma illius? 208.

Concurrentia.

Concurrere quid ſit in Jure Civili, 271.
Concurrentia duorum Officiorum fit in Veſperis, *ibid.*
Activa una, paſſiva altera, *ibid.*
Inter quæ Officia reperiatur concurrentia, *ibid. & ſeq.*
Concurrentia efficit, ut inter feſta inæqualia Veſperæ ſint de majori cum commemoratione minoris, inter æqualia verò dimidientur, 272.
In Concurrentia, præferenda feſta Domini, omnibus aliis, & feſta B. Mariæ feſtis Sanctorum, 273.
Feſta Angelorum, aliis, etiam Apoſtolorum, horum verò cæteris omnibus, *ibid.*
S. Joannes Bapt. an aliis præferendus? 274.
Dies Octavæ feſtorum Domini non dimidiant Veſperas cum æqualibus, 275.
Neque ulla Dominica cum ſequenti ſemiduplici, *ibid.*
Feſtum quia colibile non idcircò habet integras Veſperas præ alio æquali non colibili, *ibid.*
Feria nunquam propriè concurrit, 276.
In concurrentia feſtorum propriorum inter ſe & cum aliis, majora minoribus ſemper ſunt præferenda, *ibid.*
Inter æqualia etiam primæ & ſecundæ claſſis Veſperæ dimidiandæ, 276. 279.
Feſta generalia Chriſti Domini, & B. Mariæ, præferenda æqualibus propriis, 278.
In concurrentia Patroni & Dedicationis Eccleſiæ, utrum alteri præferendum, 280.
Patroni ſeu Dedicationis Eccleſiæ cum Patrono loci & Ordinis, *ibid.*
Patroni loci cum Patrono Ordinis, *ibid.*

Confeſſio.

Nec Patronus, nec quivis alius Sanctus debet nominari in Confeſſione, 236.
Confeſſio, locus in Eccleſia ubi ſervantur Reliquiæ, 31. 32.

Confeſſores.

Qui olim dicti, 99. 105.
Jam dicuntur Sancti omnes non Martyres, 99. 105.
Confeſſores dicti Martyres metaphoricè, 105
Plures poſſunt ſimul jungi, 107.

Confraternitas.

Eccleſiarum inter ſe, 57.

Congregatio.

Congregationes ſunt ſæcularium, aliquæ etiam Regularium, 69.

Conjugata.

Nullæ in Calendario deſcriptæ, 107.
Ut inſcribendæ? *ibid.*

Conſecratio Eccleſiæ.

Quandonam perit? 19.

Conſtitutio.

Uſu non recepta non obligat, 143.
Nova antiquam abrogans vim habet ſtatim atque promulgata eſt, *ibid.*
Conſtitutio Urbani VIII. de obſervantia Feſtorum, 141.

Conſuetudo.

Conſuetudo præſcripta valet quoad feſta à Rubricis permiſſa, non quoad alia, 17.
Feſta poſt Bullam Pii V. inducta, conſuetudine non juvantur, *ibid.*
Dantur feſta propria ex conſuetudine, 64.
Debet conſuetudo eſſe legitima, *ibid.*
Debet fuiſſe inducta ante Bullam Pii V. 67.
Debet eſſe Sancti ſeu Myſterii approbati, *ibid.*
Non tamen neceſſariò debet eſſe præſcripta, *ibid.*
Conſuetudo præter legem præſcriptione non indiget, *ibid.*
Qualiter retineri poſſint aut dimitti feſta ex conſuetudine, 68.
Contra jus de novo inducta non poſſunt conſuetudinis titulo retineri, *ibid.*
Abrogata non poſſunt reſtitui, 69.
Conſuetudo eſt inſtar traditionis, 67.
Non valet contra jus Eccleſiaſticum; niſi 40. annorum ſpatio præſcripta, 68.
Nec contra ea quæ reſervata ſunt in ſignum ſpecialis privilegii, *ibid.*
Manente ratione legis, lex conſuetudinem vincit, *ibid.*
Quo ritu fiunt feſta ex conſuetudine, 118.

Feſta ex Conſuetudine propria Eccleſiæ Cathedralis non pertinent ad Diœceſim, 131.
Nulla Conſuetudo valet pro retinendis Officiis ſuſpicione falſi laborantibus, 155.

Credo in Miſſa.

Majoris eſt ſolemnitatis indicium, 233.
Triplex cauſa recitandi illud in certis feſtis, *ibid.*
In quibus feſtis propriis dicendum? 233. 234.
Feſta ſemiduplicia ex accidenti habent, 234.
Poſſe etiam habere ex ſe probabilius eſt, *ibid.*
Feſta ſimplicia, Vigiliæ, ac Feriæ nunquam habent, etiam ex accidenti, *ibid.*
Nunquam dicendum in Miſſa votiva niſi ſolemni, 311.

Crux.

Quando debeant tegi Cruces & Imagines, 291.

D

Decretum.

SAcræ Congregationis Rituum ſuper feſta propria, 15.
Qualiter & quos obliget, 16.
Aliud ſuper electione Sanctorum in Patronos, 45.
Aliud à Gavanto relatum explicatur, 160.

Dedicatio Eccleſiæ.

Eſt natale ipſius, 17.
Dupliciter accipitur, pro ipſo die Dedicationis, & pro Anniverſario, *ibid.*
Dedicationis feſtum non fit niſi Eccleſia verè ſit dedicata, 18. 88.
Eccleſiæ divinitus dedicatæ, 18.
In dubio conſecrationis, Eccleſia eſt conſecranda, *ibid.*
Deſinente conſecratione deſinit ratio feſti Dedicationis, *ibid.*
Poſterioris tantùm ratio habenda ubi duplex eſt Dedicatio, 20.
Fit tantùm propriæ Eccleſiæ, & Cathedralis per totam Diœceſim, 19. 88.
In multis Diœceſibus fit omnium ſimul Eccleſiarum, 20. 88.
Non fit Altaris nec Cappellæ, 20.
Fiunt Octavæ Dedicationis propriæ Eccleſiæ, & Cathedralis in Civitate, 80.
Quibus diebus fieri non debet Eccleſiarum Dedicatio, 87.
Dies proprius Dedicationis Eccleſiæ non mutandus extra actum Dedicandi, *ibid.*
Quibus ex cauſis mutandus, *ibid.*
Epiſcopi eſt decernere diem Dedicationis cùm neſcitur, 88.
Reſtituendus dies Dedicationis proprius cùm antè ignotus reſcitur, *ibid.*
Forma inſcribendi diem Dedicationis, 98.
Quomodo plurium Eccleſiarum Dedicationes ſimul jungi contingat, 108.
Dedicatio propriæ Eccleſiæ eſt primæ claſſis, 115. 117.
Item & Cathedralis per Civitatem ac Diœceſim, ubi talis uſus eſt, 116.
Commune Dedicationis competit cujuslibet Eccleſiæ Dedicationi, 192. 193.

Defuncti.

Nullæ Eccleſiæ ſub Defunctorum Titulo dicatæ, 40.
Commemoratio Defunctorum an fiat rectè die Dominico, 258. *vide Tit.* Officium & Miſſa Defunctorum.

Depoſitio.

Quid ſit & de quibus dicatur, 89.

Devotio.

Non eſt liberum cuique pro Devotione ſua, proprium diei Officium in aliud commutare, 62.

Deus.

Non dicendus Patronus, 24.
Omnes Eccleſiæ Deo dicatæ, 34.
Nullæ Titulo Dei abſolutè ſumpti, *ibid.*

Diœceſis.

Quid ſit? 42.
Parochia pro Diœceſi, *ibid.*
Novarum Diœceſeon erectio, 43.

Diſcipuli Domini.

In varias regiones diſperſi, 101.
Titulus hic nihil importat quoad Officium, *ibid.*

Dominica.

Dominicarum triplex ordo, 244.
De iis qualiter fit Commemoratio, 244. 245.
In Dominicis infra octavas Domini, Officium fit de Octava; infra alias Octavas, ut in Pſalterio, 245.
Qualiter fit Officium Dominicæ in Sabbato anticipandæ, *ibid.*
Dom. infra Oct. Epiphaniæ non anticipatur ultra Sabbatum, 288.
Dominicæ 2. poſt Epiphaniam quomodo fiat anticipatio, 245. 288. 289.
An occurrente feſto die Dominica, dicendæ ſint duæ Miſſa, una de feſto, altera de Dominica, 246.
Dominicarum peremptio ex nimia feſtorum frequentia, 14.
Non debet perire Officium Dominicæ ob feſtum mutatum, 92.
Dominica non dicitur feſtum, 122.
Dominicæ omnes jure communi feriandæ, 138.
Dominicæ poſt ſabbata Ordinationum dictæ Vacantes, 211.

Doctor.

Doctorum ordo præcipuus, 105.
Doctores decem Eccleſiæ, *ibid.*
Quodnam iis tribuendum Officium, 188.
Nulli Martyri tribuuntur quæ pro Doctoribus propria ſunt, 106.

Duplex.

Vox *Duplex* non numerum ſed excellentiam ſonat, 109.
Duplex unde dictum, 110. 111.
Duplicia primæ & ſecundæ claſſis unde ſic dicta, *ibid.*
Duplicia majora & minora per annum non conſtituunt duo genera Duplicium, *ibid.*
In quo fundetur multiplex Duplicium gradus, 112.
Duplicia quò majora, eò firmiùs ſtant in ſuo die, *ibid.*
Privilegia Duplicium primæ & ſecundæ claſſis, 115.
Diſcrimen eorumdem ab aliis Duplicibus inferioribus, 118.
In aliquibus Diœceſibus fit Officium diei Duplex ex occaſione aliqua, 120.
Rariora debent eſſe feſta Duplicia, 121. 122.
De Tranſlatione Duplicium, *vide Titulum* Tranſlatio.

E

Eccleſia.

EſT quælibet ædes ſacra, 3.
Differentia Eccleſiarum multiplex, 4.
Dictæ olim Martyria, Memoriæ, & Baſilicæ, 26. 85. 253.
Dictæ item Tituli, 32. Concilium, 53.
Inſigniores tantùm dicuntur Titulares, 33. 268.
Appellatæ aliquæ Titulo ſeu nomine Fundatorum, *ibid.*
Omnes Deo dicatæ primariò, 34.
Olim ſolis Martyribus, 26.
Poſterioribus ſæculis, etiam Confeſſoribus, 27.
Primariæ Galliæ dicatæ Chriſto, B. Mariæ, Apoſtolis, & Martyribus, 26.
Cathedrales multæ ſub nomine B. Mariæ, 25.
Aliquæ Sanctis Angelis, 25. 26.
Sanctis quoque veteris Teſtamenti, 28.
Eccleſiæ dicatæ Sanctis in loco Martyrii ſeu Depoſitionis illorum, 30.
Item ob eorum Reliquias, 31
Eccleſiæ dicatæ ſub Titulo Salvatoris, 35. 37. Spiritus ſancti, 35. S. Crucis, 37. Nominis Jeſu, 37. Coronæ Spineæ, & aliis, 38. *& ſequentibus*.
Sub Titulo Myſteriorum B. Mariæ, 39.
Ab ejus prodigiis nominatæ, *ibid.*
Sub Titulo duodecim Apoſtolorum, 29.

Omnium

Omnium Martyrum, *ibid.*
Omnium Sanctorum, *ibid.*
Nulla ſine Reliquiis erigenda, 25.
Inſignes Eccleſiæ Feſtorum parciores, 18.
Cathedralium jus quoad ſeſta propria, 16.
Exempla Eccleſiarum quæ Titulo ſuo priori Patronum alium addiderunt, 21. 22. 23.
Eccleſiæ aliæ aliis ſuperiores, 131.
Affines, Cognatæ, Matrices, 57.
Exemptarum duplex ratio, 5.
Exemptæ ad quæ Feſta propria loci teneantur, 132.
Superior poteſt inferioris ſibi unitæ Feſtum proprium celebrare, 135.
Quid ſit eſſe de gremio alicujus Eccleſiæ, *ibid.*
Collegiatarum nomine quæ veniant, 240. 241.

Epiſcopus.

Fit conſecratione, 187.
Epiſcopi nomen Sanctis Epiſcopis apponendum, 105.

Epiſtola & Evangelium.

Epiſtola unde dicta, 230.
Epiſtola & Evangelium dicuntur propria, quæ uni Feſto ſunt addicta, *ibid.*
Triplex ſenſus in quo poſſunt eſſe propria, *ibid.*
Propria in ſenſu encomiaſtico pluribus poſſunt convenire, *ibid.*
Libri ſacri ex quibus decerpuntur Epiſtolæ & Evangelia propria, 231.
Titulus ut iis præmittendus, *ibid.*
Qualis debet eſſe applicatio textus, *ibid.*
Epiſtolarum & Evangeliorum ſectiones, 232.
Textum cujuslibet Evangeliſtæ Græci conſequenter legunt, *ibid.*
Quæ approbatio in his neceſſaria, *ibid.*
Index Epiſtolarum & Evangeliorum de Communi, 219.
Epiſtolæ & Evangelia ex alio Communi aut aliunde frequenter mutuantur, 221.
Non ſunt tamen ſine cauſa promiſcuè traducenda, 220.
Evangelium *Sint lumbi* tributum frequenter Sanctis Epiſcopis locorum Patronis, *ibid.*
In quibuſdam uſibus plura olim per hebdomadam aſſignata erant Evangelia, 232.
Lectiones de Prophetis olim præmitti ſolitæ ante Epiſtolam certis diebus, *ibid.*
Si eſt idem Evangelium Feſti & Dominicæ occurrentis, legendum-ne erit in fine Miſſæ? 295
In Miſſis votivis nunquam aliud Evangelium legitur in fine quàm S. Joannis, 311.

Extorres.

Martyres habendi, 103.
Si quieta ſit fuga vel exilium, non tribuitur iis Titulus Martyris, *ibid.*

F

Falſitas.

Miraculorum inutilitas, falſitatis eſt indicium, 154.
Item Authores dubii, & notæ temporis incertæ, *ibid.*

Feria.

Feriale Officium eſt Officium Domini, 13.
Fit jam rariùs, 15.
Feriæ aliæ majores, aliæ minores, 246.
Commemoratio Feriarum Adventus & Quadrageſimæ ut fit? *ibid.*
Feriarum Quatuor Temporum, & Rogationum, 247.
Feriæ 6. poſt octavam Aſcenſionis, 248.
Hæc Feria præferenda diei infra Octavas, 269.
Feria 4. Quatuor Temporum Adventus uſu generali nunquam feſto impeditur, 285.
Feriale Officium nunquam fieri ſolitum infra Octavas, 288.

Feſtum.

Dupliciter accipitur, pro feriatione & pro Officio, ſeu aliud eſt Feſtum Chori, aliud fori, 2.
Feſtum gaudium ſonat & lætitiam, 13.
Feſta lucis & Eccleſiis omnibus communia, 6. 7.
Quinque Feſta præcipua, ſunt cardines anni, 6.
Aliqua Feſta in Calendario Romano deſcripta, in aliis deſiderantur, 9.
Feſtorum multiplicatio reprehenditur, 12.
Rariora debent eſſe Feſta quàm Feriæ, 13.
Nulla olim in Quadrageſima, nunc etiam pauca, *ibid.*
Rariora in Adventu, *ibid.*
Frequentiora Tempore Paſchali, *ibid.*
Tempore per annum non debent eſſe continua, 14.
Incommoda ex nimia Feſtorum multiplicatione, *ibid.*
Obſtat nimia hæc multiplicatio Breviarii Romani receptioni, 15.
Multorum Sanctorum celebratur Feſtum unum Hyemale & aliud Æſtivale, 50.
Ritus multiplex Feſta celebrandi, *vide Tit.* Ritus.
Quid ſit Feſtum Annuale, Semiannuale, Solemne, Summum, Cantoris, Succentoris, Triplex, Duplex majus & minus, Semiduplex, Celebre, Novem ſeu duodecim Lectionum, Simplex, Simpliciſſimum, aliique Feſtorum ritus, in variis uſibus recepti, 114. 115.
Feſta ad libitum Paulus V. primus induxit, 64.
Epiſcopi uſui Romano adſtricti non poſſunt ejuſmodi Feſta concedere, *ibid.*

Feſtum proprium in genere.

Quodnam dicitur? 2.
Quot & quibuſnam Titulis Feſtum aliquod cenſeatur proprium? 3.
Unum & idem poteſt eſſe pluribus Titulis proprium, *ibidem.*
Feſtum proprium vel abſolutè tale eſt, vel relativè, 4.
Quarumnam Eccleſiarum & locorum dentur Feſta propria? 4. 5.
Triplex ratio dignoſcendi Feſtum proprium, 12.
Nullum ordinariè datur Feſtum proprium Dei abſolutè ſumpti, nec Perſonæ divinæ ſeorſim ab aliis, nec Attributorum divinorum, 193.
Sanctorum aliud primarium, aliud ſecundarium, 45. 46.
Primarium eſt Natalis ſeu Depoſitio, 45.
Secundaria ſunt, Ordinatio, Inventio, Elevatio, Relevatio, Translatio, Reductio, Relatio, Suſceptio, Repoſitio, Reſeratio, &c. *ibid.*
Aliqua Feſta propria addicta certis Dominicis aut Feriis, 94. 95.
Feſta in memoriam facti alicujus eo die fieri debent quo factum contigit, 96.
Feſta plurium Sanctorum collectim quo die aſſignanda? 154.
Plura dari contingit Feſta propria primæ claſſis, in una eademque Eccleſia, ſed diverſis reſpectibus, 116.
Aliqua etiam referuntur inter Duplicia ſecundæ claſſis, *ibid.*
Feſtorum propriorum Mutatio, Tranſlatio & Concurrentia perinde contingit atque in aliis, *vide eoſdem Titulos.*

Feſta propria Eccleſiæ & Loci.

Feſtum Patroni Eccleſiæ, *vide Tit.* Patronus Eccleſiæ.
Feſtum Patroni loci, *vide Tit.* Patronus loci.
Feſta Sanctorum loci naturalium quæ celebranda? 55.
Aliqua poſſunt ſupprimi, quædam quæ exciderant inſtaurari, nulla de novo induci, 56.
Quis Ritus iis tribuendus? 119. 120. 122. 123.
Poteſt-ne inſtitui feſtum de Sanctis omnibus loci naturalibus collectim? 57.
Feſta propria Eccleſiæ Metropolitanæ fieri non debent per totam Provinciam, 131.
Feſta propria Eccleſiæ Cathedralis, ut ad Diœceſim pertinent, 5.
Quæ facienda per Diœceſim, quæ non facienda? 131.
Quo Ritu, 132. 133.
An ad illa teneantur Eccleſiæ exemptæ, 5. 132.
Propria Eccleſiarum exemptarum, ut fiunt in Eccleſiis earum juriſdictioni ſubjectis, 133.
Decretum, *Ne Feſtum ex una Eccleſia ad totam Civitatem vel Diœceſim extendatur*, qualiter intelligendum? 17.

Propria

Propria Eccleſiarum Parochialium an in aliis quoque Eccleſiis intra Parochiæ fines fieri debeant, 133. 134.

Feſta ſecundaria Patronorum,

An fiant legitimè? 47. 48.
An & qualiter de novo induci queant? 48.
An dentur aliorum quàm Patronorum? 50.
Dantur quandoque plura de eodem Sancto ſimul juncta, 51.
Quis ritus iis tribuendus? 117. 118. 120.
An de aliquibus legitimè fiat Octava, 81.
Feſtum ſecundarium aliquando primarii vicem obtinet, 50.

Feſta propria Regularium,

Quænam ſint? 69.
Diſcrimen inter Feſta propria Ordinis & propria Eccleſiæ, *ibid.*
Feſtum Patroni ſeu Inſtitutoris Ordinis, *vide Tit.* Patronus Ordinis ſeu Religionis.
Præter Patronum dantur & alia Feſta propria Ordinis, 69.
An fiant omnia legitimè, 70. 71.
Qui ritus iis tribuendus? 120.
Nonnulla habent etiam Octavas, 81.
Non omnia Feſta primigenii Ordinis ab aliis ſub ipſo militantibus ſunt aſſumenda, 71.
Feſta ſeu Officia uni Ordini conceſſa, liberum non eſt aliis uſurpare per communicationem privilegiorum, 72. 73.

Feſta aliunde propria,

Ob Reliquias, *vide Tit.* Reliquiæ.
Ex viciniate locorum, affinitate ſeu confraternitate Eccleſiarum, aut Sanctorum inter ſe, an ſint legitima? 58.
Ex Voto ſeu Devotione publica, *vide Tit.* Votum.
Ex Fundatione particularium, *vide Tit.* Fundatio.
Ex Conſuetudine, *vide Tit.* Conſuetudo.
Quis ritus iis omnibus tribuendus, 118. 119. 120. 123.
De Feſti à poteſtate laica inductis nihil fit in Officio, 135.

Feſtorum propriorum mutua invicem & cum aliis comparatio.

Attendenda hujuſmodi comparatio in occurrentia & concurrentia, 265.
Feſtum quò magis proprium, eò aliis propriis potiori jure anteponendum, 266.
Variæ rationes inter Feſta propria alia aliis præferendi, 267.
Feſta propria non omni generali æquali præferuntur, 277. 278.
Feſtum Patroni Eccleſiæ præferendum Patronis Loci & Ordinis, 266.
Etiam Dedicationi Eccleſiæ, ſi ſimul occurrant, 265. 266.
Patronus Ordinis Patrono loci præferendus, 266.
Variæ rationes comparaodi Patronos æquales inter ſe, 253.
Feſtum ſecundarium ut præferendum dici Octavæ Feſti principalis? 269.
Feſta quò firmiùs ſtant in ſuo die, eò ſunt ſolemniora, 120.

Feſtorum propriorum obligatio quoad Officium privatim recitandum.

Tenetur quiſque ad Feſta propria Eccleſiæ, de cujus gremio eſt, 135.
Abſens tenetur ad Feſta Eccleſiæ cui adſcriptus eſt, *ibid.*
Qui nulli Eccleſiæ adſcriptus eſt, tenetur tantùm ad Feſta propria Diœceſis, non autem Parochiæ, 136.
Qui Beneficium in pluribus Eccleſiis obtinet, ad illius Feſta propria tenetur, apud quam reſidens eſt, *ibid.*
Quid ſi in nulla reſideat? *ibid.*
Epiſcopus Regularis præferre debet Feſta Eccleſiæ ſuæ Feſtis Ordinis, *ibid.*
Itidem Regularis quivis alius ſeculari Eccleſiæ præfectus, 137.
Peregrinus non tenetur ad Feſta locorum per quæ tranſit, *ibid.*
Non tenetur item aliquandiu commorans, *ibid.*
Obliviosus poteſt omiſſum à ſe Feſti Officium alio die reſumere, *ibid.*
Non item infirmus, *ibid.*

Feſtum colibile ſeu de præcepto quoad feriationem publicam.

Non poteſt diſpenſare Eccleſia, ut nullus ſit dies divino cultui deputatus, 138.
Feſta de jure communi ubique ſervanda, *ibid.*
Non ſunt paria inter ſe omnia, 139.
Aliqua non ubique ſervantur, *ibid.*
Solus ſummus Pontifex poteſt Feſtum toti Eccleſiæ præcipere, præceptumque jure communi abrogare, *ibidem.*
Feſta generalia ex conſuetudine pluribus in locis ſervata, *ibid.*
Poſſint ne Feſta ejuſmodi abrogari? 141.
Feſta brachiorum ſeu operum manualium, *ibid.*
Urbani VIII. Pont. Max. Decretum pro obſervantia Feſtorum, 141.
Conſtitutio illa non obligat ſervare de novo Feſta, quæ anteà non ſervabantur. 143.
Nulla ex abrogatis perſtant in præcepto, *ibid.*
Uſus transferendi feſta quoad feriationem, valdè laudabilis, 144.
Feſta propria aliqua ſunt ſub præcepto, 145.
Alia Diœceſana, alia Parochialia, *ibid.*
Nulla regni aut provinciæ ut ſic, 146.
Aliqua Eccleſiarum exemptarum in loco juriſdictionis, *ibid.*
Aliqua item Regularium, *ibid.*
Nulla Cappellarum & Altarium, *ibid.*
Sintne feſta aliqua dimidiæ diei ſeu ſemifeſta ex præcepto? *ibid.*
Quo jure ſervanda ſint feſta propria? 147.
An ad ea teneantur Regulares, peregrini, & abſentes à patria? 148.
An & qua ratione poſſint abrogari feſta propria? *ibid.*
Poſſuntne induci de novo feſta propria ſub præcepto ſervanda? *ibid.*
Non poteſt Epiſcopus præcipere feſtum de Beatificato, 149.
Ad inſtituendum novum feſtum requiritur ex jure Clori ac populi conſenſus, *ibid.*
Non valet jus illud ubi eſt contraria conſuetudo, *ibid.*
Non poſſunt Laici feſta ſacra præcipere, 150.
Non obligantur ad feſtum ex voto niſi qui voverunt, *ibidem.*
Conditiones requiſitæ ut feſtum conſuetudine inducatur, *ibid.*
Feſta propria de præcepto per Conſtitutionem Urbani VIII. ſunt etiam abrogata, *ibid.*
Quot & quænam retinenda, 149. 150.
Non eſt ademptum Epiſcopis per præfatam Conſtitutionem jus feſta præcipiendi, 150.
Non omne feſtum quod eſt de præcepto, idcirco cenſendum duplex majus, 119.
Nec ideo habet integras Veſperas præ æquali non colibili, 275.
Feſtivatio publica ex ſe non exigit Officium duplex, 120.
Feſta aliqua ſemiduplicia in Calendariis propriis feriata, *ibid.*
Cur multa duplicia non ſint jam de præcepto, 122.

Forma.

Forma Officii, 204.
Forma Matutini, *ibid.*
Forma Laudum, 206.
Forma terminandi Horas, *ibid.*
Forma Primæ & aliarum Horarum, 207.
Forma Officii Monaſtici, 209.
Tribus modis diſcrepant aliena Breviaria à Romano quoad Formam, 210.

Fundatio.

Feſta ex Fundatione an legitimè fiant? 60.
Exempla Feſtorum ejuſmodi, *ibid.*
Quo ritu fiant? 118.

Lega-

Legatum à Fundatore relictum non facit ut legitimum ſit Feſtum ab ipſo fundatum, 61.
Fundatio legi Pontificiæ repugnans non obligat ad id quod Fundator expreſſit, *ibid.*
Fundatio vel ſtipendium aut præceptum Superioris non obligant contra ordinem Eccleſiæ, 307.
Qualiter poſſunt Feſta ex Fundatione in aliud commutari, 62.
Commutatio facienda in aliud æquivalens, & ad Fundatoris intentionem propiùs accedens, *ibid.*
Nulla de novo debent admitti, *ibid.*
Feſta Eccleſiæ Cathedralis ex voto ſeu Fundatione non pertinent ad Diœceſim, 131.
Fundatio Eccleſiæ S. Joannis Evangel. in ſaltu Pleſſiaco prope Turonas, 61.

G

Gavantus.

AUthor laudatiſſimus, 2. 64. 132.
Nonnunquam tamen refellitur, 20. 43. 201. 203. 207. 248. 253. 266. 268. 276. 282. 283. 285. 289. 292. 296. 300. 302. 303. 309. 311. 318.
Explicatur, 5.

Genealogia.

Legi ſolita in aliquibus uſibus in feſtis Nativit. & Epiphaniæ, 159.

Gloria in excelſis.

Dicendum in omni feſto, 233.
Etiam in feſto SS. Innocentium in propria ipſorum Eccleſia, *ibid.*
Item in vigiliis non luctuoſis, *ibid.*
In Miſſis B. Mariæ nihil addendum, *ibid.*
Non dicitur regulariter in Miſſis votivis, 308.
Non dicendum in Miſſa B. Mariæ in Sabbato, niſi cum Officio conveniat, 309.
Cur dicendum in duobus prioribus Sabbatis Adventus? *ibid.*
In Miſſa votiva Angelorum ſemper dicitur, *ibid.*
Quibus in Miſſis votivis ſolemnibus dicendum? *ibid.*
Dicitur in Miſſa Sancti, de quo non fit Officium, in Feſto ipſius, *ibid.*
Ut dicendum in Miſſa votiva de SS. Sacramento? *ibid.*

Gloria Patri, &c.

Dicitur in fine cujuslibet Pſalmi, 204.
Ut omittendum in Reſp. brevi Completorii tempore Paſſionis? 292.
Item ad Lavabo in Miſſa, *ibid.*

Graduale.

Variæ ejus formæ, 227.
Raró habetur proprium, *ibid.*
Omittendum tempore Paſchali, *ibid.*

Græci.

Diverſi illorum Ritus à Latinis, 93.
Diverſa apud illos Feſtorum in Calendario conſignatio, *ibid.*

H

Hiſtoria.

QUid ſit, 169.
Præſtat haberi Hiſtoriam propriam in Feſtis propriis, *ibid.*
Unde eruenda, 169. 170.
Qualis debet eſſe, 170.
Feſta habentia Hiſtoriam æqualibus olim præferri ſolita, 275.
Hiſtoriæ diſpoſitæ per annum, 284.
Quarumnam Reſponſoria, & quæ reſumenda? *ibid.* & 285.
Non eſt transferendum feſtum ſemiduplex ut ponatur Hiſtoria *Domine ne in ira*, 289.
Hiſtoriarum omiſſio ob frequentiora feſta, 14.

Homilia.

Homilia in Evangelium diei ſemper ponitur pro Lectionibus tertii Nocturni, 164.
In Feſtis propriis ex quibus Patribus deſumenda, 168.
Qualis debet eſſe, 169.

Hora.

Hora diei, & Officii, 239.
Hora Miſſæ, *vide tit.* Miſſa.

Hoſpitalis domus.

Variæ illius nuncupationes, 76.
Si eſt Eccleſia, habet Patronum, *ibid.*

Hoſtia miraculoſa.

Ut adoranda? 38.

Hymnus.

Hymni definitio, 172.
Authores Hymnorum, *ibid.*
Hymni proprii quando & quot adhibendi, *ibid.*
Quibus in feſtis, 176.
Hymni proprii ad Completorium Gallicano uſu ut retinendi, *ibid.*
Hymnos Breviarii Romani emendavit Urbanus VIII. 172.
Emendati itidem Hymni Galliæ proprii, *ibid.*
Qualis debet eſſe ſtylus Hymnorum, & alia in iis ſervanda, 173.
Laudantur Hymni recentiores, *ibid.*
Varia metra quibus Hymni conſtant, *ibid.*
Hymni rhythmici de Corpore Chriſti laudandi, alii minùs probandi, 174.
Hymni partes & ſtructura, *ibid.*
Hymnorum terminatio quæ immutabilis, *ibid.*
Pauci habent ultimum verſum proprium, 175.
Infra Octavas Domini & B. Mariæ retinetur terminatio propria Hymnorum, 252.
Cavenda in Hymno, *Iſte Confeſſor*, 189.
Hymnorum S. Crucis author Venantius Fortunatus, 37.

I

Jejunium.

SErvatum quoque olim in vigiliis, 77.
Servatur à multis in vigilia Patronorum, *ibid.*
Aliud afflictionis, aliud exultationis, 79.
Jejunium vigiliæ occurrentis in die Patroni, an ſervandum? 249.
Jejuniorum Regularium ex nimiâ Feſtorum frequentia, commoda declinatio, 14.

Imperator, Rex.

Hi tituli Sanctis qui tales extiterunt addendi, 106.

Indulgentia.

Tranſlato Feſto, an ſit etiam transferenda Indulgentia? 145.

Introitus Miſſa.

Dictus *Officium* apud antiquos ſcriptores, 221.
Index Introituum, &c. *ibid.*
Inſtar eſt Antiphonæ, 226. *vide ibidem reliqua.*

Invitatorium.

Variæ formæ Invitatorii, 171. 172.

Ite Miſſa eſt.

Dicitur ſemper cùm dictum eſt *Gloria in excelſis*, 233.

Jubilum ſeu Jubilatio.

Quid ſit, 227.

L

Laudes.

NOn ſunt Hora diſtincta à Matutino, 205.
Poſſunt tamen ſeparari, *ibid.*
Convenientiùs additur Oratio cùm terminatur Officium in Matutino, 206.
Inchoationi Laudum convenientiùs additur *Pater & Ave.* *ibid.*

Lectiones.

Feſtis propriis aſſignari poſſunt Lectiones propriæ de Scriptura, 164.
Quibus ex libris & quomodo decerpendæ, 165.
Quales debent eſſe Lectiones de Vita Sanctorum propriæ, 168.
Ut diſponendæ Lectiones duorum pluriumve Sanctorum ſimul junctorum, *ibid.*
Per Octavas ſatius eſt aſſumere ſermones SS. Patrum, quàm continuare Lectiones de vita, 167.
Quales SS. Patrum ſermones aſſumendi pro Lectionibus

tionibus

nibus feſtorum propriorum, & quis modus in iis ſervandus, *ibid.*
Itidem de homilia in Evangelium, 168. 169.
Quando duæ tantùm habentur Lectiones de homilia, ſi tertia opus eſt, quid agendum? 169.
Quæ ſeligendæ de Communi pro 2. & 3. Nocturno, 181.
Lectiones de Scriptura poſitæ in quolibet Communi, quando aſſumendæ? *ibid.*
Unde ſumendæ in Officio hebdomadario Patroni, aliiſque votivis? 203.
Nona Lectio de eo de quo fit commemoratio, 205.
Non tamen de ſimplici, niſi fuerit propria, 248.
Ratio terminandi Lectiones, 205.
Quando & quomodo plures ſimul jungendæ, 244. 283.
Non ſunt jungendæ ſimul Lectiones duorum Prophetarum, 283.
Non ſunt reſumendæ Lectiones Dominicæ anticipatæ, *ibid.*
Quæ Lectiones primi Nocturni tribuendæ feſto proprio occurrenti ultimo triduo Decembris, 287.
Tranſlato feſto S. Thomæ Cantuar. rectiùs ponuntur Lectiones 1. Nocturni de Scriptura occurrente, 287. *vide Tit.* Scriptura ſacra.

Legenda Sanctorum.

Antiquæ multa continent falſa & abſurda, 29.
Multa item peregrina ac portentoſa, quæ vix fidem faciant, 154.
Ludicra item & inania, 255.

Litania.

Ex obligatione etiam privatim dicendæ ab iis qui Proceſſionibus Rogationum minimè interſunt, 299.
Majores S. Marci ut transferendæ? *ibid.*
Occurrente Feſto Patroni vel Dedicationis, dicendæ nihilominus, *ibid.*
Ut jungendæ cum Officio, *ibid.*
An ſingulæ invocationes bis repetendæ? 300.
Non debent pridie recitari pro die ſequenti, *ibid.*
Quadruplex precandi forma in iis ſervata, *ibid.*
In variis uſibus plures Sancti & alio ordine collocati, 301.
An legitimè addantur Patroni, aliique Sancti proprii, *ibid.*
Qui adduntur, reponendi poſt ultimum ſui ordinis, *ibidem*,
Aliqui bis invocantur, *ibid.*
Confeſſores non Pontifices nec Doctores reponendi in ſecundo ordine, *ibid.*
Variæ obſecrationes & poſtulationes olim uſitatæ, *ibidem*,
Pſalmi item alii, aliæque Collectæ, 301. 302.

Locus.

Dicitur de totâ Diœceſi, Civitate, &c. 3.
Loci & Eccleſiæ non eſt par ratio, 4.

M

B. Maria.

Ejus feſta ubique ſervata, 7.
Viſitatio & Præſentatio alicubi aliis à Calendario Romano diebus aſſignatæ, 95.
Varia ejuſdem feſta locorum propria, 9. 10. 95. 96.
Vix plura ſimul juncta occurrunt, 108.
Officium ut fit in prædictis feſtis propriis? 194.
Eſt ſuarum Eccleſiarum Patrona, 25.
In Gallia multæ Cathedrales ejus nomine inſignitæ, 39.
Multæ item aliæ celebres ex miraculis, 31.
Multæ ſub variis ejus Titulis dicatæ, 39.
Aliæ item in honorem miraculorum ipſius, 39. 40. 59.
In Eccleſiis B. Mariæ dicatis non ſunt faciendæ Octavæ omnium illius feſtivitatum, 81.
Feſta ſecundaria B. Mariæ, 48.
Ejus Officium in Sabbato, in certis uſibus eſt ſemiduplex, 124.
Hujus Officii ut & parvi omiſſio ob frequentiora feſta, 14.
B. Virginis præcellentia in gratia, 273.
Commemoratio B. Mariæ de Victoria ad Naupactum de Turcis reportata, 59.

Martyres.

Qui dicti olim Martyres, 99.
Martyres fuere in veteri Teſtamento, 100.
Martyres dicti omnes qui pro confeſſione nominis Chriſti occubuere, 102.
Item & plures alii de quibus, 102. 103. 104. 105.
Martyres plures ſimul jungi frequentiſſimum eſt, 107.
Eccleſiæ olim ſolis Martyribus dicatæ, 36.

Martyrium.

Ex Dei dono proficiſcitur, 101.
Martyrii corona una eſt ex aureolis, 102.
Requiſita ad Martyrium, 102. 103. 104.

Martyrologium.

Variorum Martyrologiorum uſus olim in Eccleſiis fuit, 125.
Romanum à Baronio reſtitutum, ſolum eſt hodie uſitatum, *ibid.*
Annunciantur in Martyrologio feſta omnia, de quibus fit Officium, *ibid.*
Item feſtum Dedicationis Eccleſiæ, *ibid.*
Non annunciantur Octavæ nec Vigiliæ, *ibid.*
Annunciatio feſti proprii non præmittitur annunciationi Vigiliarum nec Octavarum, 126.
Reliqua quæ ad annunciationem feſtorum ſpectant, *vide* 126. 127.
Beatificati etiam in Martyrologio annunciandi, 127.
Stylus Martyrologii debet eſſe ſtrictus ac brevis, *ibid.*
Locorum expreſſio quibus modis fiat, *ibid.*
Locus obitus nominandus potiùs quàm commemorationis, 130.
Nomen & cognomen Sancti qualiter exprimendum, *ibidem*.
Forma annunciandi feſta Tranſlationum, votiva Chriſti, &c. *ibid.*
Elogiorum varia genera, *ibid.*
Sanctorum aliquot feſta in propriis locis aliis à Martyrologio diebus adſcripta, 93.

Matutinum.

Matutini forma, 204.
Ratio terminandi Matutinum & inchoandi Laudes cùm ab invicem ſeparantur, 205.
Sit-ne legitimus uſus Matutini trium Pſalmorum & trium Lectionum toto tempore Paſchali, 210. *& ſeq.*
Ritus ille in aliqua Eccleſia etiam extra tempus Paſchale recenter inductus, 213.
Sit-ne legitimus uſus Matutini novem Pſalmorum cum tribus Lectionibus, 214.
Laudantur Eccleſiæ, quæ ritum illum abjecerunt, *ibidem*.

Memoria.

Memoriæ dictæ olim Eccleſiæ, 85.

Mendacium.

Mendacio Deus coli non poteſt, 153.

Miracula.

Miraculorum inutilitas, falſitatis indicium eſt, 154.

Miſſa.

Unde ſumenda in feſtis propriis? 218. 223.
Eadem dicenda ab omnibus loci vel Eccleſiæ Sacerdotibus, 219.
Collecta eadem idemque Evangelium in Miſſa quæ in Officio, *ibid.*
In Vigiliis & infra Octavas unde ſumenda? 224.
Miſſæ matutinæ quorumdam Sanctorum, 218.
Miſſæ propriæ paucæ ſunt de Sanctis ex toto, aliquæ ex parte, 224.
Debent eſſe approbatæ, 225.
Approbatæ pro uno loco, Eccleſia, vel Ordine, extra extendi non debent, *ibid.*
An legitimè inſerantur aliqua in Miſſa, 236.
Qua hora dicenda Miſſa Conventualis? 239.
Eſt includenda inter duas horas Officii, 240.

Non

Non eſt mutanda hora à Rubricis præſcripta, 240.

Miſſa jejunii ſeu feriæ in die ſeſto debet cantari Choro præſente, 241.

Obligatio illius cantandæ eſt graviſſima, *ibid.*

Miſſa vigiliæ propriæ qua hora cantanda? 242.

Hora dicendæ Miſſæ privatæ, 239.

Quantum fieri poteſt dicenda perinde ut Conventualis, 242.

Nulla Miſſa publica niſi fuerit cum cantu Sacerdotis & Chori, 306.

Conventualis Miſſa ea eſt duntaxat quæ convenit cum Officio diei, *ibid.*

Nulla eſt obligatio dicendi duas Miſſas in Dominicis impeditis, uſus tamen eſt laudabilis ubi habetur, 246.

Miſſa Sabbati Sancti eſt Miſſa ſequentis noctis, 211.

Quæ Miſſa dicenda privatim in eo die, 293.

Quæ in die Nativitatis Domini ab eo qui unam tantùm celebrat, 286.

Miſſa votiva.

Quid ſit? 303.

Alia eſt votiva ſtrictè, alia latè, *ibid.*

Miſſa jejunii præter Miſſam feſti, non eſt votiva, *ibidem.*

Miſſa B. Mariæ in Sabbato quâliter cenſenda votiva, 306.

Duplex claſſis Miſſarum votivarum, 303.

De quocunque Sancto Canonizato poteſt dici Miſſa votiva, non item de Beatificato, *ibid.*

De Myſteriis Chriſti & aliis ut poteſt dici Miſſa votiva, *ibid.*

Triginta Miſſæ S. Gregorii, *ibid.*

Miſſa Roſarii & ſimiles non omnibus conceſſæ, 304.

Miſſæ votivæ de Sanctis unde ſumendæ, *ibid.*

Miſſæ quædam votivæ proſcriptæ, *ibid.*

Quæ ſit rationabilis cauſa dicendi Miſſam votivam, 305.

Quotuplex ſit Miſſa votiva, *ibid.*

Quæ dicenda ſolemnis, 307. 309.

Quibus diebus dici poſſint Miſſæ votivæ, 307.

Miſſa votiva pro neceſſitate aliqua, nunquam haberi debet loco Conventualis, 306.

Non convenit dici Miſſam votivam de eo de quo ſit Officium, 308.

Infra Octavas B. Mariæ loco Miſſæ votivæ dicitur Miſſa de ipſamet Octava, *ibid.*

Qualiter dici poteſt Miſſa de Sancto, de quo non ſit Officium in feſto ipſius, *ibid.*

Quando dicendum *Gloria in excelſis* in Miſſis votivis, *ibid.*

Alia item ſervanda in Miſſis votivis ratione temporis currentis, 311.

Qua hora dicendæ Miſſæ votivæ, 242.

Miſſa pro Defunctis.

Quibus diebus dici poſſit aut debeat, 327. 328.

Quæ dicenda ex quatuor, & quæ oratio, 329.

Qua hora dicenda, 242.

Unica oratio dicitur in Officio ſolemni, tres in aliis, 329.

Quando dicenda Sequentia, 330.

In Miſſis Defunctorum nulla ſit commemoratio Vivorum, *ibid.*

Variæ orationes pro Defunctis, 331.

Varii item Introitus ex alienis uſibus, 330.

Miſſale.

Libri Miſſalis partitio, 218.

Monachi.

Olim à Parochis recipiebant ſacramenta, 133.

In Clerum admiſſi ſuas deinceps habuerunt Eccleſias, 134.

Mutatio.

Mutari feſtum non idem eſt quod transferri, 90.

Cauſæ cur feſta mutentur, *ibid.*

Mutatio quando adhibenda, 91.

Non debet perire Officium Dominicæ ob feſtum mutatum, *ibid.*

In quam diem fieri debet mutatio, 92.

Myſteria.

Templa ſingulorum Chriſti Myſteriorum titulo dicata, 36. 37.

Tituli Crucis & ſimiles ad perſonam ſeu præcipuum Myſterium revocandi, 38.

Eccleſiæ ſub Titulo Myſteriorum B. Mariæ, 39.

Myſteria Chriſti Domini & B. Mariæ nulla ferè ſunt quæ diem certum non habeant, 95.

N

Natalis dies.

DE Martyribus ut plurimùm dicitur, 88.

Dicitur etiam de non Martyribus, 89.

Inſcribitur aliquando, Paſſio, Decollatio, Tranſitus, 98.

Magna olim cura annotatus, 89.

Ut computandus, *ibid.*

Eſt primarium Sancti cujuslibet feſtum, 45. 88.

Natali diei nihil detrahendum ob ſolemnitatem feſti ſecundarii, 50.

Pro Natali is dies habendus qui uſu vel decreto Pontificis præſcribitur, 89.

Qualiter mutetur dies Natalis, 90.

Ut conſtituendus dies Natalis quando certus ignoratur, 92.

Sancti ejuſdem nominis in unum diem congeſti, *ibid.*

Reſcitus dies certus debet reſtitui, *ibid.*

Fit in die Biſſexti, 93.

Ut mutandus propter Calendarii emendationem, *ibid.*

Nativitas.

Nullius Sancti Nativitas in hunc mundum colitur, niſi ſolius Joannis Baptiſt. 50.

Duplex Sanctorum Nativitas, 54.

Neuma.

Quid ſit, & quis illius uſus in Eccleſia, 227.

Nocturni.

An aliàs ſeorſim ab invicem & à Laudibus fuerint decantati, 213.

Tres Nocturni ſunt nota majoris ſolemnitatis, *ibid.*

Unius Nocturni ſeu trium Lectionum nota deprimentis eſt, non exaltantis, 214.

Numerus.

Pluralis pro uno, & ſingularis pro pluribus interdum in Officio uſurpatur, 186.

Rationes Rubricarum à numeris petitæ exiguæ ſunt convenientiæ, 315.

O

Obligatio.

CElebrandi feſta propria quoad Chorum, 131.

Quoad privatam recitationem, 135.

Ex eo quòd quis non teneatur ad aliquid, non ſequitur liberum ipſi eſſe facere ut volet, 307.

Octava.

Vox Octava tripliciter accipitur, 267.

Octava non feſtum, ſed continuatio feſti eſt, 122.

Octavæ non debent eſſe vulgares, nec frequentes, 79. 82.

Sunt tantùm quindecim generales, 79.

Octava æternam animarum corporumque glorificationem repræſentat, 80.

Quibus feſtis tribuendæ Octavæ, 80. 81. 82. 131.

Sint-ne legitimæ Octavæ propriæ ex conſuetudine receptæ? 82.

Octavæ de Beatificatis tantùm non ſunt legitimæ, *ibidem.*

Octavæ propriæ in duplici ſunt differentia, *ibid.*

Octavæ aliquæ multis in locis ex conſuetudine receptæ, *ibid.*

Aliæ olim erant ſolemnes ſeu majores, aliæ non ſolemnes ſeu minores, *ibid.*

Minores à pleriſque ablegatæ, 83.

Eccleſiæ inſigniores Octavarum parciſſimæ, 83. 84.

Improbatur quoddam Proprium Octavis refertum, 84.

Quibus temporibus nullæ ſunt Octavæ, *ibid.*

Inutilis eſt Octava poſt Nativitatem uſque ad Epiphaniam, *ibid.*

Non

Non eſt ſubmovenda aliqua Octava eò quòd ab alia tota ferè abſumaretur, *ibid.*
Duo priores dies in certis Octavis alicubi ſolemniores, 124.
Dies Octava item ſolemnior, *ibid.*
Alicubi anticipari ſolita, quando impeditur, 97.
Octavis tribuitur communiter Officium feſti; 160.
Biduum poſt Octavam Aſcenſionis more Octavarum peragitur, 248.
Novum jus pro Octava Corporis Chriſti, 250.
Commemoratio diei infra Octavam quando & quomodo facienda, 251.
In feſtis infra Octavas occurrentibus, terminatio Hymnorum & alia propria retinenda, *ibid.*
Occurrentibus ſimul duabus Octavis utra alteri præferenda? 252. 253. 254.
Dies Octava quandonam impediatur, 254.
De ea ut fit commemoratio, 254. 255.
Tranſlato feſto non ideò transfertur dies Octava, 267.
Neque item cùm ipſamet dies Octava impeditur, *ibid.*
Tranſlato feſto, priores dies infra Octavam ſupprimendi, *ibid.*
Feſtum poſt ſuam Octavam tranſlatum, eo anno caret Octava, niſi fiat ex privilegio, 268.
Quando & qua ratione ceſſandum ab Octava inchoata? 97. 268.
Ut agendum de Octavis cum feſto ipſo coincidentibus, 269.
Octavæ vivæ feſta omnia excludentes, 270.

Offertorium.

Offertoria propria rariora, 228.

Officium.

Officium divinum eſt Oratio communis nomine totius Eccleſiæ ad Deum fuſa, 63.
Officii forma quæ ſit? 204.
Cauſa ſitus variæque partium collocationis in Officio, 217.
Officii diviſio in Duplex, Semiduplex, & Simplex unde orta? 109.
Officia quò digniora ſunt, eò magis ſola fiunt, 110.
In Officiis duplex reſpectus attendendus, unus ſolemnitatis, alter ſtabilitatis, 112.
Officium cujuslibet feſti diſponendum juxta gradum qui illi tribuitur, 113.
Materia Officii tota eſt Oratio, 152.
Officium eſt Oratio perfectiſſima, 152.
Incompoſitio partium numeratur inter labes Officii, 155.
Officium Corporis Chriſti perfectiſſimè diſpoſitum, 170.
Unde ſumendum Officium in feſtis Chriſti Domini, 193.
In feſtis Angelorum, 194.
In feſtis SS. veteris Teſtamenti, 195.
In feſto Reliquiarum & aliis Sanctorum collectim, 197.
Officium de Tempore quadruplex quatuor Anni tempeſtatibus aſſimilatum, 13.
Ei grave infertur detrimentum ex Feſtorum multiplicatione, 12.
Non omne Officium aptum natum eſt ut quocunque die vel tempore fiat, 64.
Idem recitari debet in particulari quod in Choro, 63.
Uniformitas in divinis Officiis maximè commendata, *ibidem.*
Non eſt liberum cuique, Officium diei ex devotione propria in aliud commutare, 62.
Non omnis mutatio Officii dicenda inverſio, 49.
Immutatio Officii per inſcitiam aut inadvertentiam, 62.
Varia Officia fieri ſolita à Regularibus certis menſis & hebdomadæ diebus, 71.
Nulla ejuſmodi Officia legitimè fiunt abſque privilegio, *ibid.*
Nomine Facultatis, Gratiæ, &c. non veniunt Officia, 72.
Nec titulus præbendæ nec penſio exigunt ut fiat Officium de Sancto aliquo, 76.
Tranſpoſitio aut mutatio partium Officii ut toleranda? 218.

Officium proprium.

Quæ dicantur Officia propria, 153.
Cauſæ cur dentur, *ibid.*
Debent eſſe approbata, *ibid.*
Aliena & incerta in Officio quæ dicantur? *ibid.*
Apocrypha quæ? 154.
Officia propria antiqua, quæ retinenda, quæ ablegandа? 155. 156. 157.
Nulla nova inducenda abſque legitima approbatione, 157. 158.
Conceſſa uni loco non ſunt extendenda ad alium, 158.
Officia propria tribuuntur tantùm Feſtis propriis, 159.
Propria quoad hiſtoriam non ſolent haberi niſi in feſtis Patronorum, 158.
Propria alia à propriis Breviarii Romani, vix ſunt retinenda, 159.
In Breviariis propriis Officia aliunde mutuata dimitti mos eſt, *ibid.*
Nulla propria in Officio de Tempore inſerenda, *ibid.*
In disjunctione Sanctorum, tribuenda cuique quæ propria ſunt ipſius, 160.
Quæ Officia tribuantur Vigiliis & Octavis propriis? *ibidem.*
Quæ feſtis ſecundariis? *ibid.*
In feſtis locorum aſſumenda Officia illorum propria etiam uſu Romano, 160. 161.

Officii recitatio.

Diſcrimen inter publicam & privatam, 135.
Obligatio ad recitandum de feſtis propriis, 135. *& ſeq.*

Officium B. Mariæ in Sabbato.

Qualiter dicitur votivum, 296.
Eſt ſemiduplex in certis uſibus, 124. 125. 296.
In aliis ſimplex novem Pſalmorum, 296.
Uſu Romano nihil Pſalterio officit, 85.
Impeditur ab omni Officio novem Lectionum & Vigiliæ, 296.
Qualiter fit de eo commemoratio in Veſperis præcedentis feſti, *ibid.*

Officium parvum ejuſdem.

Quibus diebus omittendum, *ibid.*
Varii uſus illius recitandi, 297.
Quis modus jungendi cum Officio diei, *ibid.*
Servanda ratio Temporum in mutatione hujus Officii, 298.
Alleluja non additur Tempore Paſchali, *ibid.*

Officium hebdomadarium Patronorum.

Quid ſit, & unde ſumendum, 203. 204.
An legitimè fiat? *ibid. & 71.*
Quo ritu? 124.
Varii Eccleſiarum ritus in eo diſponendo, 203.
Non fit in Adventu, Quadrageſima, &c. 85.
Non extenditur ad alias Eccleſias, 132.
Officium hebdomadarium de SS. Sacramento, & de Conceptione B. Mariæ, an legitimum, 71.
Officium de Conceptione addictum certo cuidam Officio, 74.

Officium Miſſæ.

Officii nomine comprehenditur Introitus & quidquid in Miſſa ad Chori cantum pertinet, 225.
Reliqua *vide ibidem.*

Officium Defunctorum.

Dicitur generatim pro omnibus die 2. Novembr. & initio cujuſque menſis, 318.
Speciatim in die Obitus, Tertio, Septimo, Trigeſimo & Anniverſario, *ibid.*
Commemoratio Defunctorum cur fit die 2. Novembris, *ibid.*
Uſus faciendi in Dominica vix probandus, *ibid.*
Ut reſumendum ſi impediatur diebus præſcriptis, 319. 320.
Olim quotidie recitari ſolitum, 320.
Qualis ſit obligatio, *ibid.*
Dies obitus ſeu depoſitionis quis ſit? 322.
Ut computandus, *ibid.*
Anniverſaria dies à die obitus computanda, *ibid.*

Quibus

Quibus diebus Officium pro Obitu, item pro Tertio, Septimo, Trigeſimo & Anniverſario die fieri non debeat, 322.
Quæ ſit forma Officii Defunctorum? 323.
Quando dicendæ novam Lectiones ſeu tres Nocturni? ibid.
Quandonam fiat duplex? ibid.
Quando dicendum *Venite* cum Invitatorio, & Reſp. *Libera me*, 324.
Quando omittendus Pſalmus in precibus, & quando dicenda unica Oratio, ibid.
Quando exprimendum in Oratione nomen Defunctorum, ibid.
Ut inchoandum ac terminandum Officium Defunctorum, cùm ſeorſim dicitur ab Officio diei, 325.
Pridie Commemorationis Defunctorum non recitandum, 325.
Poteſt-ne haberi loco Officii Canonici ita ut ſolum impendatur, 326.

Officia extraordinaria.

Quænam ſint ejuſmodi? 316.
Nihil in iis inſerendum, quod non ſit approbatum, nihil item vulgari lingua, ibid.
Cauſæ variæ ejuſmodi Officiorum, ibid.
Haud negligendum Officium ordinarium propter extraordinarium, ibid.
Quæ precationes adhibendæ in iis Officiis, 317.
Quis ordo ejuſmodi Officiorum, ibid.

Omiſſio.

Multa contra uſum Romanum in aliis uſibus omitti ſolita, 216.
Aliquæ Omiſſiones in Choro receptæ, locum non habent in privata recitatione, ibid.

Oratio.

Eſt tota materia Officii divini, 152.
Orationis genus multiplex, ibid.
Intellectui ac voluntati ad Deum elevandis inſerviunt partes omnes Officii, ibid.

Oratio ſeu Collecta.

Quæ dicatur propria, 161.
Præſtat haberi propriam in feſtis propriis, ibid.
Quæ Orationes propriæ retinendæ, ibid.
Qualis debet eſſe illarum ſtructura & ſtylus, 162.
Novæ debent approbari, ibid.
Nomen Sancti ut exprimendum? ibid.
Voces *Natalitia*, *Solemnia*, & ſimiles, ut mutandæ, 163.
Quæ Orationes cenſendæ eædem, 163. 164.
Oratio plurium Sanctorum ſimul, cujus propria? 164.
Quæ ſeligenda Oratio de Communi? 181.

Orationes Miſſæ.

Orationum addendarum in Miſſa triplex ratio, 235.
Quot & quænam dicendæ in feſtis propriis? ibid. & 313.
In Oratione *A cunctis*, quis Sanctus nominandus? 236.
Quis uſus Orationum in fine Miſſalis poſitarum? 312.
Quotnam dici poſſint? ibid.
An addenda tertia Oratio poſt commemorationem feſti ſimplicis in feriis Paſſionis & infra Oct. Paſchæ & Pentecoſt. 292.
Cavenda quædam in illis Orationibus, 313.
An plures, quæ, & quo ordine dici poſſint? 313. 314.
An in addendis Orationibus habenda ſit ratio imparis numeri, ibid.
Ratio propter quam tres, quinque & ſeptem præſcribantur, 315.
Unde ortum ut plures dicantur Orationes, ibid.
Carpuntur qui plures Orationes congerunt, 316.
Completo ternario numero cæteræ adduntur ad arbitrium Sacerdotis, ibid.
An & quæ dicendæ in Miſſis votivis, 310.
Oratio pro Gratiarum actione dicenda ſub una concluſione in Miſſa ſolemni, non in privata, ibid.
Ubi dicitur Miſſa Conventualis diei, non eſt opus facere commemorationem de ea in Miſſa votiva publica, ibid.
Oratio pro Defunctis, quibus diebus, quæ, & quo loco dicenda in Miſſa Vivorum, 331.
Nunquam dicenda, cùm eſt una tantùm Oratio, *ibidem*,

Ordinatio.

Feſtum Ordinationis SS. Præſulum, 46.

O ſalutaris hoſtia.

Rectè cantatur ad elevationem Corporis Chriſti in Miſſa, 236.

P

Papa.

PApæ dignitas Sanctis apponi debet, 105.
Feſta Rom. Pontificum ubique pleno Officio celebrari præcepit Gregorius VII. ibid.

Parochia, Parochus.

Pro Diœceſi, 42.
Eccleſia Parochialis quæ? 3.
Eccleſiæ Parochialis cum Matrice ſeu Cathedrali par non eſt juriſdictio, 134.
Feſta Parochialia an fieri debeant in Eccleſiis Collegiatis, Abbatialibus, & Conventualibus Regularium, ibid.
Parochi unde dicti, 3.

Paſcha.

Par non eſt ratio aliorum Feſtorum cum feſtis Paſchæ & Pentecoſtes, 214.
Brevitas in Officio Paſchæ argumentum ſummæ lætitiæ, 211.
Pariformitas feſtorum Paſchæ & Pentecoſtes, ibid.
Quinquageſima Paſchatis tota tempus lætitiæ eſt ac remiſſionis, 212.
Annotinum Paſcha, feſtum in multis olim Eccleſiis obſervatum, 68.

SS. Patres.

Eorum tractatus, ſermones, & homiliæ ſumendæ pro Lectionibus, 167.
Theologi Scholaſtici non veniunt nomine Patrum, 168.
Neque etiam hiſtorici Eccleſiaſtici, ibid.

Patriarcha.

Patriarchæ veteris Teſtamenti, Sancti, 99.
Patriarchæ & Primatis nomen Sanctis non apponitur, 105.

Patronus.

Quis ſit propriè? 24.
Sancti omnes noſtri ſunt apud Deum Patroni, ibid.
Aliqui ſpeciales, ibid.
Deus non dicitur Patronus, ibid.
Nec Chriſtus propriè, ibid.
B. Virgo ſuarum Eccleſiarum Patrona, 25.
Non omnes Sancti, de quibus fit Officium, ſunt Patroni, 118. *vide Tit.* Feſtum proprium.
Patroni an in Litaniis addendi, 301.

Patronus Eccleſiæ.

Dicitur propriè Sanctus cui dicata eſt quælibet Eccleſia, 20.
Patronus & Titulus confunduntur, ibid.
Rejicitur ratio Gavanti utrumque diſtinguendi, 201. 266.
Unus eſt, aut ſi plures, per modum unius, 21.
Aliquando plures, & qua ratione? 21. 22.
Non mutatur, 22.
Ejus feſtum fit Eccleſia nondum dedicata, item deſtructa, vel unita alteri, 23. 75.
Ut eligitur? 31.
Ut ſeparandus ſi cum aliis in Calendario jungatur, 108. 264.
Ejus feſtum primarium eſt primæ claſſis, 115. 117.
Unius tantùm fit feſtum primæ claſſis, aut ſi plurium nonniſi per modum unius, 116.
Eſt feſtum propriorum omnium maximè proprium, 266.
Debetur ipſi Octava, 80.
Fiunt plures in aliquibus Eccleſiis, 82.
Feſtum Patroni pro feſto Dedicationis, 253.
Feſta aliqua ſecundaria Patroni, in certis caſibus cenſentur primæ claſſis, aliqua etiam ſecundæ, communiter ſunt duplicia majora per annum, 118. 119. 120.
Feſta Patroni ſeu Tituli Eccleſiæ Cathedralis, item

aliorum

Digitized by Google

aliorum Diœceſis Patronorum, &c. ſiunt per totam Diœceſim, 131.

Patronus loci,

Quis dicitur propriè? 41.
In quo differt à Patrono Eccleſiæ, *ibid.*
Quorumnam locorum detur Patronus, 41.42.
Patroni variarum Diœceſum, 42.
Plures dantur unius Diœceſis, *ibid.*
Unus principalis, alii minùs principales, plures interdum æquales, 42.43.
Patroni Eccleſiæ Cathedralis iidem ſæpè qui Diœceſis, 43.
Sancti Epiſcopi ſuæ Diœceſis vulgò habentur Patroni, *ibid.*
In erectione novæ Diœceſis, Unione duarum, & Translatione Sedis, ſunt-ne variandi Patroni, *ibid.*
Patronus Civitatis, Oppidi, Burgi, &c. 44.
Non datur ubique Communis loci Patronus præter Titularem Eccleſiæ, 266.
Patroni locorum ut facti olim, 44.
Decretum Pontificis ſuper electione Sanctorum in Patronos, 45.
Patroni loci feſtum primarium eſt primæ claſſis, 115, 116.
Debetur ipſi Octava, 80.
Secundarii, rarò primæ claſſis, nonnunquam ſecundæ, ſæpiùs duplicia per annum, aut etiam ſemiduplicia, 117.118.
Patroni minùs principales in Duplicium majorum ordinem reponendi, 119.123.
Principales etiam, ubi altiorem ritum non obtinent, 119.

Patronus Ordinis ſeu Religionis.

Inſtitutores Ordinum ſeu Congregationum pro Patronis habendi, 69.
Patronus & Titulus Religionis aliquando confunduntur, *ibid.*
Patroni Religionum duo treſ-ve minùs principales, 70.
Quandoque etiam plures primarii, *ibid.*
Dantur item prædictorum feſta ſecundaria, *ibid.*
Feſtum principalis Patroni eſt primæ claſſis, 115.
Debetur ipſi Octava, 80.

Patronus Cappellæ, Altaris, Confraternitatis, & alii.

An dentur ejuſmodi Patroni, 75.76.
An & qualiter de iis fieri poſſit, *ibid.*
Statutum diei Officium non eſt deſerendum, ut fiat de Patrono ſeu Titulo Confraternitatis, 74.
Patroni cujuſque hominis in particulari mentio nulla in Rubricis, 63.

Peregrinus.

Non tenetur quoad Officium ad feſta locorum per quæ tranſit, aut aliquandiu commoratur, 137.
Tenentur Peregrini quoad præceptum ad feſta localia etiam tranſeuntes, 148.
Non tenentur abſentes feſtis ſuæ patriæ, *ibid.*

Perſona.

Perſonæ dignitas quibus in Sanctis attenditur, 273.

Perſona divina.

Una poteſt invocari & coli ſeorſim ab alia, 34.

Pontifex.

Vox iſta communis eſt Papæ & omnibus aliis Antiſtitibus, 187.

Præceptum.

Præſtat magis obedire præcepto Superioris, quàm quodlibet egregium opus ſuſcipere, 63.
Præceptum adimplere quoad ſubſtantiam & modum, præſtantius eſt quàm quoad ſubſtantiam tantùm, 63.
Verbum *ſtudeant* non involvit præceptum, 151.

Præfatio.

Poteſt-ne haberi propria in feſtis propriis, 229.
Quæ dicenda in feſtis propriis de Chriſto Domino, *ibidem.*
Præfatio de Nomine Jeſu, *ibid.*
Præfatio de Apoſtolis tributa S. Magdalenæ & aliis, 230.
Nulla Præfatio nova inducenda abſque authoritate Summi Pontificis, *ibid.*
Præfatio Temporis vel Octavæ currentis dicitur, etiam nulla facta ipſorum commemoratione, 235.
Utra dicenda cùm duæ occurrunt propriæ? 235.287.311.
In Miſſis votivis quæ dicenda? 311.
Duplex Præfationum Cantus, Solemnis & Ferialis, 66.
In votivis ſolemnibus cantanda in cantu ſolemni, 311.
Non tamen in Miſſa Litaniarum, *ibid.*
In Miſſis Defunctorum nunquam dicitur alia quàm Communis & in cantu feriali, 331.

Presbyter.

Presbyteri, Levitæ, & Eremitæ Tituli nihil ad rationem Officii faciunt, 106.

Privilegium.

Quid ſit, 268.
Non eſt idem quod conſuetudo, *ibid.*
Non amittitur per non uſum, 72.
Privilegium contra jus commune eſt ſtrictè interpretandum, 73.
Privilegium uni Officio etiam inferiori conceſſum, non ideo alteri etiam ſuperiori conceditur, 289.
Ut intelligendum illud, *Niſi aliter titularis Eccleſiæ privilegio fieri oporteat*, 268.
Privilegium Officii de Conceptione B. Mariæ addictum certo cuidam Officio, 74. *vide Tit.* Communicatio privilegiorum.

Proceſſio.

Proceſſiones in multis Galliæ civitatibus inſtitutæ, 61.

Profeſſores,

Quinam eſſent, 104.
Nedum ſunt Martyres, ut nec Sancti habeantur, *ibid.*

Prophetæ.

Veteris Teſtamenti Sancti, 99.
Ex Evangelio Joannes Baptiſta & alii, 100.

Proprium.

Quid Proprii nomine intelligatur, 2. *vide Tit.* Feſtum proprium,

Pſalmi.

Proprii qui dicantur, 178.
Quot in feſtis diſponendi, *ibid.*
Alii mutabiles, alii immutabiles, *ibid.*
Pſalmorum ordo triplex, Biblicus, Hiſtoricus, & Eccleſiaſticus, 179.
Pſalmi alii Matutinales, alii Veſpertinales, *ibid.*
Qui Feſtis Myſteriorum aptiores, *ibid.*
Qui pro Sanctis ſeligendi, *ibid.*
Quo ordine collocandi, 180.
Pſalmi iidem ubique in tribus Veſperis, 179.
Varii & varii in aliis, 179.180.
Qui dicendi in primis Veſperis S. Agnetis, 290.
Elogium Pſalmi, 180.
Pſalmorum encomium, 178.
Graduales & Pœnitentiales derelicti ob feſtorum frequentiam, 15.
Olim frequentiùs uſitati, 298.
In Choro ex obligatione recitandi, *ibid.*
Graduales Matutino præmittuntur, Pœnitentiales poſtponuntur, 299.
Pſalmi precibus ferialibus Horarum interjecti, 298.

Pſalterium.

Totum nullo occurrente feſto in hebdomada percurritur, 178.
Ejus intermiſſio propter frequentiora feſta, 14.
Duplex Pſalterii editio, Vulgata & Romana, 225.

Purificatio B. Mariæ.

Duæ Miſſæ cantandæ cùm feſtum illud transfertur, etiam ubi non eſt Titulus Eccleſiæ, 290.
Differri item debet Antiphona *Ave Regina Cœlorum*, 291.

R

Regula.

Regulæ ab Eccleſia approbatæ, 70.

Regulares.

Quæ feſta localia teneantur celebrare, quæ non teneantur? 132.

Tenen-

Tenentur ad obſervantiam Feſtorum Diœceſanorum & Parochialium, 147.
Non tenentur ad feſta ex voto, 148.
Regularis Eccleſia non pendet à Cathedrali mediante Parochiali, 134.
Regulares Eccleſiæ inferiores tenentur ad feſta ſuperioris de cujus gremio ſunt, 135.

Reliquiæ.

Nulla Eccleſia ſine Reliquiis erigenda nec dedicanda, 25.
Nonniſi Martyrum olim adhibitæ, 26. 27.
Variæ B. Virginis Reliquiæ, 39.
Celebranda feſta Sanctorum quorum habentur Reliquiæ, 51.
Quo ritu? 118. 119. 120. 123.
Quales debent eſſe ejuſmodi Reliquiæ, ut de iis fiat Officium, 51. 52.
Reliquiarum Suſceptio, Inventio, Relatio, &c. 53.
Feſtum generale Reliquiarum, *ibid.*
Feſta Reliquiarum Eccleſiæ Cathedralis non pertinent ad Diœceſim, 231.

Reſponſorium.

Reſponſoria propria qualia eſſe debent? 171.
Reſp. *Domine prævenisti*, dicendum in aliquibus feſtis propriis unius Martyris, 184.
Reſp. *Hæc eſt vera*, quibus fratribus Martyribus tribuendum? 186.
Reſp. *In medio Eccleſiæ*, SS. Patribus tribuendum, 189.
Uſus Reſponſorii poſt Capitulum Veſperarum, & noni ad Matutinum, laudabilis, 216. 217.
Reſponſoria quarumdam Feriarum Quadrageſimæ ex Evangelio deſumpta, non ſunt alio die reſumenda, cùm impediuntur, 291.
Caſus particularis de Reſponſoriis Tobiæ, 285.

Reſponſoria brevia.

Oppoſita longioribus, 176.
Rariſſimè habentur propria, 177.
In multis uſibus iis additur duplex *Alleluja* extra tempus Paſchale, *ibid.*
In Reſponſ. brevi Primæ, Verſus qualiter mutandus, *ibidem*.

Ritus.

Celebrandi Feſta multiplex, 109.
Unde petitur Feſtorum diſtinctio quoad titulum, 112. 113.
Quid attendendum, ut debitus ſingulis Feſtis tribuatur? 114.
Varii uſus Eccleſiarum quoad Feſtorum ritum, *ibid.*
Eorum reductio ad uſum Romanum, 115.
Nihil in ritu Feſtorum Calendarii Romani immutandum, 16.
Suus cuique Eccleſiæ ſervandus ritus, 93.
Ritus loci proprius non prævalet contra Rubricas, 259.
Ex Confraternitate Eccleſiarum plerumque rituum communicatio conſequitur, 58.

Rogationes.

Vide Titulum Commemoratio.

Rubricæ.

Paſſim explicatæ tam Breviarii quàm Miſſalis.
Regularis inſtituti gratia, non facilè infringendæ, 240.

S

SS. Sacramentum.

Poſſunt dicari Eccleſiæ Titulo ipſius, 36.
Expoſitio SS. Sacramenti non eſt cauſa legitima mutandi Officii, 63. 64.
Officium de ipſo Fer. 5. cujuslibet hebdomadæ non impedita, an ſit legitimum? 71. *& ſeq.*
Unde ſumendum, 203.
Ut cantari debet Miſſa votiva de eo quando exponitur? 308.
Quæ precationes adhibendæ cùm reconditur? 317.
Forma benedicendi cum SS. Sacramento, *ibid.*
Precatio pro Defunctis, ne fiat niſi ipſo recondito, 318.

Sacrificium.

Variæ Sacrificii appellationes, 229.
Poſtulationes ad ipſum pertinentes, *ibid.*

Salutatio veſpertina.

In ea quæ preces adhibendæ, 317.

Sancti.

Cur alii præ aliis in Calendarium illati, 8.
Inſignioris notæ præ aliis, 11.
Eccleſiarum dignitas & multitudo Sanctis ipſis celebritatem conciliat, 11.
Commendantur Eccleſiæ, quæ Sanctis pluribus abundant, 12.
De Sanctis locorum, nihil propria authoritate ſtatuendum, qualiter intelligi debet? 17.
Nulli fictitii in Eccleſia coluntur, 28.
Deceptio in nomine, nihil Sanctorum cultui præjudicat, *ibid.*
Nullos alios colere fas eſt quàm Canonizatos, 28.
Dubii an ſint colendi? 29.
Multi collecti ſimul, Tituli magis quàm Patroni rationem habent, *ibid.*
Innominati poſſunt nihilominus eſſe Patroni, 30.
Sancti aliqui in Eccleſia Cathedrali celebriores, ad reliquam Diœceſim nihil pertinent, 43.
Sancti Indigenæ, Advenæ, Adventitii, 54.
Sancti naturales loci qui? *ibid.*
An de his omnibus faciendum Officium? 55.
Sancti affines & conſanguinei? 57. 58.
Sancti naturales Religionum, aut affinitate ad Religionem pertinentes, 70.
Feſtum omnium Sanctorum Ordinis, *ibid.*
Sancti ejuſdem nominis in unum diem congeſti. 92.
Sanctorum varii ac multiplices ſtatus ſeu ordines, 98.
Sancti veteris teſtamenti ut inſcribendi in Calendario proprio, 99.
An & qua ratione plures Sancti ſimul jungi poſſint in Calendario, 30. 107. 108.
An & qualiter juncti poſſint disjungi, 108.
Par non eſt Sanctorum gloria, 109.
De Sanctis Evangelicis ut ſit Officium? 195.
Item de Sanctis quorum dubia eſt qualitas, 196.

Sanguis Chriſti.

Relictus in terris an poſſit eſſe Titulus Eccleſiæ? 38.
Miraculoſus ut adorandus? *ibid.*
Effuſus ex imagine Crucifixi. 60.

Scriptura Sacra.

Triplex Scripturæ ſenſus, quoad Lectiones ex ea aſſumendas, Literalis, Myſticus, & Encomiaſticus, 164. 165.
Quorumnam librorum Sacræ Scripturæ, & quibus diebus poſita ſint initia, 281.
Cùm ſuo die impediuntur, in alium transferenda ſunt, *ibid.*
Initia Iſaiæ & Jeremiæ nunquam impediuntur, *ibid.*
Epiſtolæ Pauli, Petri, & Joannis, an pro uno libro computandæ? 282.
Adveniente Septuageſima omittitur quod ſupereſt de Epiſtolis Pauli, 283.
Itidem adveniente Domin. 1. Auguſti, quod ſupereſt de libris Regum, *ibid.*
Lectiones de martyrio Machabæorum ut reſumendæ? *ibidem*.
Hiſtoriæ Noemi, Abrahami, Iſaac, Joſeph & Moyſis, an reſumendæ, ſi impediantur? 282.
Triplex impedimentum reſumendi initia librorum ſequenti die, *ibid.*
Reſumitur initium libri in feſto occurrente in Fer. 2. Rogationum aliave ſimili, *ibid.*
Sic poteſt impediri initium libri Heſter ut penitus omittatur, 284.
Itidem poſſunt omitti aliqui ex Prophetis minoribus, *ibidem*.
An contingat initium Epiſtolæ ad Romanos poni extra Dominicam infra Octav. Nativitatis? 287.

Secreta & Poſtcommunio.

Quæ dicantur propriæ, 228.

Collectæ propriæ, non ſemper ſubditur Secreta ac Poſtcommunio propria, 229.
Interdum mutantur non mutata Collecta, *ibid.*
Novæ ut cudendæ? *ibid.*

Semiduplex.

Unde ſic dictum? 109.
Semiduplicium ac Simplicium origo, 110.
Semiduplicia an ſint alia majora aliis? 112.
Dicta Dominicalia, 120. 121.
Feſtum Semiduplex eſt ſolemne, 122.
Quæ feſta propria fiant ritu ſemiduplici? 122. 123.
Non eſt neceſſe ut plura ſint feſta propria Semiduplicia quàm Duplicia, 123.
Diſcrimen inter feſtum Semiduplex & Octavam, 288.
Fit de Semiduplici intra Octavas SS. Trinitatis, 295.

Sequentia.

Ejus definitio & varia nomina, 227.
Quatuor duntaxat uſu Romano habentur, 228.
Uſus Sequentiarum jam penè obſolevit, *ibid.*
Habentur alicubi in feſtis Patronorum, *ibid.*

Simplex.

Simplicium origo, 110.
Simplex non eſt ſolemne, 65. 122.
Non conceditur à Rubricis feſtum Simplex proprium, 124.
Commemoratio feſti Simplicis ut fit? 248. 249.
Simplicium extinctio ex nimia feſtorum frequentia, 14.

Sodalitia ſeu Confraternitates.

Ut plurimùm ſunt Laicorum, 74.
Unde nuncupantur? *ibid.*
Statum diei Officium non eſt deferendum, ut fiat de Patrono ſeu Titulari Confraternitatis, *ibid.*

Solemnis, Solemnitas, Solemniter.

Etymon vocis *Solemnitas*, 65.
In quo conſiſtit Solemnitas, *ibid.*
Solemne feſtum quod ſtata die ſolet in anno celebrari, *ibid.*
Feſta ſimplicia non ſunt ſolemnia, *ibid.*
Solemnitas pro ſumptuoſiori apparatu Chori, Altaris, &c. 66.
Solemnitas & commemoratio contradiſtinguuntur, 66. 216.
Solemnia dicuntur feſta omnia Duplicia & Semiduplicia, 66.
Solemnitas ſeu apparatus Chori reſpondere debet dignitati gradus Feſti, 113.
Feſta in quibus adhiberi ſolet major Solemnitas, in Duplicium majorum numero habenda, 119.

Suffragium.

Fit de Patrono ſeu Titulo Eccleſiæ, 85. 201.
An etiam de aliis? 85.
Conſtat Antiphona, Verſu & Orat. 198.
Quæ in illis cavenda, *ibid.*
Varia Sanctorum Suffragia, 199. 200.
Suffragium de Titulo unde ſumendum, 200.
Qui beneficium habet in pluribus Eccleſiis, non tenetur de ſingularum Patronis facere commemorationem in Suffragiis, 202.
Quo ordine collocanda Suffragia, *ibid.*
Plures diverſi ordinis Sancti ſub una commemoratione comprehenſi, 203.
Omittendum Suffragium Patroni in Vigilia ipſius, item in Officio hebdomadario, & in feſtis de eodem non duplicibus, ſi fuerint aliqua, *ibid.*
Sitne omittendum, quando in oratione diei fit de eo mentio, 203.
Suffragium B. M. omittendum ab eo qui privatim recitat Officium parvum ejuſdem, *ibid.*

T

Tabella.

Commemorationis	Dominicarum,	246.
	Feriarum,	248.
	Feſti ſimplicis,	249.
	Vigiliæ,	251.
	Dierum infra Octavas,	254.
	Dierum Octavarum,	255.

Comparationis Octavarum, 254.
Tranſlationis Feſtorum propriorum, 270. 271.
Concurrentiæ eorumdem, 254. 279.
Tabulæ per ſeptem Adventus, 286.

Te Deum laudamus.

An poſſit legitimè omitti in feſtis ſimplicibus, 216.
Rariùs olim dicebatur, 215.

Tempus.

Tempus Anni quadruplex, 13.
Status hominis ad Deum quadruplici illo tempore adumbratus, *ibid.*

Titulus.

Dicitur propriè de Myſterio, aut re aliqua ſacra, à qua denominatur Eccleſia, 20.
Prior non dimittitur per acceſſionem poſterioris, 22.
Plures Sancti collectim, magis habent rationem Tituli quàm Patroni, 29.
Tituli etymon, 31.
Variæ Tituli acceptiones, 32.
Eccleſiæ dictæ olim Tituli, *ibid.*
Titulus latè & ſtrictè ſumptus, 34.
Ut differt à Patrono, *ibid.*
Quatuor perſonarum genera à quibus varii peti poſſunt Tituli, *ibid.*
A Deo Optim. Maximo, *ibid.*
A Chriſto Domino, 35. 36. 37. 38.
A Beata Virgine, 39.
A Sanctis, 40.
Nullæ Eccleſiæ Titulo Defunctorum dicatæ, *ibid.*
Tituli eligendi ratio, *ibid.*
Raò datur Titulus loci propriè dictus, 45.
Tituli varii feſtorum ſecundariorum, 47.
Titulus Religionis ſeu Congregationis, 69.
Fit Octava Tituli proprii, 81. *vide Tit.* Feſtum proprium.

Tractus.

Luctum ac gemitum exprimit, 227.
Pauci ſunt Tractus proprii, *ibid.*

Traditio.

Illibata quæ ſit? 27.
Non facilè mutanda, 67.

Translatio Feſtorum.

Quid ſit & quorum fiat, 255.
Quid differt à mutatione, 255. 256.
Propriè eſt Feſtorum, non Officii de Tempore, 256.
Feſta quò ſunt digniora, eò difficiliùs ſuo loco moventur, *ibid.*
Termini à quo & ad quem Tranſlationis, *ibid.*
Quis ordo ſervandus inter plura Feſta transferenda? 256.
Contingere poteſt ut quod poſteriùs in Calendario deſcriptum eſt, priùs transferatur, 257.
Anticipatio Feſtorum Romano uſu incognita, *ibid.*
Omiſſio Feſti illicita, 257.
Feſta quædam vix unquam transferuntur, 257. 259.
Sunt 37. dies in anno, à quibus Duplicia primæ claſſis propria excluduntur, 258.
Quid agendum, ubi Feſtum aliquod incidit in diem 2. Novembris, 260.
Quæ ſit prima dies ſimiliter non impedita, 256. 260. 261.
De Duplicibus tranſlatis non fit in Dominicis infra Octav. Nativit. & Epiphaniæ, etiam extra Dominicam, 261.
Tranſlato Feſto an & qualiter cantanda Miſſa de eo in die proprio, *ibid.*
Duplicia in quamlibet diem infra Octavas transferuntur, Semiduplicia non item, *ibid.*
De nullo Feſto tranſlato fit in Vigilia Epiphan. ſecùs in Feria 6. poſt Octav. Aſcenſionis, *ibid.*
Feſtum SS. Petri & Pauli qualiter transferendum, 262.
Separatis Sanctis qui ſimul juncti erant, de tranſlato fit tantùm Semiduplex, *ibid.*
Dies à quibus Duplicia ſecundæ claſſis excluduntur, 263.

Dies

Dies à quibus cætera Duplicia inferiora excluduntur, 264.

Duplicium parium ſimul occurrentium utrum alteri præferendum? ibid.

Dies à quibus excluduntur Semiduplicia propria, ibid.

Vigilia Epiphaniæ excludit Semidupl. ibid.

Semiduplicia antiquiora aliis præferenda, 265.

Simplex proprium, ſi datur, cedit ſimplici in Calendario deſcripto, ibid.

Simplex uſu Romano nunquam transferendum, ibid.

Translatio Sanctorum.

Plurimæ Sanctorum Translationes, 46.

Translationum ejuſmodi cauſa triplex, 46. 47.

Cur paucæ in Martyrologio Romano Sanctorum Translationes, 47.

Controverſia de Translatione Corporis ſancti Benedicti, 48.

Ut inſtitui poteſt Feſtum Translationis Sancti alicujus? 48. 49.

Eo die recolendum quo Translatio peracta fuit, 94.

Translationis aliquorum Sanctorum Feſtum paſſim fieri ſolitum, 50.

SS. Trinitas.

Ejus Feſtum quando inſtitutum, 6.

Titulus Trinitatis omnium glorioſiſſimus, 34.

Eccleſiæ ſub Titulo Trinitatis, ibid.

Aliud Feſtum Domin. ultima poſt Pentecoſt. 259.

V

Velum.

INter Altare & Chorum Tempore Quadrageſimæ, 291. 292.

Verſus.

Quæ Verſuum ratio in Officio, 176.

Pauci ſunt proprii, ibid.

Iis non addendum *Alleluja* extra Tempus Paſchale, 177.

Verſus Sacerdotalis, 205.

Veſpera.

Quæ forma Veſperarum? 208.

Veſperæ Paſchales ex ordine Romano, 211.

Dimidiatio Veſperarum multis olim uſibus incognita, 272.

Probatur authoritate & ratione, ibid.

Locum habet tantùm inter feſta æqualis gradus, 273.

Dignitas perſonæ non attenditur quoad concurrentiam, niſi in Deo, Chriſto Domino, B. Virgine, Angelis & Apoſtolis, non autem in aliis, ibid.

Dies Octavæ Sanctorum non præferuntur æqualibus in concurrentia, ibid.

Veſperæ dicendæ ante comeſtionem in Quadrageſima, etiam in feſto Patroni, 291.

Laudabilior uſus dicendi Veſperas ante comeſtionem à Sabbat. primo Quadrageſimæ, ibid.

Veſtes ſacræ.

Limbi Albis aſſuti, 239.

Tunicellæ puerorum ſymphoniacorum, ibid.

Planetæ plicatæ, ibid.

Vigiliæ.

A Vigilando dictæ, 77.

In iis ſervatum quoque olim jejunium, ibid.

Alicubi adhuc ſervantur per noctem in præcipuis feſtivitatibus, ibid.

Vigiliæ in quibus ſervatur jejunium, ibid.

Vigilias Græci profeſta appellant, ibid.

Jejunium à multis ſervatur in Vigilia Patronorum, *ibidem*.

An ſit legitimum celebrare Officium de Vigilia in feſtis propriis, 78.

Vigiliæ aliquot Apoſtolorum in multis Galliæ locis non jejunantur, ibid.

An de iis faciendum nihilominus Officium? ibid.

An ſervandum jejunium in Vigilia Pentecoſtes, 78. 79.

Vigilia Sabbato anticipanda quando in Dominicam incidit, 96.

Occurrens in feſto Patroni, anticipanda quoad jejunium, non quoad Officium, ibid.

Quis ritus ſervandus in Officio Vigiliæ? 124.

Vigiliis tribuitur tantùm Oratio & Homilia pro Officio, 165.

Vigiliæ aliæ communes, aliæ privilegiatæ, 249.

Jejunio anticipato non anticipatur Officium niſi propter Dominicam, 249.

Nec ipſum Officium anticipatur, ſi fiat ritu extraordinario, 267.

Commemoratio Vigiliæ infra Octavas ut fit? 249.

Duæ Vigiliæ nullibi ſimul occurrunt, 250.

Evangelium Vigiliæ legendum in Adventu in fine Miſſæ Feſti occurrentis, ibid.

Preces Feriales dicendæ in Vigiliis communibus, etiam ubi non jejunatur, 295.

Vigiliæ Nativitatis Domini & Pentecoſtes excludunt quodcunque feſtum, 250.

Vigilia Epiphaniæ.

Inſtar eſt Dominicæ, 269.

Præferenda dici infra Octavas, ibid.

Non fit in ea de feſto ſemiduplici, 250.

Quocunque duplici occurrente fit de ea Commemoratio, ibid.

Virgines.

Quæ Sanctæ Virginum Titulo & Officio colendæ, 106.

Vix ullæ ſtuprum paſſæ leguntur, ibid.

Virgines etiam in conjugio, 107.

Plures ſimul jungi contingit, ibid.

Non Virgo dicitur etiam ſponſa Chriſti, 191.

Unctio.

Unctionis vis in iis quibus adhibetur, 184.

Votum ſeu Devotio.

Quæ & qualia ſint feſta ex Voto ſeu ex Devotione generali Civitatis, 59.

An poſſint legitimè induci aut retineri, 60. 61.

Quo ritu fiant, 118. 120.

Votum Communitatis non obligat poſteros vi Voti ſed pacti, 61.

Obligatio Voti extinguitur mutatione materiæ, ibid.

Votum ſolemne quodnam dicitur, 65.

Uſus.

Uſus Romanus omnium accuratiſſimus, 182.

Multa in variis uſibus à Romano diverſa, mutanda magis quàm retinenda, 217. 218.

Uſus locorum à Romano diverſus, an & qualiter traducendus ad feſta propria, 258. 259.

Nullum oritur ſcandalum ex varietate Officiorum juxta varios uſus, 259.

Standum magis Romano uſui ipſo utentibus, quàm contrario locorum, 264.

Uſus Officiorum ut ſit legitimus, non debuit eſſe revocatus, 155.

Uſus ab omni tempore quando approbationis loco habeatur? ibid.

Z

Zelus.

INdiſcretus aliquorum reprehenditur, 35.

TEXTUS ALIQUOT DIFFICILIORES
ex Rubricis Breviarii, elucidati.

Rubr. I. & II. *num.* I. Conſueverunt ſolemniter celebrari, &c. 66.

Item Rubr. I. *num.* I. Cum Officiis propriis à Sede Apoſtolica receptis vel recipiendis, 157.

Rubr. VI. *num.* I. De Vigilia fit Officium in omnibus Vigiliis, &c. 78.

Rubr. VII. *num.* I. Et in feſtis Sanctorum, quæ apud quaſdam Eccleſias, &c. 83.

Rubr. IX. *num.* 5. Inter feſta æqualis ſolemnitatis ſervetur hic ordo, &c. 111.

Rubr. X. *num.* I. Transfertur in primam diem ſimiliter non impeditam, 256.

Rubr. XXVI. *num.* 7. Cùm autem initium alicujus Epiſtolæ, &c. 281. 282.

Rubr. XXVII. *num.* 7. Si Reſponſoria primi Nocturni ejus Dominicæ, &c. 284.

Rubr. XXXIV. *num.* 3. Preces Feriales ad Laudes & per Horas, &c. 295.

Rubr. XXXV. *num.* I. Illis adjungitur commemoratio de Patrono vel Titulo Eccleſiæ, 201.

Ad Tabellam de Occurrentia, poſt Rubricas generales. Si occurrat ut Patronus vel Titulus Eccleſiæ, &c.

Rubr. in Feſto S. Stephani ad Veſperas. Antiphona Tecum principium, &c. 286.

Rubr. particularis de Feria 6. poſt Octavam Aſcenſionis. Si in ea occurrat feſtum IX. Lectionum, &c. 248.

Rubr. de Pſalmo precum, Invitatorio, & Reſponſorio. Libera me, *in Officio Defunctorum*, 324.

Rubr. de Benedictione Menſæ, in feſto Pentecoſtes, 302.

EX RUBRICIS MISSALIS.

Rubr. IV. *num.* 3. Quæ tamen Miſſæ, & omnes aliæ votivæ dici poſſunt quocunque die, 306.

Eadem Rubr. num. 6. Si facienda ſit commemoratio pro Defunctis, &c. 331.

Rubr. V. *numer.* I. & 2. Prima die cujuſque menſis, &c. Præterea Feria 2. cujuſlibet hebdomadæ, &c. 327. 331.

Eadem Rubr. num. 4. Sequentia pro Defunctis dicitur, &c. 330.

Rubr. VI. *num.* I. In Eccleſiis autem ubi Titulus eſt Eccleſiæ, &c. 261.

Rubr. VII. *num.* 2. Sed in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, ubi plures quotidie celebrant Sacerdotes, &c. 290.

Rubr. VIII. *num.* 4. In Miſſis votivis non dicitur *Gloria in excelſis, &c.* 308.

Ibidem, Niſi ſit pro re gravi, vel publica Eccleſiæ cauſa, 305.

Rubr. IX. *num.* 8. Infra Octavas Paſchæ & Pentecoſtes dicuntur duæ tantùm Orationes, &c. 293.

Eadem Rubr. num. 9. In Dominicis infra Octavas occurrentibus dicuntur duæ Orationes, &c. *ibid.*

Eadem Rubr. num. 12. In feſtis Simplicibus vel Feriis dicuntur tres Orationes, ut in ſemiduplicibus aut quinque; poſſunt etiam dici ſeptem ad libitum, &c. 314.

Rubr. XII. *num.* 4. In Miſſis votivis dicitur etiam Præfatio propria, &c. 311.

Rubr. in Dominica Paſſionis. Ab hac die uſque ad Sabbatum in Albis, &c. 292.

Rubr. Fer. 4. infra hebdom. Paſchæ. Ab hac die uſque ad Sabbatum in Albis, &c. *ibid.*

Rubr. Fer. 4. infra Oct. Pentecoſtes. Ab hac die uſque ad Sabbatum ſequens, &c. *ibid.*

Rubr. de Rogationibus. Feria verò III. ſi feſtum non occurrat, &c. 247.

Ante Orationes votivas. Orationes diverſæ dicendæ in Miſſa ad libitum Sacerdotis, &c. 312.

Rubr. poſt Miſſas Defunctorum. Epiſtolæ & Evangelia ſuperiùs poſita in una Miſſa pro Defunctis, &c. 328.

ELENCHUS AUTHORUM,
Qui in hoc opere allegantur.

SANCTI PATRES.

Ambroſius.
Andreas Cretenſis.
Anſelmus.
Athanaſius.
Auguſtinus.
Baſilius.
Beda.
Bernardus.
Boetius.
Caſſianus.
Chryſoſtomus.
Clemens Alexandrinus.
Cyrillus Alexandrinus.
Cyrillus Hieroſolym.
Dionyſius.
Dorotheus Martyr.
Dungali fragmenta.
Ephrem.
Epiphanius.
Eucherius Lugdunenſ.
Euſebius Cæſarienſis.
Gaudentius Brixienſis.
Germanus Conſtantinopol.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Papa.
Hieronymus.
Hincmari Rhemenſis Capitula.
Idiota.
Joannes Damaſcenus.
Irenæus.
Iſidorus Hiſpalenſis.
Iſidorus Peluſiota.
Leo.
Maximus.
Optatus Milevitanus.
Origenes.
Paſchaſius Ratbertus.
Paulinus.
Petrus Chryſologus.
Petrus Damiani.
Philo Judæus.
Prudentius.
S. Remigius.
Sidonius Apollinaris.
Tertullianus.
Theodoretus.
Theophanes Cerameus.

SCRIPTURÆ Interpretes.

Abulenſis.
A Ponte.
Cornelius à Lapide.
Gloſſa.
Maldonatus.
Serarius.
Toletus.
Vatablus.
Viegaz.
Vilalpandus.

THEOLOGI.

Angelus.
S. Antoninus.
Aragonius.
Armilla.
Auguſtinus Triumphus.
Azor.
Banoez.
Bellarminus.
Bonacina.

S. Bo-

S. Bonaventura,
Cajetanus.
Caſtellinus.
Caſtro Palao.
Diana.
Fagundez.
Filliucius.
Gerſon.
Graffis.
Granadus.
Guillelmus Pariſienſis.
Layman.
Leander.
Magiſter.
Medina.
Navarrus.
Paludanus.
Paſqualigus.
Pelizzarius.
Peyrinus.
Philiarchus.
Rodericus.
Sanchez.
Sayrus.
Sylveſter.
Suarez.
Tabiena.
Theophilus Raynaudus.
D. Thomas.
Turrianus.
Valentia.
Vaſquez.

JURISCONSULTI.

Abbas Panormitanus.
Barboſa.
Bartolus.
Caroli Magni Capitula.
Covarruvias.
Felinus.
Flavius Cherubinus.
Gratianus.
Hoſtienſis.
Innocentius III.
Joannes Andreas.
Petrus Gregorius.
Theodorus Balſamon.
Turrecremata.
Villalobos.

LIBRI SACRORUM Rituum, eorumque Commentatores.

Albinus Flaccus.
Alcocer.
Amalarius.
Berno.
Breviarium Quignonii.
Ceremoniale Epiſcoporum.
Ceremoniale Monaſticum.
Clichtoveus.
Cornelius Schultingius.
Duranti Rationale.
Durantus de Ritibus.
Francolinus.
Frontonis Calendarium.
Galeſinii Martyrologium.
Gavantus.
Honorius.
Hugo.
Leo Allatius.
Liber de Romanis Pontif.
Martyrologium Romanum.
Menologium Græcorum.
Micrologus.
Ordo Romanus.
Pammelius.
Paracletice Græcorum.
Pentecoſtarium Græcorum.
Pontificale Romanum.
Rabanus Maurus.
Radulphus de Rivo.
Rituale Romanum.
Rupertus.
Triodium Græcorum.
Valfridus Strabo.

CHRONOLOGI & Hiſtorici.

Ado Viennenſis.
Adricomius.
Annales Eccleſiæ Aurelian.
Baronius.
Bibliotheca Præmonſtrat.
Bolandi Vitæ.
Dextri Chronicon.
Gallia Chriſtiana.
Glaber.
Gregoras.
Lipomanus.
Mariana.
Metaphraſtes.
Molanus.
Monachus S. Galli.
Nicephorus.
Odo Cluniac.
Onufrius.
Petavius.
Petrus de Natalibus.
Procopius Cæſarienſis.
Raphael Volaterranus.
Salianus.
Sauſſayi Martyrologium.
Severus Sulpitius.
Spinellus.
Spondanus.
Trithemius.

AUTHORES PROFANI.

Apulejus.
Ariſtoteles.
Aſconius Pædianus.
Athenæus.
Budæus.
Callimachus.
Cicero.
Dionyſius Halicar.
Gellius.
Juvenalis.
Orpheus.
Salluſtius.
Servius.
Svidas.
Titus Livius.
Virgilius.

SUMMI PONTIFICES, quorum Decreta in hoc opere allegantur.

Alexander II.
Alexander III.
Benedictus VIII.
Bonifacius IV.
Bonifacius IX.
Cæleſtinus I.
Calliſtus III.
Clemens VI.
Clemens VII.
Clemens VIII.
Eugenius IV.
Euſebius.
Felix IV.
Gregorius IV.
Gregorius VII.
Gregorius IX.
Gregorius XIII.
Gregorius XV.
Honorius III.
Innocentius III.
Innocentius IV.
Innocentius X.
Joannes XXII.
Julius II.
Julius III.
Leo IX.
Martinus V.
Paulus IV.
Paulus V.
Pelagius.
Pius I.
Pius II.
Pius IV.
Pius V.
Sixtus IV.
Sixtus V.
Urbanus II.
Urbanus IV.
Urbanus VI.
Urbanus VIII.

His adde Decreta Sacra Rituum Congregationis quamplurima.

CONCILIA ITEM allegata.

Africanum III.
Agathenſe.
Antiſſidiorenſe V.
Braccarenſe.
Carnutenſe.
Carthaginienſe III. & V.
Conſtantienſe.
Epaunenſe.
Francofordienſe.
Laodicenſe.
Lugdunenſe.
Mediolanenſe V. S. Caroli.
Meldenſe.
Milevitanum.
Moguntinum.
Nicænum.
Oxonienſe.
Senonenſe.
Sueſſionenſe.
Toletanum X. & XI.
Tridentinum.
Turonenſe I. & II.

I *Gryes. Heortologia.*

HYMNI DE TEMPORE.

SABBATO AD VESPERAS.

Deus Creator omnium.

Laudat hunc Hymnum Auguſtinus lib. 9. Confeſſionum cap. 12. aſſeritque eſſe Ambroſii, quo utitur etiam hodie Eccleſia Rhemenſis, olim verò pleraque aliæ, imò ferè omnes. Illum recenſet Radulphus, ſuiſque illuſtrarunt piis commentationibus Dionyſius Carthuſianus, & Clichtoveus.

DEus Creator omnium,
 Polique rector, veſtiens
 Diem decoro lumine,
 Noctem ſoporis gratia.
Artus remiſſos ut quies
 Reddat laboris uſui,
 Menteſque feſſas allevet
 Diurna ſolvens tædia.
Grates peracto jam die,
 Noctis ſub ortu fundimus:
 Culpis ut abſolvas reos,
 Hoſtes ut omnes arceas.
Te pectus imum cogitet,
 Te vox canora perſonet,
 Te mens adoret ſedula,
 Te caſta corda diligant.
Ut cùm remoto jam die
 Caligo noctem ſuderit,
 Suum fides non deſioat
 Jubar vibrare mentibus.
Devota nonniſi malo
 Dormire corda noverint:
 Tuique fervor Spiritus
 Somni vaporem temperet.
Unum profunda te Deum
 Volvant, revolvant ſomnia,
 Ut nullus hoſtis invidi
 Pavor quietos ſuſcitet.
Chriſtum rogemus, & Patrem
 Chriſti, Patriſque Spiritum,
 Nos ut precantes audiat
 Qui Trinus unus eſt Deus. Amen.

AD COMPLETORIUM.

Salvator mundi Domine.

Brev. Rothomagenſe in Officio triplici & infra Octavas, Bajocenſe in Duplicibus primæ claſſis, Conſtantienſe, Senonenſe, Meldenſe, & antiqua ferè omnia.

SAlvator orbis optime,
 Qui per diem nos protegis,
 Sis noſtra per noctem ſalus,
 Salus & omni tempore.
Tuis adeſto nunc reis,
 Et parce ſupplicantibus:
 Tu noſtra dele crimina,
 Tu lux tenebras præveni.
Mentes ſopor ne deprimat,
 Aut hoſtis innectat dolus:
 Immunda nec carnis lues
 Artus pudicos inquinet.
Tu qui reformas ſenſuum,
 Cordiſque motus devios:
 Nos luce præſta craſtina
 Intaminatos ſurgere.
Virtus, honor, laus, gloria,
 Deo Patri cum Filio,
 Sancto ſimul Paraclito,
 In ſæculorum ſæcula. Amen.

ITEM AD COMPLETORIUM.

Tempore Quadrageſimæ.

Chriſte qui lux es & dies.

Tribuitur communiter Ambroſio, habeturque in Breviariis Turonenſi, Senonenſi, Pariſienſi, Aurelianenſi, & reliquis Galliæ ferè omnibus. Recenſent ipſummet Radulphus, Clichtoveus, & Carthuſianus qui & vocat affectuoſiſſimum.

LUx Chriſte lucis conditor
 Dies ab æterno die,
 Qui noctis umbras horridæ
 Tuo repellis lumine.
Te nunc dies dum clauditur
 Votis precamur ſedulis,
 Sis noſtra noctis tempore
 Salus, quies, defenſio.
Ne ſomnus incautos gravet,
 Ne fallat hoſtis invidus,
 Illique ſerviens caro
 Culpæ reatu nos liget.
Dum clauſa ſtringit lumina
 Somnus, ſtet in te cor vigil:
 Dextra potenti protegas
 Amor tui quos poſſidet.
Defenſor adſis ocyus,
 Artes retunde dæmonum,
 Lucique redde ſoſpites
 Cruore quos mundas tuo.
Memento quòd dum vivimus
 Mentem gravis moles premit:
 Surſum Deus nos erige
 Tua benignus gratia.
Deo Patri ſit gloria,
 Ejuſque ſoli Filio,
 Cum Spiritu Paraclito.
 Nunc & per omne ſæculum. Amen.

ITEM AD COMPLETORIUM.

Tempore Paſſionis.

Cultor Dei memento.

Brev. Conſtantienſe. Totus eſt Prudentii, à Radulpho pro Tempore Paſſionis recenſitus, pro Quadrageſima verò à Clichtoveo.

CUltor Dei memento,
 Te fontis & lavacri
 Rorem ſubiſſe ſanctum,
 Te chriſmate innovatum.
Fac cùm vocante ſomno
 Caſtum petis cubile,
 Frontem, locumque cordis
 Crucis figura ſignet.
Crux pellit omne crimen,
 Fugiunt Crucem tenebræ:
 Tali dicata ſigno
 Mens fluctuare neſcit.
Procul ò procul vagantum
 Portenta ſomniorum:
 Procul eſto pervicaci
 Præſtigiator aſtu.
O tortuoſe ſerpens,
 Qui mille per mæandros,
 Fraudeſque flexuoſas
 Agitas quieta corda:
Diſcede, Chriſtus hìc eſt,
 Hìc Chriſtus eſt, faceſſe;
 Signum quod ipſe noſti,

Damnet tuam catervam.
Corpus licèt fatiſcens
Jaceat recline paulùm:
Chriſtum tamen ſub ipſo
Meditabitur ſopore.
Sit laus Deo perennis,
Patri, parique Nato:
Par Spiritus tibi laus,
Honorque ſit per ævum. Amen.

ITEM AD COMPLETORIUM.

Tempore Paſchali.

Jeſu Salvator ſæculi.

Brev. Rothomagenſe, Turonenſe, Pariſienſe, Aurelianenſe, Carnutenſe, Andegavenſe, Conſtantienſe, & reliqua Galliæ ferè omnia. Commentatus eſt Clichtoveus.

JEſu Redemptor ſæculi,
Altiſſimi Verbum Patris,
Lux luce manans jugiter,
Cuſtos tuorum pervigil.
Tu fabricator temporum,
Momenta nutu partiens,
Labore feſſa corpora
Noctis quiete recrea.
Te deprecamur ſupplices,
Ut nos ab hoſte liberes:
Ne fraude tentet aggredi
Tuo redemptos ſanguine.
Ut dum moramur anxia
Vitæ trahentes tempora:
Sic noſtra dormiat caro,
Mens ut ſtet in te ſedula.
Deo Patri ſit gloria,
Et Filio qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In ſempiterna ſæcula. Amen.

IN NATIVITATE DOMINI.

Ad Veſperas.

Veni Redemptor gentium.

Brev. Senonenſe, Carnutenſe, Conſtantienſe &c. Turonenſe ad Matutinum, Ordinis Prædicat. in utriſque Veſperis &c. Ambroſianus eſt, Radulpho natus, à Carthuſiano & Clichtoveo expoſitus.

VEni Redemptor gentium,
Fructus pudicæ Virginis,
Miretur omne ſæculum,
Talis decet partus Deum.
Non ex virili ſemine,
Sed vi ſuperni Spiritus,
Verbum Dei factum caro,
Radice ceu flos prodiit.
Deum puella concipit
Clauſtro pudoris integro;
Templumque cœlo ſanctius
Intacta fiunt viſcera.
Caſto velut ſponſus toro
Surgit decore fulgidus,
Sic carne cinctus Præpotens
Alvo pudica profilit.
Egreſſus æterno Patre,
Per tempus ad Patrem redit;
Imumque terræ permeans,
Ad ſumma cœli ſe refert.
Sic duplicis formæ gigas,
Hominis Deique Filius,
Currens alacriter, viam
Noſtræ ſalutis perficit.
Præſepe dum fulget tuum,
Lumenque nox ſpirat novum;
Da Chriſte noſtris ſplendeat
Fides, amorque cordibus.
Jeſu tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & almo Spiritu
In ſempiterna ſæcula. Amen.

IN FESTO S. STEPHANI Protomartyris.

Ad Laudes & Veſperas.

Sancte Dei pretioſe.

Brev. Rhemenſe, Senonenſe, Nivernenſe, Conſtantienſe & alia. Clichtoveus explicat.

SAncte Martyr glorioſe
Primus inter Martyres;
Cujus igne charitatis
Pectus arſit intimum,
Dum ſalutis extitiſti
Deprecator hoſtium,
Hanc fideli pande plebi
Charitatis gratiam:
Ipſe nobis te rogante
Chriſtus ut ſit æquior,
Criminumque labe puros
Sorte donet Cœlitum.
Sequens verſus habetur tantùm in Conſtantienſi.
Quaque fulges purpurati
Ductor almus agminis,
Hujus & nos da coronæ
Parte tecum perfrui:
Quò paratos nil ſupremi
Terror angat judicis.
Noſtra ſummum te Parentem
Ora laudent jugiter;
Te Parente non minorem
Proſequantur Filium:
Par utrique te decet laus
Utriuſque Spiritum. Amen.

Habet Senonenſe pro eodem feſto Hymnum, Adeſt Beato Martyri, *legitimum ſatis. Arelatenſe duos admodum vitioſos*, Stephano primo Martyri, *hunc refert Clichtoveus*, & Stephanus Martyr inclytus. *Meldenſe denique duos recentes elegantiſſimos*, Illuſtrem Stephani, & Duras eloquio.

IN FESTO S. JOANNIS Apoſtoli & Evangeliſtæ.

Ad Veſperas.

Solemnis dies advenit.

Brev. Rhemenſe.

SOlemnis en lucet dies,
Qua Virgo tutor Virginis,
Chriſtique dilectus comes
Cœlum Joannes obtinet.
O quantus hunc honos manet,
Cui dum Magiſter veſcitur,
Almo ſub ejus pectore
Datum fuit recumbere.
Qui prolis unicæ loco
Orbæ Parenti traditus,
Dum Matris hæc vices gerit,
Adimplet ille Filii.
Hic ales ille regius,
Qui cuncta ſpernens infima,
Quod Patris æterni ſinu
Verbum latebat, attigit.

Per

Per tanta, Chriſte, munera,
Mentes reſolvi languidas,
Puraſque labe criminum
Surſum levari poſcimus.
Jeſu tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu
In ſempiterna ſæcula. Amen.

IN FESTO SS. INNOCENTIUM.

Ad Matutinum.

Hoſtis Herodes impie.

Brev. Conſtantienſe. Author Sedulius in Hymno, de Nativitate, cujus eſt initium, A ſolis ortus cardine.

TYranne quid ſævis ferox?
Chriſtum quid Herodes times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cæleſtia.
Caterva Matrum perſonat,
Colliſa deflens pignora:
Quorum tyrannus millia
Chriſto ſacravit victimam.
Miraculis dedit fidem,
Habere ſe Deum Patrem,
Infirma ſanans pectora,
Et ſuſcitans cadavera.
Jeſu tibi ſit gloria &c.

IN CIRCUMCISIONE Domini.

A Patre unigenitus.

Brev. Carnutenſe. Ad Matut.

Idem in Epiphania Domini.

Brev. Nivernenſe ad Laudes, Bajocenſe, Conſtant. & pleraque antiqua. Recenſet Radulphus, Clichtoveus exponit.

A Patre venit unicus,
Ex Matre natus Virgine,
Ut in Crucis baptiſmate
Orbi ſalutem redderet.
De ſede celſus exiit,
Cui cuncta nutu ſubjacent;
Et factus Angelis minor
Se veſte cinxit carnea.
Hoc tu Redemptor perfice,
Clarum tuis ut fulgeat,
Suoque mentes intimas
Splendore lumen repleat.
Ne nos precamur deſeras,
Quin noctis umbras horridæ,
Omnemque labem criminis
Procul benignus amove.
Veniſſe quem jam credimus,
Parique venturum fide
Fatemur, audi ſupplices,
Tuoque ſceptro protege.
Jeſu tibi ſit gloria &c.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Ad Completorium.

Nuncium vobis fero de ſupernis.

Brev. Pariſienſe antiquum. Clichtoveus exponit.

NUncius cœlo retulit fidelis,
Bethleem natum Genitrice pura,
Quem Prophetarum Chorus almus uno
Prompſerat ore.
Cælitum cantus ſonat hinc per auras,
Hinc novo Sidus radians decore
Regis ad cunas Arabes remoto
Ducit ab orbe.
Supplices aurum Domino potenti,
Thus Deo, myrrham tribuunt humando:
Tres decus Chriſti coluere triplex
Munere trino.
Laus Deo Patri genitæque Proli,
Et tibi conſors utriuſque Sancte
Spiritus, Trino ſit in unitate
Gloria compar. Amen.

TEMPORE QUADRAGESIMÆ.

Ad Veſperas.

Jam ter quaternis trahitur.

Brev. Senonenſe, Rothomag. Conſtantienſe &c. A Clichtoveo expoſitus.

JAm factus horis plenior
Feſtinat ad metam dies,
Cadenſque ſolis orbita
Terris reducit veſperum
Ergo ſalutis auſpice
Sint tuta ſigno pectora:
Ne callidi fraus aſpidis
Tentet nocendi ſemitam.
Præcincta lumbos caſtitas
Carnis retundat impetus,
Senſuſque ſubditos regens
Hoſtem repellat improbum.
Hinc & vigorem conferat
Menti ciborum parcitas,
Quo membra fræno neſciant
Repreſſa labe pollui.
Sit laus tibi, ſit gloria
Perennis author omnium,
Qui Trinus ante ſæcula
Unuſque ſubſiſtis Deus. Amen.

ITEM IN QUADRAGESIMA.

Ad Matutinum.

Summi largitor præmii.

Brev. Rhemenſe, Ambianenſe, Conſtant. Nivernenſe &c. A Clichtoveo expoſitus.

LArgitor æterni boni,
Spes una tu fidelium,
Audi benignus ſupplices,
Qui ſe tibi ſiſtunt reos.
Delicta noſtra conſcii
Fuſis dolemus lacrymis,
Medere tu languoribus,
Tu ſolve mentis vulnera.
Præſtare ſolus hoc potes,
Abs te quod ullus haud queat:
Hoc te vel uno nomine
Rogamus indulgentiam.
Authore quæ te nectimus
Accepta ſint jejunia,
Paſchale quò ſit plenius
Ad te reverſis gaudium.
Hoc ſumma nobis conferat
In Unitate Trinitas,
Trinique numen unicum,
Cui laus manet per ſæcula. Amen.

ITEM IN QUADRAGESIMA.

Ad Veſperas.

Deus Pater piiſſime.

Brev. Carnutenſe.

DEus Pater piiſſime
Petenda nobis ſuggere,
Ut æqua poſtulantibus
Tu pleniora conferas.
Da lacrymarum flumine
Cor irrigari pœnitens;
Da cuncta quæ mentem premunt
Culpæ reſolvi vincula.
Auge fidem credentium,
Tantoque firma robore,
Nullis ut errorum dolis
Quaſſata funditus ruat.
Da Charitatis ignibus
Ardere pectus intimum;
Quo nos ſalutis auſpice
Tibi cooptas fœdere.
Cæleſte qui nos præmium
Rogare primùm præcipis,
Quæcunque ſperamus bona
Largire cuncta protinus.
Honor ſit atque gloria,
Tibi Patri cum Filio,
Et Spiritu Paraclito
In ſempiterna ſæcula. Amen.

A DOMINICA TERTIA
Quadrageſimæ uſque ad Dominicam Paſſionis.

Ad Veſperas.

Clarum decus jejunii.

Brev. Conſtantienſe. Radulphus. Clichtoveus.

CLarum decus jejunii
Commendat author omnium,
Dum Chriſtus ipſe myſticos
Dies peregit abſtinens.
Moſes per hoc carus Deo,
Legiſque lator factus eſt.
Hoc Eliam per aera
Curru levavit igneo.
Cernit per hoc myſteria
Victor leonum Daniel:
Quis hoc amicum nomine
Sponſi Joannem neſciat?
Hæc nos ſequi dona Deus
Exempla parſimoniæ:
Tu robur auge mentium,
Dans ſpiritale gaudium.
Præſta Pater per Filium,
Præſta per almum Spiritum,
Utrique qui par unus es
Deus per omne ſæculum. Amen.

ITEM IN EADEM DOMINICA.

Ad Laudes.

Ecce tempus idoneum.

Idem Breviarium Conſtantienſe.

EN tempus acceptabile,
Aptum mederi mentibus,
Quas cordis, aut oris ſcelus,
Factive fecit ſaucias.
Præſtemus id nunc ſeduli,
Ne qui reos tot criminum
Parcens tulit nos hactenus,
Diſtringat in pœnas manum;
Jam noſter ergo ſit labor,
Frequentibus jejuniis,
Mixtiſque fletu vocibus
Placare juſtum judicem.
Ut nos ab omni criminis,
Pœnæque nexu liberos,
Poſthac ſuperni compotes
Concedat eſſe præmii.
Sit laus Patri cum Filio,
Et Spiritu Paraclito,
Qui Trinus ac unus Deus
Manet per omne ſæculum. Amen.

Erant & ſequentes Hymni Quadrageſimales olim alicubi uſitati, quos exponit Clichtoveus, Jeſu Quadragenariæ, O Nazarene. *Sed jam obſoleti penitus; ſicut & Hymnus* Ad preces noſtras, *omnium corruptiſſimus, in recognitione Clementis VIII. ab ipſo Rom. Breviario expunctus, quem Clichtoveus ipſe ſervata propemodum cujuſque Verſus ſententia ad caſtigatiorem metri legem reſtituerat.*

TEMPORE PASCHALI.

Diebus Sabbati.

Ad Veſperas.

Chorus novæ Jeruſalem.

Brev. Turonenſe, Rothomag. Andegavenſe, Conſtantienſe, Carnutenſe &c. Clichtoveus tribuit Ambroſio.

CHorus fidelis in novam
Gentem vocatus concinat;
Totiſque pangat jubilans
Paſchale feſtum gaudiis.
Quo Chriſtus invictus leo
Dracone ſurgens obruto,
Mortis retentos faucibus
Mors ipſe mortis ſuſcitat.
Quam devorarat improbus
Prædam refudit Tartarus;
Ducem ſoluta vinculis
Jeſum ſequuntur agmina.
Triumphat ille ſplendidè,
Mundique ſummus arbiter,
Unius hos ac Cælites
Gentis coaptat fœdere.
Et nos parem par quos fides
Sperare ſortem præcipit,
Jeſum precemur ſupplices
Sua juvet nos gratia.
Ut ſis perenne mentibus
Paſchale Jeſu gaudium,
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.
Deo Patri ſit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In ſempiterna ſæcula. Amen.

In Conſtantienſi habetur hæc concluſio:

Patri ſupremo gloria,
Honorque ſit cum Filio,
Et Spiritu Paraclito
Per cuncta ſemper ſæcula. Amen.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Ad Matutinum.

Hymnum canamus gloriæ.

Brev. Rothomagenſe. Recenſetur à Radulpho.

CÆleſtis hymnum gloriæ
Lætis canamus vocibus,
Chriſtus novo cùm tramite
Ad Patris aſcendit thronum.
Mentis ſupremo vertice
Stantes ſtupent Apoſtoli,
Fixiſque ſurſum vultibus
Nuſquam tueri deſinunt.
Quid vos (profantur Angeli)
Quid aſtra tandem cernitis?
Qui ſic ſubit cælum potens,
Cælo redibit denuò.
Salvator olim ſæculi,
Cunctis ſalutem detulit:
Judex futurus poſtmodum
Juſtis rependet præmium.
Fac nos & illuc ſedula
Te mente Jeſu proſequi,
Ubi Parenti te parem
Regnare Natum credimus.
Jeſu tibi ſit gloria,
Qui victor in cœlum redis,
Cum Patre & almo Spiritu
In ſempiterna ſæcula. Amen.

IN FESTO PENTECOSTES.

Ad Completorium.

Illuminator omnium.

Brev. Rothomagenſe.

ILluminator omnium
Chriſti fides quos ſuſcipit,
Patris ſimulque Filii,
Unus duorum Spiritus.
Qui ſic reples Apoſtolos,
Signo refuſus duplici,
Ut ora linguis eloqui,
Ardere corda feceris.
Dignare clemens ingeri
Noſtro precamur pectori,
Tuumque nos dulciſſime
Templum miſertus effice.
Tuis ut auctos gratiis,
Delicta nulla vinciant:
Mentis vigor ſit ſanctitas,
In carne regnet caſtitas.
Præſta Parens piiſſime,
Præſta Parentis unice,
Simulque tu Paraclite
Par utriuſque Spiritus. Amen.

IN EODEM FESTO Pentecoſtes.

Item ad Completorium.

Alma chorus Domini nunc pangat nomina ſummi.

Brev. Conſtantienſe, Turonenſe antiquum &c. Exponit Clichtoveus.

ALma chorus referat ſupremi nomina Regis,
Meſſias, Emmanuel, Sother, Sabaoth & Adonai.
Unicus ipſe Patris, Lucis Lux, candor, imago,
Verbum vera loquens, Lux mundi, gloria cæli,
Principium, Via, Vita, Salus, Sapientia, Virtus,
Ortus ab hoc rerum, cunctarum finis in ipſum.
Fons & origo boni, Cuſtos, Mediator & Unus,
Agnus, ovis, vitulus, ſerpens, aries, leo, vermis,
Panis vivus, agri flos, petraque, veraque vitis,
Janua dans aditum vitæ, mons, ipſe Propheta,
Angelus & Sponſus, Paſtorque, unctuſque Sacerdos.
Æternus Deus, immenſus, fortiſque, potenſque.
Salvos nos faciat, cui laus per ſæcula cuncta. Amen.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Ad Veſperas.

Adeſto Sancta Trinitas.

Brev. Conſtantienſe. Ord. Prædicatorum ad Matut. &c. Exponit Clichtoveus.

ADeſto Sancta Trinitas,
Perennis unus & Deus,
Rerum Creator omnium,
Idemque finis omnium.
Te cœtus omnis Cælitum
Pronis adorat mentibus:
Te quidquid & cælo ſubeſt
Numen ſupremum ſuſpicit.
Et nos in unum quos fides,
Tuique cultus nominis
Nectit ſacrato fœdere,
Libenter hymnum jungimus.
Unum fatemur te ſimul
Trinumque Perſonis Deum:
Hoc es quod eſt, unum tibi
Hoc eſſe nomen prædicas.
Sit laus tibi, ſit gloria,
Æterne Filii Pater,
Æqualis & Fili Patri,
Utrique par & Spiritus. Amen.

IN EODEM FESTO.

Ad Laudes.

O Pater ſancte mitis, atque pie.

Idem Brev. Conſtantienſe. Exponit Clichtoveus, eumdemque ſervata ſententia ad juſtam carminis legem revocat.

O Pater cuncti Dominator orbis,
O Patris Jeſu veneranda proles:
Qui par juncto fluis ex utroque
Spiritus alme.
Trinitas firmo ſociata nexu,
Unitas nulla varianda ſorte:
Fulgor in ſeſe ſine fine manans,
Fulgor & à ſe.
Cuncta te ſupplex Superum corona,
Te ſubeſt quidquid Superis adorat:
Audias & nos facili precamur
Aure benignus.
Unus & cùm ſis Deus atque Trinus,
Magnus, æternus, bonus, atque ſanctus,
Te decet virtus honor & poteſtas
Omne per ævum. Amen.

ITEM IN EODEM FESTO.

O Pater innaſcibilis.

Antiquum Cadomenſe Monaſticum.

O Nate de nullo Pater,
Ex cujus ore Filius,

Juncto-

Junctoque ſecum Filio
Fluit perennis Spiritus.
O tu Parentis unice,
Lux luce manans jugiter,
Tu cuncta Verbum proferens,
Tu fons ſalutis omnium.
O utriuſque Spiritus,
Concors amoris vinculum;
Tu lux refuſa mentibus,
To viva flamma cordium.
Dum ſe Parens intelligit,
Imaginem gignit ſui:
Dum ſe Parens, Natuſque amant,
Amore fundunt Spiritum.
Sit Trinitati gloria,
In Unitate ſimplici,
Patri, parique Filio
Sancto ſimul cum Spiritu. Amen.

HYMNI DE SANCTIS.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

Ad primas Veſperas.

Andrea pie, Sanctorum mitiſſime.

Breviar. Conſtantienſe, Sylvanectenſe, & alia antiqua.

O Æmulator pertinax Chriſti Crucis,
Vir inter omnes Andrea mitiſſime:
Ne pondus ultra criminum nos opprimat,
Tuis repone ſupplicationibus,
Te ſumme Chriſte &c. *ut in Communi Apoſtolorum.*

Is fuit olim multorum uſus, ut in ſingulis Apoſtolorum feſtis primus de unoquoque verſus haberetur proprius, cui adjungebatur ſtatim Hymnus de Communi, Annue Chriſte.

IN EODEM FESTO.

Ad Veſperas.

Gaude ſacrata meritis.

Brev. Rhemenſe.

HAc luce Sol clarus novum
Terris refundit gaudium:
Qua Paſſione nobili
Conſcendit Andreas polum.
Judæa cui dedit genus,
Germanus alter & fuit:
Uterque Chriſto deditus,
Uterque ſorte par Crucis.
Vocante Jeſu protinus,
Ambo relictis retibus,
Piſces priùs qui ceperant,
Captare mortales ſtudent.
Quam fortis ille mox vice
Plagam docendam ſuſcipit:
Hanc arte curat ſedula,
Signiſque firmat plurimis.
Jubente ſævo Judice,
Gaudens cucurrit ad Crucem;
Jactare oec pendens finit,
Sic ſe Magiſtro commori.
Virtus, honor, laus, gloria,
Detur ſupremo Numini,
Qui trinus ante ſæcula,
Unuſque ſemper eſt Deus. Amen.

ITEM IN EODEM FESTO.

Ad Veſperas & Matutinum.

Summi Regis potentia.

Breviar. S. Martini Turonenſis. Antiquum S. Albini Andeg.

SUmmi poteſtas Numinis,
Nutu gubernans omnia,
Divina ſpargit munera,
Credentium per pectora.
Huic vota fundamus pii,
Dignetur ut nos viſere:
Dum noſter Andreæ Chorus
Laudes rependit annuas.
Amore flagrans hic Crucis,
Crucis Magiſter quam ſacrat,
Conſors Magiſtro per Crucem
Æterna ſumit præmia.
Dilecte tu Chriſti comes,
Vir Andrea mitiſſime:
Quem ſic amaſti, fac amor
Illius ut nos incitet.
Lux alma mentes impleat
Sparſo vigore gratiæ,
Totoſque nos nectat ſibi
Jeſus, & hic & perpetim,
Virtus, honor &c.

IN FESTO S. NICOLAI EPISCOPI.

Ad Veſperas & Matutinum.

Pange lingua Nicolai.

Breviar. Rhemenſe, Turonenſe, Nivernenſe, & alia. Hunc & ſequentem exponit Clichtoveus.

PAnge ſacrum lingua carmen
Nicolao Præſuli,
Quem decore gratiarum
Dextra cinxit præpotens:
Hinc ſalutis aſſequendæ
Norma cunctis factus eſt.
Vix tenellus matris almo
Pendet infans ubere,
Cùm diebus ipſe certis
Lacte promptus abſtinet:
Quo vel inde longa tiro
Diſceret jejunia.
Mox ut altam ritè frontem
Sacra preſſit infula,
Nubis inſtar corda latè
Spargit oris imbribus,
Spargit ardens charitate
Balſami fragrantiam.
Dote larga turpe lucrum

A puel-

HYMNI PROPRII

VARIARUM

GALLIÆ ECCLESIARUM

REVOCATI AD CARMINIS

Et Latinitatis Leges inſtar Communium authoritate Urbani Octavi in Breviario Romano recognitorum;

OPERA

CAROLI GUYETI

Turonenſis, Societatis JESU Presbyteri.

PRÆFATIO
Ad Lectorem.

HYmnos Urbani VIII. Pontificis Maximi authoritate emendatos, quòd pleræque Eccleſiæ in uſum inducere detrectent, varias varii cauſas proferunt. Venerandum antiquitatis nomen quidam in hoc ut in cæteris ambitioſè affectant. Majorem alii ex ſtylo humiliori ſenſum pietatis. Sumptus alii prætexunt in Choralibus edendis comparandiſve libris. Plures laborem cantantium ſyllabas cum notis contra inveteratum uſum ægrè nectentium, unde horriſona plerumque oritur confuſio, occurrentibus maximè eliſionibus & ſynalœphis, à quibus in præfata emendatione cautum ſatis non eſt.

Quæ rationes omnes cùm ſpeciem aliquam præ ſe ferant, in re tamen vix quidquam habent firmitatis. Quaſi verò, ut novum Teſtamentum veteri, ſic poſterior Eccleſiæ agendi ratio pro ætatum atque hominum moribus legitimè inducta priori non ſit anteponenda? aut non poſſit quis eſſe pius, niſi fuerit ipſe etiam barbarus?

De ſumptibus verò nonniſi perperam queraris, quibus ut parceret Pontifex, veteres libros, quamdiu per integritatem uſui eſſe poterunt, haudquaquam ablegandos edixit; at cùm iis detritis novi comparandi erunt, pluriſne conſtabunt poſtremæ, ejuſque cultioris editionis, quàm obſoletæ, minùſque caſtigatæ?

Quod de Cantu demum ſubdis, ne quæſo acriùs urgeas, niſi amota priùs à te verſus hujus invidia:

Beſtia, non cantor, qui non canit arte, ſed uſu.

Canenti autem ex arte moleſtum non eſt ſyllabas notis, notaſque ſyllabis conſonanter, ac velut ex perpendiculo adſtringere. Quin & vix uſus eſt ullus inveteratus adeò, qui non contrario, eòque meliore ſenſim ac pedetentim obſoleſcat. Teſtimonium accipe ab Choro Aurelianenſi, in quo Hymni illi novi ab anno 1644. inducti, aſſuefactione ita jam faciles evaſere, ut non aliorum unquam uſum extitiſſe aſſeras.

Supereſt optima omnium, ſi qua bona eſt, ab acceptandis novis Hymnis excuſatio, earum videlicet Eccleſiarum, quæ quòd ſuis ipſarum propriis Hymnis par deſit nitor, parque elegantia, non audent, quod in Euangelio eſt, commiſſuram à novo veſtimento immittere in veſtimentum vetus.

Hunc itaque obicem conor ipſe removere, ſubjecta protinus, (quod antè receperam, ſi tenuior foret voluminis hujus moles) Hymnorum

aliquot

A puellis arcuit:
Invocatus fluctuantis
Sedat iras æquoris,
Inque portum naufragantes
Nave tuta devehit.
Nicolae ſplendor orbis,
Lux, decuſque Præſulum:
Dum manet te jam beatum
Certo cælo lautea,
Fac precamur noſtra pronus
Vota Chriſtus audiat.
Sempiterna Trinitati
Laus, ſalus, & gloria,
Cujus vera Nicolaum
Poſſidebat charitas:
Faxit & nos Nicolai
Conſequamur præmia. Amen.

IN EODEM FESTO.

Ad Laudes.

Cleri Patrem & Patronum.

Breviarium Turonenſe.

CLerus omnis voce læta
Nicolaum perſonet:
Cujus æquat aſtra virtus
Æquat orbem gloria:
Sed nec uſquam crebra ceſſat
Sanitatum gratia.
Qui virentis more palmæ,
More caſti lilii,
Flore miſſo germinavit,
Crevit auctus fructibus:
Nulla ramis complet altam
Cedrus æthram pluribus.
Carne cinctus carnis expers
Duxit ævum jugiter:
Nulla lethi mens pudica
Senſit uſquam ſpicula:
Quanta cælo te corona
Nicolae jam manet!
Ut perennis ex ſepulcro
Sponte ſudor effluit,
Quo repentè ſoſpes exit
Quiſquis æger venerat:
Sic ſuperni noſtra mundet
Corda roris unctio.
Sempiterna Trinitati, &c.

ITEM IN EODEM FESTO.

Ad Laudes & ſecundas Veſperas.

Magne Pater Nicolae.

Breviar. Aurelianenſe.

O Supremi magne Paſtor
Numinis jam proximus:
Te per illam Nicolae
Qua potens es gratiam,
Fac precamur ceſſet omnia
Nos reatus ſtringere.
Te reclamat cunctus orbis,
Æquor altum ſuſpicit:
Qui reſolvis ægra membra,
Qui pericla ſubmoves:
Mentis ægræ ſolve morbos,
Solve fraudes hoſtium.
Sempiterna Trinitati &c.

ITEM IN EODEM FESTO.

Ad Veſperas.

Exultet aula cælica.

Breviarium Bellovacenſe, & pauca alia antiqua; Clichtoveus exponit.

EXultet aula Cælitum,
Lætetur & mundi plaga,
Dum Nicolai tranſitum
Solis reducit orbita.
Infans ſui vel neſcius,
Dum ſponte mammis abſtinet,
Quis inde virtutis decor
Futurus eſſet, prodidit.
Marmor ſepultum contegens
Sacro liquore diffluit:
Quo membra quiſquis ſaucia
Linit, ſaluti redditur.
Qui ſic repentè ſubvenis,
Qui ſic pericla diſcutis:
Tuam, Beate Pontifex,
Opem gementes poſcimus.
Ut labe terſa criminum,
Chriſtus ſua nos gratia
Circundet, ungat, impleat,
Cælique donet præmiis.
Præſta Parens piiſſime,
Præſta Parentis unice,
In unitate Spiritus,
Per cuncta cui laus ſæcula. Amen.

IN FESTO CONCEPTIONIS Beatæ Mariæ.

Ad Veſperas.

Ecce nova ſolemnitas.

Brev. Nivernenſe.

LUx ecce conſurgit nova,
Novumque profert gaudium:
Fugata nox ceſſat vetus,
Ceſſat vetus corruptio.
Chorus triumphat Cælitum,
Antiquus invidet draco:
Dum ſente prodit lilium,
Dum ſpina germinat roſam.
In nube lux involvitur,
Ciniſque gemmam contegit:
Dum gentis Hebrææ ſinu
Ortum Maria ſuſcipit.
Summi Parentis Filius
Hoc exſtruit templum ſibi,
Sua quod almus Spiritus
Dicat, ſacratque gratia.
O flos Maria Virginum,
Ut mente ſimus integri,
Tuæ, precamur, gratia
Conceptionis obtine.
Deo Patri ſit gloria,
Virtus pari ſit Filio:
Sancto ſimul Paraclito
Æterna ſit victoria. Amen.

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Ad primas Veſperas.

O Thoma Chriſti perluſtrator lateris.

Breviar. Conſtantienſe, Sylvanectenſe &c.

O Qui patentis pectoris juſſus manu
Tentare rimas, noſtra queis fluxit ſalus:

Thoma, precando pelle cor incredulum,
Et ſpem ſalutis obtine fidelibus.
Te ſumme Chriſte &c. *ut in Communi Apoſtolorum.*

IN FESTO S. VINCENTII Martyris.

Ad Laudes.

Chriſti miles pretioſus.

Brev. Conſtant. Nivern. & Pariſienſe antiquum.

QUantus ardor in Levita,
Quanta vis Vincentii!
Sponte qui ſic ſe cremandum
Tradit altis ignibus:
Sponte tradit perfricanda
Membra micis acribus.
Fumus aſſæ carnis undat,
Gutta ſtillat undique:
Stanſque Martyr mente fixus,
Fixus ipſe corpore,
Pſallit, orat, adjuvantem
Voce Chriſtum ſuſpicit.
Sempiterna ſit beatæ
Trinitati gloria,
Æqua Patri, Filioque,
Par decus Paraclito;
Unius Trinique nomen
Laudet univerſitas. Amen.

In proprio Canonicorum Regul. S. Auguſtini Congr. Gallicana, tres de eodem habentur recenti ſtylo exarati.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. Mariæ.

Ad Veſperas.

Quod chorus vatum venerandus olim.

Brev. Pariſienſe, Turon. Rhemenſe, Rothom. Carnut. Andeg. Aurelian. Ambian. & alia ferè omnia. Clichtoveus exponit.

QUidquid antiqui cecinere quondam,
Spiritu Sancto referente, Vates;
Virginis partus novus id Mariæ
Omne recludit.
Hæc Deum cæli Dominumque terræ
Virgo concepit, peperitque Virgo:
Virgo poſt partum, maculata nunquam
Labe pudoris.
Quem Senex juſtus capiens in ulnis,
Gentium lumen cecinit, diuque
Antè ſperata Simeon potitus
Pace quievit.
Sis memor noſtri, placidoque vultu
Supplicum votis faveas precamur,
Mater & Virgo ſuper aſtra regnans
Proxima Nato.
Sit Deo virtus, honor, & poteſtas,
Sit ſalus jugis, decus & perenne:
Cuncta qui toto creat, & gubernat
Trinus & unus. Amen.

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

Ad primas Veſperas.

Mathia juſte duodeno ſolio.

Brev. Conſtantienſe, Sylvanect.

O Qui ſuperna ſorte delectus ſacram
In proditoris Mathia ſubis vicem;
Nos expeditos à reatus vinculis,
Fac ſempiterna ſorte cæli perfrui.
Te ſumme Chriſte &c. *ut in Communi Apoſtolorum.*

IN FESTO S. JOSEPH CONFESSORIS.

Ad Veſperas.

Collaudemus toto corde.

Brev. S. Martini Turonenſis, item Turonenſe antiquum, & pauca alia.

ALme Joſeph quanta Sponſum
Te fidelem Virginis:
Quanta rerum conditoris
Filii Nutritium;
Quanta tantæ gentis unum
Te decet laus Principem?
Quem Parentis una ſacræ
Protulit fœcunditas,
Huic tenello dulce Patris
Numen in te commodas;
Hac ſupremum fallit arte
Numen artes dæmonis.
Mitte Patris ſtringis ulnis,
Stringis arctum pectori;
Blandiente ſtringis ore,
Crebra figens oſcula,
Quem vel ipſis intueri
Nec Prophetis eſt datum.
Seu Tyrannus enſe ſtricto
Quærat infantis necem,
Seu Tyrannum fata tollant,
Is rediſque ſedulus;
Noſtra ſic te promovente
Conditur Redemptio.
Summa ſummo laus Parenti,
Summa laus & Filio:
Laus perennis, parque virtus,
Par decus Paraclito:
Noſque Joſeph Patriarchæ
Protegant ſuffragia. Amen.

IN EODEM FESTO.

Ad Laudes.

Feſta Nutritoris Jeſu.

Idem Brev. S. Martini Turon. &c.

SUblimis es quàm tu procul
Supra vicem mortalium,
Joſeph, cui nec ſunt pares
Sortis decore Cælites.
Tu pane veſcentem tuo
Regis, tueris, educas,
Quo providente jugibus
Cibis aluntur omnia.
Conjux pudicæ Virginis,
Dum Mater illa ſit Dei,
Infans Deus quidni ſuum
Te jure Patrem nominat?
O par beatum Conjugum!
O amplior cælo domus,
Æternus in qua ſe Deus
Matri Patrique ſubdidit!
Jeſu tibi ſit gloria,
Qui natus hic de Virgine,
Joſeph jugum ſubis, Patris
Sanctique conſors Spiritus. Amen.

IN EODEM FESTO.

Habentur in Breviario Pariſienſi de eodem S. Joſeph tres item Hymni recentioris ſtyli, pro Veſperis, Matutino, & Laudibus. En tibi initia:

Beate Joſeph ſubveni.
Præſepe naſcenti Deo.
Edicta Regis improbi.

IN FESTO SS. PHILIPPI & Jacobi Apoſtolorum.

Ad primas Veſperas.

Jacobe juſte Jeſu frater Domini.

Brev. Conſtantienſe Sylvanect. &c.

JAcobe juſte, gratiæque tu paris
Philippe conſors: ſic pari juvamine
Ambo precamur, ultimi nos judicis,
Apud tribunal ſupplices defendite.
Te ſumme Chriſte &c. *ut in Communi Apoſtolorum.*

IN FESTIS INVENTIONIS & Exaltationis S. Crucis.

Ad Veſperas.

Lignum Crucis mirabile.

Breviar. Rhemenſe, Pariſienſe &c. exponitur à Clichtoveo.

LIgnum Crucis mirabile
Totum per orbem prominet,
In quo Redemptor omnium
Chriſtus pependit innocens.
Hanc nulla Cedrus arborem
Altis adæquat frondibus:
Huic nulla par eſt uberem
Fructum ſalutis fundere.
Nos ergo tu ſigno Crucis
Rex Chriſte clementiſſime,
Diebus, horis omnibus
Munire nuſquam deſinas.
Ut lingua cordi conſona,
Conſciſque cordis puritas,
Laudis tibi perenniter
Munus rependant debitum.
Jeſu tibi ſit gloria,
Qui per Crucem vincis necem,
Cum Patre, & almo Spiritu
In ſempiterna ſæcula. Amen.

ITEM IN EODEM FESTO.

Ad Veſperas.

Salve Crux ſancta, Salve mundi gloria.

Hunc & ſequentem Hymnum exponit Clichtoveus, quos in antiquo Bellovacenſi, & paucis aliis reperi.

CRux ſancta ſalve, noſtra ſalve gloria,
Spes orbis una, vera quæ das gaudia:
Tu certa cunctis in periculis ſalus,
Tu germen omnis unde vita naſcitur:
Te laude dignam, ac celebrem ſæculis
Supremus omnis jugiter cultus decet:
Servos per tuam nempe factos arborem,
Tu nos, ò arbor ſancta, liberos facis.
O qui per unam Chriſte Salvator Crucem
Totius orbis crimen omne diluis:
Guyet. Heortologia.
Tuæ precamur ſupplices per vim Crucis
Noſtri miſertus confer indulgentiam.
Largire cunctis gratiarum copiam,
Et quos laviſti balneo Crucis pius,
Salva, tuere, vindica, ſana, rege:
Hoc pulſa ſigno cuncta ceſſent noxia.
Patri perennis per Crucem ſit gloria,
Tibique Jeſu victor orbis per Crucem,
In unitate Spiritu Paracliti,
Honor, poteſtas ſit per omne ſæculum. Amen.

IN EODEM FESTO.

Ad Laudes.

Rex Angelorum præpotens.

REx Angelorum præpotens
Qui ſponte pauper factus es,
Ut nos egenos, gratiæ
Bonis repleres affatim.
Largire nobis proſpera
Crucis ſacræ ſolemnia,
Tuoque præſta nomini
Laudes referre debitas.
Fel, ſputa, clavos, verbera,
Diramque paſſus es necem,
A morte nos ut liberos
Vitæ perenni redderes.
Nunc clarus in regno tuo
Ad dexteram Patris ſedes:
Noſtri miſertus effice,
Tua fruamur gloria.
Te Cælites, ac inferi,
Te quidquid in terris ſubeſt,
Patri parem Deum colit,
Sancto parem cum Spiritu. Amen.

IN FESTO S. JOANNIS ante Portam Latinam.

Ad primas Veſperas.

Bina cæleſtis aulæ luminaria.

Brev. Conſtantienſe.

ALmo recumbens ſub Magiſtri pectore,
Verbumque pandens nemo quod fari poteſt,
Chriſti Joannes poſce nobis gratiam,
Ejuſque vultu fac frui perenniter.
Te ſumme Chriſte &c. *ut in Communi Apoſtolorum.*

IN FESTO SS. APOSTOLORUM Petri & Pauli.

Ad Veſperas.

In Hymno Aurea luce, *interjicitur in aliquibus Breviariis hic verſus ante concluſionem.*

Olivæ binæ pietatis unicæ.

O Queis olivæ ſymbolum binæ quadrat,
Præſtare nobis, ut fides ſit integra,
Robuſta ſit ſpes, firmet ambas charitas,
Tandemque cæli compleat nos gloria.
Sit Trinitati &c.

ITEM IN EODEM FESTO.

Ad Veſperas.

Felix per omnes feſtum mundi cardines.

Brev. Nivernenſe, item pleraque antiqua Monaſtica, quæ eumdem cum aliis duobus ſequentibus conjungunt, Recenſet Radulphus, & exponit Clichtoveus.

FElix per omnes fulget orbis cardines,
Apoſtolorum clara lux ſolemniis:
Hic Petrus, alter ille Paulus inclytus,
Quos ſtabilivit maximos præ cæteris
Eccleſiarum Chriſtus ipſe Principes.
Hi ſunt olivæ ſurculi ſtantes duo
Coram potentis ſede celſa Numinis:
Hi ſunt lucernæ duplici ardentes face;
Hi ſolis inſtar, duplicisve ſideris,
Indeſinenti luce colluſtrant polum.
His eſt poteſtas nubibus ſtrictis viam
Sedes ad altas prorſus intercludere;
Fas & revulſis poſtium ſeris palam
Cunctos in arce collocare cælitum;
Utrique nempe lingua cæli clavis eſt.
Patri perennis ſit per ævum gloria,
Tibique laudes concinamus inclytas
Æterne Nate: ſit ſuperne Spiritus
Honor tibi, decuſque: ſancta jugiter
Laudetur omne Trinitas per ſeculum. Amen.

Ad Matutinum.

Petrus beatus catenarum laqueos.

Idem Brev. Nivernenſe &c. Deſumpti ſunt duo primi verſus ex emendatione Romana.

MIris modis repentè liber, ferrea
Chriſto jubente vincla Petrus exuit;
Ovilis ille paſtor & rector gregis,
Vitæ recludit paſcua, & fontes ſacros,
Oveſque ſervat creditas, arcet lupos.
Quodcumque in orbe nexibus revinxeris,
Erit revinctum Petre in arce ſiderum;
Et quod reſolvit hic poteſtas tradita,
Erit ſolutum cæli in alto vertice:
In fine mundi judicabis ſeculum.
Paulus nec impar Doctor ille Gentium,
Electionis vas ubique proſluum,
In morte conſors, in corona particeps:
Unus per enſem victor, alter per Crucem,
Ambo triumphum poſſident cælo parem.
Patri perennis &c.

Ad Laudes.

O felix Roma quæ tantorum Principum.

Idem Brev. Nivernenſe &c.

O Roma felix quæ duorum Principum
Es conſecrata glorioſo ſanguine:
Non gente priſca, bellica nec gloria,
Aſt hoc cruore purpurata, cæteras
Excellis orbis una pulcritudines.
Vos ergo terræ glorioſi Principes,
Ovilis almi Petre Paſtor pervigil,
Tuque educator Paule totius gregis,
Veſtris ò ambo nos precationibus,
Culpis ſolutos ad ſuperna ducite.
Patri perennis &c.

IN FESTO VISITATIONIS Beatæ Mariæ.

Ad Veſperas.

Hunc diem feſtum veneremur omnes.

Breviarium Pariſienſe.

HUnc diem lætis celebremus hymnis,
Qua Deus ſummus latitans ſub alvo
Virginis, primos referat ſalutis
Obvius amnes.
Prompſerat ſacrum Gabriel Mariæ
Nuncium, ſurgens ſubit illa montes,
Atque cognatas properante paſſu
Tendit in ædes.
Vix in occurſu gravidam ſalutat,
Cui priùs durum ſterilem vocari:
Ipſe cùm clauſus genitricis alvo
Subſilit infans.
Prolis ò almæ benedicta mater!
Ventris ò almi benedicta proles!
Unde me tanta (ſtupet illa) dignam
Sorte beas?
Qui paras talem Deus alme terris,
Ut tuo Chriſto præeat, lucernam:
Hunc chorum turmis precibus Mariæ
Junge ſupernis. Amen.

EJUSDEM HYMNI CONTINUATIO.

Ad Matutinum.

Parvulus miles Dominum ſalutat.

PArvuli clauſtris uteri viciſſim
Annuunt, Regem famulus ſalutat,
Rexque divino famulum repentè
Munere complet.
Sic ſator rerum caro factus, in ſe
Magna dum parvis jugat, ima ſummis;
Par Deo ſervus manet, atque ſervo
Par Deus ipſe.
Quod Prophetarum chorus omnis olim,
Quodque tot priſci cupiere Reges,
Viſcerum clauſus latebris Joannes
Percipit infans.
Cui nihil ventris geminus videndo
Murus obſiſtit, nihil impos ætas;
Sole quin tanto micat ipſa matris
Sanctior alvus.
Qui paras talem &c.

EJUSDEM HYMNI CONTINUATIO.

Ad Laudes.

Cæteri vocem pueri vagitus.

CÆteri nunquam niſi vagiendo
Primitùs vocem pueri profundunt,
Unus in cunctis alacris Joannes
Prævenit ortum.
Quem ſibi, nondum genitum, ſacravit
Patris æterni Genitus Prophetam:
Spiritu gaudens canit hinc futura
Utraque Mater.
Ecce quàm fructu Genitrix utroque
Digna! quàm fructus Genitrice dignus!
Hæc Deum Virgo, ſterilis recondit
Illa Prophetam.
O Dei noſtri Genitrix beata,
Supplicum mentes propiùs reviſe,

Ut tuo

Ut tuo fructu valeant perennem
Vivere vitam.
Qui paras talem &c.

IN FESTO S. MARIÆ Magdalenæ.

Ad Veſperas.

Lauda mater Eccleſia;

Breviar. Nivernenſe, S. Martini Turon. & omnia ferè antiqua. Exponit Clichtoveus.

SUmmam Dei clementiam
Quis non ubique prædicet,
Qui tam profuſa gratia
Quaſcunque noxas diluit?
Soror Maria Lazari
Tot criminum quondam rea,
Erepta fauce Tartari
Mox ab bonam frugem redit.
Infecta ſpurcis labibus,
Infamiæ quæ vas erat,
Ornata donis gratiæ
Mutatur in vas gloriæ.
Quærit medelam ſaucia,
Quam præſtat unus qui poteſt
Mentis peremptæ vulnera
Curare verbo protinus.
Nardo fragrante dextera
Chriſti pedes dum perlinit,
Pectus doloris unctio
Mixtis repurgat lacrymis.
Hinc prima victorem necis
Jeſum meretur cernere,
Quæ vel ſepulcro conditum
Plus cæteris dilexerat,
Uni Deo ſit gloria
Pro multiformi gratia,
Peccantium qui crimina
Remittit, & dat præmia, Amen.

ITEM IN EODEM FESTO.

Ad Veſperas.

Sidus ſolare revehit.

Breviar. Rhemenſe.

OPtanda pœnitentibus
Lux una præ cunctis adeſt,
Quæ Magdalenæ præmiis
Dedit frui perennibus.
Hæc dum fatetur ſe ream,
Palamque Chriſto ſubjicit,
Et lacrymis, & oſculis,
Omnem reatum diluit.
Quidni reſurgentis pedes
Prior teneret cæteris,
Quos ſic rigarat fletibus,
Quos balſamo perunxerat?
Hac te rogante quæſumus
Nos Chriſte ſolve nexibus,
Puroſque culpæ ſordibus
Fac eſſe dignos gloriæ. Amen.

ITEM IN EODEM FESTO.

Ad Veſperas.

Fidelium devotio.

Breviar. Nivernenſe, Bellovac. &c.

SOlemne Chriſto canticum
Devota promant pectora,
Guyet. Heortologia.
Qui Magdalenam præmians
Celſo recepit æthere.
In hac amor quid non queat?
Quid non queant vel lacrymæ,
Quas cor refundit pœnitens?
Eſt cuique promptum cernere.
Tot namque criminum rea
Labes repentè diluit,
Ipſiſque fit par Angelis,
Quæ dæmonum ſedes fuit.
Patri ſit atque Filio,
Sanctoque laus Paraclito,
Qui Trinitatis vinculo
In unitate ſtat Deus. Amen.

ITEM IN EODEM FESTO.

Ad Laudes.

Maria fuſis crinibus.

Iidem Brev. Nivern. & Bellovaci ſed in Nivernenſi jungitur cum ſuperiori Hymno.

MAria dum Chriſti pedes
Fletu rigat, tergit pilis,
Ungit manu, vultu premit,
Multis remiſſis plus amat.
Amoris inde plurima
Capit viciſſim præmia,
Dum prima vitæ redditum
Jeſum triumphantem videt.
Ergo per has te lacrymas,
Per has amoris te faces,
Dilecta Chriſto, gratiam
Nobis, precamur, obtine.
Patri ſit atque Filio &c.

ITEM IN EODEM FESTO.

Ad Veſperas.

Patris ſummi coæterna.

Brev. Conſtantienſe.

CHriſte Patris alma proles,
Cuncta verbo ſuſtinens:
Quanta vis eſt quam refundis,
Quantus ardor gratiæ?
Dum repentè quæ jacebant
Erigis ſublimia.
Teſtis illa, cujus omne
Crimen ipſe diluens,
Præſtitiſti Magdalenam,
Firma pœnitentibus
Unde ſtaret obtinendæ
Spes ſalutis protinus.
Hujus ergo provocemur
Pœnitentis lacrymis:
Hujus inſtar corde manent,
Ore currant flumina:
Hujus æqua charitatis
Flamma pectus concremet,
Summa Patri, ſumma Nato,
Summa laus Paraclito:
Summa cujus Magdalenam
Purgat, ornat charitas:
Ipſe nobis pœnitendi
Largiatur gratiam. Amen.

ITEM AD MATUTINUM.

Ineffabilis es Chriſte.

Itidem Brev. Conſtantienſe.

QUantus amnis gratiarum!
Quanta Jeſu largitas!
Qui manu, qui ſic profana
Fronte tangi te ſinis,
Non abhorrens irrigari
Pœnitentis lacrymis.
Illa quondam ſordidorum
Tetra ſedes dæmonum,
Aula fulgens ſanctitatis
Te lavante redditur:
Fitque lapſis ſingularis
Forma pœnitentiæ.
Hujus ergo deprecantur,
Annuens ſuffragiis,
Aure noſtros tu benignus
Chriſte fletus excipe:
Criminumque labe terſa,
Rore tinge gratiæ,
Summa Patri &c.

ITIDEM AD LAUDES.

O Beata Magdalena.

O Beata Magdalena,
Fida Chriſti quæ comes,
Ipſius largitione
Tot micas virtutibus:
Te rogante noſtra Chriſtus
Vota pronus audiat.
Quò latentis intus hoſtis
Reprimantur ſpicula,
Et feroces carnis æſtus
Vincat ardor ſpiritus:
Freta luce mens ſuperna
Vincat aſtus dæmonum.
Conterat cor vis doloris,
Facta fletus diluat:
Innovata caſtitate
Membra carnis floreant,
Ignibuſque charitatis
Mens ubique ferveat.
Summa Patri &c.

IN FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

Ad primas Veſperas.

Bina cæleſtis aulæ luminaria.

Brev. Conſtantienſe, Sylvanectenſe &c.

O Tu Magiſtri chare ſemper aſſecla
Jacobe, nomen cui Tonantis eſt datum:
Tuis precamur poſtulationibus,
Tonantis in nos ceſſet ira Numinis.
Te ſumme Chriſte &c. *ut in Communi Apoſtolorum.*

IN FESTO S. ANNÆ Matris B. Mariæ.

Clara diei gaudia.

Brev. Pariſienſe ad Veſperas & Matutinum, Turon. Conſtant. Nivern. & alia nonnulla ad Matutinum. Totum verò deſcripſimus ex emendatione Pariſienſi, additis duobus ultimis verſibus.

CLaræ diei gaudiis
Geſtit parens Eccleſia,
Annamque Judææ decus
Matrem Mariæ concinit.
Regum piorum ſanguini
Jungens Sacerdotes avos,
Illuſtris Anna ſplendidis
Vincit genus virtutibus.
Cælo favente contrahit
Tori fidelis vinculum:
Effœta dudum corpore,
Prolem beatam concipit.
Audit monentis Angeli
Felix parens oraculum,
Caſtoque format corpore
Perenne ſidus Virginum.
O digna Mater, Filiæ
Juncto favore poſcimus,
Nobis ſupremus effice
Placatus ut ſit arbiter.
Patri ſit atque Filio
Laus una cum Paraclito,
Qui nos ſuam per gratiam
Aſciſcat Annæ præmiis. Amen.

ITEM AD LAUDES.

Hymnus novus Breviarii Pariſienſis.

FOEcunda radix Iſai
Florem pudicum germinat,
Dei daturam Filium
Orbi dat Anna Virginem.
Jam ſperat humanum genus
Caput tenebris excitans,
Lucemque primam conſpicit
Annæ coruſcantem ſinu.
Hanc vota puri pectoris,
Zeloque conceptæ preces,
Prolem merentur omnium
Matrem ſalutis gignere.
Patri ſit atque Filio &c.

ITEM IN EODEM FESTO.

Ad Laudes.

Orbis exultans celebret hoc feſtum.

Brev. Turon. Nivern. Pariſienſe antiquum, & alia pleraque.

ORbis exultet, celebrique feſto
Inclytas Annæ memoret coronas:
Cujus ex alvo propior ſalutis
Fluxit origo.
Abrahæ proles generoſa, Regum
Et Sacerdotum ſata gente priſca,
Laude virtutum, proprioque vincit
Stemma decore.
Prole quæ dudum ſterilis carebat,
Numinis dono peperit Mariam:
Una ſic cunctis præit Anna fœtu
Matribus uno.
Annuens Matris, precibuſque Natæ,
Da reis Jeſu veniam precamur,
Qui nepos Annæ, ſimul & Mariæ
Filius exſtas.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriuſque virtus,
Spiritus ſemper, Deus unus omni
Temporis ævo. Amen.

ITEM

ITEM IN EODEM FESTO,

Ad Veſperas.

Lucis hujus feſta.

Breviar. Turon. Pariſ. antiquum, & alia plurima. Eſt in expoſitionibus Clichtovei.

LUcis hujus cultum
 Promovere par eſt,
 Canticiſque laudum
 Cuncta perſooare.
Dum ſoluta carne
 Linquit Anna terram,
 Et laborem vitæ
 Pace cæli mutat.
Anna Regum proles
 Orta ſtirpe Jeſſe,
 Digna matres inter
 Ferre matrem Chriſti,
Digna, quæ Mariam
 Ventre germinaret,
 Natus ex qua demum
 Vita noſtra Jeſus.
Aucta tantis donis,
 Anna, fac precamur,
 Sempiterna Chriſtus
 Dooa nobis addat.
Laus ſit uni rerum
 Conditori ſummo,
 Quem ſimul fatemur
 Semper eſſe Trinum. Amen.

IN EODEM FESTO.

Ad Matutinum.

Placatus ſanctis meritis.

Brev. Conſtantienſe.

ANnæ genus per inclytum,
 Per matris excelſum decus;
 Nos Chriſte Rex piiſſime
 Duc in ſalutis ſemitam.
Et tu Dei matris parens
 Electa nobis ſubveni:
 Ut labe puri criminum,
 Cæli fruamur præmiis.
Per te quies ſit temporum,
 Fructuſque pacis plenior:
 Sint bella, ſint lites procul,
 Procul ſit omne noxium.
Sic charitatis copia
 Nobis perennis affluat,
 Ut mens amandò ſedulis
 Chriſtum ſequatur greſſibus.
Patri ſit atque Filio,
 Laus una cum Paraclito,
 Qui nos ſuam per gratiam
 Aſciſcat Annæ præmiis. Amen.

ITIDEM AD LAUDES.

Adeſto nobis inclyta.

ADeſto nobis inclyta
 Dei Parentis ò parens,
 Per cujus excelſum genus
 Orbi ſalus refunditur.
Florente qualis arbore
 Se ramus exerit tener,
 Spes unde fructus proximi
 Sapore paſcit prævio.
Sic Anna radix Iſai
 Guyet. Heortologia.
 Dum tu Mariam germinas,
 Mox ſperat humanum genus
 Jeſum Mariæ Filium.
Dignare noſtra ſupplicum.
 Audire verba protinus,
 Natæque juncta, quam rei
 Sperant ſalutem, fundito.
Patri ſit atque Filio &c.

ITIDEM IN EODEM FESTO.

Ad Matutinum.

Lætetur populus, carmen & intimis.

Brev. Carnutenſe.

GAude plebs recolens unanimis diem
 Matris, quam decorat Filia nobilis,
Natus cui Deus eſt Filius in ſinu
  Æterni genitus Patris.
Regum progenies Anna, ſuos avos
Virtutum meritis vincit, & unica,
Turbis Abramidum quas numerat genus,
  Præſtat prole beatior.
Quod natura nimis parca negaverat,
Fecit rem vacuo gratia nomini;
Fœcundans uterum ſemine, quod dedit
  Matrem gignere gratiæ.
Sic geſtat ſterilis fœmina Virginem,
Sic alvo nivea Virgo Deum capit:
Naturam ſibi ſic gratia ſubjicit
  Noſtris prodiga commodis.
O vos, Anna, ſacræ Virginis ò parens,
O Annæ Soboles Virgo parens Dei,
Veſtris nos precibus reddite ſoſpites,
  Dignos reddite gratia.
Hoc tu ſumme Pater, Patris & unice,
Amborumque ſimul Spiritus annue;
Uous qui pariter, Trinus es & Deus
  Regnans ſæcla per omnia. Amen.

ITEM IN EODEM FESTO.

Ad Laudes.

Annæ canat præconium.

Brev. Carnutenſe.

FEſtum diem cum laudibus
 Ducat Parens Eccleſia,
 Aonamque Judææ decus
 Matrem Mariæ concinat.
Jeſſæa ſtirps hanc protulit,
 Ceu vitis alma palmitem;
 Ut palmes, ipſa protinus
 Florem pudicum germinat.
Si qualis arbor inſito
 Sapore fructus indicat,
 Fructus ſalutis te probat,
 O Anna, Matrum maximam!
Hoc tu potens, hoc nomine,
 Audi precamur ſupplices,
 Et fac ſalutis in viam
 Te dirigamur auſpice.
Patrocinare maximè,
 Quibus tuorum ſors dedit,
 Suis repoſtam ſedibus
 Servare partem pignorum.
Summo Patri cum Filio,
 Et Spiritu Paraclito,
 Æterna laus & gloria,
 In ſempiterna ſæcula. Amen.

IN FESTO S. MARTHÆ Virginis.

Ad Veſperas.

Hymnum devote perſonet.

Breviar. Turonenſe.

HYmnum triomphantis chori
Vox noſtra pangat æmula,
Hac luce, qua cælum ſuis
Martham reponit civibus.
Hæc gente clara nobili,
Sed ſorte longè clarior,
Qua carne degentem ſuis
Chriſtum recepit ædibus.
Felix domus quam tantus eſt
Dignatus hoſpes viſere!
Felix, abundè quam ſuus
Compenſat hoſpes, hoſpita!
Hæc dum miniſtrat ſedula
Quas terra protulit dapes:
Non ille tales, ſed cibos
Cælo perennes apparat.
Quàm ſingularis hic favor,
Quarto ſepultus cùm die,
Sororis ad vitam prece
Frater redire juſſus eſt!
Sit laus Patri cum Filio,
Sancto ſimul Paraclito,
Qui nos reponat cælitum
Orante Martha cœtibus. Amen.

ITIDEM AD MATUTINUM.

Hac die tranſitum Marthæ recolitur.

EN quem Martha piis obſequiis fovens,
Suſcepit laribus corpore præditum,
Marthæ perpetuum Chriſtus in hac die
Cælo ſe dedit hoſpitem.
Hæc miſſas faciens illecebras procul,
Sic vitæ ſtuduit currere tramitem:
Ut cui ſic ſteterat corpore ſerviens
Hæreret quoque ſpiritu.
O felix Dominum ſuſcipiens domus!
O felix Domini Martha fruens domo!
Ut nos hoſpitio ſuſcipiat pari
Chriſtus, fac precibus tuis.
Laus Patri Domino ſumma perenniter,
Nec non æqua pari gloria Filio:
Sancto Spiritui par ſit in omnibus
Virtus, par decus ac honor. Amen.

ITIDEM AD LAUDES.

Verbum ſupernum prodiens.

UT carne cinctus Præpotens
Terris videndum ſe dedit,
Qui cuncta paſcit providus,
Hunc Martha pavit ſedula.
Huic, lacte quem Virgo parens
Nutrivit infantem ſuo,
Cibum ſuis in ædibus
Virgo paravit hoſpita.
Utramque Jeſu ſic ſubis
Paſtoris & paſti vicem:
Præſtas & his quid amplius,
Dans ipſe te nobis cibum.
Maria quos mentis quies,
Sed Martha quos labor juvat:
Utrumque ſic vitæ genus
Ambæ ſorores exprimunt.
Sit laus Patri &c. *ut ſuprà*.

IN FESTO TRANSFIGURATIONIS Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Ad Veſperas.

Cæleſtis formam gloriæ.

Brev. Rothomag. & S. Martini Turon.

CÆleſtis omen gloriæ,
Quam nos ſitimus exules,
Micante Sole clarior
In monte Chriſtus indicat.
Hinc inde fulgentes duo
Dum verba miſcent invicem:
Pro lege Moſes, Elias
Teſtis Prophetarum ſtetit.
Stupent videntes, nec ſatis
Seſe tenent Apoſtoli:
Unuſque ſedem cogitat
Illic perennem figere.
De nube lapſa protinus
Audita vox fuit Patris:
Dilectus hic eſt Filius:
Audite qui ſic vos docet.
O quanta ſpes fidelibus
Manet perennis gloriæ!
Dum Chriſtus in ſe prætulit,
Quod ipſe nobis conferet.
Jeſu tibi ſit gloria,
Qui te revelas parvulis,
Cum Patre & almo Spiritu
In ſempiterna ſæcula. Amen.

ITIDEM AD MATUTINUM.

Splendor æterni luminis.

SPlendor paterni luminis
Jeſus in hac primùm die,
Nobis futuræ gloriæ
Exemplar in ſe protulit.
Moſes ſtat hinc, hinc Elias,
Teſtes priorum temporum;
Sermoque colloquentibus
Exceſſus illis unus eſt.
Jubente Patre deſuper,
Ut audiatur Filius:
Terrore Petrus illicò
Amboque fratres corruunt.
Iidem ſibi mox redditi,
Unam fatentur gloriam
Parem Patri cum Filio,
Et Spiritu Paraclito. Amen.

ITIDEM AD LAUDES.

Celebri gaudio.

SOlemne gaudium
Præſens parit dies,
Qua Chriſtus abditum
Fudit foris decus.
Fit ſole pulcrior
In ore claritas,
Nivemque deſpicit
Albedo veſtium.
Hinc inde ſtant duo
Moſes & Elias,
Regique gloriæ
Dant teſtimonium.
Audita vox Patris,
Dilectus hic meus
Natus perenniter,
Audite Filium.

Æterna

Æterna ſit Patri
Æterna Filio,
Par laus Paraclitô
Per cuncta ſecula. Amen.

ITEM IN EODEM FESTO.

Ad Veſperas.

O nata lux de lumine,

Breviar. Rhemenſe, Carnutenſe ad Matutinum, Cluniacenſe, & antiqua Monaſtica.

O Nata lux de lumine
Jeſu Redemptor ſeculi:
Vultu precamur ſupplicum
Voces benigno ſuſcipe.
Qui carne noſtra pro reis
Dignatus es te cingere,
Nos membra confer effici
Tui beati corporis.
Præ Sole vultu flammeus,
Ut nix amictu candidus,
In monte coram congruis
Apparuiſti teſtibus.
Lex Moſe ſignatur vetus,
Signat Prophetas Elias,
Amboque reddunt Gratiæ
Fidele teſtimonium.
Te vox paterna cælitus
Suum vocavit Filium:
Et nos tenentes hanc fidem
Regem fatemur gloriæ.
Largire virtutum Deus,
Caſtis miecemus moribus:
Ut ſorte digni cæſitum
Tua fruamur gloria.
Sit laus tibi, ſit gloria,
Æterne rerum conditor,
Qui trinus ac unus Deus
Per cuncta vivis ſecula. Amen.

ITEM AD LAUDES.

O ſator rerum, reparator ævi,

Idem Breviar. Cluniacenſe, & antiqua Monaſtica.

O Sator rerum, reparator orbis,
Chriſte Rex Regum, metuende judex:
Quas tibi fundunt pia corda laudes
Suſcipe pronus.
Hinc ſtetit Moſes, ſtetit hinc Propheta
Elias, cùm tu medius refulgens,
Splendida Solem facie, nivemque
Viſceis amictu.
Te ſibi clara Pater ipſe nube
Intonans charum Genitum profatur,
Teque Doctorem jubet ut fidelis
Audiat omnis.
Sit tibi virtus, honor & poteſtas,
Cuncta qui ſummo Deus alme nutu
Hic & in cælo dominans gubernas
Trinus & unus. Amen.

Sunt & alii tres Hymni de Transfiguratione alicubi uſitati, nempe Gaude Mater pietatis. Novum ſidus exoritur. Exultet laudibus ſacrata concio: *quorum duo priores exponuntur à Clichtoveo: ſed neque hi, neque ſuperiores illi æquant duos in Breviario Romano poſitos.*

IN FESTO S. LAURENTII Martyris.

Ad Veſperas & Matutinum.

Glorioſi Laurentii.

Breviarium Nivernenſe.

EN Martyris Laurentii
Accenſa flammis charitas
Fervente qualis Sol die
Ubique terrarum micat.
Auri Tyrannus appetens
Repoſcit occultas opes:
Sed has Levita pauperum
Manu recondit tutius.
Incluſus atro carcere
Cæcis reponit lumina,
Intuſque per Chriſti fidem
Mentis tenebras diluit.
In crate ſtratus, libera
Te Chriſte voce prædicas:
Aſſatus igne ſit tibi
Fragrans odore victima.
O Martyr invictiſſime,
Quem tot coronant laureæ:
Fac corda noſtra jugibus
Flammis adurat Charitas.
Patri ſit atque Filio,
Laus una cum Paraclito,
Decus, poteſtas, gloria,
Per cuncta ſemper ſæcula. Amen.

ITIDEM AD LAUDES.

Lauri viror conſtantiam.

UT ſignat in Laurentio
Lauri viror conſtantiam,
Sic bacca ſparſim germinans
Fructus adumbrat uberes.
Florente palma fortior
Adverſa vicit omnia:
Sinapis haud par eſt odor,
Contritus ut Martyr fragrat.
O ignium miras vices!
Dum fervet intus Charitas,
Quæ corpus aſſabat foris
Fit rore pruna ſuavior.
Sit laus Patri cum Filio,
Et Spiritu Paraclito,
Suoíque noſtris mentibus
Accendat ignes jugiter. Amen.

Tres alios Hymnos de eodem recenſet & exponit Clichtoveus, ſed nullibi quod ſciam uſitatos.

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ Virginis.

Ad Veſperas.

O quàm glorifica luce coruſcas.

Breviar. Rhemenſe, Turonenſ. Rothomag. Senon. Pariſienſe, Carnutenſe, & alia ferè omnia. Exponit Clichtoveus.

O Quàm mirifica luce coruſcas
Stirpis Davidicæ regia proles,
Nato cùm propior Virgo Maria
Cunctos Cæligenas ſede præiſti:
Tu cum virgineo Mater honore
Aulam qua caperes omnipotentem,
Sacris viſceribus caſta paraſti:

Hinc

Hinc natus Deus eſt ac homo Chriſtus,
Quem cunctus venerans ſuſcipit orbis,
Et cui ritè genu flectitur omne;
A quo te petimus ſubveniente
Æternæ tribui gaudia lucis.
Hoc largire Pater luminis omnis,
Unum per Genitum, tu quoque manans
Ex utroque Deus par & utrique,
Cui ſit gloria, laus ac honor omnis. Amen.

IN EODEM FESTO.

Hymni per omnes Horas.

Lector benevole, hos ſi fortè Hymnos alibi inſertos repereris, ex eo diſces qua occaſione à me recenter exarati fuerint.

Ad Veſperas.

VIrginales in triumphos
Pange lingua canticum,
Mille voces, mille plauſus
Æmulata cælitum;
Nulla laurus, nulla tantam
Palma laudem poſtulat.
Illa quondam, quæ doloſum
Calce ſtravit aſpidem,
Functa Virgo glorioſa
Morte mortem funerat,
Et ſepulcrum mutat aſtris,
Mutat aſtra Numine.
Sponſa Sponſo copulatur,
Mille mixtis oſculis;
Ore ſudant utriuſque
Gratiarum flumina:
Hinc inundat civitatem
Copioſus impetus.
O ſuperni fons amoris,
Fons beatitudinis!
Juncta Nato Mater alma,
Junctus Almæ Filius:
Curre cælum, curre tantam
Terra poſt fragrantiam.
Summa ſummo laus Parenti,
Summa laus & Filio:
Par tibi ſit ſancte manans
Ex utroque Spiritus:
Ut fuit, nunc, & per ævum
Una ſemper gloria. Amen.

Ad Completorium.

AMicta Sole fœmina,
Cui Luna planteis ſternitur,
Celſumque biſſenis caput
Stellis revinctum promicas:
Throno recepta Filii
Tu Virgo ſignum maximum;
Hinc tu ſalutem ſubditis
Fauſto refundas ſidere.
Jeſu tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & almo Spiritu
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Ad Matutinum.

QUæ non ſumme Deus cantica te decent?
Præ cunctis rutilat cùm celebris dies,
Matrem quæ ſuperis ſedibus addicans
Nato reſtituis ſuo.
O quis ſufficiat dicere quas amor
Imis viſceribus ſuggereret faces?
Cùm Nati Genitrix fuſa per oſcula
Junxit purpureos ſinus.
Mentes attonitæ cælituum ſtupent
Largo præcipites currere flumine,
Libare exiguo quas ſibi rivulo
Vix dum delitias datur.
Tantarum petimus reliquiis dapum
Noſtram Virgo Parens exſaties famem;
Donec perpetuæ jam comites tuos
Menſæ jugiter expleant.
Patri ſit Domino perpetuum decus,
Virtus par & honor ſit quoque Filio;
Sancto Spiritui par ſit in omnia
Laus & gloria ſæcula. Amen.

Ad Laudes.

O Glorioſa Virginum,
Sublimis inter ſidera:
Quem lacte paviſti ſacro,
Sic te coronat Filius.
Una præit non ampliùs
Te ſede ſummus artifex:
Omnis ſedentem te Throno
Natura poſt hunc ſuſpicit.
O digna tanti Numinis
Regina conſors, & Parens:
Nobis ad aſtra, quæſumus,
Dux eſto, lux & ſemita.
Jeſu tibi ſit gloria &c.

Ad Primam.

QUæ ſe citato tramite
Sic Virgo ſurſum proripit,
Aurora qualis lucidos
Ortus ab undis explicat?
Non Luna vultu pulcrior,
Non Solis uſquam par decus,
Armata non ſic territos
Surgunt in hoſtes agmina.
Jeſu tibi ſit gloria &c.

Ad Tertiam.

FIrmis ut altæ rupibus
Arces Sionis eminent,
Sanctiſque circum mœnibus
Urbem tuentur ſubditam.
Sic Virgo ſublimi ſedes
Firmata cæli vertice,
Tuoque nos hinc protegis
Turbam jacentem numine.
Jeſu tibi ſit gloria &c.

Ad Sextam.

FUſas ut arbor altiùs
Defixa radices agit,
Sparſiſque latè frondibus
Fructus refundit uberes.
Sic Virgo ſcandens ſidera,
Natoque jam vicinior,
Stratum per orbem largiùs
Suos favores explicat.
Jeſu tibi ſit gloria &c.

Ad Nonam.

NOn ſic odorem cortice
Laxata fundunt balſama,
Non myrrha ſpirat ſuaviùs,
Non ſic adultum thus fragrat.
Tonantis ut Virgo Parens
Suſcepta cæli vertice,
Cunctos fragrante Cælites
Odore virtutum trahit.
Jeſu tibi ſit gloria &c.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI
Apoſtoli.

Ad primas Veſperas.

Bartholomæe cæli ſidus aureum.

Breviar. Conſtantienſe, Sylvanectenſe &c.

DEcore vincens lucidum Solis jubar
Hanc poſce nobis Bartholomæe gratiam,
Ut mentis ægræ ſe reſuſcitet vigor,
Cæloque tollat ipſa ſe ſublimior.
Te ſumme Chriſte &c. *ut in Communi Apoſtolorum.*

IN FESTO S. LUDOVICI
Francorum Regis.

Erant in antiquo Breviario Pariſienſi hi tres Hymni Rhythmici, Gaude Mater Eccleſia, Nova Regis præconia, *&* Hymnum novæ lætitiæ, *à Clichtoveo etiam expoſiti: quorum loco ſubrogati ſunt in nova editione anni 1636. ſequentes alii duo à recentiore authore exarati; quibus certè nihil in hoc genere limatius ſcribi poteſt. En illos, in gratiam aliarum quoque Eccleſiarum, quibus uſui erant priſtini, ſi æquè velint ipſæ mutationem facere.*

Ad Veſperas & Matutinum.

REx ſumme Regum qui potenti numine
Quo ſunt creata regna nutu dividis,
Dum thure fumant templa, voce perſonant,
Audi profuſas Regis in laudem preces.
Naſcens in ipſa Ludovicus purpura
Sceptris avitis parvus admovet manus,
Piæque ductu matris ignarus mali,
Servire Chriſto diſcit antequam regat.
Juſti ſeverus cultor, urbes legibus,
Amore cives continens, hoſtes metu,
Pietate cælum flectit: aras excitat,
Deoque templa, tecta nudis erigit.
Mox Chriſtiani ſerus ultor ſanguinis
Emenſus æquor, inque littus barbarum
Vexilla pandens, urget armis impios,
Unoque vitam pro Deo paciſcitur.
Sit Trinitati ſempiterna gloria,
Honor, poteſtas, atque jubilatio,
In unitate, cui manet imperium,
Ex tunc & modò per æterna ſæcula. Amen.

Ad Laudes.

TE Sancte rurſus Ludovice prælia
Divina poſcunt, tu Crucis clavum tenens,
Speique ſacras anchora fundans rates,
Moves tyrannis bella, Chriſto militas.
Vincis cadendo, mors tibi victoriam
Aufert & addit: corpus hic palmæ tegunt
Nondum ſepultum, ſed triumpho nobili
Cælum paratur, & corona ſidera.
Tuus paternæ redditus terræ cinis
Regnum tuetur, dum throno præſens Dei,
Æternè regnans paſcis inter lilia,
Faveńſque blando noſtra cernis lumine.
Sit Trinitati &c.

IN FESTO S. AUGUSTINI
Epiſcopi & Eccleſiæ Doctoris.

Pariſienſi olim uſu ſicut & multis aliis recitabatur Officium totum proprium de S. Auguſtino, cujus initium eſt, Lætare Mater noſtra. *In eo autem erat Hymnus pro Veſperis* Magne Pater Auguſtine, *à Clichtoveo expoſitus. Non illum damus emendatum, ſed alium elegantiſſimum indicamus ejuſdem ferè initii, nec ſenſus adeò remoti*, Magne Doctor Chriſtiani. *Habetur in proprio Canonicorum Regularium Congregationis Gallicanæ, unà cum duobus aliis manu eleganti non minus quàm pia elaboratis*, Quot per undas jactitarat, *pro Matutino;* Regularis Clericorum, *pro Laudibus; præter alios item duos pro feſto Converſionis ejuſdem*, Auguſtine piis matris amoribus, *&* Luctatum ſatis eſt &c.

IN FESTO S. MATTHÆI
Apoſtoli & Evangeliſtæ.

Ad primas Veſperas.

Matthæe Sancte bino pollens munere.

Breviarium Sylvanectenſe &c.

OQuem ſequacem prima Chriſti vox ſuum
Matthæe fecit, abdicato fœnore:
Tuis ut interceſſionibus, Dei
Præſta vocantis obſequamur nutibus.
Te ſumme Chriſte &c. *ut in Communi Apoſtolorum.*

IN FESTO S. MICHAELIS
Archangeli.

Tibi Chriſte ſplendor Patris.

Fuit hic Hymnus emendatus quidem in Romano Breviario, neque nos ultrà limam addimus: tantum ne quid ab aliquibus in ratione cantus deſideretur, priſtinum metrum reſtituimus.

CHriſte virtus alma Patris,
Chriſte vita cordium,
Mille ſemper cui miniſtrant
Angelorum millia:
En tibi ſe noſtra plenis
Ora fundunt vocibus.
En reclamant noſtra cunctos
Vota cæli Principes:
Sed potentem præter omnes
Michaelem maximè,
Vim draconis ſingulari
Conterentem prælio.
Ipſe nobis ô precamur
Tantus adſit ſignifer,
Quo ſalutis hoſte pulſo,
Irritiſque fraudibus,
Chriſte tandem nos perenni
Sorte dones Cælitum.
Gloriam Patri ſonoris
Demus omnes vocibus:
Gloriam Chriſto canamus,
Gloriam Paraclito:
Qui Deus per omne vivit
Trinus unus ſæculum. Amen.

IN FESTO SS. SIMONIS
& Judæ Apoſtolorum.

Ad primas Veſperas.

Beate Simon & Thadæe inclyte.

Breviar. Conſtantienſe, Sylvanectenſe &c.

OAmbo Simon & Thadæe gratia
Pares, parique jam fruentes gloria:
Noſtris precamur ſubvenite fletibus,
Dignoſque cæli laurea nos reddite.
Te ſumme Chriſte &c. *ut in Communi Apoſtolorum.*

IN FESTO OMNIUM Sanctorum.

Ad Veſperas.

Omnium Chriſte pariter tuorum.

Breviar. Conſtantienſe, & Carnutenſe.

OMnium Jeſu colimus triumphos,
Quos tuus vexit cruor ad ſalutem;
Palma ſeu dextras, niveamve cingant
Lilia frontem.
Criminum præſtent maculas reſolvi,
Luce virtutum pia corda ſpargant,
Et ſuo cæli faciant rogatu
Regna patere.
Ut quibus vitæ ſtadium magiſtris
Currimus, meta pariter fruentes,
Optimæ ſortis ſocii per omne
Simus & ævum.
Gloriam Trino Domino perennem
Omnis ut cœtus Superum rependit,
Sic pari laudes ſtudeamus & nos
Voce referre. Amen.

ITEM IN EODEM FESTO.

Ad Matutinum.

Feſtiva ſæclis colitur.

Idem Breviarium Conſtantienſe.

CUrſu redit lux annuo
Feſtiva Sanctis omnibus,
Das te quibus celſo polo
Jeſu fruendum perpetim.
Illis, tibique ſupplices,
Choro frequenti pſallimus,
Hinc unde nos & in parem
Sortem referri poſcimus.
Palmas nec hi, nec lilia,
Abs te favente colligunt:
His te manus, his te caput,
Uno vireſcit auſpice.
Tu noſtra ſis æquè ſalus,
Æquè tua nos gratia
Jeſu tuere, protege,
Fove, guberna, ſuſcipe.
Uni Deo ſit gloria,
Cui turba Sanctorum canit,
Cunctaſque ſupplex laureas,
Accepta fert & præmia. Amen.

IN FESTO S. MARTINI Epiſcopi.

Vide pleroſque Hymnos infrà inter proprios tum Eccleſia Turonenſis, tum etiam Eccleſia ipſiuſmet S. Martini.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS Beatæ Mariæ Virginis.

Hi quatuor Hymni habentur in Breviariis Turonenſi, Carnutenſi, antiquo Rhedonenſi; & aliis, excerpti, ut opinor, ex antiquo Pariſienſi.

Ad primas Veſperas.

O Dei ſapientia.

O Cuncta verbo continens
Altiſſimi virtus Patris,
Quàm lapſibus ſuaviter
Noſtris medelam provides!
Te carne noſtra veſtiens,
Alvum ſubiſti Virginis:
Ut innocens pro noxiis
Te ſponte morti traderes.
Quam tu tibi delegeras
Matrem creando prævenis,
Cunctiſque complens gratiis
Dignam facis te Filio.
Aurora qualis lucida
Primum præit Solis jubar,
Sic Virgo te Jeſu ſuo
Splendore ſignat proximum.
Jeſu tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Unus manens par cum Patre,
Sanctoque Spiritu Deus. Amen.

Ad Matutinum.

Sacræ Parentes Virginis.

SAcræ Parentes Virginis
Jam prolis immunes diu,
Donante tandem Numine,
Unam Mariam procreant.
Siſtunt Deo ſe protinus
Voti reos, & trimulam
Orbæ domus nil anxii
Templo puellam conſecrant.
Oliva non ſic pullulans
Fructus refundit uberes,
Ut omne virtutum genus
Tenella Virgo parturit.
Hanc quippe pulſans intimè,
Almus regebat Spiritus,
Caſtaque mente jam ſibi
Templum parabat congruum.
Jeſu tibi ſit gloria &c.

Ad Laudes.

Omnes fideles plaudite.

QUàm pulcra laudandi Deum,
Quàm magna mirandi ſeges
Se prodit in tua ſtatim
Virgo Parens infantia!
In moribus maturitas
Ætate major extitit:
Sed nec quid humanum fuit,
Os præter, in te cernere.
Roſeta qualis deſpicit
Se palma tollens altiùs,
Sic Virgo cunctas anteis
Virtute creſcens filias.
Creſcis, Deique munere
Ornata tantis dotibus,
Fis ſola digna gignere
Jeſum ſalutis hoſtiam.
Jeſu tibi ſit gloria &c.

Ad ſecundas Veſperas.

Æterni Patris unice.

ADdicta ſacris ædibus
Virgo, volente ſic Deo,
Fit ipſa ſanctis actibus
Templum Deo gratiſſimum.
Intenta cælo jugiter,
Terrena nulla cogitat:
Illique ſermo cum Deo
Perennè mentis pabulum.
O quanta totis ſenſibus
Seſe refudit gratia!
Fragrante non eſt plenior

Acerra

Acerra thure fumida.
Os, lingua, mens, cor, & caro,
Vultus, manus, vox, ſpiritus,
Se tota totam prædicat
Dignam Parentem Numinis.
Jeſu tibi ſit gloria &c.

IN FESTO S. CATHARINÆ Virginis & Martyris.

Ad Veſperas.

Catharinæ collaudemus.

Brev. Rhemenſe, Turonenſe, Conſtantienſe, & alia. Expoſitus à Clichtoveo.

CAtharinæ vox triumphum
Laude plena perſonet:
Ferte palmas, ferte lauris
Juncta paſſim lilia:
Virgo vincit, Virgo mixtum
Lacte fundit ſanguinem.
In Tyrannum par nec armis,
Par nec ipſa viribus,
Sola ſurgit, & minantem
Ridet, urget, increpat:
Vir puellæ ſuſtinere
Neſcit unus impetum.
Prodit artem docta vanis
Turba nodis texere:
Verba luce clariora,
Verba mellis æmula,
Virginis quot ore manant,
Tela jacta dixeris.
Cedit agmen, cedit ultro
Victa virtus hoſtium,
Nec ſatis ſe Chriſtiano
Cenſet auctam nomine,
Ni tuendo juncta ferrum,
Juncta flammas perferat.
Hinc ſuperſtes Virgo blandis
Provocatur artibus:
Aſt inanes horror atri
Supplet artes carceris:
Orta cùm mox alma noctem
Lux fugavit horridam.
Sempiterna ſit Parenti,
Sempiterna Filio;
Utriuſque ſempiterna
Sit tibi laus Spiritus:
Cui rependit mille grates
Cœtus almus Virginum. Amen.

EJUSDEM HYMNI CONTINUATIO.

Ad Matutinum.

Pange lingua glorioſæ.

PAnge lingua glorioſæ
Paſſionem Virginis:
Nulla tantam gemma lucem
Nulla tantum dat decus:
Hanc fugandis Chriſtus umbris
Suſcitavit ſæculi.
Virgo pœnis tot probata,
Tot ſuperſtes mortibus,
Tenta rurſus, vim rotarum,
Vim nefandæ machinæ
Fortiori vincit aucta
Spiritus juvamine.
Da, precatur, da potenti
Cuncta qui nutu tegis,
Noſcat ut te plebs fidelis,
Te colat, te diligat,
Da tuorum conteratur
Hoſtium jactantia.
Vix locuta, cùm repentè
Sæva moles ſolvitur:
Inde lignis, inde clavis
Icta turba concidit:
Salva ſancto dum rigari
Pars lavacro poſtulat.
Sempiterna ſit Parenti,
Sempiterna Filio:
Utriuſque ſempiterna
Sit tibi laus Spiritus:
Cui rependit mille grates
Cœtus almus Virginum. Amen.

ITEM CONTINUATIO.

Ad Laudes.

Præſens dies expendatur.

LUcis ortu tam decoræ
Chriſte ſponſe Virginum,
Corde puro, voce læta
Laudis hymnum promimus:
Te favente dum triumphans
Virgo palmas aggregat.
Ipſa conjux Maximini,
Prima ſortis particeps:
Agmen unà ſeque bellâ
Ductor alter adjicit:
Ecce quantam caſta ſponſo
Sponſa prolem parturit.
Illa demum tot coronis,
Laureiſque nobilis,
Icta ferro Virgo rivos
Alba fundit lacteos:
Hanc Tyranne ſuge mammam,
Suge manſuetudinem.
Legis in quo monte primùm
Verba Numen edidit,
Corpus illic collocatur
Angelorum munere:
Tale quidni jure funus
Virgo poſcit obſequens?
Ex ſepulcro ſacra ſudat
Unctionis copia,
Qua repentè corpus ægrum
Soſpitati redditur:
Chriſte mentis terge labes
Unctione gratiæ.
Sempiterna ſit Parenti,
Sempiterna Filio:
Utriuſque ſempiterna
Sit tibi laus Spiritus:
Cui rependit mille grates
Cœtus almus Virginum. Amen.

HYMNI
DE COMMUNI SANCTORUM.

IN COMMUNI APOSTOLORUM.

Ad Veſperas.

Annue Chriſte ſæculorum Domine.

Breviar. Andegavenſe, Carnutenſe, & alia, quorum nonnulla præmittunt etiam in ſingulis feſtis Apoſtolorum verſum cujuſque proprium; qui quidem verſus ſuprà ſuis locis deſcriptus eſt, Expoſiturꝰ à Clichtoveo.

TE ſumme Chriſte ſæculorum conditor
Hujus (*vel*) Horum rogatu ſupplices expoſcimus;
Iram remitte, noſque juſtus arbiter
Reos licèt tot criminum ne reſpuas.
Salva Redemptor plaſma nobiliſſimum,
Tui quod ore luminis præfert decus:
Nec decipi nos dæmonum ſinas dolis,
Quos ſic amaſti, traderes ut ſanguinem.
Te confitentes ſervitute vindica,
Attolle lapſos, compeditos erige,
Juva, tuere, ſuſtine, ciba, fove,
Tibique junctis da perenne gaudium.
Jeſu tibi ſit ſempiterna claritas,
Virtus perennis, laus, poteſtas, gloria:
Par qui parenti, par ſimul Paraclito,
Deus per omne vivis unus ſæculum. Amen.

IN COMMUNI UNIUS MARTYRIS.

Ad Veſperas.

Beate Martyr proſpera.

Breviar. Aurelianenſe in feſtis duplicibus. Ambianenſe ad libitum, item alia &c. Eſt Prudentii in Hymno S. Vincentii.

BEate Martyr proſpera
Diem triumphalem tuum,
Quo ſanguinis merces tibi
Corona vincenti datur.
Hic te ex tenebris ſæculi,
Tortore victo & judice,
Evexit ad cælum dies,
Chriſtoque ovantem reddidit;
Nunc Angelorum particeps
Veſtiris inſigni ſtola,
Quam teſtis invictus fide
Rivis cruoris laveras,
Adeſto nunc, & percipe
Voces precantum ſupplices,
Noſtri reatus efficax
Orator ad thronum Patris;
Fac in die noviſſimo,
Placatus ut Chriſtus ſuis
Inclinet aurem proſperam,
Noxas nec omnes imputet.
Deo Patri ſit gloria,
Ejuſque ſoli Filio
Cum Spiritu Paraclito
Nunc & per omne ſæculum. Amen.

IN COMMUNI PLURIMORUM Confeſſorum.

Rex glorioſe Præſulum.

Breviar. Rhemenſe, ad Veſperas, & Brev. S. Martini Turonenſ. ad Matutinum. Deſumptus ex emendatione Romana.

REx glorioſe Præſulum,
Si non fuerint Pontifices dicitur,
Rex Chriſte Sanctorum decus,
Corona confitentium,
Qui reſpuentes terrea
Perducis ad cæleſtia.
Aurem benignam protinus,
Intende noſtris vocibus,
Dum laudis hymnum pangimus,
Ignoſce quod deliquimus.
Tu vincis inter Martyres,
Parciſque Confeſſoribus,
Tu vince noſtra crimina
Largitor indulgentiæ.
Deo Patri ſit gloria &c.

ITEM IN EODEM COMMUNI.

Ad Veſperas.

Sanctorum meritis inclyta gaudia.

Breviar. Ambianenſ. Bellovacenſ. & S. Martini Turonenſ. juxta emendationem Romanam.

SAnctorum meritis inclyta gaudia
Pangamus ſocii dignaque præmia:
Gliſcens fert animus promere cantibus
Victorum genus optimum.
Hi ſunt quos fatuè mundus abhorruit;
Hunc fructu vacuum, floribus aridum
Contempſere tui nominis aſſeclæ,
Jeſu Rex bone Cælitum.
Te ſumma ò Deitas, unaque poſcimus,
Ut culpas abigas, noxia ſubtrahas,
Des pacem famulis, ut tibi gloriam
Annorum in ſeriem canant. Amen.

ITEM IN EODEM COMMUNI.

Ad Veſperas.

Adeſt ſacrata Præſulum.

Breviar. Turonenſe.

FEſtiva Sanctorum dies
Anni recurrit ordine,
Qua reſpuentes ſæculum
Cepere cæli præmia.
Ibant madentes lacrymis
Mittendo terris ſemina,
At nunc ſupernam jugiter
Gaudendo meſſem colligunt.
Orando nobis conferant
Solvi reatu criminum,
Sibique poſthac additos
Gaudere cælo perpetim.
Concedat hoc ſummus Parens,
Qui trinus unus eſt Deus,

Pari

Pari ſibi cum Filio,
Et Spiritu Paraclito. Amen.

ITEM IN EODEM COMMUNI.

Ad Veſperas.

Chriſte lucis ſplendor veræ.

Breviar. Pariſienſe. Exponit Clichtoveus.

CHriſte lucis ſplendor almæ,
Nos benignus intuere,
Quo ſtat ordinante merces
Juſta Confeſſoribus.
Hi talenta quæ dediſti,
Quà labore, quà ſagaci
Arte, lucrum duplicantes
Reddidere plenius.
Caſtitate membra carnis,
Te morante, comprimentes;
Dum rediſti, luce morum,
Obviarunt fulgidi.
O beati, quos ſuprema
Deprehendit hora tutos:
Jam fruuntur ſempiternis
Gaudiorum præmiis.
Fac ut illos æmulemur,
Chriſte, fac ut audiantur,
Dum pari nos & beati
Sorte ſecum poſtulant. Amen.

ITEM IN EODEM COMMUNI.

Ad Laudes.

Idem Breviar. Pariſienſe, juxta emendationem Romanam.

DEvota Sanctorum fides,
Invicta ſpes credentium,
Perfecta Chriſti charitas
Mundi tyrannum conterit.
In his paterna gloria,
In his triumphat Filius,
In his voluntas Spiritus,
Cælum repletur gaudio.
Patri ſimulque Filio,
Tibique Sancte Spiritus,
Sicut fuit, ſit jugiter
Sæclum per omne gloria. Amen.

IN COMMUNI DEDICATIONIS Eccleſiæ.

Ad Veſperas.

Chriſte cunctorum dominator alme.

Breviar. Conſtantienſe, Aurelianenſe, Nivernenſe & alia &c. Carnutenſ. ad Matutinum. A Clichtoveo expoſitus.

CHriſte cunctorum dominator alme,
Patris æterni ſoboles coæva,
Supplicum toto tibi corde fuſis
Vocibus adſis.
Annuo dum lux recolenda ritu,
Hujus in laudem fabricæ recurrit:
Fida quam ſacris reſovenda donis
Turba dicavit.
Hic ſacri fontis latices ab ortu
Inditam nobis maculam repurgant:
Hic & infuſum nova membra Chriſto
Chriſma coaptat.
Hic ſua paſcit populos fideles
Carne, qui mundi ſcelus omne tollit
Agnus, & fuſi pretium cruoris
Ipſe propinat.
Laus Deo Patri ſine fine detur,
Par ſit & Nato decus atque virtus;
Te ſimul ſeſum decet ex utroque
Gloria compar.

EJUSDEM HYMNI *continuatio.*

Ad Matutinum.

Hic ſalus ægris medicina feſſis.

HIc ſalus ægris animis paratur,
Hic reos judex facilis relaxat:
Atque lethalem rediviva pellit
Gratia culpam.
Reddit hic quidquid violentus hoſtis,
Callida quidquid rapuit vel arte:
Speque deluſus fugit in remotas
Ocyùs umbras.
Nempe cui cælo thronus eſt perennis,
Hic ſuam fixit Deus almus aulam:
Hac iter Sanctus ſibi quiſque tutum
Sternit in aſtra.
Nullus hanc turbo quatit, irruentis
Nulla vis nimbi, rapidive fluctus:
Cedit hanc contra furor inferorum
Irritus omnis.
Laus Deo Patri &c.

EJUSDEM ITEM HYMNI *continuatio.*

Ad Laudes.

Quæſumus ergo Deus ut ſereno.

ERgo te noſtris Deus ò precamur
Annuas vultu ſtudiis ſereno:
Plena ſic nobis ferat ut dicatum
Gaudia templum.
Da metus omnes procul hinc recedant,
Sint dies læti, placidæque noctes:
Nec tua fretos pietate vindex
Terreat ignis.
Hæc dies templi referens recentis
Myſticos ritus, tibi templa mole
Nos ſtruat viva, ſuperiſque tandem
Arcibus aptet.
Laus Deo Patri &c.

ITEM IN EODEM COMMUNI.

Ad Veſperas & Matutinum.

Urbs Jeruſalem Beata.

Non emendationis gratia ſequentes duos Hymnos adjungimus, id enim abundè præſtitum fuit in ipſo Breviario Romano; ſed cantui conſulentes, uti jam ſemel aliàs, antiqua metro emendationem accommodamus.

URbs Jeruſalem beata
Dicta pacis viſio:
Quam ſupremo monte cæli
Saxa viva conſtruunt,
Angelorum more ſponſæ
Mille cinctam cœtibus.
Nupta Chriſto prodit omni
Dote Patris inclyta:
Prodit omni gratiarum
Cincta pulchritudine:
Fulget auro murus omnis,
Tota fulget civitas.

Clauſa

Clauſa nulli cuncta ſplendent
Margaritis atria;
Omnis illuc orbe toto
Civis introducitur,
Quem premebant hic morantem
Dura Chriſti nomine.
Saxa quotquot hic locantur
Tunſa ferri pondere,
Plurimiſque puncta ſcalpris
Architectus expolit,
Donec apta præſtitutam
Cuncta ſedem repleant,
Sempiterna ſit beatæ
Trinitati gloria:
Æqua Patri Filioque,
Par decus Paraclito,
Nunc ſit, & per cuncta ſemper
Sæculorum ſæcula. Amen.

Ad Laudes.

Angularis fundamentum.

ANgularis petra Chriſtus
Sede celſa prodiens,
Ipſe ſummus, imus ipſe
Summa junxit infimis,
Noſque vinxit unus uno
Cœliteſque fœdere.
Omnis illa quæ ſupernas
Turba ſedes incolit,
Unius Trinique Numen
Laude jugi prædicat:
Noſtra cui nos æmulantes
Copulamus cantica.

Ergo ſumme Rector orbis
Huc rogatus adveni:
Hocque templum viſe clemens,
Luce comple, protege:
Et precantum corde toto
Vota pronus ſuſcipe.
Hinc recedat nemo ſupplex
Quin petitis gaudeat,
Cuique plenam non reponas
Sanctitatis gratiam,
Donec ipſe des perennem
Poſſidere gloriam.
Sempiterna ſit beatæ &c.

IN OFFICIO B. MARIÆ
in Sabbato.

ITEM IN OMNI ALIO OFFICIO
B. Mariæ.

Ad Completorium, & ad Laudes.

Virgo Dei genitrix quem totus non
capit orbis.

Breviar. Pariſienſe. Exponit Clichtoveus.

VIrgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis,
In tua ſe clauſit viſcera factus homo.
Ipſe tuus Natus purgavit crimina mundi,
Et tibi Virginitas inviolata manet.
Virgo tuam te poſcit opem, te tota reclamat
Gens hominum: famulis eſto benigna tuis.
Gloria ſumma Patri, compar tibi gloria Nate,
Spiritui Sancto gloria parque decus. Amen.

HYMNI DE SANCTIS
ECCLESIARUM PROPRIIS.

ECCLESIÆ TURONENSIS.

Die 18. Decembris.

IN FESTO S. GACIANI
primi Archiepiſcopi Turonenſis
& Confeſſoris.

Item die 2. Maji, & 19. Octobris.

IN FESTIS TRANSLATIONIS,
ac Revelationis ejuſdem.

Ad Veſperas & Matutinum.

Hymnum fideles populis.

CHriſto ſalutis vindici,
Regique Regum maximo,
Turonis alma debitum
Gens laudis hymnum concine.
Cujus ſequens veſtigia,
Vir Gacianus inclytus,
Carnis repreſſit ſpicula,
Mundique faſtus horruit.
Infuſa cui lux cælitus
Mentem replebat affatim,
Caſtiſque flamma jugiter
Ardebat in præcordiis.
Hinc Præſul inſignis fide
Cultus removit impios,
Sparſoque verbi ſemine,
Fructus ſalutis protulit.
O qui per hujus ſæculi
Gregem tueris devia,
Nos ad ſuperna poſtmodum
Duc Gaciane paſcua.
Æterna Patri gloria,
Chriſtoque Patris Filio:
Te nexus amborum pari
Cultu colamus Spiritum. Amen.

Ad Laudes.

Aurora vultu roſeo.

AD lucis ortum debitis
Laxemus ora laudibus,
Clarumque ſidus Præſulum
Feſtiva promant cantica.
Illuſtre præ Chriſto genus
Opumque vim nil æſtimans,
Terrena ſprevit gaudia,
Spirans ſuperna jugiter.
Primus Turonis Pontifex
Greges reduxit devios,
Chriſtique caulis additos
Sacris refecit paſcuis.
Firmatur hinc credentium
Signis fides, hinc ſanctitas
Tanti probata Præſulis
Crebris micat virtutibus.

Quiſ-

Quiſquis repoſcit perdita,
Huic Gaciane ſubvenis:
Peccando quam dimiſimus,
Nobis repone gratiam.
Hoc unus & trinus Deus
Concedat, almo cum Patre
Almus Parentis Filius,
Concedat almus Spiritus. Amen.

Die 14. Januarii.

IN FESTO GLORIOSISSIMI
Nominis Jeſu.

Hymni deſumuntur ex illa D. Bernardi Proſa, cujus initium eſt:

Jeſu dulcis memoria.

In qua ſanè elegans non minùs quàm pia rhythmorum ſuavitas, ejuſmodi eſt, cui nulla ſtrictior ſyllabarum in verſu concinnitas ſit æquanda. Quare maneant tum ſuo, tum tanti authoris merito illibati quotquot ex ea proſa decerpti ſunt Hymni, non in Breviario Turonenſi tantùm, ſed & in Andegavenſi, Nannetenſi, Rhedonenſi, Maclavienſi, Nivernenſi, Noviomenſi, aliiſque permultis, in quibus ſolemni ritu recepta eſt hujuſce Officii celebratio; atque adeo cùm in aliis plures, pauciores in aliis verſus recitentur, ſervabit ſuam qualibet Eccleſia menſuram, niſi ſatius fortè videatur cum proprio Minorum poſterius emendato convenire, in quo pauciores & ſelectiores dumtaxat ſtrophæ retentæ fuerunt.

Die 18. Martii.

IN FESTO S. GABRIELIS
Archangeli.

Ad Veſperas & Matutinum.

Archangeli Gabrielis.

GAbrielem tollat altè
Noſtra vox Archangelum,
Quo miniſtro Præpotentis
Fortitudo promitur,
Dum futura miſſus ipſe
Bella pandit Nuncius.
Danieli quid notarent
Belluarum cornua;
Orbe toto nationum
Quæ foret ſucceſſio;
Ultimorum quis futurus
Ordo pandit temporum.
Confitenti mox revelat
Viſionis ordinem,
Quæque Chriſtum ſit datura
Præter omnes hebdomas,
Quæve morti traditura,
Certus index nunciat.
Jamque tempus imminebat
Debitum myſterio,
Cùm Mariæ miſſus idem
Præco Matris fert decus,
Filiique quanta tanti
Promit ore gloria.
Trinitati ſempiternæ
Laus ſit, & victoria,
Summa virtus, & poteſtas,
Fortitudo maxima:
Noſque tandem ſorte donet
Angelorum perfrui. Amen.

Ad Laudes.

Gaudeat cælum Gabriele miſſo.

GAudeat cælum Gabriele miſſo,
Lætus exultet veniente mundus:
Quippe qui noſtræ ſeriem ſalutis
Ordine curat.
Hic Sacerdoti dubio loquelam
Auferens, prolis jubet eſſe certum:
Gratia plenam ſubit hinc ſalutans
Ore Mariam.
Firmat hærentem, gravidæ revelans
Conjugis fœtum, puerumque mandat
Indito Joſeph vocet ipſe primus
Nomine Jeſum.
Inde naſcentis reſonans ab alto
Gaudium vulgat, vigiles ſtatimque
Nocte paſtores monet involutum
Quærere pannis.
Mox fuga matri puerοque vitam
Præcipi ſalvam: comitatur horto,
Quem dehinc prodit vacuo ſepulchro
Vivere Chriſtum.
Laus Deo, virtus, honor & poteſtas,
Cui pius ſemper Gabriel miniſtrat,
Cui canit jugi chorus Angelorum
Carmine laudes. Amen.

Die 9. Julii.

IN FESTO QUINQUE
Plagarum Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Ad Veſperas, & Matutinum.

Collaudemus venerantes.

PRomat omnis lingua Chriſti
Paſſionis gloriam,
Intimoque mens revolvat
Sacra ſenſu vulnera,
Spes ſalutis unde mundi
Tota fluxit totius.
Ipſe Patris ſempiterni
Sempiternus Filius,
Non recondi Matris alvo
Carne cinctus horruit,
Non ali ſe virginali
Factus infans ubere.
Creſcit annis in parentum
Æde cæli conditor,
Et fabrili grandiorem
Tentat artem primitus,
Moxque pœnis aptus ipſe
Sponte ſeſe devovet.
Mille cæſus hinc flagellis,
Millæ tunſus ictibus,
Felle potus ac aceto,
Sente cinctus tempora,
Trans manus pedeſque fixus
Pro reis inſons luit.
Ore Jeſu laus ab omni
Sit tibi, ſit gloria,
Qui miſertus ipſe nobis
Te dediſti victimam,
Qui Deus cum Patre vivis
Unus, & cum Spiritu. Amen.

Ad Laudes.

Chriſtus factus obediens.

CHriſtus perennis cùm Deus,
Æqualis eſſet & Patri,
Noſtræ ſalutis gratia

Homo Cruci ſe ſubdidit.
Quas non tulit calumnias,
Quos non procaces ſibilos?
Os ſputa, dexteræ genas,
Totum premunt opprobria.
Corpus flagellis tunditur,
Spinis riget cinctum caput:
Utramque figit hinc manum,
Utrumque clavus hinc pedem.
Imbutus hauſtu felleo
Divina clauſit lumina:
Summumque ducens ſpiritum
Conſummat unus omnia.
Incuſſa cuſpis mortui
Pectus recluſit intimum:
Hinc unda mixta ſanguine
Fudit ſalutis flumina.
Tibi Patrique gloria,
Sit Chriſte cum Paraclito,
Et noſtra Plagarum pio
Transfige ſenſu pectora. Amen.

Die 22. Septembris.

IN FESTO S. MAURITII,
& Sociorum Martyrum.

Ad Veſperas.

Cælum dignè tripudiat.

CÆlum triumphis perſonet,
Junctiſque terra gaudiis
Tot Martyrum victorias
Dignis coronet laudibus.
Armata Chriſti robore
Spernunt Tyrannum pectora;
Hinc munerum vis irrita,
Vis hinc minarum nil movet.
Ultro datis cervicibus
Currunt fluenta ſanguinis:
Sic victa vincit, & ſuo
Cohors triumphat funere.
O mira virtus militum!
O pugna cædis innocens!
Suſcepta ſponte vulnera
Palmas perennes inferunt.
Salvete Sancti Martyres
Dux Maurici cum cæteris,
Belli decus vos inclytum,
Gratæque Chriſto victimæ.
Veſtro rogatu poſcimus,
Culpis lavemur omnibus,
Agnoque juncti jugiter
Laudis canamus canticum.
Te ſempiterna Trinitas
Manens perennis unitas,
Virtus, honor, laus, gloria,
Decet per omne ſæculum. Amen.

Ad Matutinum.

Martyrum rector, diadema, ſplendor.

Habetur & pro Veſperis in Breviario Andegavenſi.

MArtyrum virtus validumque robur,
Palma victorum, decus & corona,
Chriſte Rex tanti memorum triumphi
Vocibus adſis.
Hæc dies ritu celebris perenni,
Militum cædes numeratis decoras,
Intulit cælo proprio rubentes
Sanguine palmas.
Bellico cultu generoſa turba,
Integrum celans fidei vigorem,
Arma geſtabat manibus, ſub imo
Pectore Chriſtum.
Crimen id cenſens jubet Imperator,
Thura vel pingues cumulent ad aras,
Vel cadant læſis animi rebelles
Hoſtia Divis.
Dant manus ultrò jugulumque cuncti,
Nec reſiſtendi ſubit ardor ullum:
Creditur teli, clypei, vel enſis
Degener uſus.
Sparſa jam complent pia membra campum;
Jam ſacri tingunt fluvios cruores:
Increpat tardum ferientis ictum
Turba ſuperſtes.
Laus Deo, virtus, honor, & poteſtas,
Quem poli ſummo ſolio ſedentem,
Martyrum cœtus poſitis adorat
Ritè coronis. Amen.

Ad Laudes.

O locum cultu venerando dignum.

Habetur item in Andegavenſi.

O Agaunenſis ſeges alma campi,
Quam ſecat diri gladius Tyranni,
Uberi ſed quam cumulo recondunt
Horrea cæli.
Ipſe torrentes Rhodanus cruentos
Alveo jungi ſtupet, ac rubeſcens
Purpuras Regum pretioſus alto
Deſpicit amne.
Una ſi tantum Superis refundit
Gaudium laurus, ſubeunte tanta
Meſſe palmarum coit in triumphos
Omnis Olympus.
Maurici Princeps ſociique cuncti,
Alba gens Agnum comitans ubique;
Noſtra fac Agni cruor innocentis
Crimina mundet.
Fac ut inferni laqueis recisis
Nos greges inter numeret ſuorum,
Quem Deum Sanctum Seraphim perenni
Voce ſalutant. Amen.

Die 11. Novembris.

IN FESTO S. MARTINI
Turonenſis Archiepiſcopi.

Ad Veſperas & Matutinum.

Rex Chriſte tu mirificas.

REx Chriſte, quot cælo faces
Sparſas micare cernimus,
Signis tot & virtutibus
Fulgere Martinum facis.
Jubentis ad vocem redit
Lumen, loquela, ſpiritus;
Pes liber, auris integra,
Mens ſana paſſim redditur.
Quæcunque te colit plaga,
Huic nota Martini fides:
Hinc laus tibi perenniter,
Nobis ſalus hinc provenit.
Ornant migrantis tranſitum
Cæli frequentes ordines:
Gaudent ſibi tam proſperum
Lucere mortales jubar.
Sit Trinitati gloria,
Martinus ut confeſſus eſt;
Par cujus in nobis parem
Fidem coronet charitas. Amen.

Ad Laudes.

Martine jam Conſul poli.

MArtine conſors Cælitum,
Noſtræque vindex Patriæ,
Audi rogantes nos tui
Partem gregis ſuperſtitem.
Te mundus omnis prædicat
Apoſtolis non imparem:
Nobis ſupremus effice
Placatus ut ſit arbiter.
Complexus olim ſtrictior
Quos vita Chriſto copulat,
Tuis Pater veſtigiis
Fac ut ſequaces hæreant.
Qua providebas ſingulis
Paſtor pius clementia,
Hanc tu Deo jam proximus
Impende cunctis largiùs.
Sit Trinitati gloria &c.

HYMNI FESTORUM PROPRIORUM Eccleſiæ S. Martini Turonenſis ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis.

Die 4. Julii.

IN FESTO TRANSLATIONIS S. Martini.

Item die 1. & 13. Decembris.

IN FESTIS TRANSLATIONIS Capitis & Reverſionis ejuſdem S. Martini.

Ad primas Veſperas.

Bellator armis inclytus.

De Sancto Martino Hymnos locales plures habetis, ait Radulphus propoſ. 10. ut non mireris ſequentes omnes in propria ipſius Eccleſia uſurpari. Hunc ipſum primum omnium idem Radulphus commemorat.

MArtinus arte bellica
Primis ſub annis inclytus,
Hinc Præſul illuſtris fide
Signis coruſcat plurimis.
Dum bruma ſævit acriùs,
Nudo lacernam dividis;
Mox Chriſtus ipſe tradita
Se parte tectum prædicat.
Quam fata lucem clauſerant,
Tribus fruendam reddidit;
Hinc jure primus omnium
Par dictus eſt Apoſtolis.
Orantis arte ſedola
Fallax ſepulcrum proditur,
Ruenſque pinus impetu
Flexo retrorſum concidit.
Fanum cremabat impium,
Cùm ſe ferentes longiùs
Ab æde flammarum globos
Imbris repreſſit copia.
Jacens puella ſit potis
Verbo moveri protinus,
Vigere nec morbum ſinit
Sacri liquoris unctio.
Pacem leproſo deprecans
Abſterſit ulcus ſordidum,
Carnemque mundans oſculo
Jordanis inſtar factus eſt.
Sic orbe toto cognitus
Miraculorum gloria
Poſſeſſor almi Spiritus
Nunc regnat in cæleſtibus.
Sit Trinitati gloria,
Martinus ut confeſſus eſt:
Par cujus in nobis parem
Fidem coronet charitas. Amen.

Guyet. Heortologia.

Die 12. Maji.

IN FESTO SUBVENTIONIS S. Martini.

Ad primas Veſperas.

Gaudium mundi Chriſte lux Sanctorum.

GAudio Sanctis pie Chriſte jugi
Te tuis cælo tribuens fruendum,
Quæ tibi ſupplex populus reponit
Suſcipe vota.
Dumque Martinum canimus, rogatu
Illius nobis veniam redona:
Confer & quorum juvat ad ſalutem
Commoda vitæ.
Da ſuum dignè celebrent clientes,
Moribus da ſic referant Patronum,
Ut pari cælo comites in ævum
Sorte fruantur.
Hoc tuo ſemper vigilans ovili
Paſtor, hoc curæ reliquum repende:
Ut tui ductu baculi ſuperna
Paſcua guſtet.
Teque dum civem ſibi jure poſcunt
Ordines cuncti Superum, viciſſim
Te ſuum noſter decus, ac aſylum
Sentiat orbis.
Noſtra te ſummum celebrant parente
Ora, te ſummo genitum parente:
Par ſit amborum tibi laus per omne
Spiritus ævum. Amen.

IN IISDEM FESTIS Translationis Corporis & Capitis, Reverſionis & Subventionis S. Martini.

Ad Matutinum.

Chriſte Rex noſter via, lux, ſaluſque.

CHriſte Rex noſter, via, lux, ſaluſque,
Qui piis dignam tribuis coronam,
Laude fac tantum Chorus hic Patronum
Efferat omni.
Tu pius mundi ſcelus omne purgas,
Solque tu verus tenebras repellis,
Luce dum ſparſa fidei coruſcat
Fulgor ubique.
Cæteros inter radiis micantem
Hiſce Martinum veneramur almum,
Hoc decus nobis regio profudit
Pannoniorum.
Qui ſacris nondum renovatus undis
Ore laudari Domini meretur,
Parte dum ſciſſa chlamydis rigentem
Veſtit egenum.
Signa quæ deinceps ope Præpotentis
Præſtitit toto celebratus orbe,
Nemo vel verſu valeat vel ore
Cuncta referre.
Noſtra te ſummum &c.

IN IISDEM FESTIS.

Ad Laudes.

Barbaram paci rabiem ſubegit.

BArbarum verbo Comitis furorem
Sedat, & pœnis redimit necandos;
Ipſe nec verbum quatiens iniquo
Verbere cæſus.
Sedulus verbi ſator ac Miniſter
Plurimos Chriſto populos lucratur:
Tot potens functis iterum recludit
Limina vitæ.
Languidis factus medicina, morbos
Arcet, inſanis reprimit furorem:
Solvitur mutus, redeunt precanti
Lumina cæco.
Victus abſcedit coluber doloſus;
Quique tentarat toties, nocendi
Irritas artes, valido repreſſus
Impete ſenſit.
Noſtra te ſummum &c.

IN IISDEM FESTIS.

Ad ſecundas Veſperas.

Martine Præſul optime.

MArtine Præſul optime,
Tui ſalus & ſpes gregis,
Fuſis precamur vocibus,
Nobis fer indulgentiam.
Ovile nos ſumus tuum,
Paſtore quod te quæſumus
E valle ductum ſæculi
Ad alta tolli paſcua.
Hic dum moramur anxia
Vitæ trahentes tempora,
Te protegente criminum
Nullis ruamus lapſibus.
Sit Trinitati gloria &c.

Die 11. Novembris.

IN FESTO TRANSITUS S. Martini.

Ad primas Veſperas.

In laude Martini Deus.

SOlemnis hymnus in Sion,
Hac te Deus decet die,
Qua cœpit inter Cælitum
Martinus adſcribi choros.
Sit laus tibi Rex gloriæ
Hunc qui tot ornas gratiis,
Ut orbe toto ſplendidus
Fulgore virtutum micet.
Verbi potens facundia,
Paſſimque ſignis editis,
Non perperam præ cæteris
Eſt gemma dictus Præſulum.
Quæ non præibat ordine
Diem ſalutis vindicem,
Hæc mole carnis liberum
Cæli reponit ſedibus.
Receptus Abrahæ ſinu
Dignus parente filius,
Hinc nos ſuum Paſtor gregem
Nunquam tueri deſinat.
Sit Trinitati &c.

Ad Matutinum.

REx Chriſte quot cælo faces, &c. *ut ſuprà in Proprio Turonenſi.*

Ad Laudes.

REx Chriſte Martini decus,
Decus manens idem tuum,
Da nos in illo debitum
Tibi decus rependere.
Quis non per hunc ſperet ſibi
Culpæ reſolvi vincula,
Quem tu decore gratiæ
Gemmam dediſti Præſulum?
Eo pauper hic, unis polum
Dives petit virtutibus;
Illique Cælitum chorus
Procedit omnis obviam.
Quæ ſigna vivus præſtitit,
Iiſdem micat poſt tranſitum;
Fit inde cunctis gaudii,
Fit & ſalutis copia.
Sit Trinitati &c.

Ad ſecundas Veſperas.

Martine par Apoſtolis.

Hunc Clichtoveus explanat.

MArtine par Apoſtolis,
Te nos colentes protege,
Qui vel mori, vel vivere,
Neutrum præoptas alteri.
Ut vivus olim ſac item
Virtute Præſules micent:
Auge greges Eccleſiæ:
Fraudes retunde dæmonum.
Qui morte functos excitas,
Mortem repelle criminum:
Qui veſte Chriſtum contegis,
Fac induamur gratia.
Quo tu repletus ordinem
Sacrumque ſtatum perficis,
Cleri memor ſequacibus
Hunc tu repone Spiritum.
Sit Trinitati &c.

In ſecundis Veſperis diei Octave ejuſdem Feſti.

Martine jam Conſul poli.

MArtine conſors Cælitum &c. *ut in Proprio Turonenſi.*

In Officio ejuſdem Sancti, quod fit feria tertia vel quinta cujuslibet hebdomada non impedita.

Ad Veſperas. Martine Præſul optime &c. *ut ſuprà.*
Ad Matutinum. Martinus arte bellica &c. *ut ſuprà.*
Ad Laudes. Fanum cremabat impium &c. *ut ſuprà.*

IN OFFICIO PARVO EJUSDEM S. Martini.

Ad Matutinum.

Martinus chlamydem pauperi dimidiavit.

MArtinus enſe chlamydem egeno partiit,
Mox Chriſtus, & me, fatus Angelos, ſacro
Nondum refectus amne ſic miles tegit:
O ſceptri honore militis dignam manum!

Ad

Ad Primam.

Trinitatis fidem confeſſus mox prædicavit.

UT Trinitatis unius ſummæ fidem
Martinus hauſit, fonte mox tinctus ſacro,
Ubique Chriſti prædicare gratiam,
Ubique cœpit ſigna virtutum edere.

Ad Tertiam.

Præſul hominibus datus eſt pro cuſtodia.

PRæſul ſupremi Numinis nutu, gregi
Martinus ore ſubminiſtrat pabula,
Docens, precanſve: ſubminiſtrat & manum,
Dum cuique egeno languidoque ſubvenit.

Ad Sextam.

Iſte vir inſignis Chriſto dum offert hoſtiam.

AStabat aris ritè Martinus litans,
Repentè eùm ſe flammeus fundens globus,
Viſus ſupremum circuire verticem:
Amor cremabat quippe pectus intimum.

Ad Nonam.

Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur.

MArtinus Abrahæ lætus excipitur ſinu,
Egenus auri dives at virtutibus
Tranſcendit aſtra, funus hinc curant Patris,
Hinc facta ſcribit grex pius ſuperſtitum.

Ad Veſperas.

Hic nullis nocuit, hic cunctis multùm profuit.

HUnc nemo ſenſit noxium, omnes utilem,
Unus placere Deo cui labor fuit,
Qui nec recuſat vivere, nec timet mori:
Hac ſorte quid non Angelis dicas parem?

Ad Completorium.

MArtine, quis non te beatum prædicet?
Cui dum ſupernas Cælitum ſedes petis,
It Angelorum cœtus omnis obviam,
Hymnoſque cunctus ordo Sanctorum canit,
O Paſtor alme ſis tui memor gregis,
Ut ſævientes arceas circum lupos,
Ut gratiarum largiaris copiam,
Præſciſque tandem ſorte cæli perfrui. Amen.

HYMNI PROPRII
Eccleſiæ Andegavenſis.

Die 13. Septembris.

IN FESTO S. MAURILII
Epiſcopi Andegavenſis & Confeſſoris.

Ad Veſperas.

TE poli cives pie Chriſte ſummis
Laudibus nuſquam celebrare ceſſant:
Te genu flexo veneratur altus
Orbis & imus.
Una nos & pars operum tuorum,
Pars in electam ſociata gentem,
Voce concordi paribuſque votis
Pangimus hymnum.
Qua die vinclis pius hicce Paſtor
Corporis liber, ſuperumque turmis
Guyet. Heortologia.
Junctus, æternæ ſubiit triumphans
Gaudia vitæ.
Qui potens verbo, manuumque ſignis,
Sæpè languentes recreavit artus:
Clauſerant & cui ſera fata lucis
Reddidit uſum.
Andium gentis columen decuſque
Maurili Jeſum precibus fatiga,
Nos ut inferni laqueis redemptos
Tollat ad aſtra.
Ore ſit Jeſu tibi laus ab omni
Qui Patri conſors, pariterque Sanctum
Spiritum fundens, Deus unus omne
Vivis in ævum. Amen.

Ad Matutinum.

Hymnum choris cæleſtibus.

CHoris ſupernis Cælitum
Se noſter adjungat chorus,
Novumque mixtis cantibus
Devotus hymnum perſonet.
Hac luce qua Maurilius,
Decore virtutum nitens,
Carnis ſolutus vinculis,
Æterna ſcandit gaudia.
Cujus ſacrata pignora
Noſtram decorant Patriam,
Almuſque cælo Spiritus
Coruſcat inter Angelos.
Qui dum viator extitit,
Nec fractus adverſantibus,
Nec proſperis elatior,
Ubique par ſtetit ſibi.
Summo Patri ſit gloria,
Summo ſit æqua Filio,
Summo ſit & Paraclito
In ſæculorum ſæcula. Amen.

Ad Laudes.

Urbs Andegava cælitus.

QUàm noſtra felix civitas,
Cui ſorte cæli prævia,
Sanctique nutu Spiritus
Præſul datur Maurilius!
Quis non parem prioribus
Apoſtolis hunc prædicet?
Quo morte functi quatuor
Jubente vivunt denuò.
His pluribuſque, ſingula
Quæ ſermo nullus explicet,
Signis probata Præſulis
Ubique fulget ſanctitas.
Te ſumme Chriſte ſupplices
Hujus rogatu poſcimus,
Ab imminente criminum
Nos eruas periculo.
Ut cùm ſupremus arbiter
In fine mundi veneris,
Nos cum Patrono nobili
Cæli corones præmiis.
Summo Patri &c.

Die 22. Septembris.

IN FESTO S. MAURITII
& ſociorum Martyrum.

Ad Veſperas & Matutinum.

Martyrum Rector, diadema, ſplendor.

MArtyrum virtus validumque robur &c. *ut in proprio Turonenſi.*

Ad Laudes.

O locum cultu venerando dignum.

O Agaunenſis ſeges alma campi &c. *ibidem.*

HYMNI PROPRII
Eccleſiæ Nannetenſis.

Die 24. Maji.

IN FESTO SS. DONATIANI
& Rogatiani Fratrum Martyrum.

Ad Veſperas & Laudes.

Exultet aula Cælica.

EXultet urbs Nannetica,
Dignìſque promat cantica,
Palmas duorum Martyrum,
Palmas ſuorum civium.
Uterque ſtirpis inclytæ
Illuſtre germen extitit:
Utrumque ſed Chriſti fides
Illuſtriorem reddidit.
Donatianus, qui minor
Ætate, fit prior fide:
Illique ſe major ſtatim
Rogatianus addidit.
Hunc dum lavacro fluminis,
Non eſt rigando qui juvet:
Ipſo miniſtro qui necat,
Baptiſma tingit ſanguinis.
O Martyrum par nobile,
Quem fonte vos fratres priùs
Hauſiſtis uno ſanguinem,
Hunc unus & fons excipit.
Sit Trinitati gloria,
Quæ dum coronat Martyres,
Nos Martyrum ſuffragiis
Ad ſumma ducat gaudia. Amen.

Ad Matutinum.

Fratres extracti carcere.

DUm ſævit in Chriſti gregem
Furens Tyrannus impius,
Fratrum tulit par nobile
Confeſſionis lauream.
Non horror atri carceris,
Caraſta non illos movet,
Nil verberum, nil lanceæ
Cruenta terrent vulnera.
Hoc reſtat ut ferrum caput
Secando palmam conferat:
Sic grata Chriſto factus eſt
Uterque frater victima.
Sit laus Deo, ſit gloria, &c. *ut ſuprà.*

HYMNI PROPRII
Eccleſiæ Maclovienſis.

Die 15. Novembris.

IN FESTO S. MACLOVII
Epiſcopi & Confeſſoris.

Ad Veſperas & Matutinum.

Iſte Confeſſor celebranda terris.

PRæſul hic inter ſuperos decorus
Laude virtutum meritiſque fulget,
Chriſte, quem nobis tua ſuſcitavit
Dextra Patronum.
Fluctibus tutus mediis quieſcit,
Geſtat & prunas nihil inde læſa
Veſte; ſic parent famulo potentis
Ignis & unda.
Dum fugit fines patrios, peroſus
Inſulæ pondus, benè fauſtus hoſpes,
Angelo noſtris duce qui monebat
Appulit oris.
Mox tribus ſignis manifeſta ſeſe
Sanctitas prodit, revocatur orco
Functus, in vitrum lapis, inque vinum
Tranſiit unda.
Acta ſanatur furiis puella:
Pervicax Princeps oculis repentè
Captus, ut primùm reſipit recepto
Lumine gaudet.
Sit decus Patri, Genitæque proli,
Et tibi compar utriuſque virtus
Spiritus ſemper Deus unus omni
Temporis ævo. Amen.

Ad Laudes.

Clauſit hic nubes ſterileſque fecit.

CLauſit hic nubes, vetuitque campos
Gentis infidæ ſata germinare:
Moxque converſæ miſerans benignos
Reddidit imbres.
Curat à morſu colubri puellam,
Lucis uſuram viduæ reponit:
Cujus & juſſu puer excitatur
Merſus ab unda.
Languidos ſanat, reſovet dolentes,
Dæmones pellit, docet ore, dextra,
Ipſe virtutum cumulata cunctis
Factus imago.
Plenus hinc annis, meritiſque dives,
Villicus tandem Domini fidelis,
Sorte Sanctorum fruiturus altas
Migrat in arces.
Qui tuum pridem ſumus en ovile,
Nos tuis paſtor precibus tuere,
Hincque poſt vitam pius ad ſuprema
Paſcua ducas.
Laudibus cives celebrent ſuperni,
Te Deus ſimplex pariterque Trine:
Supplices & nos veniam precamur
Parce redemptis. Amen.

HYMNI PROPRII
Eccleſiæ Rothomagenſis.

Die 23. Octobris.

IN FESTO S. ROMANI
Archiepiſcopi Rothomagenſis & Confeſſoris.

Ad Veſperas & Matutinum.

Exultet conjubilando.

LÆta cœtus noſter uno
Promat ore cantica,
Dum Patroni feſta tanti
Lux recurrit annua:
Cujus ortum miſſa Patri
Angeli vox nunciat.
Hic adeptus ſorte cœli
Dignitatem Præſulis,
Totus inſtar in ſalutem
Subditorum pervigil,
Spirituque plenus almo
Sæpè mira præſtitit.
Vim replentis cuncta latè
Fluminis compeſcuit:
Integrato vaſe ſalvum

Chriſma

Digitized by Google

Chriſma totum reddidit:
Quippe cujus mens ſuperno
Diffluebat balſamo.
Comprimebat corpus ultor
Factus in ſe durior:
Cui litanti viſa ſurſum
Prominere dextera,
Splendor ignis viſus altum
Circuire verticem.
Hunc ſequamur reprimentes
Carnis æſtus lubricæ,
Colligentes ſparſa cælo
Gratiarum balſama:
Donec ipſa largiatur
Dextera Chriſti gloriam.
Una Trino, ſumma ſummo
Conditori gloria,
Cujus extat ſempiterna
In ſuo laus Præſule:
Deque partem nos ovilis
Paſtor ad ſe pertrahat, Amen.

Ad Laudes.

O præclare miles Chriſti.

PRæſul alme, quem tot ornant
Gratiarum munera,
Quem Parenti naſciturum
Nunciavit Angelus,
Te precamur nos renaſci
Sorte præſta gratiæ.
Tanta cælo quem coronat
Jam beatum gloria,
Nos in hujus valle ſæcli
Dum moramur exules,
Tu juvando redde tutos
A periclis omnibus.
Noſter ipſe Paſtor olim,
Nos ſuperſtes pars gregis,
Invocamus te Patronum,
Tu clientes ſuſcipe,
Te ſuperno fac ovili
Uniamur perpetim.
Una Trino &c.

H Y M N I P R O P R I I
Eccleſiæ Rhemenſis.

Die 14. Decembris.

I N F E S T O S. N I C A S I I
Rhemenſis Archiepiſcopi, & ſociorum
Martyrum.

Ad Veſperas.

Plebs gaudeat fidelium.

PLebs gaudeat fidelium:
Dies recurrit annua,
Quæ Martyrem Nicaſium
Cæli locavit ſedibus.
Rhemis ſedens hic Pontifex,
Fulgore virtutum palam,
Signiſque toti Galliæ
Præluxit inſtar ſideris.
Dum ſævit in Chriſti gregem,
Sternitque cuncta barbarus,
Cæſus ſuo Præſul pius
Templum cruore purpurat.
Virgo ſoror fratris comes,
Multique pro Chriſti fide,
Ultro datis cervicibus
Pares coronas obtinent.
Sit Trinitati gloria,
Decus, poteſtas ac honor,
Guyet. Heortologia.

Quæ Martyrum ſuffragiis
Donet frui nos gloria. Amen.

Die 13. Januarii.

I N F E S T O S. R E M I G I I
Rhemenſis Archiepiſcopi & Confeſſoris.

Ad Veſperas.

Remigius Præſul meritis ortuque venuſtus.

REmigius Præſul virtutum laude coruſcans
Francorum gentem primus dedit eſſe fidelem.
Ipſe potens largitur opem miſeriſque medetur:
Quin etiam cælo deducit chriſma ſacratum.
Nunc quoque ſubveniat facilis, nobiſque miniſtret,
Limina quo cæli tandem mereamur adire.
Gloria ſumma Patri, compar ſit gloria Nato,
Par & Spiritui Sancto per ſæcula cuncta. Amen.

Die 11. Maji.

I N F E S T O S A N C T A R U M
Mariæ Jacobi & Salomes.

Ad Veſperas.

Hodierna feſtivitas.

PAr fœminarum nobile
Solemnis hæc refert dies,
Quæ ſe dedere ſtrenuas
Matri ſodales Virgini.
Ambæ ſimul cum tertia
Quæ Lazari ſoror fuit,
Ut ungerent Jeſum, piis
Votis diem præoccupant.
Brev. Carnutenſe inſertos habet hos duos verſus;
Fruſtra ſed inter mortuos
Quærunt profuſis lacrymis,
Qui morte ſurgens obruta
Jam vita vivit omnium.
O omnibus præ fœminis
Tres ſorte dignæ maxima,
Veſtro rogatu poſcimus
Jeſu frui conſpectibus.
Jeſu tibi ſit gloria,
Qui morte mortem conteris,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

I T E M I N E O D E M F E S T O:

Ad Veſperas.

Gratulentur Eccleſiæ.

Breviarium Carnutenſe.

GRatum diem ſol exerit,
Quo valle ductæ ſæculi
Almæ Sionis Filiæ
Æterna capiant gaudia.
Chriſto propinquæ ſanguine
Propinquiores at fide,
Vivum ſecutæ, mortuo
Piis parentant uſibus.
Quas vivus ipſe traxerat
Odore virtutum ſacro,
Verſa parant illæ vice
Fragrans ſepulto balſamum.
O mira ſors, ô gaudium!
Cui ſic ſtudebant mortuo,
Fit vivus illis obviam,
Manuque ſe tangi ſinit.
Nunc quanta cælo plenius

Conſummat illas Charitas,
Totis ubi te vultibus
Jeſu fruendum commodas.
Uni Deo ſit gloria,
Quem ſexus omnis prædicat,
Dignoſque nos præſtet ſibi
Laudes perennes reddere. Amen.

HYMNI PROPRII ECCLESIÆ NIVERNENSIS.

Die 16. Junii.

IN FESTO SS. CYRICI
infantis, & Julitæ matris ejus, Martyrum.

Ad Veſperas.

Omnes terrarum incolæ.

QUacunque terrarum fides
Nomenque Chriſti ſpargitur,
Hunc lætus orbis carmine
Plauſuque natalem ſonet,
Julita Martyr inclyta,
Parens & ipſa Martyris,
In hac die palmæ decus
Conſorte cepit filio.
Hæc ſtirpe clara nobili,
Sed prole ſancta clarior,
Quem lacte paſcebat, ſimul
Stillabat infanti fidem.
Annon Tyranne vel feris
Pectus tibi ſtat durius,
Qui ſic cruento vulnere
Cum matre prolem conficis?
O Martyr infans Cyrice,
Cæleſtis aulæ particeps,
Tuam per innocentiam,
Fac nos mereri gratiam.
Julita tu tanti quoque
Mater, comeſque Martyris,
Aſcripta Sanctorum choris
Orando nobis ſubveni.
Te Nate, te Nati Parens,
Ambos precamur ſupplices,
Perennibus nos præmiis
Præſtate vobiſcum frui.
Sit laus Patri, ſit Filio,
Sancto ſit & Paraclito,
Æterna, parque ſit tribus,
Sit una ſemper gloria. Amen.

Ad Matutinum.

Audi Redemptor ſæculi.

AUdi Redemptor, quas tibi
Laudes preceſque fundimus,
Cùm lux duorum Martyrum
Palmis decora panditur.
Novum genus certaminis:
Hinc ſtat Tyrannus impius,
Imbellis inde fœmina
Infanſque prodit tremulus.
His arma ſunt Chriſti fides,
Cordique fixa charitas;
Illis minæ, nervi, faces,
Pix, ſtrictus enſis in necem.
O mira ſors victoriæ!
Mater, puerque mollior
Cadendo vincunt, & ſuo
Palmas metunt in ſanguine.
Sic Chriſte glorioſiùs
Stratis triumphas hoſtibus,
Dum per puſilla fortium
Vires ſuperbas conteris.
Tibi, Patrique gloria,
Sancto ſimul Paraclito,
Utrique qui compar Deus
Per cuncta vivis ſæcula. Amen.

Ad Laudes.

O Rex Sanctorum gloria.

REx Chriſte virtus Martyrum,
Cui ſexus omnis militat,
Par cujus infantilis eſt
Ætas tuendo nomini.
Te fortiorem quis putet,
Dum magna magnus efficis,
Infirma vel dum muniens
Fis major in minoribus?
Quæ penſa tractabat manus,
Et quam premebant faſciæ,
Tuo potens ex robore
Victrix triumphat utraque.
Sic erudita vincere
Julita, quis te fœminam?
Quis te puellum nominet
Major tyranno Cyrice?
O Martyrum par nobile,
Per veſtra nos certamina,
Per duplicis palmæ decus,
Semper tueri pergite.
Jeſu tibi ſit gloria,
Qui per triumphos Martyrum,
Ubique fortis & potens
Per cuncta regnas ſæcula. Amen.

Sequentes Hymnos addimus non ex vitioſis emendatos, ſed recenti arte; Illuſtriſſimorum Antiſtitum, qui ſingulis hiſce Eccleſiis poſterioribus annis præerant authoritate, noſtraque ipſius opera fabricatos: ſuppeditatis ad id Sanctorum propriorum Actis, quæ pro veris ac legitimis vetus cujuſque Eccleſiæ traditio ſemper habuit. Si quibus fortè aliis non ingrata videbitur noſtra hæc opera, labor non erit parem ipſis pro opportunitate impendere.

HYMNI FESTORUM PROPRIORUM
Eccleſiæ Coriſopitenſis.

Die 12. Decembris.

IN FESTO S. CORENTINI
Cornubienſium Epiſcopi & Patroni.

Ad Veſperas.

PAnge ſolemnes pia turba cantus,
Hac die cunctis tibi ſanctiori,
Quæ Corentinum cumulata palmis
Vexit ad aſtra.
Cujus in ſignis renovata virga
Fertur Hebrææ ſimilis poteſtas:
Preſſa dum tellus baculo ſcatentes
Protulit undas.
Carne dum piſcis redit integrata,
In cibum ſeſe toties daturus:
Æqua lex ſtrictæ quoties ſuadet
Prandia menſæ.
Quis dapes parcas, vigileſque noctes,
Quis gregis curam valeat referre?
Inclytam gemmis ubi ſacra preſſit
Inſula frontem.
Cælitum conſors patriæque vindex
Præſul, ò noſtræ decus omne gentis,
Nunc tuis læſi precibus ſerena
Numinis iras.
Deſinat nunquam chorus hic Parentis,
Deſinat nunquam Geniti coævi,
Spiritus nunquam reſonare laudes
Deſinat almi. Amen.

Ad

Ad Matutinum.

ÆTernum ſuperis ſedibus exiens
Verbum quod genuit Conditor omnium,
Signis inoumeris mirificam manum
Summus prodidit Artifex.
Nam qui de tenui ſemine, quod ſuo
Commiſſum gremio terra fovet parens,
Immenſam ſegetem tempore congruo
Humanis creat uſibus:
Ut ſe corporeis induit artubus,
Turbam piſciculis pavit & hordeo:
Nam quid ooo potis eſt ubere præ ſolo
Summi dextera Numinis?
Hoc ſi præſtiterit Pontificis fides,
Cui ſe perpetuum fertilis io cibum
Siſtit piſciculus, ſufficiens quoque
Menſam paſcere regiam:
Non eſt inſolitum quod ſtupeas magis
Admirans facinus, quàm meritum viri;
Quod per ſe potuit Chriſtus, id in ſuo
Quid non diſcipulo poteſt?
Trino ſit Domino laus pia jugiter,
Qui fidos famulos mirificans ſolo,
Æterno recreat lumine poſtmodum
Sanctos glorificans polo. Amen.

Ad Laudes.

REx Chriſte ſplendor Præſulum,
Gregi tuo quos præficis;
Attende quod dat canticum,
Feſtiva lux Antiſtitis.
Quem tu ſalutis chriſmate
Unctum, tueris dextera:
Hinc hoſtis uſquam callidi
Maligna nil fraus obfuit.
Tuo vocatus munere,
Ovile paſtor providus,
Horrenſque mercenarium
Sacris refecit paſcuis.
Sic omoe per laudum genus
Vitæ trahentem tempora,
Multiſque ſignis nobilem,
Perennis excepit quies.
Te nunc gregis Paſtor vigil,
Te vota poſcunt civium,
Nos pace donatos, poli
Ad regna tecum ſubleva.
Jeſu tibi ſit gloria,
Supreme paſtor omnium,
Oves redemptas qui tuo
Foves, aliſque ſanguine. Amen.

IN FESTO EFFUSIONIS Sanguinis ex Imagine Crucifixi.

Quod feſtum celebratur in prædicta Eccleſia, feria quarta poſt Dominicam Sexageſimæ in memoriam inſignis miraculi, quando, ex Imagine Crucifixi, in perjurii deteſtationem, tres guttæ ſanguinis profluxerunt.

Ad Veſperas.

Sunt hi tres Hymni Rhythmici ad imitationem Hymnorum de Officio Corporis Chriſti.

PAnge lingua pretioſi
Sanguinis diluvium,
Quo mortales maculoſi
Terſa labe ſordium,
Dealbantur ſpecioſi
Oculis Cæleſtium.
Fonte priùs emanavit
Virginalis uteri,
Inde rivum dilatavit
Lacte creſcens uberi,
Donec plenus inundavit
Noſtro torrens generi.
Prima cultri vix naſcentem
Amnem plaga ſolverat,
Gutta fluxit, hinc latentem
Intus vena foverat,
Unde major erumpentem
Amor coercuerat.
Mox ut plena pleniorem
Ætas dedit gurgitem,
Rimam quærit latiorem,
Nullum paſſa limitem,
Unde fundens ſacrum rorem
Mundum facit ſoſpitem.
O vos omnes ſitientes
Huc ad aquas currite:
Hinc haurite ſalientes
Recto ſurſum tramite;
Fontes patent effluentes,
Stilla nec ſuperſtite.
Summo Patri, ſummo Nato,
Summa laus & gloria,
Ab utroque par ſpirato
Poteſtas, par gratia,
Cui concentu ſociato
Benedicant omnia. Amen.

Ad Matutinum.

SActis myſteriis plena ſunt omnia,
Nec vaticiniis uſquam inania,
Quæ vetus tabula ſæcla per prævia
Sacra refert oracula.
Adam viraginem ut fudit dormiens,
Sic Chriſtus Virginem in Cruce moriens
Format Eccleſiam, hinc proles exiens
Arenæ vincit copiam.
Inundans obruit vis terram fluminis,
Iram cùm meruit facinus hominis:
O Dei bonitas, copia ſanguinis
Noxas terſit inolitas!
Quid tot legitima tradita Patribus,
Quid ſacris azyma comeſta ritibus,
Quid ſparſa nimiis ara cruoribus
Signis denotat præviis?
Hæc ſi quod pretium pietas habuit,
Crucis diluvium hoc illi profuit:
Figuræ deſinant, umbra jam vanuit,
Nos veræ res illuminant.
Trino ſit Domino laus pia jugiter,
Qui ſine termino beat perenniter,
Quos labe criminis lavit ſalubriter
Sacri flumine ſanguinis. Amen.

Ad Laudes.

VErbum ſupernum prodiens,
Æterno Patris ſemine,
Mortale corpus induens
Intacto Matris germine.
Ut auras ſubit luminis,
Sui jam deſiderio
Fundendi preſſus ſanguinis
Legis paret imperio.
Amoris tum fortiſſimi
Scintilla traxit guttulam,
Dum flamma perfectiſſimi
Totam hauriret ſcatebram.
Mox ut aperta fontium
Laxavit retinacula,
Hoc perenne diluvium
Cuncta inundavit ſæcula.
O amor, ò immenſitas,
Tu noſtras ſordes ablue;
O fontis urens largitas,

Tu nos

Tu nos mundatos imbue,
Uni Deo ſit gloria
Patri, Nato, cum Flamine,
Qui beandos in patria,
Cæleſti lavat flumine. Amen.

HYMNI FESTORUM PROPRIORUM Eccleſiæ Trecorenſis.

Die 30. Novembris.

IN FESTO S. TUGDUALI, ſeu Tugali Trecorenſium Epiſcopi & Patroni.

Ad Veſperas.

QUalis exultat nova nupta ſponſi
Dotibus dives, thalamique conſors;
Noſter haud impar Tugali triumphet
Cœtus honore.
Regium quamvis genus hac Britannum
Prole ſe jactet, teneraque luce,
Sole gens tanto radiata fulget
Armoricorum.
Cujus adventu tenebris fugatis,
Purius lumen fidei coruſcat,
Et novo ſanctis pietas calore
Mentibus ardet.
Cælitum conſors, patriæque vindex
Præſul, ô noſtræ decus omne gentis,
Noſtra te ſummi duce vota tendant
Regis ad aures.
Gloriam Patris reſonemus almi,
Gloriam Nati nihilo minoris,
Te parem cultu faciamus omni
Spiritus ævo. Amen.

Ad Matutinum.

SOlemnem Tugalo præveniat diem
Noſter Cælituum cantibus additus,
Ac ſummo properet ſedula vox Deo
Laudes ſolvere debitas.
Hic noctes ſolitus ducere pervigil,
Et luces precibus texere perpetim,
Victor nequitias auſpice Numine
Tetri reppulit aſpidis.
Hic nos inſidiis undique Tartari
Obſeſſos, ſtudio dum ferimur pio,
Adjutor facilis protegat, & leves
Senſus colligat in Deum.
Sic unum liceat perpetuis Patrem,
Sic Patris Genitum laudibus unicum,
Amborum liceat ſic ſine termino
Unum tollere Spiritum. Amen.

Ad Laudes.

REx Chriſte ſplendor Præſulum &c. *ut ſuprà pro S. Carentino.*

Die 19. Maji.

IN FESTO S. IVONIS Presbyteri & Confeſſoris.

Ad Veſperas.

PAlmitis quantum decus extat, uva
Cùm rubet plenis populoſa granis;
Laude virtutum meritiſque tantus
Ivo coruſcat.
Cujus in pectus pietatis ardor
Sponte ſe fundens, niveam juventam
Imbuit præceps, teneriſque ſenſim
Crevit ab annis.
Hinc dapis parcum, laticiſque corpus
Comprimens duro domuit cubili,
Hinc & inſomnes didicit precando
Ducere noctes.
Quis cibo, lana, lare quis refectos
Vel greges totos inopum retexat?
Atte vel linguæ laqueis redemptos
Litis iniquæ?
Pauperum Tutor, Pater orphanorum,
Ivo, jam cæli requie potitus,
Fac tuis læſi precibus reſidant
Numinis iræ.
Laus Patri ſummo, Genitoque compar,
Æqua ſit virtus, tibi par utrique
Spiritus, regnans Deus unus omni
Temporis ævo. Amen.

Ad Matutinum.

QUæ non Chriſte Deus cantica te decent?
Ivoni celebris cùm rutilat dies:
Cujus perpetuum moribus inclytis
Laudis perſonuit melos.
Dum ſpectat miſeros luminibus piis:
Dum pronis querulos auribus excipit;
It cælo facilis vultus hic omnibus
Longè gratior hoſtiis.
Dum turbis inopum porrigit obvius,
Quam fœtam meritis tollat ad æthera:
Fumanti manus hæc thure ſuavior
Aris Cælituum fragrat.
Orbam præſidio dum viduam fovens,
Pupillive tuens jura, forum colit:
Nunquam vel gravior, vel numeroſior,
Sermo ſidera perculit.
O quis ſufficiat dicere quas amor
Imis viſceribus ſuggereret faces!
Cùm ſic vox, oculi, dextraque jugiter,
Sic aures Domino litant.
Sic ſanctam Triadem perpetuis pio
Certemus ſtudio tollere laudibus,
Ut præſtet ſuperis ſedibus additos
Ivoni comites dari. Amen.

Ad Laudes.

AMicus Ivo pauperum,
Dum ſe ſuaſque largiùs
Opes egenis immolat,
Artem lucratur artium.
Præbente panem dextera,
Fundus fidelis excipit,
Quæ meſſe poſthac uberi
Cælo refundat ſemina.
Mendicus infuſam ſinu
Arcam recondit tutiùs,
Et ſedulus centuplici
Mercator auget fœnore.
Lares patentes advenæ
Cæli recludunt oſtium,
Crebroque menſa paupere
Stipata Chriſtum ſuſcipit,
Qui luce veſtit æthera,
Terramque ditat floribus;
Hic artubus nudis dato
Jactat tegi ſe vellere.
Ivonis artem, quæſumus,
Hanc Chriſte tu nos edoce,
Qui te tuis in parvulis
Ali jubes & ſuſcipi. Amen.

HYMNI

HYMNI PROPRII
Eccleſiæ Dolenſis.

Die 28. Julii.

IN FESTO S. SAMSONIS
Dolenſis Archiepiſcopi & Confeſſoris.

Ad Veſperas.

ALter en cælo radiat, prioris
Qui Philiſtæas acies fugavit
Nominis conſors animique major
Robore Samſo.
Quem ſuum duplex ſibi gens Britannum
Vindicans, civem Minor hæc ab ortu,
Incolam Major, fidei Magiſtrum
Utraque jactat.
Quantus hinc orbi gemino viciſſim
Sol micat, tantus ſacer hicce plebem
Luce virtutum meritiſque complet
Præſul utramque.
Hæſit hic tandem ſtatione fixa,
Donec ad metam veniens laborum,
Functus æternam meruit beato
Fine quietem.
Cælitum conſors patriæque vindex
Samſo, tu noſter propior Patronus,
Obtine nobis, propè ſemper adſit
Gratia Chriſti.
Laus Patri ſummo, Genitoque compar,
Æqua ſit virtus tibi par utrique
Spiritus, regnans Deus unus omni
Temporis ævo. Amen.

Die 23. Aprilis.

IN FESTO S. REGULI
Sylvanectenſis Epiſcopi & Confeſſoris.

Ad Veſperas.

REguli nomen celebra decorum
Sylvanectenſis Patre digna tanto,
Digna poſtremis cumulare primos
Ora labores.
Sorte præcurrens Arelas, revulſis
Sentibus ſeſe dedit excolendam:
Inde mox ortis ſtupuit referta
Frugibus arva.
Impari nec te ſacer hic arator
Extulit cultu, tuus ut favente
Appulit cælo, propiore ſactus
Jure colonus.
Horridam dumis tibi finge ſylvam;
Talis errorum ſtatus implicatæ
Vepribus, cùm te ſecuit vibrata
Falce ſalutis.
Jam choris junctus Superum, precamur,
Laude dum jugi cumulas triumphos,
Sis memor noſtri, facilemque redde
Regule Chriſtum.
Laus Deo, virtus, honor, & poteſtas
Una ſit Patri, Genitoque ſemper,
Par ſit amborum tibi nexus omni
Spiritus ævo. Amen.

Ad Matutinum.

HOrtus deliriis undique profluus,
Cujus plena Deo deſpicit omnia,
Nec ſic cuncta minùs poſſidet & poteſt
Cælo mens domus amplior.
Talis Pontificis mens eras inclyti,
Feſtivo recolis plebs pia quem die,
Conceſſum fidei quem tibi cælitus
Jactas præcipuum Ducem.
Quot terras peragrat, quot freta trajicit
Cunctis rebus inops, divitiæ Deus
Unæ cui remanent, quas populis palam
Mercator pius eroget?
Verbis nec deerat ſignipotens manus,
Qua quem deficiunt lumina, quem pedes,
Auditusve, dolor vel premit anxius,
Liber protinùs exilit.
His ſuffulta fides priminis ſtatim
Alto pectoribus germine conſtitit:
Hac nos ſtirpe ſati nunc tibi debitas
Grates Regule pendimus.
Te laus ſumme Pater, gloria, te decus,
Æqualiſque Patri te manet Unice,
Amborum quoque te Spiritus imperans
Nunc & ſæcla per omnia. Amen.

Ad Laudes.

PAſtoris almo nomine
Jeſu teipſum nuncupans,
Oves redemptas qui tuo
Alis foveſque ſanguine:
En nos tui partem gregis
Feſtiva Paſtoris dies,
Quantum vel id ſit muneris
Recogitare provocat.
Errante paſſu devios
Ovile quod nos colligat,
Quod è luporum faucibus
Spirare jam raptos juvet:
Quod fonte purgatos ſacro,
Cælique pingues paſcuis,
Non fœda labes inquinet
Non dira nos fames premat.
Hoc Chriſte munus eſt tuum,
Tuuſque non minùs labor,
O te ſalutis quem Ducem
Nunc invocamus Regule.
Tibi Redemptor omnium,
Paſtorque Jeſu maxime,
Cum Patre, cum Paraclito
Æterna laus & gloria. Amen.

Die 20. Auguſti.

IN FESTO S. BERNARDI
Abbatis.

Ad Veſperas.

LActe quondam profluentes
Ite montes vos procul;
Ite colles fuſa quondam
Unde mellis flumina;
Iſrael jactare latè
Manna priſcum deſine.
Ecce cujus corde ſudant,
Cujus ore profluunt,
Dulciores lacte fontes,
Mellis amnes æmuli;
Ore tanto, corde tanto
Manna nullum dulcius.
Quæris, unde duxit ortum
Tanta lactis copia?
Unde favus, unde prompta
Tanta mellis ſuavitas?
Unde tantum manna fluxit?
Unde tot dulcedines?
Lactis imbres mamma fudit
Virginis puerperæ;
Mellis amnes os leonis
Excitavit mortui;
Manna ſilvæ, cælitumque
Solitudo proxima.

Doctor

Doctor ò Bernarde tantis
  Aucte cæli dotibus,
  Lactis hujus, mellis hujus,
  Funde rores deſuper:
  Funde ſtillas, pleniore
  Jam potius gurgite.
Summa ſummo laus Parenti,
  Summa laus & Filio,
  Par tibi ſit Sancte manans
  Ex utroque Spiritus,
  Ut fuit, nunc & per ævum
  Compar ſemper gloria. Amen.

Ad Matutinum.

MYrrhæ faſciculus Sponſus amabilis,
  Vernans perpetuum, perpetuum fragrans,
Stat Sponſæ medio conſpicuus ſinu,
    Sponſæ delitium ſacræ.
Hæc Bernarde tibi ſors bona contigit
Primis à ſtudiis; dum pius aſperis
Sertum ſuaveolens, auſpice Spiritu,
    Diſcis texere floribus.
Diſcis ſanguineo nectere ſtipiti
Conſperiam gemino flumine lanceam;
Erectamque ſuper diſcis arundine
    Acrem nectere ſpongiam.
Hæc circum, arma, faces, ſcalaque prominens,
Geſtatuſque manu juncus inertie
Sceptrum, multiplici ſtant propè funium
    Circumplexa volumine.
Hinc appenſa Cruci ſpina rigens nitet,
Hinc virgæ vario ſtemmate lividam
Pilam circumeunt, malleus, ac triplex
    Clavus, forcipe proximo.
Non ſic mixta roſis lilia, non frequens
Intextus violis flos hyacinthinus;
Hoc Bernarde tuis ſertum ut amabile
    Appreſſum uberibus fragrat.
Jeſu ſit tibi laus, Virgine qui ſatus
Ceu flos ſtirpe ſalis, ex Patre prodiens
Æternùm genitus, jugiter & parem
    Spirans cum Patre Spiritum. Amen.

Ad Laudes.

VOcibus paſſim reſonate lætis,
  Montium ſacras juga docta laudes:
Ligna ſilvarum, nemoſumque frondes
    Plaudite dextris.
Ecce lux vobis oritur, benignum
Advehens ſydus, meliorque veſtris
Annuit votis novus orbe licto
    Incola cæli,
Si tamen cæli novus inquilinus;
Mente qui totus ſuper aſtra verſans,
Per choros pridem Superum ire novit
    Atque redire.
Novit occultos peragrare celſi
Numinis calles, penituſque Chriſto
Immorans vixit, propè tactus ipſe
    Corporis exors.
Fac tui docti Pater inſtitutis,
Te viæ quotquot ſequimur Magiſtrum,
Cælitum tandem Duce te fruamur
    Sorte perenni.
Laus Deo, virtus, honor & poteſtas
Una ſit Patri Genitæque proli,
Par ſit amborum tibi nexus omni
    Spiritus ævo. Amen.

Die 4. Novembris.

IN FESTO S. CAROLI
Mediolan. Archiepiſcopi & Confeſſoris.

Ad Veſperas.

PAnge ſolemnes Carolo triumphos
  Italæ gentis decus, erudita
Plebs, & illius meliore digna
    Parte laborum.
Dic uti ſuſus pietatis ardor
Imbuit præceps niveam juventam,
Utque præluſit puer indicando
    Grandia parvis.
Præſul ut factus ſua, ſeque totum
Totus impendit gregis in ſalutem,
Forma virtutum ſtimuluſque cunctis
    Ore manuque.
Firmus ut contra ſtetit, & malignos
Irrito fregit ferientis ictu:
Fregit & morbum prece ſævientem
    Nil ſibi parcens.
Cælitum conſors, patriæque vindex,
Fer opem nobis, precibuſque tandem
Fac tuis fretos pariter beata
    Sorte potiri.
Laus Deo, virtus, honor & poteſtas
Æqua ſit Patri Genitoque ſemper;
Quique non impar fluis ex utroque
    Par tibi cedat. Amen.

Ad Matutinum.

PRiſcis haud minor eſt poſtera ſæculis,
  Ætas, quæ Carolum numine proſpero,
Sidus purpurei protulit ordinis,
    Et par Ambroſio decus.
Quid nati radians ſplendor in ædibus?
Quid ſtructæ pueri luſibus arulæ?
Olim conſpicuos quid niſi prævio
    Mores omine denotant?
O quis ſufficiat dicere, grandior
Hæc ut ſe pietas protinus extulit,
Currentem ſtimulis preſſit ubi nuvis
    Vertex additus infulæ?
Volvens mente Deum, mente fovens gregem,
Illi perpetuam ſe dicat hoſtiam;
Hujus ſe ſtudiis Præſul amabilis
    Totum jugiter immolat.
O te jam Superum cœtibus additum,
Te quotquot labiis ſupplicibus petunt,
Oramus pariter fac tibi gloriæ
    Æternùm ſocios dari.
Virtus, laus & honor perpetuo Patri,
Æqualis tibi ſit gloria Filio,
Amborumque tibi Spiritus unice
    Par ſit ſæcla per omnia. Amen.

Ad Laudes.

ANnon micantis æmula
  Solis refulget Charitas?
  Non flamma, non illi deeſt
  Vis influendi jugiter.
Natale cujus promitur,
  Te Præſul in teſtem voco:
  Quot intus accendit faces
  Intenta mens cæleſtibus?
Intenta proximo manus
  Quot larga fovit languidos?
  Quot erogatis ſumptibus
  Turbis egenum profuit?
Quot lingua ſtravit impios?
  Quot addidit vires probis?
  Sic omnibus fis omnia,

Totus.

Digitized by Google

Totus Dei, nihil tibi.
Factus Deo jam proximus
Tuis Patrone ſubveni,
Tecumque functos ſæculo
Ad regna cæli ſubleva.
Honor, poteſtas, gloria,
Deo Patri cum Filio,
Sancto ſimul Paraclito
Et nunc ſit & perenniter. Amen.

In pleriſque Eccleſiis feria ſexta poſt Dominicam Paſſionis celebratur feſtum Compaſſionis B. Virginis, ſeu, ut vocant, B. Mariæ Pietatis: cujus tres ſunt Hymni proprii.

Ad Veſperas. Lacrymæ matris profluunt.
Ad Matutinum. Mentes pungant fidelium.
Ad Laudes. Condolentes mœroribus.

Hos non planè verbatim, ſed ad ſenſum proximè emendatos accipe.

Ad Veſperas.

CAſtæ Parentis lacrymæ
Laxis inundant fontibus,
Dum cernit affixum Cruci
Sublime corpus Filii.
Quem fœta cæli munere
Alvo puella geſſerat,
Quem nixa Sole purior
Caſto liquore paverat:
Hunc ſæva tortorum manus,
Per omne tormenti genus
Dira probatum compulit
In fronde vitam ponere.
Immane ſendens verberum
Fragor ferit cor Virginis:
Prolem quot ictus vulnerant,
Pectus Parentis dividunt.
Impleta ſunt quæ dixerat
Senex futuri præſcius,
Dum ſic Mariæ viſcera
Culter doloris transfodit.
O vos quibus ſtat intimo
Senſus ſuperſtes pectori,
Ad hunc dolorem ſiſtite,
Hoc omnis alter eſt minor.
Æternus hoc donet Pater,
Redemit ut quos Filius,
Planctus Mariæ Virginis
Ad ſumma ducat gaudia. Amen.

Ad Matutinum.

STabat ſolutis lacrymis
Dilecta Mater Filio,
Cùm cæderetur innocens
Amor Parentis Filius.
Heu quantus erupit dolor!
Cùm veſte nudos textili
Artus vibrata lacteos
Strinxere nervo verbera.
Cùm Regis inclyti caput
Horrente ſpina fronduit,
Orbiſque geſſit artifex
Inane ſceptrum dextera.
Arctis ligatum nexibus
Ut vidit ad necem trahi,
Manante ſparſa ſanguine
Sequentes premit veſtigia.
Clavis ſorantur ferreis
Ambo pedes, ambæ manus:
Quanto fragore malleus
Pervaſit aures Virginis!
Quis eſt homo tam ferreus,
Quem non dolor tantus premat?
Cùm ſtante Matre Filius
Crucem cruore purpurat.
Te ſumme Jeſu poſcimus,
Sicut tuus mundat cruor,
Sic noſtra fac præcordia
Dolor Mariæ molliat. Amen.

Ad Laudes.

JUxta Crucem ſtans anxia
Orbata Mater Filio,
Extincta lugens gaudia,
Laxis vacabat planctibus,
Cùm mucro diræ lanceæ
Latus per imum tranſmeans,
Mixtos cruore protinus
Laxavit undæ rivulos.
Quæ non dolebat mortuo,
Hanc viva ſenſit cuſpidem:
O quanta moles fluctuum
Merſum malis cor opprimit!
Mox ut refixum conſpicit
Corpus cruentum filii,
Omnis dolor recruduit,
Mentemque preſſit acriùs.
Quæ lingua fari tot neces,
Quæ vox amaritudines,
Quis tot dolorum pondera
Sermone poſſet texere?
Jeſu tibi ſit gloria,
Qui noſtra purgas crimina,
Dum labis ipſe neſcius,
Te pro reis das hoſtiam. Amen.

Quoniam in pleriſque etiam Eccleſiis inſtitutum eſt tempore Paſchali feſtum Gaudiorum B. Virginis, ut Ambiani, Noviomi, & alibi, nec ullos veteres Hymnos proprios hujuſce Officii reperire licuit, en novos tres prioribus attexuimus.

IN FESTO GAUDIORUM
Beatæ Virginis.

Ad Veſperas.

ORbæ Parentis viſcera
Dolor premebat anxius,
Qualis tenet ſuperſtitem
Sponſo fideli turturem.
Immota firmat ſauciam
Nati reſurgentis fides:
Hæc una morti proximam
Scintilla vitam ſuſtinet.
O lux repleta gaudiis,
Matris levamen unicum,
Optata confer ocyùs,
Vivumque redde Filium.
Dum ſpe morantem prævenit,
Seramque languens increpat,
Repentè Solis aſtitit
Surgentis inclytum jubar.
Micantis illa ſuſcipit
Vibrata Nati lumina,
Terſiſque cernit labiis
Corpus decorum gloria.
Omnis decor tum Virginis
Pulſis redit doloribus,
Largoque vultus impetu
Totos amores explicat.
O quantus imis concitus
Exarſit ardor cordibus,
Poſtquam ſacris dedit novus
Amor frui complexibus!
Ut ſis perenne mentibus
Paſchale Jeſu gaudium,
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.

Deo

Deo Patri ſit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Ad Matutinum.

CHriſtum ſepulcro jam dies
Clauſum tenebat tertia,
Cùm morte ſurgens induit
Victor decorem gloriæ.
Stipante turba protinus
Matrem reviſit anxiam,
Terſiſque vultu lacrymis
Æterna confert gaudia.
O blanda prolis oſcula!
O matris amplexus ſacros!
Quàm prima latè tædia
Compenſat omne gaudium.
Omnis ſalutat Virginem
Cohors redempta tartaro,
Unaque Matri ac vindici
Grates rependit debitas.
Ut ſis perenne mentibus &c.
Deo Patri ſit gloria &c. *ut ſuprà.*

Ad Laudes.

AUrora cælum purpurat,
Æter reſultat laudibus,
Mundus triumphans jubilat,
Horrens Avernus infremit.
Rex ille dum fortiſſimus,
Parentis afflictæ memor,
Sinus amoris explicans,
Seſe fruendum præbuit.
Quem copioſis imbribus
Lugebat antè mortuum,
Victor triumphat, & ſuo
Mortem ſepulcro funerat.
Sat funeri, ſat lacrymis,
Sat eſt datum doloribus:
Abſorpta Virgo pleniùs
Nati potire gaudiis.
Ut ſis perenne mentibus &c.
Deo Patri &c. *ut ſuprà.*

Superiores Hymni jam à me ſcripti fuerant cùm ſequentes occurrere, acuti prorſus ac elegantes, ex novo Pariſienſi Breviario deprompti.

IN EODEM FESTO
Compaſſionis B. Virginis.

Ad Veſperas.

DUm ſpargit aram ſanguine
Jeſus ſalutis hoſtia,
Præſens doloris æmulum
Maria pectus immolat.
Caput cruentum Filii
Matris coronat verticem,
Iiſdemque clavis figitur
Chriſtus Cruci, Chriſto Parens.
O Paſſionis mutuæ
Jeſu Maria conſcii,
Alterna vobis vulnera
Inferre tandem parcite.
Quem vos doletis, noſter eſt
Error furorque criminum:
Totum ſcelus fatentibus
Partem doloris reddite.

Jeſu tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & almo Spiritu
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Ad Laudes.

ILlæſa te puerpera
Non fecerat matrem dolor,
Naſcente quem neſciveras
Orbata ſentis filio.
Dum te ſalutat ultimam,
Natoque tradit alteri,
Natumque tradit alterum,
In morte Chriſtum parturis.
Non ejulantem cernimus,
Non ungue ſcindentem comas,
Silenſque plus novit pati
Virtus dolore fortior.
Jeſu tibi ſit gloria &c.

Quoniam in multis Galliæ Eccleſiis, putà Pariſienſi, Carnutenſi, Nivernenſi, Conſtantienſi, & aliis, die XI. Auguſti celebratur feſtum Suſceptionis S. Coronæ Spineæ: idcirco ſequentes duos Hymnos ejuſdem planè ſtyli cum ſuperioribus adjunximus, in eodem novo Pariſienſi Breviario, loco veterum ſubſtitutos magis quam emendatos.

Die 11. Auguſti.

IN FESTO SUSCEPTIONIS
Sanctæ Coronæ.

Ad Veſperas, & Matutinum.

EXite filiæ Sion,
Regis pudicæ virgines,
Chriſti Coronam cernite
Quam mater ipſa texuit.
Horret revulſis crinibus,
Spinis cruentatum caput,
Et vultus ille decolor
Mortem propinquam reſpicit.
Quæ terra ſulcis invia,
Dumis rigens & ſentibus,
Lugubre munus protulit?
Quæ ſæva meſſuit manus?
Chriſti rubeſcens ſanguine
Aculeos mutat roſis,
Palmamque vincens fructibus
Spina eſt triumphis aptior.
Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto ſimul Paraclito
In ſæculorum ſæcula. Amen.

Ad Laudes.

LEgis figuris pingitur
Chriſti Corona nobilis,
Implexa ſpinis victima,
Ardenſque teſtatur rubus.
Arcam Corona cinxerat,
Menſæque ſacræ circulum,
Aramque ebure fumidam
Corona nectit ambiens.
Chriſti dolorum conſcia
Salve Corona gloriæ,
Gemmis & auro purior,
Vincens coronas ſiderum.
Virtus, honor, &c.

INDEX

Digitized by Google

INDEX SANCTORUM,
SEU OFFICIORUM,
DE QUIBUS SUNT HYMNI PROPRII ſuprà deſcripti.

SAncti Andreæ Apoſtoli. 368
S. Annæ Matris B. Mariæ. 374. 375
De Communi Apoſtolorum. 382
Aſcenſionis Domini. 367
Aſſumptionis B. Mariæ. 377
S. Bartholomæi Apoſtoli. 379
S. Bernardi Abbatis. 395
S. Caroli Borromæi. 396
S. Catharinæ Virg. & Mart. 381
Circumciſionis Domini. 365
SS. Ciriei & Julittæ Mart. 392
Compaſſionis B. Mariæ, ſeu B. Mariæ Pietatis. 398
Ad Completorium. 363. 364
Conceptionis B. Mariæ. 369
De Communi plurimorum Confeſſ. Pontif. 382. 383
S. Corentini Epiſc. & Conf. 393
Suſceptionis S. Coronæ. 398
S. Crucis. 371
Dedicationis Eccleſiæ. 383. 384
SS. Donatiani & Rogatiani Martyrum. 390
Effuſionis ſanguinis Imaginis Crucifixi. 393
Epiphaniæ Domini. 365
S. Gabrielis Archangeli. 385
S. Gaciani Epiſc. & Conf. 384. 385
Gaudiorum B. Virginis. 397. 398
S. Jacobi Apoſtoli. 374
SS. Innocentium Mart. 365
S. Joannis Apoſt. & Evang. 364
S. Joannis ante Portam Latinam. 371
S. Joſeph Sponſi B. Virg. 370
S. Ivonis Confeſſoris. 394
S. Laurentii Mart. 377
S. Ludovici Regis. 379
S. Maclovii Epiſc. & Conf. 390
S. Mariæ Magdalenæ. 373
In omni Officio B. Mariæ Virg. 384
SS. Mariæ Jacobi & Salomes. 391
S. Marthæ Virginis. 376
S. Martini Epiſc. & Conf. 380
De Communi unius Martyris. 382
S. Matthæi Apoſt. & Evang. 379
S. Mathiæ Apoſtoli. 370
S. Maurilii Epiſc. & Conf. 389
S. Mauricii & ſociorum Mart. 386
S. Michaelis Archangeli. 379
Nativitatis Domini. 364
S. Nicaſii Epiſc. & ſoc. Mart. 391
S. Nicolai Epiſc. & Conf. 368
Omnium Sanctorum. 380
Tempore Paſchali. 366
Pentecoſtes. 367
SS. Petri & Pauli Apoſtol. 371. 372
SS. Philippi & Jacobi Apoſt. 371
Quinque Plagarum Chriſti Domini. 385
Præſentationis B. Mariæ. 380
Purificationis B. Mariæ. 370
Tempore Quadrageſimæ. 365. 366
S. Reguli Epiſc. & Conf. 395
S. Remigii Epiſc. & Confeſſ. 391
S. Romani Epiſc. & Conf. 390. 391
Sabbato ad Veſperas. 363
S. Samſonis Dolenſis Archiepiſcopi. 395
SS. Simonis & Judæ Apoſt. 379. 380
S. Stephani Prothomart. 364
S. Thomæ Apoſtoli. 369. 370
Transfigurationis Domini. 376
SS. Trinitatis. 367
S. Tugali Epiſc. & Conf. 394
S. Vincentii Mart. 370
Viſitationis B. Mariæ. 372

INDEX ECCLESIARUM,
Quarum hìc habentur Hymni proprii.

AMbianenſis.
Andegavenſis.
Aurelianenſis.
Baiocenſis.
Bellovacenſis.
Carnutenſis.
Conſtantienſis.
Coriſopitenſis.
Dolenſis.
Maclovienſis.
S. Martini Turonenſis.
Nannetenſis.
Nivernenſis.
Pariſienſis.
Rhemenſis.
Rhotomagenſis.
Senonenſis.
Silvanectenſis.
Trecorenſis.
Turonenſis.

F I N I S.

DE DIERUM FESTORUM Celebratione.

COMMENTARIUS HISTORICUS ET DOGMATICUS,

GALLICE CONSCRIPTUS

A LUDOVICO THOMASSINO

CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTERO,

Nunc primùm Latinè editus.

Digitized by Google

PRÆFATIO
Interpretis.

I. RELIGIO, qua Deum bonorum omnium Auctorem colimus, & qua nihil melius ab eo hominum generi datum eſt, Feſtorum maximè dierum celebratione continetur. Pleni omnes ſunt Divinæ Legis & ſanctorum Vatum Libri, quibus uſque à conditi orbis primordiis hujuſmodi cultus commendatur. Vix enim hanc rerum univerſitatem condidit Deus; quum ſeptimum diem ceſſatione ſua feriatus conſecravit. Poſt latam verò à Moſe Legem, quæ identidèm ac tantùm non continenter de Sabbato & Ebræorum Solenniis agit, nihil antiquius habuiſſe videntur Prophetæ & ſacrorum Antiſtites, quàm Judaicum populum hac præſertim in re officii ſui admonere. Quantò autem pietatis ſtudio Chriſti Eccleſia uberiore lumine perfuſa ſtatos dies peregit? Ut enim præſtantiſſimos Martyres mittam qui capitis periculum adire ſatius eſſe arbitrati ſunt, poſthabitis impiorum legibus, quàm à ſacris Ædibus & Celebritatibus avelli, Plinius ipſe qui eam Majorum nôſtrorum religionem admiratus eſt, horum teſtis eſt locuples. Quanquam ſublatis etiam utriuſque Fœderis Voluminibus, ſtatis quibuſdam Solenniis Divinum Numen coli oportebat, quòd ea lex non tam tradita, quàm in mentibus hominum inſculpta, altiùſque infixa videatur. Etenim huc omnes duce natura vehimur, rati operæ pretium eſſe, quibuſdam ſaltem diebus, ſi minùs ſingulis, Divinis rebus vacare, atque ei qui nobis continenter præſentem opem fert, totos nos dedere.

II. Nec ſatis eſt hæc apud ſe putare; ſed quum plurimæ ſint populi Chriſtiani Celebritates, ac ſacrorum ritus, plerique verò in turpi tantarum rerum ignoratione verſentur, adjiciendus eſt animus ad hanc religionis ſcientiam, quæ pal-

mam cæteris præripit . Maximè verò ſcrutemur neceſſe eſt Feſtorum Eccleſiæ dierum originem, ſacros cujuſvis ætatis faſtos conſulendo: ita enim fiet ut quæ priùs latebant tandem perſpecta ſint , non ſine maxima voluptate , & pietatis incremento . Nam quas nonnulli excogitant arcanas reconditaſque Chriſtiani ritus rationes ſine ulla prorſus rerum geſtarum fide, utut religionis & ingenii quidpiam præſeferant , perſæpè tamen parum proſunt , nonnunquam etiam frigent.

III. Quod verò maximè (ubi de pietate adverſus Deum , & Chriſtianarum virtutum officiis agitur) rem cauſamque continet eſt , utrum Feſtos dies ritè peragant qui una ceſſatione torpentes , vix Divinæ rei dum in Templo fit adſunt , nec quicquam prætereà de Deo cogitant, rati ea ratione ſtata hujuſmodi Solennia ſe, ut oportuit, celebraſſe . Id quidem plerique omnes à veritate non abhorrere cenſent , qui ſi à conjectura non aberrant , jam ferè quivis Divinæ Legi morem geret in re tanti momenti . Equidem , ſi hos audimus , quotquot ingenuè & liberè educati ſunt , ac quodvis illiberale opus valere juſſerunt (modò dum Sacerdos in Templo , vel in privato etiam Sacello ſacris operatur interſint , breviſſimo temporis intervallo) quamvis luxu perditi , ludendo & convivia agitando , nequid gravius dicam , dies omnes producant , jugem illam , minimèque abruptam Solennitatem celebrabunt , quæ ſanctorum virorum propria eſt virtus, & de qua Patres ſæpiùs loquuti ſunt . Sed alia fuit Majorum noſtrorum mens, alii mores . Vacabant illi precibus , Divinis laudibus & gratiarum actionibus; Verbi Divini & Euchariſtiæ pabulo alebantur , egentibus opem ferebant, & in Chriſtianarum virtutum officia omni animi contentione, proceres etiam, fœminæ primariæ , ac Reges maximi incumbebant . Refrixit illa virtus; religionis, ſi paucos demas, vix nomen ſupereſt . Ceſſatio quidem non omninò ſublata eſt, tametſi plurimi, ſolennibus maximè diebus, negotiis & occupationibus ſexcentis diſtinentur; verùm extincto ferè pietatis ſtudio, ejuſmodi ceſſatio , ceſſatio autem ? immò verò , ut in præſentia uſuvenit , otium atque deſidia malorum omnium parens & altrix, ingentem ad nequitiam feneſtram patefecit . Etenim ubiubi fueris dum ſanctiſſimæ Celebritates peraguntur , & Servatoris Myſteria ac Martyrum triumphi recoluntur, quibus diebus ſanguinem profundentes mortem oppetere non dubitarunt pro legibus quas licenter infringimus, vel deliria maleferiatorum hominum videas, vel etiam, cum ſummo probro Chriſtiani nominis, ſcelera deteſtabilia . Plebs enim otio diffluens ne nobilioribus & locupletibus concedat; alea, vino, turpibus carminibus, jurgiis, atque blaſphemiis Divinum Numen laceſſendo , impia Ethnicorum ſacra reſtituere videtur, tametſi neque tot fortaſſe flagitiis, neque tam nefariis polluebantur Solennia Numinum confictorum.

IV.

IV. Ut peſti huic impunè graſſanti occurreret doctiſſimus THOMASSINUS, tot editis præclaris ingenii & religionis monumentis nulli non notus, piè admodum ac ſapienter animum adjunxit ad hujuſmodi Opus, originem Feſtorum Eccleſiæ dierum ſolerter & eruditè ſcrutando, ac oſtendendo priſtina majorum ſtudia reſtitui oportere, ſublatis pravis qui quoquoverſum ſerpunt flagitioſorum hominum moribus. Tractatum hunc ſuum diviſit in partes tres, quarum prior de Feſtis Eccleſiæ diebus generatim agit, altera de ſingulis iiſdem diebus ſigillatim; poſtrema quomodo Chriſtianorum Solennia colenda ſint, tum ab aliis quibuſvis ceſſando, tum Deo Diviniſque rebus vacando, ob oculos ponit. Excuſſit labore improbo Eccleſiaſticæ antiquitatis monumenta, faſtos conſuluit, ac Patres & Concilia evolvit, tum vetera, tum recentiora, ſelectis eorum locis identidem allatis. Qui norunt quanti interſit Eccleſiæ ſacros hoſce ritus ad originem revocare, ſolennes ſtatoſque dies ritè peragere, ac tot abuſus & flagitia radicitus evellere, Opus atque conſilium Auctoris vehementer probabunt; & ei, qui de nobis omnibus optimè mereri ſtuduit, benè precabuntur. Sed vacandum eſt lectioni præclari Commentarii, maximè diebus illis de quorum cultu agit, piè potiùs quàm curioſè, non ut Auctoris verba carpantur, ſed ut mores noſtri caſtigentur.

V. Ne multa. Latina hæc Interpretatio eodem ſpectat; ut videlicet pietas & Feſtorum dierum religio quæ apud plurimos vel labaſcit, vel funditus periit, reſtituatur, & cuncta quæ ad Dei cultum pertinent ſarta tecta ſerventur. Interpres ob id dumtaxat ad hujuſmodi Tractatum animum adjecit. Moroſos illos vitiligatores qui unas voces aucupantur, ne aſſis quidem faciet, non prætexendo vel paucarum hebdomadarum ſpatium, vel rerum, & ſcribendi genus cui morem geſtum oportuit, vel diſtantiam loci ubi hæc typis excuduntur, modò qualis qualis hic labor Eccleſiæ conducat. Si qui verò, Interpretis etiam ope, Feſtis diebus in unum veræ pietatis ſtudium incumbere ſtatuant, næ ille laboris ſui operæ pretium tulerit!

SYL.

SYLLABUS CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

De Diebus Feſtis generatim.

CAPUT I. JUſtis dies quilibet Feſti ſunt : ſtata Solennia neque Judaiſmum, neque ſuperſtitionem redolent. pag. 1.

CAP. II. Rurſum de eodem. Juſti continenter dies Feſtos agunt, qui partes quædam ſunt æternæ Celebritatis, cujus initium eſt nox hujus vitæ, complementum verò dies beatitudinis ſempiternæ. pag. 4.

CAP. III. Omnes Eccleſiæ Feſtos dies primordia quædam eſſe unius æternæ Solennitatis. pag. 8.

CAP. IV. De diebus Feſtis quinque priorum Eccleſiæ ſæculorum. De Paſſione, Paſchate, Aſcenſione, Pentecoſte, Chriſti Nativitate, Epiphania, Transfiguratione, Annunciatione, Purificatione, Apoſtolis, Martyribus. pag. 11.

CAP. V. De Feſtis diebus in Eccleſia peractis ab anno Chriſti quingenteſimo ad octingenteſimum. pag. 13.

CAP. VI. De Feſtis diebus celebratis ab anno Chriſti octingenteſimo ad milleſimum. pag. 16.

CAP. VII. De diebus Feſtis celebratis in Eccleſia poſt annum Chriſti milleſimum. pag. 19.

CAP. VIII. Quandonam inſtituti fuerint Feſti dies non tantùm Martyrum, verùm etiam Confeſſorum. pag. 22.

CAP. IX. Auctine fuerint Feſtis diebus ſancti Viri Veteris Legis. pag. 27.

CAP. X. Auctoritas Romani Pontificis & Epiſcoporum in dierum Feſtorum inſtitutione. pag. 29.

CAP. XI. De dierum Feſtorum imminutione. pag. 31.

LIBER SECUNDUS.

De Diebus Feſtis ſigillatim.

CAPUT I. DE Dominicis diebus. pag. 36.

CAP. II. De Sabbati tum in Oriente tum in Occidente celebratione. pag. 39.

CAP. III. De eadem Sabbati celebratione. Adjiciuntur nonnulla de quintis ſextiſque Feriis. pag. 42.

CAP. IV. De diebus Dominicis Adventus. pag. 44.

CAP. V. De Celebritate Conceptionis Deiparæ. pag. 46.

CAP. VI. De Natali Chriſti die, & Epiphaniæ Solennitate. pag. 49.

CAP. VII. De iiſdem Epiphaniæ Solenniis. pag. 52.

CAP. VIII. De Feſto Circumciſionis die. pag. 55.

CAP. IX. De diebus Feſtis S. Stephani, S. Joannis Apoſtoli, & Innocentium. pag. 57.

CAP. X. De S. Petri Cathedra tum Romana, tum Antiochena. De anniverſariis Solenniis Conſecrationis cujuſliber Epiſcopi, & Baptiſmis quorumvis Chriſtianorum. pag. 61.

CAP. XI. De Feſto die Purificationis. pag. 64.

CAP. XII. De Annunciationis Solennitate. pag. 65.

CAP. XIII. De Septuageſima, Sexageſima, Quinquageſima, Dominicis diebus Quadrageſimæ, & ſacri Cineris die. pag. 67.

CAP. XIV. De Dominicis Paſſionis & Palmarum diebus, & de Majore Hebdomada. pag. 72.

CAP. XV. De die ſancto Paſchæ. pag. 74.

CAP. XVI. De Paſchali hebdomada & diebus quinquaginta uſque ad Pentecoſten. pag. 77.

CAP.

CAP. XVII. De Aſcenſione. De Pentecoſte & ejus hebdomada. pag. 81.
CAP. XVIII. De Sanctiſſimæ Trinitatis Solenniis. pag. 83.
CAP. XIX. De Solenniis Corporis Chriſti & Transfigurationis. pag. 85.
CAP. XX. De Feſtis diebus Nativitatis, Præſentationis, Viſitationis, & Aſſumptionis Deiparæ. pag. 88.
CAP. XXI. De Celebritatibus omnium Sanctorum & Defunctorum. pag. 92.
CAP. XXII. De Celebritatibus S. Michaelis, Angelorum Cuſtodum, aliorumque ſanctorum Spirituum: deque aliis diebus Feſtis. pag. 95.
CAP. XXIII. De diebus Feſtis S. Joannis Baptiſtæ, SS. Petri, & Pauli, aliorumque Apoſtolorum. pag. 97.
CAP. XXIV. De Sacrarum Ædium Dedicationibus, & Sanctæ Crucis Celebritatibus. pag. 100.

LIBER TERTIUS.

Quomodo colendi ſint Feſti dies.

CAPUT I. Quibus rebus interdictum ſit Feſtis diebus. De Conviviis, Saltationibus, Ludis ſcenicis & theatralibus, Nundinis &c. pag. 105.
CAP. II. An ulla liceant Feſtis diebus oblectamenta. pag. 107.
CAP. III. De operibus illiberalibus vetitis iiſdem diebus. pag. 111.
CAP. IV. Liceatne opus ullum diebus Feſtis, vel quicquam de ſummo jure concedendo, vel alia quavis ratione. pag. 113.
CAP. V. De veteri more inchoandi ſacros dies ſub veſperam diei qui illos antevertit. pag. 116.
CAP. VI. De pio Feſtorum dierum cultu ex Patribus & Conciliis. De frequentibus precibus, Canonicis Horis, Divino verbo, & virtutum exercitationibus. pag. 119.
CAP. VII. De Sacro Miſſæ, & frequenti Euchariſtiæ Communione, diebus Feſtis. pag. 122.
CAP. VIII. Rurſum de iiſdem agitur. pag. 125.
CAP. IX. De abſtinentia à re uxoria iiſdem diebus. pag. 127.
CAP. X. De eleemoſynis tunc in pauperes conferendis. pag. 131.
CAP. XI. Carceres diebus maximarum Celebritatum recludendos eſſe, & libertati priſtinæ reſtituendos eos qui in iiſdem detinentur. pag. 133.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del P. Fr. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore, nel Libro intitolato: *De Dierum Feſtorum Celebratione Commentarius Hiſtoricus & Dogmaticus Gallicè conſcriptus à Ludovico Thomaſſino nunc primùm Latinè editus*, non eſſervi cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 18. Ottobre 1728.

{ Gio: Franceſco Moroſini Kav. Riſ.
{ Alviſe Piſani Kav. Proc. Riſ.
{

Agoſtino Gadaldini Segr.

DE

DE DIERUM FESTORUM Celebratione

LIBER PRIMUS.

DE DIEBUS FESTIS generatim.

CAPUT PRIMUM.

Dies omnes Juſtis Feſti ſunt myſticè, ſive moraliter loquendo. Stati dies ſolennes, neque Judaiſmum, neque ſuperſtitionem redolent.

I. Totus qua latè patet mundus Templum eſt, ubi Deus eſt colendus.

II. Ante generalem mundi eluvionem ſacra Biblia, neque Templi ullius, neque aræ uſpiam meminerunt; ſiquidem homo eſt Templum illud, Ara, ac Sacrificium quod Deum maximè oblectat.

III. Religio noſtra eadem ſemper amplitudine gaudet, ſive tempora ſpectes, ſive loca.

IV. Abrahamus ejuſque nepotes novas ſemper Aras extruxerunt, rati omnem terrarum Orbem Templum quodpiam eſſe.

V. Moyſes ſacrum quoddam Tabernaculum erexit; at David primùm Templi ædificationem excogitavit: illud Salomon reipſâ confecit.

VI. Tria annorum millia effluxere ſine ullo Templo præter ipſummet mundum. Eo tempore Numinis præſentia in hominum pectoribus altius inſculpta erat.

VII. Jeſus Chriſtus ejuſque Apoſtoli Dei cultum anguſtioribus cancellis coerceri noluerunt.

VIII. Apoſtoli ac primi Chriſtianæ Religionis aſſertores in id operam dederunt, ut oſtenderent verum ac præcipuum ejus Templum eſſe Deum, Jeſum Chriſtum, & cœleſtem Jeruſalem.

IX. Temporum dierumve eadem prorſus eſt ratio, ac locorum & Templorum. Religioſus cultus eo perfectior quo minus adſtrictus.

X. Feſti Eccleſiæ dies propè abſunt à ſolemniis Innocentiæ, & Beatitudinis æternæ.

XI. Piorum Chriſtianorum vita apud S. Clementem Alexandrinum nil aliud eſt quàm Feſtus quidam dies.

XII. Idem ſentit Origenes.

XIII. Oſtendit Origenes ſolemnitatibus noſtris nihil commune eſſe cum illa Judæorum ſuperſtitione quam Sanctus Paulus exagitat: Chriſtianorum eſt enim quotidie celebrare Paſcha, Pentecoſten &c.

XIV. Origene eodem teſte, ſtati dies ſolemnes apprimè utiles ſunt rudioribus, quibus nondum vita omnis unus eſt Feſtus dies.

I. QUum Deus in ſacris Bibliis teſtaretur ſe Cœlum ac terram Majeſtate ſua implere, *Cœlum & terram ego impleo*, Cœlum ſolium eſſe, terram autem pedum ſuorum ſcamnum, *Cœlum ſedes mea eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum*, id nos docuit, hanc rerum omnium univerſitatem Templum ſuum eſſe, ac Numen ubivis præſens ubique terrarum colendum eſſe. Hinc autem ſponte ſua fluit cultum omnem divini Numinis, omnem adverſus Deum pietatem, omnia denique Officia quibus obſtringimur, haud coerceri poſſe parietibus Templi à nobis conſtructi: *Quæ eſt iſta domus quam ædificabitis mihi, & quis eſt iſte locus quietis meæ?*

Jerem. 23. 24.

Jerem. c. 66

II. Hac de cauſa poſtquam Deus Optimus Maximus hominem in Paradiſo voluptatis condidit, eique legem ſuam patefecit, non Templa, non aras, non victimas petiit. Purius, & juge Sacrificium, caſti mores, pietas, obſervantia eſſe debuerant: his Deus colendus erat ab homine in tanta vivendi felicitate. Nos ipſi Altaria fuiſſemus, ac pietas noſtra thus illud cujus fragrantia ad Cœlum uſque pertigiſſet; omnis verò hæc rerum univerſitas Templum, in quo humanum genus Deum bonorum omnium auctorem ſanctè colendo munus ſuum impleviſſet. Ne poſt lapſum quidem hominis verba uſpiam ſunt de Templis ariſve. Noemus

by Google

primùm aram quandam poſt univerſi orbis eluvionem conſtruxit, & ſacrum fecit: *Ædificavit Noe*, ut habetur Geneſeos octavo capite, *Altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper Altare, odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis.* Hæc primam ſacris Libris ara. At præproperè erecta fuit brev. temporis ſpatio permanſura, & unius tantùm Sacrificii gratia: Noemus enim liberos ſuos juſſit illiuſque exemplo etiam fuit; terrarum plagis omnibus per ſobolem procreando conſulere, nec diu in eodem loco manere.

III. Facilè quivis conjiciat ut ad tempora Feſtoſque dies traducatur, quicquid de ſacris locis Templiſque hactenus dictum fuit. Magni refert noſſe quanta eſſe debeat Chriſtianorum pietas, quæ preces, atque illud probè tenere, eorum religionem neque Templis concludi, neque ſtatis diebus, quum ad Dei immenſitatem æternitatemque proximè accedat, in id nervos omnes intendens, ut ubique, ut continenter eum colat. Hinc, ni fallor, patet non abs re eſſe, quæ de locis temporibuſque diximus, quum de diebus Feſtis divino cultui dicatis agendum ſit.

IV. Abrahamus quocumque Deo duce perveniſſet aras inſtruebat: quum verò ſemper peregrinaretur, ejuſmodi Altaria eorum auctore firmiora eſſe minimè potuere. Ejus veſtigiis Iſaacus, Jacobus ac nepotes ceteri inſtiterunt, & ubicumque Sacrificia facere decreviſſent aras erigebant, neque certæ ullius rationem habebant, peractis ſacris; numquam enim in animum induxerunt ædem aliquam Deo dicandam à fundamentis erigere. Id potiùs animo recogitabant, mundum hunc adſpectabilem Templum illud eſſe quod ipſemet Deus ſibi ædificaverat, & Numinis ſui præſentia conſecraverat; atque ubique gentium ſacra ritè peragi poſſe, veluti in Templo quodam maximo, ſanctiſſimo, magnificentiſſimo.

V. Moyſes, Deo jubente, Tabernaculum erexit, in quo Arcam Fœderis poſuit, in Arca verò Tabulas Legis. Hoc autem perperàm Templum vocaretur, quum toties quovis transferendum eſſet, neque ullus in eo locus Altari Holocauſtorum, Sacerdotibus, Populo relinqueretur. Palæſtina ſubacta, neque Deus Templum ullum ſibi extruendum curavit, nec Populus, Populive Duces ſuarum partium eſſe duxerunt illud moliri. Templum generis humani erat hæc rerum univerſitas, Iſraelitarum aræ montes & loca editiora, quum quivis pro certo haberet, ubiubi eſſet, Dei Majeſtatem adeſſe, & maximam cœleſtium miniſtrorum frequentiam. Primum Davides Templum Deo à fundamentis erigere ſtatuit, quod Salomon ejus filius præſtitit. At illud Deo ſolemnibus cæremoniis conſecraturus teſtatus eſt, ſe optimè noſſe ejuſmodi ædem, utut ingentem, domum oppidò anguſtam eſſe ei, nec illo dignam, qui Cœlum terramque implens minimè ab ipſis coerceri poteſt: *Ergone verè putandum eſt quod Deus habitet ſuper terram? Si enim Cœlum & Cœli Cœlorum te capere non poſſunt, quantò magis domus hæc quam ædificavi?* Quid? Quod ipſe Deus Nathano dixit ſe, poſtquam Palæſtinam Provinciam Populo ſuo largitus fuerat, numquam Domum, vel Templum ullum petiiſſe: *Hæc dicit Dominus, numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? Neque enim habitavi in domo ex die illa qua eduxi filios Iſrael de terra Ægypti.* In method. Legend. Part.

VI. Itaque effluxerunt tria ſaltem annorum millia ab orbe condito priuſquam Dei cultus alibi coerceretur quàm in eo Templo quod ſibi ipſemet Deus fabricatus eſt mundum efficiendo: Altiùs tunc, ut aliàs diximus, in hominum mentibus infixa erat æterni Numinis præſentia, artiùs addicti erant homines religioni in rebus omnibus, qua publicis, qua privatis, frequentiùs adhibebantur preces & Sacrificia, major oraculorum ratio, major Prophetarum, eorumque omnium quæ religionem quoquo modo ſpectabant, habebatur.

VII. Vix Deus naturam humanam aſſumpſerat, quum nos diſertis verbis docuit, neque in uno Hieroſolymitano Templo, neque in Samaritano colendum eſſe Patrem, ſed in ſpiritu & veritate: *Venit hora & nunc eſt quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Joann. 4. Quapropter Dei Filius prædixit, antequam ab hoc mundo ad Patrem ſuum proficiſceretur, fore ut brevì Hieroſolymitanum Templum funditùs everteretur; neque multò pòſt miſſis ad ejus excidium Romanorum copiis, evertit ædem illam hominum ope extructam, armis eorum quos ad cœleſtis Templi ædificationem elegerat. Corpus ſuum verum eſſe Templum aliàs dixerat; ejuſque Apoſtolus Chriſtianos admonuit eſſe Juſtorum corpora Spiritus Sancti Templa, oportere autem ubique precibus vacare: *Membra veſtra Templum ſunt Spiritus Sancti*, 1. Timoth. 2. 8. *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus.* Tandem idem Apoſtolus Ethnicos allocutus ait mundi hujus conditorem minimè circumſcribi ædibus hominum arte conſtructis: *Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo ſunt, hic Cœli & terræ quum ſit Dominus non in manufactis Templis habitat*; Act. 17. 24. ſiquidem Templi Deo digni artifex Deus eſt, non homo. Nec tantùm de Ethnicorum Templis ſermo erat, quando de ſacra Salomonis æde idem ſenſit S. Stephanus; fore ſcilicet ut Deus nullo locorum ſpatio circumſcriptus in ſuo potiùs quàm in hominum Templo moraretur; *Salomon ædificavit illi domum, ſed non excelſus in manufactis Templis habitat, ſicut Propheta dicit, Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi dicit Dominus?*

VIII. Vetuſtiſſimi Chriſtianæ Religionis vindices fatebantur carere nos Templis, tametſi loca non deeſſent quo majores noſtri convenirent; videre autem nos ubique præſentem Deum qui à rebus creatis abeſſe nequit ſine earum interitu, neque iiſdem adeſſe quin munus ſuum implere debeant, eum religioſè colendo. Inſigne hoc noſtræ Religionis multò ante animadverterat ſacer vates qui Deo adſpirante prædixit, fore ut divino Numini purum æternumque Sacrificium offeretur non in Salomonis Templo à Nabuchodonoſore exciſo, neque in eo, cujus, Cyro imperante, jacta ſunt fundamenta, quodque Romanus exercitus ſolo æquavit, verùm in alio longè diuturniore atque ampliore, ideſt in toto qua latè patet orbe terrarum: *Ab ortu enim Solis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in Gentibus.* Malach. 1. 11. Hæ quidem rerum futurarum umbræ Eccleſiam graphicè repræſentabant. Habemus loca quo cuncti conveniamus; cæterum novimus haſce omnes ædes igni abſumendas eſſe in extrema mundi conflagratione, deſcendente in terram Jeſu Chriſto, quem votis omnibus expectamus: *Corona juſtitiæ, quam reddet mihi juſtus Judex, non ſolum autem mihi, ſed & omnibus qui diligunt adventum ejus.* 2. Timoth. 4. 8. Non igitur inſimulandi ſunt Chriſtiani ſuperſtitionis illius qua Ebrei plerique atque Ethnici laborabant Templis hiſce nimis addicti. Contra, Juſtorum vota & expectatio illius qui ſcelus omne tandem auferet cum iis quæ ſceleri patrando quoquo modo auxilio fuere, oſtendunt eos præ oculis Templum illud cœleſte habere, de quo verba facit Joannes in Apocalypſi. Apocal. 21. 22. Hic quum omnem illam Jeruſalem perluſtraſſet, nullum in ea Templum vidit, quòd Deus ipſe, Divinuſque

Agnus

Agnus Templum ipſius ſit, *Templum non vidi in ea; Dominus enim Deus omnipotens Templum illius eſt & Agnus*. Si igitur religioſiùs loqui velimus, mundus in Deo manet, nos quoque in Deo manemus, non Deus in mundo, aut in nobis tanquam in Templis: nam ut Paulus Ethicos admonebat, Deus non in Templis humana arte extructis moratur, ſed nos potiùs *in ipſo vivimus, movemur & ſumus*.

IX. Feſtis diebus pleraque omnia cum Templis communia ſunt; idcircò quæcumque de Templis diximus, ad Feſtorum dierum celebrationem pertinent, tam ante, quàm poſt lapſum humani generis, tam in novo, quàm in veteri Fœdere, tam in præſenti, quàm in futura beataque vita. Generatim loquendo multò liberior divinus cultus, minùſque adſtrictus ſtatis quibuſdam temporibus, annis, hebdomadis, diebus, locis, ædibus, ariſque floruit aurea illa Innocentiæ ætate, & ſequenti, quàm poſteà. Itaque Eccleſia in qua agimus medium quemdam obtinet locum: in ea enim ad priſtinam revocamur morum Innocentiam, quamvis non adhuc numeris omnibus abſolutam: planè autem confidimus fore ut poſt hanc vitam libertatem aliam à priore longè diverſam adipiſcamur; quando quidem tunc unus Deus Templum noſtrum futurus eſt, nos Templum illius, compotes ejus lætitiæ, & quietis æternæ, cujus nonniſi umbræ quædam fuere ſolemnitates omnes Innocentiæ, Synagogæ, & ipſiuſmet Eccleſiæ.

X. Tam in hoc Capite, quàm in ſequenti meum erit oſtendere Eccleſiæ Feſtos dies medium locum ſibi vindicare inter Innocentiæ, & Moſaicæ Legis ſolennia, vel inter ejuſdem Moſaicæ Legis & æternæ felicitatis ſolemnitatem. Deus homines juſtificando prioris ſanctitatis, libertatiſque, cum qua homo conditus fuerat, imaginem inſtaurat, & nonnihil excellentioris ſanctitatis, libertatiſque in cœlo paratæ in illis inſculpit. Ita Juſti, tum prioris, tum poſtremæ libertatis Filiorum Dei quodammodo compotes fiunt, & dum Feſtos agitant dies minimè illos prætetit quodvis temporis ſpatium unicum diem eſſe, cujus partes ſingulæ Deo dicantur; cuncta ab ipſo oriri & ipſum ſpectare; nos ubiubi ſimus ſemper in ejus Templo verſari, coram eo progredi, in ipſo vivere & ex ipſo; actiones quaſvis ipſi veluti ſacra quædam offerendas eſſe; & quocumque mens noſtra impellatur, abripi debere veritatis amore & juſtitiæ, videlicet Dei; atque hoc divini amoris igne continenter flagrare mentes noſtras, tanquam aras cæterarum omnium aptiſſimas, & magnificentiſſimas. Piis igitur quibuſque viris quilibet dies Feſtus eſt, & omnis vita ſolemnitas Deo dicata, totus terrarum orbis Templum ampliſſimum atque ſanctiſſimum, omne temporis ſpatium æternitatis pars, in qua nihil ea minùs dignum gerendum eſt.

XI. Vivis hiſce coloribus Sanctus Clemens Alexandrinus expreſſit hominem divinarum rerum contemplationibus vacantem, pium veromque Chriſti cultorem. Dies quilibet ipſi Feſti ſunt; myſticè & moraliter loquendo Deo tantùm vivit, ejuſque laudes continenter perſequitur, & agrum colens, & navigans, gravitatem cum lætitia conjungens, quòd divinum Numen ubique præſens intueatur, & collata ab illo in ſe beneficia ſecum reputet: *Per totam ergo vitam diem Feſtum agentes, ubique & omni ex parte Deum adeſſe perſuaſi, laudantes agros colimus, laudantes navigamus, & in omni alio vitæ inſtituto, ut decet, verſamur. Propiùs autem Deo jungitur & familiaris efficitur is qui eſt cognitione præditus, ut qui ſimul gravitatem & hilaritatem oſtendat in omnibus: gravitatem quidem propterea quod ad Deum ſe convertat; hilaritatem autem, propterea quod bona reputat quæ dedit nobis Deus.* Strom. l. 7. pag. 517.

XII. Origenes acerrimè exagitans improbos quoſdam homines qui, quamvis Chriſto nomen dediſſent, vix ſolemnioribus diebus in Eccleſiam ſe conferebant, eis in memoriam revocat dies quoſvis Feſtos eſſe, atque eos ita coli ab iis qui religionis lumine perfuſi ſunt, divinoque flagrant amore. Non unus Dominicus dies Domini eſt, *dies Domini, dies Domini*: omnes ad eum pertinent. Ebræorum erat dierum tempeſtatumque anni diſcrimen, & in earundem cultu ſuperſtitio; idcircò eas averſatus eſt Deus. Contra, Chriſtianis dies quilibet, ut ſexcenties diximus, Feſtus eſt, imò Paſcha; quotidie enim pro illis divinus Agnus mactatur, quotidie ejus carne veſcuntur. Ideò autem ſub occaſum Solis Sacrificium hujuſmodi in Moſaica quondam Lege fiebat, quia vitæ hujus ſpatium nox quædam eſt tenebris offuſa, ſed Sole exoriente, immortali ſolennitate ac lætitia perfruemur: *Dicite mihi vos qui tantummodò Feſtis diebus ad Eccleſiam convenitis, cæteri dies non ſunt Feſti? non ſunt dies Domini? Judæorum eſt dies certos & ratos obſervare ſolemnes: & ideò ad eos dicit Deus, quia Neomenias veſtras & Sabbata, & diem magnum non ſuſtineo; jejunium & ferias & dies Feſtos veſtros odivit anima mea. Odit ergo Deus eos qui unum diem Feſtum putant diem eſſe Domini. Chriſtiani omni die carnes Agni comedunt, ideſt, carnes Verbi Dei quotidie ſumunt; Paſcha enim noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Et quia lex Paſchæ talis eſt ut in veſpera comedatur, propterea in veſpera mundi paſſus eſt Dominus, ut tu ſemper manduces de carnibus Verbi, quia ſemper in veſpera es, uſquequò veniat mane. Et ſi in hac veſpera ſollicitus fueris, & in fletu ac jejuniis atque omni labore juſtitia vitam duxeris, poteris & tu dicere, Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*. In Gen. hom. 10. Nil aliud Origenes ſibi vult quàm ſolemnia noſtra æternorum eſſe rudimenta ac præludia, poſſe nos ſemper veſci carne & verbo Jeſu Chriſti, hæ enim ſunt cœli epulæ; omnem denique Juſtorum vitam pervigilium eſſe æternæ celebritatis, cujus initium agitur veſpera præcedentis diei. Idem Origenes in alio opere occurrens Ethnico cuidam Philoſopho, qui in Chriſtianam Religionem debacchabatur, reſpondit, neque Templa habere nos, neque aras, quòd corpora noſtra viva ſint Templa & Altaria, in quibus puriores hoſtias immolamus in ſpiritu & veritate: *Diſcant cavere nos ne omnis vitæ largitori Templa ſtruamus inanima. Audiat qui vult noſtram doctrinam, quod corpora noſtra Templum Dei ſunt*. L. 8. cont. Celſum. A Templis ad Feſtos dies gradum facit, & ſcitum illud Ethnicorum quoque Scriptorum uſurpans, eum qui muneri ſuo non deeſſet ritè Feſtos dies peragere, & continenter preces ad Deum fundere, ſubdit, *Feſtum enim, ut quidam Græcorum ſapiens pulchrè dixit, nihil eſt aliud quàm officium facere, & verè Feſtum celebrat quiſquis facit quod debet, ſemper vacans precibus, continenter incruentas victimas offerens Deo ſuis precationibus*. Patet hinc omnes vitæ hujus dies Feſtum unum eſſe, nunquam enim non implenda ſunt à nobis munera noſtra, nunquam precibus ſuperſedendum.

XIII. Hac ratione nititur Paulus Apoſtolus, quemadmodum Origenes ſubjicit, rudiores Chriſtianos perſtringens ob temporum delectum atque diſcrimen: *Unde generosè mihi dictum videtur in Paulinis Epiſtolis, Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos; vereor ne fruſtra laboraverim in vobis*. Quòd ſi quis rege-

rat eſſe quoque in Eccleſia ſtatos quoſdam dies, Dominicum, Paraſceven, Paſchæ, Pentecoſten; reſpondet Chriſtianum in ſua Religione apprimè verſatum non fugere, oon unam vel alteram tantùm diem, ſed quamlibet ipſi Dominicam eſſe, diem ſcilicet Domini, in quem mentis aciem intendit; quamlibet Paraſceven eſſe, immò ſanctiorem illam majoris Hebdomadæ Paraſceven: aoimi enim perturbationes in ea moderatur, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti Crucem lubenti animo amplectitur; quamlibet Paſcha eſſe, quum ſemper ab hoc mundo tot ſceleribus reſerto ad alium longè meliorem tranſeat atque ſanctiorem, veſcaturque corpore & verbo Jeſu Chriſti Servatoris: tandem quamlibet diem Pentecoſten eſſe, in qua ad vitam cum Chriſto revocatus in Cœlum & ipſe coorcſidit, ad Dei Patris ſolium accedit, ubi cum Filio adſidet, & divino Spiritu completor: *Quod ſi quis nobis ex adverſo regerat noſtras Dominicas, Paraſcevaſque, aut Paſcha & Pentecoſten recurrentes ſolenniter, reſpondendum eſt ad hoc, quod qui perfectus eſt, ratione, operibus, cogitationibus, perpetuò heret Deo Verbo naturali noſtro Domino, ſemper agit dies Domini, & nunquam non habet diem Dominicam. Sic & qui ſemper parat ſeipſum ad veram vitam, abſtinens à mundanis voluptatibus multos ſeducentibus, nec alens carnis ferociam, ſed ſugillans carnem ſuam, & in ſervitutem redigens, ſemper agit Paraſcevas. Quiſquis item cogitat Paſcha noſtrum immolatum eſſe Chriſtum, celebrandumque hoc eſſe Feſtum edendo carnem Verbi, nunquam non Paſcha facit, quod interpretatur, ac ſi dicas tranſitoria, tranſiens ſemper ratione omnique cogitatione atque actione ad Deum à negotiis ſæcularibus, & ad civitatem ejus feſtinans. Inſuper quicumque poteſt verè dixere, Simul reſurreximus cum Chriſto, & illud, ſimul nos reſuſcitavit & conſedere nos fecit in ſupercæleſtibus in Chriſto, ſemper habet dies Pentecoſtes; præſertim quando in Cœnaculum adſcendens cum Jeſu & Apoſtolis, vacat precibus & orationibus, ut digne fiat illo vehementi Spiritu cæleſti &c.*

XIV. Fatetur quidem Origeoes Chriſtianos quoſdam injuria ita vocatos, aut nolle, aut præ vecordia non poſſe tempus omne ſolenniter agere, & horum maximè rationem haberi in dierum ſtatorum celebratione: Hoc Sanctus Paulus partem diei Feſti vocavit; una enim ſolennitas eſt quam in Cœlo peragunt beatæ mentes; ad hanc maximè pertinent Juſti, ab hac cæteri arcentur: *Vulgus autem eorum qui credentes magis videntur, quàm ſunt, qui vel non poteſt, vel non vult quotidie Feſtum agere, opus habet ut contineatur talibus ſenſibilibus admonitionibus, ne omninò dilabatur ab officio. Hæc, ut opinor, cogitans Paulus, partem diei Feſti nominavit Feſtum ſtatis diebus recurrens, collatum ad Feſtum illud aliud. Subindicat autem his verbis integrum & perfectum Feſtum eſſe in vita æterna, ſicut Sacra Scriptura docet.*

C A P U T II.

Sequitur idem argumentum. Feſtorum dierum celebritates neque Judaiſmum, neque ſuperſtitionem redolent, quanquam Juſti diebus omnibus myſticè & moraliter ſolennia agant, quæ partes ſunt æternæ ſolennitatis. Ejus initium eſt nox præſentis vitæ, complementum dies æternæ beatitudinis.

I. Inſtitutio ſtatorum ſolennium omninò neceſſaria rudioribus, ut ſenſim ſine ſenſu avocarentur à variis negotiorum moleſtiis, ac pararentur ad celebrationem æternæ ſolennitatis.

II. Argumenta ex Conſtitutionibus Apoſtolicis petita.

III. Prioribus ſæculis Chriſtiani admonebantur ut bis quotidie in Eccleſiam convenirent ad Pſalmos canendos, & divinum verbum audiendum. Horæ Canonicæ tam pro Clero quàm pro Laicis inſtitutæ.

IV. Horarum Canonicarum munerus eò ſpectat ut orandi ſtudium excitet, idque continenter, ex Apoſtoli doctrina.

V. Artes illiberales, Chriſtiana charitate accedente, non polluunt Juſtorum ſolennitatem.

VI. Alia rationum momenta è Chryſoſtomo deprompta.

VII. Docet Chryſoſtomus diem omnem ſolennem, immò Paſchalem ei eſſe qui precibus vacat, Sacrificia adeſt, Euchariſtiam ſanctè recipit, modo ea charitas adſit quæ eſt animi lætitia minimè adſcita, immò ſolennitatum quaſi anima quædam.

VIII. Itaque ſolennia noſtra Judaiſmi arguenda non ſunt, ſed potius ad ſanctiora illa æternæ felicitatis proximè accedunt.

IX. Mens Chryſoſtomi magis aperitur. Noſtri dies Feſti ſolennitatibus Ebræorum longè præſtant.

X. Idem ex Chryſoſtomo oſtenditur in Epiphania, Paſchate, & Pentecoſte. Chriſtianorum, Ebræorumque diſcrimen.

XI. Chryſoſtomus Pauli auctoritate nititur.

XII. Alia ejuſdem rationum momenta. Dei Filius nos in libertatem vindicavit à quadam temporum, dierumque certorum captivitate, largitus juge ſui Corporis Paſcha.

XIII. Catechumeni quanquam aſtinebant vetitis in Quadrageſima epulis, Paſcha tamen minimè peragebant, quum Euchariſtia non fruerentur.

XIV. Docet Chryſoſtomus cur Paulus Pentecoſtem coluerit, & cum Apoſtolis cæteris ſtatos dies Feſtos in Eccleſiam invexerit.

XV. Solennes dies quamvis ob rudiores inſtituti, ab omnibus tamen colendi.

XVI. Nonnulla S. Joannis Chryſoſtomi verba explicantur. Euchariſtia caſtos potius mores quàm ſtatos dies expoſcit.

XVII. Chryſoſtomi ſententia confirmatur.

I. PAtuit ex Origeoe Eccleſiam, rudioribus morem gerendo, ſtatos quoſdam dies conſtituiſſe, ut qui animi ſocordia laborarent in rebus divinis, & Jeſu Chriſti myſteria ſpectantibus, neque earum dulcedine negotia & occupationes cæteras condire noſſent, excuſſo quandoque torpore excitarentur, & novum divini amoris flammæ pabulum inſtillaretur, ne tandem præ rerum curarumque multitudioe ac varietate languens extingueretur. Quooiam verò quod ea ratiooe factum eſt fovere minimè debet eorum deſidiam, omnem nervum intendant oportet ut è medio tollantur quæ eorum pietati impedimento ſunt, vel ut eorum mentes abſtrahantur à ſolicitudinibus, honoribus, & rebus omoibus; mens autem paulatim libertatem

adepta,

adepta, dum corpore cæteris dant operam, totam ſe Deo dedat, Chriſtianæ Religionis Myſteriis, virtutum & immortalis beatæque vitæ ſtudio.

II. Conſtitutionum Apoſtolicarum Auctoris mens non longè abeſt à S. Clementis Alexandrini & Origenis ſententia, quamquam non eamdem prorſus inſiſtit viam. Populum hortatur ut bis quotidie ad Eccleſiam ſe conferat, mane ac veſpere: & ne à ſacris hiſce comitiis, dum Chriſti corpus cogitur, quodpiam ejus membrum abſit. Nefas eſt, ut idem ſubjicit, cœleſtibus deliciis præferre mundi negotia & voluptates, iiſque nuncium remittere, ut unis hiſce frui liceat; oportere quotidie divino verbo mentem alere, quum nunquam aptum corpori pabulum deeſſe ſinamus; ali verò animum divinis laudibus & Pſalmorum cantu; denique Sabbato & Dominica die frequentiùs ad Eccleſiam eundum, ut diligentiùs detur opera precibus & divino verbo. L. 2. c. 59.

III. Mos igitur Eccleſiæ veteris fuit bis quotidie ad Eccleſiam accedere, Pſalmos mane ac veſpere canere, & divinum verbum audire: tamdem ſi quando pietas paulatim langueſcere viſa fuiſſet, Epiſcopi partes erant populum ad Chriſtianarum virtutum Officia excitare. Oſtendimus alibi Pſalmorum cantum & Horas Canonicas vetuſtate Eccleſiæ concedere, & in eam invectas eſſe, non tam cauſas Clericorum, qui ea tempeſtate minùs frequentes erant, & vix ſacris cœtibus, in quibus Pſalmi canebantur, & ſacræ Litteræ legebantur, præeſſe poterant, quàm totius Populi. Tunc igitur veteres Chriſtiani quotidie vacantes piis hujuſmodi operibus, non injuria dici poterant dies quoslibet tanquam Feſtos celebraſſe.

IV. Operæ pretium eſt animadvertere perſæpè tunc ſe in Eccleſiam contuliſſe majores noſtros, non tantùm ut unis precibus animum adjungerent, verùm etiam ut illinc majus pietatis ſtudium reportarent, quo cæteræ diei actiones imbuerentur. Neque quaidam temporis partes divinis Laudibus dicare ſub ortum Solis, Prima diei hora, Tertia, Sexta, Nona, Veſpere, & Completorio, quod Sole occidente perſolvebatur, lædebat quicquam, vel coercebat Pauli illud, *Sine intermiſſione orate*. Nam ut quis aliud agens interdiu, & occupationibus familiaribus, aliiſque impeditus, idem virtutum & precandi ſtudium foveret, maximè expedire, atque adeò neceſſarium eſſe videbatur in ejuſmodi negotiis identidem ceſſare, noviſque rurſum viribus inſtrui, novo divini amoris æſtu flagrare.

V. Nec quiſquam exiſtimaverit parum his actionibus minùs liberalibus, parum agrorum cultui convenire cum jugi illa ſolennitate quam ſemper pii quique agitant. Charitas eos qui primùm hoſtes atque captivi erant, Dei Filios efficit; immò idem charitas eſt atque libertas, nec ſervi opus dicendum eſt quod ea impellente fit, ſed liberorum potiùs eſt divina illa dilectio. Benè igitur, ac ſapienter ait Clemens Alexandrinus, Juſtos nullum terra, marive opus aggredi, quod perpetuæ Sanctorum ſolennitati adverſetur; nuſquam enim divinas laudes valere jubent, nuſquam divini Patris amorem.

VI. Utrumque complexus fuiſſe videtur Sanctus Joannes Chryſoſtomus ſcribens à Chriſti cultores non ita vitam inſtituendam eſſe, ut Feſtos tantùm putet Dominicos, vel Interlunii dies: verùm cuncta hæc quæ in oculos incurrunt, rem domeſticam, honores, voluptates minimi duci oportere, & magnam mentis tranquillitatem comparare, ut ſolennia quædam numquam abrupta peragere poſſit. Hæc Criſtianorum virtus eſt, ita mores ſuos componere, ut jugis celebritas ſit; quiete enim animi benè conſtituti, & mentis tranquillitate Feſti dies maximè continentur, ut Paulus docet: *Nihil enim æquè tranquillitatem & ſedationem animorum ingenerat, atque hæc Religionis noſtræ inſtituta; res præſentes dejicere, futuris inhiare, nihil humanum ſtabile judicare, non divitias, non potentiam, non honorem, non clientulos &c. Itaque perpetuò feriari potes. Chriſtianum enim non Menſibus, non Noviluniis, non Dominicis diebus feriari oportet, ſed per omnem vitam Feſtum diem ſibi accommodatum agere. At quis ille Feſtus dies maximè conveniens eſt? Audiamus Paulum dicentem; Itaque feriemur, aut Feſtum agamus, ἑορτάζωμεν, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis. Si ergo puram habes conſcientiam, Feſtum diem ages perpetuo, bona ſemper nutritus ſpe, & futurorum bonorum perfuſus expectatione.* Tom. 1. hom. 23. p. 198.

VII. Mentem ſuam clariùs aperit Chryſoſtomus docens non tantùm ex omnibus diebus Feſtis unum conſtitui poſſe, verùm etiam Paſcha quoddam, nunc quidem inchoandum, & in Cœlo tamdem peragendum. Ut enim idem contendit, Solennis dies myſticè agitur, quoties pietati, cæteriſque virtutibus totus dicatur. Quapropter neque nuncium remittere honeſtis occupationibus neceſſe eſt, neque permutandæ videntur; ſatis erit in iiſdem ad charitatis præſcriptum verſari; tum enim nihil in illis illiberale inerit, nihil ſanctiore die minùs dignum; Dei enim dilectio gaudii ſolenniorum dierum fons eſt, & origo. Quòd ſi quovis die Paſcha celebrare nobis arrideat, nihil aliud opus erit quàm Euchariſtia veſci, ſacrum facere vel ei intereſſe, ea tamen ratione, ut ad Chriſti mortem & reſurrectionem animum advertamus, ei arctiſſimo fœdere juncti qui nos omnes complectebatur pro nobis moriens, atque reſurgens, complectiturque etiamnum in Sacramento illo, quod æternum eſt Mortis & Reſurrectionis ſuæ teſtimonium: *Sicut Sol ſemper exoritur, & non dicimus multos Soles, ſed eſt Sol quotidie oriens; ſic & Paſcha ſemper conſummatur, & quum ſemper celebretur, unum eſt. Solennitates noſtræ ſimiles non ſunt Judæorum ſolennitatibus. Non ſervimus loco, nec ſervimus neceſſitati temporis. Dominica voce firmati: Quotieſcumque, inquit, manducabitis panem hunc, & hunc calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. Annunciavimus namque hodie mortem Chriſti. Sed tunc quidem Feſtivitas, & hodie Feſtivitas. Ubi enim charitas gaudet, ibi eſt Feſtivitas; & ubi recepi lætantes Filios, maximam celebro Solennitatem: etenim illa Feſtivitas charitas eſt.* Tom. 2. p. 2. pag. 44.

VIII. Dignum quod animadvertatur eſt, nolle tantum Scriptorem Chriſti & Apoſtoli veſtigiis inhærentem laborare nos ea ſuperſtione, qua Ebræi plures loca quædam & tempora colebant. Lex vetus utpotè in parva quadam regione, nonnullorum annorum ſpatio, florens, adſtricta fuit uni Templo, à Deo tamdem ſolo æquato, & ſtatis quibuſdam diebus, quibus non ita facilè fieri poterat ut quiete Legis fruerentur. At Dei Filius teſtatus eſt, fore ut Patris ſui cultores non ampliùs Templo Hieroſolymitano addicerentur, ſed ſanctiore ſpiritus & veritatis obſervantia eum venerarentur, Spiritum ſcilicet quem loca nulla coercere, mens nulla aſſequi intelligentia poſſet. Sanctus Paulus acriùs perſtrinxit nonnullos qui recens Criſtianæ Religioni nomen dederant, quòd ægrè ferrent ab obſervantia dierum Moſaicorum deſciſcere. Divinum Eccleſiæ Sacrificium, unde gaudium omne, omnis noſtrarum Solennitatum ſanctitas profluit, quovis loco ac die peragitur. Hoc Paſcha noſtrum eſt; hoc agere quotidie licet. Paſcha quod

ſemel quotannis ſolenniore pompa recolitur nihil Euchariſtia dignius confert; hujus verò copia nobis quotidie fit. Qui enim fieri poſſit ut Paſchalis ſolennitas ſanctius aliquid largiatur, quum omnis felicitas ſua ſit in hoc Sacrificio & in hiſce divini gaudii primordiis, quo in Cœlo ſuprema imponetur manus ſolennitati & gaudio illi quod in præſentia oritur, atque in dies augetur?

IX. Ita quidem Chryſoſtomus; ſed quando de Religionis præcipuis fundamentis agitur, operæ pretium erit eadem fuſiùs perſequi; quo majus rationum momentum veritati huic adjiciatur, pleniùſque confirmetur. Ter tantùm, Deo jubente, ut Sanctus Antiſtes adnotat, oportuit quotannis Ebræos undique Hieroſolymam confluere. Quum unum omnium eſſet Templum, haud facilè fieri poterat ut eo ſæpiùs contenderent, ii maximè qui diſſitas regiones incolebant, neque omnes omninò capere potuit urbs una & unum Templum, ſi omnes ſimul illuc conveniſſent. Itaque vel ex præcipuis Ebræorum legibus intelligi potuit Moſaicam Religionem neque diu, neque latiùs vim habituram. Quod ad nos ſpectat, id Deus omninò vult, ut ad ipſum ſemper accedamus; *Nos autem*, inquit Chryſoſtomus, *ſemper ſibi vult Deus apparere*. Certa quædam ſolennia Deus tunc conſtituerat; nunc verò unam, & jugem ſolemnitatem Chriſtus. *Illis quidem tribus ſolum temporibus ut Feſtum agerent imperavit: nobis autem ut ſemper id præſtemus præcepit; ſemper enim nobis eſt Feſtivitas.*

Tom. 5. ſer. 36. pag. 546.

X. Quo autem faciliùs intelligamus ſolennitates omnes unam illam, de qua identidem loquuti ſumus, ſimul efficere, id ob oculos ponit Chryſoſtomus in Epiphania, Paſchate, ac Pentecoſte, quæ principes ſolennitates videntur. In Orientis Eccleſiis Epiphania eadem erat, atque Incarnatio & Nativitas divini Verbi in humana natura. Porrò Dei Verbum æternum eſt, nobiſque adeſt, atque aderit quovis die, & quovis temporis puncto. Nihil ergo impedimento eſſe poteſt quominus Jeſu Chriſti Nativitatem ſingulis quibuſque diebus celebremus; *Ut intelligatis Feſtivitatem nobis ſemper eſſe, Feſtivitatum dicam occaſiones, & ſingulis diebus Feſtum eſſe cognoſcetis. Prima Feſtivitas apud nos Epiphania, quoniam Deus in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. Quandoquidem Unigenitus Dei Filius nobiſcum fuit. At hoc eſt ſemper: ecce enim, inquit, vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi; ideò ſingulis diebus Epiphania poſſumus celebrare.* Paſcha mortem Redemptoris noſtri in memoriam revocat; Paulo autem teſte, in Euchariſtia mors Chriſti recolitur; Paſcha igitur quotidie poſſumus celebrare: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc &c. mortem Domini annunciabitis. Quando igitur ſemper mortem Domini poſſumus annunciare, Paſcha ſemper celebrare poſſumus.* In Pentecoſte Spiritum Sanctum Eccleſiæ & Apoſtolis largitus eſt Deus; quum verò eumdem Spiritum nunquam non in Juſtos effundat, is autem in eorumdem mentibus cum Dei Verbo inſit, ſemper à Juſtis Pentecoſte peragetur: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum Spiritum veritatis. Ut igitur de ſeipſo dixit Chriſtus, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi, ac ſemper Epiphania poſſumus celebrare; ita quoque de Spiritu Sancto dixit, Vobiſcum eſt in æternum, ſemperque poſſumus Pentecoſtem celebrare.* Non ſingulis annis proficiſcebantur ab Ægypto Judæi, ac mare tranſmittebant Paſcha celebrantes, vel ignem ac fulmina in montem Sinai decidentia intuebantur, timendæ majeſtatis Dei eorum ſummi Legiſlatoris indicia, dum Pentecoſten ſolemni ritu agerent. Præteritarum tantummodò rerum meminiſſe poterant. Verumtamen Chriſtiani in Paſchate noſtro vero divini Agni pro nobis jugiter immolati corpore veſcimur, ac niſi ſcelera noſtra impedimento ſint, eumdem prorſus divinum Spiritum, eadem illius munera tribuit nobis Deus, quæ quondam in majores noſtros ſacro Pentecoſtes die collata fuerunt.

XI. S. Joannes Chryſoſtomus ex Apoſtoli verbis vota ejuſdem patefecit: optabat Paulus Chriſtianum populum videre Feſtum diem jugiter agentem. Nec Paſchæ, nec Pentecoſtes dies celebrabantur tum quum eos juſſit pio quodam gaudio delibutos ſolemnitatem agitare. Semper enimverò dies Feſtus eſt, ubi adſit gaudium quod beatæ vitæ initium eſt: *Atque ut intelligatis nobis ſemper Feſtum agitare licere, neque determinatum eſſe tempus, neque nos temporis neceſſitate coarctari, quod Paulus dicat attendite: Itaque Feſtum agitemus: ὥστε ἑορτάζωμεν; tametſi non erat tum Feſtivitas quum hæc ſcriberet, non erat Paſcha, non erat Pentecoſte. Sed indicat non tempus, ſed conſcientiam mundam Feſtum efficere. Nihil enim aliud eſt Feſtum quàm lætitia. Spiritalem verò lætitiam nihil aliud gignit quàm conſcientia bonorum operum: porrò is cui bona ſit conſcientia & talia opera, Feſtum ſemper agere poteſt.* Hæc pro concione Chryſoſtomus ipſo Pentecoſtes die, ut menti noſtræ altiùs infigatur ad excitandum torpens in nobis pietatis ſtudium tot dies ſolennes in Eccleſia fuiſſe conſtitutos, & meminerimus quovis tempore eos celebrari poſſe. Idem de Templis judicium eſto; etenim loca precibus ac religioni dicata ſunt, ut qui in iiſdem pietati ad verum Deum vacaret, poſteà ubique gentium timore ac religione perculſus in quodam Templo manere ſibi videretur Numinis majeſtate ac præſentia inſigni. Nec diſpar Horarum Canonicarum eſt ratio; non enim reliquis diei horis otio diffluere licet ei qui illis dat operam. Segnes excitant, & ad Chriſtianæ pietatis officia viam ſternunt.

XII. Prætereà laudatus ſæpiùs Auctor animadvertit Dei Filium à Judaica temporum captivitate nos aſſeruiſſe & in libertatem vindicaſſe, ne fortè elapſis diebus Feſtis, tanquam ſolennibus peractis, myſteriorum quæ tunc recolebantur, & ſemper recolenda ſunt, obliviſceremur. Idcircò ſemel Quadrageſimæ jejunia indicuntur, Paſcha tamen perſæpè agitur: adeſt enim in Euchariſtia eadem hoſtia, Agnus idem, idem Cœnæ Domini & Calvarii Sacrificium, in quo pro nobis quotidiæ culpæ ac mundo moritur, & nobiſcum iterùm iterùmque reſurgit. In Paſchate à Chriſto cum Apoſtolis celebrato nihil ſanctius, majuſve inerat quàm in eo quod ſingulis diebus Euchariſtia paſti peragimus, vel altero, vel tertio quoque die: *Ego oſtendo non modo Chriſtum non juſſiſſe dies obſervari, ſed etiam ab hac nos neceſſitate liberaſſe. Audi ſanè quid dicat Paulus: ego autem quum Paulum dico, dico Chriſtum; ipſe enim eſt qui Pauli animam movet. Quid igitur iſte dicit? Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos; timeo vos ne fortè ſine cauſa laboraverim in vobis. Et rurſus, quotieſcumque manducabitis panem hunc &c. Quotieſcumque vero quum dixerit permiſit hoc ejus arbitrio qui accedit, eumque ab omni dierum obſervatione liberavit. Quadrageſima ſemel in anno fit; Paſcha vero ter in hebdomada, nonnunquam vero quater, vel potius quotieſcumque volumus. Eſt enim Paſcha, non jejunium, ſed oblatio, & Sacrificium, quod in ſingulis fit collectis &c. Paſcha eſt mortem Domini annunciare. Nam quæ hodie fit oblatio, quæque heſterno die celebrata eſt, & quæ ſingulis diebus, ſimilis eſt & eadem cum ea quæ die illa Sabbati facta eſt, & nihilo fuit illa venerabilior quàm iſta, nec vilior hæc quàm illa, ſed una eademque pariter tremenda & ſalutaris.*

Tom. 5. ſer. 52. pag. 709.

XIII.

XIII. Sequi hinc putat Chryſoſtomus, Catechumenos Paſchalia ſolennia minimè celebraſſe, tametſi quadrageſimæ jejunium obſervaſſent, quod Euchariſtia abſtinerent. Contra, Chriſtianis ſacris initiatos, qui nullo ciborum delectu uti potuiſſent, vel ſtata jejunia ſtatim ob ægritudinem ſolviſſent, Paſchalem ſolennitatem egiſſe, modò à culpa caſti ad eam acceſſiſſent. Sanè ab omni pietatis ſpecie abhorret, dum de tanto Sacramento agitur, certorum dierum potiùs quàm morum rationem haberi: *Sanè Catechumenus nunquam Paſcha celebrat, etſi jejunet ſingulis annis, quia non communicat oblationi; quemadmodum & qui non jejunat, ſi cum pura accedat conſcientia, Paſcha celebrat, ſive hodie, ſive cras, ſive alio quovis tempore communionis fiat particeps. Non enim ex temporum obſervatione, ſed ex pura conſcientia optimus judicatur acceſſus. At nos contrarium agimus, mentem quidem non expurgamus, ſed ſi die illo accedamus, celebrare nos Paſcha cenſemus, quantumvis peccatis redundemus.*

XIV. Profert alibi in medium ac ſolvit dubium quoddam dignum quod ad examen revocetur. Paulus Apoſtolus qui omni animi contentione in id incumbebat, ut nos ab illa temporum locorumque captivitate in libertatem aſſereret, ſuo ſe gladio jugulare viſus eſt vehementer cupiens Hieroſolymam petere Pentecoſtes celebrandæ cauſa; *Feſtinabat ſi poſſibile ſibi eſſet ut diem Pentecoſtes ageret Hieroſolymis. Vides ut ille qui dicebat, Ne obſervetis dies, & menſes, & tempora, diem Pentecoſtes obſervaret. Neque verò diem tantum obſervabat, ſed & locum. Non enim ſolum ut diem Pentecoſtes ageret, feſtinabat, ſed etiam ut eam Hieroſolymis celebraret.* Tom. 5. hom. 63. pag. 216. Atqui conſtat œconomiæ ſolius gratia id egiſſe; verebatur enim ne rudiores quoſdam minùſque ſtrenuos Chriſti milites, Cæremoniis Moſaicis nonnihil adhuc addictos, læderet, & in eorum offenſionem incurreret. Suarum partium eſſe duxit eorum ſtudiis obſequi, & cuidam in Chriſtianis ſacris infantiæ morem gerere. Ita fore ſperabat ut tandem aliquando ex rudimentis illis, & humilioribus ſtudiis emergerent, & ad præſtantioris virtutis genus, libertatiſque ſecum adſpirarent. Hæc prima ſacrorum ſolennium origo, ſi fides habenda Chryſoſtomo; ſiquidem majores noſtri rudiorum ejuſmodi hominum rationem habendam eſſe, benè ac ſapienter exiſtimarunt. Nam pietati & Chriſtianis virtutibus id genus homines haud continenter vacant, præterim ob impendentia negotia quibus implicantur; verſantur enim in rebus quæ mentem adhuc nutantem & imbecilliorem vehementiùs perturbant, huc atque illuc impellunt, & à divinarum rerum cogitationibus avocant: *Neque enim temerè, & ſine cauſa nobis hæc tempora Patres obſervarunt, ſed prudenti aliqua ratione ducti id egerunt, non ut libertatem noſtram temporum neceſſitati ſubjicerent, ſed ut dum ſe imbecilliorum ſubjicerent egeſtati, ad cognitionis opes illos proveherent.* Cognitio hujuſmodi, ſive *γνῶσις*, eſt divinarum rerum & myſteriorum Chriſtianæ Religionis contemplatio. Rudiorum fides tenebris offunditur, contemplatio clariore atque uberiore lumine completur. Clemens Alexandrinus cæteríque Græciæ Patres, Paulo duce, eadem ratione vocem hanc uſurparunt. Mens igitur Chryſoſtomi eſt ab ea majorum noſtrorum œconomia repetendam eſſe originem ſtatorum ſolennium ab exordio uſque Eccleſiæ, ut rudiores, & minùs præſtanti virtute viri, à cæteris quibuſque rebus paulatim abſtraherentur, & unam, jugemque in præſentia ſolennitatem cunctis diebus celebrarent: *Atque ut intelligas eos idcircò tempora obſervare, non ut ſe obſervationis ſubjiciant neceſſitati, ſed quod imbecillioribus ſe accommodare conentur, audi quid dicat Paulus, Dies obſervatis & menſes &c. Jam verò ſi videamus eum qui dies, & menſes, & tempora, & annos obſervari vetat, hæc obſervare, quid quæſo, dicemus? Num eum ſibi repugnare, ſecumque contendere? Abſit: ſed cum quod vellet eorum tollere imbecillitatem à quibus tempora obſervabantur, illis ſeſe per obſervationem iſtam attemperare.* Ita Medici primum in ſe ipſis pharmacorum quorundam periculum faciunt, quod ægrotis ex uſu ſit: *Ita quoque faciunt medici, porrectos ægris cibos prius deguſtant, quamvis ipſi minimè cibis indigeant, ſed illorum ſtudeant infirmitati mederi. Ita quoque Paulus egit; quum obſervatione temporum ipſe nihil indigeret, tempora obſervavit; ut eos qui obſervabant, illa obſervandi imbecillitate liberaret.* Ne multa. Ethnici quoque ſuperſtitione quadam certa tempora ac loca maximè venerabantur. Oportuit eorum imbecillitatis aliquam rationem haberi, ut tandem fortiores evaderent: Ibid. pag. 949. *Propterea ex ſublimitate Religionis Evangelicæ deſcenderunt Apoſtoli, ut à Religionis Judaicæ humilitate ad ſublimitatem illam Judæos proveherent.*

XV. Origo à nobis allata dierum Feſtorum obſervationi minimè officit. Etenim adeò neceſſaria eſt rudioribus atque imbecillioribus, ut cum Chryſoſtomo animadvertimus, ut ipſimet Apoſtoli illis morem gerendo ſtatos hoſce dies coluerint. Id genus hominum ingens eſt in Eccleſia multitudo: perpauci præſtanti virtute viri. Præterea excellentiore virtute præditi ſe ipſi in album imbecilliorum referunt. Neque enim fieri unquam poſſet ut ea præſtanti virtute imbuerentur, ſi à ſemetipſis palmam cæteris præreptam arbitrarentur. Fortem ac validum ſe exiſtimare, maximum imbecillitatis argumentum eſt: præſtat demiſſiùs de ſe ipſo ſentire. Sanctus Paulus imbecillitatis ſuæ conſcius ſibi videbatur ſcribens, *Non quod jam perfectus ſum*. Agit quidem aliàs de vitiis pietate inſignibus, at, adnotante S. Auguſtino, non ſe cum illis, verùm cum aliis non admodum præſtantibus confert, culpæ ſe obnoxium teſtatus, qua minimè vacare credidit. Quum igitur neceſſe ſit omnes propriæ imbecillitatis ſibi conſcios eſſe, nefas erit ſtatos ſacrorum dies ad æternam beatamque ſolennitatem viam munientes parvi ducere. Quòd ſi præſtantiorum virorum ingens foret multitudo, nulla tamen ratione ejuſmodi ſacri dies negligendi viderentur, ſed Pauli potiùs, aliorumque Apoſtolorum veſtigiis inhærendum, moſque multitudini gerendus. Atqui non tantùm exemplo nobis fuit Paulus; verùm præcepit quoque ut validiores imbecillioribus opitularentur: *Infirmum in fide ſuſcipite &c. Vos qui firmiores eſtis hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Ibid. pag. 948. Fortes ac ſtrenuos decet minùs validis ſuppetias ferre, & omnibus obſequi, quod ille præſtitit, qui quum Omnipotentis Dei manus ac fortitudo ſit, *In ſimilitudinem hominum factus eſt, languores noſtros tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* Ajebat Paulus, *Imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti. Et quomodo tu beate Paule Chriſti imitator es factus? Quomodo? Quia nullibi quod mihi utile eſt quæro, ſed quod multis, ut ſalvi fiant; & quum liber eſſem ex omnibus, omnium ſervum me feci. Nihil ergo melius eſt hac ſervitute, quippè quæ libertatem cæteris parit.* Ita Apoſtolis imbecillioribus accedendo, illis ad præſtantiora virtutum officia facem præferebant.

XVI. Expendendum ſupereſt quod ait Chryſoſtomus, animum potius ac mores introſpicere oportere quàm dies, quotieſcumque Euchariſtia recipienda eſt, quod identidem inculcat: *Non enim ea ſpectamus ut accedamus parati, & malis noſtris expiati, & pleni compunctione; ſed in diebus Feſtis, & quando omnes accedunt. Sed non ſic juſſit Paulus, ſed unum novit tempus aditus & communionis, puritatem conſcientiæ.* In epiſt. ad Cor. hom. 28. Injuria

ria hinc quis conſenderet ſacras illas epulas negligi poſſe ſolennibus atque adeò Paſchalibus diebus, quòd tunc fortaſsè animus ſit flagitiis obnoxius. Contra, & ad Euchariſtiam accedere ſtatis diebus oportet, & culpa vacare, ne ad ſanctitatis totius fontem, quo mens purior efficitur prophani quique accedendo novo ſcelere ſe obſtringant. Ob id Apoſtoli & Chriſtianorum Patrum vetuſtiſſimi quadraginta dierum jejunia ante Paſcha indicenda eſſe ſanxerunt, eleemoſynas inopibus conferendas, vigilandum noctu, atque alias virtutum actiones exercendas, quibus crimi-
Tom. 5. ſer. 52. p. 709. na expiarentur: *Quum intelligerent Patres quantum ex temerario acceſſu caperetur detrimenti, convenientes, quadraginta dies jejunii deſignarunt, ut in his diebus omnes per preces, per eleemoſynas, per jejunium, per vigilias, per lacrymas, per confeſſionem, & per cætera omnia diligenter expurgati, ita pro captu noſtro cum conſcientia pura accedamus*. Fas non eſt Paſchalibus diebus Euchariſtia abſtinere, crimina prætexendo; quinimmò duplex flagitium foret Euchariſtiam miſſam facere, & ad eam parare ſe nolle.

XVII. Fuſiùs fortaſse ac par erat hæc cum Chryſoſtomo perſequuti ſumus; ſed aurea tanti momenti monita prætereunda non videbantur. Satis ſit in præſentia alium ejuſdem locum adduxiſſe, ubi clariùs adhuc mentem ſuam aperit, ſcribens ita nos ſemper paratos eſſe oportere, ut ſacris illis epulis veſci perſæpè liceat; & ejuſmodi animi morumque ſanctitatem ſacra quædam ſolennia eſſe quæ nos ad tantum convivium parant. Vulgatum Paſcha, dies Dominicus, Martyrum ſolennitates, & quotidiana Communio eadem menti ritè paratæ munera largiuntur. Major Chryſtianorum Hebdomada, & Paſcha quod eam conſequitur, ſolenniore quidem pompa celebrantur, frequens tunc ad Eccleſiam ſe confert Chriſtianus populus, & Religionis noſtræ maxima myſteria tunc geſta fuiſſe novimus; nihil tamen in nos conferunt, quod tribuere nequeat
In epiſt. 1. ad Timoth. hom. 5. quotidie Euchariſtia: *Tempeſtivum accedendi tempus munditia conſcientiæ faciat. Nihil habet amplius quod in Paſcha conſummatur myſterium eo quod continuò celebratur. Unum quippè atque idem eſt, eadem eſt Spiritus Sancti gratia, ſemper Paſcha eſt. Noſtis profectò qui initiati eſtis id quod dicimus; ſive feria ſexta, ſive Sabbato, ſive Dominica die, ſive in celebritate Martyrum, eadem litatur hoſtia, idem Sacrificium conſummatur. Una virtus, una dignitas, una gratia, unum atque idem corpus. Nihil novitatis inſpicitis præter ſæcularia iſta velamina, & multitudinem ſolito latiorem. Habent aliquid amplius dies illi, quod ſcilicet in illis initium cæpit ſalus noſtra, quia in ipſis immolatus eſt Chriſtus. Jam verò quod ad Sacramentum attinet, nihil amplius habent, nullam dignitatem, nullum privilegium*. Vocarunt veteres Corpus Jeſu Chriſti, *Bonum*, *Perfectum* τὸ ἀγαθὸν, τὸ τέλειον, nos eo veſcentes, Den frui incipimus: *de Deo ſaginamur*, ait Tertullianus. Ut præſens Deus, animique eo fruentis voluptas, æternam beatarum mentium efficit ſolennitatem; ita nunc, ob Euchariſtiam ubique eamdem ſolennes ſunt dies omnes Chriſtianorum.

CAPUT III.

De eodem rurſus argumento. Feſtos omnes Eccleſiæ dies primordia quædam eſſe unius æternæ ſolennitatis.

I. Ex S. Baſilio Paſchalia ſolennia æterna repræſentant: idcirco diebus octo celebrantur, ſeu potiùs quinquaginta; omnibus præterea Dominicis diebus.

II. Cenſet idem Auctor primum Dominica die rerum univerſitatem conditam fuiſſe: hæc in ſacris Litteris, non Primus, *ſed* Dies *tantùm dicitur, quod alios quoslibet complectatur, & ſit imago æternitatis.*

III. Quævis hebdomada eſt veluti Dominicæ diei Octava: de hujuſmodi Octavis uſque ad Pentecoſten.

IV. Stantes precamur Deum Dominicis diebus, ut quivis intelligat terram à nobis contemni, mentemque in Cœlum ferri.

V. Minutius Felix & Arnobius idem confirmant.

VI. VII. S. Hieronymus fuſiùs agit de Judaicarum & Chriſtianarum ſolennitatum diſcrimine, & qua ratione eaſdem agamus veluti partes æternæ ſolennitatis.

VIII. Aliæ S. Hieronymi animadverſiones. Chriſtianos quotidie dies omnes feſtos celebrare poſſe.

IX. Sacra Biblia & Eccleſia quoslibet hebdomadæ dies Sabbata, feriaſve vocarunt, ideſt requiem animi in Deo, quod dierum Feſtorum proprium eſt.

X. Baronius Hieronymi & Tertulliani verbis idem oſtendit.

XI. Laicis quoque quotidie feria ac ſolennia fuerunt.

XII. Paſchatis tempus magis magiſque illuſtratur; ejus Octava, & Octava hebdomadum.

XIII. Auguſtini ſententia eſt neceſſarios extitiſſe dies feſtos, ne Chriſtiani ſegniores divinorum beneficiorum obliviſcerentur.

I. PAſcha, Auctore Baſilio, initium & imago eſt æternæ ſolennitatis: hinc eo tempore genua inter orandum minimè flectimus: totos autem octo dies celebratur, ſive potiùs quinquaginta, quoad Pentecoſtes ſolennia peragantur. Hujuſmodi temporis atque ſolennitatis ſpatium, nos ſenſim ſine ſenſu manuducit ad æterna beatæ vitæ ſolennia; quorum initium reperire eſt, non verò finem. Dominicis quibuſque diebus Paſchata totidem celebramus Chriſti Reſurrectioni dicata, qui à morte excitatus æternæ ſolennitatis voluptatiſque compos fuit, haud ampliùs vitæ hujus viciſſitudini obnoxius: *In prima Sabbati erecti perficimus deprecationes, ſed rationem non omnes novimus. Non ſolum enim quod veluti cum Chriſto reſuſcitati quæ ſurſum ſunt quærere debeamus, in die Reſurrectionis data nobis gratia ſtando precantes noſmetipſos commonefacimus; ſed quod is dies videatur aliquomodo imago venturi ſæculi.*

II. Adnotat præterea Dominicam diem omnium primam fuiſſe, qua rerum univerſalitas à Deo condita eſt, quum ſeptima quæ conſequuta eſt Sabbatum extiterit. Propterea Moſes, ut hunc diem orbis primum, & imaginem æternitatis honore aliquo proſequeretur, non *Primum* vocavit, ſed tantùm *Unum*, ut habetur initio Geneſeos: *Factum eſt veſpere, factum eſt mane dies unus*; ac ſi hujuſmodi dies omne mundi ævum complecti debuiſſet. Itaque octavo quoque die idem redit; quumque octavi & Feſti diei vix ullum diſcrimen ſit, omnes omnium annorum dies contineri videntur unico, qui æternitatem nobis ob oculos ponit: *Eòque quum ſit princi-* L. de Spir. S. cap. 27.
pium dierum, non primus à Moyſe, ſed unus appellatus eſt, tanquam qui ſæpè recurrat, ut unus ſit idem & octavus, unum illum ſingularem ac verum octavum, cujus Pſalmiſta alicubi in aliquibus Pſalmorum titulis meminit, per ſe ſignificans, diem, inquam, poſt horum temporum ſtatum nunquam finiendum, ac veſpera neſcium, nec ſucceſſori cedentem, hoc eſt, æternitatem, quæ nec finem habet, nec ſenium novit.

III. Hanc æternitatis imaginem, hujuſmodi vota in Chriſtianorum mentibus inſigenda curat Ec-

cleſia Feſtos dies celebrando. Nam ut dierum orbis eſt ferè Dominicæ Octava, ad eamque revertitur, ita hebdomadarum periodus Pentecoſten efficit. Eſt vero æternitas non abſimilis circulo, cujus neque principium uſpiam eſt neque exitus: *Neceſſariè igitur in hoc die Eccleſia ſuos alumnos docet ſtantes abſolvere preces ſuas, ut aſſidua commonitione vitæ illius nunquam deſituræ, non negligamus ad eam demigrationem parare viaticum. Quin & totum tempus uſque ad Pentecoſten admonitio eſt Reſurrectionis, quam in futuro ſæculo expectamus. Nam unus ille & primus dies ſepties multiplicatus ſeptem ſacræ Pentecoſtes hebdomades abſolvit. A primo enim incipiens in principium deſinit per ſimiles qui in medio intercedunt dies quinquagies evolutus. Unde & æternitatem ſimilitudine refert, dum velut in motu circulari ab iiſdem ortus ſignis in eadem deſinit.*

IV. Deum ſtantes totos hoſce quinquaginta dies precamur, ut quivis facilè intelligat mentes noſtras ab aliis quibuſcumque rebus tunc abſtrahi, & in Cœlo verſari. Erigimur poſtquam genua fleximus, quoniam è ſcelerum cœno emergimus, Deoque, & cum Deo unicè vivimus; *In quo corporis erecto habitu precari nos Eccleſiæ ritus docuerunt, nimirum per evidentem commonitionem, quaſi transferentes mentem noſtram à præſentibus ad futura. Inſuper & quoties genua flectimus, & rurſum erigimur, ipſo facto oſtendimus, quod ob peccatum delapſi ſumus in terram, & per humanitatem ejus qui creavit nos, in Cœlum revocati ſumus.*

V. Latini Patres à Græcis non diſſident. Fatebatur Minutius Felix nulla eſſe Chriſtianorum Templa, & unam Dei Majeſtate dignam ædem eſſe illam, quam ſibi ipſi fabricatus fuerat, vel in hac rerum univerſitate, vel in mentibus vi cognoſcendi præditis, vel in homine. Idololatræ quidem majores noſtros carpebant quòd Templis, Aris, Simulacriſque carerent: *Cur nullas Aras habent, Templa nulla, nulla nota Simulacra?* Magnus tamen hic Religionis vindex nulli uſui futuram reſpondebat ædem quamvis, quum totus terrarum orbis Auctoris ſui Divinitatem circumplecti minimè poſſet: *Templum quod ei extruam, quum totus hic mundus ejus opere fabricatus eum complecti non poſſit?* Arnobius quoque teſtatur Chriſti diſcipulos Deum Templorum mole non colere. Mos erat vocare Templa ædes tantùm quas Ethnici, vel Ebræi conſtruxerant: hinc Sanctus Hieronymus hæc adverſus Vigilantium ſcribit, *Baſilicas aut deſtrueret, aut in Templa converteret*. Fortaſſe accedebat Origeni docenti Deum, eo probaſſe Ebræorum Templum, Aras, Cæremonias, quòd ea religionis officia erga ſe potius, quàm erga fictitia impiorum Numina præſtari voluerit.

VI. Fuſiùs alibi quid ſentiat Hieronymus explicat contendens cum Origene injuria Chriſtianos Judaiſmi labe adſpergi, quaſi iiſdem dierum, menſium, temporumque obſervationibus nimiùm addicti forent, etſi quavis hebdomada Feſtus dies celebretur, Paſcha præterea, Pentecoſtes, & Martyrum Solennia. Quandoquidem non tantùm Chriſti Reſurrectio, & Spiritus Sancti adventus longè abſunt à cæremoniis Judaici Paſchatis & Pentecoſtes, verùm etiam quoniam Religionis noſtræ ſacra arcana æterna ſunt, non temporum, tempeſtatumve viciſſitudini obnoxia, eademque quavis anni tempore ſanctitate, & divinæ Gratiæ ubertate donantur. Quovis die, modò nobis viſum fuerit, Jeſus Chriſtus pro nobis mortem oppetit, & reſurgit; nullum eſt temporis punctum quo divinus Spiritus in mentes ritè paratas non illabatur. Non omnes quidem ea charitate flagrant, iiſque virtutibus præditi ſunt, ut illis ſemper adſint tantæ efficacitatis myſteria; idcircò ſtatos dies ſolennes peragendos curavit Eccleſia, ad pietatis, virtutumque ſtudia inſtauranda, menteſque ab aliis occupationibus avocandas: *Dicat aliquis, ſi dies obſervare non licet, & menſes, &* In epiſt. ad Galat. c. 4. *tempora, & annos, nos quoque ſimile crimen incurrimus quartam Sabbati obſervantes, & Paraſceven, & diem Dominicam, & jejunium Quadrageſimæ, & Paſchæ Feſtivitatem, & Pentecoſtes lætitiam, & pro varietate regionum diverſa in honorem Martyrum tempora conſtituta. Ad quod qui ſimpliciter reſpondebis, dicet, non eoſdem Judaicæ obſervationis dies eſſe, quos noſtros. Nos enim non azymorum Paſcha celebramus, ſed Reſurrectionis & Crucis; nec ſeptem juxta mores Iſrael numeramus hebdomadas in Pentecoſte, ſed Spiritus Sancti veneramur adventum; & ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Chriſto, proptereà dies aliqui conſtituti ſunt, ut in unum omnes pariter veniremus. Non quo celebrior ſit dies illa qua convenimus, ſed quo quacumque die conveniendum ſit, ex conſpectu mutuo lætitia major oriatur.*

VII. Hæc prima Hieronymi reſponſio, qui aſſerere non veretur Feſtos dies haud aliis præcellere, conſtituendos tamen in Eccleſia fuiſſe, quo magis hominum ſocordia excuteretur in iis quæ ad Deum pertinent, & mutua inter Chriſtianos tunc ſimul coactos dilectio foveretur. Nec à veritate aberrat ſacras quoque eſſe quaſvis diei Feſti horas; nihilominus nonnullas præ aliis dicandas fuiſſe Canonicarum precationum & Sacrificii celebrationi, ut harum religio major reliquas ſanctiores efficeret, totumque diem odore pietatis perfunderet. Tam ſacra Solennia, tot Feſti dies ſpectant univerſam illam, de qua perſæpè egimus, Juſtorum ſolennitatem; ut certæ hæ maximorum myſteriorum horæ reliquum ſtatorum dierum hujuſmodi tempus. Cuncta eodem modo divino cultui dicata ſunt; cuncta à Deo ſunt, & ad Deum pertinent. Quoniam autem refrigeſcit quandoque Dei amor in hominum pectoribus, torpetque orandi ſtudium, certi dies conſtituendi erant, horæ etiam certæ, & harum partes quædam, quibus religio labeſcens inſtauraretur.

VIII. Adjicit nonnulla Hieronymus, quæ ab aliis Patribus non abhorrent, & eodem recidunt: *Qui vero oppoſitæ quæſtioni acutiùs reſpondere conatur, illud affirmat, omnes dies æquales eſſe, nec per Paraſceven tantum Chriſtum crucifigi, & tertia die reſurgere; ſed ſemper ſanctum Reſurrectionis eſſe diem, & ſemper eum veſci carne Dominica. Jejunia autem & congregationes inter dies propter eos à viris prudentibus conſtitutas, qui magis ſæculo vacant, quàm Deo, nec poſſunt, immò nolunt, toto in Eccleſia vitæ ſuæ tempore congregari, & ante humanos actus Deo orationum ſuarum offerre Sacrificium. Itaque ſicut nobis licet, vel jejunare ſemper, vel ſemper orare, & diem Dominicam accepto Domini Corpore indeſinenter celebrare gaudentibus; non ita Judæis fas eſt omni die immolare Agnum, Pentecoſten agere, Tabernacula figere, jejunare quotidie.*

Duo hic animadvertere non abs re fuerit. Primum potuiſſe quidem Ebræos quotidie recordari profectionis ab Ægypto, Legiſque à Moyſe latæ, atque ita Feſti diei ſpatium producere; attamen integrum illis non fuiſſe Paſchalem Agnum offerre, vel alia Sacrificia in Levitico cuilibet Solennitati adjecta, diebus minimè à Lege conſtitutis facere. Jejunia ſimul & Feſtos dies obſervare fas illis non fuiſſet: non igitur poterant Chriſtiana libertate gaudere. Alterum adnotatu dignum videtur, quòd quamvis Eccleſia jejuniorum atque ſolennitatum diſcrimen conſtituerit, plurimiſque ſæculis jejunia Feſtis diebus minimè licere contenderit: tandem etſi Dominica die jeju-

nio

nio interdictum ſit; nihilominùs, ut ſapienter Hieronymus tradit, Chriſtianis fas eſſe quo maluerint die Chriſti mortem recolere, & quovis cibo abſtinere, ut in ſacra majoris Hebdomadæ Paraſceve. Quodcumque fuerit Eccleſiæ Decretum, ut aliàs cum Auguſtino vidimus, quotieſcumque abſtinentiæ tempus profertur, nihil impedimento eſſe poteſt quominùs Dominicis etiam diebus, ſi qui tunc accidant, jejunia proſequamur; quòd non ipſa Dominica dies tunc jejunio dicata fuerit, nec ejuſmodi opus cum dierum Feſtorum religione pugnet. Cæterùm ſi quid remittendum eſt, & corporibus jejunio conſectis parcendum; id Dominica potiùs die quàm aliis faciendum videtur.

IX. Clariùs hæc explicabimus, ac ſimul novum quoddam Eccleſiaſticæ politiæ caput in medium adducemus expendentes nomina, quibus cum in Libris Canonicis, tum ab Eccleſia dies hebdomadæ nuncupantur. Sacra Scriptura dierum omnium nomina à Sabbato, ſive quietis die mutuatur. Dominica quæ diem quietis conſequitur, *Una Sabbati* dicitur, dies Lunæ, *Secunda Sabbati*, dies Martis, *Tertia Sabbati*; eademque cæterorum eſt ratio: ita ſinguli hebdomadæ dies Sabbata ſunt. Idem ferè ſunt *Feriæ* ab Eccleſia Sabbatis ſuffectæ: reipſa eadem eſt vis, quod ad nomen pertinet, Latinarum Feriarum, & Sabbati Judaici. Votum Auguſtini erat hujuſmodi nomina in Eccleſia adhiberi, valere juſſis tot vocibus petitis à Planetis, vel ab impiis illis ac flagitioſis hominibus, quibus nomen cum ſtellis commune fuit: *Una Sabbati dies Dominicus eſt; Secunda Sabbati, ſecunda Feria, quam ſæculares Lunæ diem vocant; Tertia Sabbati, tertia Feria, quam diem illi Martis vocant; Quarta Sabbatorum, quarta Feria, qui Mercurii dies dicitur à Paganis, & à multis Chriſtianis: Sed nolumus ut dicant, atque utinam corrigantur, ut non dicant. Sic enim habent linguam ſuam qua utantur: meliùs de ore Chriſtiano ritus loquendi Eccleſiaſticus procedit.* (In Pſ. 93.) Jure maximus Doctor Chriſtianos proprio quodam ſermonis genere uti cupiebat, non tantùm ne impiæ voces eorum linguas maculis adſpergerent, verùm etiam ut ab ipſiſmet nominibus admonerentur dies quoſvis quietis & ſolennitatis eſſe, quum Sabbata ac Feriæ quietem Feſtorum dierum ſignificent, ideſt animi ſibi & Deo unicè vacantis tranquillitatem.

X. Idem Baronius ſentit, Origenem & S. Hieronymum ſequutus, nihil reipſa inter dies intereſſe; omnes Deo conſecratos fuiſſe, atque idcircò Ferias vocatos: (Ann. Chr. 58. n. 87.) *Ex his igitur ex ſententia Origenis & Hieronymi recitatis, quibus dicitur, Chriſtianos ſanctiores non hanc vel illam ad divinum cultum præſcriptam habere diem, ſed cunctis propenſiùs divinum Numen venerari, inferri poſſe videtur, ea potiſſimum ratione in Eccleſia antiquitus inſtitutum, ut dies hebdomadæ omnes Feriæ nomine dicerentur.* Perperam igitur hujuſmodi inſtitutio S. Sylveſtro Romano Pontifici accepta refertur; etenim multò ante Sylveſtrum Pontificem hebdomadæ dies dicti ſunt Feriæ. Quarta & Sexta Feriæ extant in operibus Tertulliani, qui Juſtorum dies omnes Feſtos eſſe arbitratur: *Nobis certè omnis dies, etiam vulgata, conſecratione celebratur;* & alibi: (Adv. Pſych. Adv. Jud.) *Nos intelligimus magis ſabbatizare vos omni opere ſervili ſemper debere, & non tantùm ſeptimo quoque die, ſed per omne tempus.* Dies quoſvis Paſchales eſſe cenſuit Sanctus Hieronymus hominibus divinæ Gratiæ munere juſtificatis, & cum Chriſto à morte excitatis, & ad Dei ſolium cum ipſo ſublatis: *Conreſuſcitavit & conſedere fecit in cœleſtibus.* En Hieronymi verba à Baronio poſt Tertulliani locum allata: *Nemo vos judicet in parte diei Feſti, ut alios dies Feſtos putetis, alios non Feſtos. Nobis enim qui in Chriſtum credimus reſurgentem, jugis & æterna Feſtivitas eſt.* Tandem à vero minimè abhorret quod eruditiſſimus Cardinalis adnotavit, principio Ferias vocari cœptas eſſe ſex dies qui Paſcha conſequuntur, ac poſteà omnes omnium hebdomadarum; quavis enim Dominica die Paſcha & Chriſti Reſurrectio recolitur: *Sicut in prima Reſurrectionis hebdomada dies ſinguli Feriæ nomine dicebantur; ita ſequentibus ſingulis hebdomadis, quod eadem repetita ſolennitas videretur, eodem quoque modo cæteri hebdomadæ dies etiam Feriæ dicerentur.* Dies octo Paſchales tanquam Feſti quondam celebrabantur, & admodum ſolennes erant, ut in ſecundo hujus Operis Libro pluribus demonſtrabimus; quapropter quum Feriæ vocarentur, Feriæ ac Feſti dies idem Majoribus noſtris videbantur.

XI. Itaque à conjectura Beda aberravit arbitratus, (L. de ratione Temporum.) jubente primùm Sylveſtro Romano Pontifice, Clericis ſolis Ferias fuiſſe hebdomadæ dies; quippè mos ille multò ante Sylveſtrum Pontificem inveteraverat apud Clericos, & apud Laicos. Ut nihil de Tertulliani & Hieronymi verbis jam allatis dicam, idem Tertullianus Libro de Jejunio ſcripſit Ferias & Sabbata diverſa tantùm eſſe unius ejuſdemque rei nomina: *Cur ſtationibus quartam & ſextam Sabbati dicatis?* Et alibi: *Proinde nec ſtationum quæ & ipſæ ſuos quidem dies habeant quartæ & ſextæ Feriæ &c.* Intelligimus ex Tertulliani verbis, Clericis cum Laicis Ferias fuiſſe communes, quemadmodum Sabbata. Huc accedit Iſidorum quoque ſenſiſſe diem Dominicam Feriarum primam vocari, alteram verò, ſequentem diem; atque ita de reliquis ob præcedens Sabbatum: *Inde dies Solis prima Feria nuncupatur, quia primus eſt à Feria: item dies Lunæ perinde ſecunda Feria, quia ſecundus eſt à Sabbato &c.* (L. de nat. rer. c. 3.)

XII. Quod ad Paſchæ dies, Auguſtinus auctor eſt Feſtos fuiſſe maximè ob illos qui recens Chriſtianis ſacris initiati fuerunt in Baptiſmo: *Nam ut quadraginta illi dies ante Paſcha obſerventur, Eccleſiæ conſuetudo roboravit; ſic etiam ut octo dies Neophytorum diſtinguantur à cæteris, ideſt ut octavus primo concinat.* (Epiſt. 119. cap. 17.) Ut prima dies Dominica poſt Paſcha, alterum ferè Paſcha dici poteſt; ita hebdomada poſt Paſchalem prior, ſolenniorem Paſchatis hebdomadam repræſentat. De ejuſdem Paſchatis Octava Auguſtinus alibi loquitur: *Et celebratione Octavarum Feriarum, quas in regeneratione novi hominis celebramus.* (De ſer. Dom. in monte L. 1.)

Quo autem magis perſpicuum fiat ſolennem Paſchatis celebrationem eò ſpectare, ut nos æternæ ac beatæ illius ſolennitatis admoneret, ſatis eſt acriùs intendere in ea quæ ſubjicit Auguſtinus; ideſt, ut ſolennis hebdomada, Paſchæ diem Feſtum ſequitur, ita Paſchali hebdomada elapſa, hebdomadarum Octavam quandam celebrari, & Pentecoſten, ac ſi una eademque ſolennitas tot dies peragerctur. *Nam ſeptenario numero ſepties multiplicato, quo fiunt quadraginta novem, quaſi octavus additur, ut quinquaginta compleantur, & tanquam redeatur ad caput, quo die miſſus eſt Spiritus Sanctus.* (Ibid.) Huc ſpectat quod præclarè ait Tertullianus, Feſtos omnes Ethnicorum dies ſimul, quod pertinet ad dierum numerum, uni Chriſtianorum ſolennitati concedere, videlicet Pentecoſtes celebritati: *Excerpe ſingulas ſolennitates nationum, & in ordinem texe, Pentecoſten implere non poterunt.* (L. de Idolol.)

XIII. Credidit Auguſtinus ſtata ſolennia inſtituta fuiſſe, ut ne divina beneficia memoria excidant, & grati animi argumenta promamus: (De Civ. L. 10. cap. 4.) *Ei beneficiorum ejus ſolennitatibus Feſtis & diebus ſtatutis dicamus ſacramuſque memoriam, ne volumine temporum ingrata ſubrepat oblivio:* & contra Fauſtum Manichæum: (L. 32. c. 12.) *Ea quippè anniverſa-*

rie

ria in Eccleſia celebrantur, quæ inſigniter excellentia certis diebus facta ſunt, ut eorum neceſſariam ſalubremque memoriam Feſtivitas concelebrata cuſtodiat.

C A P U T IV.

De Feſtis diebus quinque priorum Eccleſiæ ſæculorum. De Paſſione, Paſchate, Aſcenſione, Pentecoſte, Natali, Epiphania, Transfiguratione, Annunciatione, Purificatione, Apoſtolis, Martyribus.

I. S. Auguſtinus teſtis locuples eſt ſolennitatum Paſſionis, Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes ubique gentium celebratarum. Illinc ſequi cenſet earum originem repetendam eſſe aut à S. Scriptura, aut ab Apoſtolis, aut à Conciliis.

II. Cur in album Solennitatum Chriſti Nativitatem non referat, quamvis, eo fatente, perageretur.

III. S. Leo Magnus Romanus Pontifex auctor eſt quinto Eccleſiæ ſæculo peracta fuiſſe in Urbe Solennia Epiphaniæ, Transfigurationis, S. Laurentii, & SS. Petri & Pauli.

IV. Scribit Euſebius Cæſarienſis Conſtantinum obſervari præcepiſſe Dominicam diem, Paraſceven, & Martyrum ſolennia.

V. Martyrum dies Feſti peracti ubi necati fuerant.

VI. Novimus ex S. Joanne Chryſoſtomo, Orientis Eccleſias coluiſſe Epiphaniam, Paſcha, Pentecoſten, & Martyrum ſolennitates. Epiphania eadem apud ipſum atque Nativitas Chriſti.

VII. Conſtitutiones Apoſtolicæ jubent obſervari Sabbatum, atque diem Dominicam quavis hebdomada, ſeptem dies ante Paſcha, totidem poſt ipſum, Aſcenſionem, Pentecoſtem, Natalem Chriſti diem, & Epiphaniam, ſive Chriſti Baptiſmum: tandem ſolennes ſtatoſque dies Apoſtolorum, S. Stephani, & Martyrum.

VIII. In Cæſareis quoque Legibus Valentiniani & Theodoſii Imper. quarto Eccleſiæ ſæculo ad finem vergente, non eadem eſt Nativitas Chriſti & Epiphania: Feſtus dies Apoſtolorum, vel SS. Petri & Pauli tantùm, vel omnium ſimul, in iiſdem Legibus.

IX. Ne verbum quidem in eis fit de ſolennitatibus Martyrum, quæ ubi Martyres occubuerant agitabantur ea tempeſtate: momenta rationum petita è litteris Eccleſiæ Smyrnæorum.

X. Argumenta è Cypriano deprompta.

XI. Noveritne S. Leo Romanus Pontifex ſtatos dies Circumciſionis, Annunciationis, atque Purificationis.

XII. De Circumciſione.

XIII. De Carthaginenſis Eccleſiæ Calendario, & S. Auguſtini ſermonibus.

I. ANimadvertit S. Auguſtinus coli ab Eccleſia ſolennitates duas, quarum ſacri Codices meminerunt, Paſcha & Pentecoſten: *Hæc de Scripturis firmiſſime tenentur*. Adjicit quadraginta jejuniorum dies & Paſchalem hebdomadam. Alibi plures enumerat ſolennitates, Paſſionem videlicet, Reſurrectionem, Aſcenſionem, & Pentecoſten; atque, Feſtorum hujuſmodi dierum, quum ubique terrarum agantur, originem, vel ab Apoſtolis repetendam eſſe, vel à Synodis Oecumenicis, quòd eorum non meminerint Libri Canonici. * Nam Sacrorum Bibliorum, Apoſtolorum, & Generalium Conciliorum auctoritas in totum terrarum orbem maxima eſt: *Illa autem quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel Plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri: ſicut quod Domini Paſſio & Reſurrectio, & Aſcenſio in Cœlum, & adventus de Cœlo Spiritus Sancti anniverſaria ſolennitate celebrantur, & ſi quid aliud tale occurrerit quod ſervatur ab univerſa, quacunque ſe diffundit, Eccleſia.*

Epiſt. 119. cap. 17.

* Epiſcoporū & maximè Rom. Pont. jura non convellit Auctor conſulendus hujus Libri cap. 10.

Epiſt. 118, cap. 1.

II. De Chriſti Nativitate nihil hîc Auguſtinus. Colebatur quidem ea tempeſtate ab omnibus, ſed fortaſſe cæteris ſolennitatibus, quod ad vetuſtatem, concedebat: illinc contingere potuit non ab omnibus Eccleſiis eodem die peractam fuiſſe; quod in ſecundo Libro pluribus confirmabitur. Facilè in animum inducimus, Apoſtolos celebraviſſe Domini Paſſionem, Reſurrectionem, Aſcenſionem, & Pentecoſten, quarum teſtes fuerant, & quidem omni exceptione majores. Nec à vero aberraret qui eadem ratione peractam fuiſſe ab illis Nativitatem Servatoris contenderet; id tamen oſtendere velle oleum foret atque operam perdere. Prima Synodus Oecumenica Nicena fuit, verùm antequam cogeretur, inſtituta jam fuerant tum Solennia cætera, tum feſtus Chriſti Nativitatis dies. Quum igitur hujus origo, neque à Canonibus Conciliorum, neque fortaſſe ab Apoſtolis arceſſenda ſit, non eodem modo de illa ac de cæteris loqui oportuit. Nihilominùs etſi illam hîc prætererit; in ſequenti Epiſtola ejuſdem meminit. Etenim quum hæc quæſtio ei ſolvenda allata fuiſſet, cur non tam certus eſſet Paſchalis, quàm Natalis dies; *Quærit quæ cauſa ſit cur anniverſarius dies celebrandæ Dominicæ Paſſionis non ad eumdem redeat anni diem, ſicut dies quâ creditur natus*; reſpondet in Nativitate Chriſti unum coli diem quo Chriſtus eſt ortus, in Paſchate verò verni Æquinoctii, & Lunæ pleno orbe fulgentis rationem haberi, quæ neque ita ſtatis diebus contingunt, neque negligi ab Eccleſia poſſunt, ob Myſteria complura: *Hoc primum oportet ut noveris, diem Natalis Domini non in ſacramento celebrari, ſed tantùm in memoriam revocari quòd natus ſit, ac per hoc nihil opus erat, niſi revolutum anni diem, quo ipſa res acta eſt, Feſta devotione ſignificari. Sacramentum eſt autem in aliqua celebratione, quum rei geſtæ ita rememoratio fit, ut aliquid etiam ſignificari intelligatur, quod ſanctè accipiendum eſt.* Epiſt. 119. cap. 1. 2.

III. Ex Magni Leonis Romani Pontificis ſermonibus intelligimus peractas in Urbe fuiſſe, præter Solennia à S. Auguſtino recenſita, Epiphaniam, & fortaſſe Transfigurationem; præterea Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & S. Laurentii ſolennitatem, quanquam nullum erat diſcrimen Nativitatis & Epiphaniæ apud quoſdam Orientales. Utrùm verò Feſtus dies Principum Apoſtolorum in Oriente coleretur, an in quibuſdam Occidentalibus regionibus, conjectura aſſequi non poſſumus. Quod ad ſolennitatem Sancti Laurentii, veriſimillimum videtur eam à Romana Eccleſia & finitimis obſervatam fuiſſe.

Africa non ita magno locorum intervallo ab Urbe aberat. Id aliàs Cato in Senatu oſtenderat fructus quoſdam delicatiores exhibens triduo Romam Carthagine allatos. S. Auguſtinus in Tractatu viceſimo ſeptimo in Joannem teſtatur, Afros peragere conſueviſſe Feſtum diem S. Laurentii: *Laurentius cujus hodie Feſtum diem celebramus*; nec non S. Xyſti Papæ & Martyris, cujus Diaconus erat Laurentius: *Xyſtus Martyr Sanctus, cujus diem quinta ab hinc retrò die celebravimus*; tres verò tantùm dies inter eos labi: *Triduum dixit medium inter diem Paſſionis ſancti Xyſti, & diem hodierna Paſſionis ſancti Laurentii*. Idem adhuc videri poteſt in Ritualibus Libris, Martyrologio, ac Breviario Eccleſiæ Romanæ, cui etiam tum Afri accedebant.

IV.

IV. Antequam verò de his fuſiùs aginius, non abs re erit in Eccleſia Græca tantiſper immorari. Conſtantinus Imperator poſtquam Chriſtianæ

De Vit. Conſt. l. 4. cap. 18.

Religioni nomen dederat, juſſit, ut Euſebius narrat, Dominicam diem coli ceſſatione ab operibus artium illiberalium: *Cunctis ſub Imperio Romano degentibus præcepit, ut Dominico die feriarentur*; atque ut Chriſti Paſſio ſolenniùs recoleretur, Paraſceven quoque conſimili modo celebrandam eſſe decrevit:

Ibid. c. 20.

Utque diem qui eſt pridie Sabbati honorarent in memoriam, ut videtur, earum rerum quæ à communi omnium Servatore illis diebus geſta eſſe perhibentur. Ut miſſam faciam pietatem qua coluit tum Paſcha, tum Paſchæ pervigilium, adnotaſſe ſufficiat Feſtos quoque Martyrum dies, ut Dominicum coli præcepiſſe; miſſo ad Præſides Provinciarum Decreto:

Ibid. c. 23.

Miſſa quoque Lex eſt ad Præſides Provinciarum ut diem Dominicum etiam ipſi venerarentur. Iidem Feſtos Martyrum die juſſu Principis obſervabant, & Eccleſiarum Feſtivitatum tempora debito honore proſequebantur.

V. En ſacros Martyrum dies, de quibus Auguſtinus minimè loquutus eſt, quòd de totius Eccleſiæ ſolennitatibus ageret; Martyres autem colebantur tantùm ubi pro Chriſto mortem oppetere non dubitaverant, vel ubi eorum nomine conſtruebantur ſacella, ut poſteà patebit ex Chryſoſtomo. Euſebius quoque Conſtantini Legem de Martyrum Solenniis generatim attigit; Eccleſiæ enim ſingulæ Martyres ſuos venerabantur. Cæterùm latæ Leges & Principum auſpicia Chriſtianos ab Ethnicorum & Hæreticorum injuriis aſſerebant.

VI. Ævi ſui Feſtos dies Chryſoſtomus enumeravit Epiphaniam, Paſcha, & Pentecoſten. Epiphaniæ & Natalis Chriſti diei nullum apud ipſum diſcrimen eſt; quandoquidem ait Epiphaniam tunc eſſe quum Chriſtus humana carne indutus apparuit:

Tom. 5. ho. 36. pag. 547.

Prima Feſtivitas apud nos ſunt Epiphania: quæ porrò Feſti eſt occaſio? Quoniam Deus in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. Agens verò de temporibus Sacrorum atque celebritatum, ſtatos Martyrum dies recenſet, Dominicos, Paraſcevas, & Sabbata, nec Martyrum nomina ſingula perſequitur, quoniam Martyres ſuos Civitates quæque colebant:

In 2. ad Timoth. ho. 5. pag. 1548.

Sive ſexta Feria, ſive Sabbato, ſive Dominica die, *ſive in celebritate Martyrum, eadem litatur hoſtia*.

VII. Longior aliquanto eſt catalogus Solennitatum in Conſtitutionibus Apoſtolicis. Indicta eſt ibi ceſſatio à vocatis mechanicis operibus, Sabbatis & diebus Dominicis cujuſvis hebdomadæ. Sabbato mundi conditor colitur, Dominico die Jeſu Chriſti Servatoris Reſurrectio:

L. 8. c. 33.

Servi quinque diebus opus faciant, Sabbato autem & Dominico die vacent in Eccleſia propter doctrinam Religionis. Diximus enim habere quidem Sabbatum rationem creationis mundi, Dominicum verò Reſurrectionis. Ceſſandum prætereà in majori Hebdomada atque Paſchali, ut animus omni contentione in Chriſti Paſſionem & Reſurrectionem intendat: *Tota magna Hebdomada & proxima ſequenti vacent ſervi, quia illa Paſſionis eſt, hæc Reſurrectionis; & opus eſt docere quis ille ſit qui mortuus eſt, & reſurrexit*. Ad hæc Aſcenſio & Pentecoſte ſolennes erant: *Die Aſcenſionis, ἀναλήψεως, vacent, quòd tunc fuerit impoſitus finis œconomiæ Chriſti. In Pentecoſte &c.* Sacri etiam erant dies Nativitatis & Epiphaniæ, in quibus Redemptor noſter in lucem prodiit, & Baptiſmo tinctus fuit, accedente præclaro illo Æterni Patris de ejus Divinitate teſtimonio: *In die Feſto Natalis, [illegible], vacent, quòd eo die Deus Verbum Dei Filius ex Maria Virgine ad ſalutem mundi natus ſit. In die autem Feſto Epiphaniæ vacent, quòd eo die declarata ſit Divinitas Chriſti, teſtimonio Patris in Baptiſmo &c.* Accedunt tandem Solennia Apoſtolorum, S. Stephani, ac Martyrum: *In diebus Apoſtolorum vacent: magiſtri enim veſtri fuerunt ad docendum vos de Chriſto, vobiſque Spiritum Sanctum dederunt. In die Stephani Protomartyris item vacent, ac reliquis diebus Sanctorum Martyrum, qui Chriſtum vita ſua antepoſuerunt*.

VIII. Quum verò Apoſtoli & S. Stephanus ſingillatim enumerentur, crediderim eorum Solennitates ubique gentium peractas fuiſſe, cæteris Martyrum Solenniis Eccleſiæ cuilibet permiſſis. Omnium ſimul Apoſtolorum meminerunt Conſtitutiones, quapropter facilè quis exiſtimaverit tunc omnes ſimul coli ſolitos ſtato die, Apoſtolorum vocato, & in Occidente SS. Petri & Pauli nuncupato. Certè S. Leo Romanus Pontifex de his tantùm loquitur. Id tamen exploratum eſt, omnium ſimul Solennitatem peractam fuiſſe ad finem uſque ſæculi quarti, ſi Legem Valentiniani, Theodoſii, & Arcadii conſulamus, quæ lucem afferet iis quæ diximus. Ceſſationum à forenſibus judiciis Feriæ ibidem ſtatuuntur, duabus hebdomadis ante & poſt Paſcha, die Nativitatis Chriſti, Epiphaniæ, & Apoſtolorum, & quovis Dominico:

Cod. l. 3. T. 12. de feriis l. 7. Cod. Theodoſ. l. 2. T. 8. l. 2.

Sacros quoque Paſchæ dies qui ſeptem numero vel præcedunt, vel ſequuntur, dies etiam Natalis, atque Epiphaniorum Chriſti, & quo tempore commemoratio Apoſtolicæ Paſſionis totius Chriſtianitatis magiſtræ à cunctis jure celebratur (in quibus etiam prædictis ſanctiſſimis diebus neque ſpectaculorum copiam reſervamus), in eadem obſervatione numeramus: Et dies Solis, quos Dominicos ritè dixere Majores, qui repetito in ſe calculo revolvuntur; in quibus neceſſe eſt parem habere reverentiam. Abeſt Pentecoſte ob loci corruptionem, vel ſcriptorum oſcitantiam. Diſcrimen Nativitatis & Epiphaniæ inde ortum videtur, quòd Romani moris ratio habeatur à Lege in Urbe lata à Theodoſio & Valentiniano Juniore. In confeſſo etiam eſt Solennitatem Apoſtolorum eandem eſſe atque diem Feſtum SS. Petri & Pauli, à quibus Eccleſia Romana cæterarum princeps eſt conſtituta. Lex Magni Theodoſii, cujus initium, *Ut in die*, ab hac non abludit.

IX. Dignum eſt quod adnotetur, neque de aliis Apoſtolis, neque de S. Stephano, neque de S. Joanne Baptiſta, neque de Martyribus verba uſpiam fieri. Fortaſſe ab aliquibus Eccleſiis non adhuc ab omnibus agebantur; hinc factum ut non iiſdem privilegiis ab Imperatoribus donarentur. Nulli dubium eſſe poteſt quin Apoſtolorum & S. Stephani Solennitates inſtitutæ eſſent, teſte Conſtitutionum Apoſtolicarum Auctore; & tamen altum eſt de iis ubique in hiſce Legibus ſilentium. Ut verò majus momentum rationis accedat, ſuperſunt adhuc in Euſebii Hiſtoria Eccleſiaſtica Litteræ Smyrnæorum ad Ponti Eccleſiam de Martyrio S. Polycarpi eorum Epiſcopi, in quibus tanti Martyris cultores teſtantur ſe ſancti Epiſcopi oſſa diligenter collegiſſe, veluti theſaurum auro & gemmis multò pretioſiorem; planè autem confidere, fore ut ejus Solennia celebrent, & ad eum colendum, & ad inflammanda Chriſtianorum pectora, exhibitis tantæ pietatis & amoris erga Deum argumentis:

L. 4. c. 15.

Oſſa illius gemmis pretioſiſſimis, & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat condidimus. Quo etiam in loco nobis, ſi fieri poteſt, convenientibus, concedet Deus Natalem ipſius Martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare; tum in memoriam eorum qui glorioſo certamine perfuncti ſunt, tum ad poſteros hujuſmodi exemplo inſtruendos & confirmandos. Itaque Martyrum cultus Eccleſiis ſingulis permittebatur, quæ illos in iiſdem locis, in quibus necati fuerant, ſtatis diebus venerabantur: *Quo*

etiam

etiam in loco, convenientibus nobis, ſi fieri poteſt, concedet Deus Natalem ipſius celebrare.

X. Hujuſmodi mos vetuſtiſſimus fuit in Eccleſia Latina. S. Cyprianus in Epiſtolis laudibus proſequitur celeberrimi Confeſſoris Celerini conſanguineos, qui pro Chriſtiana Religione fortiter occubuerant, aitque ſe eos colere Sacrum faciendo certo die, quo Martyrum triumphi reco-
L. 4. ep. 5. lebantur: *Patruus ejus & avunculus Laurentius & Ignatius in caſtris & ipſi quondam ſecularibus militantes, ſed veri & ſpirituales Dei milites, dum Diabolum Chriſti profeſſione proſternunt, palmas à Domino & coronas illuſtri paſſione meruerunt. Sacrificia pro eis ſemper, ut meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paſſiones & dies anniverſaria commemoratione celebramus.* Non die quo interfecti ſunt ſe Sacrum facturum dixit, ſed quo Martyres quotannis colebat: *Quoties Martyrum paſſiones & dies anniverſaria commemoratione celebramus.* Itaque Carthaginenſis Eccleſia ſemel quotannis omnes ſimul Martyres ſuos ſolenniter venerata eſt, ut de die Feſto omnium ſimul Apoſtolorum paulò antè adnotavimus. Nihilominùs Epiſtola de Polycarpi Martyrio argumento eſt contrarium morem invaluiſſe celebrandi ratis conſtantibuſque diebus Martyrum ſingulorum Solennitates. Huc quoque trahi poſſunt allata Cypriani verba, cum illis aliarum litterarum, in quibus adnotari diligenter à Clericis ſuis jubet dies emortuales Confeſſorum in carceribus pereuntium, quum Martyribus adjungendi ſint qui ita occumbunt, ut iiſdem diebus ſacra anniverſaria fiant:
L. 3. epiſt. 6. *Quum voluntati & confeſſioni noſtra in carcere & vinculis accedit & moriendi terminus, conſummata Martyris gloria eſt. Denique & dies eorum quibus excedunt adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus. Quamquam Tertullus fideliſſimus & devotiſſimus frater noſter, pro cætera ſolicitudine & cura ſua quam fratribus in omni obſequio operationis impertit, ſcripſerit, ac ſcribat, & ſignificet mihi dies quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem, beata mortis exitu tranſeunt, & celebrentur hic à nobis oblationes & ſacrificia ob commemorationes eorum, quæ citè vobiſcum, Domino protegente celebrabimus.*

XI. Agit de eodem Feſtorum dierum diſcrimine S. Leo Romanus Pontifex in Litteris ad Sicilienſes Epiſcopos miſſis: *Diſcernenda erant cauſa ſolennitatum*, ubi de Annunciatione Deiparæ loquitur, de Chriſti Natali die, de Circumciſione, de Purificatione, de Epiphania, tanquam ea tempeſtate ſolennibus: *Unde aliud tempus eſt,*
Epiſt. 4. c. 2. *quo, Annuntiante Angelo, Beatiſs. Maria fœcundandam ſe per Spiritum Sanctum credidit & concepit; aliud quo ſalva virginea integritate puer editus, exultante gaudio Cœleſtium miniſtrorum paſtoribus indicatur; aliud quo Infans circumciditur; aliud quo hoſtia pro eo legalis offertur; aliud quo tres Magi, claritate novis ſideris incitati, in Bethleem ab Oriente perveniunt, & adoratum parvulum myſtica munerum oblatione venerantur.* Haud tamen ſcio utrum allata verba magna hæc myſteria ſpectent, an totidem præterea Feſtos dies, qui Leone Pontifice, ſolenni ritu, in Urbe peragerentur.

XII. A veritate non abhorret Circumciſionis ſolennitatem pridem Gallis innotuiſſe. Certè non ita multò pòſt, Anno videlicet 567. Concilium Turonenſe II. decrevit, Calendis Januarii, Ethnicorum ſuperſtitioni objiciendum eſſe cantum Litaniarum, & Sacrum Circumciſionis faciendum, eo tempore quo peragebatur in vocatis mediis jejuniis. *Inter Natale Domini, & Epiphania om-*
Can. 17. *ni die Feſtivitates ſunt; excipitur triduum illud quo ad calcandam Gentilium conſuetudinem Patres noſtri ſtatuerunt privatas in Calendis Januarii fieri Litanias, ut in Eccleſiis pſallatur, & hora octava, in ipſis Calendis, Circumciſionis Miſſa, Deo propitio, celebretur.* Eadem eſt vis vocis illius *Miſſa*, & Feſti diei, ut explicabitur. Rudimenta heic vides Solennium Circumciſionis, quibus adjecta fuerunt jejunia, quod magis mireris, tum, quum nunquam Feſtis diebus indicebantur.

XIII. Clariſſimo Mabillonio accepti referendi ſunt Faſti Carthaginenſes, omnium publica luce hactenus donatorum, ut ipſe exiſtimat, vetuſtiſſimi, hique conſpirant cum indice Sermonum S. Auguſtini à Poſſidio exhibito. Sanctus Antiſtes complures temporum injuria deperditos conſcripſit in Feſtis Martyrum Africanorum diebus, & anniverſaria die obitus quorundam Præſulum Carthaginenſium: *De Natali Martyrum &c. De Depoſitione Reſtituti Epiſcopi Carthaginenſis.* Tum plures à Poſſidio laudantur, *De Natali Joannis Baptiſta, de Natali SS. Apoſtolorum Petri & Pauli*, de S. Laurentio, S. Vincentio, Eccleſiæ Dedicatione, ut prætermittamus nonnullos ſpectantes Solennia Servatoris Noſtri, Natalem ejus dicens, Epiphaniam, Quadrageſimam, alioſque, *De Paſſione Domini, per vigilias Paſcha, de Paſchali Hebdomada, de Octavis Infantium*, de quadrageſimo poſt Paſcha die, ideſt Aſcenſione, *de Quadrageſima Aſcenſionis Domini*, de Pentecoſtes pervigilio, *Per jejunium Quinquageſima, de Quinquageſima per vigilias, de die Pentecoſtes*, vel *de adventu Spiritus Sancti*. Haud ſcio quo die conſignandus ſit, *De Euchariſtia Tractatus unus*. Nullus eſt ſermo de Deipara; non igitur tunc Feſti ejus dies agebantur; quanquam eam ſpectaſſe dici poſſunt plurima Solennitatum Chriſti, & explicationum Evangelii, quotieſcumque de ea verba fiunt.

Ne in Faſtis quidem Carthaginenſibus Deiparæ Feſti dies notantur; ſed præter quamplurimas Solennitates Martyrum Africanorum & emortuales dies Epiſcoporum Carthaginenſium, aliorumque nonnullorum, *Depoſitio Reſtituti, & Auguſtini Epiſcopi*, extant Martyres quidam aliarum regionum, ut SS. Gervaſius & Protaſius, S. Laurentius, S. Stephanus, S. Vincentius, Solennitas Apoſtolorum, *Sanctorum . . . . . Apoſtolorum*, ideſt SS. Petri & Pauli, ut facilè conjicimus, S. Joannis Baptiſtæ, & S. Jacobi, eodem die, *S. Joannis Baptiſta, & Jacobi Apoſtoli quem Herodes occidit.* Hujuſmodi Solennitas medium obtinet locum inter illas S. Stephani Protomartyris, & Innocentium, *Sanctorum Infantium quos Herodes occidit*; idcircò non levis eſt conjectura Carthaginenſem Eccleſiam celebraviſſe Feſtum diem S. Joannis Baptiſtæ tum, quum plurimæ S. Joannem Evangeliſtam colebant, ut in præſentia uſu venit. Notantur quoque ibidem Epiphania, S. Andreas Apoſtolus & Martyr, S. Lucas Epiſcopus & Martyr, & Machabæi. S. Gregorius Nazianzenus, S. Joannes Chryſoſtomus, & Patres alii quidam Machabæos ut Martyres venerati ſunt. SS. Andreas & Lucas apud Patras in Achaja Martyres occubuerunt, ut fert communis ſententia de S. Serm. 17.
Andrea, & de Luca ſcribit Gaudentius. Eorum ſacra Lipſana, & memoria facilè in Africam migrare potuere.

CAPUT V.

De Feſtis diebus in Eccleſia peractis ab Anno Chriſti Quingenteſimo ad Octingenteſimum.

I. Concilium Agathenſe Anno 506. meminit Solennitatum Paſchatis, Natalis, Epiphania, Aſcenſionis, Pentecoſtes, S. Joannis Baptiſta, &

generatim complurium aliarum, quæ fortaſſe vel Deiparam Virginem, vel Apoſtolos ſpectabant,

II. III. De diebus Feſtis adnotatis in Conciliis Aurelianenſi I. Turonenſi II. & Matiſconenſi. De ſtatis diebus S. Martini, Cathedræ S. Petri, Circumciſionis, & Rogationum.

IV. Præter Solennia vetuſtate confirmata, extant in Legibus Viſigotorum alia, videlicet Circumciſionis, Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, tum nempe quum Dei Filium concepit, & Inventionis S. Crucis,

V. Concilium Toletanum X. conſignavit Conceptionem JeſuChriſti, vel Annunciationem Deiparæ, octavo ante Nativitatem Domini die. Quamobrem id egerit,

VI. De Annunciatione, cæteriſque Solennitatibus Genitricis Dei,

VII. Natalis Chriſti dies, & Mariæ Annunciatio Filio cum Matre communes ſunt. Fortaſſe hac de cauſa Eccleſia minus curavit Feſtos Mariæ dies inſtituendos,

VIII. Canon Laodicenus Celebritates Martyrum rejicit in jejuniis Quadrageſimæ: eorum tantum Commemorationem probat Sabbatis & Dominica diebus, Interpretatio Canonis Synodi Quiniſexta vocatæ, in quo de Annunciatione verba ſunt.

IX. Unus hic extitit in Oriente dies ſolennis & ſacrificii, labente Quadrageſima. De antiquitate Feſtorum dierum B. Virginis, quamvis à Conciliis prætermiſſorum.

I. AGathenſis Synodus coacta Anno Chriſti 506. ſtatuit à Catholicis quibuſvis dignis qui ita nuncupentur recipiendam eſſe Euchariſtiam quotannis, tribus ſaltem vicibus, in Nativitate Domini, Paſchate, & Pentecoſte: *Sæculares qui* Can. 18. *Natale Domini, Paſcha, & Pentecoſten non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* Hæ ſine dubio erant Solennitates principes. Sequentes Concilii Canones agunt de aliis minimè celebrandis in privatis ſacellis, ſed in Parochialibus Eccleſiis cum Parocho, vel in Cathedralibus cum Epiſcopo: *Pa-* Can. 21. *ſcha vero, Natale Domini, Epiphaniam, Aſcenſionem Domini, Pentecoſten, & Natalem S. Joannis Baptiſtæ, vel ſi qui maximi dies in Feſtivitatibus habentur, nonniſi in Civitatibus, aut in Parochiis teneant.* En præter Aſcenſionem & Epiphaniam, Solennitatem quoque S. Joannis, quæ nobis nunc primùm occurrit. Atquum ſæ dixerint Evangelia fore ut quamplurimi, eo in lucem prodeunte, gaudio perfunderentur, veriſimillimum videtur, Nativitatem hujuſmodi ab Eccleſiis compluribus, in Oriente maximè, celebratam fuiſſe. Conjecturam non levem eſſe Canon oſtendit, nihil de Beata Virgine, nihil de SS. Petro & Paulo, cæteriſque Apoſtolis loquutus. Generatim ſolùm inquit dies alios extare celeberrimos, qui nonniſi Mariæ & Apoſtolis dicari poterant: *Vel ſi qui maximi dies in Solennitatibus habentur.* Ecquænam celebritates ſupererant adeò ſolennes, demptis iis, in quibus Servatoris Myſteria recoluntur? Reverà Feſtus Apoſtolorum dies in Urbe, & in toto qua latè patet Oriente peragebatur, accedentibus Imperatorum Legibus; non igitur ignorabatur ab aliquibus ſaltem Hiſpaniæ Eccleſiis, & à Gallis Hiſpanis finitimis. Illarum regionum Præſules ad hanc Synodum celebrandam confluxerant.

II. Concilium Aurelianenſe I. Anno 511. egit tantùm de Paſchate, Natali, & Pentecoſte, prohibuitque ne in agro celebrarentur, niſi propter ægritudinem; *Ut nulli Civium Paſcha, Nata-* Can. 25. *lis Domini, vel Quinquageſimæ ſolennitatem in villa liceat celebrare, niſi quem infirmitas probabitur tenuiſſe.* Canones qui conſequuntur agunt de Rogationibus & Aſcenſione. Claromontana Synodus Anno Chriſti 535. non unos Cives, verùm Sacerdotes etiam & Diaconos, qui in agro ſacellis addicti erant, juſſit ad Civitatem ſe conferre celebraturos cum Antiſtite hujuſmodi ſolennes dies; *Feſtivitates præcipuas, Domini Natale,* Can. 15. *Paſcha, Pentecoſten, & ſi quæ principales ſunt reliquæ ſolennitates, nullatenus alibi, niſi cum Epiſcopo ſuo in Civitate teneant.* Difficile factu eſt explicari Solennitates illas præcipuas, quæ tribus maximis vix concederent; niſi Feſti dies fuerint Deiparæ, vel Angelorum, vel S. Joannis Baptiſtæ, vel Apoſtolorum, vel Martyrum, quorum auſpiciis regiones quæque gloriabantur.

III. Habentur in Concilio Turonenſi II. Anno 567. Solennitates Circumciſionis, S. Martini, Cathedræ S. Petri, vigeſimo ſecundo Februarii die, Can. XVII. XVIII. XXII. Eadem S. Martini Solennitas extat Canone IX. Concilii Matiſconenſis I. An. 58. *Feria S. Martini*: hinc intelligitur eam non ab una Turonenſi Eccleſia celebratam fuiſſe.

IV. In Viſigotorum Legibus Receſuinthus Rex dies enumerat, quibus ſuperſedendum erat Forenſibus judiciis, ideſt Dominicos, quindecim Paſchales, Nativitatem Chriſti, Circumciſionem, Epiphaniam, Aſcenſionem, & Pentecoſten: *Die* L. 2. c. 11. *Dominico neminem liceat exequutione conſtringi, quia cauſas omnes religio debet excludere. Diebus Paſchalibus nulla patimur quemlibet exequutione teneri, ideſt per quindecim dies, ſeptem qui Paſchalem Solennitatem præcedunt, & ſeptem alias qui ſequuntur. Nativitatis quoque Domini, Circumciſionis, Epiphaniæ, & Aſcenſionis, & Pentecoſtes ſinguli dies ſimili reverentia venerentur.* Circumciſio hic habetur præter alias ſolennitates. Plures tamen complectitur Erviges Rex, qui vel Chriſtianæ Religionis hoſtes cogi vult ut eaſdem quamvis ingratis celebrent, ut morem gerant illis ſub quorum imperio degunt: *Dies autem ipſi* Ibid. L. 12. cap. 6. *qui ab iiſdem Judæis ſolicita ſunt devotione obſervandi, hi ſunt, ideſt Feſtum Sanctæ Virginis Mariæ, quo glorioſa Conceptio ejuſdem Genitricis Domini celebratur. Item Natalis Chriſti, vel Circumciſionis, vel Apparitionis ſuæ dies. Paſcha quoque ſanctum, vel dies ſacratiſſimi Octavarum. Inventionis quoque Sanctæ Crucis Dominicæ Feſtum; necnon & Aſcenſionis Dominicæ diem, vel Pentecoſten, ſeu etiam concurrentes toto anno Dominicos dies religioſa Chriſti fide venerabiles.* Nihil intereſt inter Deiparæ Conceptionem, de qua hic verba fiunt, & Annunciationem qua Dei Filium caſtiſſimis concepit viſceribus, Hiſpani paulò ante Nativitatem Chriſti eam peragebant; & hinc factum eſt ut prior tempore conſignaretur. Apparitio Domini eadem eſt atque Epiphania. Circumciſio inter Nativitatem & Epiphaniam labente tempore colitur; quapropter octavus Nativitatis dies dicatus illi fuiſſe videtur. Inventio Sanctæ Crucis celebrabatur fortaſſe ad infringendam Judæorum pervicaciam; non enim adhuc Provinciæ aliæ tanto eam honore proſequebantur: hæ verò Apoſtolorum & Martyrum Solennia, quæ nullum hic locum ſibi vindicant, peragebant.

V. Synodus X. Toletana, Sæculo VII. edixit conſtantem Annunciationis diem futurum octavum ante Chriſti Nativitatem. Canon enim quo hoc ſtatuitur æquum exiſtimat Solennitatem Beatæ Virginis, quemadmodum Chriſti Nativitatem, Paſcha, & Pentecoſten, certo tempore coli: *Si* Can. 1. *ergo nativitatis & mortis Incarnati Verbi dies abſque immutatione ita certus habetur, ut abſque diverſitate in toto orbe terrarum ab omni concorditer Eccleſia celebretur; cur non Feſtivitas glorioſa Matris ejus eadem obſervantia, uno ſimul ubique die, ſimilique habeatur honore?* Quum enim tempore jejuniorum Quadrageſimæ, atque adeò majoris Hebdomadæ, quandoque ipſiuſmet Reſurrectionis, anniverſarius ſalutatæ ab Angelo

Vir-

Digitized by Google

Virginis dies celebrandus eſſet; illinc factum ut non certo ſtatoque die perageretur. Neque enim fas eſſe videbatur lætari ſimul ob ſacras Ferias nunciati Divini conceptus, & propter Chriſti mortem dolere, atque Incarnationem eum Reſurrectione recolere: *Invenitur enim in multis Eccleſiæ partibus hujus ſanctæ Virginis Feſtum non uno die per omnes annorum circulos agi. Quæ de re quoniam die qua invenitur Angelus Virgini Verbi conceptum & nunciaſſe verbis & indidiſſe miraculis, eadem Feſtivitas non poſſit celebrari condignè, quum interdum Quadrageſima dies, vel Paſchale Feſtum videtur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum Solemnitatibus, ſicut regulari ex antiquitate cautum eſt, convenit celebrari. Quum etiam ipſam Incarnationem Verbi non conveniat tunc celebritatibus prædicari, quando conſtat idipſum Verbum, poſt mortem carnis, gloria Reſurrectionis attolli.* Itaque Synodus accedendum exiſtimavit ritui, qui in Eccleſiis illis inveteraverat, decrevitque ante Chriſti Nativitatem ejus Incarnationem celebrandam eſſe: *Ideò ſpeciali conſtitutione ſancitur, ut ante octavum diem quo natus eſt Dominus, Genitricis quoque ejus dies habeatur celeberrimus, & præclarus. Nam quod Feſtum eſt Matris, niſi Incarnatio Verbi? Cujus utique ita debet eſſe ſolenne, ſicut & ejuſdem Nativitas Verbi. Quod tamen nec ſine exemplo decentis moris, qui per diverſas mundi partes videtur obſervari, videtur inſtitutum. In multis namque Eccleſiis à nobis & ſpatio remotis & terris, hic mos agnoſcitur retineri.*

VI. Operæ pretium eſt animadvertere Annunciationis Celebritatem, ut ex Canone intelligimus, jamdiu peractam fuiſſe in pleriſque Eccleſiis, non in Hiſpania tantùm, verùm in diſſitis etiam regionibus. Non unus ubique idemque dies erat, quum perſæpè loco movenda eſſet, ob jejunium Quadrageſimæ, vel Paſchalia ſolennia. Hoc autem argumento eſt plures orbis Eccleſias ſtatis diebus Mariam coluiſſe, tametſi nuſquam extant in Canonibus Legibuſve Catalogos Solennitatum ubivis celebratarum texentibus. Nec decima quidem Synodus Toletana de Virgine ab Angelo ſalutata egiſſet, ni ratio habenda fuiſſet turbarum quæ oriri poterant ab illa rituum diverſitate. Vocatur autem, quod minimè prætereundum eſt, Annunciatio, *Sanctæ Virginis Feſtum*, *Feſtivitas glorioſa Matris*; unde conjicimus unam hanc, ea tempeſtate, peractam fuiſſe B. Virginis Solennitatem, in Hiſpania ſaltem; neque enim ita nuncuparetur, ſi ejuſdem quoque Nativitatem, vel Aſſumptionem ſolenni ritu Eccleſiæ celebraſſent. Quamquam tempus illud, ob Incarnationem divini Verbi, celebre faceret Concilium, tamen Matri quoque dicatum exiſtimat: *Quod Feſtum eſt Matris, niſi Incarnatio Verbi?* Fortaſſe ita loquuta eſt Synodus quòd nulla tunc Deiparæ Solennitas, præter hanc, coleretur. Quòmodo autem Incarnatio ad Dei Genitricem etiam pertineat piè ſcrutari poſſumus; impius enim foret quiſquis perfricta fronte vetuſtiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem ſugillaret. Itaque ut Concilium adnotat, colitur eo die Maternitas Virginis: *Feſtivitas Glorioſa Matris: Feſtum Matris Incarnatio Verbi*. Oritur ergo à Filii Divinitate Parentis dignitas. Delitеſcit adhuc Filius in ſanctiſſimo hoc Templo. Timore & religione perculſi non ipſum continuò convenire audemus: Matrem igitur honore proſequimur, quoad videri à nobis velit & coli. Sapienter admodum imitata eſt Eccleſia S. Eliſabetham, quæ divino Spiritu impellente, dum à Deipara nil quidpiam cogitans inviſeretur, obſtupeſcens, ingentique gaudio perfuſa, ait: *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?* Satis ſuperque verbis hiſce teſtata eſt ſe Filium in ſinu Matris latentem noviſſe: ſed religioni habuit de eo loqui, atque ut ita dixerim abditum Verbum à quiete illa excitare.

VII. Verùm quum Incarnati Verbi conſtans ſacerque dies, tot Eccleſiæ ſæculis, Matri quoque dicatus fuerit, quidni hoc idem de Natali dixerimus? Ita Mariæ Solennia ſæpiùs celebrata fuiſſe ab ultima antiquitate patebit; idest ex quo primùm Natalis Chriſti dies coli cœptus eſt. Pleraque Filio cum Matre reipſa communia ſunt; nec hujuſmodi Myſteria animo recogitare poſſumus, aut colere, quin utriuſque recordatio in mentem veniat. Quid igitur mirum priorum ſæculorum Synodos & Epiſcopos, certos quoſdam conſtanteſque dies Deiparæ minimè coluiſſe, quando Filii Solennia peragebantur? Utut de aliis ſentiendum ſit, id in Nativitate & Incarnatione exploratum eſt; qui enim fieri poteſt ut recolantur ſacra arcana Dei Hominis à Virgine Parente concepti & in lucem editi, nec tantæ Matris intereà ratio habeatur? Tanti verò faciendum eſt ſimul cum Dei Filio coli, ut minimè neceſſe fuerit tot retrò ſæculis Deiparam honoribus aliis augeri.

VIII. Superſunt nonnulla dicenda de Concilii Laodiceni Decretis, ut ſupremam manum imponamus interpretationi Canonis hujus Toletani. Edixit Laodicena Synodus ne Martyres ſolenni ritu colerentur in Quadrageſima, ſatis eſſe rata eorum memoriam recolere Sabbatis & Dominicis diebus: *Quod non oportet in Quadrageſima Martyrum Natales peragere*, Can. 51. *ſed Sanctorum Martyrum facere Commemorationes in Sabbatis & Dominicis*. Verba Canonis diſcrimen aliquod præſetere videntur inter Martyrum *Natales* γενέθλια, *& Commemorationes* μνείας, & has tunc licere, non illas ſtatuunt. Balſamo optimè quidem animum advertiſſe ad hanc diverſitatem viſus eſt, non autem vim Canonis aſſequutus. Contendit tum Natales, tum Commemorationes celebrari tunc potuiſſe Sabbatis & Dominicis diebus, quod apertè pugnat cum Canone, immò cum ipſomet Balſamone. Nam in explanatione cujuſdam Canonis Synodi Quiniſextæ vocatæ, Can. 52. quo vetitum eſt Sacrificium in Quadrageſima, exceptis diebus Annunciationis, Dominicis, & Sabbatis, ait ſacrum cum ingenti animi lætitia conjungi, cui diebus jejuniorum nullus locus relinquitur: eaque de cauſa in Cœnobiis optimè conſtitutis Solennitates jejunii tempore peragendas in anteceſſum celebrari: *Exiſtimo autem quod quæ perfecta, & quæ accuratam rationem ſequuntur Monaſteria, propter præſentem Canonem, canunt & legunt Canones & martyria Feſtorum & ſacrarum memoriarum quæ tota Quadrageſima proveniunt*. Non abhorret à veritate maluiſſe Monaſteria ante Quadrageſimam ſacra quælibet Solennia peragere quàm ſolas Commemorationes Sabbatis & Dominicis diebus.

IX. Ut eò unde deflexımus revertamur, videlicet ad Deiparæ Annunciationem, quam adeò colendam, cæteris quibuſque Solennitatibus tunc vetitis, ipſo Quadrageſimæ tempore, decrevit Synodus Quiniſexta, vel Trullana dicta, accedente etiam Sacrificii perfecti celebratione: *In omnibus ſanctæ Quadrageſimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato & Dominica, & Feſto Annunciationis die*, τῦ εὐαγγελισμοῦ, *fiat ſacrum præſanctificatorum miniſterium*; Balſamo ſapienter adnotat ſacrum perfectum faciendum eſſe in celebritatibus maximis, ingenti gaudio, προσάγειν τῷ Θεῷ θυσίαν πανηγυρίζειν δεῖ. Inveteraverat enim opinio in Græca Eccleſia, nunquam ſimul jejunandum, & rem Divinam faciendam eſſe, nec Feſtis diebus, quibus Sacris operari neceſſe eſſet, jejunia indicenda: quapropter maximi momenti eſt, quod heic, aliquid de ſuo jure concedentes Græci decernunt, ut Annunciatio colatur.

Non tamen hujuſmodi Solennitas, Virginis Celebritas heic nuncupatur, ut in Concilio To-

lecano. Facilè quivis intelligat aliis etiam ratis diebus Græcos Dei Genitricem ſolenni ritu veneratos fuiſſe. Proferemus aliàs in medium rationum momenta quibus nitimur. Satis erit in præſentia dixiſſe, tum Laodicenam Synodum, tum Quiniſextam, de Solennitatibus non data opera verba feciſſe, ſed quaſi aliud agentes, ut nonnulla quæ contra Canones irrepſerant ad examen vocarent, idque diu poſt primam earum inſtitutionem. Extitere igitur, ut arbitramur, Solennitates plurimæ, quarum Concilia non meminerunt, quia nulla oblata eſt occaſio.

CAPUT VI.

De Feſtis diebus peractis ab anno Chriſti octingenteſimo ad milleſimum.

I. Regula Canonicorum conſtituta à Godegrango Metenſi Epiſcopo, celeberrima, Pipino, & Carolo Magno Imperantibus, plures dies Feſtos jam inſtitutos complectitur, videlicet Aſſumptæ, & Purificatæ Virginis dies.

II. S. Joannis Baptiſtæ, S. Joannis Evangeliſtæ, & Apoſtolorum, Sanctorum videlicet Petri & Pauli.

III. S. Stephani, Innocentium, & S. Laurentii.

IV. Patronorum cujuſvis Parochiæ, vel Diœceſeos.

V. Tot Feſti dies, eorumque optimi ac præſtantiſſimi ritus Monachorum Cœnobiis accepti referendi ſunt.

VI. De Solennitate S. Martini, primi ſcilicet Confeſſoris non Martyris, quem ſolenni ritu coluerit Eccleſia.

VII. De Solenniis S. Germani Epiſcopi Antiſſiodorenſis, S. Lupi Epiſcopi Trecenſis, & S. Hilarii Epiſcopi Pictavienſis, S. Remigii, & S. Medardi. Hujuſmodi Solennia quondam privata, poſteà publica & generalia.

VIII. Feſtus dies Tranſlationis Corporis S. Martini.

IX. Anniverſaria Epiſcopi Conſecratia.

X. Utra prior fuerit, S. Hilarii Confeſſoris, an S. Martini Solennitas.

XI. Concilium Moguntinum An. Chr. 813. exhibet Feſtos dies SS. Petri & Pauli, S. Joannis Baptiſtæ, Aſſumptionis & Purificationis Deiparæ, Dedicationis Eccleſiæ, S. Michaelis, S. Remigii, S. Martini, S. Andreæ, Paſchæ, & Pentecoſtes hebdomadas, dies quatuor Nativitatis Domini, qui ſine dubio complectebantur Sanctos Stephanum, Joannem, & Innocentes, octavum ejuſdem Nativitatis diem, Epiphaniam, Eccleſiæ Dedicationem, dies tandem Martyrum & Confeſſorum, quorum ſacra lipſana in Eccleſia aliqua quieſcebant.

XII. Cur ſerius inſtituti ſtati Angelorum dies.

XIII. Dies Feſti enumerati à Capitularibus, id eſt Nativitatis, S. Stephani, S. Joannis, Innocentium, Circumciſionis, vel octavus Nativitatis dies, Epiphaniæ cum octavo quoque, Purificationis, Aſſumptionis, primum cum aliqua dubitatione, tandem indubitanter, Paſchatis cum ejus hebdomada, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Majorum Litaniarum, S. Joannis Baptiſtæ, SS. Petri & Pauli, S. Andreæ, S. Martini.

XIV. Tria Octavarum genera.

XV. De Rogationibus & majori Hebdomada.

XVI. Capitulare Herardi Archiepiſcopi Turonenſis An. 858. ubi prætermittitur Annunciatio, ut in allatis Catalogis, quoniam in Adventu recollebatur à Gallis & Hiſpanis.

XVII. Solennitas Omnium Sanctorum ibidem notata.

XVIII. In Capitulari Ahitonis Epiſcopi Baſileenſis, Apoſtoli omnes coluntur ſtato die SS. Petri & Pauli. Quædam ex allatis adnotationibus confirmatur.

XIX. Qua tandem ratione factum ut Solennia quondam privata, poſteà ab omnibus ubique terrarum Eccleſiis peragantur, & quæ primum arbitratu quiſque ſuo colebat, nunc neceſſario celebrentur.

XX. Nicolai I. Romani Pontificis Decretum.

XXI. Conſtitutiones Vualteri Epiſcopi Aurelianenſis adjicientis cæteris Deiparæ Nativitatem, & Exaltationem S. Crucis.

I. ACturus de ſolennibus Chriſtianorum diebus, florente Francorum Imperio, celebratis, ut eorum originem altiùs repetam, initium ducam à Regula Godegrangi Metenſis Epiſcopi; ea enim dum Pipinus, ac multò magis Carolus Magnus rerum potirentur, maximi ubivis exiſtimabatur. Stati hi dies plures quàm aliàs unquam ibi notantur: *In Solennitatibus præcipuis, id eſt in Natali, & in Octava, & in Epiphania Domini, & in Paſcha, & in Aſcenſione Domini, & in Pentecoſte, & in Sanctorum Feſtivitatibus, id eſt S. Stephani, & S. Joannis Evangeliſtæ, & in Feſtivitate Infantium, & in Purificatione, & in Aſſumptione S. Mariæ: Similiter in Beatorum Apoſtolorum Feſtis, & S. Joannis Baptiſtæ, & S. Laurentii, & S. Martini, ſive & in Natali cujuslibet Sancti, cujus honor in qualicumque Parochia ſpecialiter celebratur, plenarium Officium celebretur, & bis reficiatur.* Cap. 74.

Illuſtrandus eſt hujuſmodi Canon; ut enim miſſa faciamus Chriſti Solennia, extat in eo ſanctæ Dei Genitricis Aſſumptio, at non Annunciatio, quod facilè contigit, quia perſæpè in Quadrageſimæ tempus incidit. Non eo conſcriptus fuit hic Regulæ Articulus, quo Celebritatum omnium Catalogus texeretur; ſed ut Canonici Regulares dicti noſſent quandonam ritus Duplex vocatus adhibendus eſſet, & jejunium ſolvendum: *Plenarium Officium celebretur, & bis reficiatur*: Et quoniam Quadrageſimæ jejunia nunquam ſolvenda erant, idcircò Annunciatio prætermiſſa fuit. B. Virginis Purificationem nuſquam aliàs Leges vel Canones in album hujuſmodi retulerant; ſed injuria erroris poſtularetur qui cenſeret generales enumerationes, illam quoque complexas fuiſſe.

II. Suum etiam ſibi vindicant locum in adducta Regula, S. Joannes Baptiſta, Apoſtoli, & S. Joannes Evangeliſta; verùm hæc Apoſtolorum Solennitas ab alia SS. Petri & Pauli non videtur diverſa. Maxima enim Romanorum rituum ratio habebatur, regnantibus Pipino, & Carolo Magno. Cur unus S. Joannes, cæteris Apoſtolis miſſis, colatur, non facilè intelligimus. Conſtare tamen hinc puto eodem die, & omnium Apoſtolorum, & SS. Petri & Pauli peracta fuiſſe Solennia. Etenim qui fieri potuit, ut S. Joannes coleretur, non autem Principes Apoſtoli? Quod ſi ſatis erat Solemnitatem SS. Petri & Pauli, & omnium ſimul Apoſtolorum celebrare, haud ſcio cur eadem S. Joannem quoque minimè complecteretur.

III. Feſtos quoque dies S. Stephani, Innocentium, & S. Laurentii conſtituit idem Canon. Poſtremus, S. Laurentio videlicet dicatus, à Romanæ Eccleſiæ, cujus erat, ritu deſumptus videtur. Quod pertinet ad alium S. Stephani, migravit in Occidentem vel ab Eccleſia Hieroſolymitana, vel à cæteris Orientalibus, à quibus, ut vidimus, celebrabatur, teſtibus Conſtitutionibus Apoſtolicis. Egit Sanctus Auguſtinus de Reliquiis S. Stephani tum detectis Hieroſolymis, unde earum pars in Africam allata fuit, reliquum in Occidentis Eccleſias. Hiſce temporibus hujus Martyrum Principis cultus invectus videtur in pleraſque Eccleſias noſtrarum regionum, ob tranſlata ſacra ejuſdem lipſana, & miracula, quæ tum contigerunt, à S. Auguſtino memoriæ prodita. Idem Sanctos Innocentes tanquam reverà Martyres laudibus proſequitur Epiſt. 103. De Symb. ad Catechum. l. 3.

for-

fortaſſe quia optimè noverat eos ab Eccleſia coli.

IV. Regula eadem enumerat quoque præcipuos cujuſvis Parochiæ vel Diœceſeos Patronos. Godegrangi ætate voces illæ, *Parochia*, *Diœceſis*, eadem ferè vi pollebant. Haud tamen ſcio an Dedicatio Eccleſiæ foret, quotieſcumque eædem conſecrabantur, adſcitis Sanctorum nominibus.

V. Dignius quod obſervetur eſt tot Solennitatum enumerationem reperiri in ejuſmodi Canonicorum Regula. Laudati ſunt præcedenti Capite à Balſamone mores Cœnobiorum quorundam celebrandi ante Septuageſimam Solennia in Quadrageſimæ tempus incidentia. Alibi quoque oſtendimus ſanctiores Horarum Canonicarum ritus vel à Monaſteriis prodiiſſe, vel ab eis certè præſtantiores effectas, mutuo accepiſſe Cathedrales vel Parochiales Eccleſias: ſed de his fortaſſe aliàs plura.

VI. Quod attinet ad S. Martini diem, de eo fuſiùs agendum eſt in aliquo ſequentium Capitum. Hactenùs de unis Martyribus loquuti ſunt Patres; de Confeſſoribus ne verbum quidem. S. Cyprianus Martyrum faſtis adſcripſit eos, qui mortem obierant in carceribus, vinculiſve, in quæ pro Chriſto conjecti fuerant. Primus Confeſſor, quem Eccleſia univerſa publico cultu donaverit, Martinus eſt; neque in hac primùm Regula ejus Solennia celebrantur. Quid? Quòd illa non inſtituit, ſed inſtituta complectitur, jamdiu enim erat cùm Concilium Turonenſe I. An. 461. de S. Martini Celebritate tanquam vulgari loquutum fuerat, coactis ad Synodum Provinciæ Epiſcopis in eadem Solennitate: *Quum ad ſacratiſſimam Feſtivitatem, qua Domini Martini receptio celebratur in Civitate Turonorum, beatiſſimi Sacerdotes conveniſſent &c.* Adhuc ſuperſunt litteræ Nicetii Epiſcopi Trevirenſis ad Clodeſindam Longobardorum Reginam non ita multò poſt annum 560. quibus memoriæ proditum eſt quamplurima prodigia patrata fuiſſe ad S. Martini tumulum ipſo S. Præſulis die; *Ad Dominum Martinum per Feſtivitatem ſuam, quam undecima die facit November, ipſos mittas, ubi cæcos hodie illuminari conſpicimus, ubi ſurdos &c.* Tota nocte vigiliæ agebantur Antiſſiodori in ejus Templo, & plurima à nefariis hominibus ſcelera admittebantur in S. Confeſſoris pervigilio; neque aliter coërceri potuerunt, niſi eo vigilandi more ſublato in Antiſſiodorenſi Synodo: *Pervigilias quas in honorem Domni Martini omnimodis prohibete.* S. Martini igitur Natalis dies primùm ab una Turonenſi Eccleſia ſolenni ritu colebatur, poſteà ubique, ut de Antiſſiodorenſi patet.

Conc. Gall. t. 1. p. 323.

Can. 5.

VII. Idem prorſus dicimus de S. Germano & ipſo Antiſſiodorenſi Epiſcopo, S. Lupo Tricenſi, & S. Hilario Pictavienſi, ſi fides habenda allatæ Nicetii Epiſtolæ. Plurima & ingentia miracula in ſacris ædibus, ubi ſitæ erant venerabiles eorum exuviæ, contingebant; quapropter optimus Præſul hortatur Hæreticos, ut ad eas ſe conferant admiraturi Dei opera, & ut aliquid hujus ſimile, ſi modò præſtare poſſint, in ſuis ipſi Eccleſiis exhibeant; *Nam quid dicam de Domino Germano, Hilario, vel Lupo Epiſcopis, ubi tanta mirabilia hodie apparent, quantum nec dicere verbis valeo; ubi tribulantes, ideſt Dæmonia habentes in aera ſuſpenſi torquentur, & Dominos quos dixi eſſe confitentur? Nunquid in Eccleſiis eorum ſic faciunt? Non faciunt quia Deum & Dominos Sanctos ibi habitare non ſentiunt.* Adjicit fieri quoque minimè poſſe ut ratio miretur eorum quæ orbis terrarum mirabatur in ædibus, tumuliſve SS. Remigii, & Medardi: *Quid de Domino Remigio, & de Domino Medardo Epiſcopis; quos tu credo vidiſti? Non poſſumus tanta exponere, quanta mirabilia per illos Deum videmus facere.* Tot miracula frequentem populum ad ſanctorum Epiſcoporum ſepulchra advocaviſſe quivis crediderit, & Feſtos dies celebratos fuiſſe, qui tandem ubique gentium ſolennes extiterunt, ob eorundem gloriam, prodigia, & ſacra ſipphina quoquoverſum miſſa. In veteris Eccleſiæ faſtis conſignabantur ſolùm dies ubique terrarum ſolennes. Cœnobia Monachorum, Eccleſiæ principes, atque aliæ diu ſuos quæque Feſtos dies celebrarunt, qui tandem ab omnibus recepti ſunt.

VIII. Explicatis Turonenſis Concilii verbis; confirmabuntur quæ dicta ſunt aliis rationum momentis. Quæritur quidnam ſit *Martini receptio* celeberrima in Eccleſia Turonenſi, dum Synodus cogebatur. Credidit Baronius Translationem eſſe corporis Sancti Martini à Candatenſi pago ad Turonenſem Eccleſiam cujus Antiſtes fuit. Meminit hujus Translationis Gregorius Turonenſis in Hiſtoria. Sentiunt quidam aliam ſacri ejuſdem corporis Translationem fuiſſe à vetuſta quadam & fatiſcente Baſilica ad ædem magnificentiſſimè extructam ope Perpetui Epiſcopi Turonenſis. De ea quoque agit idem Gregorius. Utut eſt, Translatio quædam fuit, & exploratum eſt multò ſolenniſſimam fuiſſe Martini Celebritatem, quando vel Corporis Translationes peragebantur.

L. 1. c. ult.

L. 2. c. 14.

IX. Gregorius Turonenſis dignum quod obſervetur inibi exiſtimavit, recentiorem Baſilicam maximè ornatam fuiſſe Dedicatione ejuſdem ædis, Translatione ſacri Corporis, & anniverſaria S. Martini Conſecratione: *Solennitas ipſius Baſilicæ triplici virtute pollet, ideſt Dedicatione Templi, Translatione Corporis ſancti, Ordinatione ejus Epiſcopatus.* Itaque Solennitates tres in æde una ſingulis annis peragebantur, vel uno eodemque die, vel pluribus. Habetur præter Templi Dedicationem, & S. Martini Translationem, novum Solennium genus, ideſt Epiſcopi Conſecratio; quam S. Auguſtinus & Leo Magnus Romanus Pontifex, tum *Natalem*, tum *Natalem Cathedræ* nuncuparunt; quaſi denuò in lucem prodirent qui Epiſcopi initiabantur. Non vocatur tamen Eccleſiæ univerſæ Solennitas, quòd ſingularum eſſet Diœceſeon.

Ibidem.

X. Nicetius quidem plures commendat inſigni pietate Antiſtites, Hilarium Pictavienſem, Lupum Trecenſem, Germanum Antiſſiodorenſem, Remigium Remenſem, & Medardum Sueſſionenſem; ſed unius Hilarii Solennitas in Eccleſia Pictavienſi cum S. Martini Feſto die in Turonenſi de antiquitatis gloria certare poſſet. Attamen S. Martinus aliis quibuſvis Confeſſoribus, quos Eccleſia univerſa ſolenniter coluit, palmam præripit. Nam Provinciæ plurimæ, ac Regna illius Solennitatem celebrarunt, aliorum Diœceſes quædam, quibus præfuerant. Quo factum eſt ut in Ludovici Pii Capitulari An. 823. celeberrima tunc Epocha videretur: *Uſque ad Miſſam S. Martini dare decrevimus ſpatium.*

Conc. Gall. t. 2. p. 453. c. 18.

XI. Extat pariter in eodem Capitulari *Miſſa*, ſive Solennitas S. Andreæ: *Itaut ad Miſſam S. Andreæ reſtaurati ſunt.* Colebatur igitur certo quodam die S. Andreas, non uno illo Apoſtolis omnibus ſimul dicato; quæ Concilii Moguntini, An. 813. coacti, verbis illuſtrantur: *Feſtos dies in anno celebrare ſancimus, hoc eſt diem Dominicum Paſchæ cum omni honore & ſobrietate venerari; ſimili modò totam hebdomadam illam obſervari decrevimus. Diem Aſcenſionis Domini pleniter celebrare. Item Pentecoſten ſimiliter ut in Paſcha. In Natali Apoſtolorum Petri & Pauli diem unum. Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ, Aſſumptionem S. Mariæ, Dedicationem S. Michaelis, Natalem S. Remigii, S. Martini, S. Andreæ. In Natali Domini dies quatuor, Octavas Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem Sanctæ Mariæ, & illas Feſtivitates Martyrum vel Confeſſorum obſervare decrevimus, quorum in unaquaque Parochia ſancta corpora requieſcunt. Similiter etiam Dedicationem Templi.* Exhiberi hic videmus Confeſſores publicè

Cap. 20.

Can. 36.

cè colendos in generalioribus Conſtitutionibus, quum anteà eorum cultus niteretur moribus, & decretis quarundam Eccleſiarum. Templi Conſecratio ſolennis cenſetur, Paſchæ & Pentecoſtes hebdomadæ pariter ſolennes ſunt, ut quatuor dies Nativitatis Chriſti, ideſt Nativitas, & dies dicati Stephano, Joanni Evangeliſtæ, & Innocentibus; prætermittuntur autem tanquam ex Godegrangi Regula notiores. Soli Apoſtolorum in hoc Canone Petrus & Paulus, Andreas & Joannes altero, poſt Chriſti Natalem, die nominantur: cæteros ex veteri more Solennitas SS. Petri & Pauli complectebatur. Principio Feſtus dies Joanni Evangeliſtæ dicatus fuiſſe videtur quòd incideret in hebdomadam Nativitatis, quam lubenti animo Eccleſia colebat, & res ipſa indicat quaſdam Horarum Canonicarum partes S. Joannis die perſolvi. S. Remigium coluit quondam ſolenniter Rhemenſis tantùm Eccleſia; hinc tamen conſtat Feſtum ejus diem peractum ab omnibus qui Caroli Magni Imperio parebant. Tandem S. Michaelis Solennitatem reperimus ſub adſcito nomine Dedicationis Templi ejuſdem Angeli; atque ob id rato conſtantique die Conſecrationis celebratur.

XII. Nunc primùm occurrunt Angelorum Celebritates: ſeriùs quidem, ſed cavendum fuit ne ſuperſtitioni locus pateret. Paulus Apoſtolus hujus rei admonuit primos Chriſtianæ Religionis cultores, & Synodus Laodicena ineptum quendam Au-
Can. 35. gelorum cultum rejecit: *Quod non oportet Chriſtianos, derelicta Eccleſia Dei, abire, & Angelos nominare, & congregationes facere &c.* Alicubi tamen ſacella ædificata fuerunt, & Michaeli dicata; dabatur tamen opera ne pravi mores inveherentur. Poſtremò ampliſſima Templa conſtructa ſunt, eorumque Dedicatio, Michaelis dies viſa eſt. Hæc quæ in præſentia vix ſummis labiis delibamus, infrà alibi perſequemur. At quum Concilii
L. 2. c. 35. Moguntini Canon relatus fuerit in Capitulare Caroli Magni, haud ſciò cur S. Michaelis Solennitate mulctatus ſit; niſi fortè id contigerit quòd Moguntiæ tantùm & in locis finitimis perageretur, non in toto Francorum Imperio.

XIII. Extat aliud Decretum in Capitularibus Caroli Magni vetuſtius Moguntina Synodo: *Hæ*
L. 2. c. 164. *ſunt Feſtivitates in anno quæ per omnia venerari debent. Natalis Domini, S. Stephani, S. Joannis Evangeliſtæ, Innocentium. Octavæ Domini. Epiphania. Octavæ Epiphaniæ. Purificatio S. Mariæ. Paſcha dies octo. Litania Major. Aſcenſio Domini. Pentecoſte. Sancti Joannis Baptiſtæ. Sancti Petri & Pauli. S. Martini. S. Andreæ. De Aſſumptione Beatæ Mariæ interrogandum relinquimus.* Quum in Capitularibus nihil de die Aſſumptionis conſtet, & nulla de Synodo Moguntina ſit dubitatio, oportet Synodi tempus poſt Capitularia conſignare; quòd etiam confirmari poteſt, quum abſint à Capitularibus S. Michael, & S. Remigius. Plurima ex tertio Capitularium Articulo illuſtrari
Capitular. L. 6. c. 186. poſſunt: *Has præcipuas Feſtivitates annunciant Presbyteris & diebus Dominicis ſabbatizare, ideſt in Natali Domini dies quatuor. VIII. Calendas Januarii. In Circumciſione Domini Calendis Januarii diem unum. In Epiphania VIII. Calendas Januarii diem unum. In Purificatione Beatæ Mariæ IV. Nonas Februarii diem unum. In Paſcha Domini uſque in Octavas Paſchæ. Poſt Dominicam . . . . dies tres. In Aſcenſione Domini diem unum. In Natali S. Joannis Baptiſtæ VIII. Calendas Julii diem unum. In paſſione SS. Apoſtolorum Petri & Pauli III. Calend. Julii diem unum. In Aſſumptione S. Mariæ XVIII. Calend. Septembris diem unum. In Tranſitu S. Martini III. Idus Novembris diem unum. In paſſione S. Andreæ Apoſtolis II. Calend. Decemb. diem unum.*

Abeſt Feſtus dies S. Remigii, tametſi extat in Catalogo Concilii Moguntini. Crediderim eum primùm in ſola Rhemenſi Provincia peractum, deinde in proximis, & Moguntina, non tamen alibi. Aſſumptionem omninò colendam eſſe præcipitur. Sublatum igitur erat dubium Caroli Magni. De Pentecoſte ne verbum quidem; ob ſcriptorum tamen oſcitantiam. Octavus Nativitatis dies Circumciſioni dicatur, quod in præcedentibus enumerationibus adnotatum non erat, relato in album die tantùm octavo Nativitatis.

XIV. Duo vel tria Octavarum genera operæ pretium eſt obſervare in Capitularibus. Primum genus, idque longè ſolenniſſimum complectitur hebdomadas Paſchæ & Pentecoſtes; alterum eas in quas plurimi Feſti dies incidebant, ut Nativitatis Chriſti Octava, cujus priores quatuor, & poſtremus ſolenniter agebantur. In hunc ordinem redactæ ſunt hebdomadæ Paſchæ & Pentecoſtes, ſæculis quæ conſequuta ſunt. In tertio Octavarum genere primus & ultimus dies ſolennes erant, non cæteri, ut Octava Epiphaniæ in allatis Capitularibus.

XV. Rogationes quoque in Faſtis notantur, quòd in eis ceſſaretur ab operibus vetitis, ut vidimus in Tractatu de Jejuniis, & acriùs incumbere oporteret in preces. Major hebdomada abeſt, quanquam eam ſolennem veteres exiſtimabant; ſed conſulendum fuit vitæ, & inopum neceſſitatibus, quibus tot Feſti dies impedimento erant.

XVI Nono Eccleſiæ ſæculo Herardus Turonenſis Archiepiſcopus edidit Conſtitutiones Synodales, ſeu Capitulare. Agit & ipſe de diebus ſolennibus, nec à cæteris vel latum unguem diſcedit: *De Feſtivitatibus anni quæ feriari debeant,* An. 858. c. 81.
ideſt Natali Domini, S. Stephani, S. Joannis, & Innocentium, Octavæ Domini, Epiphania, Purificatione S. Mariæ, & Aſſumptione, Aſcenſione Domini & Pentecoſte, Miſſa S. Joannis Baptiſtæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, S. Michaelis, atque Omnium Sanctorum, S. Martini, & S. Andreæ, & eorum, quorum corpora, & debita venerationes in locis ſingulis peraguntur.

Herardus Octavam Nativitatis recenſet, non Circumciſionem; recentior igitur erat ea Celebritas, nec ubivis peragebatur. Vox *Miſſa* diem ſtatum ſolennemque ſignificat, ut ex pridem allegatis patuit; eſt enim pars præcipua & præſtantiſſima Celebritatum. Sanctus Michael eadem ratione colitur, quod argumento eſt recentem illius Solennitatem in dies probatam magis magiſque fuiſſe. De Aſſumptione nulla, ut videtur, dubitatio ſupererat.

Non poſſum quin adnotem in omnibus hiſce poſtremis Conſtitutionibus prætermitti Annunciationem, quæ ſilentio prætereunda non erat, ſi in Gallia ſolenniter colebatur. Intermiſſa ergo tantiſper videtur propter Quadrageſimam; agebatur tamen in Adventu, qui maximi à Gallis ducebatur, Divini Verbi Incarnatio & Conceptio in Caſtiſſimæ Virginis utero. Evangelium ſalutatæ ab Angelo Virginis in Adventu canitur; omneſque ejus ſacri temporis ritus Incarnationem, & Angeli Salutationem ſpectant. Eam Solennitatem loco motam Hiſpani quoque in Adventu celebrabant, octavo ante Natalem Chriſti diem. Ab ejuſmodi moribus non longè aberant Galli, nec minùs ritè ea Solennia obſervabant.

XVII. Poſtremò, Omnium Sanctorum dies ab Herardo notatur. Nihil ſimile adhuc invenimus; Herardus tamen non Conſtitutionem novam edit; de ejuſmodi Celebritate tanquam notiore loquitur. Solenniter igitur recolebatur ab antiquis temporibus in Metropoli, & Provincia Turonenſi, ex qua in alias regiones profluxit.

XVIII. Sed omittendum non eſt Capitulare Abitonis Epiſcopi Baſileenſis, qui obſervari jubet

Nati-

Nativitatem Chriſti, S. Stephanum, S. Joannem Evangeliſtam, Innocentes, Octavam Nativitatis diem, Epiphaniam, Purificationem, Paſchalem hebdomadam, Rogationes, Aſcenſionem, Paſchæ pervigilium, Pentecoſten, S. Joannem Baptiſtam, duodecim Apoſtolos, maximè Petrum & Paulum, qui Europam totam Evangelii lumine compleverunt: *Duodecim Apoſtolorum, maximè tamen Sanctorum Petri & Pauli, qui Europam ſua prædicatione illuminaverunt*; Deiparæ Aſſumptionem, S. Michaelem; *Dedic. cujuslibet Oratorii, ſeu cujuſcumque Sancti, in cujus honore eadem Eccleſia fundata eſt*. Dies S. Mauritii, S. Martini, alioſque id genus ſuo quiſque arbitratu colit, neque cogitur quis eos veluti Feſtos peragere.

Spicileg. t. 6. p. 693. c. 1.

Plurima Ahitonis Capitulari deteguntur, vel illuſtrantur. Docet diſertis verbis eandem SS. Petri & Pauli, & duodecim Apoſtolorum Celebritatem extitiſſe; hinc S. Andreæ nullus dies dicatur; colitur verò S. Joannes ob Nativitatis Octavam ſolenniorem, & Paſchali non admodum abſimilem. Celebratur S. Michael Dedicatione Ædis ſuæ, qui cultus maximè Angelos decet, & adhibebatur quandoque Martyribus & Confeſſoribus; colebantur enim perſæpè diebus, quibus, vel mortem obierant, vel eorum ſacra lipſana aliò translata fuerant, vel ipſi dignitatibus aucti.

Dedicatio Eccleſiæ à proximis tantùm obſervanda erat. *Dedicatio cujuſcumque Oratorii, ſeu cujuslibet Sancti in cujus honore eadem Eccleſia fundata eſt, quod vicinis tantùm commorantibus indicendum eſt, non generaliter omnibus*. Sanctos Remigium, Mauritium, atque Martinum nulla adſtricti neceſſitate piè colebant, quibus videbatur. In Sacellis, vel ubi ſacræ ipſorum Exuviæ ſervabantur colendi erant, alibi ſi libuiſſet. Fieri tamen minimè poterat quin Celebritates initio ob unum pietatis ſtudium peractæ, tandem neceſſariò obſervarentur.

XIX. Duo hìc animadvertenda videntur: Primum, maximam partem Solennitatum aliis adjectarum, delituiſſe quondam in quibuſdam Eccleſiis, maximè Monachorum, & ad alias tranſiiſſe, uno pietatis ſtudio impellente; ſed ubique gentium demum obſervatas, neceſſariò colendas eſſe. Alterum, earum Celebrationem quondam nulla lege præceptam, ut ex Ahitone conſtat, populi moribus & conſuetudine neceſſariam evaſiſſe. Tertium lubens adjicerem, omnia hæc Solennia, quæ faſtis Eccleſiæ adſcripta ſunt, & ſola Horarum Canonicarum recitatione nunc coluntur, ſine ulla ceſſatione ab operibus illiberalibus, initio populo propoſita fuiſſe, ut ſanctiore ritu obſervarentur, quemadmodum intelligimus ex illis Sanctorum Remigii, Mauritii, & Martini; verùm pauca eſſe, quæ liberè quondam celebrata, ſanctiùs in præſentia, & neceſſariò colantur.

XX. Supereſt ut in medium adducamus litteras Nicolai I. quibus Bulgarorum quæſtionibus occurrit. Sciſcitabantur Bulgari recens Chriſtianis ſacris initiati dies obſervandos ceſſatione à vocatis ſervilibus operibus. Pontifex paucis eos Latinæ Eccleſiæ ſolennes dies docuit: *In Solennitatibus utique B. Mariæ Virginis & SS. duodecim Apoſtolorum, ac Evangeliſtarum, atque Præcurſoris Domini Joannis, & S. Stephani primi Martyris, necnon & in eorum Sanctorum Natalitiis, quorum apud vos, Deo favente, memoria celebris, & dies Feſtivus habebitur*. Quinto Epiſtolæ Capite enumeraverat Solennia, quibus jejunium Paraſceves ſolvitur: *Præter ſi Nativitas Domini, & Epiphaniorum ejus, aut Feſtivitas B. Matris Domini Mariæ, ſeu Apoſtolorum Principum Petri & Pauli, atque S. Joannis Baptiſtæ, ceu B. Joannis Evangeliſtæ, nec non Andreæ Apoſtoli, quin etiam & B. Stephani Protomartyris, ipſo die fortaſſis evenire contigerit*. Itaque etiam tum ſoli ſigillatim colebantur inter Apoſtolos, Petrus & Paulus, Andreas & Joannes, nec priora verba quicquam cum poſterioribus pugnant. Declarat Nicolaus complures Deiparæ Celebritates eſſe, non tamen quaslibet earum perſequitur; ſed in quarto Articulo meminit jejunii indicti in pervigilio Aſſumptionis. Cæteræ fortaſſe fuere Annunciatio, & Purificatio ubique peractæ. Adſunt quoque Feſti dies S. Joannis Baptiſtæ, & S. Stephani, & non alii, niſi Patronorum regionum. Non igitur exiſtimavit tot illos de quibus anteà egimus, adeò religiosè & universè colendos eſſe, ut recentes Chriſtiani iis adſtringi oporteret.

XXI. Memoria ferè effluxerat Capitulare Galteri Aurelianenſis Epiſcopi, qui nono Eccleſiæ ſæculi texit Catalogum Celebritatum ſuæ Diœceſeos. Adnotavit, ne de cæteris quicquam loquar, Purificationem, Nativitatem, & Aſſumptionem B. Virginis, SS. Petrum & Paulum, Martinum, Andream, Stephanum, Joannem Evangeliſtam, & Innocentes, & ſuæ Diœceſis Solennia, Inventionem & Exaltationem S. Crucis, S. Benedicti diem, alioſque. S. Benedicti Solennitatem mutuo accepit Diœceſis Aurelianenſis à Floriacenſi Cœnobio, reliquas coluit ob Templum primarium Crucis memoriæ dedicatum. Plurimos ritus, ut identidem monuimus, in Monaſteriis natos, finitimæ regiones, & tandem diſſitæ complexæ ſunt.

Cap. 11.

C A P U T VII.

De Diebus Feſtis in Eccleſia celebratis poſt annum Chriſti milleſimum.

I. Feſti dies qui extant in Nomocanone Photii.

II. Cæteri in Conſtitutione Manuelis Comneni Imperatoris à Balſamone allata ante annum Chriſti milleſimum atque ducenteſimum: principio ii, quibus ab operibus & forenſibus judiciis ceſſabatur.

III. Deinde illi, quibus ſacro facto, opus licebat.

IV. Animadverſiones in Comneni Edictum. Græci genus quoddam minorum Solennitatum obſervabant, Latinis minimè perſpectum.

V. Plures etiam Solennitates primi ordinis quàm Latini.

VI. Deiparæ Feſtos dies generatim ante Latinos celebraverunt.

VII. Plures quoque Apoſtolorum dies.

VIII. Major in Eccleſia Græca Doctorum multitudo, Martyrum minor.

IX. De Translationibus, Transfiguratione, & Angelis.

X. De Elia, Machabæis, S. Petro ad Vincula, *& ejus Cathedra.*

XI. Codino teſte, in Palatio Byzantino celebrabatur Adoratio Crucis, Beatiſſimæ Virginis Nativitas, Præſentatio, Purificatio, & Aſſumptio, Transfiguratio Domini, & Feſtus dies Conſtantini Cæſaris.

XII. Stata Solennia adducta à Gratiano in Decreto, & à Concilio Salingeſtadienſi, Anno 1022. Adnotantur ibidem Feſti dies S. Laurentii, Aſſumptionis, & Omnium Sanctorum.

XIII. De Conſtitutione quam edidit Guigus Prior Majoris Cartuſiæ, in qua ſolùm ſuperſunt quatuor Paſchales dies, & tres Pentecoſtes. Pertinent ad primum Ordinem, Deiparæ Nativitas, Exaltatio S. Crucis, S. Michael, Omnes Sancti, S. Joannes Baptiſta, SS. Petrus & Paulus; hiſque diebus ſolvebatur aliquomodo jejunium Cœnobitarum.

XIV. Decretales Litteræ Gregorii IX. in Codices Canonum relatæ, & Solennitates conſtitutæ,

qua-

quarum nonnulla ſublatæ ſunt, ut duæ hebdomadæ Paſchales. Animadverſiones quædam in hujuſmodi Litteras.

XV. Rationum momentis & exemplis confirmatur, non Legum auctoritate, ſed Chriſtianorum pietate ac moribus nova Solennia inſtituta fuiſſe.

XVI. Sacri dies conſtituti vel confirmati à Galone Cardinali Legato in Gallia Imperante Philippo Auguſto, & à Concilio Oxonienſi in Anglia, Anno. 1222.

I. GRææ Eccleſiæ minimè obliti ſuimus; verum ſequiore ætate certa monumenta non extant ad ejus Feſtos dies cognoſcendos. Plures quidem in ſuo Nomocanone Photius enumeravit, ſed eos tantùm qui ob latas ab Imperatoribus Leges colebantur: *Dies Feſti ſunt ſeptem dies ante Paſcha & ſeptem poſt Paſcha, & Chriſti Natalia & Theophania, & dies Paſſionis Apoſtolorum, & Dominicus*. Cæterùm exploratum eſt Photii ætate auctum valdè fuiſſe hujuſmodi dierum numerum. Tit.9.c.11

II. Conſtat hoc ex Conſtitutione Comneni Cæſaris ibidem à Photio adducta. Statuit primùm Imperator duo eſſe Feſtorum genera, quorum primo operibus, & publicis judiciis interdictum eſt diem ſolidum, altero licet in illa incumbere ſacro peracto. Revocantur ad primum ordinem Nativitas Genitricis Dei VIII. menſis Septembris, Exaltatio S. Crucis quartodecimo ejuſdem menſis, S. Joannes Apoſtolus vigeſimoſexto Septembris, menſe Octobri S. Thomas Apoſtolus ſexto die, S. Jacobus Alphei filius nono, S. Lucas Apoſtolus & Evangeliſta decimo octavo. Tertiuſdecimus Novembris dicatur memoriæ S. Joannis Chryſoſtomi, quartuſdecimus S. Philippo Apoſtolo, ſextuſdecimus S. Matthæo pariter Apoſtolo, vigeſimus primus Præſentationi B. Mariæ Virginis, *Dei Matris ingreſſus in Templum*, verba ſunt Conſtitutionis; trigeſimus S. Andreæ. Menſe Decembri nonus dies dicatur Conceptioni Deiparæ, & à vigeſimo ad ſextum uſque Januarii judicia publica non exercentur; quandoquidem tunc Ortus, & Baptiſmus Chriſti recoluntur. Decimo octavo Januarii Solennitas eſt S. Athanaſii & S. Cyrilli, vigeſimoquinto S. Gregorii Nazianzeni. Secundo Februarii Purificatio Deiparæ colitur, *Salvatoris Jeſpapante*; tertio S. Simeon, qui ſuis manibus Dei Filium excepit. Vigeſimoquinto Martii recolitur Solennitas B. Virginis ab Angelo ſalutatæ. A Lazari Reſurrectione uſque ad Octavam Paſchæ forenſia judicia non exercentur ob Paſchæ Solennia. Vigeſimoquinto menſis Aprilis colitur S. Marcus Apoſtolus & Evangeliſta, trigeſimo S. Jacobus Apoſtolus frater S. Joannis Evangeliſtæ. Octavus Maji conſecratur memoriæ S. Joannis Evangeliſtæ, decimus Apoſtolo Simoni Zelotæ, vigeſimus primus Conſtantino & Helenæ, qui veluti Apoſtoli Eccleſiæ Orientalis extiterunt: *Propter Sanctorum, Apoſtoliſque æqualium Conſtantini & Helenæ memoriam*. Vigeſimuſſextus Alpheo Apoſtolo Judæ filio; undecimus Junii Bartholomæo Apoſtolo, undeviceſimus S. Judæ pariter Apoſtolo, cui nomen Thaddæo. Nativitas S. Joannis Baptiſtæ incidit in diem viceſimumquartum menſis ejuſdem, & SS. Petrus & Paulus Apoſtoli in viceſimum nonum: ſequenti die, ideſt trigeſimo omnium Apoſtolorum Celebritas agitur. Viceſimo quinto Julii S. Annæ, & ſexto Auguſti Transfigurationis. Nonus dies ejuſdem menſis dicitur memoriæ S. Matthiæ Apoſtoli, & quintuſdecimus Aſſumptioni Deiparæ διὰ τὴν ὑπερένδοξον τῆς ἁγίας Θεοτόκου μετάστασιν. Colitur vigeſimo Auguſti die Thaddæus Apoſtolus, & vigeſimoquarto Bartholomæus quoque Apoſtolus; denique vigeſimonono Decollatio S. Joannis Baptiſtæ. Adjiciuntur diebus hiſce, quibus publica judicia non ſunt exercenda, mediæ Quadrageſimæ dies, Pentecoſte, Aſcenſio, & omnes dies Dominici.

III. En verò Feſtos dies, quibus licent forenſia judicia, & in opus incumbere. Sextus Septembris: tunc enim S. Michael Arcangelus mirandum facinus patravit Conis; viceſimus tertius Octobris ob memoriam Jacobi Apoſtoli fratris Domini, vigeſimuſquintus ob Demetrium Martyrem præſtantiſſimum ſolennis eſt. Calendis Novembris agitur Solennitas SS. Coſmæ & Damiani, qui beneficia plurima animabus corporibuſque tuendis à Deo impetrando, medicinam adhuc faciunt: *Miraculorum effectores, gratis medentes, Coſmam & Damianum*. Octavo ejuſdem menſis die coluntur beati Spiritus, ſive Angeli: *Quod incorporeorum collecta peragatur*, διὰ τὸ συνάγειν τῶν ἀσωμάτων τελεῖσθαι. Viceſimo octavo Stephani Junioris martyrium recolitur, quarto Decembris S. Barbara Martyr, ſexto S. Nicolaus. Calendis Januarii S. Gregorius Nyſſenus, ſextodecimo die S. Petrus *ad Vincula*, decimonono Exaltatio corporis S. Gregorii Theologi, ſive Nazianzeni, διὰ τὴν ἀνακομιδὴν τοῦ τιμίου νεκροῦ τοῦ Θεολόγου, viceſimo ſeptimo Exaltatio Reliquiarum Sancti Joannis Chryſoſtomi: *Propter venerabilem Exaltationem Reliquiarum Chryſoſtomi*, διὰ τὴν ἀνακομιδὴν τῶν σεβασμίων λειψάνων τοῦ Χρυσοστόμου. Feſtus dies magni Martyris Theodori eſt ſeptimus Februarii, & decimus ſeptimus Theodori Tironis; Quadraginta Martyrum verò nonus Martii, ac vigeſimus tertius Aprilis S. Georgii Martyris. S. Athanaſius colitur ſecundo Maji, & octavo Junii magnus Martyr Theodorus, nono S. Cyrillus Alexandrinus, & vigeſimo ſeptimo S. Samſon novus Thaumaturgus. Calendis Julii fit commemoratio SS. Coſmæ & Damiani, & poſtridie Calendas Veſtis Deiparæ: *Depoſitionis pretioſæ Veſtis Dei Matris memoriam agimus*; octavo colitur S. Procopius, undecimo S. Euphemiæ Martyrium, viceſimo S. Elias Propheta, viceſimo ſeptimo S. Pantalemon Martyr ac Thaumaturgus, tandem poſtremo Auguſti die Zona Deiparæ: *Propter pretioſæ Zonæ Deiparæ Depoſitionem*. En Solennia illa, quæ quaſi mutilata, *media* vocata ſunt.

IV. Tot Feſtorum dierum Catalogus moleſtus videri poſſit, cæterùm utilis futurus eſt ſi nonnulla animadvertantur. Patet Græcam Eccleſiam plures dies obſervaſſe quàm Latinam; fugiunt enim nos illæ inferioris ordinis Solennitates, quæ maximam diei partem ante meridiem ſibi vindicabant: Nam adeſſe oportuit ſacris dum res Divina fieret; ſacra autem quibus Græci operabantur longè ſolenniſſima fuere. Quum verò unum tantùm in eodem Templo Sacrificium offerretur, cui omnes adeſſe debuere, non poterant ſummo mane illud aggredi: *A mane uſque ad ipſum divini Sacrificii tempus liceat Judicibus vacare orationi & glorificationi, & poſt divinum Sacrificium Juſtitiæ curam gerere*; quæ ſunt Regii Edicti verba.

V. Plures pariter apud Græcos extiterunt primi ordinis Solennitates. Vix aliquot habemus quæ eorum faſtis non ſint adſcriptæ; complures illi quæ nobiſcum communes non ſunt. Solennia Nativitatis Chriſti dies quoslibet complectuntur à viceſimo Decembris ad ſextum Januarii; Paſchalia à die quo canebatur Evangelium Reſurrectionis Lazari uſque ad octavum Paſchæ; dicta autem Evangelii illius videtur fuiſſe Sabbatum ante majorem Hebdomadam. Dies totidem antiqui Imperatores pridem latis Legibus obſervandos decreverant. Latini ejuſmodi Evangelium legimus die Paraſceves ante Dominicam Paſſionis.

VI. Sæpiùs quoque Deiparæ memoriam recolebant ſolenni ritu: etenim præter Purificationem, Annunciationem, & Aſſumptionem, peragebant etiam

etiam ejus Conceptionem, Nativitatem, & Præſentationem. Seriùs quidem hæc Solennia ab Eccleſia Latina celebrata ſunt; ſed in nonnullis Diœceſibus jamdiu agebantur, nec facilè Græcis quod ad hujuſmodi cultus vetuſtatem concedebant. Eccleſiæ quædam cunctando vix tandem eas celebrarunt, & Præſentatio Deiparæ non adhuc in album Majorum Celebritatum relata eſt, ſed publica judicia exercentur, & quævis opera.

VII. Sæpiùs etiam Apoſtolos honore proſequuti ſunt Græci. Omnes ſimul raro, conſtantique die venerabantur, eorum etiam ſingulos certis diebus. Quid? quod non ſemel quibuſdam plures dies dicarunt.

VIII. Si de ſolennioribus primique ordinis Martyrum diebus ſermo ſit, Græcis à Latinis palma prærepta fuit: contra, plures illi Sanctorum Doctorum Solennitates agitaverunt. Id illinc natum crediderim, quòd Martyrum memoria celeberrima quidem eſſet, ubi mortem oppetere pro Chriſti Religione non dubitaverant; ſed Athanaſius, Cyrillus, Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus, cæterique id genus complures, in Ægypto univerſa, & in regalibus urbibus Alexandria, Antiochia, Byzantio, maximam ſibi gloria comparaverant immortalibus ingenii & rerum benè geſtarum monumentis. Colebantur igitur pompa ſolenniore.

IX. Adnotantur quidem Translationes & Exaltationes ſacrarum Reliquiarum, non tamen Templorum Dedicationes, nec Rogationes. Exiſtimaverim cœpiſſe Græcos celebrare Transfigurationem Domini antequam quidquam de ejus Liturgia, Horiſve Canonicis Latinis innotuiſſet; non enim adhuc à nobis ritu ſolenniore colitur. S. Michaeli dicatur pars tantùm Feſti diei: ejuſmodi tes corporis expertes videntur fuiſſe Angeli, quorum par ratio habetur.

X. Suum quoque ſibi vindicat locum apud Græcos Elias Propheta; nec ſolos Machabaicos Martyres inter Sanctos veteris Legis publica veneratione proſequuti ſunt; illis enim Elias præponitur; immò Machabæorum mentio hic non occurrit. Catena & vincula in qua Petrus Apoſtolus conjectus fuit, coluntur; non ita ejus Cathedra; nec videntur Græci noviſſe celebrem in toto Occidente anniverſariam Epiſcoporum Conſecrationem. Cur nonnulla autem repetantur me præterit, niſi quandoque accedant ſolennioribus aliæ inferioris ordinis Celebritates eorundem Sanctorum.

XI. Egit ſolùm Codinus de Solenniis quæ majore pompa agitabantur Conſtantinopoli in Aula Imperatorum, quum illic degebant; pauca ergo obſervanda ſunt. Tertius dies Dominicus Quadrage-
De offic. Conſtant. cap. 9. 15. ſimæ dicabatur Adorationi Crucis: venerabantur exhibitam cultui Crucem in Aulæ Sacello. Suum quoque obtinebat locum B. Virginis Nativitas, ejus Præſentatio, & Purificatio, S. Joannes Chryſoſtomus, & S. Baſilius, Conſtantinus, Transfiguratio, Aſſumptio, κοίμησιν ὑπεραγίας Θεοτόκου, ita enim vocabant, *Dormitionem ſanctiſſimæ Deiparæ*. Dormitio Virginis eadem eſt ac ejus mors, recolenda ipſo delatæ in Cœlum Deiparæ die: at non pugnat cum Comneni Conſtitutione, ubi Aſſumptio vocatur, μετάστασις Θεοτόκου. Uſurpatur idem verbum, dum agitur de Joanne Evangeliſta, verùm ad eorum mentem qui ſentiunt ipſum diem ſuum non obiiſſe, ſed ſimul cum corpore in quietum quendam locum deportatum.

XII. Ut ad Latinam Eccleſiam, à qua deflecximus, redeamus, miſſo Canone quodam allato à Bucardo, Ivone Carnotenſi, & Gratiano ſub ad-
Grat. de Cõſecr. diſt. 3. c. 11. ſcito nomine Concilii Lugdunenſis, qui non aliud eſt quàm enumeratio quædam Feſtorum dierum, vel Faſtorum ſynopſis ſimillima Capitulari Ahitonis adducto in præcedenti Capite, ad Concilium Salingeſtadienſe coactum Anno 1022. me confero. Adnotaſſe tamen non abs re fuerit, Gratianum referendo in opus ſuum ejuſmodi Canonem palam feciſſe eum non abhorrere à moribus ſuorum temporum. S. Laurentius, & S. Sylveſter adſcripti ſunt, unde conſtat ad Urbem & Italiam maximè ſpectaſſe.

In Concilio Salingeſtadienſi indicuntur quatuordecim dies jejunii ante Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ, & in pervigiliis Apoſtolorum, Aſſumptionis, S. Laurentii, & Omnium Sanctorum:
In vigilia Epiphaniæ, & in omnium vigiliis Apoſtolorum, & in vigilia Aſſumptionis S. Mariæ, & in vigilia S. Laurentii, nec non etiam in vigilia Omnium Sanctorum. Cap. 6. Aſſumptio ergo, S. Laurentius, & Omnes Sancti ubique ferè ſolenniter colebantur, quum in Germania etiam obſervarentur. Adnotantur in Gratiani Canonibus, quum ejus ætate celebrarentur, quamvis Lugdunenſi Concilio perperam adſcriberentur.

XIII. Guigus magnæ Cartuſiæ Prior, Sancti Bernardi æqualis, eoque familiariter uſus, dies enumeravit quibus Monachis vinum præbebatur, & aliquid de ſummo jure concedebatur. Hoc ſolennioribus diebus uſuveniebat: *In Natali Domini dies quatuor; Circumciſione, Apparitione, Purificatione, Annunciatione, ſi Dominica die contigerit: Paſchæ diebus quatuor, Aſcenſione, Pentecoſtes diebus tribus, Solennitate S. Joannis, Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumptionis, Dedicationis, Nativitatis B. Mariæ, Exaltationis S. Crucis, S. Michaelis, Omnium Sanctorum, bis habent vinum*. Cap. 51. Semel tantùm aliàs vino utebantur Cartuſienſes, neque id quotidie, ſed diebus minùs ſolennibus.

Patet hinc Paſchalia Solennia quatuor tantùm dies tunc celebrata fuiſſe, Pentecoſten tres, quum prioribus ſæculis totos quindecim dies peragerentur illa, hæc verò octo. Nativitas Deiparæ in album præcipuarum Solennitatum referebatur, minimè tamen ejus Conceptio & Præſentatio: eadem ratione, non Inventio Crucis, ſed Exaltatio. Nulla dubitatio ſupererat de diebus S. Michaelis, & Omnium Sanctorum. Solennitates Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, & Andreæ, ſequenti Capite adnotantur; ſed SS. Petri & Pauli Celebritati concedebant.

XIV. Poſtrema Feſtorum dierum ab univerſa Eccleſia obſervatorum declaratio, Gregorii IX. eſt; ejuſque Conſtitutio extat in Libris Decretalium, L. 2. tit. 9. de Feriis c. 5. his verbis: *Scilicet Natalis Domini, S. Stephani, S. Joannis Evangeliſtæ, Innocentium, S. Sylveſtri, Circumciſionis, Epiphaniæ, ſeptem diebus Dominicæ Paſſionis, Reſurrectionis cum ſeptem ſequentibus, Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duobus qui ſequuntur, Nativitatis Baptiſtæ, Feſtivitatum omnium VirginisGlorioſæ, duodecim Apoſtolorum, & præcipuè Petri & Pauli, B. Laurentii, Dedicationis B. Michaelis, Solennitatis Omnium Sanctorum, ac diebus Dominicis, cæteriſque Solennitatibus, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Diœceſibus cum Clero & populo duxerint ſolenniter celebrandas*.

Exiguus admodum eſt hujuſmodi numerus cum Græcorum Solennitatibus collatus, & tamen in dies imminutus fuit. Sancitum eſt in Antiſtitis maximi Edicto obſervandas eſſe duas Paſchæ hebdomadas, ex priſco utriuſque Eccleſiæ more. Nunc majoris Hebdomadæ dies ferè omnes profeſti ſunt, cæterorum pars maxima. Deiparæ Celebritates ſigillatim non perſequitur, arbitramur tamen ob Conſtitutiones jam in medium prolatas, eas fuiſſe, Purificationem, Annunciationem, Aſſumptionem, & Nativitatem, non autem Conceptionem, neque Præſentationem. Duodecim Apoſtolorum Solennitates Feſti ſingulorum dies eſſe videntur, quum alius SS. Petro & Paulo dicatus ſit, & quidem ex Gregorii ſententia, ritu ſolenniore. Quod pertinet ad alias S. Laurentii Martyris, & S. Michaelis Archangeli, Romæ, &

ex

ex Italia venerant, & uſu invaluerunt. Non idem ſentiendum de S. Silveſtro, etſi in Decretum relato, ob illa ejuſdem verba, nbſervandos videlicet eſſe dies in qualibet Diœceſi, habita ratione Epiſcopi, Cleri, & Populi, moris, & conſuetudinis. Idem dicimus de Solennitatibus quorumcumque locorum, rejectis alienis nullum robur habituris non accedente Præſulum, Clericorum, Populique aſſenſu.

XV. Neque cogitandum eſt Edicta, Canones, & Conſtitutiones allatas, novas Leges complecti; ſiquidem interpretationes fuerunt uſus qui inoleverat in variis Chriſtiani orbis regionibus. Nec recentes Celebritates identidem inſtitutæ ſunt ſine aliqua Præſulum, Populique conſenſione. Cœnobia novos ritus induxerunt pro ſuis quæque Monachis: Eccleſiæ quædam, & ipſæmet Cathedrales ob viciniam eorum veſtigiis inhæſere. Suos Martyres, ſuos Epiſcopos, Patronos quique ſuos venerabantur. Finitimæ Civitates eoſdem ritus uſurpabant, ut iiſdem beneficiis fruerentur, quod conſtat ex prolatis exemplis Sanctorum Martini, Hilarii, Germani, & Remigii. Ab Urbe accepimus & ab Italia S. Laurentii, S. Michaelis, & ſingulorum Apoſtolorum ſacros, ſtatoſque dies: Itali rurſus à Gallis alios, Sanctorum Martini, Hilarii, Remigii. Patebit aliàs fortaſse iiſdem accepta referenda eſſe Solennia Nativitatis, Præſentationis, & Conceptionis Genitricis Dei, & Sanctiſſimæ Trinitatis. Adeò exploratum eſt ab uno pietatis ſtudio, nulla adſtricto neceſſitate, ortas eſſe Celebritates, primis Eccleſiæ ſæculis minimè peractas.

XVI. Cæteris Conciliorum Canonibus, & Conſtitutionibus Epiſcoporum ſuperſedendum cenſeo. Satis ſit adjeciſſe coli, obſervarique ab omnibus Feſtos dies à Gregorio IX. Romano Pontifice enumeratos, & jamdiu moribus Eccleſiarum obſervatos; quum diverſitas, ſi qua ſit, locum tantùm habeat in Solennitatibus propriis Provinciarum, ac regionum, in quibus hujuſmodi Synodi celebratæ ſunt, & Leges latæ.

Egit de diebus Feſtis Concilium in Gallia coactum à Gallone Cardinali Legato, dum rerum
Bochel Decret. Eccl. Gall. l. 4 tit. 9. c. 13. potiebatur Philippus Auguſtus Rex. Ut alia omittam, animadverto ſatis illi eſſe obſervari unum & alterum diem poſt Paſcha, nec tot in Pentecoſte expoſcere; colendam tamen eſſe Crucis Inventionem, nam de Exaltatione non loquitur; omnes quoque Apoſtolos, ſed præſertim SS. Petrum & Paulum, Bartholomæum, Matthæum, Simonem & Judam, ideſt celebrandam eſſe Solennitatem Apoſtolorum omnium, & nonnullorum præterea ſingillatim. Decernit quoque coli oportere Feſtos dies Sanctorum Hilarii, Martini, Nicolai, & Magdalenæ; quapropter Lex lata videtur pro Diœceſi aliqua, non pro tota Gallia. Subjicit tandem omninò obſervandam eſſe Conceptionem B. Virginis ob Decreta Romanorum Pontificum: *Conceptio autem B. Mariæ hodie de mandato Sedis Apoſtolicæ celebratur*.

Synodus Oxonienſis in Anglia An. Chr. 1222. tribuit Feſtos dies, quos enumerat, in tria genera. In ſupremo vetita ſunt quævis mechanica opera, non tamen Agricultura, nec ſubvectiones:
Can. 8. *In quibus prohibitis aliis operibus, conceduntur opera Agriculturæ & carrucarum*. In altero ceſſabatur ab operibus illiberalibus vocatis ſervilibus minoribus, ex regionum more, *Minoribus operibus ſervilibus, ſecundum conſuetudinem loci, illis diebus interdictis*. Poſtremum dierum Feſtorum genus, quum ante factam rem Divinam tantùm terram ſubigere non licebat: *In quibus poſt Miſſam opera ruſticana conceduntur, ante non*. Fateor me non aſſequi poſſe qui vecturas exercere liceret, ac terram colere ſolennioribus diebus. Neque enim crediderim populum illis vacare potuiſſe diebus Dominicis, Paſchatis, & Pentecoſtes. Huc accedit ſublatum eſſe diſcrimen prioris & alterius generis. Reipſa ejuſmodi Canon non extat in Operibus editus in Anglia, meo autem periculo non vererer addere τὸ non, ac ſcribere, *non conceduntur*: hac ratione omnia ſibi conſtant; prohibentur in utroque opera illa mechanica; non autem agros colere, & vecturas exercere, quæ duæ res maximè neceſſariæ videntur, diebus minùs ſolennibus.

Cæterùm valere juſſo longiore Canone, obſervare ſufficiat dies quinque adſcribi Natali Chriſti, additur enim S. Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis, quatuor autem Paſchati & Pentecoſte. Jubetur quaſvis Deiparæ Solennitates obſervari oportere, ſi Conceptionem excipias: *Præter Feſtum Conceptionis, cujus celebrationi non imponitur neceſſitas*. Ad hæc obſervandi pariter ſunt Feſti dies ſacræ Paraſceves majoris Hebdomadæ, S. Gregorii Romani Pontificis, & S. Auguſtini ab eodem miſſi ad imbuendam Chriſtiana Religione Angliam. Omitto S. Margaretam, S. Mariam Magdalenam, Catharinam, Clementem, Nicolaum, alioſque ſexcentos primi ordinis in hac Synodo, quemadmodum *Feſtum Animarum*, ſecundi. Agriculturæ opera dari poteſt poſt rem Divinam peractam, Octavo Epiphaniæ die, illiſque Sanctorum Joannis & Pauli, & Translationum S. Benedicti, & S. Martini.

C A P U T VIII.

Quandonam inſtituti fuerint dies Feſti Confeſſorum.

I. Tertullianus qui Sanctorum Animabus, vel loca quædam ſeparata, vel Abrahami tantum ſinum largiebatur ſine Dei Viſione quoad Sancti iidem ad vitam rurſus revocarentur in Reſurrectione, Martyres exceptos voluit, eoſque colendos, atque invocandos ſtatim ac vita exceſſiſſent.

II. Uti millenarii ſenſerint, Eccleſia ſemper Martyres ſuos veneratione & honoribus proſequuta eſt.

III. Quomodo obviam eundum ſit Tertulliano adducenti Chriſti deſcenſum ad Inferos, antequam in Cœlum contenderet.

IV. Tertullianus de Martyribus loquens Apocalypſeos verbis nitebatur.

V. Martyrum cauſa reapſe Chiliaſtarum commenta radicitùs convellebat, ut honores quibus eoſdem ornabat Eccleſia, Chiliaſtis moleſtiam exhibebant.

VI. S. Cypriani opinio longe præſtat Tertulliani ſententia. Docuit Sanctus Præſul Martyres quoque eos eſſe quibus pugna deerat, non pugnandi voluntas.

VII. Idem alibi ſcribit tum belli tum pacis tempore coronas paratas eſſe; illas roſis, has liliis contextas.

VIII. Nunquam in hac vita percuti fœdus cum hoſtibus ſenſit Cyprianus; ſed Juſtos triumphum ſemper reportare poſſe.

IX. X. S. Hieronymus vivendi genus Sanctorum Pauli & Antonii martyrium pœnitentiæ vocat. Etiamtum extruebantur Sacella ubi Sancti Monachi tumulis illàti fuerant, ut Martyribus contigit; iiſdem quoque honoribus aucti ſunt. Exemplum à S. Hilarione petitum.

XI. Frequentior fuit Monachorum multitudo, reddita Eccleſiæ pace, ut novum Martyrii genus exhiberetur.

XII. Exemplum S. Simeonis Stylitæ, S. Marciani, Theodoſiorum, & aliorum complurium.

XIII. Alia rurſum exempla. Tunc quoque dedicabantur illis Templa ac Solennia.

XIV.

XIV. Qui contagione infectis inſerviendo morerentur, ut Martyres obſervati.

XV. Patres, Doctoreſve Eccleſiæ vita functi Martyrum honoribus ornabantur. Nazianzenus Baſilium profert, Idem de Athanaſio.

XVI. Liturgiæ veteres Juſtos & Confeſſores ſocios adjungebant Apoſtolis & Martyribus. Nomen Confeſſorum à martyrio repetendum.

XVII. S. Joannes Chryſoſtomus, Pauli exemplo nixus, docet Juſtos nunc pro Jeſu Chriſto quotidie mortem oppetere.

XVIII. Chriſtus, ex Chryſoſtomo, immolatur tamquam victima duplicis Sacrificii, in quorum altero ara ſanguine imbuitur, in altero ſanguis non funditur.

XIX. S. Martini exemplum admiratione dignum.

XX. Juſtos continenter martyrio confici.

XXI. Eccleſia Martyribus ſacrum non facit, quum ad ejus victimam ipſi pertineant.

I. EXtra omnem dubitationis aleam poſitum eſt Eccleſiam ſtatim ac Martyribus ornata fuit, eoſdem honoribus proſequutam eſſe. Momenta rationum quibus id confirmat Tertullianus, nec probanda prorſus ſunt, nec ignoranda. Sentit igitur hoc prærogativæ jus conferri Martyribus ut ab hac ad beatam immortalemque vitam continuò traducantur, aliorumque animas ad Inferna loca deſcendere, & ibidem præſtolari generale Judicium, & præmia benè geſtorum illis communia cum corporibus, quæ adeò in laborum
L. de Reſur. carnis. partem venerunt: *Nemo enim peregrinatus à corpore ſtatim immoratur penes Dominum, niſi ex martyrii prærogativa, Paradiſi ſcilicet, non Inferis diverſurus.*

II. Quidam trium priorum ſæculorum Patres Chiliaſtis ſeu Millenariis accedebant, qui proferebant æternam beatitudinem Juſtis uſque ad Judicium & generalem corporum reſurrectionem, turpiter lapſi ob verba Apocalypſis, quæ malè interpretabantur. Idem ſine ulla dubitatione, Tertulliano videbatur; ſed aliter de Martyribus ſenſit. Haud novi conveniretne inter eos homines, ſed utut ſe res habuerit, maximum illis negotium faceſſere debuit cultus, & honor, quo ſuos Eccleſia Martyres proſequebatur. Nam qui fieri poterat ut Feſti dies dedicarentur, & honores exhiberentur animabus à Cœlo adhuc exulantibus, & in Infernis locis degentibus?

III. Clariùs mentem ſuam aperit Tertullianus alibi ſcribens minimè eos ferendos eſſe qui è vivis excedentes in Cœlum è veſtigio ſe poſſe contendere arbitrarentur, non primùm ad Inferos deſcendendo, ad quos Chriſtus ipſe adiit, nec cum ipſo expectando Reſurrectionis diem:
L. de Anima. *Quod ſi Chriſtus, quia & homo mortuus ſecundum Scripturas, & ſepultus ſecundum eaſdem, huic quoque Legi ſatisfecit, forma humana mortis apud Inferos functus, nec ante aſcendit in ſublimiora Cœlorum, quàm deſcendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas & Prophetas compotes ſui faceret; habes & originem Inferûm ſubterraneam credere, & illos cubito pellere, qui ſatis ſuperbè non putent animas fidelium Inferis dignas: Servi ſuper Dominum, & diſcipuli ſuper Magiſtrum aſpernati, ſi fortè in Abrahæ ſinu expectandæ reſurrectionis ſolatium capere.* Sed facilis erat reſponſio; eò enim Jeſus Servator noſter ad ea loca pervenit, quo nobis opem ferret, ne in illa decideremus; intereſſe etiam aliquid inter Idolorum, & Chriſti cultores mortem obeuntes cogitandum fuit: *Sed in hoc, inquiunt, Chriſtus Inferos adiit ne nos adiremus.... Cæterùm quod diſcrimen Ethnicorum & Chriſtianorum ſi carcer mortuis idem?*

IV. Hujuſmodi reſponſio à veritate non abhorrebat; at non unos Martyres, verùm etiam omnes qui dignam Chriſtiano nomine vitam duxiſſent, ab obſcuris illis ſedibus, moleſtoque carcere vindicabat. Nihilominùs Martyribus tantum Tertullianus favebat. Credidit æternæ, beatæque vitæ imaginem fuiſſe Aram Apocalypſeos, ſub qua ſolos Martyres Joannes vidit. Proferebat etiam in medium viſum S. Perpetuæ, cui paulò ante martyrium Paradiſus conſpiciendum ſe præbuit, nec alios adſpexit in eo quàm illos, qui pro Chriſto vitam cum ſanguine profuderant: *Quomodo Joanni in ſpiritu Paradiſi regio revelata, quæ ſubjicitur Altari, nullas alias animas apud ſe præter Martyrum oſtendit? Quomodo Perpetua fortiſſima Martyr ſub die paſſionis in revelatione Paradiſi ſolos illic commartyres ſuos vidit? Niſi quia nullis rhomphæa Paradiſi janitrix cedit, niſi qui in Chriſto deceſſerint.* Hinc unam Cœli clavem ſanguinem vocavit; *Tota Paradiſi clavis ſanguis tuus eſt.*

V. Ex iis quæ de Martyribus tradidit Tertullianus intelligere poterat quanto in errore verſaretur, ſi ea recta ſecum reputaſſet via, quando Martyres diſcipuli ac ſervi erant, qui Magiſtro & Hero concederent, quanquam, ipſo fatente, ad Inferna loca non adhibant antequam in Cœlum ferebantur. Itaque ne Confeſſores quidem Chriſto antecellere viderentur, ſi Martyrum prærogativa ornati eſſent; ejus enim tantùm ope, beneficio hujuſmodi fruerentur. Sed horum cultus, & Celebritatum, non aliorum teſtis erat, omneſque à Cœli Regno exulare putavit præter eos quos ibi cum Chriſto ovantes Eccleſia ſolenni ritu colebat.

VI. Magiſtrum hunc ſuum longo poſt ſe intervallo reliquit S. Cyprianus arbitratus Martyrii gloriam non deeſſe, modò voluntas & fortitudo non deſit; ſervatoſque à Deo incolumes tres adoleſcentes, è flammis & media morte ereptos, non ut Martyrii corona carerent, ſed ut maximæ poteſtatis ſuæ in ipſis præberet argumenta. Hæc ad Lucium ſummum Urbis Antiſtitem ab exilio poſtliminio revocatum ſcribit: *Neque enim in tribus pueris minor fuit martyrii dignitas, quia* L. 3. ep. 1.
morte fruſtrata, de camino ignis incolumes exierunt. Aut non conſummatus Daniel extitit in ſuis laudibus, quia qui Leonibus miſſus fuerat ad prædam protectus à Domino vixit ad gloriam.. In Confeſſoribus Chriſti dilata martyria non meritum confeſſionis minuunt, ſed magnalia Divinæ protectionis oſtendunt.

Alibi Martyrum faſtis adſcribit eos qui mortem obierant in carceribus, in quos pro Chriſti nomine conjecti fuerant, quaſi perpeſſi reipſa fuiſſent quæcumque perpeti optaverant. Quum totos Deo ſe dederent, eique vitam devoverent, videbantur martyrio, & igni Divini amoris abſumti fuiſſe. Non defuere ipſi muneri ſuo, deerant potiùs ſupplicia. Hæc præclarè admodum Cyprianus, & eos etiam ſpectant, quibus carceres & vincula deerant, ſed divina dilectione incenſi, ac parati ad ſanguinem pro Religione fundendum totos ſe Deo, tanquam hoſtias obtulerant: *Qui etſi* L. 3. ep. 6.
torti non ſunt, in carcere tamen glorioſo mortis exitu excedunt. Neque enim virtus eorum, aut honor minor eſt, quominus ipſi quoque inter beatos Martyres aggregentur. Quod in illis eſt, toleraverunt quicquid tolerare parati & prompti fuerant. Qui ſe tormentis & morti ſub oculis Dei obtulit, paſſus eſt quicquid pati voluit: non enim ipſe tormentis, ſed tormenta ipſi defuerunt.

VII. Contendit in Litteris aliis non ſolos Chriſtiani nominis hoſtes viam ad Cœlum ſternere; conſpici ab Eccleſia dum pace potiretur filiorum ſuorum indumenta quondam alba ob morum candorem, poſteà rubeſcere, quum inſenſiſſimis adverſariis uterentur, & ſanguine pro Chriſto fuſo inficerentur: eſſe quoque in Eccleſia coronas tum

tolis

roſis contextas indicto bello, tum liliis, candidiſve floſculis tempore induciarum, vel pacis: Chriſtianos id operam dare ut unam, vel alteram adipiſcantur, vel illam quæ morum candore perſtringit oculos, vel eam quæ Martyrum ſanguine rubet: tandem claſſicum ſemper cani, ſemper paratos eſſe triumphos, ſeu pace Eeclesia fruatur ſeu bella redintegrentur: *O beatam Eccleſiam noſtram!* L. 2 ep. 6. *Erat ante in operibus fratrum candida, nunc facta eſt in martyrum cruore purpurea: floribus enim nec roſa, nec lilia deſunt. Certent nunc ſinguli ad utrinſque honoris ampliſſimam dignitatem. Accipiant coronas vel de operibus candidas, vel de ſanguine purpureas. In cœleſtibus caſtris & pax & acies habent flores ſuos, quibus milites Chriſti ob gloriam coronantur.*

VIII. Eodem quoque docente, vitia ſunt hoſtes omnium acerrimi, propè à nobis abſunt, nec laboribus ullis eorum pervicacia infringitur; cum illis verò fortiter manus conſeruiſſe viciſſe eſt, & martyrii coronam illuſtrem atque triumphum reportaſſe. Ut plures longèque diverſæ in Cœlo ſunt ſanctorum ſedes, ita complura ſunt præmia. Non omnibus quidem datum eſt ut Martyres pro Chriſti Religione occumbant, corona tamen & præmii copia omnibus fit: *Non enim Chriſtiani* L. de zelo & livore. *nominis corona una eſt quæ tempore perſequutionis accipitur. Habet & pax coronas ſuas, quibus de varia & multiplici congreſſione victores proſtrato & ſubacto adverſario coronamur. Libidinem ſubegiſſe continentiæ palma eſt. Contra iram, contra injuriam repugnaſſe corona patientiæ eſt. De avaritia triumphus eſt pecuniam ſpernere. Laus eſt fidei fiducia futurorum, mundi adverſa tolerare.*

IX. Hieronymus poſtquam Paulam laudibus extulit, ejus vitæ inſtitutum martyrium diuturnum vocat, quod animi perturbationes moderari idem fit atque pro Chriſto quotidie mori. Subjicit pariter illas è roſiis, liliiſque coronas paratas eſſe, extare quoque varias pacis bellique artes quæ eandem ad gloriam viam muniant: *Secura eſto Euſtochium, mater tua longo martyrio coronata eſt. Non ſolum enim effuſio ſanguinis in confeſſione reputatur, ſed devotæ quoque mentis ſervitus immaculata, quotidianum martyrium eſt. Unde & in Canticu ſcribitur Canticorum, Fratruelis meus candidus & rubicundus; & in pace & in bello præmia eadem vincentibus tribuens.*

X. Neque ſoli Patres vario eruditionis penitioris genere exculti intelligebant, dum etiam tranquilla pace potiretur Eccleſia parata eſſe horrida bella, paratoſque triumphos; ſed vulgus quoque noverat extare quoddam pœnitentiæ martyrium augendum poſt mortem iiſdem honoribus, quibus ornabantur qui ſanguinem ſuderant. Idem Hieronymus in rebus geſtis S. Hilarionis memoria prodidit S. Antonium juſſiſſe ante mortem corpus ſuum in tumulum inſerri in abdito & ab arbitris remoto loco; verebatur enim ne vir quidam locuples, à quo maximè colebatur, Sacellum conſtrueret Martyrum ædibus ſimile: *Cauſam occultandi juxta præceptum Antonii fuiſſe referentes, ne Pergamus qui in illis locis ditiſſimus erat, ſublato ad villam ſuam Sancti corpore, martyrium conſecraret.* Ditiſſimus ille Antonii cultor nihil de ſancti viri corpore ac tumulo, neque Antonius de Sacelli ædificatione cogitaſſet, niſi conſimile aliquid uſuveniſſet. Sapienter autem martyrii nomine inſignitur à S. Hieronymo ædes extructa ubi in ſepulchrum inſerebantur Anachoretæ veteres, qui vitam egerant & obierant, dum Eccleſia pace frueretur, neque alio martyrii genere, quàm aſperiore illo pœnitentiæ Chriſtianam Religionem illuſtraverant. Ea vox oſtendit pium Chriſtiani populi morem, & eo Martyrum honoribus auctos fuiſſe Confeſſores, quòd aſperrimum vivendi genus martyrium quoddam videretur.

S. Hieroymus Hilarionis hiſtoriæ ſupremam manum imponens, eum quoque, ait, ſimili timore perculſum juſſiſſe, ut ſtatim ae vita exceſſiſſet in ſepulchro conderetur. Mos ei geſtus fuit, & ad proximam urbem mortis ſimul & funeris nuncius perlatus eſt. Pia quædam fœmina, cui nomen Conſtantiæ, quum ejus vim admirabilem ad abigendos morbos noſſet, ad Hilarionis tumulum ſe contulit, noctu etiam perſæpè ibidem degit minimè dubitans quin adeſſet preces ſuas ad Deum perlaturus; at quum intellexiſſet furto ſublata ſacra lipſana, & ex Inſula Cypro in Palæſtinam deportata, maximo dolore correpta, è veſtigio interiit: *Perlato ad ſe nuncio quod corpuſculum Hilarionis Palæſtinæ eſſet, ſtatim exanimata eſt, verum in ſervum Dei dilectionem etiam morte comprobans. Erat enim ſolita pervigiles in ſepulchro eius noctes ducere, & quaſi cum præſente ad adjuvandas orationes ſuas ſermocinari.* Haud ſcio an cultu ampliore ornari potuerint Martyres quàm diurnis nocturniſque precibus, quàm eorum opem ſuppliciter implorando, quàm ſacras ædes ædificando, ubi quivis facilliùs pietati vacare poſſet.

XI. Quapropter Græcus Auctor geſtorum S. Pachomii quæ Dionyſius Exiguus Latinè interpretatus eſt, adnotat in ipſo limine, tum quum Imperatorum in Chriſtianos iracundia refrixit, frequentes in deſerta loca Monachos ſe contuliſſe, ut ibi manus conſererent cum Diabolo ab urbibus ope & fortitudine Martyrum pulſo, & martyrium quoddam excogitarent longè moleſtius, nec minùs illuſtre: *Hi namque qui de Gentibus Chriſto crediderant, conſiderantes Martyrum* Vit. PP. Roſw. p. 113. *paſſiones, eorumque ſincerum circa Chriſtum confeſſionis affectum, cœperunt & ipſi, per gratiam Domini, Sanctorum vitam converſationemque ſectari &c. itaut in nullo prorſus antiquiſſimis Patribus inferiores eſſent, æquiparantes etiam illorum merita, qui pro nomine Chriſti certaverunt uſque ad ſanguinem, inviſibilium hoſtium molimina deſtruentes, de quibus Apoſtolus, Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus Principatus & Poteſtates, contra mundi Rectores tenebrarum iſtarum, contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus.*

XII. Qui S. Simeonis Stylitæ Acta conſcripſit, ejus nempè diſcipulus, memoriæ prodidit ut à Ibid. 174. 175. priore tumulo Antiochiam ſolenni pompa deportatus fuerat, & conditus in Templo miraculorum multitudine inſigni. Sola ea ætate, Martyrum corpora in Templa ſepelienda inſerebantur; ne Imperatoribus quidem ejuſmodi locus patebat, ſed in ſacrarum ædium veſtibulo condebantur. Non igitur dubitandum eſt quin Martyrum honores Simeon adeptus fuerit, accedente Divino tot miraculorum inibi patratorum teſtimonio.

Plurima ex Theodoreto huc afferri poſſent, ſed rem in pauca contraham. Marciani Anachoretæ nomen non tam ob prodigiorum frequentiam, quàm ob virtutum præſtantiam longè latè- Hiſt. Relig. c. 3. que diffundebatur, adeò ut antequam diem obiret Sacella ædificarentur, in quibus poſteà conderetur. Rumore ad Marcianum delato, ſtatim diſcipulum amantiſſimum, quo familiariter utebatur, ſolenni jurejurando adegit, ut abdito quodam loco corpus ſuum conderet, nec niſi multis poſt mortem annis quicquam proferret. Euſebius, ita enim vocabatur, Marciano auſcultavit, & poſtquam *vita functus eſt, & Angelorum chorus ſacram illam divinamque animam in cœleſtium ſedibus collocavit*, quinquaginta anni & eo ampliùs elapſi ſunt, antequam ejus tumulus pateret. Poſtquam cuncta ea Sacella vel ad honorem Apoſtolorum, vel ad Martyrum memoriam recolendam Deo dedicata ſunt, tum primùm S. Marciani cultores, in ſepulchrum lapidibus ſtratum illius exuvias

vias intulerunt: *Quinquaginta poſt annos vel plures elapſos, quum eo profecti plurimi corpus diligenter inveſtigaſſent, ignotum manſit ſepulchrum. Poſtquam autem unumquodque ex prædictis Oratoriis, hoc quidem Apoſtolorum, illud verò Martyrum accepit Reliquias, ſecurè deinceps ejus cellulæ, doctrinæque hæredes in arcam lapideam biennio ante conſtructam pretioſi corporis Reliquias tranſtulerunt.*

Ibid.c.10.13. S. Theodoſii quoque corpus delatum eſt ad ædem S. Juliani Martyris, ut iiſdem uterque honoribus ornaretur: *Sic elatus in ædes Sanctorum Martyrum depoſitus eſt, Juliani triumphantis pietatis athleta contubernalis, tectique conſors factus*. Idem Aphraati & Macedonio ſanctiſſimis Monachis univenit: *In triumphantium Martyrum Templum deportarunt, & cum divinis illis viris Aphraate ac Theodoſio ſanctum Deoque charum ejus corpus depoſuerunt*. Quid? Quod diu diſſidentibus populis, & ſingulis ſibi vindicantibus corpus Maronis virtutum omnium cumulo inſignis, indigenæ tandem eo potiti ſunt, advenis pulſis, & ampliſſimum Templum ei excitarunt, probante Deo illorum pietatem ingentium prodigiorum teſtimonio:
Cap.17. *De corpore inter vicinos acre ortum eſt bellum. Sed vici finitimi & populoſi adventantes incolæ ſimul omnes, cæteris fugatis, optatiſſimum theſaurum abſtulere, Temploque extructo maximo in hodiernum uſque diem utilitatem capiunt, publica celebritate victorem illum honorantes.*

XIII. En diſertis verbis anniverſariam Maronis Celebritatem ἐπετησίῳ πανηγύρει. Templa & Solennia invicem nexa & colligata ſunt. Stato die ſacri Corporis eo deportati peragebatur ædis dedicatio, & hujuſmodi anniverſaria ſancti Anachoretæ Celebritas agitabatur. Illinc factum ut ne Templa ſine ſacris Lipſanis dedicarentur. Qui verò vel corporum, vel animorum ægritudine laborantes ad ea loca confluebant, petentes ut ſancti Anachoretæ præſentem opem ferrent, dum vitam agebant, lubentiùs id poſt eorum mortem præſtabant. Hactenùs necti invicem arbitrati ſumus Templa & Solennia Martyrum, Confeſſorumve. Nolo eſſe longior, & legentibus moleſtus; ſilentio tamen prætereundum non videtur quod de Jacobo Anachoreta narrat Theodoretus. Ædes ampliſſima ex-
Cap.21. tructa ei fuerat in pago ad radices montis ubi vitam duxerat. Theodoretus ei familiaritate junctus admonuit Jacobum ſe illi tumulum paraſſe lapide inſtructum in Templo Apoſtolorum. At vir ſanctiſſimus amicum obteſtatus eſt, eumque tandem exoravit, ut tumulus in edito potiùs ejuſdem montis loco conſtitueretur. Eò Theodoretus ſepulchrum transferendum curavit, ſed ædiculam quoque conſtruendam, ne ſub dio moraretur. Jacobus id graviter & acerbè tulit; eodem ſacras Prophetarum; Apoſtolorum, Martyrumque exuvias detulit; Sacellum dedicavit; quibus peractis lubens inferri illuc ſepulchrum voluit: *Huic ædem maximam ædificaverunt in vico vicino; ego quoque Arcam illi paravi in Templo triumphantium Apoſtolorum &c. Arcam transferendam curavi, & quia lapidem à pruina labefactari animadverti, parva ædicula circumdari Arcam juſſi. At poſtquam perfecta ipſius juſſu fabrica, tectum impoſuimus, Non patiar, inquit, ut Jacobi ſepulchrum hoc appelletur, ſed triumphantium Martyrum Templum hoc fieri volo, & me velut inquilinum quempiam illorum cohabitatione dignatum, alia in Arca poni. Neque hæc dixit modo, ſed reipſa præſtitit. Collectis enim undique multis Prophetis, multiſque Apoſtolis, & Martyribus compluribus, omnes in una Arca repoſuit; cum ſanctorum populo habitare cupiens, & cum eis reſurgere, divinoque conſpectu potiri.*

Hujuſmodi præſtantiſſimi Monachi poſtquam Martyrum, Apoſtolorumque laboribus perfuncti ſunt, Templis & Celebritatibus iiſdem potiebantur. Inferebantur quandoque ſanctorum Monachorum corpora in Martyrum ædes, atque ſacella; quandoque autem Martyrum lipſana in horum Templa. Teſtis eſt Zebinas in cujus ampliſſimum Templum deportati fuerunt Martyres quidam in Perſide necati: *Templum loculo ejus maximum* Ibid.c.24. *inædificarunt. Curationes enim diverſas præſtat iis qui cum fide accedunt; ſub eodemque tecto conjunctos etiam nunc habet Martyres, qui apud Perſas decertarunt, apud nos vero annuis conventibus honorantur*. Theodoretus identidem in medium adductus, non aliquis minorum gentium Hiſtoricus dicendus eſt, ſed ſapientiſſimus Græciæ Doctor, & Theologus abſolutiſſimus, cujus teſtis utique locupletis graviſſimique auctoritas plurimi facienda eſt.

XIV. Monachis adjiciam Sanctos Eccleſiæ Doctores ac Præſules; ſed primùm in medium proferam quod de alio martyrii genere quidam ipſorum ſenſit. Dionyſius Alexandrinus in album Martyrum retulit eos qui mortem obierant opem ferendo, Alexandriæ lue graſſante, contagione infectis. Ita apud Euſebium loquitur in Hiſtoria Eccleſiaſtica: *Plurimi ex fratribus dum ægros ſecurè* L.7.c.22. *atque audacter inviſunt, eiſque aſſiduè miniſtrant, & curationem adhibent, in Chriſto unà cum ipſis mortui ſunt. Multi qui alios ægrotantes curaverant, & in priſtinam valetudinem reſtituerant, ipſi interierunt &c. Adeout genus hoc mortis ob pietatem, fideique conſtantiam, nequaquam inferius martyrio cenſeatur.*

XV. Patres & Eccleſiæ Doctores inter Sanctos retulerunt Patres & Doctores alios veluti Martyres, & iiſdem honoribus proſequuti ſunt. Ita S. Gregorius Nazianzenus de S. Baſilio Cæſareæ Cappadocum Archiepiſcopo, & ſolenni illius poſt mortem cultu: *Efferebatur vir S. Baſilius ſanctorum virorum manibus elatus. Unuſquiſque autem operam dabat, alius ut fimbriam, alius ut umbram, alius ut ſacriferum lectulum arriperet, ac vel ſolùm attingeret. Quid enim illo corpore ſanctius ac purius? In parentum ſepulchro conditur, ac Sacerdotibus Sacerdotum princeps, prædicatoribus magna vox, meiſque auribus inſonans, Martyribus Martyr adjungitur. At nunc ille quidem in cælis eſt; illic autem, ni fallor, Sacrificia pro nobis offerens, & pro populo preces fundens &c. A quo nunc quoque per nocturnas viſiones admoneor & caſtigor, ſi quando ab officio receſſero &c. Tu verò ſacrum ac divinum Caput è Cœlo nos quæſo inſpice &c.* Hæc Gregorius ille cognomento Theologus. Baſilium inter Martyres refert, eadem veneratione proſequitur, ita colendum curat, ejus precibus ſe permittit, ejus opem poſcit, eumque arbitratur rem Divinam facere in Cœlo, ubi Sancti omnes & Sacerdotes agunt & victimas, æterni Sacerdotii & Holocauſti compotes cum Chriſto, qui ſeipſum Deo Patri jugiter offert cum omnibus Corporis ſui membris. Hæc fuit Joannis mens in Apocalypſi, dum animas ultimo ſupplicio affectorum pro Chriſto ſub cœleſti ara inſpexit: nam quum eorum corpora ſub Templorum Altaribus jaceant, viſæ ſunt quoque Animæ in edito Cœli Templo ſub Ara degere. Hinc magis magiſque patuit æternum fore Chriſti Sacrificium, totum Deo illum ſe dedere atque offerre hic & in Cœlo cum membris omnibus myſtici corporis ſui, quanquam hæc neque ſimul videntur neque ſimul immolantur, ſed alia atque alia conſequuntur perpetua annorum ſerie.

Laudibus iiſdem extollitur à Gregorio Athanaſius, quem adjungit cœtui Patriarcharum, Prophetarum Apoſtolorum, ac Martyrum; ejus apud Deum opem ſupplex poſcit, ac flagitat, ut quamvis in Cœlum ſublatus Eccleſiam adſit, eamque regat: *In bona ſenectute vitam claudit, Patribuſque ſuis,* Orat.21.

Par-

Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, & Martyribus, qui pro veritate dimicaverant, adjungitur &c. At ò carum & ſacrum Caput, nos etiam ipſe benignè deſuper, & placidus accipias, atque hunc populum gubernes.

XVI. Idem confirmari poteſt ex vetuſtis Græcorum Liturgiis, in quibus non Apoſtolorum tantùm & Martyrum nomina inſunt, verùm etiam Juſtorum omnium, Confeſſorumque, qui vitam pro Chriſto profundere optaverant, & ſanctè vivendo locupletes veritatis teſtes fuerant. In Liturgia adducta à Conſtitutionibus Apoſtolicis, omnes Martyribus junguntur in rei divinæ celebratione: *Adhuc offerimus tibi pro omnibus Sanctis qui à ſæculo tibi placuerunt, Patriarchis, Prophetis, Juſtis, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus &c.* Vocabantur quondam Confeſſores, qui ſæviente Tyrannorum rabie à carceribus emiſſi, & celeriter ad metam properantes, in medio Martyrii ſtadio, impiis quieſcentibus, revocabantur. A Martyribus igitur nomen hujuſmodi repetitur; eoque inſigniri fuerunt, non tantùm qui à limine ſalutaverant, verùm etiam abſolverant martyrium illud aſperiùs vivendo, Dei amore flagrando, & in virtutum ſtudio animum obfirmando. Monachi atque Doctores, Martyres quandoque appellati ſunt, quum eodem cultu ornari cœperunt. Potiori jure Confeſſores vocandi erant, quamvis diem obiiſſent poſtquam quilibet Eccleſiæ hoſtis ſignum receptui cecinit.

Conſtit. l. 8. cap. 12.

S. Baſilii quoque Liturgia quoſvis Juſtos, ſive Martyres fuerint, ſive Confeſſores, complectitur, eoſque aſſerit pertinere ad æternam generalemque oblationem, ab orbe condito ad ejus interitum Deo exhibitam cum Jeſu Chriſto, à cujus corpore aliena non eſt: *Ut inveniamus miſericordiam & gratiam cum omnibus Sanctis, qui tibi à ſæculo placuerunt, Parentibus, Patribus, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Prædicatoribus, Evangeliſtis, Martyribus, Confeſſoribus, & omni juſto ſpiritu, qui in fide conſummationem conſequutus eſt: præcipuè ſanctiſſima, impolluta, perquam benedicta glorioſa Domina noſtra Deipara, & ſemper Virgine Maria.*

Eo autem omnes omnium ordinum Juſti recenſebantur, quo adeſſent Eccleſiæ Sacrificio partes quælibet ſanctiores hoſtiæ hujus univerſæ ac divinæ à Jeſu Chriſto cum ſemetipſo immolatæ. Oportebat Eccleſiam noſtram cœleſti quàm ſimillimam eſſe; noſtraque Sacra ab illis non admodum diſtare. Quum verò Cœli Sacrificium tam Confeſſores quàm Martyres complectatur, decuit eoſdem in partem etiam noſtrorum Solennium vocari. Qui enim rejiciendi erant ii, qui ſacra ſolenniùs peragunt in ampliore illo, editiſſimoque Cœli Templo? Poſtrema Liturgiæ S. Baſilio adſcriptæ verba clariora ſunt, quàm ut eludi poſſint. Si enim Solenniis inſtitutis colendi non eſſent qui mortem pro Chriſto oppetere minimè potuerunt, haud liceret celebrare ſtatos dies, non tantùm Patriarcharum, & complurium ſacrorum Vatum, Diſcipulorum, Doctorum, & omnium ordinum Juſtorum, verùm ne ipſius quidem Deiparæ, quod dictu abſonum quivis ſanæ mentis exiſtimaverit.

XVII. Superſedendum ab adducendis aliis Eccleſiæ veteris monumentis, maximè Liturgia S. Joannis Chryſoſtomi: ſatius eſt cum ipſo animum adjicere ad cauſas hujuſmodi moris. Itaque, ut idem docet, quilibet Juſtus tam veteris quàm novæ Legis, dum viveret, mortem continenter & Sacrificium præ oculis habuit: neque Apoſtoli tunc tantùm pro Chriſti Religione mortem obibant, quum ultimo ſupplicio afficiebantur: quotidie cum Paulo moriebantur, ſingulis horis, quovis temporis puncto. Nam ſemper vitam veteris hominis, mundi, ac ſcelerum averſabantur, & divina Jeſu Chriſti vita frui non poterant, quod tamen maximè in votis habebant, *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcendita eſt cum Chriſto in Deo,* ut ait Apoſtolus; niſi ſibimetipſis mortui fuiſſent: *Itaque nos quoque tantam habentes circumdantem nos nubem Martyrum, abjecto omni pondere per tolerantiam curramus. Vides quod etiam Abel appellavit Martyrem, & Noe, & Abraham, & Iſaac, & Jacob. Nam & iſti ſic propter Deum mortui ſunt, quemadmodum inquit Paulus, Quotidie morior. Atqui non moriebatur; ſed propoſito tantùm hoc perpetiebatur.*

Hom. 6 Adv. Judæ. t. 1. p. 141.

XVIII. Adnotat prætereà Chryſoſtomus Chriſtum immolaſſe duplici Sacrificii modo verum Corpus ſuum, & ideò utriuſque generis Martyres & hoſtias in myſtico extare. Incruentum Chriſti Sacrificium æmulantur Juſti, quibus ob redditam Eccleſiæ pacem fas non eſt palmas præripere: ad alterius, quo videlicet in Ara Crucis ſanguinem fudit, gloriam adſpirare licet Martyribus. Ut ergo unum eſt Euchariſtiæ & Crucis Sacrificium, ita utriuſque generis Martyres pertinent ad idem Corpus, hujuſque membra nominamus omnia quum Sacris operam damus, quibus maximè Feſti dies continentur. Ita Chryſoſtomus in Oratione de Laudibus S. Euſthatii Epiſcopi Antiocheni: *Abraham non aram cruentavit, non gladium rubefecit, non Iſaac jugulavit, ſed tamen Sacrificium perfecit; non peperciſti enim, inquit, dilecto filio tuo propter me. Atqui vivum eum recepit, & incolumen reduxit. Quomodo igitur non pepercit? Quod non ex factorum exitu, ſed ex animi ſententia, inquit, de ejuſmodi Sacrificiis ſoleam judicare. Non mactavit manus, at voluntas mactavit; non gladium pueri jugulo immerſit, non cervicem incidit, ſed eſt Sacrificium etiam ſine ſanguine. Sciunt illi qui myſteriis initiati ſunt, quid dicimus. Propterea & illud Sacrificium ſine ſanguine perfectum eſt, quoniam illius figura eſſe debuit. Vides in veteri Teſtamento imaginem multò antè adumbratam. Noli veritati fidem derogare. Hic itaque Martyr, Martyrem enim eum Scriptura demonſtravit, ad ſexcentas mortes paratus erat, & omnes illas voluntate animique alacritate toleravit.*

Tom. 1. p. 647.

XIX. Satis ſit adduxiſſe Martinum primum videlicet Confeſſorem, certè inter priores quos Eccleſia ſolenni ritu tanquam Martyrem coluit, etſi vitam eum ſanguine non profuderit. Eum Severus Sulpitius parem Martyribus prædicat, quòd pax Eccleſiæ minimè impedimento fuerit quominùs virtutum variis cruciatibus probatarum gloria excelleret. Sancti Præſulis invictum animi robur in Chriſti Religione & amore non concuſſiſſet Neronum, Deciorumve immanitas, non de ſententia dejeciſſet trium adoleſcentium Ebræorum incendium, non dira illa ſerra quæ Iſajam proſcidit. Sanè ob jejunia, detrectationes impiorum, laboreſque in munere ſuo implendo, jure & merito Martyr dici poteſt: *Eſt enim ille ut eſt conſertus Apoſtolis & Prophetis, & quod pace Sanctorum omnium dixerim, in illo Juſtorum grege nulli ſecundus, ut ſpero, credo, confido: illis potiſſimum qui ſtolas ſuas in ſanguine Agni laverunt, aggregatus, Agmen ducem ab omni integer labe comitatur. Nam licèt ei ratio temporis non potuerit præſtare martyrium, gloria tamen Martyris non caruit, quia voto atque virtutibus & potuit eſſe Martyr & voluit &c. Ebræis pueris æquandus &c. Quod ſi Eſajanum ſupplicium perſequutori forſan placuiſſet, nunquam profectò impar Prophetæ, ſerris & laminis diſſecari membra timuiſſet &c. Sed quanquam iſta non tulerit, implevit tamen ſine cruore Martyrium. Nam quas ille pro ſpe æternitatis humanorum dolorum non pertulit paſſiones, fame, vigiliis, nuditate, jejuniis, opprobriis invidorum, inſectationibus improborum, cura proborum,*

Epiſt. 2.

rum, ſolicitudine pro infirmantibus, cura pro periclitantibus? Quo ille dolente non doluit? Quo ſcandalizante non uſtus eſt?

XX. Scitum eſt Pauli illud fore ut quiſquis ad Chriſtianæ Legis præſcriptum mores componit ſuos inſenſiſſimorum hoſtium inſidiis appetatur ad ſupremum uſque vitæ diem. Nam ut nihil de perturbationum noſtrarum motibus dicam quos cohibet Juſtus omnis; ut nihil quoque de jejuniis, laboribus, cunctiſque malis, ſi ea ita vocaſſe fas eſt, quæ in illum cadunt, quæque bellum diei poſſunt ſibi à quovis ſponte ſua indictum, nihil tandem de injuriis ei ſæpiùs illatis à nefariis hominibus; nonnè tot malorum ſcelera, quæ ægrè admodum fert animus Dei, Veritatis, Juſtitiæ amore incenſus, maximum illi negotium faceſſunt? Quotus enim quiſque eſt tam impius, & hebes, qui magna animi ægritudine non afficiatur oculos continenter intendens in tot perditorum hominum flagitia, quibus Dei Legem, Veritatem, Juſtitiam, Sanctitatemque laceſſunt, & in peſtem hanc, labem atque perniciem generis humani? Regius Pſaltes agit de adverſariis hisce teſtatus ob ſcelera, & Dei contemptum ingenti dolore ſe confici: *Vidi prævaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt. Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* Auguſtinus quoque impiorum hominum vitam omnem, pugnam contra Juſtos vocat. Eos tum Dei amor, tum hominum æterna ſalus malè habere cogit: nam quanto animi cruciatu torqueatur neceſſe eſt is qui eum quem maximoperè diligit agi præcipitem ſua ſponte videt, & collum in laqueum inferre? Hinc Patres exiſtimant multa ab orbe condito uſque perpeſſum eſſe Dei Filium, & adhuc perpeti quoad ab impiorum hujuſmodi immanitate, membra ſua, ideſt Juſtos, vexari, & diſcerpi videat.

XXI. Poſtremò noſſe oportet, quod S. Auguſtinus docuit, nec extrui à nobis nec dedicari Martyribus Templa & ſtata Solennia, quaſi Numinibus quibuſdam, verùm tamquam monumenta mortuis qui cum Deo longè meliore vita fruantur. Non tem Divinam facientes hoſtias ipſis immolamus quum Verbi ſanguine Chriſtianorum Aræ imbuuntur; ſed eorum nomina uſurpamus cùm Sacris operamur, Deum ſumma animi religione colentes, cui ſeipſos obtulerunt. Itaque Dei Sacerdos recolit quidem eorum memoriam; ſed Sacrificium, cujus victima Corpus Chriſti eſt, uni Deo immolatur; Corporis verò hujus membra ſunt Martyres: *Nos Martyribus noſtris non* (De Civit. l. 22. c. 10.) *Templa ſicut Diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus; nec ibi erigimus Altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed uni Deo & Martyrum & noſtro Sacrificium immolamus; ad quod Sacrificium ſicut homines Dei, qui mundum in ejus confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur; non tamen à Sacerdote qui ſacrificat, invocantur. Deo quippè non ipſis ſacrificat, quamvis in memoria ſacrificet eorum, quia Dei Sacerdos eſt, non illorum. Ipſum verò Sacrificium Corpus eſt Chriſti, quod non offertur ipſis, quia hoc ſunt & ipſi.*

CAPUT IX.

Cultine fuerint Feſtis diebus Sancti Viri veteris Legis.

I. Variis rationum momentis oſtenditur Eccleſiam honore proſequutam eſſe Patriarchas, Prophetas, cæteroſque Juſtos veteris Legis.

II. Sacella & Solennia iiſdem dedicata. Thomaſſini de Feſtis.

III. Machabæis primum Templa dicata ſunt & Feſti dies, Pugnat pro ipſis Gregorius Nazianzenus.

IV. V. VI. Interpretationes variæ vaticiniorum & imaginum Chriſti, quibus Lex vetus, & Synagoga continebatur.

VII. Honores plurimi quibus Eccleſia Latina ornavit Sanctos Viros Legis Moſaicæ; etſi ſolenni ritu unos Machabaicos Martyres colebat.

VIII. Eorum martyrium ex Bernardo noſtro multò ſimilius.

IX. Nonnulla maximi momenti eodem ſpectantia.

X. Cur Hieroſolymitana Eccleſia in religioſo Patriarcharum & Prophetarum cultu cæteris antecelleret.

I. ANtequam ad hujuſmodi quæſtionem aggredimur, ſoluta jam fuiſſe videtur: neque enim fieri potuit quin Capitibus ſuperioribus plura dicerentur de cultu ab Eccleſia exhibito Sanctis Viris veteris Legis. Hi dum Sacrum fit non extremum obtinent locum in vetuſtiſſimis Liturgiis, tam S. Baſilii, & S. Joannis Chryſoſtomi, quàm Conſtitutionum Apoſtolicarum; etenim Patriarchæ & Prophetæ ante Apoſtolos & Martyres novæ Legis recoluntur. Chryſoſtomus autem Pauli verbis ortus in Martyrum numerum refert Abelem, Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum; ſiquidem oſtendit Euſthatium Epiſcopum Antiochenum celeberrimum Confeſſorem jure ut Martyrem coli poſſe exemplo Abrahami & Iſaaci, quorum alter ſemetipſum immolavit, alter Filium, non re, ſed voluntate. Severus Sulpitius ne S. Martinum quidem Eccleſiæ Martyribus concedere cenſet, vel Patriarchis, Prophetis, Ebræiſve tribus in ardentem rogum conjectis, vel Iſajæ ſerra crudeliſſimè diſſecto.

II. His non tam ſolvitur quæſtio, quàm magis impeditur, non enim adhuc detegere licet, & clarè intueri cultum Sanctorum veteris Legis. Nec preces reperiuntur, nec Ædes, nec Feſti dies iiſdem dicati. Neceſſe eſt igitur in memoriam revocemus Conſtitutionem Comneni Cæſaris, quæ Eliam quoque recenſet viceſimo Junii die; Sacella præterea atque Templa quæ ex Theodoreto novimus dedicata, adhibitis ſacris Lipſanis Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, ac Martyrum. Monachi pietate inſignes, ne ſibi, poſtquam vita exceſſerant, conſecrarentur, dedicanda curabant Sanctis Viris, quorum Reliquias in ea inferebant, nec miſſos tunc fecerunt Patriarchas ſacroſque Vates Legis Moſaicæ.

III. Reponere tamen quis poſſit Patriarchis, Vatibuſque, ut colerentur, adjunctos fuiſſe Apoſtolos vel Eccleſiæ Martyres. Machabæorum tamen primùm Feſtum diem Græci alicubi celebravere; alicubi inquam, non ubique; etenim in ipſomet Oriente Solennia hæc videbantur nonnullis negotium faceſſere: quapropter S. Gregorius Nazianzenus coactus fuit eorum vindicem agere initio Orationis habitæ in eorundem die Feſto. Contendebant plerique illos Eccleſiæ Martyres injuria vocari, quippè qui ſuppliciis quidem affecti fuerant, & pro Religione necati, ſed ante Verbi Divini Incarnationem: *Quid autem Machabæi? Horum enim nomine diem hunc* (Orat. 22.) *Feſtum agitamus. Qui quamvis apud multos non honorentur, quia non poſt Chriſtum decertarunt; digni tamen ſunt, qui ab omnibus honore afficiantur, quoniam pro legibus inſtitutiſque patriis fortem animum præſtiterunt.*

Reſpondet verò Gregorius occubuiſſe quidem Machabæos nequicquam eis exemplo fuiſſet Chriſtus; ſed majore animi fortitudine ſine ulla dubitatione mortem oppetituros fuiſſe, ſi Crucem ob oculos habere potuiſſent: *Qui porrò ante Chriſti*

paſſiones martyrium ſubierunt, quid tandem facturi erant, ſi poſt Chriſtum perſequutionem paſſi fuiſſent, ejuſque mortem noſtræ ſalutis cauſa ſuſceptam, ad imitandum propoſitam habuiſſent?

IV. Solidiora autem adjicit rationum momenta, contendere videlicet Theologiam illam quæ penitiora ſcrutatur Religionis Myſteria, omnes omnium temporum Juſtos poſt Adæ lapſum, Servatorem ſuum agnoviſſe, Fide ac Spe in ipſum latos fuiſſe, & ope ejus Gratiæ, dilectionisque inſpiratione plurima egiſſe, ac paſſos fuiſſe: *Ac ſimul myſticus & arcanus hic ſermo eſt, mihi quidem atque omnibus Dei amore præditis valdè probabilis; neminem videlicet eorum qui ante Chriſti adventum numeros omnes virtutis impleverunt, id citra Chriſti fidem eſſe conſecutum. Quanquam enim verbum ſuo poſteà tempore promulgatum eſt, puris tamen animis etiam ante innotuit; quemadmodum ex multis qui ante ipſum honoribus affecti ſunt liberè perſpicè poteſt.*

V. Sancti Viri Antiqui Fœderis, Chriſti Fide ac dilectione imbuti, ſanguinem pro patriis legibus fundere non poterant, niſi pro Chriſto occumberent. Hujus Fidei lumine ipſum ut legis finem intuebantur, legem ut pædagogum populum manuducentem ad Redemptorem, quem ſacri Codices unicè ſpectabant: *Si crederetis Moyſi crederetis forſitan & mihi; de me enim ille ſcripſit*, ut idem Chriſtus loquebatur; Paulus verò, *Finis Legis Chriſtus: Lex Pædagogus*. Synagoga, ex Auguſtino, ejuſque adminiſtratio nil aliud fuit quàm vaticinium de Chriſto; Reſpublica autem omnis Judaica maximus quidam vates, cujus res quælibet geſtæ Redemptoris & Eccleſiæ imagines extiterunt. Itaque S. Paulus de iis, quæ tum accidebant loquens, ait, *Omnia in figura contingebant illis*; verbaque illa Prophetæ: *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, quæ de Ebræis omnibus ab Ægypto proficiſcentibus agunt, à S. Matthæo traducuntur ad Dei Filium ab Ægypto in Palæſtinam redeuntem.

VI. Quæ quum ita ſint, exploratum eſt pro ea Lege, pro ejuſmodi Templo, Republica ac Patria mori idem eſſe atque Martyrem occumbere. Omnes tunc videbantur ſacri quidam Vates eſſe, qui coli Deum intelligebant cæremoniis Legis, nec in rebus Religionem ſpectantibus quicquam in eorum oculos incurrebat, præter Deum ac Servatorem humani generis. Hinc quotieſcumque ea è medio tollebantur ab impiis Idolorum cultoribus, in Deum ipſum mentis aciem unicè intendebant. Ita apud Nazianzenum Machabæi teſtantur: *Nam quod ad hoc Templum attinet, Templum magnificentius eſt. Jam verè nobis pro Feſto & Celebritate Angelorum chorus eſt: ac poſtremò myſterium unum magnum, atque adeò maximum, ac pleriſque tectum & incognitum, Deus; ad quem hujus quoque vitæ noſtræ myſteria referuntur.*

VII. Machabæorum cultus alii quoque Patres meminere; Machabæos verò tantùm Feſto die ornavit Latina Eccleſia. In Litaniis opem generatim implorat Patriarcharum & Prophetarum; & Sanctos Abelem & Abrahamum invocat in iis quas uſurpat pro animam agentibus. Adſcripta ſunt Canoni ſancti Miſſæ Sacrificii nomina Abelis, Abrahami, Melchiſedeci; Martyrologio autem adſcribuntur Abrahamus, Aaron, Abdias, Habacuc, Aggæus, Ananias, Azarias, Miſael, Daniel, David, Elias, Eliſæus, Ezechiel, Jeremias, Jobus, Jonas, Joſue, Gedeon, Michæas, Moſes,
Annal. to. 3. Ann. Ch. 1348. n. 49. Oſeas, Sophonias, & Zaccharias. Non tamen horum ſingillatim Celebritates peraguntur, ſed Machabæorum duntaxat, ſi de univerſa Eccleſia Occidentali loquamur. Non idem ſentiendum de Græca, quæ plures ſtatos dies Sanctis Veteris Legis Viris dicavit. Vvadingus protulit Faſtos Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, quibus inſcripti ſunt Feſti dies Sophoniæ, Davidis, Malachiæ, Amos, Jeremiæ, Oſeæ, Aggæi, Iſajæ, Eſdræ, Samuelis, Moſis, Zachariæ, & Abrahami. Superſunt adhuc Conſtantinopoli Templa Eliæ, Iſajæ, Jobs, Samuelis, Zachariæ, & Machabæorum, ut videre L. 4. c. 4.
eſt in Conſtantinopoli Chriſtiana Cangii.

VIII. Quod ad Latinam Eccleſiam pertinet, quærit S. Bernardus, cur à nobis Machabæorum tantùm anniverſaria Celebritas agatur? *Quæris* Epiſt. 98.
quidnam Patribus viſum fuerit, ut ſolis ex omnibus antiquis Juſtis, ſingulari quodam privilegio, Machabæis annuam Celebritatem pari cum noſtris Martyribus veneratione decernerent in Eccleſia ſolenniter exhibendam? Exiſtimarunt nonnulli lætitiæ locum non eſſe emortualibus diebus Sanctorum Virorum Legis Moſaicæ, quòd ad infernas ſedes tunc, non ad Cœlum adirent; at par Machabæorum ratio fuiſſet. Pluris fecit Bernardus ſimilitudinem Machabæorum, noſtrorumque Martyrum, quæ maxima videtur: *Soli ex veteribus Machabæi, quia non ſolùm cauſam, ſed & formam novi Martyrii tenuerunt, juſtè fortaſſe in Eccleſia cum novis Eccleſiæ Martyribus eandem conſuetæ celebritatis gloriam aſſequuti ſunt. Inſtar quippè Martyrum noſtrorum, libare Diis alienis, patriamque deſerere legem, immò mandata Dei tranſgredi cogebantur, renuebant, & moriebantur. Non ſic Iſajas, non ſic Zacharias, non denique vel magnus ille Baptiſta mortuus eſt &c.*

IX. Sancti Bernardi ſententiam tanquam veriſimillimam confirmant tempus, locuſque ſuppliciorum & cultus. Omnium poſtremi in Veteri Lege ſanguinem fuderunt, & in Eccleſiæ primordiis recens & celeberrima erat eorum memoria. Res ab ipſis pro patria Religione fortiter geſtæ diligentiſſimè ab Hiſtoricis conſcriptæ erant, & præ manibus habebantur à Judæis vocatis Helleniſtis, qui frequentes Chriſto nomen dederant. Ingens erat in Orientali Eccleſia Helleniſtarum hujuſmodi numerus, qui Machabaicos Chriſtianis Martyribus ſocios adjungere ſatagebant. Prioribus ſæculis Chriſti tantùm Martyrumque Celebritates agitabantur, & uni Machabæi reapſe & ſine ulla dubitatione Martyres extiterant; neque confugiendum erat ad arcana Theologorum ſenſa, ut Martyres illi excogitarentur, dum pace potiebatur Chriſtiana Religio, quos vulgus intelligentia aſſequi non poteſt. Ab Oriente in Occidentem migravit hujuſmodi Solennitas, eaque tantùm ſupereſt in utraque Eccleſia. Quanquam enim in earum Martyrologiis & fortaſſe in aliquot precationibus extent nomina aliorum Veteris Legis Juſtorum, nihilominùs pauci admodum ſunt, quorum Solennia Oriens totus coluerit, in Occidente autem duntaxat Machabæi. In longiore Comneni enumeratione unus Elias recenſetur.

X. Neque difficile eſt noſſe cur Eccleſia Hieroſolymitana apud Vvadingum Feſtos dies celebraverit complurium Sanctorum Veteris Legis. Ebræi maximo ſemper honore affecerant memoriam ac tumulos Prophetarum, Patriarcharumque: poſtquam Chriſtianis ſacris initiati ſunt nihil de ejuſmodi ſtudiis remiſerunt; & quamvis ſtatis diebus eos non coluerint, poſteà tamen licere ſibi arbitrati ſunt Martyrum honoribus augere Prophetas, quorum ſepulchris, corporibuſque potiebantur. Sanguis & corpora Machabæorum, Prophetarum, Martyrumque effecere, ut ad hanc ſimilitudinem animum adjungerent, & eadem ſimul omnes veneratione, honoribus iiſdem ornarentur.

C A P U T X.

Romani Pontificis & Epiſcoporum Auctoritas in Feſtorum dierum inſtitutione.

I. Feſtorum dierum probatio pertinet ad Romanos Pontifices, Epiſcopos, & Concilia.

II. Idem magis confirmatur.

III. Quomodo Imperatores leges tulerint de dierum Feſtorum numero.

IV. Eccleſiæ quoque Feſtos dies probabant, ſed præcipua poteſtas penes Epiſcopos erat.

V. Eadem Synodorum & Epiſcoporum auctoritas magis illuſtratur.

VI. Propria quædam Solennia & preces adhibuere Cœnobia & Archimandritæ. Religioſus hujuſmodi cultus privatus tantum erat, niſi accederet Epiſcoporum conſenſio.

VII. Nova rationum momenta.

VIII. In Capitularibus Francorum, Epiſcoporum poteſtas præſtabat in his maximè conſtituendis.

IX. Epiſcopi, ut conſtat ex eorum decretis, Solennia ab omnibus celebrata attingere religioni habebant.

X. Comneni Conſtitutio Patriarchæ accepta referenda: dies ſolum in ea præſtituti, quibus Regem adire licebat.

XI. Gratianus Epiſcoporum voluntati permittit inſtitutionem Feſtorum dierum in eorum Eccleſiis. Attingit quoque Feſtos dies non obſervandos neceſſariò.

XII. Decretales Litteræ Gregorii IX. hanc Epiſcopis poteſtatem non adimunt.

XIII. Declaratio dierum Feſtorum qui obſervandi omninò ſunt, in Conſtitutione Urbani VIII. Anno 5642.

XIV. Vis conſuetudinis in illis abrogandis.

XV. Integrum eſt Romano Pontifici Feſtos dies ab omnibus colendos in univerſa Eccleſia conſtituere, & Epiſcopo in ſua Diœceſi. Populi conſenſio modò minimè deſideratur.

XVI. Liceatne Populo & Magiſtratibus ſolennes hos dies inſtituere.

XVII. Cur S. Bernardus Lugdunenſes exagitaverit ob Deiparæ Conceptionem.

XVIII. Sanctus Claravallenſis Abbas etiamsum Sedi Apoſtolicæ accedebat, eique deferendum eſſe cenſebat.

XIX. Fuerit ne penes Epiſcopos & Lugdunenſes Canonicos poteſtas novæ ejuſmodi Solennitatis indicendæ.

XX. Permagni intereſſe in hiſce tribus Eccleſiarum conſenſionem.

XXI. Hujuſmodi neceſſitas in præſentia longè major.

I. SÆpiùs ſoluta eſt à nobis hujuſmodi quæſtio, quamvis ad examén vocata non fuerit. Fieri non poterat quin quaſi aliud agentes inquireremus in conſtituendorum Solennium poteſtatem, quum adducebamus varios Canones, Legeſque, & eorundem enumerationes. S. Auguſtinus collatam à Deo hanc poteſtatem Apoſtolis Conciliiſque teſtatus eſt, repetendo ab Apoſtolica Traditione, & Oecumenicis Synodis mores Eccleſiæ univerſæ, quorum altum eſt in ſacris Bibliis ſilentium, & adducendo anniverſarias Celebritates Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes: *Vel ab*
Epiſt. 118. *ipſis Apoſtolis*, ait, *vel à Plenariis Conciliis commendata atque ſtatuta teneri.*

II. Quatuor illæ Solennitates Plenariis & Oecumenicis Conciliis antiquiores ſunt, & peragebantur prioribus ſæculis, tum quum cogi Synodi minimè potuerunt. Acceptæ ergo referendæ ſunt Apoſtolis, quibus Epiſcopi ſuffecti ſunt. Quum verò Concilia Comitia ſint Epiſcoporum, patet munus hoc eſſe Romani Pontificis,
Epiſcoporum, & Synodorum. Conſtitutionum L. 8. c. 3.
Apoſtolicarum Auctor de diebus Feſtis agens, & Apoſtolorum Martyrumque Celebritates complexus, oſtendit, non jam Apoſtolos, ſed eorum loco Epiſcopos illas indicere.

III. Non eò adduximus Leges utrinſque Codicis pro hujuſmodi celebratione, quòd Romani vel Byzantini Imperatores indicendorum Solennium auctoritatem ſibi vindicarent. Expedire arbitrabantur ut Imperium Sacerdotio morem gereret, & Magiſtratus tunc omni animi contentione incumberent in Redemptionis noſtræ Myſteria, & in religionis virtutumque omnium ſtudia, quorum illuſtria admodum in Martyribus cæteriſque Sanctis viris extant exempla.

IV. Eccleſiæ ſingulæ Solennia Martyrum pro Chriſto interfectorum inſtituebant, ut allatæ Sancti Cypriani & Smyrnæorum Litteræ apud Euſebium memoriæ prodiderunt. Itaque Ec-
cleſiæ ea inſtituebant; cæterùm, Cypriano te- L. 3. ep. 6.
ſte, poteſtas maxima penes Epiſcopos erat: quapropter Antiſtes optimus viris omni exceptione majoribus provinciam demandaverat adnotandi dies Martyrum emortuales, ſeque certiorem faciendi, ut eorum triumphi recolerentur.

V. Concilium Turonenſe Anno 567. probavit, non inſtituit cultum Circumciſionis, Sancti Martini, & Cathedræ Sancti Petri. Agathenſe Anno 506. oſtendit quæ Solennitates cæteris præſtent, coegitque optimates, ut ad Civitatem, Eccleſiamque principem ſe conferrent, eaſque ibi celebrarent. Idem de Aurelianenſi Synodo coacta Anno 511. judicium eſto. Viſigotorum autem Leges ab aliis in Codicem relatis non abhorrebant. Edicitur videlicet ne ſtatis illis diebus judicia exerceantur. Sed Concilii Toletani X. Canon planè evincit Synodorum & Epiſcoporum eſſe indicere, probare, & loco movere ſacra Solennia: idcircò eadem Synodus ſalutatæ ab Angelo Virginis Celebritatem à Quadrageſima ad Adventum traduxit; attulitque Canonem vetuſtiſſimæ Synodi Laodicenæ, quo in jejuniis Quadrageſimæ Martyrum Solennitatibus interdicitur; quum tantùm tunc liceret eorum memoriam celebrare Sabbatis, & Dominicis diebus. Eandem Epiſcoporum auctoritatem probavit Synodus Quiniſexta vocata, quæ Sacrum Perfectum fieri poſſe ſolùm ſtatuit Annunciationis die, Dominicis, & Sabbatis.

VI. Quum à Balſamone in hujus Canonis interpretatione adnotatum ſit Cœnobia optimè conſtituta celebraſſe ante Quadrageſimam Solennia in illam incidentia, fateamur oportet plurimos ab Abbatibus & Cœnobiis ſacros mores ac ritus in eorum Eccleſiis fuiſſe inſtitutos. Crediderim quoque complura eodem ſpectantia à Monachis repetenda eſſe. Extruebantur Sacellà, & nonnunquam ampliſſimæ ædes in iis locis, ubi plures Anachoretæ virtutibus & prodigiis inſignes in tumulum illati fuerant, & anniverſariæ Celebritates agitabantur ſtato die, quo mortem obierant. Diſcipuli atque cultores hujuſmodi Sanctorum Monachorum in proximis locis degentes, eas quoque peragebant; probabantur autem hæc facilè ab Epiſcopis. Ex geſtis Theodoreti Cyri Epiſcopi intelligimus ipſos quandoque Epiſcopos religioſo huic cultui viam ſtraviſſe, & ab ipſo pariter diſcimus nonnullorum corpora in primaria urbium Templa fuiſſe tranſlata.

Non igitur dubitandum eſt quin ſacra Solennia à Monachis Monaſteriiſve quandoque Templa Epiſcopalia mutuo acceperint. Utut hæc ſe habeant, id in confeſſo eſt, Monachorum Celebritates Cœnobiorum cancellis concluſas fuiſſe, quoad Epiſcoporum conſenſus accederet.

Cap.74. VII. Quicquid de diebus Feſtis Godegrangus in Regula ſtatuit, pertinet dumtaxat ad Canonicorum Eccleſias: fortaſſe in ea adſcriptæ quoque erant propriæ Canonicorum Solennitates. Confirmatur præcipuè Celebritas Patronorum Diœceſeon, quorum delectus fiebat ab Epiſcopis. Hoc ex Gregorio Turonenſi patet: etenim ſcribit Perpetuum Turonenſem Antiſtitem Templum ædificaſſe, eò S. Martini corpus transferendum, ſtatoque die Tranſlationis Celebritatem peragendam curaſſe.

VIII. Aliud loquendi genus & à Principum Legibus diverſum uſurpat Moguntina Synodus Anno 813. Jubet enim obſervari Feſtos dies, & morum, & conſuetudinis rationem haberi: *Feſtos dies in anno celebrare ſancimus; hoc eſt diem Dominicum &c.* Can.36. Leges quidem & Capitularia Caroli Magni eadem ferè verba adhibent; ſed notius eſt quàm ut indigeat probatione Capitularia illa epitomen eſſe Canonum, eorumque verba totidem verbis reddere. Canon quoque Moguntinus ineſt in Capitularibus. Quid igitur mirum, ſi idem quaſi pro auctoritate præcipiant? Huc accedit Capitularium Leges plurimas latas in Synodis fuiſſe, in quibus tanta nonnunquam fuit concordia Sacerdotii, & Imperii, ut Epiſcopi Reges agere, Reges Epiſcopos viderentur, ob maximam animorum, ſententiarumque conſenſionem.

IX. Agere de Capitularibus Herardi Archiepiſcopi Turonenſis, vel Ahitonis Epiſcopi Baſileenſis, interpretari quis poſſet munus hominis otio abutentis ſuo. Feſtos dies Præſules illi conſtituunt; quod de Galtero quoque Aurelianenſi Antiſtite dicimus. Nec factu difficile foret quamplurima Capitularia vel Epiſcoporum Conſtitutiones hinc atque illinc decerpere; pateret tamen Epiſcopos nunquam arbitratu ſuo veteres & generales Eccleſiæ Celebritates attigiſſe; pro ſuo autem jure de cæteris plura ſtatuiſſe, quod etiam indicant longè diverſi Eccleſiarum ritus in dierum minùs ſolennium celebratione.

X. Comneni Edictum plura quovis alio complectitur. Omnia ſibi in eo aſſuere videtur Imperator; at reverà dies tantùm enumerat, quibus à forenſibus judiciis ſuperſedendum eſt, vel omninò, vel quoad res Divina fiat. Quòd ſi aliud quoque ſibi vindicare videatur ea Lex, reponimus Byzantinos Præſules ſæpiſſimè Conſtitutiones Eccleſiaſticas edidiſſe, & quo Magiſtratus opem ferrent Epiſcopis, dediſſe operam ut eædem Principum Legibus probarentur.

XI. Affert Gratianus enumerationem Feſtorum dierum ab Eccleſia univerſa celebratorum, ac ſubjicit eſſe in cujuſcumque Epiſcopi, vel Diœceſeos poteſtate Celebritates nonnullas inſtituere pro ſua
De Conſecr. diſt.3.c.1. tantùm Eccleſia: *Et alia Feſtivitates, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus cum populo collaudaverint, quæ vicinis tantum commorantibus indicendæ ſunt, non generaliter omnibus.* Duo ſunt Solennitatum genera, vetuſtiſſimum unum & ubique terrarum ab Eccleſia celebratum, de quo hic verba non fiunt; alterum quod locis quibuſdam coercetur, & hoc pendet ab Epiſcopi, Cleri & Populi voluntate. In calce Decreti monetur Epiſcopus ne populum cogat ad celebrationem aliorum dierum Feſtorum: *Reliquas verò Feſtivitates per annum non ſunt cogendi ad feriandum, nec prohibendi:* quæ intelligenda ſunt de diebus illis, qui ſolennibus precationibus à Clericis celebrantur, quanquam cæteri & in opus quiſque ſuum incumbere, & à precibus illis abſtinere poſſint. Nomen ipſum diei Feſti indicat Eccleſiæ in votis eſſe ut Chriſtianus populus ſolennibus precibus, reique Divinæ interſit, non omninò ab operibus ceſſando. Id in Græca Eccleſia uſuvenit, quæ in quibuſdam minùs ſolennibus Celebritatibus unumquemque ſinit negotiis operibuſque ſuis vacare, Sacris ritè peractis. At in Latina unicuique integrum eſt vel dies illos obſervare, vel tanquam profeſtos minimè celebrare.

XII. Decretales Litteræ Gregorii IX. Romani Pontificis vetera Epiſcoporum jura in diebus Feſtis cum Clericis & Populo conſtituendis quos omninò obſervari oporteat, ſarta tecta ſervant: *Cæteriſque Feſtivitatibus, quas ſuis in Diœceſibus* L.2.t.9.c.5. *ſinguli Epiſcopi cum Clero & Populo duxerint ſolenniter celebrandas.*

XIII. Fagnanus in pauca contraxit Conſtitutionem, cujus initium eſt *Univerſa*, Urbani VIII. In cap. Conqueſt. de feriis L.2. Decretal. p. 116.117. Summi Pontificis Ann. 1642. quæ ſtatuit ſingulos dies Feſtos à Gregorio enumeratos neceſſariò obſervandos eſſe; Solennitates Beatæ Virginis, quas generatim tantùm complectitur, eſſe quatuor illas celeberrimas, ideſt Purificationem, Annunciationem, Aſſumptionem, & Nativitatem: Sanctiſſimæ quoque Euchariſtiæ Solennia agenda eſſe quinto, poſt Octavum Pentecoſtes, die, ut habetur in Clementinis Conſtitutionibus, *de Reliquiis & Veneratione Sanctorum, cap. Si Dominum*; Inventionis quoque S. Crucis, de qua agitur, *de Conſ. diſt. 3. cap. Crucis.* Præterea ſolenni ritu colendos eſſe S. Joſephum, & S. Annam, ac tandem eadem ratione præcipuum cujuſvis Regni, vel Provinciæ, Patronum, & alterum pariter præcipuum cujuſvis Civitatis, vel Pagi, ſi locorum mores id poſcant. Quod pertinet ad Solennitates cæteras Eccleſiæ totius, vel quarundam, quamvis videri poſſint neceſſariò colendæ, Summus Pontifex ſtatuit neminem ad eas obſervandas eſſe cogendum.

XIV. Sanè maxima fuit vis morum in Feſtorum dierum inſtitutione vel abrogatione. Sacrorum Canonum periti, ut Fagnanus tradit, contendunt uſu ſublatam eſſe ceſſationem à forenſibus judiciis, & celebrationem ſeptem dierum ante Chriſti Nativitatem, reliquorum ab eadem uſque ad Octavam Epiphaniæ, à Quinquageſima ad octavum Paſchæ diem, & ſeptem dierum ante Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ; Idem de tribus Rogationum dicendum.

XV. Rem magni momenti animadvertit Fagnanus Litteras haſce Gregorii IX. & Urbani VIII. interpretatus; eſſe nempè penes Romanos Pontifices indicendorum in univerſa Eccleſia ſacrorum Solennium poteſtatem, cæterorum autem Antiſtitum eſſe eadem in Diœceſibus ſuis inſtituere: *Nota ſolum Papam in Eccleſia Univerſali, & quemlibet Epiſcopum in ſua Diœceſi poſſe dies Feſtos indicere.* Verùm ne in ſuis quidem Eccleſiis modò fas eſt Epiſcopis illos colere, niſi ſancti viri primùm Aris augeantur ab Apoſtolica Sede, cujus tantùm eſt Eccleſiæ faſtis quempiam adſcribere. Exiſtimarunt quidam Canonici Juriſconſulti populi conſenſionem deſiderari ad hujuſmodi inſtitutionem; nitebantur enim Gregorii IX. verbis, & vehementer intereſſe Reipublicæ arbitrabantur; ſed Tridentina Synodus eorum ſententiam parvi fecit, juſſitque tum Cœnobitas, tum alios quoſvis obſervare ſtatos dies ab Epiſcopis in Diœceſibus conſtitutos: *Dies autem Feſti quos in Diœceſi ſua* Seſſ.25.c.12. *ſervandos Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus ſerventur.*

XVI. Quòd ſi populi aſſenſus minimè deſideratur in ſolennium dierum inſtitutione, nefas erit ab eodem dumtaxat populo illos indici. Quid Principes ſibi vindicare poſſint, ad examen vocat Fagnanus adducto Mediolanenſi Senatuſconſulto, quo edicitur, Anno 1653. ne cui S. Dominici die

liceat

liceat in opus illiberale incumbere. Sed in Urbe Senatus ſententiam, cum cæteri ad deliberandum vocati, tum Fagnanus ipſe cenſuit reſcindi oportere, quòd in Sacerdotis Summi & Epiſcoporum jura Mediolanenſes Patres invaſiſſent: quapropter Innocentius X. ſententiam illam, veluti aliena ſibi injuria vindicantem, eodem anno damnavit. Conſtitutio quoque Urbani VIII. Mediolanenſibus adverſabatur; hortatur enim Epiſcopos ut ne Feſtorum dierum inſtitutione inopum, & artificum operibus impedimento ſint, & Eccleſiarum in ejuſmodi cæremoniis conſenſionem evertant.

XVII. Nonnulla eorum quæ dicta ſunt innuit Bernardus in litteris de nova Conceptionis Solennitate miſſis ad Canonicos Lugdunenſes. Queritur quòd novis rebus ſtudeant indicendo Solennia à Majoribus minimè celebrata, quaſi Patribus vel eruditione vel pietate ipſi antecellerent:
Epiſt. 174. *Novam inducendo Celebritatem, quam ritus Eccleſia neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Nunquid Patribus doctiores, aut devotiores ſumus? Periculosè præſumimus quicquid illorum in talibus prudentia præterivit.* Contendit autem Bernardus non tam facilè indicendas eſſe Celebritates, quum tot Solennitatum ſeries atque lætitia in Cœlo potiùs quàm hic locum habeat: *Patria hæc non exilii frequentia gaudiorum, & numeroſitas Feſtivitatum cives decet, non exules.* Jactabant Litteras quaſdam quaſi è Cœlo miſſas pro ea peragenda Solennitate. At Bernardus repoſuit niti ejuſmodi momentis eos, quibus nec ratio, nec auctoritas patrocinabatur: *Sed profertur, ut ajunt, ſcriptum ſupernæ revelationis, quaſi & quivis non queat ſcriptum æquè producere. Ipſe mihi facilè perſuadeo ſcriptis talibus non moveri, niſi quibus nec ratio ſuppetat, nec certa invenitur favere auctoritas.* Prætereà idem ait non exhibere Deiparæ cultum quem ipſa probet, eos qui veteris Eccleſiæ rationem nullam habent, vel ob animi levitatem, vel ob pervicaciam atque ſuperſtitionem: non eum fugere peractam Solennitatem illam à quibuſdam rudioribus, quibus parcendum crediderat; ſed vitio ſibi verti poſſe ſi linguam cohibuiſſet dum novos ritus amplectebantur Canonici, & Eccleſia præſtantiſſima: *Alioquin nulla ei ratione placebit contra Eccleſiæ ritum præſumpta novitas mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia levitatis &c. Et quidem antè apud alios errorem compereram, ſed diſſimulabam, parcens devotioni, quæ de ſimplici corde, & amore Virginis veniebat. Verùm apud ſapientes, atque in famoſa, nobilique Eccleſia, & cujus ſpecialiter filius ſum, ſuperſtitione deprehenſa, neſcio an ſine gravi offenſa veſtri omnium diſſimulare potuerim.*

XVIII. Ad calcem litterarum docet confugiendum fuiſſe ad Apoſtolicam Sedem ut ritè nova Solennia indicerentur; ejuſque ſententiæ in hujuſmodi rebus ſe dedere teſtatur: *Nam ſi ſic videbatur, conſulenda erat prius Apoſtolicæ Sedis auctoritas, & non ita præcipitanter atque inconſultè paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum &c. Quæ autem dixi, abſque præjudicio ſanè dicta ſint ſanius ſapientis; Romanæ præſertim Eccleſiæ auctoritati atque examini totum hoc, ſicut & cætera quæ ejuſmodi ſunt univerſa reſervo; ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare.* Itaque etiamtum Claravallenſis Doctor totum ſe Romanæ Eccleſiæ permiſit, ejuſque edicta, quibus Feſtum Conceptionis diem probavit, complexus eſt. Sed plurima adduci poſſunt quæ primùm rejecta, tandem ab omnibus probata ſunt. Quicquid novi aliquid redolet, etſi cæteroqui honeſtum ac pium, vitio ſæpè non caret: verùm anni conſequentes, & mores ab omni illud invidia non rarò liberant.

XIX. Intelligere ex Bernardi epiſtola non poſſumus probaſſetne calculo ſuo Solennitatem illam Lugdunenſis Antiſtes: Canonicorum dumtaxat levitatem perſtringit, nec queritur quòd totum Præſulem non conſuluerint: videtur igitur ſine ejus ſuffragiis inſtituta fuiſſe. Crediderim etiam quòd ſi illius voluntas acceſſiſſet, minùs amarulenta verba Bernardus uſurpaſſet: nam Canonicos ignorantiæ & ſuperſtitionis poſtulavit. Non tamen Epiſcopis cum Clericis integrum eſt ad hæc aggredi ex Claravallenſi Præſule: etenim etſi Epiſcoporum in Celebritatibus inſtituendis jura ſarta tecta ſervata ſunt à Synodis & Pontificibus Maximis, id docum ſibi vendicat tantùm ut jam diximus, in Diœceſeon Patronis. Epiſcoporum igitur edicta unicè Diœceſin ſpectant; at Servatoris noſtri, & Deiparæ religioſi dies pertinent ad cultum Eccleſiæ univerſæ. Si quid novi in his contingat, reliquæ Eccleſiæ poſteriores partes ferre nolunt; illinc diſſidia, jurgia, & rerum novarum ſtudia.

XX. Nec minoris facienda eſt Eccleſiarum in eodem ritu conſpiratio; ac notiores ſunt quàm ut confirmatione indigeant acerrimæ de Paſchate in veteri Eccleſia contentiones. Præſules nonnulli inſigni pietate & prudentia viri quibuslibet fas eſſe putabant more & arbitratu ſuo vivere; ſed Victori Romano Pontifici & Nicænæ Synodo longè aliter viſum fuit, quamvis & ipſi pacis Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimi forent. Uberiore lumine, & auctoritate præſtantiore præditi multò meliùs ſe Eccleſiæ tranquillitati conſulendum exiſtimarunt. Etenim jamtum intelligebant fore ut ſæculis quæ conſequerentur novis rurſum diſſidiis Eccleſiæ inter ſe committerentur, niſi ejuſdem ritus conſenſione inter eas conveniret, ſublatiſque jurgiis, ſe mutuò diligerent.

XXI. At non tanti momenti ſunt cæteræ Celebritates. Id quidem probè teneo; verùm conſenſio hujuſmodi neceſſaria magis in præſentia videtur, quàm prioribus Eccleſiæ Sæculis. Major eſt modò Eccleſiarum omnium copulatio. Ubique gentium Clerici, populus, quilibet recipiuntur tanquam in propria Eccleſia degerent, neque Epiſtolarum *Communicatoriarum* ullus eſt uſus. Ubivis Sacramenta quibuslibet traduntur; ubivis parendum eſt moribus regionum. Itaque oportet una eademque ſit regendi Eccleſiam ratio, ut ejus tranquillitati proſpiciatur. Quì fieri potuiſſet ut Itali Deiparæ Conceptionem tum Lugduni peragerent, quum eam Celebritatem Urbs & Diœceſes plures improbabant?

C A P U T XI.

De dierum Feſtorum imminutione.

I. Feſtorum dierum in Eccleſia inſtitutio admirabilis, ſine ullo rerum novarum ſtudio.

II. Eccleſiæ difficiles ſe præbuere in novis Solennitatibus conſtituendis, quanquam ea poteſtate prædita erant.

III. Auctus quandoque earum numerus; ſæpiùs imminutus.

IV. Gerſonis & Nicolai Clemangii expoſtulationes de abuſu, & incommodis tot Celebritatum.

V. De abrogatione Feſtorum quorundam dierum Eccleſiæ Altiſſiodorenſis, Epiſcopi auctoritate.

VI. Alia rationum momenta pro abolendis nonnullis aliis conſimilibus, ut Deo, & S. Scripturæ lectioni magis vacare liceat.

VII. Quo pietatis ſtudio in hanc lectionem incumbere oporteat, præſertim in Horarum Canonicarum precationibus.

VIII.

VIII. Canonicas Horas Feriarum non facilè prætermittendas eſſe, ut Sanctorum laudibus earum loco quis vacet.

IX. Celebritates quædam à Synodo Trevirenſi ſublatæ, Anno 1549. Plurima ad ordinem redacta.

X. Celebranda tamen eſſe à Clericis eadem divina Officia.

XI. Trevirenſis Synodus jura Epiſcoporum non convellit.

XII. Malè quædam inferioris ordinis Solennia tandem abrogari.

XIII. Concilium Cameracenſe An. 1565. hortatur Epiſcopos ad minuendum eorum numerum; id tamen eorum auctoritati permittit.

XIV. Solennia alia ſublata.

XV. Alia è ſacris faſtis expuncta ab Urbano VIII. petentibus Regibus & Epiſcopis.

XVI. Urbanus Epiſcopos hortatus eſt ad rituum conſenſionem.

XVII. Animadverſiones in hanc imminutionem, Epiſcopis flagitantibus.

I. POſtrema ſuperioris Capitis pars ad hoc ſenſim ſine ſenſu viam ſtravit. Bernardus acerbè tulit novæ Celebritatis inſtitutionem, quam exagitavit, quòd perfrictæ frontis ſit putare ſe majoribus, pietatis, religionis, & ſapientiæ gloria antecellere. Inſtituta ſunt quidem ſæculis conſequutis Solennia plurima, quæ veteres minimè noverunt, atque ipſi Eccleſiæ Patres Celebritates quandoque probaverunt nunquam à prioribus & Apoſtolis peractas. Dum tamen hæc agerentur conveniebat inter omnes minimè novas res conſectari oportere. Exiſtimabant ſe hoc morbo minimè laborare: nam adigebantur neceſſitate cui obſequebantur, adeò tamen conſideratè, & pedetentim ratò, ut antequam ritè probarentur viderentur inſtitutæ. Id vix uſuveniebat, nullus autem conqueſtionibus locus relinquebatur.

II. Sufficiat ad incudem revocare ſacros Eccleſiæ faſtos, & incrementa ſolennium dierum habita ſeriei annorum ratione. Sanè ſi animo recognemus tot ſæcula quæ effluxerunt, ac tot Eccleſias in toto qua latè patet terrarum orbe, pauca admodum invenientur hujuſmodi incrementa. Vix ullus adjectus eſt diebus Feſtis Servatoris & Martyrum, atque Dominicis dies ab exordio uſque Eccleſiæ; & tamen Eccleſiæ ſingulæ quas mallent Celebritates peragebant, nec tanta tum erat in cæremoniis iiſdem ac ritibus conſpiratio. Eſt verò admiratione dignum quomodo recentia hæc Solennia primùm indicta fuerint. In lucem ergo prodierunt ex uno pietatis ſtudio, nulla accedente neceſſitate, ſed cunctis ea libenti animo complectentibus quæ ab aliis oriebantur, adeò ut faſtorum plurimi extent, quibus inſcriberentur, pauciſſima edicta quibus ea celebrari juberetur. Hoc fortaſſe S. Bernardus caſtigandum eſſe cenſuit in Lugdunenſi Eccleſia, cui ſatis eſſe debuit minimè impedimento eſſe Conceptionem colentibus, Bernardi ipſius exemplo, eamque Solennitatem paulatim inſtitui; non illam præcipiti ſententia probare.

III. Si temporum ſeriem ab ultima antiquitate ſcrutemur, patebit excreviſſe numerum ſolennium dierum. Adjecti ſunt quidam Jeſum Chriſtum ſpectantes, & omnes Deiparæ. Apoſtolis ſtati dies adſcripti ſunt, cum omnes anteà ſimul colerentur: poſt Apoſtolos Martyres in album relati ſunt, tum Confeſſores & Angeli, deinde cæteri omnes novæ & veteris Legis præſtanti virtute viri. Ita varia extiterunt genera incrementi hujus, quanquam ſi rem melius putemus, ab iis minimè ſuperſedendum fuit; rudiora enim ferè ſunt Rerumpublicarum primordia, nec optimè conſtitutæ dici poſſunt, niſi ipſa die, quæ eaſdem ad perfectionem adducit. Conferantur ergo ſimul hujuſmodi augmenta, & imminutiones. Secundo Eccleſiæ ſæculo Feriæ Paſchales obſervabantur totos quinquaginta dies uſque ad Pentecoſten, quæ ſublatæ ſunt. Dum priores Cæſares rerum potiebantur, ſeptem ante Paſcha dies, totidem poſt, publica judicia minimè exercebantur, ac Feriæ celebrabantur à Natali Chriſti die ad Epiphaniam. Nil ſimile in præſentia uſuvenit. Græca Eccleſia uſque ab Apoſtolis retulit Sabbata in album Celebritatum; contrarii mores apud Latinos inveterarunt. Quæ ſi rectè putemus, ſubductis rationibus, conſtabit Feſtos Eccleſiæ dies imminutos potiùs eſſe quàm creviſſe. Idem Patrum ferè memoria contigit. Reducta in dies ſunt ſacra Solennia ad Celebritates paucas in pluribus Diœceſibus, loco nunquam motis Solennioribus Eccleſiæ univerſæ. Id habuit in votis Synodus Salisburgenſis, cui præfuit Everardus Archiepiſcopus Anno 1420. *Feſtivitates Sanctorum nimis multiplicatas reſtringant.*

IV. In Comitiis Provincialibus Remenſis Eccleſiæ An. 1408. Oratio habita eſt à Gerſone de incommodis tot Feſtorum dierum, qui vel negligebantur, vel moleſti erant illis qui in egeſtate vitam degebant, vel polluebantur à populo otio, ſexcentorum malorum origine, diffluente, ebrietate, jurgiis, choreis, & cantionibus turpibus, adeò ut in labem ac peſtem religionis cederet quod ſanctè inſtitutum fuerat: *Quid inſuper de multitudine præceptiva tot Feſtorum, quæ non obſervantur, & ita peccatur; vel egeſtati ſub-* Gerſ. t. 2. p. 630, 631. *ditorum mechanicorum non ſufficienter conſulitur, vel peſſimæ otioſitati, quæ neſciunt rurales benè uti, janua grandis aperitur? Subintroeunt conſequenter magno agmine ebrietates, lites, luſus improbi, expenſæ ſumptuoſiſſimæ, choreæ plenæ peccatis & inſaniis & carminibus blaſphemis, immò & per Inquiſitorem damnandis, diſſolutiones quoque luxurioſæ; & ad breve verbum, ſubingreditur malum omne; ita ut quod pro honore Dei & ſalute animarum fuit ſapienter inſtitutum, vertatur in contumeliam ejus, & ſalutis detrimentum.* Nicolaus Clemangius Archidiaconus Bajocenſis Orationem quoque tunc habuit, *de novis Celebritatibus non inſtituendis*, in qua ſcelera quibus violabantur vivis coloribus expreſſit. De iiſdem à Gerſone actum fuerat, ſed facinora execratione majore digna nocturnis vigiliis, quæ in Eccleſiis ſupererant, patrabantur; quibus non ſcelera expiabantur, ſed Dei juſtitia provocabatur magis: *Ex illa antiqua vigiliarum conſuetudine plerique adhuc noſtris tem-* Pag. 147. *poribus in nonnullis præcipuis Celebritatibus vigilias agunt, ſed turpes & erubeſcendas. Alii namque in Templis ipſis cum impudicis carminibus choreas ducunt; alii totis noctibus cum Dei in verbis ſingulis abnegatione, Sanctorumque injurioſa execratione ad talos ludunt &c.* Præſtat aliò oculos avocare quàm intendere in flagitia illa, ob quæ tandem vigiliæ ejuſmodi ſublatæ ſunt. Quærit idem Auctor utrum è re foret Feſtos dies ob tot ſcelera abolere; fatetur tamen coli à pleriſque, & facilius interdiu quàm noctu eſſe incommodis occurrere: quod ſi funditùs tollerentur reſtingui tunc poſſe omnem adverſus Deum pietatem, neque in hominum poteſtate eſſe eoſdem abrogare, ut exploratum eſt de Dominico die, aliiſque id genus vetuſtiſſimis Celebritatibus.

V. Quamvis autem non omnibus nuncium remittere oporteat, operæ pretium tamen eſt ingentem hunc numerum minuere, ſi de propriis Diœceſium agamus. Nam quæ ab Eccleſia univerſa peraguntur Solennia non admodum multa ſunt, & adeò antiquitate præſtant, ut religioni habendum ſit ea quoque modo attingere.

Ita

Ita faciendum credidit, ut Clemangius memoriæ prodidit, priùs quidam Antiſſiodorenſis Epiſcopus, qui, ut ſcelera illa è medio tollerentur, Feſtos dies Diœceſeos moribus, & Synodorum ejus auctoritate nixos abolendos curavit. *Sanctæ memoriæ Michael Antiſſiodorenſis Epiſcopus, propter deteſtabiles inſolentias, quas in diebus Feſtis fieri videbat, & propter aliam quandam cauſam juſtiſſimam, quam poſteriùs, Chriſto propitio, commemorabo, majorem longè partem dierum Feſtorum Synodalibus in illa Diœceſi edictis coli conſuetorum, à coarctatione obſervantiæ, pia motus conſideratione relaxavit, ſalutarius exiſtimans Deoque acceptius, vineam amputare, aut propagines ducere, quàm inerti torpendo otio, crapulæ & ingurgitationi, cæteriſque maleficiis ſuperiùs explicatis inſiſtere.* Noſo eſſe longior. Prætereo igitur alia Clemangii verba, ex quibus omnibus ſatis conſtare puto hanc imminutionem non habuiſſe locum niſi in Solenniis Antiſſiodorenſis Eccleſiæ.

VI. Adducit idem alia rationum momenta propter quæ pariter pius Antiſtes delere potuit ex faſtis Antiſſiodorenſibus nonnullos religioſos dies. Tot erant Sanctorum Celebritates ut omne mentis pietatiſque ſtudium ſibi vindicarent, vixque ullus ſanctioribus de Deo cogitationibus locus relinqueretur. Nam quamvis omnis Sanctorum Virorum cultus Deum ſpectet, quem in illis veneratione proſequimur; tamen vulgus perſæpè ſibimetipſi imponit, finem quem ſibi pariter præſtituere debuit, negligit, & illis quæ tantùm ad finem manuducunt, unicè adhæret. Si autem ſermo ſit de Chriſtianæ pietatis cultoribus, maximum quoque incommodum illud accedebat, poſthabitam fuiſſe ſacrorum Bibliorum lectionem in Canonicis Horis, pabulum videlicet ſaluberrimum noſtrarum mentium, ob Sanctos Feriis quibuslibet adſcriptos. Canonicæ hujuſmodi Horæ tum Pſalmis & Precibus continentur, quibus animus noſter Deo quadam quaſi familiaritate jungitur, tum ſacrorum Librorum lectione, quibus nos Deus ipſe alloquitur, & religionis ſcientia imbuit, ut alios etiam alere poſſimus, Divinis hiſce dapibus paſti. Non igitur par eſt, ut ſapienter ait Clemangius, frequentiora Sanctorum Acta locum ſacris Bibliis

Pag. 136. præcludere: *Habuerunt Majores noſtri tantam erga Sanctos devotionem, quantam nos habemus. Sed ſecundum ſcientiam fuit zelus eorum, qui noluerunt ita Sanctos coli, ut Deus negligeretur; nec juſtum putaverunt tot Sanctorum in Eccleſia geſta recenſeri, ut non poſſent in ea legi novi & veteris Teſtamenti ſacra Volumina, ſalubri Patrum ordinatione in omnibus Eccleſiis Cathedralibus, Regularibus, ac Conventualibus, & legi debita, & pridem ſolita; ut eſſent viri Eccleſiaſtici, ad quos aliorum pertinet inſtructio, in ſacris Litteris imbuti, quotidianeque lectionis exercitio aſſueti. Quid tam neceſſarium eſt Eccleſiæ, quàm legem Dei cognoſcere, mandata meditari, fidem intelligere, quæ ad hæc noſcenda & ſervanda tenetur vulgus indoctum informare? Quomodo autem aliquis docebit quod non novit? Quomodo autem noſcet quod non legit, nec audivit?*

VII. Nec negotium cuiquam faceſſat quòd pietatis litterarumque ſtudia ſimul miſceri à Clemangio videantur: Etenim quantum inter ea interſit optimè novit. Non religionem ad litteras revocat; has potiùs religione temperat, qua nihil mentem noſtram uberiore lumine complet; qui enim hujuſmodi luce perfunditur, par quoque eſt aliis quibuſvis penitiore Divinarum rerum ſcientia imbuendis. At ſacros Codices evolvamus oportet intenta mentis acie in Deum illorum Auctorem. Ut enim præclarè Auguſtinus, ſacra Biblia litteræ ſunt ad nos è Cœlo miſſæ, à quo ob ſcelera noſtra exulamus; ut iiſdem exilii hujus dolorem lenire poſſimus, & memores eſſe prioris felicitatis, eamque votis omnibus quærere. Idcircò ſacræ huic lectioni vacamus, in eaſque animo ita parato incumbendum eſt. Litteris in hunc modum operam dare, precibus vacare eſt; neque hujuſmodi exercitatio aras ipſas polluit, vel dies ſolenniores. Meritò ergo in Canonicarum Horarum precationibus S. Scripturæ lectio adhibetur; & hæc erat Clemangii mens. Res geſtas pariter Sanctorum Virorum ad hunc modum legere expedit, & optimas morum præceptiones addiſcere. Sed hujuſmodi Acta nequaquam conferenda ſunt, maximè ſi de Clericis agamus, cum Libris Canonicis.

VIII. Denique Auctor idem jure ſuccenſet vocatis Capitulis, eaque exagitat, quòd eorum quædam novas identidem Solennitates indicerent, & rejectis Feriarum precationibus Sanctorum Solennia & laudes celebrarent; quodque damnandum magis erat, ut hæc præſtarent, argento alios emungerent. Itaque in eundem diem quandoque incidebant plurimæ Sanctorum Celebritates, & Clerici, à quibus peragendæ erant ſingulæ, ut oneri huic ferendo pares eſſent, valere jubebant ſtatas Feriarum precationes ad ſupremi Numinis cultum piè & ſapienter à majoribus inſtitutas: *Quanta ergo Dei injuria eſt, ſua* Ibid. p. 138. *ſibi loca, ſuos dies tollere, non dico pro Sancti devotione, ſed pro commodi adeptione? Nonne talibus juſtè poterit Deus cum fatuis virginibus cœleſtis curiæ januam claudere, & quærere qua fronte ſecum in Eccleſiam triumphantem admitti poſtulent, qui ipſum de militante & materiali excludere non erubuerunt? Quaſdam novimus Eccleſias tot Sanctorum Feſtivitatibus abundare, ut plures ſæpè uno eodemque die pariter concurrant, quorum integrè Officium peragi oporteat.*

IX. Trevirenſis Synodus, Anno 1549. adeò Feſtos dies excreviſſe, & Chriſtianorum pietatem refrixiſſe peſſimè doluit. Ad memoriam revocavit pauperum gemitus, qui labore & induſtria, nec victum ſibi comparare, nec uxores & liberos, inopemque familiam alere poterant: viſum eſt igitur Solennitates nonnullas reſecandas eſſe: *Opera pretium proinde nobis vi-* Can 10. *ſum eſt Feſtorum numerum contrahere, quo & effrenes coerceantur, & aliquid detur neceſſitati pauperum.* Hæc verò Solennia ſarta tecta ſervanda curavit: *Itaque hæc Feſta ſolenniter celebranda mandamus, Nativitatis Chriſti, Stephani, Joannis, & omnium Apoſtolorum, Circumciſionis, Epiphaniæ, & Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, Nativitatis Beatæ Mariæ, Paſchæ cum duobus ſequentibus, Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duobus ſequentibus, Corporis Chriſti, Joannis Baptiſtæ, Magdalenæ, Laurentii, Crucis, Michaelis, Omnium Sanctorum, Martini, Catharinæ, Andreæ, Nicolai, Thomæ. Et in Civitate noſtra Trevirenſi hæc Feſta Patronorum, Maximini, Simeonis, Viſitationis, Helenæ, Paulini, Translationis Materni & Eucharii. Et in cunctis Civitatibus, Oppidis, & Parochiis, Dedicationis Feſta, & Patrocinia celebrari mandamus.* Hujuſmodi Celebritates abolere religioni habuit Synodus. Potuiſſet, ni fallor, Feſtos dies nonnullos Trevirenſis Eccleſiæ Patronorum, qui plurimi erant, abrogare; ſed eos non attigit. En Celebritates à Concilio ſublatas: *Cæterùm dies Innocentium, Cinerum, Paraſceves, Cœnæ Dominicæ, Sabbati Magni, Marci, tres Rogationum, Commemorationis Animarum, & omnes reliquos Stationum, quos Eccleſia noſtra Trevirenſis in diebus*

bus aliorum Patronorum , vel pro ſpecialibus Rogationibus ab antiquo introductis in Civitate noſtra Trevirenſi , vel ejus ſuburbio obſervatis , uſque in meridiem feriari volumus ; itaut facto ſacro , cuique ad labores aut negotia ſua redire liceat . Ita ſe habet Celebritatum contractio in hac Synodo , quæ reipſa nullam expunxit , ſed ad inferiorem ordinem , vel aliquam ſolùm diei partem reduxit , Græcos ſequuta , ut diximus in explanatione Conſtitutionis Comneni Cæſaris . Ante meridiem precibus , & rei Divinæ faciendæ opera datur ; poſteà unicuique licet in cætera incumbere ; atque eo ferè tempore ceſſatur , quo vel otio marceſceret populus , vel vitiis ſe dederet . Hinc intelligimus non malè interpretatos nos eſſe Comneni ſanctionem , quum vetita fuiſſet quandoque diximus opera illiberalia & forenſia judicia , quoad Sacrum ritè peractum eſſet , & mane unicè in religionem , & pietatem incumbere oportuiſſe , quum Græci rem Divinam facerent ritu longè ſolenniſſimo ; ſiquidem eadem eſt mens Trevirenſium Patrum : *Uſque in meridiem feriari volumus , itaut , facto Sacro , ad labores redire liceat .*

X. Duo hic conſideranda ſuperſunt : Primum , obſtringi Clericos ad perſolvendas in eorum Eccleſiis eaſdem preces . Etenim Solennitatum contractio locum in illis non habebat ; eorum enim eſt Divinis rebus ac cæremoniis unicè , & continenter vacare : *In Choro vero , & Eccleſia eadem Feſta , prout ab antiquo obſervata ſunt , devotè celebrentur* . .

XI. Alterum eſt , à Trevirenſi Metropolita qui Synodo præerat non cogi omninò Provinciæ Præſules , etſi ea Comitia Provincialia erant ; *Simili ratione in Cathedralibus & Diœceſibus Suffraganeorum noſtrorum , quibus tamen arbitrium ſuum in hoc relinquimus* . Nec obſcura hujus rei eſt ratio . Epiſcopi ſuarum partium eſſe ſemper arbitrati ſunt pro virili tueri hanc augendarum vel reſecandarum Celebritatum poteſtatem , tum in Synodis Provincialibus , tum in ſacro ſuarum Eccleſiarum Senatu .

XII. Sed quæ (malum !) eſt iſta in Divinis rebus animi ſocordia ? Dimidiata illa Solennia in dies negliguntur & abolentur , & qui dies religioſiùs colendi fuerant , ut poſtremi tres majoris Hebdomadæ , nulla prorſus ratione obſervantur . Sed Trevirenſi Concilio facem prætulerat Cardinalis Campegius , qui Anno 1524. edixit ne dies plures celebrarentur . Hoc verò decrevit ut morem gereret Germaniæ Principibus qui ea de re cum Carolo V. Cæſare expoſtulaverant ; pertinebatque Celebritatum multitudo ad vocata ab ipſis *Centum Gravamina* .

XIII. Cameracenſe Concilium , Anno 1565. hortatur Epiſcopos ut ſolerter obſervent tollendæne ullæ ſint in Diœceſibus Solennitates , ut flagitioſorum hominum licentiæ frænum injiciatur : *Quum diebus Feſtis vulgus ut plurimum ad laxiorem & diſſolutiorem vitam ſeipſum effundat quàm aliis diebus , quo majori reverentia & pietate queant obſervari ab omnibus , videant Epiſcopi , ſintne aliqui Feſti dies , quos præſtet eſſe profeſtos , ideſt operarios , atque his diebus renuncient popularibus integrum eſſe operas conſuetas exercere* . Equidem ut ſentiunt Patres Cameracenſes conſpirandum eſt ab Epiſcopis Provincialibus cum Eccleſia Metropolitana in earundem Celebritatum , & jejuniorum indictione ; ſed quoad ejus fieri poterit ; id ergo Epiſcoporum prudentiæ & arbitrio permittitur , nec ulla ratione eorum jura convelluntur : *Nec non provideant iidem Epiſcopi ut in Feſtis diebus , & in jejuniis indicendis , uſum Metropolitanæ , quoad fieri poſſit , ſequantur ; demptis Patroni Feſtis .*

XIV. Proferri in medium poterant quampluтimæ Synodi & Edicta quæ de Feſtorum dierum numero aliquid diminuendum eſſe ſenſere ; Bochell. Decret. Eccl. Gall. p. 584.
maximè Conſtitutiones Synodales Senonenſes , Anno 1524. Stephano Ponchero Pontifice à Pariſienſi ad Senonenſem Sedem tranſlato , qui abolendas cenſet Solennitates Sancti Vincentii , & Converſionis Sancti Pauli , menſe Januario , Viſitationis Beatæ Virginis , Julio , Sancti Petri ad Vincula , & Transfigurationis , Auguſto , Sancti Franciſci , & Sanctæ Luciæ , Octobri , Sanctæ Catharinæ , Novembri , Innocentium , Decembri , & tertii tum Paſchæ , tum Pentecoſtes diei . Cardinalis quoque Campegius Pontificis Maximi ad Germanos Legatus , eodem Anno 1524. idem præſtitit ; ſed ſtatos dies Innocentium , Sanctæ Mariæ Magdalenæ , Sanctæ Catharinæ , Sancti Laurentii , Sancti Martini , & Sancti Nicolai non attigit .

XV. Extant in litteris Cardinalis Oſſatii preces , quibus Henrici IV. Regis nomine Clementem VIII. flagitavit , ut ſolennes quaſdam dies expungeret , ne agrorum cultui , cæteriſque impedimento forent . Id quidem annuiſſe viſus eſt Pontifex ; haud tamen ſcio quid poſteà fuerit conſtitutum . Sed quod à Clemente VIII. petierunt , præſtitit reipſa Urbanus VIII. Conſtitutione ſua , Anno 1642. Synopſin Capite ſuperiore exhibuimus , afferenda modò ſunt verba . Incommoditates plurimas & abuſiones tot Celebritatum perſequitur , & complurium quoque Antiſtitum vota : *Plurimorum venerabilium fratrum noſtrorum , atque Epiſcoporum per varias regiones conſtitutorum relatione ad nos pervenit , Feſtorum multitudinem per ſingulas eorum Diœceſes atque Provincias adeo creviſſe &c.* Abuſus agnoſcit , & quænam Solennia obſervanda ſint ſtatuit : *Dominicos ſcilicet dies totius anni , Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti , Circumciſionis , Epiphaniæ , Reſurrectionis cum duabus ſequentibus Feriis , Aſcenſionis , Pentecoſtes cum duabus ſequentibus , Sanctiſſimæ Trinitatis , Solennitatis Corporis Chriſti , & Inventionis S. Crucis , necnon Feſtivitatum Purificationis , Annunciationis , Aſſumptionis & Nativitatis Deiparæ Virginis , Dedicationis S. Michaelis Archangeli , Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ , SS. Petri & Pauli , S. Andreæ , S. Jacobi , S. Joannis , S. Thomæ , SS. Philippi & Jacobi , S. Bartholomæi , S. Matthæi , SS. Simonis & Judæ , S. Mathiæ , Chriſti Domini Apoſtolorum . Item S. Stephani Protomartyris , SS. Innocentium , S. Laurentii Martyris , S. Silveſtri Papæ & Confeſſoris , S. Joſeph etiam Confeſſoris , & S. Annæ ; Solennitatis Omnium Sanctorum , atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno , ſive Provincia , & alterius pariter principalioris in quacumque Civitate , Oppido , vel Pago , ubi hos Patronos habere ac venerari contigerit .*

Hi tantùm religioſi dies neceſſariò colendi ſunt ad Urbani præſcriptum . Alios abrogavit , ſed eos tantùm qui in Provinciis , Civitatibus , Pagiſque quibuſdam celebrabantur ; verùm Patronorum Solennia è ſacris faſtis delenda non credidit . Quum plurimi Chriſtianæ Reipublicæ Præſules hanc ab Antiſtite ſummo Conſtitutionem edendam curaverint , ejus ratio habenda eſt ab eorum Eccleſiis . Idem optaverant Chriſtiani Principes ; & mos omninò Urbano gerendus eſt , maximè quòd conſpiret cum Litteris Gregorii Noni .

XVI. Ne verò Feſtorum dierum numerus denuò excreſceret , hortatur Epiſcopos , ut ne novos inſtituant , ſed unum omnes ritum adhibeant ,

beant ,

beant, & in ſuis quique Eccleſiis univerſæ Eccleſiæ Solennitates agitent, ut Decretalibus Litteris, & moribus conſtitutum eſt: *Ne autem dies Feſtos à locorum Ordinariis, nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat; eoſdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad Eccleſiaſticam utique ſervandam æqualitatem, de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione ſub præcepto novorum Feſtorum ſtudeant abſtinere.*

XVII. Hæc de dierum Feſtorum imminutione dicenda exiſtimavi. Idem pietatis ſtudium, religio eadem, quæ illos inſtituit, eos quandoque auxit, quandoque etiam minuit. Permagni autem intereſt in hujuſmodi abolitione religionem ob oculos habere, poteſtatem legitimam, rituum conſenſionem, & Apoſtolicæ Sedis obſervantiam; non ſuis rationibus quempiam ſervire, & ad proprias utilitates animum adjungere. Quum Chriſtiani Principes Romanam Eccleſiam conſuluerunt, non eos Epiſcoporum jura præteribant; nihilominùs ad Pontifices maximos confugerunt, ut conſenſioni ſtuderent quæ decoris plurimum Eccleſiæ conciliat. Aboleverant Epiſcopi nonnullas ſuarum Eccleſiarum Celebritates: agebatur de nonnullis è ſacris faſtis delendis quæ ab univerſa Eccleſia obſervabantur. Ad id inconſulta Sede Apoſtolica aggredi vitio ſibi vertebant: Romani autem Pontifices colenda curarunt ea quæ poſt hominum memoriam ferè ubique terrarum celebrabantur. Quòd ſi quædam à Conſtitutione hac ſublata obſervantur adhuc, quædam ab eadem probata minimè peraguntur, id à moribus & libertate Eccleſiarum oritur, quæ eandem Fidei doctrinam colunt, ſed in hujuſmodi ritibus ac cæremoniis rationem quoque habent locorum & temporum.

LIBER SECUNDUS.

DE DIEBUS FESTIS ſigillatim.

CAPUT PRIMUM.

De diebus Dominicis.

I. Oſtenditur ex Libris novi Fœderis Jeſum Chriſtum ad vitam è mortuis rediiſſe die Dominico, & hunc ab exordio uſque Eccleſiæ Sabbato ſuffectum fuiſſe.

II. S. Juſtinus egit de Cæremoniis & Sacris quæ vetuſtiſſimi Chriſtianæ Religionis cultores hoc ipſo die peragebant.

III. Rationem affert cur Eccleſia Dominicam diem in Sabbati locum ſubrogaverit.

IV. Adſtringebantur quilibet Eccleſiæ lege ad Dominicam diem celebrandam. Rationum momenta petita ex Actis Martyrum, qui in ea vitæ periculum adierunt.

V. Invicta Martyrum fortitudo in ſacrorum dierum celebratione, ad comprobandam Chriſti Divinitatem multum ponderis habuit.

VI. Conſtantinus Cæſar de Dominici diei obſervatione legem juſſit; ſed Apoſtolorum verba & ſanguis Martyrum idipſum anteà præſtiterant.

VII. Docuit Origenes quantum Sabbato præſtet. De Manna & Euchariſtia.

VIII. Theophilus Alexandrinus Antiſtes, Auguſtinus, & Hilarius eum vocant imaginem quandam Reſurrectionis atque Æternitatis, quarum vota in nobis & cogitationes excitat.

IX. Eadem eſt mens S. Cypriani, qui præterea agit de rerum omnium abdicatione in Circumciſione, Sacrificio, atque Reſurrectione.

X. Plinius Junior, admiratione digna deſcriptione, veterum Chriſtianorum in Celebritatibus pietatem expreſſit.

XI. Edictum Synodi Matiſconenſis II. de Dominici diei celebratione.

XII. Præceptiones conſimiles Concilii Pariſienſis VI.

XIII. XIV. Theodulphi quoque Epiſcopi Aurelianenſis, & Concilii Turonenſis III.

XV. Synodus VI. Pariſienſis cæteris præſtat in Dominico die commendando.

XVI. Concilium Aquiſgranenſe II. optabat ut Catholici ad Euchariſtiam ſingulis quibuſque Dominicis accederent.

XVII. Præſtantiſſimus ſermo Forojulienſis Synodi, & Paulini Patriarchæ de Dominicis celebrandis.

XVIII. Synodi plures divina Officia in Dominicos dies incidentia, quæ primi ordinis non erant, aliis diebus celebranda eſſe ſanxerunt.

1. JEſus Chriſtus è mortuis exurgens prodiit è tumulo Dominico die, quem propterea in Sabbati locum ſubſtituit Eccleſia, iſque ab Evangeliſtis primus poſt Sabbatum dictus eſt, *Una Sabbati*, *Prima Sabbati*. Norunt omnes hoc ipſo die triumphum ei tanquam victori fuiſſe decretum, & quaſi novam rerum univerſitatem ab ipſo conditam, corpora revocando ad beatam immortalemque vitam: *Conreſuſcitavit; ſi conſurrexiſtis cum Chriſto quæ ſurſum ſunt quærite*. Hoc pariter die jacta ſunt mundi fundamenta à ſummo rerum omnium Opifice, quum ſeptimus quietis dies, vel Sabbatum extiterit; & à Jeſu Chriſto novum quoddam creaturarum rerum genus in ſemetipſo conſtitutum eſt, *Si qua in Chriſto nova creatura.* Matthæo teſte, prodiit è ſepulchro Dei Filius, *Veſpere Sabbati quæ luceſcit in prima Sabbati*, Cap. 28. 1. vel ad finem videlicet vergente Sabbati nocte, vel ſub ortum Solis ſequentis diei. Idem Marcus aſſerit, *Valdè mane una Sabbatorum, mane prima Sabbati*, Lucas verò, *Una autem Sabbati*, Cap. 16. 2. 9. & Joannes, *Una autem Sabbati &c. Die illo una Sabbatorum*, Cap. 24. 1. Cap. 20. 1. 19. Lucas eundem ſemper ſermonem adhibens, Acta Apoſtolorum conſcribens, memoriæ prodidit Apoſtolos & Chriſtianos cæteros Act. 20. 7. conveniſſe Dominico die, ut rem Divinam facerent, & Dei verbum audirent: *Una Sabbati quum conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat &c.* Apertè hic palamque Dominicum diem, Euchariſtiam, & Dei verbum commendat. Nec ab his Paulus abhorret, qui de alio quoque Sacrificii genere agit, ideſt de eleemoſynis, opibuſque tunc pro pauperibus coactis: *De* Cor. 1. c. 16. 1. 2. *collectis autem quæ fiunt in Sanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. Per unam Sabbati unuſquiſque veſtrûm apud ſe ſeponat, recondens quod ei benè placuerit.*

Nil igitur ſacri Libri prætermiſerunt quod ſpectet ad certiſſimam Apoſtolorum Traditionem, ejuſque firmiſſima fundamenta de diei tam religioſi cultu; ac conſtat Dominicam diem uſurpatam fuiſſe ab ipſomet Joanne in Apocalypſi: tunc Apoc. 1. 10. enim Divino lumine perfuſus mentis aciem convertit in ſacra illa arcana, quæ Deus Eccleſiæ ſuæ patefecit: *Fui in ſpiritu in Dominica die.*

Nullam ergo moleſtiam cuiquam exhibeat Sabbati abrogatio. Nam quum Apoſtolorum ætate, fortaſſe etiam Chriſto cum illis adhuc degente poſtquam ad vitam rediit, id contigerit, qua tandem auctoritate hæc facta fuerint, parvi refert inquirere. Adnotavit data opera Joannes, octavo Paſchatis die, quum Apoſtoli ſimul conveniſſent, Dei Filium ſe illis conſpiciendum exhibuiſſe, & vulnera etiam ſua Thomæ oſtendiſſe: *Poſt* Jo. 20. 26. *dies octo, iterum erant diſcipuli ejus intus, & Thomas cum eis: Venit Jeſus, & dixit, Pax vobis &c.* Omnes igitur Apoſtoli ſimul in eadem ſtudia conſpirabant Dominicis Paſchatis, & octavo Reſurrectionis die, & omnes ſimul Deo præſente frui potuere. Non ergo à conjectura aberrat, qui eum, Sabbato abrogato, colendum arbitratur jubente Chriſto in mundo adhuc degente.

II. Non igitur mirum, ſi ſacro hoc die, quem Solis dixerunt Ethnici, conſequutis ſæculis, Eccleſia juſſerit populum Chriſtianum ad Templa ſe conferre, Sacris operari ſolennioribus Cæremoniis, Dei Verbo, & Canonicorum Librorum interpretationi operam dare, vacare tandem Divinis laudibus. Sacras haſce Synaxes, & Chriſtianorum Celebritates perſequitur Juſtinus Martyr in altera Apologia: *Die Solis urbanorum, ac ruſticorum cœtus fiunt, ubi Apoſtolorum Prophetarumque littera, quoad fieri poteſt, præleguntur. Deinde, ceſſante Lectore, Præpoſitus verba facit adhortatoria ad imitationem tam honeſtarum rerum invitans. Poſt hæc conſurgimus omnes, preceſque offerimus, quibus finitis, profertur panis, vinum, & aqua. Tum Præpoſitus, quantum poteſt, preces offert, & gratiarum actiones; plebs verò Amen accinit. Inde conſecrata diſtribuuntur ſingulis, & abſentibus mittuntur per Diaconos. Ditiores ſi libeat, pro ſua quiſque voluntate conferunt. Collecta deponuntur apud Præpoſitum. Is*

ſub-

ſubvenit pupillis, viduis, vinctis, peregrinis &c. Non potuit diligentiùs perſequi ſingula, Chriſtianos videlicet ex urbibus & agris ad Eccleſiam confluentes, lectionem & interpretationem ſacrorum Librorum, Divinarum laudum celebrationem, Sacrum Euchariſtiæ ab Epiſcopis peractum, ut ejus, tum qui convenerant, tum qui aberant compotes forent, & opes in pauperum omnium præſidium erogatas.

III. Adjicit S. Juſtinus non injuria diem hunc à nobis obſervari, quo hanc rerum univerſitatem maximus opifex Deus condidit, lucemque juſſit omnia ſplendore ſuo colluſtrare, Jeſus Chriſtus ad vitam rediit, & Eccleſiam ſuam, tanquam novum quendam orbem pariter condidit, & lumine longè clariore perfudit: *Conventus autem hos die Solis facimus, quoniam hac die primum Deus depulſis tenebris, formataque materia mundum creavit: Jeſus Chriſtus quoque noſter Servator eadem die reſurrexit à mortuis. Nam ea quæ proxima diem Sabbati præcedit, crucifixus fuit, & proximè ſequenti Saturni die, Solis videlicet die, conſpiciendum ſe Apoſtolis præbuit, eiſque doctrinam ſuam impartiit.*

III. Præſtantiſſimi Chriſtianæ fidei athletæ, quorum Acta extant apud Baronium, ſumma animi fortitudine teſtati ſunt nullam à ſe habitam fuiſſe rationem Legum ab Imperatoribus latarum ad Chriſtiana Solennia funditus convellenda, & Eccleſiæ Celebritates ſe pergiſſe, quum huic muneri deeſſe maximum ſcelus arbitrarentur: *Qui quum*
Baron. Ann. 303 n 39. 343 45.46. *ſe Chriſtianum, & in Collecta fuiſſe profiteretur &c. Nam in Collecta fui, & Dominicum cum fratribus celebravi, quia Chriſtiana ſum. Securi Dominicum celebravimus, quia non poteſt intermitti Dominicum &c. Intermitti Dominicum non poteſt. Lex ſic jubet, lex ſic docet.* Ita quidem ſanctiſſimi Majores noſtri, Sacerdotes, omniſque populus, viri ac fœminæ, quum Judices ſciſcitarentur cur Principum Edictis & voluntati non obſequerentur. Nitebantur enim longè diverſa & præſtantiore Servatoris Lege, qua religioſo illo die adigebantur ad Solennium, & Sacrorum celebrationem. Verbum illud *Dominicum*, tria ſibi vult, Dominicum videlicet diem, Templum, & Sacrificium Corporis Jeſu Chriſti. Quamvis vitæ periculum adeundum eſſet, celeberrimi Martyres colendum eſſe diem ejuſmodi crediderunt, nec ſine hac celebratione jure vocari poſſe Chriſtianos: *Quaſi Chriſtianus ſine Dominico eſſe poſſit, aut*
Ibid. n.51. *Dominicum ſine Chriſtiano celebrari. An neſcis in Dominico Chriſtianum, & in Chriſtiano Dominicum conſtitutum, ut nec alterum ſine altero eſſe poſſit? &c. Collectam religioſiſſimè celebravimus, ad Scripturas Dominicas legendas in Dominicum ſemper convenimus.*

V. Viſa ſunt mihi hujuſmodi verba Divino quodam amoris igne ſuccenſa, & maximè apta ad inflammanda eorum pectora qui leviſſimis de cauſis Feſtorum dierum celebrationem ſubterfugiunt; quum Majores noſtri in vitæ potiùs diſcrimen venire quàm Leges tanti momenti infringere maluerint. Fortis ille ac præſens Martyrum animus, ea Chriſtianæ legis obſervantia, tantuſque legum aliarum quarumlibet quæ cum Divinis pugnabant contemptus, Chriſti Divinitatem cuivis ob oculos poſuit. Fieri enim haud poterat quin Divina virtute polleret, qui tam invicto animi robore, & mortis ſuppliciorumque omnium contemptu Martyres ſuos inſtruebat, ita ut maximorum Principum Edicta, minas, furorem poſthaberent. Id Euſebius Cæſarienſis præclarè eſt perſequutus in Oratione de laudibus Conſtantini: *Quis univerſis qui vaſtiſſimum hunc terrarum orbem incolunt, ſive illi in continente, ſive in inſulis degant, præcepit ut ſingulis ſeptimanis in unum convenientes Dominicum diem Feſtum agerent, nec corpora ſua ſaginarent, ſed animas Divinis præceptionibus refocillarent? Quis Heros, aut Deus æquè ut Servator noſter oppugnatus trophæa victoriæ de hoſtibus erexit? Nam hi quidem à primis ſtatim temporibus & doctrinam & populum ipſius oppugnare hactenus non deſtiterunt. Ipſe vero inviſibilis inviſibili quadam virtute famulos ſuos unà cum ædibus ſacris ad ſummam gloriam evexit.*

VI. Conſtantinus Cæſar legem juſſit de Dominico die ubique terrarum obſervando, ut ex Euſebio patuit: *Cunctis ſub Imperio Romano degentibus præcepit ut Dominico die feriarentur.* Verùm religioſi hujus diei cultus, eodem Euſebio De Vit. Conſt. l.4. c.18. teſte, jam ubique probatus erat, fruſtrà obſiſtentibus malorum Dæmonum, & Imperatorum artibus, ob Divinam Servatoris noſtri auctoritatem, ejuſque Martyrum admirabilem fortitudinem. Itaque Conſtantinus Edicto ſuo Chriſti Legem, & Eccleſiæ morem confirmavit, Eccleſia verò robur potiùs adjecit, quàm acceperit, piis hujus Principis Legibus. Conſtat ex Euſebii ejuſdem teſtimonio, qui illud quoque memoriæ pro- Ibid.
didit, juſſiſſe Imperatorem celebrari conſimili ritu Paraſcevas omnes tanquam Chriſti Paſſioni dicatas. Ea Regalis ſanctionis verba, *Ut diem qui eſt pridie Sabbati ſimiliter honorarent*, vim nullam habuere, quòd Eccleſiæ auctoritas non accederet. Cæterùm enituit tunc maximè Servatoris noſtri poteſtas, qui Principum voluntates ad meliora vertit, itaut Sacrarum Celebritatum, & Chriſtianæ Religionis præcones illi fierent, quibus primùm infenſiſſimis hoſtibus uſa erat. Quamvis autem Dominicus dies primum ſibi in Eccleſia locum vindicaret ante latas à Conſtantino Leges, fateamur neceſſe eſt, has egregiè Eccleſiæ cauſam juvaſſe. Etenim exercitus & cuncti qui Romano Imperio parebant, & Chriſtianæ militiæ nomen dederant, potuere per Principes, ejuſmodi ſacris diebus, Deo unicè vacare, cæteris valere juſſis: *Porrò quum exercitum omnem ad ſalutaris diei, qui lucis ac Solis nomine appellatur, religioſum cultum inſtitueret, iis quidem qui fidem Divinitus inſpiratam amplexi erant, exercendi ſe ex more inſtitutoque Eccleſiæ Dei, tempus atque otium indulſit, quo abſque ullo impedimento Orationibus vacarent.*

VII. Sacra Biblia nos monent, ut Origenes adnotavit, totos ſex dies cœleſte illud Manna de- Hom. 7. in Exod.
pluiſſe, ſeptimo ſive Sabbato pluviam remiſiſſe. Dominico igitur die primùm decidit, & Divinæ Gratiæ munera præmonſtravit hoc ipſo die Eccleſiæ conferenda, miſſa Synagoga: *In noſtra enim Dominica die ſemper pluit Dominus Manna de Cœlo. Si ex Scripturis Divinis conſtat quod die Dominico Deus pluit Manna de Cœlo, & in Sabbato non pluit; intelligant ergo Judæi jam tunc prælatam eſſe Dominicam noſtram Judaico Sabbato: jam tunc indicatum eſt quod in Sabbato Gratia Dei ad eos de Cœlo nulla deſcenderit; panis cœleſtis, qui eſt ſermo Dei, ad eos nullus deſcenderit.* Fuit Manna cœleſtis quidam panis prænuncians Euchariſtiam, Deique verbum, duplex animi noſtri pabulum, vel unum potiùs; quandoquidem Æterna Dei Veritas & Sapientia carne quondam noſtra in Chriſto Jeſu induta eſt, & etiamnum deliteſcit ſub verbis ſigniſque ſenſus noſtros percellentibus, dum Divinæ Legis præcones ſe nobis accommodant, qui culpæ obnoxii, haud poſſumus à rebus hiſce in ſenſus noſtros incurrentibus mentem avocare, ad aliaſque longè præſtantiores & corporis expertes traducere. Laodicena Synodus Canone XVI. juſſit legi Sabbatis Evangelium, ut cætera arcana Volumina; edixit tamen Canone XXIX. ne quis ab opere ceſſaret, quum Feriæ peragendæ eſſent diebus Dominicis, & conſuetudo illa Ebræorum mores

redolere viderentur : *Quod non oportet Chriſtianos Judaizare, & in Sabbato otiari; ſed ipſos eo die operari; diem autem Dominicum præferentes, otiari, ſi modo poſſint, ut Chriſtiani.*

Apud Balſam. VIII. Primus, octavuſque dies, ut Theophilus Archiepiſcopus Alexandrinus obſervat, Dominicus eſt, iſque perpetua quadam ſerie orbem ſuum abſolvit, beatam æternitatem imitatus, cujus compos extitit Chriſtus è mortuis exurgens Dominico die: hic verò continenter redit ut æternitatem in memoriam revocet: *Et conſuetudo, & officii ratio à nobis poſtulat, ut diem Dominicum honoremus, eumque Feſtum habeamus; quum eo die Dominus noſter Jeſus Chriſtus reſurrectionem ex mortuis nobis comparaverit. Unde hic dies in ſacris Litteris & primus appellatur, utpotè qui & vita auctor atque initium nobis exiſtat, & octavus, utpotè qui Judæorum Sabbatum ſupergrediatur.* Intelligimus ex Pictavienſi Antiſtite Hilario ſeptenario numero ſignificari cuncta quæ in ſenſus noſtros cadunt, quum annorum & temporum ſeries hebdomadis contineatur. Ogdoas autem prænunciat æternitatem cuncta annorum volumina ſinu ſuo complectentem, nobis verò largientem requiem ac gaudium, quod incipit jugiter, nunquam autem perit: *Quem ſeptenarium ogdoas, quia dies eadem prima quæ octava, ſecundum Evangelicam plenitudinem, in ultimo Sabbato adjecta conſummat &c. Quum in ſeptimo die Sabbati nomen ſit & obſervantia conſtituta; tamen nos in octava die, qua & ipſa prima eſt, perfecti Sabbati Feſtivitate lætamur.* Singulis ergo diebus ſeptimis Judæi ceſſabant, ſed ea requie minùs præſtanti potiebantur quam dies ille indicabat; Chriſtiani octavis quibuſque & primis, id eſt æternæ vitæ quiete potimur; hic enim dies principii & finis eſt expers, annorum omnium orbes complexus. Vocatur igitur Domini dies primus hic & octavus; quoniam eo prodiit Dominus victor è tumulo, eumque cæteris prætulit tanquam æternæ tranquillitatis imaginem: *In*

Prolog. in Pſalm. *hebdomadis*, ait S. Auguſtinus, *idem primus qui & octavus. Completis enim ſeptem diebus reditur ad primum. Finitus ſeptimus, Dominus ſepultus; reditur ad primum, Dominus Reſuſcitatus; Domini enim Reſuſcitatio promiſit nobis æternum diem, & conſecravit nobis Dominicum diem.* Quæ

De Verbis Apoſt ſer. 15. & de Civit. l. 22. c. 30. repetit in Libris de Civitate Dei. *Hæc ſeptima erit in Sabbatum noſtrum, cujus finis non erit veſpera, ſed Dominicus dies velut octavus æternus, qui Chriſti Reſurrectione ſacratus eſt, æternam non ſolum ſpiritus, verùm etiam corporis requiem præfigurans.*

IX. Eundem uſurpat ſermonem S. Cyprianus, & præterea animadvertit peractam fuiſſe octavo die Circumciſionem, ut præmonſtraretur Servatoris Reſurrectio quæ ſingulis quibuſque octavis diebus recolitur, & animum adjungeremus ad reſecanda harumce rerum quæ à Deo nos abſtrahunt ſtudia; vitam denique ageremus dignam homi-

L. 3. ep. 8. nibus à mortuis excitatis: *Nam quod in Judaica Circumciſione carnali octavus dies obſervabatur, ſacramentum eſt in umbra atque imagine antè præmiſſum, ſed, veniente Chriſto, in veritate completum. Nam quia octavus dies, id eſt poſt Sabbatum primus, dies futurus erat quo Dominus reſurgeret & nos vivificaret, & nobis Circumciſionem ſpiritualem daret, hic dies octavus, id eſt poſt Sabbatum primus & Dominicus præceſſit in imagine.* Meminit alibi Celebritatis diei hujus, Sacri quod tunc peragebatur, & oblationum Chriſtiani populi, veluti totidem Sacrorum, quæ res uſui futuras pro Euchariſtiæ, veri utique Sacrificii, celebratione parabant. Præſtabat id quiſque ſingulis hiſce primis, ſacriſque diebus, Deo bonorum omnium Auctori aliquid rei domeſticæ exhibens, quam ſenſim ſine ſenſu valere jubebat, ut compos tandem fieret ingentium beatæ vitæ opum: *Locuples & dives es & Dominicum celebrare te credis quæ corbonam omninò non reſpicis? Quæ in Dominicum ſine Sacrificio venis? Quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, ſumis?*

X. Admonuit de his Celebritatibus Trajanum Imperatorem Plinius Junior, datis ad eum litteris, quibus unum putat Chriſtianorum ſcelus eſſe convenire ſummo mane ſemel hebdomadis ſingulis ad Jeſu Chriſti eorum Dei laudes canendas, & ad ſe jurejurando ſolenni obſtringendos, ut omnis criminis, furti maximè, adulterii, & cujuſvis doli expertem vitam ducerent: *Affirmabant hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem, ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent, quibus peractis morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſumque coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium.* Cantica hujuſmodi eadem erant atque Miſſæ præcationes; jusjurandum & ſceleris cujuſvis ejuratio, Verbum Dei, & Evangelii interpretationes, ad cujus normam mores ſuos exigebant ab omnibus flagitiis alieni. Quàm sanctè igitur dies hic quondam colebatur, quum agi de illo nullo modo poſſet quin verba fierent de ea criminum execratione, Diviniſque laudibus ? Sacris ritè peractis inſtruebatur pium quoddam convivium *Agape* vocatum; alebantur enim inopes locupletum epulis. Plinii litteras adducit Tertullianus in Apologetico, Tertullianum Euſebius in Eccleſiaſtica Hiſtoria. L. 3. c. 33.

L. 10. ep. 97.

XI. Refrixit illa virtus pietaſque; ſed Synodus Matiſconenſis II. Anno 585. præcepit ut Paſtores populorum eos docerent, diem Dominicum natalem eſſe Chriſtianorum in Jeſu Chriſto, expianda propterea in eo ſcelera, & mente ac corpore vacandum Dei laudibus & gratiarum actionibus; contendere quoque oportere ad ſacras ædes, ibique cum Eccleſia cogitationes, & innoxias manus ad Cœlum tollere; quòd dies quietis ſit, cujus imago præceſſit in Synagogæ Sabbatis. Revocari ad novum vitæ inſtitutum hoc ipſo die, veterem vivendi conſuetudinem valere jubemus, in alios homines, eoſque cœleſtes mutari: *Cuſtodite diem Dominicam quæ nos denuo peperit, & à peccatis omnibus liberavit &c. Eſtote omnes in hymnis & laudibus Dei animo corporeque intenti. Si quis veſtrum proximam habet Eccleſiam, properet ad eandem, & ibi Dominico die ſeipſum precibus lacrymiſque affligat. Sint oculi manuſque veſtræ toto illo die ad Deum expanſæ. Ipſe eſt enim dies requietionis perpetuus; ipſe nobis per ſeptima diei umbram inſinuatus noſcitur in Lege & Prophetis. Juſtum igitur eſt ut hanc diem unanimiter celebremus per quam facti ſumus quod non fuimus. Fuimus enim antè ſervi peccati, ſed per eam facti ſumus ſervi juſtitiæ. Exhibeamus Domino liberam ſervitutem, cujus nos novimus pietate de ergaſtulis liberatos erroris.* Pœnæ deinde à Synodo conſtituuntur quibus animadvertatur in eos qui tam ſancta Solennia polluunt. Can. 1.

XII. Synodus Pariſienſis VI. Anno 829. hortatur Ludovicum Pium Imperatorem ut ſanctiore hoc die à cæteris negotiis ſe extricet, & curas quaſvis quæ maximi momenti non forent prorſus abjiciat, uni Deo ſe dedat, ut Legum præceptionibus Principis religio accedat, ac proceres & vulgus muneri ſuo non deſit: *Quoniam* L. 3. C. 19.
propter hoc & honor Eccleſiaſticus vilior efficitur, & veſtri proceres & Palatini Miniſtri in diebus ſolennibus, ſicut decet vobiſcum ad Miſſarum celebrationes non procedunt. Nam & obnixè deprecamur ut in obſervatione die Dominica, ſicut jam du-

dum

Digitized by Google

dum vos deprecati ſumus, debitam adhibeatis curam: quatenus niſi magna compellente neceſſitate, in ipſa die à curis & ſolitudinibus mundanis, quantum poteſtis, vos exuatis, & quod tanta diei venerationi competit, & vos faciatis, & veſtros ſacre veſtro exemplo, & doceatis & agere compellatis.

XIII. Theodulphus Aurelianenſis Antiſtes egit in Capitulari de Dominici diei commendatione, de Luce videlicet condita, de Mannæ pluvia, de Servatoris Reſurrectione, & adventu Divini Spiritus, cujus dulcedinem, qua mentes perfundit, Manna multò ante prænunciavit: Cap. 14. *Dies vero Dominici, quia in eo Deus lucem condidit, in eo Manna in eremo pluit, in eo Redemptor humani generis ſponte pro ſalute noſtra à mortuis reſurrexit, in eo Spiritum Sanctum ſuper diſcipulos infudit.* Sequi hinc exiſtimat Aurelianenſis Præſul, die adeò religioſo dandam eſſe operam Sacris & precibus tantum, nec quempiam diſtineri oportere occupatione aliqua, vel negotiis operoſis implicari, niſi impendentia, & neceſſaria fuerint: *Tanta debet eſſe obſervantia, ut præter orationes & Miſſarum Solennia, & ea quæ ad veſcendum pertineat, nihil aliud fiat.*

XIV. Idem ſenſerat, Anno 813. Concilium Turonenſe III. neceſſe videlicet eſſe ad Divinas res animum adjicere ſingulis Dominici diei horis: Can. 40. *Die Dominica oportet omnes Chriſtianos in laude Dei & gratiarum actione uſque ad veſperam perſeverare.*

XV. Sed ut ad Concilium Pariſienſe VI. Anno 829. revertamur, viſum eſt ſanctè obteſtari oportere Epiſcopos, Principes, Reges, ut ritè celebrandum hunc diem curarent, quum Deus tot illum prodigiis exornaſſet, & ingentibus ſuppliciis animadverteret in eos qui ſacra hæc Solennia violarent, præſertim quod ab Apoſtolis ſancita ſint, atque majorum Traditione conſectata, & idcircò maxima digna veneratione: L. 1. Can. 50. *Chriſtianorum porro religioſa devotionis, qua ut creditur ex Apoſtolorum Traditione, immò Eccleſia auctoritate deſcendit, mos inolevit, ut ob memoriam Reſurrectionis diem Dominicam venerabiliter atque honorabiliter colat, quoniam eo die Deus lucem condidit, eo die, ut dictum eſt, Chriſtus à mortuis reſurrexit, eo die Paracletum Spiritum Sanctum Apoſtolis miſit de Cælis, eo die, ut à quibuſdam Doctoribus traditur, Manna pluit de Cælo. Hæc & his ſimilia liquido demonſtrant hunc diem cæteris diebus celebriorem, & venerabiliorem fore.*

XVI. Synodus Aquiſgranenſis II. Anno 836. ulteriùs progreſſa optavit revocari rurſum priſtinum morem Majorum noſtrorum accedendi ad convivium Euchariſticum ſingulis Dominicis diebus. Idcircò autem hoc in votis habuit, quòd qui Divinas haſce dapes poſthaberet faſtidire videretur omnis ſanctitatis fontem, & oſcitanter hujuſmodi Solennia peragere, quibus tamen omninò neglectis, omnis de Deo, & animi ſalute cogitatio reſtinguitur: Cap. 12. *Sanè communicatio Corporis Domini omni die Dominica debuit celebrari. Ideòque neceſſe eſt, quantum ratio permittit, ut moderna corrigatur conſuetudo; ne fortè qui longè eſt à ſacramentis, quibus eſt redemptus, longè ſit à ſalute, quam fuerat conſecuturus.* Si Dominici dies ut par eſt obſervarentur, ſi ea religione ac pietate qua oporteret adeſſent cuncti dum res Divina fit, ſi novo perſæpè ſacramento ſe obſtringerent ut ſceleribus abſtinerent, parati ſemper forent ſingulis Dominicis diebus ad Divinas Euchariſtiæ epulas.

XVII. Forojulienſe Concilium coactum Anno 791. Archiepiſcopo Paulino à virtutibus & litteris commendatiſſimo fidem magis faciet hæc ita ſe habere. Celebrari contendit Dominicum diem ceſſando ab opere quovis illiberali, rei uxoriæ operam non dando, ſceleribus abſtinendo, vacando Eccleſiæ precibus & cæremoniis, & gratiarum actionibus. Etenim hoc ipſo die Divinus Pater Filium ſuum à morte excitavit, Filius Spiritum Sanctum miſit, Manna aliàs pluit, & quinque hominum millia in deſertis locis aluit, quæ omnia Euchariſtiæ convivium præmonſtrabant. Ita celebrare par eſt illud *Sabbatum delicatum*, cujus ſacer Vates meminit, neque Sabbatum Judaïcum eſt, ſed noſter Chriſtianus dies, quo in nobis Deus, nos in Deo pacato animo quieſcimus: *Abſtinere primum omnium ab omni peccato, &* Can. 13. *ab omni opere carnali, & à propriis conjugibus, & ab omni opere terreno, & nihil aliud vacare niſi ad orationem, concurrere ad Eccleſiam cum ſumma mentis devotione, ceſſante omni cauſarum ſtrepitu; cum charitate & dilectione benedicere Deum Patrem, & laudare totis medullis cordis Unigenitum Dei Filium, qui iſtam diem per ſuam ſanctificavit Reſurrectionem, & hymnum dicere ſancto Spiritui qui eam benedixit per admirabilem ſuum adventum &c. Ipſum eſt enim Sabbatum Domini delicatum.* Credidit Paulinus peragenda eſſe hæc cujuſvis hebdomadæ Solennia inſtar præcipuarum Celebritatum Sanctiſſimæ Triadis, Paſchatis, & Pentecoſtes, quando quidem hæ in illis recoluntur.

XVIII. Hac fortaſſe de cauſa Comitia Provincialia Moguntina Ano. 1549. ſanxerunt Sanctorum Celebritates, non tamen Deiparæ, vel Apoſtolorum, vel alias id genus primi ordinis, in Dominicos dies incidentes, loco ſuo movendas eſſe. Rationem maximi momenti adducit Synodus, Sanctos ſcilicet eorum Auctori concedere: *Sed & Sanctorum Solennitates in diem Dominicam incidentes, cenſemus ſubmovendas, & in feriam aliquam præcedentem, vel ſequentem transferendas, quo Sanctorum omnium Domino ſua conſervetur Solennitas.* Cap. 61. De eodem actum fuit in Concilio Remenſi, anno 1564. quod in Eccleſia Mediolanenſi ſapienter in uſu poſitum eſt, ubi Dominicis diebus nullæ Sanctorum Celebritates, ne Deiparæ quidem, agitantur. Viſitatio tamen, & Inventio, atque Exaltatio S. Crucis in album Solennium Chriſti referuntur.

CAPUT II.

De Sabbati tum in Oriente, tum in Occidente celebratione.

I. Orientalis Eccleſia poſt hominum memoriam Sabbatum inſtar Dominici diei obſervavit.

II. Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum contendit ſummo jure non agi, quum duo tantùm Feſti dies hebdomadis ſingulis indicuntur; omnes enim piè colendi eſſent.

III. Sabbati commendatio ex eodem Auctore, at longè major Dominici diei.

IV. Sabbatum Oriens obſervabat tanquam Apoſtolica Traditione niteretur. Mechanica opera prohibita.

V. Apoſtoli morem geſſerunt Ebræis qui recens Chriſto nomen dederant.

VI. Legebatur novum Fœdus in ſolennibus Sabbati precationibus, quemadmodum Dominico die.

VII. Interpretatio cujuſdam Canonis Laodicenæ Synodi.

VIII. Genua flectebantur Sabbato, non die Dominico, ex Niceno Concilio.

IX. Laodicenum Concilium ceſſare ab operibus Sabbato improbavit.

X. Conveniatne Canoni huic Niceno cum Conſtitutionibus Apoſtolicis.

XI. S. Epiphanio teſte, Sabbatum non celebrabatur ab omnibus Orientis Eccleſiis.

XII. Idem de Alexandrina memoria prodidit Socrates.

XIII. Varia Sanctorum Joannis Chryſoſtomi, Baſilii, & Ignatii de Sabbati celebratione judicia, ex quibus patet illud, neque in Oriente univerſo, neque eadem ratione peractum fuiſſe.

I. OStendimus ex Apoſtolorum Traditione Dominicum diem Sabbato ſuffectum fuiſſe, quod quamvis extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit, adhibenda eſt tamen interpretatio aliqua, quum Græca Eccleſia ab hominum memoria utrumque diem celebraverit. Conſtitutionum Apoſtolicarum Auctor Antiſtitem adhortatur, ut populum jubeat quotidie ad Eccleſiam contendere, Sabbatis maximè, Dominiciſque diebus: *Quum doces Epiſcope, jube & mone populum frequentare quotidie mane & veſpere, ut omnino abeſſe nolit &c. Convenite diebus ſingulis mane & veſpere ad canendos Pſalmos &c. potiſſimum autem die Sabbati & Dominico.* L.2. c.59.

II. Eò maximè ſpectare videtur Conſtitutio hæc Apoſtolica ut Chriſtianus populus apud ſe reputet præcipuum munus ſuum eſſe Deo & ſaluti æternæ vacare; quo fit ut quotidie ſe in Eccleſiam recipere debeat, & dies quoſvis veluti Feſtos peragere. Oporteret ergo intelligeret non iniquè ſecum agi quum bis tantùm unaquaque hebdomada hæc ab eo poſtulantur. Hoc quidem allata & ſequentia verba præſeferunt: nam Dei omniſque religionis hoſtem demonſtrant eſſe eum qui domeſticis rebus, vel ſenſuum illecebris ita implicatur, ut vix ullam Divinarum rerum rationem habeat. Hæ ſiquidem aliis quibuſvis occupationibus præſtant, eaſque longo poſt ſe intervallo relinquunt. Itaque ſanæ mentis homo dicendus non eſt qui, ſaluberrimo animi alimento neglecto, in unum corporis pabulum incumbit: *Quomodo non eſt hoſtia*
Ibid. c.60. *Dei, qui nocte & die operam in rebus caducis collocat, quæ verò æterna ſunt negligit; qui quoti-*
Cap 61. *die in balnea & cibum caducum incumbit, ea verò quæ ſemper permanent, non curat? Si quis verò parum curat Eccleſiam Dei, excuſando ſe cauſa operis ſui, excuſande inquam excuſationes in peccatis, cognoſcat qui ſic eſt, artem quidem Chriſtianorum eſſe quaſi quoddam adminiculum operis, religionem verò eſſe opus. Artificia ergo veſtra, tanquam aliud agentes, ad victum parandum exercete; religionem verò colite, hoc agentes; ſicut Dominus ajebat, Operamini cibum, non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Quorſum igitur hæc? niſi ut prioris vitæ inſtitutum ad alias vivendi rationes traducamus, Deum cunctis præferentes, *Hoc agentes*, cætera verò obiter attingentes, *tanquam aliud agentes.*

III. Alibi idem Auctor Sabbatum laudibus proſequitur, quum inſtituta ſit Hæc Celebritas ad recolendam Dei requiem, ad ejus legem recogitandam, eique pro collatis in nos beneficiis gratias habendas. Commendat tamen multò magis Dominicum diem, quo læti fruimur Verbo humana carne induto, Sacerdote Maximo à mortuis excitato, & Divinæ Gratiæ Legiſlatore; *Sabbati*
L.7. c.37. *enim eſt requies à fabricatione mundi, perfectio univerſi, legum inquiſitio, laus grati animi &c. Dominicus verò dies his omnibus præſtantior, ut qui repræſentet ipſum mediatorem, providentem, auctorem reſurrectionis, primogenitum omnis creaturæ, Deum Verbum, eundemque hominem &c.*

IV. Verba Auctoris hujus quæ magis huc faciunt, ea ſunt, quibus Petri & Pauli nomine, quo majorem ſibi auctoritatem conciliet, ait, ſervos homines ceſſare ab opere debere Sabbato quo mundi Opifex quievit, & Dominico die quo Chriſti novi orbis conditoris Reſurrectio colitur. *Ego Petrus & ego Paulus conſtituimus ut ſervi quinque diebus opus faciant, Sabbato autem & Dominico die vacent in Eccleſia propter doctrinam religionis. Diximus enim habere quidem Sabbatum rationem creationis mundi, Dominicum verò Reſurrectionis.* L.8. c.33.

Operæ pretium eſt duo hæc adnotaſſe, Apoſtolos Eccleſiis in Orientem Solem ſpectantibus Auctores extitiſſe celebrationis Sabbati, ſeu potiùs cultum ei pridem exhibitum produxiſſe; ceſſationem præterea ab operibus, ut die Dominico uſuvenit, præcepiſſe. Neque mirari ſubit Orientales id in animum induxiſſe, ab Apoſtolica videlicet Tranſlatione Sabbati obſervationem repetendam eſſe, quum Caſſianus id ſenſerit, & exiſtimaverit eo Græcam Eccleſiam jejunia eo die non indixiſſe, quòd inſomnem duceret noctem præeuntem Sabbato ad recolendum acerrimum Apoſtolorum dolorem, ob mortem Divini Præceptoris Cruce ſuffixi: *Vigilias à tempore prædicationis Apoſtolicæ, quæ Religio ac Fides fundata eſt per univerſum Orientem, ſtatutum eſt illuceſcente Sabbato debere celebrari, idcirco quod Domino ac Salvatore noſtro ſexta Sabbati Crucifixo, diſcipuli adhuc recenti ejus Paſſione perculſi, pervigiles tota nocte manſerunt, nullatenus quietis ſomnum oculis ſuis indulgentes. Quamobrem ex illo tempore huic nocti deputata vigiliarum Solennitas uſque in hodiernum diem per univerſum Orientem ſimiliter obſervatur. Ideòque & abſolutio jejunii poſt vigiliarum laborem totidem Apoſtolicis viris in die Sabbati ſtatuta non immerito præſumitur per univerſas Orientis Eccleſias.* L.3. de Diur. orat. c.9.

V. Texuit Opus ſuum Caſſianus ut veterum Monachorum qui in Oriente vixerant vivendi inſtitutum exponeret; ob id hanc ſolùm rationem attulit, ne verbum quidem faciens de alia majoris ponderis, neceſſitate nimirum obſequendi Synagogæ moribus, ne abalienarentur Judæi Chriſtianis ſacris recens initiati. Nam quum ab Apoſtolis in rebus minoris momenti eorum ratio haberetur, ut ex Loca intelligimus agente de lege ab Apoſtolis lata in Comitiis Heroſolymitanis; oportebat moleſtiam illis minimè exhiberi in iis quæ maximè ipſis cordi eſſent, ideſt in Sabbatorum Solenniis. Ritus in Eccleſiis Palæſtinæ & in propinquis regionibus inſtitutus quoquoverſum in Oriente permanavit ob Sedis Hieroſolymitana auctoritatem maximè ubique habitam. Quapropter Caſſianus tradidit Orientales Monachos conveniſſe Sabbatis Dominiciſque diebus ut Euchariſtiæ Sacrificio adeſſent, & Divinis illis dapibus exhibitis, epularentur: *Die Sabbati vel Dominica, hora tertia, ſacræ Communionis obtentu convenire.* Ibid. c.2.

VI. Rem alibi magis ad vivum reſecat Caſſianus, ut quivis intelligat ſtatis iiſdem ſolennibuſque Eccleſiæ precationibus tam Sabbatum quàm Dominicum diem celebratum fuiſſe, teſtatus non ſolùm rem Divinam factam, ſed Epiſtolas vel Acta Apoſtolorum, & præterea Evangelia lecta fuiſſe. Diebus Feſtis non ſolùm jejunia ſolvere & ſacris operari oportebat, verùm etiam aliquid è novi Fœderis Voluminibus delibandum erat in Canonicis Horis, quum veteris Legis Lectioni profeſtis etiam diebus vacarent veteres: *In die* De nocturn. orat. l.2. c.6.
verò Sabbati vel Dominica utraſque lectiones de novo recitant Teſtamento, ideſt unam de Apoſtolis vel Actibus Apoſtolorum, & alteram de Evangeliis. Quoniam autem totos quinquaginta Paſchales dies tanquam Feſtos agebant, in ipſis pariter, adnotante Caſſiano, legendis iiſdem Novæ Legis Libris, qui Deum impenſiùs colebant, ſedulam navabant operam: *Quod etiam totis Quinquageſima diebus faciunt hi, quibus lectio cura eſt, ſeu memoria Scripturarum.* In præſentia quoque legitur Evangelium Dominico tanquam ſolenniore, non cæteris Feriarum diebus.

VII.

VII. Huc pertinet quod Synodus Laodicena conſtituit, legendum ſcilicet Evangelium Sabbato in ratis Eccleſiæ precibus cum cæteris Canonicis Libris : *Ut Evangelium cum aliis Scripturis Sabbato legatur* ; Can. 16. quod idem eſt ac ſi diceret parem eſſe Sabbati & primi diei rationem. Græci ipſiſmet Quadrageſimæ Sabbatis, ut Dominicis diebus, ſolvebant jejunium, & Sacrum Perfectum, ut vocabant, peragebant, quod jejunii tempore fieri ab ipſis non potuiſſet : *In omnibus Quadrage-* Can. 52. *ſimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato & Dominica, & ſancto Annunciationis die, fiat ſanctum præſanctificatorum miniſterium*. Miſſam quandam mutilam celebrabant Græci ſine Sacrificio reliquis quinque diebus cujuſvis hebdomadæ in Quadrageſima; at numeris omnibus abſolutam Sabbatis, Dominico, & Annunciationis die.

VIII. Edixit Nicænum Concilium ne cui fas eſſet genua Dominicis diebus flectere, quod plurimi ne Sabbato quidem præſtandum eſſe funt arbitrati, quòd eadem ratione coleretur. Sed quum Sabbati non meminiſſet Nicæna Synodus, id aliis viſum non fuit. Obortis illinc diſſidiis quæſitum eſt à Nicolao Patriarcha, *Annon oporteat in Sabbato genu flectere, ſicut in Dominico vel Pentecoſte*. Repoſuit Præſul integrum unicuique eſſe qua mallet ratione ſe gerere. Balſamo autem, qui hujuſce litis certiores nos fecit, optimè exiſtimavit contentionem natam eſſe ex vetuſta & conſimili dierum illorum celebratione : *Quia* Pag. 119. *à Sanctis Patribus omnino ſunt propè exæquata Sabbata Dominicis*.

IX. Quum verò duobus maximè ſacra Solennia contineantur, non fuit eadem omninò in utriuſque dierum illorum conditio. Quanquam enim iidem adhibebantur ſacri ritus, fas tamen fuit in mechanica opera incumbere ſeptimo die. Sanè Laodicena Synodus diris devovit eos qui ceſſaſſent, quòd Judaicam ſuperſtitionem redolere id videretur : *Quod non oportet Chriſtianos Judaizare & in* Can. 29. *Sabbato otiari, ſed eo die operari : diem autem Dominicum præferentes, otiari, ſi modo poſſint, ut Chriſtianos. Quod ſi inventi fuerint ut Judaizantes, ſint anathema apud Chriſtum*.

X. Difficile factu eſt Canonem hunc cum Apoſtolicis Conſtitutionibus conciliare, quæ tam primo quàm ſeptimo diebus illiberalia opera damnant. Libentiſſimè eruditorum hominum ſententiæ accederem, ſi hæc ſecum pugnantia componere poſſent ; ne divinare videamur exiſtimantes Apoſtolicas Conſtitutiones vetuſtate antecellere Synodo, & habitam ab eis fuiſſe rationem regionum & temporum, quibus Chriſtianus populus non omninò Moſaicas Cæremonias abdicaverat, ne in offenſionem incurreret Ebræorum qui Chriſto nomen dederant, atque ut Synagoga magnifico quodam funere, quod dicunt, efferretur. Contra, Synodus Laodicena quarto labente ſæculo coacta eſt tum quum in illis præſertim regionibus tanta Ebræorum ratio non habebatur, ne dicam nuncium remiſſum fuiſſe huic Chriſtianorum & Ebræorum in Cæremoniis nonnullis fœderi. Qua etiam ætate editus videtur ſeptuageſimus Canon Apoſtolorum, ubi ſtatuitur nefas eſſe Chriſtianis cum Ebræis convenire vel in jejuniis, vel in Celebritatibus indicendis : *Si quis jejunat cum Judæis, vel cum ipſis dies Feſtos agit*. Id ratum puto de quo inter eruditos convenit, Canones & Conſtitutiones Apoſtolorum extitiſſe Codicem quendam Canonum & Ritualem librum Eccleſiæ prioribus quatuor ſæculis in Oriente. Auctarii loco accedunt perſæpè ejuſmodi Operibus, annis conſequentibus, leges recens latæ. Inſunt igitur in hiſce Canonibus & Conſtitutionibus quædam quæ Apoſtolis accepta ſunt referenda, & quædam quæ tertio vel quarto ſæculo conſtituta ſunt.

Thomaſſini de Feſtis.

XI. Ne ſolennibus quidem precationibus Sabbatum celebrabatur in omnibus Orientis Eccleſiis. Sanctus Epiphanius Conſtantinæ in Inſula Cypri Epiſcopus, in Græcis ritibus apprimè verſatus, abolitum, ait, omninò Judaicum Sabbatum à Jeſu Chriſto, qui & Veritatis Sol eſt, & una ac vera animi requies : *Sabbatum illud le-* Hæreſ. 66. *ge præſcriptum ad Chriſti uſque adventum perſeveravit, quo demum abrogato, magnum nobis Sabbatum obtulit, qui eſt ipſe Dominus, requies & Sabbatiſmus noſter*. Agens verò Epiphanius de Chriſtianorum Celebritatibus in quadam Orthodoxæ Fidei Synopſi, obſervari eas tradit quartis ſextiſque Feriis, & Dominicis diebus, Sabbato prætermiſſo, quamvis de Apoſtolica inſtitutione loquatur : *Sacri Conventus & Synaxes ab* Num. 22. *Apoſtolis inſtituti ſunt his potiſſimum diebus, quarta ſextaque Feria & Dominica*.

XII. Plurima noverat Antiſtes ſapientiſſimus & morum plurimarum Eccleſiarum peritiſſimus. Septimi diei obſervationem ab Apoſtolis non repetit, quòd eum non fugeret longè diverſas fuiſſe duarum principum Eccleſiarum Romanæ & Alexandrinæ conſuetudines. Quid ? Quod Sabbatorum jejunia in Urbe indicebantur, tantùm abeſt ut illa forent ſolennia. Alexandrini Romanorum veſtigiis inhærebant, & à Sabbati celebratione longè aberant. Id Socrates perſequutus eſt : *Quanquam omnes ubique in orbe terra-* L. 5. c. 22. *rum Eccleſiæ ſingulis ſeptimanis vertentibus, die Sabbati myſteria celebrant, Alexandrini tamen & Romani ex antiqua Traditione iſtud facere renuunt*. Non ſibi conſtare Socrates videtur quum ait conſpiraſſe omnes orbis Eccleſias in Sabbati cultum, Romana & Alexandrina demptis ; hæ ſiquidem Eccleſiæ principem ſibi vindicabant locum, & aliis quibuslibet auctoritate præſtabant. Non igitur Alexandrina Eccleſia ſeptimum diem coluit, ut de Romana diximus, neque cæteræ quæ Alexandrinæ parebant, plurimæ illæ quidem, ſed minimè conferendæ cum omnibus Occidentalibus, quibus Romanus Pontifex præerat tanquam Occidentis Patriarcha.

XIII. Egimus non ſemel de ſanctionibus Conſtantini Cæſaris, qui Dominicos dies & Paraſcevas omnes coli juſſit, nil de Sabbatis loquutus. Princeps Maximus qui in toto ferè orbe terrarum dominabatur, omneſque penè Eccleſias complectebatur, optimè noverat proprias fuiſſe Sabbati Celebritates Eccleſiarum Byzantinæ, Antiochenæ, & Hieroſolymitanæ. Chryſoſtomus populum hortabatur ut bis ſingulis hebdomadis ad Eccleſiam adiret ; videtur autem Sabbatum quoque ob oculos habuiſſe, præſertim quum ait, horam ſaltem Deo vacare oportere, ut Divino verbo opera detur : *Nec* In Pſal. 48. *moneo ut quotidie vaces, ſed bis in hebdomada, nec totum diem, ſed exiguum punctum temporis veni ad concionem*. Si de Dominico die agebat, non ei ita loqui fas erat. Sanctus Baſilius Sabbati meminit, ſed quum eadem ratione de cæteris quoque, Dominico die, immò quartis ſextiſque Feriis pertractet, illinc non ſequitur, neceſſitate quemvis obſtrictum fuiſſe ad Sabbatum colendum ; neque enim ulla erat ejuſmodi lex pro cæteris Feriis conſtituta : *Quater igitur nos ſingulis ſeptimanis com-* Epiſt. 289. *municamus, Dominico die, Feria quarta, in Paraſceve, & Sabbato*. Non impedit Sanctus Ignatius quominus Sabbatis pietati magis populus ſtudeat ; ferre tamen non poteſt Judaicum illud otium, non Chriſtianum : *Non ſabbatizemus Judaicè, ut Feriis gaudentes. Qui enim* Epiſt. ad Magneſ. *non operatur, inquit, non manducet. Sed unuſquiſque noſtrum ſabbatizet ſpiritualiter, meditationi legis adgaudens, non corporis remiſſioni. Sed pro ſabbatizatione diem Feſtum cele-*

bret omnis Chriſtianus ; Dominicam Reſurrectionem, regalem, eminentiſſimam dierum; de qua Propheta expectans dicebat, In finem pro octava,

Satis ſit dixiſſe Orientis Eccleſias Sabbata coluiſſe, non tamen univerſas, ut nonnulli ſibi in animum inducunt credere; aliud enim viſum fuit præſtantiſſimæ Alexandrinorum Eccleſiæ, cæteriſque illius Diœceſeos; nec adeò religioſè, ut iidem autumant. Fatebantur enim ſeptimo ſuffectum primum diem, & operoſa quævis exercebantur in pleriſque regionibus, & abeſſe cuivis fas erat, dum ſtatæ preces adhibebantur, ſolenni utique ritu, & cæteris Feſtorum dierum conſimiles, ut à Balſamone proditum eſt.

CAPUT III.

De Sabbati rurſum celebratione. Adjiciuntur nonnulla de quintis, ſextiſque Feriis.

I. Occidentis Eccleſia nunquam extrinſecùs Sabbata coluit, rata ſatis eſſe animum adjicere ad æternam, quam præmonſtrant, requiem.

II. Explanatio verborum S. Ambroſii de hujuſmodi mentis requie in ſinu æternitatis, cujus dies ſeptimus imago erat.

III. Auguſtinus egregiè docuit Eccleſiam à cæremoniis Judaici Sabbati vindicatam, illius veritatem religionemque ſervare, abſtinendo ſe à ſceleribus, quæ opera revera illiberalia ſunt, pace in Deo fruendo, perturbationum motus componendo, denique Deo bonorum omnium Auctori ſe permittendo.

IV. Cur Eccleſia Legi Decalogi, de ſeptimi diei celebratione lata, ſe minime obnoxiam exiſtimet.

V. Non ea celebratio Chriſtianos à Judæis dirimit, ſed diſpar ratio cultus.

VI. S. Gregorius Romanus Pontifex Auguſtino accedit.

VII. S. Hieronymus pariter.

VIII. Utrum in Gallia, ut in Urbe, quicquam ſtatutum ſit quo ſeptimi diei ſuperſtitioni occurreretur.

IX. Alicubi in Occidente Græci moris ratio habebatur.

X. Interpretatio Legis quam Conſtantinus Cæſar juſſit de Paraſceves obſervatione.

XI. Vetitus in Italia ſæculo X. Paraſceves cultus.

XII. Pia illam colendi ratio petita ab Auxentio Abbate.

XIII. Feria quinta Romæ quandoque obſervata.

XIV. Quædam Idololatriæ reliquiæ alicubi in Gallia.

XV. In urbe uſque ad initium ſæculi octavi non indicebantur jejunia quintarum Feriarum, quamvis in Quadrageſimam incidentium.

XVI. De Sermone ſub adſcito S. Auguſtini nomine adverſus eos qui Feriis iiſdem in ſuis operibus ceſſabant.

XVII. Petrus cui nomen Venerabili innuere videtur ætate ſua ſoluta fuiſſe jejunia quintis Quadrageſimæ Feriis.

I. DE Orientali Eccleſia hactenus, ad Occidentalem veniamus, in qua id exploratum fuit uſque ab ejus primordiis, non ampliùs cæremoniis & Legi ſeptimi die obnoxios nos eſſe, ſed animum adjiciendum eſſe ad id quod pluris faciendum erat in Divina Lege, ad requiem mentis in Deo, ad rerum divinarum intelligentiam, ad cœleſtis dilectionis exercitationem in præſentia, & ad præſtantiorem beatæ immortaliſque vitæ requiem & charitatem: Itaque religionis Ebræorum dies unus fuit, Chriſtianorum, ætatem durat, & æternus eſt. Hæc Ambroſius Epiſt 74. in Epiſtolis: *Sabbati Ferias uno die in hebdomada celebrare juſſi ſunt, ut nulli oneri ſubderentur, qui à mundanis operibus abſoluti utinam ſic abiſſent, ut in illud perpetuum futurorum Sabbatum ſæculorum nulla ſecum gravium veherent onera delictorum. Sed quia lubricum populum Deus noverat, partem infirmioribus unius diei obſervatione præſcripſit, plenitudinem fortioribus reſervavit. Synagoga diem obſervat, Eccleſia immortalitatem. In Lege igitur portio, in Evangelio perfectio eſt.*

II. Neque aliud ſibi vult Mediolanenſis Præſul, quàm Deum id curare, ut pacis æternæ deſiderio flagremus, eamque tandem adipiſcamur quiete & cultu noſtrarum Solennitatum. At quoniam Moſis ætate rudes admodum homines arcana & præſtantiora hæc Sacra non aſſequebantur, eos quiete illa extrinſecùs adhibita docuit quomodo à moleſtis vitæ hujus curis operoſiſque negotiis, quibus diſtinebantur, paulatim avocarentur, ut uni Deo vacarent, in quo tandem in Cœlo ſita erit quies omnis atque felicitas. Incultè admodum Solennia peragebat populus Ebræus, & ejus quies ab æterna illa Divinaque longiſſimè aberat. Si verò Chriſtiani diem noſtrum Ebræorum inſtar celebramus, corpore quidem ceſſantes, mentis autem delitiis multò præſtantioribus non affluentes cum Chriſto victore è tumulo prodeunte, nomine tenus Chriſtiani ſumus, & inter noſtrum religioſum, & ſeptimum illum Judaicum vix quicquam intereſt, niſi externæ quædam ſignificationes quæ cæteris perſæpè fucum faciunt. Etenim Dominico die Reſurrectionem & felicitatem æternam recolimus: *Synagoga diem obſervat, Eccleſia immortalitatem.* Non ait Ambroſius celebrari à Judæis ſeptimum diem, primum à nobis; ſed ab illis diem coli, à nobis æternitatem.

III. Eadem S. Auguſtinus identidem inculcat ſeptimi diei quietem apud Chriſtianos arcanam eſſe arbitratus, & abſtinendum eſſe à criminibus, quæ illiberalia revera ſunt, cohibendos quoque motus perturbationum, & tranquillitatem illam adipiſcendam, quæ à ſapientia oritur atque virtute. Oportere quoque ut Jeſu Chriſto nos dedamus qui una eſt ac minimè fucata animi voluptas & requies: *Sabbatum non repudiamus, ſed intelle-* I. contra *ctum à Chriſtianis: deſtitit quidem carnaliter ob-* Adim. c.2. *ſervari, ſed ſpiritaliter retinetur à Sanctis, qui intelligunt vocem Domini clamantis ad requiem & dicentis, Venite ad me qui laboratis, & ego vos reficiam.* Et alibi: *Sabbati quietem non obſerva-* Cap. 10. *mus in tempore, ſed ſignum temporale intelligimus, & ad æternam quietem, quæ illo ſignificatur, aciem mentis intendimus.*

Non ait primum diem ſeptimi loco celebrandum eſſe, ſed ipſummet ſeptimum, ut oportebat, Divina recogitando, pravos animi motus coercendo, & maximè quietem mentis Deum unicè ſpectantis: *Obſerva diem Sabbati, non carnaliter,* In Pſ. 32. *non Judaicis delitiis qui otio abutuntur ad nequitiam. Meliùs enim utique tota die foderent, quam tota die ſaltarent. Sed tu cogitans requiem in Deo tuo, & propter ipſam requiem omnia faciens, abſtine ab omni opere ſervili. Omnis enim qui facit peccatum ſervus eſt peccati.*

En apertè *requies in Deo*, laborum noſtrorum & vitæ univerſæ ſcopus: *Propter ipſam requiem omnia faciens.* Hujus ſedes in animo inſunt: hac maximè & morum integritate Feſti dies & eorum gaudia continentur, primi inquam & ſeptimi; ea verò, non Judaica, ſed Chriſtiana, minimè potitur is quem anteactæ vitæ flagitia, pra-

vi m-

vi mores & furiæ ſcelerum vindices præcipitem agunt : *Ecce & hodiernus dies Sabbati &c. melius eſt arare quàm ſaltare. Judæi à bono opere vacant, ab opere nugatorio non vacant. Nobis Sabbatum indicit Deus. Quare? Primò ubi ſit videte. Intus eſt, in corde eſt Sabbatum noſtrum. Multi enim vacant membris, & tumultuantur conſcientia. Omnis homo malus Sabbatum habere non poteſt. Cui autem bona eſt conſcientia, tranquillus eſt, & ipſa tranquillitas Sabbatum eſt cordis.*

In Pſal. 91.

Aliàs Hipponenſis Antiſtes docuit non tantùm injuria Chriſtianos traduci ob poſthabitam Decalogi de Sabbato Legem; verùm etiam exiſtimandam eſſe omnem eorum vitam jugem quandam Celebritatem, quum ſpe immortalitatis freti, alacri animo continenter ad æternam felicitatem magis magiſque contendant. Etenim Deus in ſemetipſo quieſcere, & in tumulo Chriſtus videtur, atque primordia quædam reſurrectionis dici poſſunt, dum homo ſibi penè mortuus moleſtis hiſce negotiis, & ſenſuum illecebris nuncium remittit: *Jamverò tempore Gratia revelata obſervatio illa Sabbati quæ unius diei vacatione figurabatur, ablata eſt ab obſervatione fidelium. In ea quippe Gratia perpetuum Sabbatum jam obſervat qui ſpe futuræ quietis operatur quicquid boni operatur, nec ipſis bonis operibus ſuis, quaſi habens bonum, quod non acceperit, gloriatur. Ita enim tanquam diem Sabbati, ideſt Dominicæ ceſſationis in ſepulturæ ſuſcipiens atque intelligens Baptiſmi Sacramentum, quieſcit à priſtinis operibus ſuis, ut jam in novitate vitæ ambulans, Deum in ſe operari cognoſcat, qui ſimul & operatur & quieſcit, creaturæ præbens congruam gubernationem, & in ſe habens æternam tranquillitatem.*

De Gen. ad litt. l. 4. c. 13.

Huc ceſſatio omnis ſpectat ex Auguſtino, ſolennioribus diebus, quibus non otio nos torpere decet, ſed Deo totos noſmetipſos permittere, ut quicquid libet in nobis efficiat: ejus enim actio pacatarum mentium quietem non obturbat, nec quies impedimento illi eſt quominùs efficacitate inſtructa ſit; nam & maximè tranquilla eſt, & actuoſa; tumque vim ſuam exercere incipit, quum Deo nos permittimus, eumque agere ſinimus quicquid ei collibitum fuerit. Ita Feſtos dies omnes ritè peragimus. Non aliud à Chriſtianis poſtulat Decalogi Sabbatum; ab Ebræis tamen plurima, quæ hæc præmonſtrabant: *Itaque inter omnia illa decem præcepta ſolum tibi quod de Sabbato poſitum eſt, figuratè obſervandum præcipitur. Quam figuram nos intelligendam, non etiam per otium corporale celebrandam ſuſcepimus.*

Epiſt. 119. cap. 12.

IV. Duplex igitur eſt enodatio quæſtionis hujus, cur Sabbati celebrationem Decalogi lege ſancitam negligere videamur, quum maxima cæteroqui præceptorum aliorum ratio à nobis habeatur? Siquidem eadem eſt Lex à natura ipſa in mentibus noſtris inſculpta. Superiore Capite in medium attulimus Patres qui primum diem ſeptimo ſuffectum à Chriſto prodiderunt. At Ambroſius & Auguſtinus ſanctiſſimi doctiſſimique Antiſtites animadvertunt præceptum illud partim cæremonias Moſaicas ſpectare, partim naturam ipſam nulli obnoxiam mutationi; & ceſſationem, de qua plus millies egimus, ad illas potiùs quàm ad hanc revocandam eſſe, nec perperam annorum ſerie eandem ſemper vim habuiſſe; quando, ut complures ſacri interpretes ſentiunt, ſancti viri qui ante Moſen Prophetam floruerunt, ad Decalogi præſcriptum vitam compoſuerunt, nec interea loci ſe ab operibus, poſteà vetitis, abſtinuerunt. Abſtinere autem à quovis ſcelere, quod quidem opus maximè dedecet, & animi motus ſuos coercentis requie frui, id quidem ſemper oportuit, & eo præcipuè præcepti hujus ſanctitas continebatur. *Ineſt in illa requie non deſidioſa ſegnitia, ſed quædam ineffabilis tranquillitas actionis otioſa.* Hæc Auguſtinus, adjiciens tum reverà Chriſtiano ritu Celebritatem peragi nullis laborum moleſtiis perturbatam, & in otio cum negotio omnium maximo degentem, quum animus ſe ipſe obfirmavit in hujuſmodi tranquillitate, quæ à morum integritate, & perturbationum moderatione oritur. S. Thomas Aquinas ne latum quidem unguem ab his Patribus diſceſſit, rem hujuſmodi in ſecunda Parte quaſi acu tangens.

Epiſt. 119. cap. 9.

2. 2. q. 122. art. 4.

V. Chriſtiani & Judæi non tam Solenniis ſejunguntur, quàm pietate in eorum cultu adhibita. Nec à conjectura aberrat qui cum Auguſtino ſentit, tum à Chriſto, tum ab ejus ſectatoribus Sabbatum celebratum, ſi non extrinſecùs, ſed penitiùs res introſpiciatur, ob gaudium & animi Deum unicè ſpectantis quietem: *Non ergo Dominus reſcindit Scripturam veteris Teſtamenti, ſed cogit intelligi; nec Sabbatum ſolvit, ut pereat, quod figurabatur, ſed aperit potius ut appareat quod tegebatur.* Contra, Chriſtiani Dominicum diem non colere ut oportet, ſed parvi ducere dicimur, quum tantùm mechanicis quibuſvis operibus valere juſſis, parum de Divinis rebus ſoliciti ſumus. Neque enim religioſi dies noſtri Ebræorum more ſunt celebrandi: *Judæi ſerviliter ea obſervabant, non intelligentes ad quarum rerum ſignificationem & prænunciationem pertinerent. Hoc in eis culpat Apoſtolus, & in omnibus qui ſerviunt creaturæ potius quàm Creatori. Nam nos quoque & Dominicum diem & Paſcha celebramus & quaslibet alias Chriſtianas dierum Feſtivitates. Sed quia intelligimus quo pertineant, non tempora obſervamus, ſed quæ illis ſignificantur temporibus.*

Contra Adim. c. 2.

Ibid. c. 16.

VI. Improbavit Magnus Gregorius Romanus Pontifex ſuperſtitionem Romanorum quorumdam, qui eadem prorſus ratione ſeptimum & primum diem peragi oportere contendebant. Planè, ut optimè ajebat Pontifex Maximus, revocanda tunc fuiſſet Circumciſio, & univerſa Lex Moſis. Cæterùm ſanctior Sabbati cultus, propria eſt Chriſtianorum virtus in uno Jeſu Chriſto quieſcentium: *Nos itaque hoc quod de Sabbato ſcriptum eſt, ſpiritualiter accipimus, ſpiritualiter tenemus: Sabbatum enim requies dicitur. Verum autem Sabbatum ipſum Redemptorem noſtrum Jeſum Chriſtum Dominum habemus.*

L. 11. ep. 3.

VII. S. Hieronymus quoque teſtatus eſt Sabbata & quævis Solennia coli ab eo qui à vitiis abhorret, & virtute duce ad beatam vitam contendit: *Neque enim prodeſt ſedere in Sabbato, ſive dormire, & epulis inhiare. Sed ſi bona faciens, quieſcat à malis, & juge iniquitatis habeat Sabbatum, ideſt otium, eaque tantum faciat, quæ ad animæ ſalutem pertinent.*

In Iſ. c. 56.

VIII. Sed niſi Gallorum rebus opem tuliſſent Epiſcopi ac Synodi, vereri quis potuiſſet ne rudiores Judaica labe adſperſi fuiſſent, ſeptimum quemque diem colendo. Nam Sabbatorum jejunia ipſo Quadrageſimæ tempore carpebant; quem maleferiatorum hominum contemptum diris devovit Agathenſe Concilium, anno 506. *In Quadrageſima etiam die Sabbati jejunent;* cui concinit Aurelianenſe IV. anno 541. *Neque per Sabbata abſque infirmitate quiſquam ſolvat Quadrageſimæ jejunium.* Sæpiùs diximus prioribus Eccleſiæ ſæculis jejunia nullum ſibi locum vindicaſſe diebus ſolennioribus. Nec aberraret à conjectura qui Canonem exiſtimaret propter eos conſtitutum, qui non Ebræorum ſed Græcorum more Sabbata celebrabant, jejunia quidem ſolventes, ſed minimè ab operibus ceſſantes.

Can. 12.

Can. 2.

IX. Eadem ratione excuſatione digni videbantur rudiores nonnulli, qui Ebræorum veſtigiis inhærentes Sabbato opera mechanica valere jubebant, ut conſtat ex Paulino Patriarcha Aquilejenſi in ſuo Forojulienſi Concilio. Quum enim

ea loca

ea loca Græcis finitima forent, haud difficile fuit ut horum mores ibi uſurparentur: *Si de illo Sabbato diceret Iſajas quod Judæi celebrant, quod eſt ultimum in hebdomada, quod & noſtri ruſtici obſervant, diceret tantùm Sabbatum, & nequaquam adderet delicatum*. Ex Tertulliani Libri de jejunio novimus Sabbati jejunium indictum nunquam fuiſſe, niſi in Paſchæ pervigilio: *Sabbatum nunquam niſi in Paſcha jejunandum*. Agit Tertullianus de Latina Eccleſia, ex quo non obſcurè intelligimus extitiſſe in Africa ſaltem Eccleſias complures, quæ ſeptimo die jejunium ſolvebant, ipſo Quadrageſimæ tempore; alioquin non universè dixiſſet Sabbato jejunio locum non eſſe. Itaque ut in Oriente alicubi ſeptimo quoque die ne ſolemniores quidem ſtatæque precationes adhibebantur, ita in quibuſdam Occidentis Eccleſiis Sabbata quandoque celebrata ſunt.

Can. 13.

X. Hæc de ſeptimo die dixiſſe ſufficiat; ad ſextum vel Paraſceven veniamus. Patet Conſtantinum præcepiſſe ut celebraretur; ſed pia quædam Solennitas dumtaxat fuit, ac fas erat cuique in quodvis opus incumbere, & judicia exercebantur. Etenim Euſebius ibidem memoriæ prodidit, lata Lege Conſtantinum edixiſſe ne publica judicia exercerentur Dominicis diebus, ne verbo quidem facto vel Paraſceves, vel Sabbati. Imperatoris Lex relata eſt in Codicem Theodoſianum, & de Dominico tantùm die agit. Sozomenus quidem ſcripſit ſublata Principis hujus Edicto forenſia judicia, & mechanica opera, non tantùm primo quoque die, verùm etiam ſexto: *Die Dominico & ſexta feria à judiciis aliiſque operibus feriari præcepit, & precibus ac ſupplicationibus Deum venerari*. Verùm apertè fallitur, & major habenda eſt fides Euſebio, ipſique Conſtantini Legi.

Tit. de feriis.

L. 1, cap. 7.

XI. Extant Litteræ Attonis Vercellenſis Epiſcopi, qui ſæculo X. floruit, ad Diœceſin ſuam, quibus populum admonet ne ſextas ferias celebret. Miſſo Eccleſiæ more, oſtendit diem Cruci, & morti Filii Dei dicatum, labores potiùs & animi cruciatus decere, quàm Celebritatum otia, & lætitiam: *Audivimus inter vos novum quendam ſurrexiſſe errorem, ut dicatis feria ſexta otio eſſe vacandum &c. Demens eſt qui ſextam feriam, qua Dominus Crucifixus eſt, per omnes hebdomadas ob illius imaginem cum abſtinentia & compunctione mœroris abnegat celebrandam &c. ſexta feria melius eſt laborare panem, unde & tuam & alienam reficere poſſis eſuriem, quàm otioſis manibus ſedens inanes fabulas garrulo ore jactare &c.*

Spicileg. t. 4. p. 112.

XII. S. Auxentius Abbas divites hortabatur ut ſextis quibuſque Feriis precibus tantùm jejuniiſque vacarent, *In jejunio & precatione*. Operariis ſuis ſtipendium ſolvebat, ne in opus incumberent, ſed in unas preces; quod etiam præſtitit qui ejus locum occupavit. Religionem ejuſmodi commendatione dignam fuiſſe nullus inficiabitur; neque enim aditum ad otium & nequitiam patefaciebat.

Sur. Febr. die 14. c. 38. Bolland. Febr. 20. 2. p. 780.

XIII. Ad examen denique vocandus eſt dies quintus, quem Jovis Ethnici dixere. S. Auguſtino ſeſte Romæ jejunia eo die minimè probabantur: *Videant ergo quid agant Romani &c. maximè quia ibi jejunandum quinta feria non videtur*. Nulla nota inurendus eſt hic mos, quum ab Auguſtino adſcribatur non alicui è trivio, ſed toti urbi, nec ab eo damnetur.

Epiſt. 86.

XIV. Non idem judicium ferendum eſt de quibuſdam Narbonenſis Provinciæ populis, quorum turpem lapſum execrata eſt Synodus Narbonenſis, An. 589. *Ad nos pervenit quoſdam de populis Catholicæ fidei, execrabili ritu feriam quintam, quæ & dicitur Jovis, multos excolere, & operationem non facere. Quam rem timore Dei execrantes &c.* Concilii verba, tametſi impedita, ſatis ſuperque oſtendunt quaſdam Idololatriæ reliquias in locis illis ſuperfuiſſe.

Can. 5.

XV. Cæterùm narrat Anaſtaſius Bibliothecarius in rebus geſtis Gregorii II. ſub initium Sæculi VIII. Pontificem hunc indixiſſe jejunia quintarum Quadrageſimæ Feriarum cum Miſſæ ſacro, quod minimè fiebat: *Hic Quadrageſimali tempore, ut in quinta feria jejunium, atque Miſſarum Celebritas fieret in Eccleſiis, quod non agebatur, inſtituit*. Nec dici poteſt idem Romæ quinto die, atque in Oriente ſeptimo, uſuveniſſe; quando quidem rem Divinam Romani non faciebant. Sola ergo jejunia ſolvebantur, ſed opus quodvis licebat; alioquin ſuperſtitio viſa fuiſſet brevì admodum duratura.

XVI. Attulit Baronius in Annalibus S. Auguſtini ſermonem, quo acriter caſtigatur qui die quinto hebdomadæ vacare optabant, Jovem prophanis Solenniis colentes: *Iſti infelices & miſeri qui in honorem Jovis in quinta feria opera non faciunt &c.* Fortaſſe hujuſmodi ſermo Cæſario adjudicandus eſt, nullo autem pacto Auguſtino: lucem tamen præfert Canoni Narbonenſis Concilii.

An. Chr. 58. n. 90.

Bibl. Clun. p. 1370.

XVII. Petrus Venerabilis vocatus, plurimas Cluniacenſes ſanctiones undique decerptas ſimul edidit, ſcholiis quibuſdam adjectis. Præcipitur in quadam Conſtitutione, ut in locum Antiphonarum quæ ad Matutina & Veſpertina Cantica adhibentur quatuor prioribus quintis Quadrageſimæ Feriis, aliæ ſubſtituantur. Hujus rationem ſe tandem aſſequutum eſſe Petrus aſſerit, videlicet quondam diebus illis Evangelia quæ legerentur adſcripta non fuiſſe, neque Antiphonas ab Evangelio dici depromptas; poſteà Evangeliorum lectionem diebus illis conſtitutam eſſe, unde Antiphonæ peti potuerunt, illis miſſis quæ aliunde fuerant deſumptæ: *Sicut à quibuſdam prioribus accepi, jam dicta quinta feria antiquitus Evangelia propria, ex quibus excerpta Antiphonæ cantarentur, minimè habebant. Quæ à poſterioribus Patribus, & erga divina Officia ſtudioſis, de Evangelio Joannis poſtmodum excepta ſunt. Unde poſtquam illa quinta feria propria Evangelia habere cœperunt, Antiphonæ novæ de ipſis quoque Evangeliis factæ ſunt.* Conferendus eſt hujuſmodi locus cum Anaſtaſii Bibliothecarii verbis: & illinc parebit Gregorii II. Edictum ſerò admodum alicubi in uſu poſitum fuiſſe. Enimverò jejunii tantùm diebus, ſi de profeſtis agamus, certa quædam Evangelii loca leguntur.

CAPUT IV.

De Dominicis Adventus diebus.

I. Quàm ſanctè dies hujuſmodi peragendi ſint.

II. Adventus origo. Viſus eſt quondam eſſe quædam Natalis Quadrageſima.

III. Rurſum de Adventus primordiis; de ejus jejuniis, aliiſque pietatis operibus, Dominicis præſertim diebus.

IV. Capitularia hujuſmodi tempus jejuniis, precibus, & voluntariis afflictationibus pro criminum expiatione dicatum eſſe contendunt.

V. In Aula quoque Imperatoris celebrabatur.

VI. Reges & Epiſcopi non multum intereſſe inter Adventum & Quadrageſimam autumabant. Eo tempore pietati unicè vacandum eſſe exiſtimarunt.

VII. Adventus inſtar Quadrageſimæ hebdomadas ſex, ſive dies quadraginta jejuniorum & precationum complectebatur.

VIII. S. Ludovicus totos quadraginta hoſce dies jejunabat, & à re uxoria ſe abſtinebat. Aliis rationum momentis evincitur ejus ætate priſtinum morem abrogatum non fuiſſe.

IX.

IX. Edictum S. Caroli & Concilii Mediolanenſis IV. quo ſtatuitur accedendum eſſe ad Euchariſtiam, ſingulis diebus Dominicis Adventus.

X. Conſtitutiones aliæ S. Caroli de frequenti Communione in Quadrageſima & Adventu, & de moribus veteris Eccleſiæ non negligendis ab animarum Paſtoribus.

XI. Egregiæ S. Caroli preceptiones, ut revocentur in Adventu jejunia, preces, ſynaxes, & majorum religio.

I. ADventus Divino cultui & pietatis ſtudio addictus eſt. In poſtremis duobus Capitibus patuit, Dominicis diebus ſedulò vacandum fuiſſe precibus, cunctiſque Chriſtianæ Religionis officiis. Hinc ſponte ſua ſequitur ſanctius peragendos fuiſſe primos hoſce hebdomadæ dies in Adventu.

II. In Tractatu de jejuniis altiùs repetendam duximus Adventus originem, egimuſque de additamentis quæ annis conſequentibus acceſſere. Fieri autem minimè poteſt quin plura huc ſpectantia ex eo opere in medium afferamus. Cœpit modus præſtitui pietati ac ritui huic in Synodo Matiſconenſi I. An. 581. quæ ſtatuit indicenda eſſe jejunia, poſt S. Martini Solennia, ter quavis hebdomada, & Sacrum ut in Quadrageſima peragendum: *Ut à feria S. Martini uſque ad Natale Domini, ſecunda, quarta, & ſexta Sabbati jejunetur, & Quadrageſimali ordine Sacrificia debeant celebrari.* (Can. 9.) Canon hic nos admonet nihil ferè primùm interfuiſſe inter Adventum & Quadrageſimam Nativitatis. Quapropter ut Quadrageſima uſque ab exordio Eccleſiæ inſtituta fuit, ut præiret Paſchati, ita poſteà Adventus ut viam ſterneret ad natalem Servatoris diem. Idem ex jejuniis intelligimus; ſiquidem poſtremo Capite vidimus alicubi ſæpè in hebdomada jejunia ſoluta fuiſſe; dierum verò numerus propè aberat à Quadrageſima, quum Adventus poſtridie S. Martini indicebatur. Quid? Quod ſæculis quæ conſequuta ſunt vocabatur quandoque Quadrageſima, vel Nativitatis Quadrageſima.

III. Quorſum verò hæc, niſi ut quivis meliùs intelligat dies Dominicos Adventus non minore pietatis ſtudio peragendos eſſe, quàm conſimiles Quadrageſimæ dies, de quibus quoque aliàs agemus. Synodus Turonenſis II. Ao. 567. jecit fundamenta Adventus; Monachis enim jejunium induxit ter ſingulis hebdomadis Septembris, Octobris, & Novembris, & toto menſe Decembri (Can. 17.) uſque ad Chriſti Natalem diem: *De Decembri uſque ad Natale Domini omni die jejunent.* Turonenſis Canon Monachos, Matiſconenſis Laicos quoque ſpectabat. Affert Gregorius Turonenſis jejunia in Eccleſia ſua conſtituta à S. Perpetuo Archiepiſcopo. Jejunabatur ibi ter ſingulis hebdomadis à S. Martini Celebritate ad Servatoris Nativitatem. Non unum igitur erat Adventus initium, quum à quibuſdam duceretur à S. Martini Feſto die, à quibuſdam verò à Calendis Decembris. Sanè jejunii tempus frequentioribus Eccleſiæ precibus, & Evangelii interpretationibus colebatur; maximè Dominici dies, quibus pariter frequentiùs Divinum Euchariſtiæ Convivium agitabatur.

IV. In Capitularibus Caroli Magni totos quadraginta dies durat Adventus, vocatus idcircò Quadrageſima: (Capitular. l. 6 c. 184.) *Legitima jejunia &c. Quadraginta dies ante Nativitatem Domini.* Reperitur hic à Chriſtianorum moribus & conſuetudine origo Adventus, qui tamen dicitur eſſe precibus, jejuniis, & criminum expiationibus dicatus: *Quanquam enim nonnulla ex his jejuniis Canonica priventur auctoritate; nobis tamen omnibus ſimul propter conſuetudinem plebis, & parentum noſtrorum morem hæc obſervare convenit. Et licèt omnibus diebus orare & abſtinere conveniat; his tamen temporibus ampliùs jejuniis & pœnitentiæ ſervire oportet.*

V. De hac quidem Conſtitutione mirari ſubit: Etenim Carolus Magnus, vel Ludovicus Pius jubet obſervari ubique Adventum, quamvis Canones neminem ad id cogerent; nititur autem vetuſta populi conſuetudine, & majorum ſuorum exemplo: *Propter conſuetudinem plebis, & majorum noſtrorum morem;* quod argumento eſt ciborum in Adventu delectum, & cætera religionis officia adhibita fuiſſe in Aula quoque, illiſque obnoxios extitiſſe Imperatores ipſos, quinimmò eorum exemplum facem cæteris prætuliſſe.

VI. Quapropter Galliæ Antiſtites à Carolo Calvo Rege poſtularunt, Anno 846. ne eos avocaret ab Eccleſiis in Adventu vel Quadrageſima, ob (Capitular. Baluz. p. 13. c. 2.) Regni negotia, vel ob bellicas expeditiones; conſulendum enim tunc erat populo, Confirmatione plures initiandi, Verbum Dei promulgandum, & munera cætera implenda: *Ut regia magnificentia liberiorem libertatem Epiſcopis ad ſuum peragendum in eorum Parochiis miniſterium, quàm hactenus propter varias perturbationes habuiſſent, maxime in ſacratiſſimis temporibus, Quadrageſimæ ſcilicet & Adventus Domini tribuat; quatenùs periculum Epiſcopi & Regia dignitas ſalubriùs pro miniſterio ſibi commiſſo, neglecto, poſſint evadere &c.*

VII. Videbatur etiamtum Adventus, quemadmodum Quadrageſima tempus quoddam quo Sedes ab Epiſcopis relinquendæ non erant, ut exhibito virtutum exemplo, & ſanctiſſimis præceptionibus, ſtudia tantis myſteriis digna excitarent. Non ita multò poſt Nicolaus I. Pontifex Maximus tradens Bulgaris recens in Eccleſiam conpratis leges moreſque Catholicæ Eccleſiæ, meminit Quadrageſimarum quatuor, quarum una Adventus fuit, vetuſtiſſimus in Eccleſia Romana: *Necnon jejunia ante Natalis Domini Solennitatem, quæ jejunia Sancta Romana Eccleſia ſuſcepit antiquitùs.* Eadem Nativitatis Quadrageſima, ex Amalario, quadraginta dies celebrabatur: *Nos obſervamus tres Quadrageſimas, ante Paſcha Domini, ante Feſtivitatem S. Joannis, & ante Nativitatem Domini.* (De Off Eccl. l 4 c. 37 & l. 2. c. 36.) Nec ab his abhorret Petrus Damiani: *Initio illius Quadrageſimæ, quæ Nativitatem Domini ex inſtitutione Eccleſiaſtica præcedit.* (L. 3. ep. 10.) Alibi non obſcurè innuit longius fuiſſe ejuſmodi temporis ſpatium, adeòque iſtos quadraginta dies duraſſe: *Planè quum tam longum Quadrageſimæ ſpatium, quod à Patribus eſt præfixum, Nativitati Domini militare cognoſcitur.* (L. 3. ep. 37.) Radulpho Tungrenſi Decano teſte, Adventus ſex hebdomadas Mediolani complectebatur: ducebatur ejus initium Romæ à primo die Dominico poſt S. Catherinæ Solennia, & ibidem jejunio, ejus ætate, celebrabatur: *Adventus Domini apud Romanos incipit prima Dominica poſt craſtinum Catharinæ. Ambroſianus Adventus habet ſex ſeptimanas, & incipit Dominica poſt Martini. Apud Romanos etiam in Adventu Domini jejunium agitur.*

VIII. In Gallia quoque totos quadraginta dies Adventus agebatur ſtatis precationibus & Chriſtianarum virtutum officiis uſque ad Sanctum Ludovicum Regem. Memoriæ enim prodidit Bonifacius VIII. eum Sanctorum faſtis adſcribens, pium hunc Regem ex nobili Caroli Magni ſtirpe ortum quadraginta hoſce dies precibus & jejuniis vacaſſe: *Quadraginta dies Feſtum Nativitatis Domini præcedentes in jejuniis & orationibus exigebat.* (Rainaldus Ann. 1297. p. 64.) Huc accedit tum ipſum tum regiam conjugem, eo monente, Adventus & Quadrageſimæ diebus à re uxoria abhorruiſſe, ut patet ex ejus geſtis deſcriptis à Gaufrido de Bello Loco, qui ei à ſacris Confeſſionibus erat: *De conſenſu uxoris ſuæ Reginæ, per totum Adventum, & per totam Quadrageſimam ab opere car-* (Du Cheſne t. 5 p. 448.)

nali

nali mutuò continebant. Inſuper in Solemnitatibus, quibus communicare debebat. Ipſa quoque Dominici diei ſanctitas à re uxoria avocabat conjuges. Quo factum eſt ut Dominici dies Adventus expiationi ſcelerum addicti non una de cauſa caſtè & piè peragendi forent. Ad eundem pudorem, temperantiam ciborumque delectum hortatur litteris ſuis Diœceſin Ratherius Epiſcopus Veronenſis; tamen fas eſſe putat carnibus veſci diebus ſolennioribus: *In Adventu Domini, niſi Feſtivitas intercedat, quatuor hebdomadibus, à carnibus noveritis abſtinendum, & cetera.* Quare nuptiis interdictum erat, tum in Adventu, tum in Quadrageſima. Hanc Eccleſiæ conſuetudinem, anno 1022. tradit Canon Synodi Salingeſtadienſis: *De legitimis autem conjugiis, ita viſum eſt, quod nullus Chriſtianus uxorem ducere debeat ab Adventu Domini uſque in Octavas Epiphaniæ.*

Spicil. t. 2. p. 264.

IX. Dum ergo S. Carolus ſatagebat ut ſingulis quibuſque diebus Dominicis Adventus populus Chriſtianus ad Euchariſtiam accederet, mores & Canones Eccleſiæ priſtinos ad lucem revocabat. Jejunium enim animum perpurgat; cui major munditia & decor accedit, Euchariſtiæ, ſeu Corporis Chriſti, ope. En verba Concilii Provincialis Mediolanenſis IV. cui præfuit tantus Antiſtes, quodque Silverio Romano Pontifici accedit, dum Euchariſtiam recipi jubet Dominicis ſaltem Adventus & Quadrageſimæ diebus: *Parochus autem cum ad eum frequentiſſimum Sacramentorum uſum Parochiæ ſuæ fideles cohortetur, ut Provinciali tertio Concilio ſancivimus, tum crebris monitis illud quod Sylverius Pontifex Maximus ſtatuit, in conſuetudinem revocare ſtudeat, ut qui ſæpius non communicant, ſingulis ſaltem Dominicis diebus in Quadrageſima Corpus Domini ſumant, ac præterea diebus Dominicis Adventus.*

Acta Eccl. Mediol. p. 236. 359.

X. Idem repetit S. Carolus in IV. Diœceſeos Synodo, mentemque ſuam clariùs aperuit in præceptionibus de frequenti Communione. Vult enim ut Parochi ſuarum partium eſſe arbitrentur populum hortari ut ſe componat ad præſcriptum Eccleſiæ veteris, Patrum, & Tridentinæ Synodi, quæ in votis habebat non tantùm arcanam quandam & myſticam populi Synaxin quoties ſacrum Miſſæ peragitur, verùm etiam ipſam Euchariſtiæ diſtributionem. Neque enim uno tantùm Paſchali die, quod omninò Eccleſia præcepit, id fieri oportebat, ſed in quavis Celebritate Redemptoris noſtri & Deiparæ, ac quolibet Dominico die Quadrageſimæ & Adventus: *Ad ſaluberrimum igitur hujus Sacramenti frequenter ſumendi uſum Parochus fideles cohortabitur, atque excitabit, naſcentis Eccleſiæ inſtitutis ac exemplis & Sanctorum Patrum omnium conſentiente doctrina, ut ex Catechiſmo Romano diſcere poterit, & ſententia Oecumenicæ Synodi Tridentinæ, quæ optaret quidem fideles in ſingulis Miſſis non ſolùm ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicare: curabit certè ut præter Paſchatis Communionem, quæ Eccleſiæ præcepto neceſſaria eſt, ſaltem in præcipuis Solennitatibus, veluti Natali Domini, Epiphania, Pentecoſte; in diebus item Feſtis Majoribus Beatæ Mariæ Virginis communicent. Crebris præterea monitis, illud quod beatiſſimus Sylverius Pontifex ſtatuit, ut qui ſæpius non communicant, in Quadrageſima ſaltem Dominicis diebus Corpus Domini ſumant, & die item Cœnæ Domini ex antiquo inſtituto, ac præterea in Adventu idem præſtent.* Aurea tanti Præſulis præcepta, quanquam longiuſcula, in medium proferre operæ pretium fuit, ut ex illis intelligeremus, 1. Eandem Dominicorum dierum Adventus & Quadrageſimæ haberi rationem. 2. Utroſque illos pertinere ad priorem illum ordinem Celebritatum Servatoris atque Deiparæ, quod attinet ad ſacram Euchariſtiæ Synaxin. 3. Optaſſe Eccleſiam ſemper, ut populus Chriſtianus frequens Euchariſtiæ particeps foret; & nonnihil de ſuo jure concedere dum id poſtulat ſingulis ſaltem Adventus & Quadrageſimæ Dominicis diebus. 4. Ob hujuſmodi Chriſtianæ Religionis officia, Eccleſiæ Paſtores & Sacrorum interpretes animum adjungere oportere ad priſca Majorum noſtrorum inſtituta; ad Pontificum Maximorum ſanctiones, & S. Patrum documenta. His enim adhibitis torpens virtutis ſtudium excitare debent, & priſtinam Majorum pietatem in lucem revocare.

Acta Eccl. Mediol. p. 322.

XI. In vernaculis litteris ad Mediolanenſem Diœceſin datis, animadvertit S. Carolus, eo in Eccleſia Mediolanenſi Adventum hebdomadas ſex peragi, quo viam ſternat Dei Filio à Patre ad nos miſſo: Quotidie in Adventu, ſubceſſivis ſaltem horis, cæteris occupationibus curiſque miſſis, animo recogitandum eſſe, ecquiſnam ad nos adveniat, unde & quomodo adveniat, pro quibuſnam, & quamobrem huc è Cœlo deſcendat, ac quiſnam fructus ex ejus adventu reportandus: Parandum eſſe animum precibus, votiſque Prophetarum, Sanctorumque Virorum veteris Legis, qui adeò ejus deſiderio flagrabant; ſcelera expiando ſacra exomologeſi, ſynaxi, & jejunio: Obſervata aliàs fuiſſe Adventus totius jejunia, ac ſi unum fuiſſet Natalis Chriſti diei pervigilium; quale ſcilicet tantæ Celebritatis ſanctitas atque dignitas poſtulabat: Par eſſe ut quicunque pietati ſtudet, ſemel vel pluries etiam ſingulis hebdomadis ſe à lautioribus epulis, & gulæ irritamentis abſtineat: Opem prolixè ferendam egentibus tum quum Æternus Pater largitur nobis, idque quotannis Filium ſuum, theſaurum ſcilicet omnibus opibus, beneficiiſque refertum: Denique tunc maximè intendendum eſſe animum in virtutum exercitationes, & in librorum optimorum lectionem, atque ita parandum ad priorem hunc Divini Verbi Adventum, ut alterum expectare liceat non tantùm ſine pavore, verùm cum ingenti illa ſpe & voluptate quæ à vitæ integritate oriuntur.

Acta Eccl. Mediol. p. 1012. & ſeq.

Vigilantiſſimus Præſul repetebat identidem ea edicta & hortationes in ſacris Comitiis ſuis, qua Provincialibus, qua Urbanis, & in Litteris pluribus ad Eccleſiam ſuam datis; in quarum unis etiam atque etiam petit ut ſacra Euchariſtiæ Synaxis in priſtinum morem revocetur, ſingulis primis hebdomadæ diebus, jejuniis quoque quartis, ſextis, & ſeptimis Feriis, ſi minùs toto Adventus tempore.

Acta Eccl. Mediol. p. 1012.

Atque utinam hæc præſtarent omnes Sacrorum Antiſtites! Quamprimùm enim Majorum in Adventu pietas, atque religio floreret. Exordium duxit Præſul ſanctiſſimus à propria domo, ubi Clerici quilibet ex veteri Eccleſiæ inſtituto, quemadmodum in Quadrageſima uiuvenir, veteris epulis abſtinebant: *Per Adventum autem, ſecundum antiquam Eccleſiaſticorum hominum conſuetudinem, cibis Quadrageſimalibus utantur.*

Acta Eccl. Mediol. p. 321.

C A P U T V.

De Celebritate Conceptionis Deiparæ.

I. Conſtantinopoli inſtituta eſt hujuſmodi Celebritas.

II. Lugduni quoque eadem ferè ætate.

III. Anteà tamen in Anglia, opera præſertim S. Anſelmi, ut ex quodam Londinenſi Concilio intelligitur.

IV. In Armenia pariter celebrabatur.

V. Complures Britannorum Conſtitutiones.

VI. Difficilè in Gallia peracta.

VII. Non levis eſt conjectura commentitium eſſe

De-

Decretum Legati Gallonis pro ea indicenda.

VIII. Serò tandem Romæ celebrata; ante tamen Baſileenſe Concilium.

IX. Sapienter ſe geſſit S. Bonaventura in hujus Feſti diei inſtitutione, necdum enim Romanæ Eccleſiæ auctoritas acceſſerat.

X. Henricus Gandavenſis animadvertens Solennia hæc ubivis peragi, aliam propoſuit quæſtionem, videlicet colereturne Conceptio, an Sanctificatio Deiparæ.

XI. Sancti viri Bernardus atque Bonaventura, idcircò in his nutabant, quòd neque univerſa Eccleſia, neque Urbs hujuſmodi Celebritatem ageret.

XII. Uterque Eccleſiæ Legibus morem geſſerunt antequam ferrentur.

XIII. Indictus eſt Feſtus hic dies ſine ullo Veterum Patrum contemptu, quandoquidem plures pariter ab illis inſtituti ſunt citra antiquiorum injuriam.

XIV. In myſtico Chriſti Corpore, quemadmodum etiam in vero, quotieſcumque videbatur aliquid novi in iis, quæ ad pietatem & ſapientiam pertinent, nullum erat reipſa novarum rerum ſtudium, nihil diverſum, ſi res penitiùs introſpiciatur.

XV. Auctor eſt Gerſon poſſe recentes Eccleſiæ Doctores veteribus ſapientia antecellere.

XVI. Nonnulla afferuntur quæ ſententiam illam labefactant.

XVII. Quanquam juniores quandoque veteribus Eccleſiæ Doctoribus tanquam ſanctioribus concedunt, nihilominùs eadem auctoritate præditi ſunt in quæſtionibus ſolvendis.

XVIII. Mira Latinæ Eccleſiæ cunctatio & ſapientia in Conceptione peragenda.

XIX. Et in ſententia ferenda de eadem.

I. VEtuſtiſſimum monumentorum omnium de Conceptione Deiparæ, ut vidimus Libro ſuperiore, Feſtos dies ſecundùm annorum ſeriem enumerantes, eſt Conſtitutio à Balſamone adducta Comneni Cæſaris, qui Imperii Byzantini habenas moderari cœpit anno 1143. mortem verò obiit ann. 1180. Adſcripſit verò ſacris faſtis Conceptionem Virginis nono Decembris die: *Nona Decembris, utpote quòd in ea peragatur Conceptio caſtiſſimæ Matris Dei noſtri.* Eadem ferè ætate, anno 1145. celebrantibus nonnullis hujuſmodi Solennia Lugduni, Canonici illius Eccleſiæ eadem probarunt, & peregerunt, exagitati propterea à S. Bernardo Claravallenſi Abbate. Hic quidem, ut diximus, non tam eam Celebritatem, quàm Canonicos acriter perſtrinxit, quòd novis rebus ſtuderent, & Feſtos dies probarent, non accedente Eccleſiæ Romanæ auctoritate, cui ipſe plurimum deferebat.

II. Meminit S. Bernardus cujuſdam viſionis, qua recentium Solennium indictio nitebatur, in Litteris ſuis. Id verò tribuebatur à quibuſdam, ex Baronio, Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo; etſi Archimandrita quidam extitit, qui mari, ſæva jactatus procella, audire ſibi viſus eſt, fore ut ſecundo vento uteretur, & incolumis navem ad littus appelleret, ſi Deiparæ Conceptionem ſolenniter celebrandam curaret. Conjicitur reipſa indictam fuiſſe primùm in magna Britannia, eam maximè probante ac vindicante S. Anſelmo, qui mortuus eſt anno 1109. In notis ad Martyr. Roman. die 8. Dec.

III. Non igitur in Oriente primùm à Græcis fuit inſtituta, ſed in Occidente, atque, ut veriſimillimum videtur, in Anglia. Teſtatur autem Synodus Londinenſis anno 1328. acceptam referendam eſſe S. Anſelmo, qui tamen viſus eſt inſiſtere veſtigiis quorundam, qui eam paulò antè peregerant. Sed quando ritu longè ſolenniore illam coluit Sanctus Cantuarienſis Antiſtes, ſanxit Concilium ut celeberrima foret. Ante Anſelmum ergo Archiepiſcoporum obſcurior erat, vixque agebatur à nonnullis fortaſſe Cœnobitis. Hic Cantuariæ eandem inſtituit, unde quoquoverſum in omnem Angliam permanavit. At piè tantùm colebatur, quoad accederet Londinenſis Concilii auctoritas & præceptum, ſublato quovis illiberali opere: *Venerabilis Anſelmi prædeceſſoris noſtri, qui poſt alia quædam ipſius antiquiora Solennia, Conceptionis Solenne ſuperaddere dignum duxit, veſtigiis inhærentes, ſtatuimus, & firmiter præcipiendo mandamus, quatenus Feſtum Conceptionis prædictæ in cunctis Eccleſiis noſtræ Cantuarienſis Provinciæ feſtivè & ſolenniter de cætero celebretur.* Conc. Angl. t. 2. p. 494. Voces illæ *feſtivè & ſolenniter* indicant Canone hoc ſublata tantùm fuiſſe opera, ut ſolennioribus diebus uſuvenit.

IV. Matthæus Pariſienſis memoriæ prodidit, magnæ Armeniæ Patriarcham, anno 1228. in Occidentem ſe recepiſſe, & mare tranſmiſiſſe, ut in Britannicis Inſulis plurima ſacra Lipſana viſeret, atque veneraretur. Petitum eſt ab eo in S. Albani Monaſterio degente, celebrarenturne in Armenia Conceptionis Deiparæ Solennia, qui non tantùm repoſuit, peragi, verùm prodigiis etiam, ut ferebatur, inſtituta: *Interrogatus ab uno Monacho, ſi in partibus ſuis Conceptio Beatæ Mariæ celebraretur, reſpondit, celebratur utique, quia Angelo nunciante Joachim dolenti, & inhabitanti tunc deſertum, ipſa Conceptio facta eſt.* Non parvi refert noſſe celebratum fuiſſe Feſtum hunc diem in Armenia; verùm rumores, vel lepidæ fabellæ quæ in vulgus ſpargebantur, nihil pertinent ad illius ſanctitatem; vehemens enim eſt conjectura horum plurima niti ſermonibus eorum, qui facilè vel temerè credunt. Verùm quum id ex Patriarcha Monachus curiosè ſciſcitaretur, non videtur Conceptio altas adhuc radices in Anglia egiſſe, ſed deſideratam fuiſſe Eccleſiarum cæterarum conſenſionem.

V. Equidem Vigornienſis Synodus, An. 1240. Eccleſiæ faſtos fuſiùs digeſſit, miſſa Conceptione, tametſi alia Deiparæ Solennia complectitur, ut è Spelmanni Conciliis patet. Synodus Exonienſis, An. 1287. Conceptionem menſe Decembri conſignavit. Pag. 659. Sed Spelmannus idem publici juris fecit Catalogum dierum Feſtorum editum à Richardo Arundellio Archiepiſcopo Cantuarienſi, circa annum 1400. ubi eadem Celebritas notatur menſe pariter Decembri. Non igitur dubitandum eſt quin in Anglia omninò obſervanda fuerit ſub initium Sæculi XIV. aut non ita multò pòſt.

VI. Quod ad Galliam, S. Bernardi conqueſtiones de Lugdunenſi Conceptionis Celebritate, indicant ſerò tandem peractam eſſe à Regni illius Eccleſiis, quod confirmant Litteræ Petri Cellenſis. L. 9. ep. 10. Tradit Beleſhus alicubi quidem eam celebratam, ſed calculum ſuum minimè adjicit, & ratam non exiſtimat: *Feſtum Conceptionis aliqui interdum celebrarunt, & adhuc fortaſſis celebrant, ſed authenticum, atque approbatum non eſt; immò enimverò prohibendum potius videtur.* De div. off. c. 46. Nec abhorret ab hac ſententia Durandus Præſul Mimatenſis: *Quod tamen non eſt authenticum, unde non eſt approbandum.* L. 7. c. ... de Div. Offic.

VII. Ob hujuſmodi loca dubitare quis poſſit de Edicto Synodi Gallonis Sedis Apoſtolicæ Legati, ubi Conceptionis Solennitas Sedis Apoſtolicæ auctoritate probata dicitur, Innocentio III. Pontifice, *Conceptio B. Mariæ hodie de mandato Sedis Apoſtolicæ celebratur.* Sanè Decretales Litteræ Gregorii IX. rem confeciſſent, niſi generatim dumtaxat de omnibus Deiparæ Feſtis diebus egiſſent: *Feſtivitatum omnium Virginis Glorioſæ.* Verùm quoniam Cardinalis Gallonis ſanctio extat apud unum Buchellum, & nuſquam cum cæteris ejuſdem Cardinalis Conſtitutionibus compareat in Conciliorum Collectionibus, ab ea Synodo abjudicanda videtur. Buchel. l. 4. Decr. Eccl. Gall. t. 9. c. 13. p. 578.

VIII. Veriſimillimum quoque eſt probata fuiſſe Con-

ſe Conceptionis Solennia ab Eccleſia Romana multò poſt Innocentium III. Pontificem, neque ullum extitiſſe ea de re Edictum quum Baſileenſe Concilium cogebatur. Etenim anno 1439. ſtatuit ea Synodus ſeſſ. XXXVI. peragenda eſſe ex veteri & laudabili more: *Renovantes prætereà inſtitutionem de celebranda ſancta ejus Conceptione, quæ tam per Romanam, quàm per alias Eccleſias, ſexto Idus Decembris, antiqua & laudabili conſuetudine celebramus*. Sixtus IV. anno 1476. eam reddidit celeberrimam Eccleſiæ theſauris, & Conſtitutione edita.

Extrav. Com. l. 3. tit. 12.

IX. En primum Romanæ Sedis Decretum ad confirmandum religioſum Conceptionis diem; ſiquidem Concilii Baſileenſis ætate, moribus tantum populi Chriſtiani colebatur, *antiqua & laudabili conſuetudine*. Nam ſi ullum Sedis Apoſtolicæ Edictum extitiſſet, dum Innocentius III. Eccleſiæ præerat, S. Bonaventura, annis ferè quinquaginta elapſis, neutiquam dixiſſet, coli ab Eccleſia unam Filii Dei Conceptionem; agere quidem nonnullos Mariæ quoque Conceptionem, ſe tamen neque id probare, neque carpere, quum Majores noſtri clariore lumine perfuſi, & B. Virginis cultu inſigniores, alia ejuſdem Solennia celebrarent, ne verbo quidem de Conceptione facto: Adduci quidem viſa & oſtenta pro ea indicenda, ſed quum rata minimè forent, quanquam religionem minimè laceſſebant, ſatius eſſe, eam neque adprobare, neque damnare: *Nullius Conceptionem celebrat Eccleſia, niſi ſolius Filii Dei Annunciatione B. Mariæ Virginis. Sunt tamen aliqui, qui ex ſpeciali devotione celebrant Conceptionem B. Virginis, quos nec omninò laudare, nec ſimpliciter audeo reprehendere. Non omninò adprobare audeo, pro eo quod Sancti Patres qui alias Solennitates Virginis, Spiritu Sancto docente, ſtatuerunt, qui etiam magni amatores & veneratores B. Virginis fuerunt, Solennitatem Virginis ſolemnizare non docuerunt &c. Non etiam omninò audeo reprehendere, quia ut quidam dicunt, hæc Solennitas celebrari cœpit Divina revelatione &c. Sed quia hoc authenticum non eſt, non compellimur credere; quia etiam contra fidem rectam non eſt, non compellimur negare.*

L. 3. dist. 3. p. 1. q. 2.

Non poſſumus quin maximis laudibus eximiam hanc animi moderationem proſequamur, eo maximè tempore, quo nondum mentem ſuam, neque Eccleſiæ complures, neque Romana cæterarum princeps aperuerant. Quòd ſi S. Bonaventuræ ætate ea Celebritas in Urbe peracta fuiſſet, vel Innocentius III. ejuſve Legati illam probaſſent, longè aliud dicendi genus vir Sanctus uſurpaſſet.

X. Recens ab ætate Bonaventuræ fuit Henricus Gandavenſis. Tunc verò nullus quærebat an Virginis Sanctæ Conceptio colenda eſſet; ſed quum id extra omnem dubitationis aleam poſitum videretur, vocabatur potiùs ad examen, utra celebrari dicenda eſſet Deiparæ Conceptio, an ſanctificatio. Enimverò quum adhuc lis ſub judice ſit, neque Eccleſia judicium ſuum de peccati labe, primo temporis puncto, unquam interpoſuerit, coleret autem etiam tum ubique gentium Conceptionem Matris Dei, adnotatum fuit intereſſe aliquid inter Conceptionem naturæ ope, atque Sanctificationem divinæ Gratiæ præſidiis collatam, ut partium utrarumque homines ſe invicem diligentes, Feſtum hunc diem læti agitarent.

Quodl. 15. quæst. 13.

XI. Cæterùm quamvis Bernardus atque Bonaventura non admodum diem hunc probaverint, quòd Veteres Eccleſiæ Patres nobis pietate & ſapientia longè antecellant; tamen plura adnotari debent. Primò uterque loquebatur ita quum Solennia illa privata tantùm forent, non Eccleſiæ univerſæ, non Urbis; licebat igitur expendere rationum momenta. Secundò, quum aliquot Eccleſiæ Conceptionem agerent, Claravallenſis Doctor Romanam conſulendam cenſuit; Bonaventura Celebritatem illam improbare vitio ſibi vertiſſet; credidit autem nihil cum religione pugnare oſtenta ac prodigia quæ in vulgus ſpargebantur, tametſi nutare arbitrabatur. Itaque ſapienter ſe geſſit neque illis accedendo qui facilè cuncta probabant, neque illos damnando qui Eccleſias quaſdam ſequuti à Fidei dogmatis non abhorrebant.

Tertiò, uterque ita paratus videbatur, ut ſi in præſentia degeret, omni animi contentione novum hunc morem & Eccleſiæ cultum complecteretur. Nam qui Eccleſiæ ſanctionibus auſcultarunt antequam ederentur, quantò magis ei obſequerentur, poſtquam ſæcula complura, plurimæ privatæ & univerſa Eccleſia Conceptionem celebrarunt?

XIII. Quartò, recens hæc Celebritas primùm inſtituta eſt, & deinceps confirmata ſine ullo prorſus contemptu antiquitatis Eccleſiæ & Patrum qui eidem ornamento fuere. Majorum enim veſtigiis inhærere Eccleſia viſa eſt, non quicquam ab illis deſciſcere; qua quidem re maximo vetuſtatis ſtudium continetur. Patrum plurimi Feſtos dies identidem inſtituerunt antiquioribus minimè perſpectos, nec propterea ſugillandi ſunt quòd parum eorum pietati aut ſcientiæ detulerint. Martyrum Solennia nonniſi poſtquam Apoſtoli è vivis exceſſerant indicta videntur ab illis, qui ſe Apoſtolis ſapientia & religione præſtare haudquaquam crediderę. Diu poſt peractæ ſunt in Occidente maximæ Confeſſorum Celebritates; Deiparæ autem ſacri dies, etiam ſolenniores, multò recentiores extitere. Serò veteris Legis Sancti Viri coli, ſerò Angeli cœperunt. Sacrarum Ædium Dedicationes & Solennia celebrata ſunt poſtquam Conſtantinus Cæſar Idolorum cultum execratus eſt. Circumciſio quoque & Transfiguratio poſt illuſtriores Eccleſiæ Patres, recens inſtitutæ ſunt.

XIV. Additamenta hæc omnia pietatis & religionis non à perfrictæ frontis hominibus orta ſunt qui Majoribus noſtris præſtare ſe fuerint arbitrati. Sentiendum eſt de myſtico Chriſti Corpore idem quod de verò, ut identidem monuimus. Evangelio docente, accedere videbantur Chriſto continenter nova Sapientiæ & Gratiæ incrementa; non quòd Æterna Dei Sapientia, quanquam humana carne induta, ejuſmodi ſcientiæ & virtutis additamentis ornari poſſet; ſed ut naturæ noſtræ, ejuſque legibus morem gereret, ſecundùm annorum ſeriem, novis ſcientiæ pietatiſque radiis, magis magiſque ſplendeſcere videbatur; etſi uſque à primo Incarnationis tempore numeris omnibus eſſet abſoluta. Hoc idem in Eccleſia uſuvenit, quæ Traditionem conſulendo, enucleat varia dogmata & pietatis officia recens inſtituta, quum anteà non oporteret interpretationes hujuſmodi adhibere, & Patrum Traditiones magis dilucidè explicare. Inerat uſque ab ejus primordiis in Eccleſia uberrimum Divini Spiritus lumen, atque etiamnum ineſt; ſed tum tantùm lucet quum opus eſt, regente Eccleſiam ſuam, eique proſpiciente Æterna Dei Providentia, quæ humanum genus gubernat tanquam ſingulos homines, & ſingulos ut omne genus humanum, quemadmodum poſtulant ætatis cujuſque mores & decor.

XV. Aliam inſiſtere viam viſus eſt Gerſon contendens Deum recentes Eccleſiæ Doctores illuſtrando, nonnulla eos docere quæ olim tenebris offuſa latebant. Moſes, ex eodem, plura Abrahamo novit, plura Moſe Prophetæ, Prophetis Apoſtoli; & Veteres Patres ab Apoſtolorum ætate recentes plura retexerant quæ illi prætereunda exiſtimaverant. Quid igitur mirum ſi quædam ab antiquis prætermiſſa juniores tradiderunt, ut Deiparæ ſine labe Conceptionem? *Spiritus Sanctus* T. 4. p. 1.

in-

interdum revelat Eccleſia vel Doctoribus poſterioribus aliquas virtutes vel expoſitiones ſanctæ Scripturæ, quas non revelavit eorum prædeceſſoribus. Ideò Moyſes ſcivit plus quàm Abraham, Prophetæ quàm Moyſes, Apoſtoli quàm Prophetæ. Et Doctores addiderunt multas veritates ultra Apoſtolos.

XVI. Seligat Lector ſententiam quam maluerit, quanquam Gerſonis verba magnis ſunt obſtructa difficultatibus. Equiſnam facilè crediderit Moſem Abrahamo ſcientia præcelluiſſe, Moſi Prophetas? Sed Eccleſiæ Patres Apoſtolis præſtaſſe longè difficilius eſt creditu. Non ea fuit Patrum mens, qui nihil in ſeipſis ſolidum, nihil ſcitu dignum eſſe arbitrati ſunt, præter id quod ab Apoſtolorum ſcriptis vel Traditionibus mutuò accepiſſent. Illud ſatius eſt exiſtimare, potuiſſe Patres tradere Eccleſiæ nonnulla quæ Apoſtoli ſilentio prætererunt, quæ tamen illis accepta retulere; quemadmodum Servator noſter ait, fore ut Apoſtoli prodigia ſuis majora patrarent, viribus tamen quas ſuis ipſe Diſcipulis conferret. Dei Verbum, æterna ſancti Spiritus origo, plurima huic reliquit Eccleſiæ tradenda; & eadem prorſus ratione Apoſtoli complura permiſerunt Doctoribus explicanda, quanquam omnia ab ipſis, eorumque Traditionibus Doctores iidem repetunt. Eodem quippè Veritatis & Jeſu Chriſti Spiritu imbuti fuerunt Apoſtoli, antiqui Patres, & recentiores, qui cujuſque ætatis Eccleſiæ rationem habentes, plura identidem interpretantur, eo docente, maximè in abdito mentis receſſu.

XVII. Subjicit Gerſon recentiores tum Doctores, tum Antiſtites perſæpè vetuſtioribus concedere, ſi unam morum ſanctitatem ſpectemus; *Ibidem.* minimè verò ſi ſermo ſit de poteſtate regendi Eccleſiam, & de religionis doctrina diſſerendi: *Omni tempore Doctores in Sacra Scriptura inſtructi auctoritatem habent exponendi & declarandi veritates quæ ex ipſa ſequuntur, ſicut habuerunt Doctores antiqui. Et ſi dicas, quòd non habent talem ſanctitatem, hoc non impedire quin talem habeant auctoritatem: quemadmodum Prælati novi ſimilem habent auctoritatem cum antiquis ad eorum populum gubernandum, licèt non talem habeant ſanctitatem.* Idem Dei & Veritatis Spiritus perpetua annorum ſerie Eccleſiam ſuam procurat & erudit ope Apoſtolorum, veterum Patrum, & recentiorum Doctorum. Longè quidem diverſa ſunt hujuſmodi præſidia; ſed unus idemque Spiritus his omnibus adminiſtris utitur, Eccleſiæ ſuæ Templum ampliſſimum conſtruens.

XVIII. Sextò tandem, non tantùm Eccleſiæ judicium carpendum modò non eſt, hac præſertim in re, tanquam leve, vel præceps, verùm difficillimum etiam eſt aliquid in Eccleſiaſtica Hiſtoria reperire, ubi magis Eccleſiæ moderatio, & ſapientia eniteat, ſive de Conceptionis Solenniis agamus, ſive de Virgine ipſa ſine labe Concepta. Nam ſuſpenſo primùm animo, & à præjudicatis opinionibus libero, expendit originem Celebritatis hujus in Anglia. Anſelmus fundamenta jecit, nec tamen niſi elapſis ducentis annis rata dici potuit. Lugdunenſis Eccleſia Anſelmum ſequuta eam indixit, nec tamen cæteræ Lugdunenſi acceſſerunt, niſi poſt aliquot ſæcula. Quid laude & admiratione dignius moderatione ſimul, libertate & ſcientia Bernardi, atque Bonaventuræ, qui nova Solennia exagitarunt? Ob hujuſmodi dumtaxat cunctationem prima Solennis hujuſce Celebritatis origo à Latina Eccleſia non repetitur. Enimverò quamvis in magna Britannia & in Gallia fortaſſe coleretur ante Comneni Cæſaris ſanctionem; nihilominùs ob Regale ejuſmodi Edictum Oriens totus Conceptionem celebravit, antequam universè in Occidentis regionibus ſolennis evaderet; quanquam laudari ſatis pro dignitate nequit ea cunctatio in novis id genus rebus. Itaque Romanæ Eccleſiæ ſententia in Conceptione peragenda & legibus tandem à Sixto IV. Pontifice latis omnium minimè præceps fuiſſe dicenda eſt. Tunc enim nemo quicquam de Feſto Conceptionis die in dubium ampliùs vocavit, ſaltem in alterutra ex ſententiis ab Henrico Gandavenſi allatis, immò pridem à S. Bonaventura & à plurimis Theologis adductis.

XIX. Quod pertinet ad celebrem de Conceptione ipſa diſceptationem, potuit ne ſapientiùs æquilibritas ſervari, quàm Sixti IV. Sanctionibus & Tridentinæ Synodi, quæ rationem haberi voluit Legis à Sixto latæ, litem reipſa ſub judice reliquit, edixitque ne quis vel pro concione, vel diſſerendo opinionem de Virgine ſine labe Concepta oppugnaret, vel hæreſeos poſtularet alterutrius ſententiæ vindices. Virginem primæ labi obnoxiam minimè fuiſſe ſenſerunt Theologi plures, atque Academiæ, fortaſſe etiam Concilia; non tamen ideircò Apoſtolica Sedes & Eccleſia Catholica vel huic opinioni, vel alteri cauſam adjudicavit. Interim permittenda ſunt cuncta Eccleſiæ & Divini Spiritus eam gubernantis ſapientiæ; qui ſcientiam lumenque ſuum eidem impertit ad enucleandas, evolvendaſque Traditiones, quemadmodum poſtulant Eccleſiæ ætates. Hæc verò Deum religioſè colit ea etiam adhibendo quæ in tenebris deliteſcunt.

CAPUT VI.

De Natali Chriſti die, & Epiphaniæ Celebritate.

I. Cur Chriſti Natalis dies ſtatus certuſque ſit, non Paſcha, ex S. Auguſtino.

II. Prioribus ſæculis non omnes Eccleſiæ Nati Servatoris Solennia peregerunt eodem hoc ratoque die.

III. Caſſianus aſſerit uno eodemque die in Ægypto, ideſt poſtridie nonas Januarii, celebratam fuiſſe Epiphaniam, Nativitatem, & Baptiſmum Chriſti.

IV. Adnotavit S. Auguſtinus Chriſtum in lucem prodiiſſe VIII. Calendas Januarias, tum quum dies augeſcunt, & Joannem ejus Prodromum quum imminui incipiunt, quòd nulla prorſus ſit omnis hominum virtus & excellentia cum Deo collata.

V. Cur ex S. Hieronymo non ſimul Epiphaniam & Nativitatem coli oporteat.

VI. Græci tandem Latinis acceſſere.

VII. Chryſoſtomo teſte, dum Antiochiæ pro concione ſacras Litteras interpretabatur, vix ante annos decem Nativitas Servatoris ibidem agebatur, à Latinis deſumpta.

VIII. Contendit Romanos rectè diem illum conſignaſſe ob monumenta enumerationis Quirini, Auguſto Imperante.

IX. Hujuſmodi Epocham ex Evangelio confirmat.

X. Iſidorus Peluſiota, & Gregorius Nazianzenus Nativitatem Theophaniæ nomine inſigniunt, hanc autem aliam cenſent ab Epiphania, in qua Chriſti Baptiſmus recolitur.

XI. Alexandriæ peragebantur ſimul eodem die Theophania, Epiphania, Nativitas & Baptiſmus poſtridie non. Januar.

XII. Tandem ſenſim ſine ſenſu Orientis Eccleſiæ Romanæ acceſſerunt.

XIII. Sicubi Chryſoſtomo una videtur eſſe Epiphania & Nativitas, illinc factum eſt, quòd à Natali Chriſti die uſque ad Epiphaniam perpetua eſſet Feriarum ſeries.

XIV. Hac fortaſſe de cauſa nullum eſt in Epiphaniæ pervigilio jejunium.

XV. Cur nocturnæ Epiphaniæ preces careant conſueto Invitamento.

I. VIdimus ex Auguſtino Cap. IV. Libri prioris celebrari Nativitatem Jeſu Chriſti eodem ſemper, conſtantique anni die, non verò Paſcha: Epiſt. 119. cap. 1. 2. *Quæris quæ cauſa ſit, cur anniverſarius dies celebrandæ Dominicæ Paſſionis non ad eundem redeat anni diem, ſicut dies quâ creditur natus.* Rationem arcanam affert, quòd Paſchalia Solennia peragenda ſint ob penitiora quædam myſteria circa veris æquinoctium, & dum Luna pleno orbe ſulget, quæ in diem certum ſtatumque non incidunt; at in Chriſti Nativitate ortum dumtaxat Divini Verbi in humana natura recolamus: *Opus eſt ut diem Natalis Domini noveris non in ſacramento celebrari, ſed tantum in memoriam revocari, quod natus ſit.*

Epiſt. 118. cap. 1. II. Eo autem Solennia hæc non retulit in album cæterorum quæ univerſa colit Eccleſia, & Synodis Oecumenicis vel Apoſtolis accepta refert, quòd non eodem ubique die agerentur. Enimverò S. Clemens Alexandrinus ſcrutatus quandonam Chriſtus in lucem prodierit, extare ait nonnullos qui annum & diem adnotarunt, videlicet viceſimumquintum menſis qui Pachon dicitur, ſeu quintumdecimum Maji: *Sunt autem qui curioſius Natali Domini, non ſolùm annum, ſed etiam diem* Stromat. l. 1. p. 294. *addunt, quem dicunt in xxv. παχὼν*: alios Nativitatem conſignaſſe viceſimoquarto, vel viceſimoquinto die menſis Pharmuthi: *Quin etiam dicunt ex iis aliqui eum natum eſſe xxiv. vel xxv. Pharmuthi*; ideſt viceſimo, vel viceſimoprimo Aprilis. Profectò abſonæ ſunt hujuſmodi ſententiæ, & rejectæ propter opinionem S. Epiphanii cenſentis natum eſſe Servatorem noſtrum undecimodie menſis Tybi, ſeu poſtridie nonas Januarias, quum nempè Latina Eccleſiæ Epiphaniæ Solennia peragit: *Quum enim Januario menſe natus eſſet* VIII. Hæreſ. 51. n. 24. *Idus Januarii, qui eſt apud Romanos Januarii dies* VI. *Ægyptiis porro Tybi* XI. Hæc Sanctus Epiphanius.

III. Idem adnotavit in Collationibus Caſſianus quum ait apud Latinos alium eſſe Nativitatis Chriſti diem, alium Baptiſmi; ſed ex veteri Ægypti conſuetudine celebrari ſimul eodem die Nativitatem, Epiphaniam, Baptiſmum: *Intra Ægypti regionem mos iſte antiqua traditione ſervatur, ut* Coll. 10. c. 2. *peracta Epiphaniorum die, quam Provinciæ illius Sacerdotes, vel Dominici Baptiſmi, vel ſecundum carnem Nativitatis eſſe definiunt, & idcircò utriuſque ſacramenti Nativitatem non biſarie, ut ſub occiduis Provinciis, ſed ſub una die hujus Feſtivitatem celebrant.*

IV. Sed longè diverſa fuit, ex Auguſtino, Latinæ Eccleſiæ mens; nam tum Nativitatem, tum ejus Solennia VIII. Calendas Januarii conſignavit, dum augeri diurna ſpatia incipiunt; quum S. Joannes Baptiſta natus, ex eodem Auguſtino, ſit VIII. Calendas Julias, dum noctes augeſcunt, dies imminuuntur: æquum enim fuit Dei Filium creſcere, Joannem ejus adminiſtrum minui, immò prorſus deficere, Sole Divinæ Veritatis coruſcante: *Joannes natus eſt, ſicut tradit Eccleſia,* In Pſal. 132. *octavo Calendas Julias, quum jam incipiunt minui dies; Dominus autem natus eſt octavo Calendas Januarias, quando jam incipiunt dies creſcere.* Quod alibi repetit: *Octavo Calendas Aprilis con*- De Trin. l. 4. cap. 5. *ceptus creditur, quo & paſſus. Natus autem traditur octavo Calendas Januarias. Ab illo ergo die uſque ad iſtum computati, ducenti ſeptuaginta & ſex reperiuntur dies, qui ſenarium numerum quadragies ſexties habent: quo numero annorum Templum ædificatum eſt, quia eo numero ſenariorum Corpus Domini perfectum eſt.* Viſus quidem eſt docuiſſe arcanum nihil latere in delectu diei Feſti Nativitatis; hic tamen myſteria retegit: quandoquidem præter numerum dierum, quibus Dei Filius in caſtiſſimis Virginis viſceribus delituit, qui conſimilis eſt numero annorum ædificati Templi, aliud animadvertit obvium magis, magiſque vulgi captui accommodatum, Chriſtum nempè ipſis Natalibus diebus ſui & Baptiſtæ præmonſtraſſe fore ut quicquid magnum & excelſum eſt in hominibus, quamvis ſanctiſſimis, in nihilum ſtatim abiret collatum cum Deo, cujus gloriæ incrementa majora ſemper futura erant, ut Joannes idem in Evangelio fatetur: *Illum oportet cre*- In Pſ. 132. *ſcere, me autem minui*; quod in hunc modum S. Auguſtinus interpretatur: *Hominis diſpenſatio minor minorque fiebat, quæ ſignificabatur in Joanne; Dei diſpenſatio in Domino noſtro Jeſu Chriſto creſcebat; quod & Natalibus eorum oſtenditur.*

V. S. Hieronymus de Epiphania agens, eamque prioribus Januarii diebus conſignans, aſſerit in ea recoli Chriſti Baptiſmum celeberrimum non tantùm propter Joannis teſtimonium, verùm propter Divinas illas voces, quibus unicus Dei Filius declaratus eſt: illinc ſequi putat non fuiſſe Natalem Chriſti diem, quòd hic remiſſionis extiterit, In Ezech. cap. 1. non ſplendoris, non gloriæ: *Ut ſignificet Baptiſma in quo aperti ſunt Chriſto Cœli, & Epiphaniorum dies huc uſque venerabilis eſt; non ut quidam putant Natalis in carne. Tunc enim abſconditus eſt, & non apparuit.*

VI. Degebat ferè in Oriente Hieronymus, quapropter videntur Orientales de priore ſententia deceſſiſſe, ut Latinis accederent; quando, ex Auguſtino, Latina Eccleſia Traditioni innixa arbitratur Chriſtum in lucem prodiiſſe VIII. Cal. Januar. *Creditur, Traditur, Credit Eccleſia.* Conſpirabat in eandem opinionem Occidens univerſus; hinc oportuit ut Græci propter ſententiarum divortia in Latinorum opinionem irent, eorumque inſtitutum complecterentur. Id conſtat ex Apoſtolicis Conſtitutionibus Nativitatis & Epiphaniæ Celebritates ſejungentibus; prioribus enim natus eſt homo, in alteris Baptiſmo perfuſus, cujuſque Divinitas Patris Æterni teſtimonio cele- L. 8. c. 33. brata: *In die Feſto Natalis, τῇ γενεθλίῳ, vacent, quod eo die Deus Verbum Dei Filius ex Maria Virgine ad ſalutem mundi natus ſit. In die autem Feſto Epiphaniæ, vacent, quod eo die declarata ſit Divinitas Chriſti teſtimonio Patris in Baptiſmo.*

VII. Serò tamen ſolennem Nativitatis diem Græci peregerunt. Enimverò Chryſoſtomus Antiochiæ pro concione verba faciens Natali Chriſti die, *εἰς τὴν γενέθλιον ἡμέραν*, faſſus eſt non ante annos decem Solennia illa in Oriente agitata fuiſſe, quum ea Occidens totus, à quo petita ſunt, poſt hominum memoriam celebraſſet. Quinimò à quibuſdam Orientalibus vix probabantur, T. 1. ſer. 31. p. 466. quòd recentiora viderentur: *Et quidem nondum decimus annus eſt, ex quo hic ipſe dies manifeſtè nobis innotuit. Attamen perinde ac ſi jam olim traditus eſſet, ita opera veſtra celebratus inclaruit.* Et paulò poſt: *Non aliter hic dies quam ab exordio iis qui in Occidente habitant cognitus fuerit, nunc ad nos demum non ante multos annos tranſmiſſus, repente ita increvit, talemque tulit fructum, qualem nunc cernere licet, ſeptis noſtris ubique refertis, Temploque univerſo præ multitudine concurrentium anguſtato &c. Multos nunc de eo inter ſe diſceptare probè novi, & hos quidem illum reprehendere, alios defendere.*

VIII. Fatebantur Græci nova eſſe hujuſmodi Solennia in uno Oriente, vetuſtiſſima verò à Thracia ad fretum uſque Gaditanum: *Multus ubique de hoc die ſermo, partim incuſantium quod novus ſit, nuncque recens invectus, partim eundem*

pro-

propugnantium, tanquam antiquum admodum & vetuſtum; quum & olim Nativitatem ejus Prophetæ prædixerint, & jam inde à primordio ab ipſa Thracia Gades uſque incolentibus manifeſtus & celebris fuerit. Contendit prætereà S. Joannes Chryſoſtomus potuiſſe Romanam Eccleſiam Chriſti Natalem diem optimè noſſe ob Deſcriptionem illam Judææ, Cyrino Præſide, & Auguſto Imperatore, cujus monumenta maxima cura in Urbe ſervabantur. In hunc modum Romanis innotuit ac cæteris in Occidentis regionibus degentibus: *Ex* Ibidem. *his liquet deſcriptionis primæ tempore natum eſſe. Et cui veteres hiſtoriarum codices, qui Romæ publicè adſervantur, lectitare libeat, perfacilè etiam tempus hujuſce deſcriptionis accuratè diſcere poterit &c. Auſculta, neque diffidas, ſi ab illis qui exactam hujus rei cognitionem habent, quique illam urbem inhabitant, hunc diem accepimus. Nam illi ipſi qui illinc commorantur, multò ante, & ex antiqua Traditione ipſum celebrantes, ad nos uſque illius notitiam nunc tranſmiſerunt.*

IX. Id verò confirmat miro Zachariæ viſo in ſacra Æde, & Eliſabethæ fœcunditate. Etenim hæc menſe Septembri contigerunt, ac ſex elapſis menſibus, ſalutata ab Angelo Virgo Dei Verbum concepit, ex Luca, *in menſe ſexto*. Menſe igitur Martio conceptus eſt Filius Dei, & Decembri L. 3. ep. 110. natus: *Quod ſi poſt menſem Septembrem Eliſabeth concipere cœpit &c. poſt hunc ſexto menſe principium conceptionis accepit Maria; à quo ſi novem menſes numeremus, utique in præſentem hunc menſem Decembrem deveniemus.*

X. Iſidorus Peluſiota Nativitatem in Theophania colere videtur, dum ait natum tunc Redemptorem noſtrum, & duas ſimul peragi Celebritates quum primo hebdomadæ die agitur: *Nam quum Theophania, aut carnalis Salvatoris Nativitas*, ἡ κατὰ σάρκα γέννησις, *Dominica die occurrit, duplicem Solennitatem efficit, ac velut Feſtum in Feſto*. Idem de Gregorio Nazianzeno ſentiendum, cujus Orationes duæ inter ſe diverſæ ſuperſunt, de Theophania, ſive Nativitate, & de Epiphania, ſive Chriſti Baptiſmo. In priore Chriſti ortum exhibet, Serm. 38, 39. *Chriſtus gignitur, glorificate. Chriſtus è Cœlis, obviam prodite*. Rationem verò indicat cur idem Feſtus dies duplici hoc nomine ſit inſignitus, γενέθλια, θεοφάνεια. *Nunc autem Theophania, ſive Natalitia, præſens Celebritas. Utroque enim modo appellatur; duobus ſcilicet nominibus uni eidemque rei impoſitis*. Theophania Deum hominibus conſpicuum fieri indicat, Nativitas, Deum Hominem factum oriri: *Theophania ob hanc cauſam hoc Feſtum appellatur, quod apparuerit; Nativitas verò, quod natus ſit*. Agit Herodotus primo Libro de Theophaniæ Solenniis Delphis in Apollinis honorem celebratis.

XI. Haud tamen ſcio an Edictum Theophili de iis quæ fieri oporteat quum pervigilium Theo- Apud Balſam. p. 1067. phaniæ Dominico die agitur, trahi poſſit ad pervigilium & Celebritatem Nativitatis. Equidem in allatis monumentis Theophania eadem videtur eſſe atque Nativitas, Epiphania verò eadem ac Chriſti Baptiſmus: verùm Caſſianus agit de Paſchalibus Litteris Theophili ejuſdem Alexandrini Antiſtitis in Collatione adducta, atque Ægyptios peragere Solennia Epiphaniæ, Nativitatis, & Baptiſmi Chriſti, eodemque die Antiſtitem, ex veteri more, indicere Quadrageſimæ jejunia, & Paſchalem Celebritatem. Candidè igitur fatemur Ægyptios tunc celebraſſe Nativitatem hanc ipſo Epiphaniæ, ſeu ſi mavis, Theophaniæ die (unum enim & idem re ſunt ſi minus verbo) poſtridie nonas Januarias. Huc quoque ſpectare videtur quod de S. Epiphanio diximus; nec à veritate abhorret Alexandrinam Eccleſiam Romanæ auſcultaſſe. Nam quum Clementis Alexandrini ætate ortus crederetur Chriſtus menſe Aprilis vel Majo, non parum ei detuliſſe videtur Nativitatem recolendo ſexto Januarii die.

XII. Itaque pacti, inito veluti fœdere, Orientis Eccleſias tandem, ægrè licèt, Romanæ morem geſſiſſe, vel poſtquam Antiochena facem ipſis prætulerat, opera maximè Chryſoſtomi, qui inſigniorum, & ſapientiorum Eccleſiarum veterem conſuetudinem probavit. In priore Seſſione Concilii Chalcedonenſis lecti ſunt commentarii Pſeudoſynodi Epheſinæ, in qua Eutychianarum partium Monachi conqueſti ſunt cum impiis illis Comitiis de duritie Flaviani Byzantini Præſulis, qui ne Natali quidem Servatoris die accedere eos voluit ad Euchariſtiæ Synaxin: *Salutaris dies Natalis Chriſti*: ἡμέρα τῶν γενεθλίων τοῦ σωτῆρος, non in Epiphaniæ Celebritate, ἡ τῶν ἐπιφανίων ἡμέρα, non in Paſchali. Non ergo tunc diſſidebat Conſtantipoleos In notis ad Martyr. Roman. Eccleſia ab Antiochena, & Romana. Obſervat autem poſt Nicephorum Baronius, Juſtino Cæſa- Niceph. L. 17. re, peracta primùm fuiſſe in Oriente Solennia Nativitatis VIII. Calendas Januarias.

Antiochiam diximus viam cæteris ſtraviſſe; ſiquidem, utut Grotio videatur, Chryſoſtomi Oratio Antiochiæ, non Conſtantinopoli habita dicenda eſt. Allata verba id egregiè evincunt: Enimverò Joannes ut ora obſtrueret eorum qui hanc Celebritatem tanquam recentem carpebant, & novarum rerum ſtudia maledictis inceſſebant, ait perveruſtam eſſe à Thracia Gades uſque. Quod ſi ibidem antiqua fuerat, Byzantini, utpote qui Thraces erant, nec adeò ab ea abhorrere poterant, nec tanquam recens invectam parvi facere.

Quod ad Conſtitutiones Apoſtolicas, facilè quivis in animum induxerit ſuſpicari allata verba adſuta fuiſſe poſt Chryſoſtomi tempora: Neque enim Canon Apoſtolicus fugere potuiſſet Epiphanium, Chryſoſtomum, Theophilum. Notius eſt quàm ut indigeat probatione adjici in dies pleraque antiquis Ritualibus libris; cujus generis ſunt Apoſtolicæ Conſtitutiones.

XIII. Longè majus negotium faceſſit homilia Chryſoſtomi, de qua egimus Cap. IV. ſuperioris Libri. Principes enim Celebritates enumerans, tres tantùm recenſet, Epiphaniam, Paſcha, & Pentecoſten; & Epiphaniam Natalem Jeſu Chriſti diem vocat, nec Theophaniam ab ea ſejungit, nec Nativitatem à Baptiſmo. Equidem poſtremæ, & ratæ maximè Regiarum ſanctionum, Comneni videlicet Imperatoris Conſtitutiones Solennitatem unam cum altera copulare videntur. En Comneni verba: *Viceſima Decembris uſque ad ipſum VI. menſis Januarii, utpote quod in eis celebretur Natalis & Baptiſmus Domini, & Dei, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti*. Tot dierum Celebritas diſſidia utriuſque Eccleſiæ tollere facilè potuit, locum relinquendo variis moribus, & myſteriis quæ recolerentur. Lex pariter Valentiniani & Theodoſii Nativitatem cum Epiphania conjungebat, quoniam apud Latinos hæc illam continuò ferè excipiebat; & alicubi à Natali Chriſti die uſque ad Epiphaniam, una celebrabantur jugiter Solennia, quemadmodum in Gallia uſuveniebat, dum cogebatur Concilium Turonenſe II. anno 567. Edixit enim Synodus ne Cœnobitæ, ob Feſtos illos dies jejunia tunc celebrarent: *Et quia inter Na-* Can. 17. *tale Domini & Epiphania omni die Feſtivitates ſunt, itemque prandebunt*. Epiphania peracta, poſtridie ejus diei cibo rurſum abſtinebant: *Poſt Epiphania verò uſque ad Quadrageſimam, ter in ſeptimana jejunent*. Octava ergo Epiphaniæ vix in aliquo diſcrepabat à Celebritatibus, quæ tot dies agebantur.

XIV. Ex eodem Turonenſi Canone diſcimus nullum jejuniis locum relictum fuiſſe, ne in Cœnobiis quidem in Epiphaniæ pervigilio. Nec minoris momenti erant ejuſmodi Solennia, vel referenda in album eorum quæ pervigiliis carent.

Sed à Nativitatis Celebritate parum aberant, & unum utriuſque pervigilium dici potuit. Inveteraverat hujuſmodi inſtitutum in Eccleſia Romana, quæ caret Epiphaniæ pervigilio, ſeu potiùs jejunio præeunte. Lanfrancus Cantuarienſi infula & Sacerdotio poſteà auctus in pauca contraxit mores Benedictinæ diſciplinæ, & pervigilium Epiphaniæ nullis culi jejuniis ſtatuit: *In vigilia Epiphaniæ non jejunetur*. Udalricus quidpiam conſimile pro Cluniacenſibus præſtitit, ac idem teſtatur: *Eo die non jejunamus*. Tot Feſti dies in Eccleſiam introducti jejunium ab Epiphaniæ pervigilio ablegarunt.

Decreta pro Ord. S. Benedi. c. 1.

Spicil. t. 4. p. 106.

Animum fortaſſe huc non adverterat Petrus Damiani contendens jejunium eo die colendum eſſe, ut vidimus in Opere de Jejuniis. Neque magni momenti eſt ratio quam deprompſit ex hujus pervigilii Miſſa quæ extat in Libro Sacramentali S. Gregorii. Ejuſmodi Miſſa, *in vigilia Theophaniæ*, indicat potiùs diem hunc Feſtum fuiſſe. Idem diu contigit in pervigilio Pentecoſtes; nam nemo quondam ad jejunandum cogebatur, quemadmodum in præſentia alicubi uſuvenit. Hoc verò illinc oritur quòd Paſchalia Solennia proferantur uſque ad Pentecoſten, ut Nativitatis Celebritas ad Epiphaniam: tot verò dierum ſacrorum ſpatium una Solennitas videbatur, cui viam ſternebant pervigilia & jejunia longiora. Exploratum eſt enim Quadrageſimam pervigilium extitiſſe Paſchatis, & Pentecoſtes; Adventum autem Nativitatis & Epiphaniæ.

Pag. c. 14. n. 3.

XV. Proprium hoc Epiphaniæ & ejus pervigilii inſtitutum, ut adnotatum fuit in Tractatu de Jejuniis, ſpectabant Litteræ duorum Galliæ Antiſtitum ab eruditiſſimo Sirmondo publici juris factæ: *Epiphaniæ quoque Solennitas habet ſuum ſpecialem cultum*. Suſpicari quis poſſit id potiùs intelligi oportere de ſtatis Epiphaniæ nocturnis precibus, in quibus unis decet ſolenne ac conſuetum Invitatorium, præter cæterarum morem.

Paris. c. 18. n. 13.

Arcanæ quædam reconditæque rationes hujuſce ritus afferuntur; ſed ne longum faciam, agam duntaxat de ſententia Auctoris libelli inſcripti: *Gemma animæ*. Cenſet bis ſingulis quibuſque pervigiliis præcipuarum Solennitatum cani ſolitas noctu ſtatas precationes; primùm quidem ab Epiſcopo cum adminiſtris illis qui ei à Sacello erant ſub noctem, vel non ita multò pòſt, & iterùm media nocte adventante à populo qui conveniebat, vacabatque reliquum tempus Divinis laudibus. In prioribus precibus nulla inerant præludia, ſeu vocata *Invitatoria*, ſed in alteris ut populus interea excitaretur, & pelliceretur. Quoniam autem pervigiliorum pietate exacta, adhibebantur à pleriſque inhoneſta carmina, Vigiliæ ſublatæ ſunt, uno earum nomine, & jejunio ſuperſtite: *More antiquo duo nocturnalia Officia in præcipuis Feſtivitatibus agebantur. Unum in principio noctis à Pontifice cum ſuis Capellanis, abſque Venite. Aliud media nocte in Clero, ſicut adhuc ſolenniter celebratur, & populus qui ad Feſtum confluxerat tota nocte in laudibus Divinis vigilare ſolebat. Poſtquam autem illuſores bonum in ludibrium permutaverunt, & turpibus cantilenis ac ſaltationibus, potationibus & fornicationibus operam dederunt, vigiliæ interdictæ, & dies jejunii dedicati ſunt, & vigiliarum nomen retinuerunt. Secundùm antiquum ergo morem duo Officia nocti Natalis Domini adſcribuntur &c.*

L. 3. c. 6.

Honorio Auguſtodunenſi qui anno ferè 1160. floruit adjudicandum opus illud videtur. Fieri poteſt ut pervigilia maximarum Celebritatum, quo faciliùs ſacris precibus colerentur, tributa fuerint in partes duas, biſque Divinæ laudes celebrarentur, primùm ab Antiſtite & domeſticis Clericis, ſecundùm verò à reliquis, & populo. Epiſcopus ſemper adeſſe potuit; populus ſi poſterioribus precibus adfuiſſet, ſatis ſuperque munus ſuum impleſſet. Crediderim pervigilium Epiphaniæ primum omnium abrogatum, quòd eo licenter admodum vulgus abuteretur. Sublatæ ſunt ergo nocturnæ populi preces cum earum præludiis, relictis cæteris Epiſcopi & Cleri. Sublata quoque ſunt pervigilia cætera, ſupereſt tamen ſolennis illa Invitatio, vel ob Laicos non admodum moltos, qui ejuſmodi nocturnis conventibus non abutebantur, vel ob adhibitas à Clericis (populo alio dimiſſo) poſteriores duntaxat precationes, cum earum initio. Ita quidem conjicimus ituri manibus pedibuſque in ſententiam eorum qui magis in Eccleſiaſtica hiſtoria verſati ſunt. Ut enim quod ſentio proferam, reconditæ illæ myſticæque rationes, utut ingenii & pietatis plurimum præſeferant, ab ipſa re peti non videntur, & excogitatæ ſunt poſtquam longinquitas temporis rerum geſtarum memoriam obliteravit. Deflleximus in diverticulum è via, poſtquam ſingulare quidpiam in Epiphania animadvertimus, Celebritatem videlicet tantam carere pervigilio, vel ejus pervigilium jejunio.

C A P U T VII.

De iiſdem Epiphaniæ Solenniis.

I. Momenta rationum ex hiſtoria excerpta fidem faciunt Epiphaniam uſque ab Eccleſiæ primordiis Feſtum diem celeberrimum extitiſſe.

II. Eam S. Gregorius Nazianzenus vocat diem Luminum, Celebritatem Baptiſmi Jeſu Chriſti, & novam fere cum ingenti gloria Nativitatem.

III. Deſcribit idem Feſtum hunc diem, ejuſque myſteria. De Magorum adoratione; de Baptiſmo maximè tanquam nova quadam Nativitate.

IV. Cur Eccleſia nonnulla, die Baptiſmi Servatoris, ejus Incarnationem & ortum colant.

V. Id Antiochiæ factum, ex Chryſoſtomo.

VI. In Nativitate, ut idem tradit, Dei Filius deliteſcit, in Baptiſmo omnibus conſpicuus patet.

VII. Solennis Baptiſmi adminiſtratio in Oriente, die Epiphaniæ. Aqua diu incorrupta adſervabatur.

VIII. Conſimile quidpiam in Africa quinto majoris Hebdomadæ die.

IX. Animadverſiones in Chryſoſtomi locum de ejuſmodi aqua diu ſine vitio adſervata.

X. De mira aquæ in vinum mutatione. Anniverſarium prodigium omninò ſimile ex S. Epiphanio.

XI. Conſimilia miracula in Eccleſiis quibuſdam Latini ritus, die ſolennis Baptiſmi. De iis quibus hujuſmodi narrationes moleſtiam exhibent, quum plurimis fidem habeant quæ magis nutant.

XII. Cenſent Patres eodem die contigiſſe Chriſti Baptiſmum, aquæ immutationem, & Magorum adventum.

XIII. Non tamen omnes ita ſenſere.

XIV. In rebus hiſce, ac ſententiis diſcrepantibus, minimè tamen cum religione pugnantibus, opera pretium eſt unum Jeſum Chriſtum ob oculos habere.

I. NUllus ſanæ mentis inficiabitur Epiphaniæ Solennia maxima ſemper & celeberrima fuiſſe. Patebit hoc cuivis evolventi priorem librum, & ſacros faſtos expendenti ſecundùm annorum ſeriem in utraque Eccleſia. In illis Epiphania ſuum ſemper ſibi vindicat locum, tum quoque quum Celebritates plurimæ, quæ nunc aguntur, nuſquam comparent. Quid? Quod Chriſti Nativitati vetuſtate, ut ita dicam, antecellit;

tametſi

tametſi Eccleſiæ quædam in Epiphaniæ Celebritate Chriſti quoque Natalem diem recolerent. Ammianus Marcellinus memoriæ prodidit Julianum Auguſtum, qui à Chriſtiana poſteà Religione defecit, ad Eccleſiam contendiſſe dum Epi-
L. 21. phania celebraretur; *Et ut hæc interim celarentur, Feriarum die, quem celebrantes menſe Januario Epiphaniam dictitant, progreſſus in Eccleſiam, ſolenniter Numine adorato diſceſſit*. Valens quoque Imperator ſe minimè Chriſtianum eſſe arbitrabatur, niſi ſacris Epiphaniæ in Templo adfuiſſet, ut tradit Sanctus Gregorius Nazianzenus
Orat. 20. in S. Baſilii laudibus: *Erat autem Epiphaniæ dies, cœtuſque ampliſſimus*. Adeò verò ſtupore ac timore ſimul perculſus mirabatur pietatem, religionem, majeſtatemque Divinæ rei dum perageretur, & Baſilii qui ſacris operabatur, maximè quum poſthaberi vidiſſet ingentes opes & munera quæ ipſe attulerat, ut Princeps Ariana labe adſperſus parum abfuerit quin e veſtigio animo deficeret, niſi ei Sacrorum adminiſtri præſentem opem tuliſſent.

II. Gregorius idem aliàs Orationem habuit de eadem Solennitate, quæ dies Luminum, vel Illuminationis ab ipſo dicitur, *Dies Luminum* ἡ ἁγία τῶν φώτων ἡμέρα. Agebatur Chriſti Baptiſmus, & veluti Nativitas quædam colebatur ob Æterni Patris teſtimonium, quo eum unicum & maximoperè dilectum Filium ſuum nuncupavit: unde quotieſcumque Baptiſmo initiamur iterùm in lucem prodire videmur, tanquam & nos Filii Dei. Natus eſt in ſpecu Bethleemitica, abdito ac tenebroſo loco, Mariæ dumtaxat creditus Filius. At ſecundùm ortus eſt in Baptiſmo, maxima accedente gloria & ſplendore, & agnitus Dei
Orat. 39. Filius: *Etenim ſanctus Luminum dies pro principio quidem Chriſti mei, hoc eſt Luminis veri, omnem hominem in mundum venientem illuminantis, Baptiſmum habet*. Baptiſmus ferè vocabatur à pleriſque omnibus Græciæ Patribus illuminatio, φωτισμός. Erat Dei Verbum vera ac purior Lux: jure igitur dies, quo Chriſtus Jordanis aqua perfuſus eſt, lucis dies vocari potuit. Cæterùm pro iis quoque qui rationis compotes ſunt, dies hujuſmodi arcanæ illuſtrationis, quum videlicet divino lumine mentes initiatorum complerentur, Natalis quidam dies videbatur. Hinc Sanctus Gregorius Nazianzenus nos omnes hortatur ut cum Dei Filio iterùm naſcamur: *Tempus regenerationis, deſuper gignamur*.

III. Orationem ſuam proſequutus ait, ante peractam Epiphaniam, Natalem Divini Verbi diem fuiſſe celebratum, adorando divini Pueri cunabula cum Angelis unà, cum Paſtoribus, Magis, Simeone ſene, & Anna vate: *Ac Chriſti quidem Nativitas apta Solennitate priùs, tum à meipſo Feſti duce & auſpice, tum à vobis, atque adeo ab omnibus, tam qui in mundo verſantur, quàm qui mundo ſublimiores ſunt, celebrata eſt. Cum Stella cucurrimus, cum Magis adoravimus, cum Paſtoribus luce circumfuſi ſumus, cum Angelis divinam Gloriam prædicavimus, cum Simeone in ulna accepimus, cum Anna, illa inquam vetula & caſta fœmina, confeſſi ſumus*. Ex quibus intelligimus, ubi verba hæc pro concione à Gregorio fiebant, Natali Chriſto die, Magorum ab Oriente adventum, & Jeſu Chriſti in Templo oblationem, ſeu Purificatæ Virginis diem peragi conſueviſſe; nec in Epiphania cultum & munera Magorum fuiſſe celebrata, ſed unum Jordanis Baptiſmum.

Nam ad hunc modum de Epiphania loquitur, poſtquam de Nativitate egit: *Nunc verò alia Chriſti actio, aliudque myſterium ſequitur. Chriſtus illuminatur, ſimul illuſtremur. Chriſtus baptizatur, ſimul deſcendamus, ut ſimul etiam aſcendamus*. Neque de ulla re in iis quæ conſequuntur, niſi de Baptiſmo pertractat. Poſtridie ejus diei Orationem de eodem rurſum habuit, de uno pariter Orat. 40.
Baptiſmo verba faciens. Quæ quum ita ſint, patere puto Epiphaniæ Solemnia dedicata fuiſſe Divini Verbi Baptiſmo, quo tamen ferè iterùm gigni Jeſus videbatur. Etenim tria ortus genera in altera hujuſmodi Oratione conſiderat, vulgarem Nativitatem, Baptiſmum, atque Reſurrectionem. Chriſtus triplicem hujuſmodi ortum honore maximo afficit, nos primùm condendo, tum Baptiſmo initiando, denique à mortuis excitando: *Triplex Nativitatis genus agnoſcit Scriptura; primum ex corporibus, alterum ex Baptiſmo, tertium ex reſurrectione. Has porrò cunctas nativitates honore à Chriſto meo affectas fuiſſe conſtat; primam per primam illam & vitalem inſufflationem; ſecundam per Incarnationem & Baptiſmum quo ipſe baptizatus eſt; tertiam denique per reſurrectionem*.

IV. Poſtquam adjecimus poſtremam hanc confirmationem è Gregorii verbis excerptam, ut oſtenderemus in Epiphania unum Jeſu Chriſti Baptiſmum fuiſſe celebratum, nonnulla animadvertamus oportet, extremum hunc Nazianzeni locum ad vivum reſecantes. Hic enim Græcorum Theologorum facilè princeps, ut declararet Dei Filium honore proſequutum eſſe noſtras haſce omnes Nativitates, nequaquam ait id egiſſe dum carne noſtra indutus in lucem prodiit, quod optimè dici potuit; ſed nos manibus ſuis condendo, & mentem ratione præditam, quæ Divinæ vitæ, & Sancti Spiritus particeps ſit, impertiendo. Quod pertinet ad Reſurrectionem, quæ poſtremum eſt ortus genus, ſua Chriſtus noſtram, quæ ab illa oritur, honore affecit. At quod ad alterum Nativitatis noſtræ genus, honor illi exhibetur Chriſti Incarnatione & Baptiſmo; ſimul ergo myſterium utrumque complectitur; quod pariter Eccleſiæ illæ præſtiterunt, quæ Baptiſmum ſimul, Incarnationem, & Natalem Divini Verbi diem peragebant.

Sed non adhuc ſalutatæ ab Angelo Virginis, vel Incarnati Verbi dies agi videbatur. Recolebantur quidem hæc in Chriſti Baptiſmo; tunc enim detecta ſunt cuncta quæ quondam in Incarnatione peracta ſunt: & humanum genus eo die primùm Servatorem ſuum complecti, & venerari viſum eſt, quo Dei Filius à Patre palam eſt appellatus. Et potuerunt quidem homines in magna dierum Nativitatis, multòque magis Incarnationis ignoratione aliquandiù verſari, quòd hæc clam geſta ſint. Illinc factum ut prioribus ſæculis Annunciationis Celebritas minimè ageretur, nec Natalis dies ab Incarnatione Verbi ſejungeretur: latebat enim tempus illud, ſatiſque videbatur Deum colere quum è Virgine in lucem prodiret. Verùm ignoratio nulla Baptiſmi palam exhibiti, ejuſque temporis, prætexi potuit. Itaque colebat nonnemo Incarnationem & ortum Divini Verbi eo die, quo Patris teſtimonio Dei Filius fuit nuncupatus.

V. Nec Chryſoſtomus aſſerens ante annos tantùm decem coli cœptum eſſe Antiochiæ Chriſti Natalem diem, ſentiebat alio tempore celebratum eſſe, tunc autem primùm proprio die peractum: nulla enim ratione anteà obſervatum eſſe ait. Quapropter verum illum diem ſcrutatur ea in Oratione ope Traditionis Latinæ Eccleſiæ, & ſacrorum Bibliorum. Non ergo ante Chryſoſtomum coluerant Antiocheni Natalem hunc diem, niſi cum Baptiſmo, nova & illuſtriore, quod identidem monuimus, ob divina Oracula, Nativitate. Sanè in hunc modum neceſſe eſt Chryſoſtomum interpretemur agentem de tribus maximis Chriſtiani orbis Celebritatibus, & ne verbo quidem de Nativitate facto, Epiphaniam pri-

mum recenſentem, quum videlicet Deus Homo nobis conſpicuum ſe ipſe præbuit: *Epiphania* Vide ſupra l. 1. c. 4. *prima ſunt apud nos Feſtivitas. Quæ porrò Feſti eſt occaſio? Quoniam Deus in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*. Non ſit è Virgine ortum Dei Filium, Magorum cultum ſiluit; ſed diſſeruit dumtaxat de Deo nobiſcum degente, noſtra conſuetudine, nobiſque quaſi familiariter uſo, quod in Baptiſmo, & conſequutis annis contigit.

VI. Cæterum apertiùs mentem ſuam expromet ſanctus Antiſtes alia de Chriſti Baptiſmo homilia. Vocat in ea ad examen cur Epiphania, T. 1. ho. 24. pag. 341. ſeu manifeſta Divini Verbi Incarnatio recolatur, non Nativitatis ejus, ſed Baptiſmi die: *At enim qui fit ut non ea dies qua natus eſt, Epiphania vel Apparitio appelletur, ſed ea qua baptizatus eſt? Hæc enim dies eſt qua baptizatus eſt, & aquarum naturam ſanctificavit*. Reſpondet autem tegi potiùs quàm conſpicuum fieri in ejus ortu Dei Verbum. Adeò verò abditum erat, ut Joannes fateretur ne ſibi quidem perſpectum, niſi illuſtria Patris Oracula acceſſiſſent: *Nimirum non omnibus manifeſtus eſt redditus quum partu editus eſt, ſed quum eſt baptizatus. Nam ad hunc uſque dies vulgo ignotus erat. Nam incognitum eum fuiſſe vulgo, neque quiſnam eſſet pleroſque ſciviſſe, conſtat ex iſtis Joannis Baptiſtæ verbis: Medius veſtrum ſtetit quem vos neſcitis &c. Et ego neſciebam eum, ſed qui &c.* Denique duplicem Epiphaniam agnoſcit, priorem dum in lucem Chriſtus eſt editus, ſed tunc vix conſpicuus hominibus factus, delituit in obſcuro & ab arbitris remotò loco; alteram, quum Jordanis aqua perfunderetur, Dei Filius palam declaratus, ut illum orbis terrarum admiratione, cultu, & dilectione jugiter proſequeretur. *Duas igitur ex his liquet eſſe apparitiones ὀπτασίας.*

VII. In id maximè omni animi contentione incumbit Sanctus Gregorius Nazianzenus allatis locis, ut Catechumeni nihil cunctando, Chriſtianis ſacris quam is primùm initiari velint; non verò in ſupremo vitæ diſcrimine conſtituti, animum eum pleriſque ad Baptiſmum adjiciant. Solennis ergo Baptiſmi adminiſtratio peragebatur ab Orientalibus in Epiphaniæ pervigilio, quemadmodum ab Occidentis Eccleſiis in pervigiliis Paſchatis & Pentecoſtes. Sed quod ad Chryſoſtomum de Servatoris Baptiſmo agentem, antequam manum de tabula, non abs re fuerit, quæ ibidem narrat, perſequi. Sub mediam noctem, ſeu potiùs ferè ſub initium diei Epiphaniæ populus Chriſtianus perfundebatur aqua Divino Chriſti Baptiſmo conſecrata, ac domum quiſque ſuam quidpiam aſſportabant, recondebantque, & annum totum non ſine ingenti miraculo adſervabant: nam incorrupta manebat biennium, immò triennium, nec quicquam vitiabatur: *Idcircò etiam in hac Solennitate ſub mediam noctem omnes, quum aquati fuerint, latices domum referunt, & recondunt, ac per integrum annum conſervant; utpotè quod hodierna die ſanctificatæ ſunt aquæ; fitque miraculum evidens, dum nil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur; ſed integro anno, atque adeo biennio, & triennio ſæpè quæ hodie fuit hauſta, incorrupta & recens permanet; ac poſt tantum temporis cum iis quæ fuerint è fontibus educta certat.*

VIII. Adnotata eſt alibi ſimilis Afrorum reli- In Tract. de Jejun. gio. Novimus enim ex Auguſtino Chriſtianos laviſſe quintis feriis majoris Hebdomadæ cum Catechumenis unà, qui ea ablutione parabantur ad Sabbati Baptiſmum: neque id damnavit Eccleſia. Contra, Sacrum ſummo mane peragebatur, inſtructo Euchariſtiæ convivio, & jejunio ſoluto, ut ſine moleſtia laverent; *Plures & propè* Aug. ep. 118. cap. 7. *omnes in pleriſque locis eo die lavare conſueverunt &c. Baptizandorum corpora lavantur &c. Et quia conceſſum eſt hoc Baptiſmum accepturis, multi cum iis lavare voluerunt, & jejunium relaxare*. Antiocheni quoque, de quibus agit Chryſoſtomus, ab hujuſmodi moribus non abhorrebant. Etenim confidebant fore ut magis eorum animi mundarentur, adhibita aqua illa Chriſti Baptiſmo conſecrata, cui Eccleſia primùm benè precata fuerat, & qua poſteà Catechumeni, quum Chriſtianis ſacris initiarentur, iterùm gignebantur.

IX. Orientales Chriſtiani, quanquam in cæteris plurimùm diſcrepantes, in hujuſmodi ritus conſpirabant. Divinis precibus & ſanctiſſimis religionibus, ritu longè ſolenniſſimo, conſecrabantur flumina, tumque omnes lavabant, ad Baptiſmi memoriam refricandam, utut, ſummo hyeme, frigore cuncta rigerent, menſe videlicet Januario. Domum præterea luſtralem hanc aquam referebant, quæ minimè vitiabatur. Non auſim ſponſionem facere; ſed ecquiſnam dicam ſcribat Chryſoſtomo prodigia hæc incorruptæ ætate ſua aquæ narranti; narranti autem? immò verò eorum teſti locupleti. Equidem non fruſtra Evangelia meminere anniverſariorum prodigiorum piſcinæ Hieroſolymitanæ, ubi abluebantur victimæ in Templo immolandæ. Angelus è Cœlo delapſus aquam tantiſper commovebat, & qui primus in eam ſe immergebat, ad priſtinam valetudinem reſtituebatur, quacunque tandem ægritudine laboraſſet. Nec Deus Opt. Max. Eccleſiæ ſuæ largiri non potuit quæ olim in Synagogam contulit beneficia. At non tantùm Chryſoſtomo quantum Apoſtolis deferendum eſt. Id quidem novimus; ſed neque contendimus eadem hæc auctoritate niti. Verùm hujuſmodi miranda opera Evangelium memoriæ prodidit, quo in rebus quæ captum noſtrum ſuperant, & animi levitatem, & pervicaciam ſimul execraremur.

X. Credidit Sanctus Epiphanius uno eodemque die Chriſtum ortum eſſe, & Jordanis aqua perfuſum; Divina præterea ejus poteſtate in nuptiali Galilææ convivio aquam in vinum converſam fuiſſe: quapropter, magno revera miraculo, anniverſario tantarum rerum die, ſexto videlicet Januarii, ut ipſe conjicit, fontium complurium ac fluminum aqua vini odore & ſapore imbui videbatur. Periculum tum ipſe, tum ejus familiares fecerant. Idem de Nilo nonnulli cenſebant, ac S. Epiphanius tradit hac de cauſa ejus aquam Hæreſ. 51. n. 29. 30. Ægyptios domum adſportaſſe: *Non dubium eſt undecima die Tybi ſecundum Ægyptios Salvatoris Nativitatem accidiſſe. Sub idem poſtea tempus, trigeſimo anno vertente, primum in Cana Galilææ miraculum edidit, tum quum ex aqua vinum factum eſt. In cujus rei fidem hodieque pluribus in locis idem quod olim factum eſt prodigium inſtauratur, idque ipſum fontes fluviique teſtantur paſſim in vina converſi. Cujuſmodi ad Cibyram Cariæ oppidum fons eſt, qui eadem illa hora qua miniſtri aquam hauſerunt, ac Salvator dixit, Date Architriclino, in vinum vertitur. Idem & in Geraſeno Arabiæ fonte contingit. Nos ex Cibyra illo fonte, fratres noſtri ex Geraſeno, potavimus, qui in Martyrio eſt. Plerique verò idem & de Nilo Ægypti fluvio confirmant. Quæ cauſa eſt, cur Tybi undecimo omnes in Ægypto aquam hauriant, ac reſervent; idque aliis in locis fieri adſolet*. Epiphanius Chriſoſtomi verba uſurpat, ὑδρεύονται, ὑδρευσάμενοι, quæ hauſtum potiùs quàm immerſionem præferunt. Si ita intelligenda ſunt, paulò aliter Chryſoſtomum interpretabimur; ſed exploratum eſt, tum Orientales Chriſtianos in flumen ſe immerſiſſe ſacris precationibus conſecratum, tum id quod à S. Auguſtino accepimus.

XI. Nec conſimilia monſtra Latinæ Eccleſiæ deerant. Paſchæ pervigilium ſolenniſſimus extitit Baptiſmi dies; at Eccleſiaſtica Hiſtoria & Patrum mo-

Digitized by Google

monumenta fidem faciunt ſactos Baptiſmi fontes tunc Divinitus aqua manaſſe: Contigit quoque ut error in Paſchali die conſignando, ex iiſdem fontibus vel areſcentibus vel ſluentibus deprehenderetur. Ægrè admodum plurimi his fidem habent; ſed fucum illis perſæpè facit quòd minimè cogitent varia eſſe fidei genera, neque eadem omnia ratione certa eſſe; quædam etiam credi oportere, quanquam ad religionis doctrinam non pertinent. Non hærent illi quidem ob acre & ſubactum judicium; ſed oſcitanter potiùs quàm ſolerter animum intendunt ad plurima, quibus fides habetur, quamvis nutantibus magis fundamentis innixis. Ab id genus hominibus qui cogitationum ſuarum, mentiſque veſtigia relegere aliquantiſper negligunt, major habenda foret ratio doctiſſimorum Eccleſiæ Patrum, qui crediderunt, ſuiſque operibus adſcripſerunt complura maxima admiratione digna.

XII. Iidem Eccleſiæ Patres arbitrati ſunt eodem die, idest poſtridie nonas Januarii, Servatorem noſtrum in Jordanis fluvium deſcendiſſe, & aquam nuptialis convivii in vinum vertiſſe; Magorum prætereà adventum adjecerunt. Id ſenſit Paulinus Carmine 9. de Felice Martyre.

Qua puerum ſtella duce myſtica dona ferentes,
Suppliciter videre Magi; ſeu qua magis illum
Jordanis trepidans lavit, tingente Joanne,
Sacrantem cunctas recreandis Gentibus undas.
Sive dies eadem magis illo ſit ſacra ſigno,
Quo primum Deus egit opus, quum flumine verſo,
Permutavit aquas prædulcis nectare vini.

Hymnus elegantiſſimus agens de Magorum adventu & Innocentum cæde, quem adhibet Eccleſia in Epiphaniæ Celebritate, Auctorem habet Prudentium Poetam, qui illum pro Epiphaniæ Solenniis conſcripſit, ſæculo quarto in finem vergente.

XIII. Hæret Paulino aqua, ſed idem de Auſtino dicendum. Præſto ſunt ejus verba, quibus ait Eccleſiarum opiniones de hoc die, ratas conſtanteſque non eſſe; quamvis una religio ſit, unus ſolennis cœtus Catholicæ Eccleſiæ. Nam licèt quidam putent Magos tunc acceſſiſſe, quidam peractum Baptiſmum, nonnulli verò aquam in vinum Divinitus immutatam, nuſquam tamen non honore proſequimur Dei Filium, ejuſque gloriam, poteſtatemque: *Licèt de Solennitate hujus diei veterum ſit diverſa traditio; una tamen ſancta devotionis eſt fides. Nam quamvis nonnulli Dominum noſtrum, Stella duce, à Magis exiſtiment adoratum; alii aſſerant aquam in vinum mutaſſe; quidam verò baptizatum eſſe à Joanne confirment; in omnibus tamen Dei Filius creditur, in omnibus Feſtivitas eſt vera.* Baron. 31. n. 34.

XIV. Cardinalis Baronius retulit in Annales ea verba, ut quiſquis intelligeret, optima fide Hiſtoricum cuncta quidem expendere, ſed non eadem ratione monumentis, & rebus omnibus aſſentire; Patribus verò Eccleſiæ cum cæteris ejuſdem Doctoribus non ſemper convenire, quod ſpectat ad ſtatos dies, & ſacra arcana Chriſtianarum Celebritatum. Avocanda eſt igitur mens cum Auguſtino ab hujuſmodi diverſitate quæ ad religionem minimè pertinet, & Jeſu Chriſti operibus, actionibuſque vacandum, quocumque tandem tempore contigerint. Si diem nacti ſumus certum ratumque, gaudere fas eſt; ſi minùs, delectus ad Eccleſiam pertinet. Itaque Chriſtum ſemper, ejuſque myſteria colimus: *In omnibus Dei Filius creditur, in omnibus Feſtivitas eſt vera.* Latini myſteria complura Solenniis iiſdem colimus, ſed præcipuè Magorum adventum, de quo unus egit Gregorius Nazianzenus, eum revocans tamen ad Natalem Servatoris diem.

CAPUT VIII.

De Feſto Circumciſionis die.

I. Celebritatis hujus vetuſtas.

II. Fieri vix poteſt quin ſemper celebrata fuerit Circumciſio octavo Nativitatis die.

III. Perperam contendebatur quandoque recentiora eſſe hæc Solennia, quum Evangelium Circumciſionem conſignaverit octavo Nativitatis die.

IV. Oſtenditur nefas fuiſſe eo die terram ſubigere, & publica judicia exercere.

V. Quædam jejunii hora tunc indicta. De Theophilo Alexandrino.

VI. Monachi tantùm jejunio hoc adſtricti. Afri nullo cogente ab epulis abſtinebant. Jejunia propter Ethnicos celebrata, quæ ſola ſolennioribus diebus colebantur.

VII. S. Petrus Chryſologus diris devovet impia quorundam oblectamenta, qui malos Dæmones & commentitia Numina agebant, larvis inductis.

VIII. Conſimiles S. Maximi conqueſtiones.

IX. Quid ſentiendum de iis qui eadem agunt. Jure in pejorem partem rapi quicquid moliuntur.

X. Animadverſio in quoſdam Patrum ſcripta carpentes quæ non aſſequuntur.

XI. Eccleſia Hiſpanienſis carne abſtinebat die Circumciſionis eadem de cauſa.

XII. Occurritur iis quæ ex Durando objiciuntur.

XIII. Calendarum Januarii flagitia uſque ad annum milleſimum atque ducenteſimum durarunt, neque ſublata ſunt, niſi Circumciſione ſolenniore ritu peracta.

I. Celebritatis hujus meminit primùm Synodus Turonenſis II. anno 567. non tamen eam prior in Eccleſiam introduxit. Digna quæ expendantur ſunt verba à Synodo uſurpata. Nam poſtquam ait Feſtos eſſe dies omnes inter Nativitatem & Epiphaniam, tres profeſtos enumerat; quorum poſtremus ſunt Calendæ Januariæ. Tribus hiſce diebus cani jubet Litanias in Templo, Can. 17. & Calendis iiſdem rem Divinam de Circumciſione peragi paulò ante horam nonam: *Et quia inter Natale Domini & Epiphania omni die Feſtivitates ſunt &c. Excipitur illud triduum quo ad calcandam Gentilium conſuetudinem Patres noſtri ſtatuerunt privatas in Calendis Januarii fieri Litanias, ut in Eccleſiis pſallatur, & hora octava in ipſis Calendis Circumciſionis Miſſa, Deo propitio, celebretur.* Poſtulari puto aliquot horarum jejunium à Canone eo die, itaut ſub horam nonam ſacrum Miſſæ celebretur.

II. Sed quando fatetur Synodus ſe Majorum veſtigiis inſiſtere, intelligimus Circumciſionis Miſſam, vel Celebritatem, Concilii ætate, antiquam extitiſſe. Octavus quidem Nativitatis dies peragebatur; at hoc nihil impedit quominùs Circumciſio quoque ageretur. Quum enim Eccleſia ab ultima antiquitate ſtatas preces dieſque ſacros ad S. Scripturæ, & Myſteriorum Chriſti præſcriptum componendos digerendoſque curaverit, fieri vix potuit quin octavo Nativitatis die Circumciſionem ſolenni ritu recoleret, facem præferentibus verbis illis Lucæ Evangeliſtæ: *Poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur Puer.* Can. 2. 21. Liquet locum illum Evangelii perlectum fuiſſe in Liturgia octavi diei, ideòque etiamtum Circumciſionis Miſſam extitiſſe. Enimverò Evangelio maximè diſtinguuntur Solennia, Liturgiæ, ac Myſteria quæ inibi recoluntur. Non ergo egit Turonenſis Synodus niſi de Circumciſionis Miſſa, quam vetuſtam cenſere videtur. Neque enim in cæteris ejus diei ſolennibus precibus verba de Circumciſione fiunt, ſed de octavo nati Redemptoris die. Mores noſtri ab his non abhorrent, ac Romanum

manum

manum Martyrologium eundem diem promiſcuè vocat tum Circumciſionis, tum Nativitatis octavum.

III. Laterem igitur lavant qui hujuſmodi Celebritatem recens in Eccleſiam introductam equis veliſque contendunt, quòd olim octavus dumtaxat nati Divini Verbi dies ageretur, ut patere putant ex plurimis Eccleſiaſticæ antiquitatis monumentis, quæ ne verbum quidem de Circumciſione faciunt. Qui enim unum ſine altera celebrari potuit, quum octavo ab ortu die pueri ritè circumcidendi eſſent, S. Lucas Dei Filium legitimo eo tempore circumciſum prodat, & ad octavi hujus diei Sacrum non aliud quàm Circumciſionis ejuſdem Evangelium adhiberi unquam potuerit?

IV. Si cui negotium faceſſit opus quodvis illiberale quod tunc licebat, crediderim facilè occurri poſſe ex iis quæ dicta ſunt de diebus Feſtis prioribus ſæculis peractis. In medium enim allata eſt Lex Codicis Theodoſiani, qua edicitur ne cui fas ſit forenſia judicia exercere hebdomadam quæ Epiphaniæ præit, & alteram quæ Celebritatem eamdem conſequitur. Ipſamet Synodus Turonenſis II. fatetur ſolennes eſſe quoslibet dies à Nativitate Chriſti uſque ad Epiphaniam: *Omni die Feſtivitates ſunt*. Nec ſolennes rataſque preces tantùm id ſpectat; ſiquidem diebus illis jejunia minimè colebantur: *Itemque prandebunt*. Porrò jejunia Feſtis revera diebus minimè celebranda erant.

V. Ne quis verò reponat profeſtos ex Concilio fuiſſe tres dies, ideſt poſtremos prioris, & primum vertentis anni: *Excipitur illud triduum quo &c.* adnotandum eſt agi ibidem ſolùm de jejunandi facultate. Generatim enim Solennia indicuntur, *Omni die Feſtivitates ſunt*; ſequentia verò verba unum ſpectant jejunium, *itemque prandebunt: excipitur illud triduum &c.* Reipſa Sacrum Miſſæ Circumciſionis idem illud erat quod Feſtis diebus uſurpatur. Difficile creditu videtur latam fuiſſe legem de jejunio Feſto die; ſed colebatur illud aliquot dumtaxat horis uſque ad nonam; nec ſine magna deliberatione vel exemplo. Nam quum Theophilum Alexandrinum Præſulem quidam conſuluiſſent quid ſentiendum eſſet de jejunio in pervigilio Nativitatis Chriſti quod eo anno agebatur Dominico die, ne vel ſolennis Chriſtianuſque dies, vel afflictatio illa & negligentia negligi videretur; Antiſtes Eccleſiæ morum, & rituum periti ſſimus, eadem ferè ratione reſpondit: *Quia accidit ut Sanctorum Theophaniorum hic eſſet dies jejunandorum, diſpenſemus, & ad utrumque ſcientes procedamus, ut paucos dactylos ſumentes, ſimul & hereſes vitemus, qua Domini noſtri Jeſu Chriſti Reſurrectionem non honorant, & diei jejunii quod debetur reddamus, veſpertinam congregationem expectantes, qua hic, Deo dante, peragitur. Congregamur ergo hic ab hora nona.* Conſimilia admodum hæc videntur. Copulare oportuit jejunii afflictationem & Dominici diei gaudium, quo nefas videbatur cibo abſtinere propter hæreſim eorum qui Reſurrectionem irridebant, & Dominicis diebus jejunia celebrabant. Theophilus veſci aliquot palmarum fructibus licitum exiſtimavit, & hora nona conveniendum eſſe in Eccleſiam ad rem Divinam de Circumciſione faciendam, ut jejunio ſimul & ſolenni Celebritati locus eſſet. Bollan. p. xcvi.

VI. Sequentes Canones dilucidè explicant Ethnicorum ſuperſtitionem, cui abſtinentiam illam Synodus objecit. Janum nebulones illi colebant, à quo Januarius menſis nomen deſumpſit, ejuſque auſpiciis annum inchoabant: *Enimverò quoniam cognovimus nonnullos inveniri ſequipedas erroris antiqui qui Calendas Januarii colunt, quum Janus homo Gentilis fuerit, Rex quidem, ſed Deus eſſe non potuit.* Denique de ſolis Monachis agebat Concilium jejunium indicendo: *De jejuniis antiqua à Monachis inſtituta ſerventur.* Cæteri Circumciſionis Feſtum diem, tanquam omninò ſolennem agitabant. Hortatur Sanctus Auguſtinus populum ut iiſdem diebus vel ſe ab epulis abſtineat; vel cibo ſaltem parciùs utatur; ſed alias ſuperſtitionis reliquias deprehendit. Opes prolixè fundentes largiebantur ſtrenas, & vino ac corporeis voluptatibus indulgentes impiè & inhoneſtè diem producebant: *Acturus es celebrationem ſtrenarum ſicut Paganus, luſurus alea, & inebriaturus te? Quomodo aliud credis, aliud ſperas, aliud amas? Dant illi ſtrenas, date vos eleemoſynas. Advocantur illi cantionibus luxuriarum, advocate vos ſermonibus Scripturarum. Currunt illi ad Theatrum, vos ad Eccleſiam. Inebriantur illi, vos jejunate. Si hodie non poteſtis jejunare, ſaltem cum ſobrietate prandete.*

Can. 23. Can. 17. In Append. Serm. &c.

Venerabantur Idololatræ Deam *Strenam*, ſive *Strenuam* quam ſtrenis hiſce colebant. Exulare juſſit Auguſtinus quicquid impietatem tantam, quicquid otium, luxum, turpitudinem redolebat: hoc ei ſatis viſum non eſt; expedire cenſuit ut Chriſtianus populus eleemoſynas, jejunia, preces adhiberet. Sed quamvis videatur ex his verbis in poteſtate cujuſque eſſe jejunium non celebrare, alibi tamen aſſerit jejunium ſua ſponte quoslibet coluiſſe, ejuſque duo indicat genera. Alterum enim Chriſtianorum proprium eſt quod adhibebatur ante Paſcha, & principes Celebritates; alterum extraneum, indictumque ob nefarios Ethnicorum mores caſtigandos. Priùs quod noſtrum maximè fuit, nunquam Feſtis diebus colebatur; alterum celebrabatur eo tempore quo Idolorum cultores prophanis ſacris operabantur: *Ergo ſi novimus mala Ethnicorum, quia de ipſis malis & nos liberati ſumus, doleamus illos: Et ſi dolemus illos, oremus pro illis, & ut exaudiamur, jejunemus pro illis. Non enim nos noſtra jejunia celebramus per dies Feſtos illorum. Alia ſunt jejunia noſtra quæ celebramus per dies Paſchæ futuros, per alia atque alia, quæ ſolennia nobis ſunt in Chriſto. Per iſtos autem dies ad hoc jejunamus, ut quando ipſi lætantur, nos pro ipſis gemamus.* In Pſal. 98.

VII. Superſtitionis aliud genus execratur Sanctus Petrus Chryſologus Ravennas Archiepiſcopus. Larvam inducebant quidam, & Numina conficta repræſentantes, agenteſque, plurima quaſi emota mente, & lymphati patrabant, quæ vel ludicra, vel honeſta cenſebant, quamvis nullam Idolorum rationem habere viderentur. Damnat Chryſologus pravum hunc morem, contenditque non licere veri Dei cultoribus ſine ſcelere in turpibus & impiis hiſce ſpectaculis ſe oblectare: Diabolum ipſis imponere, dum eum irridere ipſi putant: Dei imaginem malorum Dæmonum ſpecie polluendam non eſſe: à Deo deficere eos qui inſigni adverſarii ipſius utuntur: cùm monſtris jocari inſanum eſſe, multò magis cum Diabolo: denique eos qui his gaudent, frui minimè poſſe æternis ac maximis Jeſu Chriſti voluptatibus: *Nonnè iſti amiſerunt imaginem Dei, ſimilitudinem perdiderunt; Chriſti exuti ſunt indumentum, qui ſe ſimulacrorum formis ſacrilegis formaverunt? Erras homo: non ſunt hæc ludicra, ſed crimina. Quis de impietate ludit, de ſacrilegio quis jocatur, piaculum quis dicit riſum? Qui ſe Deum facit, Deo vero contradictor exiſtit. Imaginem Dei portare noluit qui Idoli voluerit portare perſonam. Qui jocari voluerit cum Diabolo, non poterit gaudere cum Chriſto. Nemo cum ſerpente ſecurus ludit; nemo cum Diabolo impune jocatur.* Serm. 155. de Cal. Jan.

VIII. Eadem Sanctus Maximus perſequitur, atque aliud adducit genus ſceleris, quod ab Ethnicis pariter acceptum inter Chriſtianos quandoque ſerpebat. Mares muliebri amictu tecti fœminas te-

præ-

Digitized by Google

præſentabant, fœminæ mares, mutatis & ipſæ indumentis. Quid? Quod brutæ animantes quandoque videbantur, inductis larvis. Pœnitebat eos fortaſſe, commentis potiùs quàm veritati addictos, Divini operis, & imaginis in animo inſculptæ: *Non debet fidelis anima quæ Angelorum con-*

Hom. in Cal. Jan.

ſortia concupiſcit Dæmoniorum luſibus delectari &c. An non omnia quæ à miniſtris Dæmonum illic aguntur falſa ſunt & inſana? Quum vir, virium ſuarum vigore mollito, totum ſe frangit in fœminam; tantoque illud ambitu, atque arte agit, quaſi pœniteat illum quod vir eſt? Nunquid non univerſa ibi falſa ſunt, & inſana, quum ſe à Deo formati homines, aut in pecudes, aut in feras, aut in portenta transformant? Nunquid non omnem tranſcendit inſaniam, quum decorem vultus humani, Dei ſpecialiter manibus in omnem pulchritudinem figuratum, ſqualore ſordium, & adulterina fœditate deturpant? &c. Ubi inhoneſta, inverſaque omnia & faciunt, & loquuntur &c. Annum vocant novum &c. Concilium Turonenſe II. Altiſiodorenſe, anno 614. & Romanum, anno 742. Za-

Tur. Syn. c. 23. Altiſiod. Syn. c. 1.

charia Pontifice, execrata ſunt ſuperſtitionem & prophanum cultum Calendarum Januarii.

IX. Nonnulla hujuſmodi flagitiorum etiamnum ſuperſunt; hinc ea fuſiùs ſum perſequutus, Patribus & Conciliis in medium allatis, ut à pravis hiſce Ethnicorum reliquiis abhorreamus. Ad Idololatris quondam tam fœdè peccabatur, nunc à Chriſti cultoribus, quod multò deterius eſt. Sanè Idololatria omnis à Chriſtiana Republica exterminata eſt; non jam colitur Janus, non Saturnus, non Strena. Sed quæ (malum!) ſunt ea delitia, quæ ab impiis olim in regiones noſtras introducta, adhuc ſpectantur? Hoc utique eſt Diabolo auſcultare, & impiis ejus aſſeclis obſequi. An ea nos oblectant quibus humano generi fucum ille faciebat veri Dei cultum averſatus?

Qui verò permutatis indumentis, vel ſexum turpiter mentiuntur, vel ſub ferarum belluarum ſpecie deliteſcunt, contendunt quidem nec naturæ ſuæ pudore affici, nec Deum lædere qui eximiam pulchritudinis ſuæ imaginem in humana mente ac forma inſculpſit. Verùm Sanctorum Patrum argumentationes non proptereà eludunt: quum enim inepta Dionyſiorum oblectamenta non prophana tantùm & turpia ſint, verùm etiam impiæ ſuperſtitionis labe adſperſa, jure in pejorem partem trahuntur, parvi faciendo quæ afferunt, ob conſilii honeſtatem quam prætexunt. Ita cum Phariſæis ſe geſſit Jeſus Chriſtus, eos acriter perſtringendo, quanquam mitiſſimus. Intuitus enim eorum flagitia ſimul & cultum quo necatos pridem Prophetas proſequebantur, ait, *Væ vobis*

Luc. c. 11. 48.

qui ædificatis monumenta Prophetarum; patres autem veſtri occiderunt illos. Profecto teſtificamini quòd conſentitis operibus patrum veſtrorum; quoniam ipſi quidem occiderunt eos, vos autem ædificatis eorum ſepulchra. Adeò enim pravi & deteſtabiles erant Phariſæorum mores, ut tum quoque quum ampliſſima extruebant ſepulchra ſacris Vatibus ab eorum majoribus capite damnatis, jure eis objici poſſet non coli ab ipſis Prophetas, ſed perennia exigi interfectorum monumenta ad memoriam illius facinoris ſempiternam.

X. Hæc ſilentio præterire religioni habuimus, quicquid garriant nonnulli carpentes quæ præ tarditate ingenii, vel morum pravitate non aſſequuntur: neque enim Patres ſancti Eccleſiæ Religionem & mores vindicantes æſtu diſputationis abrepti ſunt, ut illi perperam dictitant. Satius foret, animique benè conſtituti argumentum, inſcitiam demiſsè fateri, dum quædam eorum loca tenebris offundi videntur, & illis qui nobis ſcientia antecellunt libenter concedere; quæ quidem animi moderatio ſapientiæ cuivis præſtat. Certè ejus compotes quilibet eſſe poſſunt, non penitiorum litterarum.

XI. Sed de his hactenùs. Quod pertinet ad corporis afflictiones, eas ſuperſtitioni objecere, præter Italos, Gallos, & Afros, etiam Hiſpani: ſiquidem Concilium Toletanum IV. An. 633. indixit quoddam abſtinentiæ genus Calendis iiſdem Januarii, eadem de cauſa, edixitque ne *Alleluja* caneretur in ſolennibus Eccleſiæ precibus: *Calendiis Januariis quæ propter errorem Gentilitatis aguntur, omninò Alleluja non decantabitur. In quibus etiam præter piſcem, & olus, ſicut in aliis quadraginta diebus, à cæteris carnibus abſtinetur; & à quibuſdam nec vinum bibitur.* Carne tantùm interdictum erat, ob nati, & circumciſi Divini Verbi, ut conjicimus, Solennia.

XII. At Durandus Mimatenſis Epiſcopus ait Calendis Januariis octavum nati Servatoris diem, non Circumciſionis agi. Verùm de Canonicis dumtaxat Horis pertractat, in quibus octavus ille dies tantùm recolitur; ſed Miſſæ Sacrum Circumciſionem ſpectat, atque adeò Horæ ipſæ Canonicæ, quum Circumciſio peracta fuerit octavo die; nec fieri poteſt ut horum unum ſine altero celebretur. Quotquot igitur arbitrati ſunt recoli Calendis Januarii octavum Nativitatis diem ita interpretamur ac ſi de Circumciſione loquuti eſſent, quod tam eſt verum, quàm Circumciſionis ritè peragendæ legitimum diem, octavum eundem eſſe. Ea verò quæ ex Durando adducuntur id magis confirmant. Neque enim dubitari poteſt quin ætate hujus Canonum interpretis celebrarentur ubivis Circumciſi Servatoris Solennia, ut patet ex Gratiani Collectione, & Decretalibus Litteris Gregorii IX. cæteriſque Eccleſiæ Faſtis ac monumentis pridem exhibitis. Itaque non aliud ſibi voluit, quàm Calendis Januariis de Circumciſione ſimul agi, & de octavo Nativitatis die. Capitularia Caroli Magni, & complures Feſtorum dierum catalogi unius Circum- L. 6. c. 186.
ciſionis meminere, cum qua unà octavus dies peragitur, ut plus millies diximus. Fuſiùs de his diſſeruimus, quòd plures eruditi cæteroqui viri à conjectura hìc aberraverint.

XIII. Supremam manum imponet huic de Circumciſione diſceptationi adnotatio quædam petita ab Hiſtoria Pariſienſis Academiæ, & Epiſtola Eudi T. 2. p. 541.
de Sully Epiſcopi Pariſienſis, edita anno 1199. quæ ibidem extat. Narrat Antiſtes ſe Cardinalis cujuſdam, qui fortè tunc aderat, auctoritatem interpoſuiſſe, ut deteſtabilia ſcelera dierum Circumciſionis & S. Stephani tolleret. Id præſtitit peragendo, collatis etiam muneribus, ritu longè ſolenniore utramque Celebritatem.

CAPUT IX.

De diebus Feſtis S. Stephani, S. Joannis Apoſtoli, & Innocentium.

I. Epiphania ex libello qui inſcribitur Ordo Romanus, *altera eſt ac multò ſplendidior Chriſti Nativitas.*

II. Natalem Chriſti diem excipit S. Stephani Celebritas in Conſtitutionibus Apoſtolicis.

III. S. Stephanus Martyribus cæteris prævius: eum continuò Eccleſia Hieroſolymitana coluit, cui reliquæ acceſſerunt.

IV. Quarto Eccleſiæ Sæculo Solennia hæc celeberrima fuerunt. Anteà nullæ comparent Orationes de laudibus ſanctorum quorumvis virorum ſigillatim, neque Apoſtolorum, neque Martyrum; ſed quædam tantùm verba & laudes quibus eos proſequuti nonnulli ſunt aliud agentes, ſacras videlicet Litteras de illis loquentes interpretati.

V.

V. Sermones plurimi S. Auguſtino perperàm adſcripti. De diebus Feſtis, quibus habiti dicuntur.

VI. Veteres Patres arcana Divinæ legis volumina enucleantes de laudibus Sanctorum virorum, quorum illa meminere, obiter egerunt. Conſequentibus annis habitæ ſunt Orationes in eorum laudem; ſed ut Majoribus mos geratur, adhibetur initio locus quidam è S. Scriptura petitus.

VII. Adnotationes quædam in Sermones Sanctorum Leonis & Auguſtini.

VIII. IX. Nullus S. Leonis & S. Petri Chryſologi ſermo agit de SS. Stephano, Joanne, & Innocentibus; quanquam plurimi extant de Chriſti Natali die, & Epiphania.

X. S. Stephani lipſana retecta, & VIII. Calendas Januarias Hieroſolymam adſportata, & alio. Hinc in Eccleſiam univerſam ejus Solennitas introducta.

XI. De S. Joanne Evangeliſta, ejus morte, & Templo Epheſi dedicato.

XII. Faſne ſit opem implorare Sanctorum qui non adhuc vivis exceſſerunt.

XIII. Quàm ſapienter ſe geſſerit S. Auguſtinus, dum variæ ac diſcrepantes ſententiæ ferebantur de ſupremo S. Joannis die.

XIV. S. Irenæus Sanctorum Martyrum faſtis Innocentes adſcribit.

XV. Sermones de Innocentibus aliiſque compluribus Sanctis viris perperàm S. Auguſtino adjudicati.

XVI. Illuſtria tanti Patris teſtimonia de Martyrio & gloria hujuſmodi Sanctorum Puerorum.

XVII. Hæ tamen dicendæ non ſunt revera Orationes.

XVIII. De Fatuorum inſulſis Solenniis jure à Synodo Baſileenſi damnatis.

I. EPiphania à Nativitate avelli minimè potuit ob plura à nobis allata, quibus patuit una eademque Solennia extitiſſe. Equidem Liber *Ordo Romanus* inſcriptus, Epiphaniam vocat Nativitatem alteram prima præſtantiorem, quòd in priore deliteſcere Dei Filius videretur, in hac maxima miraculórum gloria ſplendeſcere: *Nec hoc prætereundum eſt quod ſecunda Nativitas Chriſti tot illuſtrata myſteriis, honoratior ſit quàm prima. Tunc tantummodò natus eſt Chriſtus, & Angelus Paſtores affatus eſt. Hodie verò à Magis cum muneribus eſt adoratus. Hodie cum in Jordanis aquis tingeretur, Filius dilectus à Patre eſt vocatus de Cœlo &c.*

II. Ne ab octavo quidem & à Circumciſione, quæ tunc recolitur, Natalis dies abſtrahendus fuit. Agendum modò de tribus Feſtis diebus quæ Nativitatem excipiunt. Prior dicatur S. Stephano, primo nempè Diacono, & Martyri quoque primario, qui vitam pro Jeſu Chriſto cum ſanguine profudit. Hic igitur inter Martyres primus Feſto die eſt auctus. Ex Conſtitutionum Apoſtolicarum Auctore patuit, poſt Servatoris noſtri Solennia peragendas fuiſſe Apoſtolorum & S. Stephani Celebritates: *In diebus Apoſtolorum vacent. In*
L.1.c.4. *die Stephani Protomartyris item vacent, ac reliquis diebus Sanctorum Martyrum, qui Chriſtum vita ſua antepoſuerunt.*

III. Verba hæc ediſſerentes animadvertimus Apoſtolorum omnium tunc unum, ut videtur, dictum Feſtum fuiſſe, quamvis Petrus & Paulus alio quoque colerenter; quum tamen adnotentur hic S. Stephani Solennia. Saltem liquet verba hæc Martyres alios generatim tantùm complecti, & unum Stephanum recenſeri tanquam ſtrenuum aciei hujus ducem. Fieri quidem potuit ut ab Auctore illo major ejus ratio haberetur ob Eccleſiam Hieroſolymitanam, quam ſanguine fuſo Martyrum Princeps exornavit, & ut privata quondam Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Solennia à cæteris tandem colerentur, quæ eam veluti parentem veneratione maxima proſequebantur.

IV. Superſunt adhuc plurima egregia monumenta Patrum qui tribus prioribus ſæculis, & quarto ineunte floruerunt; nulla tamen extat Oratio, Homilia vel Sermo in aliquorum ſigillatim Sanctorum virorum laudem. Juſtinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Euſebius Pamphili, Tertullianus, Cyprianus, Hilarius, ac plerique omnes qui Græcam Latinamque Eccleſiam præclariſſimis litterarum monumentis illuſtrarunt, ingentem librorum molem elucubrati ſunt, & verba ſæpiùs pro concione fecerunt; egerunt tamen, vel de Religionis & Ethices Chriſtianæ fundamentis, vel de concertationibus cum Heterodoxis, vel de Canonicorum voluminum interpretatione: at mos adhuc non inveteraverat Sanctorum laudes celebrandi, ne Apoſtolorum quidem, vel Martyrum. Conſtabit id ſi conſulamus omnia S. Baſilii opera, in quibus vix unus aut alter Sermo habetur de Sanctis Martyribus Provinciæ Cappadociæ. Nam quum ad illorum Martyrum Templa frequens confluerct Chriſtianus populus, anniverſariis Sanctorum Martyrum cœtibus, Patres ſuarum partium eſſe duxerunt eorum fortitudinem illuſtrare. Idem dicimus de S. Gregorio Nyſſeno, tametſi verba fecit de S. Stephano Protomartyre, quæ poſt Orationes de Chriſti Nativitate jure collocata ſunt; quandoquidem exordium ducit ab utriuſque Celebritatis nexu. Sermonem de S. Stephano excipit alius de Epiphania, quæ ab Dom.1.
ipſo S. Gregorium Nazianzenum ſequuto, dies Luminum vel Illuminationis appellatur, ἡμέρα τῶν φώτων, ideſt Baptiſmi Jeſu Chriſti. De hoc enim duntaxat eo die pertractat, loquutus de Magorum cultu Natali die, quod pariter Nazianzenus præſtitit. Eſt igitur veriſimile S. Stephani Celebritatem peractam in Oriente fuiſſe medio ſæculo quarto, non Hieroſolymis tantùm, verùm etiam in Cappadocia, & fortaſſe alibi quoque. Non extant in Nazianzeni operibus niſi Orationes quædam de Sanctis Baſilio & Athanaſio, qui temporibus illis celeberrimi Eccleſiæ Doctores erant, de quibuſdam illarum regionum Martyribus, & de Jeſu Chriſti Myſteriis. Ne de Apoſtolorum quidem laudibus egerunt hujuſmodi Patres. Non ergo reſcire ex illis poſſumus num peractæ fuerint ab eorum Eccleſiis Celebritates Joannis & Innocentium, poſt Feſtos dies Nativitatis & Stephani. Plurima quidem Chryſoſtomi ſuperſunt; ſed idem dicendum videtur. Nam de rebus mores & Theologiam ſpectantibus agit, de Sacrorum Bibliorum interpretationibus, de Myſteriis Servatoris, & de quibuſdam locorum illorum, in quibus degebat, Martyribus. Equidem Joannis Baptiſtæ, Petri & Pauli res geſtas celebravit; ſed Evangelia quæ de illis egerunt ediſſerens. Quapropter quatuor hi præſtantiſſimi Græciæ Doctores ſæpiùs ſanctos Viros veteris Legis, quàm novæ commendarunt, quòd plura de illis occurrerent Sacræ Scripturæ loca.

Non inficior in ſexto Chryſoſtomi Volumine editos eſſe Sermones de S. Stephano, S. Joanne Evangeliſta, Sanctis Petro & Paulo, duodecim Apoſtolis, & S. Thoma pariter Apoſtolo. Sed exploratum eſt commentitia plurima & ab eo Patre abjudicanda, congeſta fuiſſe in Tomum illum poſtremum: nec deeſt Oratio in Deiparæ Annunciationem, de qua, Chryſoſtomi ætate, altum ubique fuit in Oriente ſilentium. Chryſoſtomus & Auguſtinus celeberrimi extitere Divini Verbi Præcones, & aliorum facilè principes, hic in Occidente, in Oriente ille: hinc evenit ut Orationes plurimæ ſub adſcito tantorum virorum nomine in vulgus ſpargerentur, de quibus ne cogitaverant quidem.

V. Conſtans eſt doctiſſimorum hominum ſen-

ten-

tentia, Sermonum *de tempore*, & *de diverſis* S. Auguſtino adſcriptorum, plures adjudicari quoque S. Ambroſio, & S. Cæſario Arelatenſi, quum in eorum pariter operibus edita ſint; quum tamen nec S. Ambroſii, nec S. Auguſtini eſſe videantur, ſed, vel S. Cæſarii, vel S. Anſelmi, vel aliorum, quorum operibus adjecti ſunt, ut juſtæ molis volumen excudi poſſet. Extant Sermones quidam S. Ambroſii in S. Joannem Baptiſtam, in SS. Petrum & Paulum, in S. Laurentium, in S. Cyprianum, atque alios: ſed emunctæ naris homines, quique de hujuſmodi rebus judicare poſſunt, nunquam addubitabunt Auctoribus aliis acceptos referendos eſſe. Cæterùm, quanquam Orationes complures reperiuntur de Chriſti Natali die, nulla tamen ſupereſt de Sanctis Stephano, Joanne, & Innocentibus, in Ambroſii Operibus.

Plurimi Sermones *de Sanctis* Auguſtino adtributi pertractant de tribus hiſce Feſtis diebus; ſed eorum complures Auguſtini fœtus non ſunt: qui verò rhapſodiam illam texuit, non ipſas tanti Patris Orationes exhibendas curavit, ſed varios de omnibus anni Solennitatibus tractatus, vel ex Auguſtino, vel undeunde decerptos, ex pluribus ſcilicet antiquis Scriptoribus Eccleſiaſticis. Edidit ergo collectitii operis Auctor Sermonem in Stephanum depromptum ex iis quæ Hipponenſis Antiſtes ſcripſerat de inſigni hoc Martyre, poſtremo Libro de Civitate Dei. Ejus quoque nomine alium divulgavit in S. Joannem Evangeliſtam excerptum è commentariis in caput ultimum Evangelii S. Joannis. Demùm alios complures edidit in Innocentes: at ſicubi ejus fides minimè vacillat & claudicat, tertius certè non obſcura præſefert falſitatis indicia, conflatus ex germanis verbis operis S. Auguſtini, *de verbis Domini*. Adnotatur in Lovanienſi editione priorem ſextumque Sermonem in Stephanum ab aliis S. Fulgentio adjudicari. Quartuſdecimus *de Sanctis*, ut Lovanienſes animadvertunt, de Converſione S. Pauli, à Beda profertur; ejus autem initium indicat explanationem quandam eſſe lectionis ex Actis Apoſtolorum in Sacro Miſſæ adhibitæ, ubi narratur quid geſtum ſit quum Deus Saulum ad meliorem frugem convertit. Alii de eodem à Lovanienſibus iiſdem ſublati ſunt, quòd laciniæ tantùm eſſent quinquaginta Homiliarum, ſeu Operis *de verbis Apoſtoli*. E Sermone S. Auguſtini de Nativitate, cujus meminit Beda, alter emerſit de Annunciatione ea ætate in Africa minimè celebrata.

VI. Idem eſto judicium de quamplurimis id genus Sermonibus *de Sanctis* inſcriptis, Auguſtino adjudicatis. Vel decerpti ſunt ex germanis ejus Libris, vel à S. Fulgentio aliiſve Epiſcopis conſcripti, vel agunt de diebus ſolennibus quæ tum minimè colebantur, vel certa falſitatis argumenta præſeferunt. Deprompti ex aliis S. Præſulis Operibus optimi ſine dubitatione dicendi ſunt, ut duo de S. Stephano, & S. Joanne Evangeliſta, fragmenta vel Operis de Civitate Dei, vel Interpretationis Evangelii S. Joannis. In hunc modum forſitan quatuor priorum Sæculorum Patres pro concione verba fecerunt de Apoſtolis & Martyribus, ac de Sanctis viris utriuſque Fœderis, ſacra videlicet volumina ediſſerentes. Idcircò Chriſtiani Oratores, quamvis de Sanctorum laudibus agentes, adhibent initio illuſtrem quendam Librorum Canonicorum locum, ut videantur veſtigiis Majorum inhærere, ſacra Biblia explanare, & Dei Verbum promulgare. Hoc inter nos & veteres intereſt, quòd illi Biblia data opera interpretantes, & in Sanctos viros incidentes, de eorum rebus geſtis laudibuſque agebant; nos contra, Apoſtolos, Martyreſve celebraturi aptum quendam locum in ſacris Voluminibus expiſcamur, & ad illos torquemus, exordium illinc ducentes.

VII. Floruit quinto Sæculo S. Leo Pontifex Maximus qui ſermones plurimos magno ingenii acumine & verborum elegantia concinnavit, ſed breviores cultioreſque quàm ut pro concione dici potuerint. Veriſimillimum videtur fuſiùs imbuiſſe populum Chriſtianæ Religionis myſteriis & præceptionibus, ac poſteà vel ipſum eadem in pauca contraxiſſe, vel contrahi præcepiſſe. Certè utriuſque generis eſſe Sermones Auguſtini videntur; nam eorum quidam brevitate & nitore cæteris præſtant, ut inſcripti *de Verbis Domini*, *de Verbis Apoſtoli*, primi in priores Pſalmos, & poſtremi in ultima Capita Evangelii S. Joannis. Alios longiores & minùs concinnos adhibuit ut plebi morem gereret, quanquam eruditionis & pietatis refertos, ut plurimos in Pſalmos, & in Evangelium S. Joannis.

VIII. Magni Leonis Sermones agunt ferè *de Jejuniis Quatuor Temporum*, *& Quadrageſimæ*, ac de præcipuis Divini Verbi Myſteriis; nonnulli tamen de SS. Petro & Paulo, Laurentio, & Machabæis. Petri & Pauli auſpiciis Urbs gloriabatur ubi eorum corpora condita ſunt. Laurentius quoque dicendus eſt fortiſſimus Romanæ Eccleſiæ Martyr, ejuſque ſacras exuvias coli maximè decuit. Si Sermo in Machabæos germanus Leonis fœtus eſt, adſcribendus quoque illi videtur alter in Dedicationem Ædis S. Petri ad Vincula, ubi eorum ſacra Lipſana, de quibus in Oratione agitur, colebantur: *Duplex cauſa lætitiæ eſt*, in qua *& Natalem Eccleſiæ colimus*, *& Martyrum paſſione gaudemus*. Quamvis autem ſuperſint Sermones decem hujus Pontificis de Nativitate, ac ſeptem de Epiphania, ne unus quidem agit de Sanctis Stephano, Joanne, & Innocentibus.

IX. Æqualis S. Leonis fuit S. Petrus Ravennæ Archiepiſcopus ob aureum eloquentiæ flumen Chryſologus appellatus, qui plures & ipſe id genus Sermones conſcripſit. Quadrageſimus ſupra centeſimum, & conſequentes uſque ad centeſimum quinquageſimum, Natalem Chriſti diem ſpectant. Adjiciuntur duo in Innocentes & breviſſimus in Stephanum. Sed ut aliorum judicia mittamus, modò perlegantur, conſtabit ſtatim falsò adſcribi Chryſologo. Nullus præterea extat in S. Joannem Evangeliſtam. Liquet ex hujuſmodi enumeratione prioribus quinque Eccleſiæ ſæculis, etſi tres illi dies Feſti erant, ut identidem monuimus, ea Solennia Sanctis hiſce non omninò fuiſſe dicata.

X. Quod pertinet ad S. Stephanum, Marcellinus Comes in Chronico memoriæ prodidit Sacerdotem quendam inſigni pietate virum, cui nomen Luciano, divinitùs admonitum, ſacra Martyris Lipſana retexiſſe, Honorio & Theodoſio Imperatoribus Coſs. Oroſius presbyter degebat tunc Hieroſolymis, quò, Auguſtino poſtulante, ſe contulerat ut Hieronymi ſententiam de animi origine expiſcaretur; illinc verò in Occidentem redux partem aliquam exuviarum Martyris ſecum adſportavit: Sed quum per Africam reverteretur, earum tum S. Auguſtino, tum pluribus regionum illarum Epiſcopis copiam fecit. Extruxerunt ergo Sacella ac Templa in S. Stephani memoriam, *Memorias*, *Limina Martyris*. Egit de his Auguſtinus, & de prodigiis quamplurimis patratis in hujuſmodi Ædibus, & alibi in Africa. Illud præterea tradidit lecta quoque fuiſſe in Eccleſia coram populo Acta & Teſtimonia tot mirandorum operum ritè conſcripta: *Ubi diligentia eſt quæ nunc apud nos eſſe cœpit, ut libelli eorum qui beneficia percipiunt recitentur in populo &c.* Religio hæc quæ à Palæſtina primùm in Africam migraverat, in reliquas tandem Occidentis Provincias cum Stephani Reliquiis penetravit; & idcircò tot ſacræ Stephani Ædes conſtructæ ſunt. Tunc verò videntur probata magis & univerſè quoque peracta fuiſſe tanti Martyris Solennia in Europa.

Baron. An. 414. 416.

De Civit. l.22. c.8.

Digitized by Google

pa. Conſignata fuit poſtridie Natalis Chriſti diri, quandoquidem illud erat Eccleſiæ Hieroſolymitanæ inſtitutum. Ut enim Luciaous prodit in Ba-
An. 416.
ronii Annalibus, ſacrum corpus menſe Decembri repertum eſt, & Hieroſolymam tranſlatum VII. Cal. Jaouar. Ita teſte omni exceptione majore religioſius hic dies confirmatur. Cur autem III. Non. Sextil. celebretur Inventio S. Stephani in Romano Martyrologio, Baronius in ſcholiis rationem afſert. Crediderim tamen eo die ſacra lipſana Romam delata fuiſſe ea ætate, qua non admodum intereſſe videbatur inter Inventionem, & Tranſlationem Sacrorum corporum.

XI. S. Joannem Evangeliſtam colit Eccleſia ipſo fortaſſe mortis die. Si enim fides habenda eſt monumentis quæ minimè vacillant, mortem obiit Epheſi ubi Eccleſiam adminiſtraverat & Aſiam omnem minorem vocatam. De eo certiorem fecit Victorem Romanum Pontificem Polycrates Epheſinus Epiſcopus miſſis ad ipſum litteris. Idem ait Tertul-
Euſeb. l. 3. c. 25.
lianus, ac præterea malè in animum induxiſſe quoſdam fore ut nunquam moreretur; quod Eliæ tantùm & Enoch Dei munere collatum eſt, ut nempè ante ſupremum vitæ diem aliò adſportarentur, quamquam hoc diem illum producere reipſa dumtaxat videtur: *Tranſlatus eſt Enoch, &*
L. de Anima.
Elias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet. Cæterum morituri aſſervantur, ut Anti-Chriſtum ſuo extinguant ſanguine. Obiit & Joannes, quem in adventum Domini remanſurum fruſtra ſperat. Meminit quoque Chryſoſtomus ſepulchri &
Hom. 26. in ep. ad Ebr.
Reliquiarum S. Joannis; & Hieronymus pariter contendit, Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Apoſtolum Epheſi occubuiſſe, & illatum in tumulum propè Civitatem. Plura Oecumenicæ Synodi Epheſinæ loca hæc confirmant, & cultum illi exhibitum, Templum in eadem urbe erectum, multos è longinquis regionibus profectos ea loca luſtraſſe, opinionem quoque aliorum quæ ibidem inveteraverat, Deiparam poſt Filii in Cœlum reditum Epheſi cum Joanne vitam egiſſe. Quapropter ampliſſima Ædes excitata fuerat, ibique Synodus coacta. Quum autem Templum ſolo æquatum eſſet, aliud ſplendidius Juſtinianus Cæſar conſtruxit; quæ omnia è Baronii ſcholiis in Romanum Martyrologium excerpta ſunt. Conſuluimus quidem Cardinalem doctiſſimum de ſtato Joannis die; verùm ne verbum quidem de eo fecit. Diem hunc lubens ab Oecumenicis celeberrimiſque Comitiis repeterem, quòd tunc maximè tanti Apoſtoli gloria ubique ſplendeſcere viſa ſit. Nam conſimilibus de cauſis Feſti dies Eccleſiarum quarundam in alias invecti ſunt, ut S. Stephani cultus ex Palæſtina & Hieroſolymitana Eccleſia in Africam & Europam introductus eſt, ob ſacra lipſana reperta, & quoquoverſum adſportata. Joannis Celebritas relata eſt in faſtos Comneni Imperatoris, octavo die Maji.

XII. Curioſitatis plurimum, utilitatis parum ineſt in ea quæſtione, num coli poſſet Feſtus dies Joannis ubi non adhuc è vivis exceſſiſſet. Equidem facilè ſolveretur ex Tertulliano & Comneno. Ut enim ille ait, neque Enochus, neque Elias mortem obierunt; quod de Elia ſaltem omnes fatentur: Comneni autem ſanctio Prophetæ hujus Solennia recenſet, & in ſacris Latinorum faſtis ſuum uterque obtinent locum. Plures quoque Feſtum Eliæ diem, & Canonicas preces celebrant. Coli ergo jure poſſet dies pariter Evangeliſtæ, quamvis adhuc hujus lucis uſura frueretur. Teſtantur Eccleſiæ monumenta Sanctos quoſdam viros vitæ adhuc compotes ſe videndos exhibuiſſe, opemque tuliſſe iis qui ad eos confugiebant. Magnus quoque Gregorius prodidit Paſchaſium Romanæ Eccleſiæ Diaconum, ejuſque tumulum miracula patraſſe, dum flammis adhuc purgaretur, & beneficia in ejus cultores fuiſſe collata.

XIII. Longiùs hæc nos abducerent, & curioſè magis quàm piè dici viderentur. Adnotaſſe ſufficiat quanam ratione ſe geſſerit S. Auguſtinus. Cenſuit Joannem, ut cæteris uſuvenit, occubuiſ- Tract. 124. in Joan.
ſe; at non ægrè fert aliud videri quibuſdam, qui ex æſtu & motu terræ ſub qua conditus fuerat, eum etiamnum vivere conjiciebant, quod quidem pluribus perſpectum erat: *Cui placet adhuc reſiſtat &c. Et aſſerat Joannem adhuc vivere, atque in illo ſepulchro ejus quod eſt apud Epheſum dormire eum potiùs, quàm mortuum jacere contendat. Aſſumat in argumentum quòd illic terra ſenſim ſcatere & quaſi ebullire videtur, atque hoc ejus anhelitu fieri &c. quia & revera non à levibus hominibus id audivimus. Interim cedamus opinioni, quam certis documentis refellere non valemus &c.* Dignam planè tanto viro ſapientiam & animi moderationem! Probatæ magis ſententiæ accedebat, alias minimè ſugillabat, niſi rationum momenta cogerent. Teſtes fide dignos non eſt adſpernatus, tametſi de difficillimis rebus agebatur, niſi falſi argui poſſent. Cæterùm nuſquam Auguſtinus aliis objecit Joannem coli, & ut Apoſtolos cæteros obſervari, nuſquam preces adhibitas in medium protulit.

XIV. Ad Sanctos Innocentes pueros me confero quos Martyres Irenæus vocat, & opima ſpolia Regalis Divinique pueri, qui Regum omnium adverſantium viribus confractis, profligatiſque copiis, ea in ampliſſimum Cœli Regnum aulamque præmittebat: *Propter hoc & pueros eripiebat qui erant in domo David benè ſortiti illo tempore naſci, ut eos præmitteret in ſuum Regnum, ipſe infans quum eſſet, infantes hominum Martyres parans propter Chriſtum qui in Bethleem natus eſt Judæ in civitate David interfectos, ſecundum Scripturas.* Circumferuntur Homiliæ quædam Origenis *in Diverſos*, quarum tertia dilucidè admodum & apertè agit de Innocentibus, & eorum Solen- Hom. 3. in Diverſ.
nitate. Sed illud putidiuſculum eſt, teſtari Origenem indictam fuiſſe à Majoribus hujuſmodi Celebritatem: *Bene ergo & ſecundum voluntatem Dei Sancti Patres eorum memoriam celebrari mandaverunt ſempiternam.* Crediderim tam Origenis, quàm S. Auguſtini Homilias *de Diverſis* ab opificibus iiſdem excuſas.

XV. Baronius in ejuſmodi ſcholiis Tractatus duos de Innocentibus innuit ex Poſſidii Catalogo. Verùm ea verba, *De Octavis Infantium Tractatus duo*, ſpectant octavum diem Paſchalem qui *Dominica in Albis* eo appellatur quod Neophyti ſeu recens Baptiſmo initiati mitterent candida indumenta quæ adhibuerant Paſchali pervigilio & conſequutis diebus tanquam inſigne quoddam candoris animi, integritatis, & Divini illius ortus. Id ſatis confirmat ipſe utriuſque Tractatus locus & ordo; conſequuntur enim alios viginti tres in pervigilium Paſchæ, tres de Symbolo, unum de Dominica precatione, & parænesin ad Catechumenos Competentes vocatos, *Exhortatorium ad Competentes*. Etenim exactis quadraginta dierum exercitationibus, Chriſtianis ſacris initiandi erant, dum interea loci Fidei rudimenta & preces à Chriſto inſtitutæ illis explanabantur. Itaque quando cæteri omnes Tractatus de Baptiſmo Paſchalis pervigilii agebant, qui conſequebantur dicendi ſunt eodem ſpectaſſe. Qui enim fieri potuit ut Sanctus Præſul qui ne verbum quidem fecerat de Feſto Innocentium die, duplicem de Octavo Tractatum concinnaret? Fieri ne potuit ut quamvis tunc ea Celebritas peracta fuiſſet ab Afris totos octo dies duraſſet? Recenſet inibi Poſſidius Orationes pleraſque in Joannem Baptiſtam, Petrum & Paulum; nuſquam tamen Octavorum dierum meminit. Nec quicquam eſt quod pertineat ad Stephanum vel Joannem Evangeliſtam, quod argumento eſt non malè à nobis quædam paulò ante adnotata fuiſſe.

XVI.

XVI. Eò autem liberiùs quid ſentiam de commentitiis hujuſmodi rebus profero, quòd multa minimè nutantia ſuppetant ad confirmandum, ſi minùs Feſtum diem, illuſtre certè Martyrium, & immortale decus Sanctorum Puerorum. Etenim quicquid in medium adduci poſſet ad convellendum hujuſmodi Martyrium ea cæde aliorum Infantium ab hoſtibus interfectorum Chriſtianæ Religionis cauſa; majoris tamen momenti eſt vetuſta ac conſtans Eccleſiæ Traditio quæ Infantibus ab Herode necatis favet. Sanctus Auguſtinus diſertè docet Jeſum Chriſtum ope Herodis, Diaboli quamvis adminiſtri, Pueros hoſce à malorum Dæmonum captivitate vindicatos in libertatem aſſeruiſſe, & adverſariorum liberos, ſuos effeciſſe: affectos quidem eſſe mœrore parentes, ſed gnaros tanquam Martyres æternam felicitatem adeptos. Ita Divino quodam conſilio Jeſus Chriſtus, quanquam injuriis laceſſitus, triumphat, & omnis pietatis hoſtes ſuis ſe gladiis jugulare cogit; eorum manibus impium Regnum funditùs evertit, ſuumque extruit Templum: opes denique Divinæ Gratiæ in his Infantibus conſpiciendas præbet, eos qui per ætatem nihil de ſe benè mereri, atque adeò ne cogitare quidem poterant, maxima Martyrii gloria exornando: *Ille autem fons Gratia parvus & magnus, qui in præſepi jacet, thronum tuum terret, ò Herodes; agit per te neſcientem cauſas ſuas, & à captivitate Diaboli animas liberat. Suſcepit filios inimicorum in numerum adoptatorum. Moriuntur parvuli pro Chriſto neſcientes, parentes plangunt Martyres morientes. Ille nondum loquentes, idoneos ſuos efficit teſtes. Ecce quomodo regnat, qui ſic regnare venerat. Sed tu Herodes neſciens hoc turbaris & ſævis, & dum contra parvulum ſævis, obſequium jam illi præbes & neſcis. Ille enim Rex magnus qui ad hoc venit, ut per te & per alios, ſuos hinc congreget; tu illi prior ad Regnum Cœlorum tot millia candidatorum Infantum, innumerabilem præmittis exercitum &c. O magnum donum Gratiæ! Quibus eorum meritis præſtitum eſt ut ſic vincerent Infantes? Necdum loquuntur, & Chriſtum confitentur. Nondum motibus membrorum valent ſuſcipere pugnam, & victoria jam efferunt palmam. Quomodo ergo regnas, Herodes, qui ſic vinceris?* Theologos in hoc opere non agimus ea ſubtiliùs expendentes, neque tanquam Divini Verbi præcones pro concione verba facimus. Feſtos dies ſcrutamur conſulentes Hiſtoriæ monumenta, Concilia, ac Patres.

L. 3. de Symbol. ad Catech.

XVII. Auguſtinus igitur non eo conſilio Innocentes celebravit, ut illos die ipſorum Feſto laudibus proſequeretur; ſed Catechumenos imbuebat Religionis rudimentis, ut præſtitit quoque altero in Symbolum Tractatu, & Libros vel Epiſtolas conſcribens. Eadem prorſus ratione ſe geſſit S. Gregorius in Celebritate S. Felicitatis, Evangelia ediſſerens, & in ejus ac liberorum ſeptem laudes excurrens.

Epiſt. 18.

XVIII. Molanus, ex Theophilo Raynaudo elevat ineptias juniorum Eccleſiæ Cantorum, qui alicubi Feſto Sanctorum Infantium die, joco, Epiſcopum, Decanos, & cæteros Eccleſiæ Magiſtratus agunt, & loca Canonicorum occupant in Odeo. Eò, ut Theophilus ait, detorquet quædam verba S. Bernardi dicentis fore ut in Purificationis ſupplicatione primi poſtremum locum obtineant, poſtremi primum. Sed ut optimè idem animadvertit, loquebatur Bernardus de vulgari cujuſvis ſupplicationis more, junioribus præeuntibus; nec quicquam cogitavit *de Feſto Fatuorum die*, qui agitabatur quandoque non ſine Religionis dedecore. Ex Durando intelligimus inepta hæc Solennia complures dies peracta eſſe; poſtridie nempè S. Stephani die inchoata ad octavum uſque Epiphaniæ proferebantur. Synodus quoque Baſileenſis perſequuta eſt impia illa monſtra ac deliria: *Turpem etiam illum abuſum in quibuſdam frequentatum Eccleſiis, quo certis anni Celebritatibus nonnulli cum Mitra, Baculo, ac Veſtibus Pontificalibus, more Epiſcoporum benedicunt. Alii ut Reges ac Duces induti, quod Feſtum Fatuorum, vel Innocentium, ſeu Puerorum in quibuſdam regionibus nuncupatur; alii larvales & theatrales jocos, alii choreas & tripudia marium & mulierum facientes, homines ad ſpectacula & cachinationes movent; alii commeſſationes & convivia ibidem præparant. Hæc Sancta Synodus deteſtans, ſtatuit & jubet &c.* Superſunt alicubi reliquiæ hujuſmodi carminum, ſaltationum atque inſulſorum ſpectaculorum impietatem redolentium. Epiſcopi verò eſt, ejuſque adminiſtrorum, ea è Chriſtiana Republica radicitùs evellere, ut Synodus præcipit. Gerſoni, ni fallor, ea ſanctio accepta referenda eſt; acerrimè enim perſtrinxit tantum ſcelus & Chriſtiani nominis dedecus.

Meteorol. Spir. p.137

Serm. 2. de Purific.

L. 2. c. 42.

Seſſ. 21.

C A P U T X.

De S. Petri Cathedra, tum Romana; tum Antiochena. De Anniverſariis Solenniis Conſecrationis cujuslibet Epiſcopi, & Baptiſmi cujuſvis Chriſtiani.

I. Collatio trium hujuſmodi Feſtorum dierum.

II. Antiquitas Celebritatis Cathedra S. Petri viceſimo ſecundo Februarii die.

III. S. Leo Romanus Pontifex celebraſſe viſus eſt quotannis Cathedram S. Petri, verba faciens de eo die quo tanto Sacerdotio ipſemet auctus eſt.

IV. S. Auguſtini Sermones de anniverſario Conſecrationis ſuæ die.

V. Pontifices maximi Epiſcoporum Synodum in Urbe cogebant eo die, quo ampliſſima illa dignitate aucti fuerant.

VI. Illinc oritur neceſſitas celebrandi Feſtum diem Cathedra S. Petri.

VII. Illuſtriora quædam exempla celebrata anniverſaria Conſecrationis Sanctorum Epiſcoporum, poſtquam è vivis exceſſerant.

VIII. De Romana S. Petri Cathedra: De S. Jacobo Hieroſolymis, & S. Marco Alexandriæ.

IX. Celebritas Romana Cathedra S. Petri à Paulo IV. inſtaurata.

X. De Antiochena & Alexandrina.

XI. Tam Romana quàm Antiochena Ethnica ſuperſtitioni objecta.

XII. Anniverſaria Romani Pontificis Conſecratio.

XIII. S. Carolus in Concilio Mediolanenſi III. in lucem revocavit Solemnitatem Conſecrationis Epiſcopi, & cujuſcumque Sacerdotis.

XIV. Ex veteri more à S. Carolo inſtaurato, à quolibet Chriſtiano anniverſarius Baptiſmi dies colendus eſt.

I. TRiplex diverſarum Celebritatum genus exhibemus, quæ tamen invicem nexæ videntur: ſiquidem Cathedra S. Petri, ſive ea Romana, ſive Antiochena ſit, univerſam ſpectat Eccleſiam, cujus Caput Petrus Antiochiæ primùm præfuit, tum Romæ. Quum Templorum Dedicationes quotannis recolerentur; æquum etiam fuit ſolenni ritu celebrare Conſecrationem Epiſcoporum, qui ſpirantia ſunt Dei Templa, & veluti aliarum Ædium mens atque animus. Idcircò ſanctos ſe operæ pretium exiſtimarunt Sacrorum Antiſtites ſi ſuam quotannis recolerent Conſecrationem ſtato die, quo fuerant initiati. Si verò, ut Apoſtolus ait, Baptiſmo Dei Templum efficimur, unuſquiſque autem, ex Auguſtino, vo-

eatur in partem curæ ac laboris Epiſcoporum pro ſalute æternaque felicitate eorum qui ſacris iiſdem initiantur, quique ejuſdem myſtici corporis membra ſunt, recolendus erit ab unoquoque ſingulis annis Baptiſmi dies, quo Deo ſe dedidit, ſeque aliorum etiam ſaluti æternæ addixit.

II. In Sermone S. Auguſtini nomen præferente Celebratio Cathedræ S. Petri, indicta dicitur ad diem illum recolendum, quo Apoſtolorum Princeps Epiſcopale munus ſubiit:
De Sanctis Serm. 15. *Inſtitutio Solennitatis hodiernæ à Senioribus noſtris Cathedræ nomen accepit, ideò quod primus Apoſtolorum Petrus hodie Epiſcopatus Cathedram ſuſcepiſſe referatur.* Sed quando id genus Sermonum auctoritas vacillat, en Canonem Concilii Turonenſis II. An. 567. qui Feſtum hunc diem non inſtituit, ſed tanquam vetuſtum probat, & pravis quibuſdam moribus
Can. 22. qui ſerpebant occurrit: *Sunt etiam qui in Feſtivitate Cathedræ Domni Petri Apoſtoli cibos mortuis offerunt, & poſt Miſſas redeuntes ad domus proprias, ad Gentilium revertuntur errores, & poſt Domini ſacratas Dæmoni eſcas accipiunt.* Agebatur ergo hujuſmodi Celebritas, res Divina fiebat, & ſacræ Euchariſtiæ dapes adparabantur; quibus ritè peractis, Idololatrarum cæremoniæ tanquam peſtis abigendæ erant.

III. Nullus S. Leonis Sermo de Petri Cathedra agit; tres ſuperſunt in anniverſariam celebritatem ejus diei quo maximum Sacerdotium inivit;
Serm. 123. In Anniverſ. die Aſſumpt. ſuæ. inſcribuntur verò, *Natalis Cathedræ*. Hæc habet in priore maximas Deo gratias agens pro collato tanto munere, cui ſe imparem arbitratur: *Honorabilem mihi hodiernum diem fecit Divina dignatio, quæ dum humilitatem meam in ſummum gradum provehit, quod neminem ſuorum ſperneret demonſtravit.* In poſtremo aſſerit regi etiamnum à Petro Romanam Eccleſiam, & adeſſe præſentem opem ferendo illis qui ſuum obtinent locum; coli etiam Petrum quoties anniverſariam Celebritatem initi Pontificatus maximi Romani Antiſtites peragunt: *Illi ergo hunc ſervitutis noſtræ Natalitium diem, illi adſcribimus hoc Feſtum, cujus patrocinio Sedis ipſius meruimus eſſe conſortes.* Itaque Feſtus ille dies qui à ſingulis Romanis Pontificibus agebatur, videri poſſit quædam Cathedræ S. Petri Solennitas extitiſſe.

IV. Poſſidius quoque opera S. Auguſtini recenſens conſimilis Feſti diei meminit, *De Natali Epiſcopi Tractatus unus*. Sed Hipponenſis Præſul nobis in homiliis duabus ob oculos poſuit quid in mente agitaret anniverſario Conſecrationis die.
L. 50. Hom. Hom. 24. 25. Contendit oportere quidem Epiſcopum continenter ad munus ſuum animum adjungere, ut id maximè præſtare eo die ſingulis quibuſque annis vertentibus, recogitando quid antea geſſerit, futuris proſpiciendo, animum in Deo obfirmando, eique maximas gratias agendo, pœnaſque admiſſorum criminum demiſsè à ſemetipſo repetendo: *Die quidem omni & omni hora, & cura omninò continua, dilectiſſimi, cogitare debet Epiſcopus, quanta diſpenſationis ſarcinam gerat, qualem de illa rationem Domino reddat ſuo. Veruntamen quum dies anniverſarius noſtræ Ordinationis exoritur, tum maximè honor hujus officii, tanquam primò imponatur, attenditur. Intereſt autem quod eo die quo id primum ſuſcepimus, tantum quemadmodum gerendum eſſet cogitavimus. At verò conſequentibus diebus, præcipuèque illo quo ejus Solennitas agitur, non ſolum futura ejus quemadmodum agi debeant, cauta proviſione conſulimus; verum etiam præterita quemadmodum geſta ſint, ſolicita recordatione recolimus, ut noſmetipſos in benefactis imitemur; & ſi quæ culpanda tranſierunt, ne repetantur curemus; ut ignoſcantur oremus; & accuſationem Diaboli, ubi poſſumus, rectè agendi ſedulitate fugiamus; ubi autem non poſſumus, confitendi pietate vincamus. Sicut ne fiat, proſpicit charitas, ita facta delet humilitas.* Alibi populum hortatus eſt ut in Eccleſiam ſe conferret ad recolendum diem quo Aurelius ad ampliſſimam Carthaginenſis Eccleſiæ dignitatem evectus fuit. Serm. 32. de Verb. Dom.

V. Sed ut ad maximos Urbis Sacerdotes revertamur, qui Epiſcopos undique cogebant ut Feſtum hunc diem tanti Sacerdotii agerent, S. Epiſt. 16.
Paulinus narrans quàm humaniter ſplendidèque exceptus fuerit ab Anaſtaſio Pontifice, ait, ſe Romæ egiſſe Feſto die SS. Petri & Pauli, ubi Anaſtaſius luculentis benevolentiæ argumentis exhibitis, ab eo petiit, ut illuc reverteretur ſolenni Conſecrationis die, Natali quoque appellato, ad quem Epiſcopos dumtaxat advocabat: *Nos ipſos Romæ cum ſolenni conſuetudine ad Beatorum Apoſtolorum Natalem veniſſemus, tam blandè quàm honorificè excepit. Poſteà quoque interpoſito tempore, etiam ad Natalem ſuum, quod cum Sacerdotibus tantum ſuis deferre ſolet, invitare dignatus eſt.* Epiſcopos autem tantùm cogebat Pontifex Maximus, quoniam Conſecrationis ſuæ die indicta erant in Urbe Comitia. Id apertè tradit in Litteris ſuis Hilarus Papa: *Præſidente fratrum numeroſo Concilio ex diverſis Provinciis ad diem Natalis noſtri, in honorem B. Petri Apoſtoli per Dei gratiam congregato*; & alibi, *Lectis in conventu fratrum, quos Natalis mei Feſtivitas congregaverat, litteris veſtris &c.* Extat Synodus ſub Hilaro, in qua de variis Eccleſiæ negotiis agitur, ac ſacri Canones invicto animi robore aſſeruntur. Sixtus III. Rom. Pont. in litteris ad S. Cyrillum Alexandrinum, & Joannem Antiochenum miſſis meminit hujus Synodi, cui præfuiſſe ait Petrum: *Sancta namque & venerabili Synodo, quam Natalis mihi dies, favente Domino, congregarat, quia ſic credendum eſt, ipſe Petrus præſedit.* Epiſt. 8. Epiſt. 2.

VI. Et quando peragebatur quotannis dies Sacerdotii maximi cujuſvis Pontificis, quo S. Petrus quoque coli videbatur, ut ex Leone, & Hilaro intelligimus, æquum erat diem quoque illum celebrare, quo primùm Romæ, & Antiochiæ præfuit Apoſtolorum Princeps. Hinc in libro Sacramentorum S. Gregorii, viceſimo quarto die Februarii conſignatur Cathedra S. Petri.

VII. Anaſtaſius Bibliothecarius memoriæ prodidit Ignatium Byzantinum Patriarcham, non tantùm ingrati animi vitio in Methodium, cujus locum impleverat, minimè laboraſſe, verùm ejus etiam memoriam quotannis ſolenniter coluiſſe: In Præf. 8. Synod.
Et diem anniverſarium ſolenniter & impretermiſsè ſuper ejus nomine celebraret. Non levis eſt conjectura, Feſtum diem ab Ignatio obſervatum Methodii Conſecrationem fuiſſe. Neque enim Sanctorum faſtis quempiam adſcribere, ariſque augere, ut publicè ab Eccleſia coleretur, Ignatio licuit. Sed Celebritas quæ vivo adhuc Methodio inſtituta erat, produci poſteà potuit. Hac, ni fallor, de cauſa bis quotannis Sancti quidam recoluntur in Comneni Edicto. S. Joannis Solennia, tum octavo die Maji, tum viceſimoſexto Septembris celebrantur. Bis quoque Feſti dies SS. Athanaſii & Cyrilli occurrunt. In Romano quoque Martyrologio ſeptimus Decembris dies Conſecrationi S. Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi dicatur: *Mediolani Ordinatio S. Ambroſii &c.* Meminit S. Gregorii Papæ duodecimo die Martii, Cap. 16.
& Conſecrationis tertiodecimo Septembris. Ut autem cenſet Radulphus Tungrenſis, quotieſcunque ejus Solennia in Quadrageſimam cadunt, die Conſecrationis aguntur. Tandem, ipſomet Martyrologio docente, novimus Solennia S. Baſilii Cæſareæ in Cappadocia Antiſtitis die illo celebrari, quo eo Sacerdotio eſt initiatus: *Cæſareæ in Cappadocia Ordinatio S. Baſilii Epiſcopi.* Dignum autem quod magis animadvertatur eſt, die

mortis

moris S. Baſilii Calendis Januariis ſolenniorem extitiſſe cum quo Epiſcopatu initiatus eſt : *Cæſarea in Cappadocia Ordinatio S. Baſilii Epiſcopi*. Ita Martyrologium. Mos celebrandi Sanctorum Antiſtitum Solennia recurrente die peractæ Conſecrationis, ortitur, ut videtur, à producta poſt eorum mortem Solennitate, quam ipſi quondam ſingulis annis agebant.

VIII. Liquet ex Baronii adnotationibus in Cathedram S. Petri decimo octavo die Januarii, Romanam Eccleſiam veneratione proſequutam eſſe Cathedram hanc, ubi Petrus in Urbe ſedit, & quæ lignea eſt ſella in Templo Vaticano adhuc adſervata. Euſebio teſte, conſimilis S. Jacobi Apo- *L. 7. c. 14.* ſtoli ſella Hieroſolymis eadem religione ſervabatur Conſtantini Cæſaris ætate. Alexandrina verò S. Marci adeò colebatur, ut S. Petrus Martyr nunquam auſus fuerit eam adhibere timore perculſus ob radios quoſdam, quibus illam micantem intuebatur. Mortuus tamen S. Antiſtes in ea eſt collocatus.

IX. Cæterùm Romanæ Cathedræ Celebritas, cujus memoria ferè obliterata fuerat, in Urbe inſtaurata eſt, anno 1558. Pauli IV. Conſtitutione à Bollando allata. Queritur, nec injuria, Pontifex Maximus, Feſtum hunc diem, in Hiſpania, in Gallia, & in ultimis regionibus ſolenniter celebratum, negligi Romæ, ubi tamen Antiochena Cathedra recolebatur. Uſuardus quidem faſtis ſuis S. Petrum adſcripſerat; ſed non omnia, quæ in Martyrologiis adnotantur, ſolenniis inſtitutis coluntur.

X. Quod ad Antiochenam, Apoſtolorum Princeps, ut conſtat, Antiochiæ primum præfuit, deinde Romam ſe recepit. Teſtatur id Euſebius in Chronico; adjicit verò Magnus Gregorius, gubernaſſe Antiochenam Eccleſiam annos ſeptem, antequam Romam proficiſceretur. Quapropter quum Marcus quoque ejus aſſecla Alexandriæ præficeretur, arbitratur in hiſce tribus Sedibus unam *L. 6. ep. 37.* Petri Cathedram ineſſe: *Itaque quum multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen Principatu ſola Apoſtolorum Principis Sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius eſt. Ipſe enim ſublimavit Sedem in qua etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt. Ipſe decoravit Sedem, in qua Evangeliſtam diſcipulum miſit. Ipſe firmavit Sedem, in qua ſeptem annis, quamvis diſceſſurus, ſedit.*

XI. Joannes Belethus, qui abhinc annos quadringentos floruit, tradit indictam fuiſſe hanc Celebritatem menſe Januario qua S. Petri Cathedra, ſive Romana, ſive Antiochena coleretur, ut occurri aliqua ratione poſſet reliquiis Idololatriæ ipſos Chriſtianæ Religionis cultores in diſcrimen adducentibus. Etenim Ethnici convivia inſtruebant ſuper Majorum tumulos, quaſi hi nihil antiquius haberent quàm veſci ejuſmodi epulis. Ut igitur aliò Chriſtianorum mentes & ſtudia avocarentur, Feſtus hic dies eſt inſtitutus, vocatuſque ob eas dapes, *Feſtum Petri epularum*.

XII. Unicum verbum adjiciam de ſolenni Ro- *Explic. div. Offic. c. 83.* manorum Pontificum Conſecratione, eam videlicet omni animi contentione peragendam illos curaſſe, ut novis veluti viribus inſtruerentur. Anaſtaſius enim Bibliothecarius in rebus geſtis Hadriani I. prodidit, jubente hoc Pontifice confectum fuiſſe candelabrum maximum in crucis formam diſpoſitum, in quo cerei mille trecenti ac ſeptuaginta figebantur; ardebant autem hæ faculæ in Æde S. Petri quater tantùm ſingulis annis, Natali Chriſti die, Paſchali, Feſto SS. Petri & Pauli, & eo quo Antiſtes Maximus Sacerdotio auctus fuerat: *Fecit & Pharum Majorem in eadem B. Petri Eccleſia in typum crucis, qui pendet ante Presbyterium, habentem candelas mille trecentas & ſeptuaginta, & conſtituit ut quatuor vicibus in anno ipſum Pharum accenderent, id eſt, in Nativitate Domini, in Paſcha, in Natali Apoſtolorum, & in Natali Pontificis.*

Thomaſſini de Feſtis.

XIII. Arridebat maximoperè, ut conjicio, hujuſmodi inſtitutum S. Carolo; ſtatuit enim in Concilio Mediolanenſi III. ut in priſtinum morem revocaretur ſanctio Felicis IV. qui juſſit Epiſcopos quotannis Conſecrationem recolere, vel eam ſaltem tunc peragere quum per alias Celebritates liceret: *Plena ſanctiſſimis Myſteriis quum ſit Conſecratio Epiſcopi, illud à Felice IV. Pontifice maximo conſtitutum etiam eſt, ut anniverſarius ejus Conſecrationis dies celebraretur. Quod inſtitutum jamdiu intermiſſum, ut in hac Provincia ad uſum revocetur, ſtatuimus ab unoquoque Epiſcopo anniverſarium Conſecrationis ſuæ diem ſolemni ritu agi. Si verò in Conſecrationis diem Feſtus dies inciderit, cujus diei Feſti Officium ex inſtituto Eccleſiæ transferri non liceat, Conſecrationis Celebritas in alium diem transferatur, quo agi liceat.* *Act. Eccl. Med. p. 97.* Neque id ſatis viſum fuit, ſed recolendus erat à Presbyteris ſingulis Sacerdotii dies, precibus impenſiùs, & rei Divinæ vacando: *Sacerdotes verò, quo die eorum unuſquiſque Sacerdotio initiatus eſt, illum etiam quotannis recolant Miſſæ Sacrificio & precibus*. Concilium Mediolanenſe IV. idem ſtatuit, adnotandumque eum diem in Faſtis cura- *Ibid. p. 133.* vit, ut populus preces adhiberet pro Præſule, Epiſcopus ſolenni ritu ſacris operaretur, & verba pro concione fierent ad petendas populi preces, ut Præſul quæ geſſiſſet expenderet, ac munus ſuum gnaviter impleret.

XIV. Concilium Mediolanenſe III. omnia patriſfamilias munera diligentiſſimè perſequitur, ut *Pag. 103.* parentes intelligerent ſe aliquomodo Epiſcoporum ſimiles eſſe. Sed ne multa. Baptiſmus quoque Conſecratio quædam eſt, quique eo initiantur Sacerdotum ſimiles videri poſſint. Idcircò ex Micrologo novimus à ſingulis celebratum fuiſſe quotannis Feſtum diem vocatum *Paſcha annotinum*, id eſt quo Baptiſmo perfuſi fuerant: *Romani annotinum Paſcha, quaſi anniverſarium Paſcha dicunt, quia antiquitus apud illos qui in priori Paſcha baptizati erant, in ſequenti anno eodem die Eccleſiam conveneru, ſuæque regenerationis anniverſarium diem cum oblationibus ſolenniter celebraverunt*. Hos quoque priſtinos mores inſtauravit S. Carolus adjiciens quæ mens Patrum fuiſſet. Nam Chryſoſtomus populum hortabatur ut memoriam refricaret ſolennium Baptiſmi ſponſionum; Nazianzenus teſtatus eſt ex veteri inſtituto anniverſarium Baptiſmi diem peragi; & Ambroſius de iiſdem populum commonefaciebat. Itaque Concilium edixit ut Paſtores animarum & patresfamilias diem Baptiſmi ſedulò adnotarent, ac liberos ſacri illius fœderis admonerent, ut precibus & religioni totos ſe dederent: *Religioſi inſtituti olim* *Act. Eccl. Med. p. 303.* *fuit, diem Baptiſmi quotannis à fidelibus piè celebrari; id quod S. Gregorius Nazianzenus aliquando oſtendit. Quam inſtitutionem in uſum revocari vehementer in Domino cupimus. Itaque Parochus & Confeſſarius, prout occaſio tulerit, cohortationis officio in id incumbant, ut fidelium, quorum curam gerunt, unuſquiſque, quo die baptizatus eſt, quotannis ardentiori prece, eleemoſyna, ſi per facultates poteſt, omnique charitatis opere atque officio, ſpiritaliſque gaudii celebritate recolat, memor ſe chirographo damnationis deleto, hereditatis cæleſtis participem in Chriſto Domino factum eſſe.* Atque utinam ii ad quos pertinet cæteros Chriſtiana Religione imbuere, eos ſæpiùs monerent de hiſce ſponſionibus, quibus, vitiis, ſceleribus, ſenſuumque illecebris nuncium remiſerunt; certè non tanta foret morum corruptio, labes, atque calamitas Chriſtianæ Reipublicæ: *Repete, inquit Ambroſius, quid interrogatus ſis, recognoſce, quid reſponderis. Renunciaſti Diabolo & operibus ejus, mundo & luxuria ejus, ac voluptatibus.*

tibus. Memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tua ſeries cautionis. Porrò hæc parentes ſpectant: *Parentum cura ſit diem ob eam cauſam notare, quo eorum filius Chriſto renatus eſt. Ideò que Parochus quum baptizaverit, moneat etiam, ut id ab illis fiat, præter ſcriptionem, quam ipſe eo de genere in Codicem ſtatum Parochialem referre debet*. Hæc quidem ſunt Sacerdotum Chriſti, hæc parentum, hæc liberorum officia, ut anniverſaria hac Celebritate Baptiſmi peracta, ad ejus præſcriptum mores componantur.

CAPUT XI.

De Feſto die Purificationis.

I. Inſtitutio hujus Solennitatis Conſtantinopoli, Juſtiniano Imperatore.
II. Romæ Lupercalibus objecta.
III. De Cereorum ritu.
IV. Illum S. Ildephonſus explicat.
V. Feſtus hic dies vix inſtitutus, in Italiam, Galliam, & Hiſpaniam introductus.
VI. Peractuſne fuerit ante Juſtinianum Cæſarem.
VII. Quid de eo ſenſerint Capitularia.
VIII. Quanto pietatis ſtudio in magna Britannia obſervaretur.

I. FAtente Baronio in ſcholiis in Romanum Martyrologium, Juſtiniani Imperatoris ætate invecta primùm eſt in Eccleſiam hæc Celebritas, quæ, ut ait Nicephorus Caliſtus, nuncupata fuit *ὑπαπάντη*, occurſatio videlicet, quòd Simeon exacta jam ætate vir obviam ierit Dei Filio ac Deiparæ. Quum autem tradat Nicephorus, Juſtinianum præcepiſſe ut ubique gentium celebraretur, *Toto orbe terrarum, πανταχοῦ*, ſuſpicari quis poſſit alicubi pridem peractam fuiſſe. Id quæ ſequuntur magis confirmant. Subjicit enim Juſtinum Cæſarem conſimili modo Nati Servatoris diem coli juſſiſſe; qui tamen veterem duntaxat morem reſtituit, ſtatuendo ut VIII. Cal. Januar. ageretur; quum in nonnullis Eccleſiis ab Epiphania minimè ſejungeretur. Auctor eſt Sigebertus in Chronico, anno 542. Conſtantinopoli inſtituta fuiſſe hujuſmodi Solennia ob contagionem quæ graſſabatur, & regionum illarum vaſtitatem: Equidem meminerunt (l. 17. c. 28.) perſæpè Patres oblati in Æde Hieroſolymitana Divini Pueri & Purgationis caſtiſſimæ Virginis, ſed edifferentes duntaxat Evangelium S. Lucæ, quod de his agit, vel Nativitatem Divini Verbi, & tanti ortus Myſteria commendantes. Diebus pluribus peragebantur Nativitatis Solennia, quibus Divini Verbi præcones quicquid huc ſpectabat perſequebantur. Neque ullus prætereà extitit Feſtus dies vel Chriſti, vel Deiparæ, quum nuſquam de eo Patres diſſeruerint.

II. Credidit Baronius reperi poſſe primordia hujus Solennitatis à Gelaſio Pontifice, qui Romæ Lupercalia ſuſtulit, quamvis pudendæ quædam eorum reliquiæ ſupereſſent. Oratio illius qua Lupercalia exagitat, edita eſt in Conciliorum Collectione, & in Annalibus Eccleſiaſticis. Vehemens quidem eſt hujuſmodi conjectura, quum *Februa*, unde Februarius menſis eſt appellatus, ſacra fuerint, & expiationes Romanorum. Liquet ex Græcorum, Romanorumque monumentis, in hiſce expiationibus homines Saturno immolatos eſſe. Aliàs de his diſſeruimus, & oſtendimus Saturnum eundem extitiſſe atque Molochum S. Scripturæ, cui (In Method. Leg. Poſt.) liberos Ebræi immolabant. Patuit quoque quamdiù impia ſacra peracta ſint, quæ expiari ſcelera ſanguine quidem, at non belluarum, non obſcurè indicabant, atque eò humanum genus, quaſi natura duce vehi. Adnotavimus quoque cœpiſſe Italos Saturno offerre non jam homines, ſed hominum ſimulacra; verùm animadvertentes vocem illam *φῶτα*, non unum hominem, ſed lucem etiam ſignificare, cæteris miſſis, Saturnum accenſis facibus coluerunt: *Aras Saturnias*, inquit Macrobius, *non mactando viros, ſed accenſis luminibus excolentes. Quia non ſolum virum, ſed & lumina φῶτα ſignificat. Inde mos per Saturnalia miſ-* (Saturn. l. 1. c. 7.) *ſitandis cereis cœpit*. Idem enim de Saturnalibus dicendum eſt.

III. Non igitur à veritate abhorret Solennia hæc & cereorum ritus inſtitui oportuiſſe, ut impiæ religiones, ſanctiſſimis Myſteriis ac cæremoniis invectis, abolerentur. Sententiæ huic accedit Baronius, qui ex Libro *de Temporum ratione* addit, Bedæ ætate ſolennes ſupplicationes cum cereis adhibitas fuiſſe quavis Deiparæ Celebritate: (Cap. 10.) *Sed hanc luſtrandi conſuetudinem benè mutavit Chriſtiana Religio, quum in menſe eodem, die S. Mariæ, plebs univerſa cum Sacerdotibus, & Miniſtris, hymnis modulatæ vocis per Eccleſias perque congrua urbis loca procedit, datoſque à Pontifice cuncti cereos in manibus geſtant ardentes; & augeſcente bona conſuetudine idipſum in cæteris quoque ejuſdem Beatæ Matris & perpetuæ Virginis Feſtivitatibus agere didicit*.

IV. Horum nonnulla quæ Bedæ adſcribuntur extant in priore Sermone S. Ildephonſi Archiepiſcopi Toletani. Vocatur, ut ipſe ait, dies hic *ὑπαπάντη* à Græco verbo *ὑπαντᾷν*, ideſt obviam ire alicui; quoniam ſancti Viri qui Hieroſolymis morabantur occurrerunt Dei Filio ad Templum adeunti. Cæterùm Solennia hæc inſtituta ſunt ut aboleretur Romæ Lupercalium memoria, & ut ritu ſanctiore expiaretur turpis Idololatrarum qui in Urbe dominati fuerant religio. Ab eorum prophanis expiationibus, & obſoleto Latinorum ſermone, Februarius menſis eſt appellatus. Porrò cæremoniæ & ſacra impiorum pro terreni Imperii felicitate peragebantur, Chriſtianorum autem Cœli Regnum ſpectant Solennia, beatamque Sanctorum omnium cum Chriſto Celebritatem, exacta mundi ætate; tunc enim Chriſto præibunt Juſti lampadas præferentes, ut ex Evangelio intelligimus: *Vocatur Græco vocabulo ὑπαπάντη, quod Latinè obviatio dici poteſt; ὑπαντᾷν, enim Græcè obviare dicitur. Proinde hæc Feſtivitas tali vocabulo notatur, quia quum Dominus hodierna die in Templum à parentibus fuiſſet delatus, à Sanctis quos plurimos tunc Hieroſolymis fuiſſe non dubium eſt, ei obviari credimus. Agitur autem hæc Feſtivitas menſe Februario, quem Romani adhuc Pagani, à Februo, ideſt Plutone ſic vocaverunt, quem potentiſſimum Purgationis credebant. Februare enim Purgare dicimus. Quo menſe luſtrabatur civitas, & Diis manibus offerebant Sacrificia, quorum auxilio & virtute totum orbem ſe ſubjugaſſe putabant. Quam luſtrandi conſuetudinem congruè & religioſè Chriſtiana mutavit Religio; quum eodem menſe, ideſt hodierna die, in honore Sanctæ Dei Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ, non ſolum Clerus, ſed & omnis plebs Eccleſiarum loca cum cereis & diverſis hymnis luſtrantes circumeunt; non jam in memoriam terreni Imperii quinquennem, ſed ob recordationem cœleſtis Regni perennem; quando juxta Evangelicam parabolam omnes Sancti cum bonorum operum lampadibus in fine mundi Sponſo Chriſto obviantes, ab eo in thalamum æternæ felicitatis ſunt introducendi*.

V. Mortem obiit Sanctus Præſul anno 667. centum poſt Feſtum hunc diem à Juſtiniano inſtitutum annis, aut non ita multò pòſt, ex Anaſtaſio Bibliothecario Theophanem ſequuto: *Anno Juſtiniani 15. Chriſti 541. menſe Octobrio, facta Byzantii mortalitas, & eodem anno Hypapanti ſumpſit initium, ut celebraretur apud Byzantium die ſecunda menſis Februarii*. Ildephonſi æqualis fuit S. Eligius Epiſcopus Noviodunenſis, ejuſque ſermo in Purificationem ſupereſt, ubi

quæ

quæ ex Toletano Præſule attulimus, fuſiùs repe- Serm. 2. tit. Hortatur nos ut Deo Patri Filium offeramus, tanquam ſcelerum expiationem, & per hanc ab ipſo crimina noſtra deleantur, dum ei cum Simeone occurrimus accenſas lampadas præferentes, puras ſcilicet à ſcelere manus, & pectus Divinarum rerum amore flagrans: *Cum Domina noſtra eum oblaturi, aut cum Simeone ſuſcepturi, cum cereis & hymnis, puritate mentis atque lucidis operibus ſplendidi &c.* Byzantinorum Principum magna tunc erat in Occidente auctoritas: non igitur mirum ſi brevi temporis intervallo Celebritas hæc probata fuerit ab Hiſpanis & Gallis.

VI. Proferri in medium poterant Sermones complures adſcripti Veteribus Patribus Latinis Græciſque; ſed ſuperſedendum fuit, quum vel ab illis abjudicandi ſint, vel decerpti fuerint ex aliis eorundem operibus, maximè ex commentariis in Evangelium S. Lucæ, ubi Myſteria hæc enarrantur. Non quòd ante Juſtinianum Cæſarem nullus in Oriente Feſtus Mariæ dies obſervaretur: nam Cedreno ac Nicephoro teſtibus, Pulcheria dedicavit Conſtantinopoli Ædem Deiparæ *in Blachernis* vocatam, quum Marciano nupſit, & Imperii conſortem adſcivit. Templum quoque Epheſinum, ubi Synodus Oecumenica adverſus Neſtorium coacta fuit, Deo, ſub Mariæ nomine & auſpiciis dedicatum erat; harum verò Ædium Solennia agitabantur, anniverſario ſaltem Dedicationis die. In rebus geſtis S. Theodoſii tot Monachorum parentis & Cœnobiorum conditoris, Sæculo V. occur- Sur. 11. Jan. c. 28. rit mentio celeberrimorum Virginis ſanctæ Solennium: *Erat dies Feſtus & Feſtus Virginis Dei Matris; in quo propterea quod erat valdè inſignis & ſolennis, tam magna convenerat multitudo &c.* Ecquanam fuerit hujuſmodi Celebritas augurari non poſſumus, nec tamen dubitamus quin multò antiquior fuerit Juſtiniano.

VII. Liber Sacramentorum Sancti Gregorii, Ordo Romanus, & plerique omnes qui de ſacris Eccleſiæ ritibus egerunt, Solennitatis hujus L. 1. c. 164. meminere. In Capitularibus Caroli Magni cæteris L. 2. c. 35. Feſtis diebus additur *Purificatio Sanctæ Mariæ*. Ambigebatur de Aſſumptionis Feſto die, non de hac Celebritate; quod argumento eſt in Imperio Caroli Magni cæteris Deiparæ Solennitatibus vetuſtate præſtitiſſe. Alibi in Capitularibus iiſdem, & quidem bis, Aſſumptionis dies ſolennis ex- L. 6. c. 186. ploratè tandem cognitus adnotatur; Purificatio Can. 36. tamen nuſquam prætermittitur. Idem dicimus de Moguntina Synodo, anno 813. celebrata.

VIII. Supremam manum imponam quidpiam adjiciendo ex hiſtoria S. Dunſtani Archiepiſcopi Cantuarienſis edita ab Oſberto Monacho ejus diſcipulo. Ipſo Purificationis die populus in Templo accenſas faces geſtabat, quas ad Aram obtulerat: nimbus repentè decidens omnes extinxit, ac poſteà cœleſtis quidam ignis cereum Matris S. Dunſtani accendit, qui alius admotus accendit pariter Sur. Maji 18. c. 2. cæteros: *Pater Dunſtani cum Matre ad Dei ſervitium properabant, ambo cereos, quos pro ritu ipſius diei offerrent, deferentes. Jam Miſſæ Officium celebrari cœperat, & immenſus populus immenſa luminum claritate refulgens in domo Dei laudibus Divinis intendebat &c.* Unuſquiſque accenſum cereum ferebat oblatum priùs ad Aram, ut ad memoriam revocaret Verbum Divinum, clariſſimum revera *Lumen ad revelationem Gentium*, quod ſinguli cum Deipara Patri offerebant, ſe ipſi quoque Deo dicantes tanquam lucis filios, *Ut filii lucis ambulate.*

CAPUT XII.

De Annunciationis Solenniis.

I. S. Auguſtinus viceſimo quinto die Martii Conceptionem Chriſti conſignavit.

Thomaſſini de Feſtis.

II. Non tamen adhuc ejus Feſtus dies agebatur. Novem menſium ſpatium non omninò ratum conſtanſve videtur.

III. Incarnatio Verbi Divini, prioribus Eccleſiæ ſæculis, Natali ejus die, celebrata.

IV. Synodus Trullana nuncupata primum egit de Annunciationis Celebritate.

V. Num jejunii rigor tunc relaxaretur quintis ſextiſque Feriis majoris Hebdomadæ in Oriente.

VI. Concilium Toletanum X. Solennia hæc loco movit, & octavo ante Nativitatem Servatoris die obſervari juſſit.

VII. Ut nempè diebus octo, uſque ad Nativitatem, peragerentur.

VIII. A pluribus Eccleſiis itum eſt in eandem ſententiam.

IX. Aliæ in Solennitatis hujus antiquitatem animadverſiones.

X. Toletana Eccleſia, jam uſque ab antiquis temporibus, diem hujuſmodi ſolennem bis quotannis colit, VIII. Calen. April. & octavo ante Nativitatem die. Alter hic dies Virginis Expectatio dictus.

XI. Gallicana Eccleſia Toletanæ rationem habendam eſſe cenſebat in ea Translatione.

XII. Serius in Gallia ſalutatæ ab Angelo Virginis Solennia celebrata.

XIII. Recolebantur forſitan in Adventu à Gallis, quemadmodum à Mediolanenſibus.

XIV. Quomodo id confirmari poſſit.

XV. Rurſum de iiſdem rationum momentis.

I. JAmdiu nos S. Auguſtinus admonuit, Annunciationem Deiparæ, & Divini Verbi Incarnationem VIII. Cal. Apr. peractas eſſe; quandoquidem VIII. Cal. Jan. in lucem eſt editum: *Sicut à* De Trinit. l. 4. c. 5. *Majoribus traditum, ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit auctoritas, octavo Cal. Apr. conceptus creditur, quo & paſſus.* Nuſquam tamen aſſeruit eo die ſolenni ritu Myſteria illa celebrata fuiſſe. Idcircò nulla extat veterum Patrum Græcorum Latinorumve germana homilia de qua addubitare non liceat; nam quæ afferri paſſim ſolent, reſpuuntur à ſubacti judicii viris. Sermo adhibitus ab Eccleſia in nocturnis ejus diei precibus, à S. Leone conſcriptus eſt in Natalem Chriſti diem.

II. Non quidem parvi ducebant Majores noſtri fauſtum illud tempus, quo Deus homo factus eſt, etſi Solennia nulla inſtituerant: tempus enim hujuſmodi minimè perſpectum erat; nec Auguſtinus, vel Patrum vetuſtiſſimi, illud VIII. Calen. Apr. conſignarunt, niſi vulgata opinione nixi, novem menſes utero geſtare matres antequam fœtus in lucem prodeat: aliquantò enim priùs vel poſteriùs nonnunquam editur.

III. Ergo Majores noſtri Verbi Incarnationem Natali ejus die colebant; tunc enim nobis ſe ipſe conſpicuum præbuit. Si cui vacat Leonis Magni Sermones de Nativitate expendere, parebit eos in Divini Verbi potiùs Incarnatione quàm ortu verſari. Non igitur de Annunciatione verba facit. Idem ſentiendum de aliorum Patrum Tractatibus, ſive homiliis de die Natali, Theophania, ſive Epiphania, in quibus una ferè Incarnatio recolitur.

IV. Attulimus pridem Epiphanii locum, ubi eadem ferè ratione Divini Conceptus diem expiſcatur. De quavis Celebritate nulla prorſus mentio occurrit; ac fateamur neceſſe eſt nullum ſupereſſe antiquius monumentum, quod minimè vacillet, Canone Trullanæ, ut vocatur, Synodi à Græcis adſcripto Oecumenicis Conciliis. Synodus illa Conſtantinopoli celebrata anno 692. edixit ne Sacrum Miſſæ Perfectum perageretur Quadrageſimæ tempore, niſi Dominicis quibuſque diebus, Sabbatis, & in Solenniis ſalutatæ ab Angelo Deiparæ: *Præterquam Sabbato & Dominica, & Sancto Annunciationis* Can. 52. *die.* Agebatur ergo in Oriente hujuſmodi Celebritas; prima tamen ejus origo latet.

V. In Synopſi Canonum Harmenopuli ineſt Patriarchæ Nicephori Sanctio, qua ſtatuitur licere veſci piſcibus, & vino uti quintis ſextiſve Feriis Majoris Hebdomadæ, ſi Annunciatio celebretur: *Si dies Annunciationis in magnam illam quintam Feriam, vel magnam Paraſceven inciderit,* (Tit. 6. Jur. Orient. p. 19.) *non peccamus ſi tunc vino & piſcibus utamur.* Hinc aliquid de ſummo jure concedebatur in jejuniis, ſive potiùs Xerophagiis ſanctiorum Feriarum, ut Feſtum hunc diem læti quique agitarent.

VI. Quapropter Concilium Toletanum X. An. 656. paulò ante Chriſti ortum Annunciationem celebrandam curavit, vocatam ibidem Deiparæ Solennitatem; *Feſtivitas glorioſa Matris, Feſtum Sanctæ Virginis Genitricis Dei, Feſtivitas Matris.* Haud ſcio an alia Deiparæ Solennia Hiſpani colerent; certè Annunciationem cæteris prætulerunt, maximè ob ea quæ conſequuntur de Incarnatione: *Nam quod Feſtum eſt Matris niſi Incarnatio Verbi?*

VII. Juſſit igitur Synodus octavo die ante Servatoris ortum Annunciationem peragi, ut iſtos octo dies celebraretur, nec Nativitati Incarnatio (Can. 1.) concederet: *Ut ante octavum diem, quo natus eſt Dominus, Genitricis quoque ejus dies habeatur celeberrimus & præclarus. Ex pari enim honore conſtat, ut ſicut Nativitatem Filii ſequentium dierum inſequitur dignitas, ita Feſtivitatem Matris tot dierum ſequatur ſacra Solennitas.* Nec Hiſpani Præſules Virginis Sanctæ Annunciationem cum nati Servatoris Solenniis exæquaſſe dicendi ſunt in Comitiis Toletanis, ſed Filii Dei Incarnationem, quàm maximè colendam curarunt diebus plurimis: *Nam quod Feſtum eſt Matris niſi Incarnatio Verbi? Cujus utique ita debet eſſe Feſtum Solenne, ſicut eſt ejuſdem Nativitas Verbi.*

VIII. Quadrageſimæ ac Paſchatis diebus incommodè recolebantur Annunciatio Deiparæ, & Filii Dei Incarnatio diebus octo: propterea Hiſpani Solennia hæc loco moverunt, quod pridem Eccleſiæ plures præſtiterant, ut ex eodem Concilio novimus.

IX. Et quidem oportuit Feſtum hunc diem ab antiquis uſque temporibus ſolennem in Hiſpania fuiſſe, quando Synodus enarrans incommoda celebrationis Solennitatis hujus Quadrageſimæ & Paſchæ diebus, jubet alio tempore peragi; etiam atque etiam petit ut eodem conſtantique die ab omnibus colatur, ut Paſcha & Pentecoſte; ac Eccleſiarum quarumdam magno locorum intervallo disjunctarum, quæ faſtos ſuos emendaverant, morem commendat: *In multis namque Eccleſiis à nobis & ſpatio remotis & terris, hic mos agnoſcitur retineri.* Crediderim quòd quamvis Epiphanius & Auguſtinus Solennium Annunciationis non meminerint, diem illum ſolerter ſcrutati, non pauci tamen eum piè obſervaverint, ac Eccleſiæ plurimæ paulatim inſtitutum ejuſmodi complexæ fuerint, quarum tandem conſenſio Synodo utrique faciem prætulerit, Byzantinæ, anno 692. & Toletanæ, anno 656. Nec longius videtur ducentorum, vel trecentorum annorum ſpatium, ut nulla accedente univerſæ Eccleſiæ lege, ex pio quodam privatoque ſtudio, ſenſim orta ſint & inſtituta celeberrima totius Chriſtianæ Reipublicæ Solennia.

X. Publici juris fecit Bollandus nonnulla quæ perleguntur ab Eccleſia Toletana in nocturnis Annunciationis precationibus. Synodi Canon fusè habetur, adjiciturque bis quotannis recoli à Toletanis hanc Deiparæ Solennitatem, id eſt VIII. Cal. Apr. ut mos geratur Romanæ Eccleſiæ cæterarum facilè Principi, & octavo die ante Nativitatem Reparatoris, ut perenne extet monumentum religionis Toletanorum, quibus auctoribus in Eccleſiam invecta eſt tanta Celebritas, Expectatio appellata, ut ab Annunciatione aliquomodo ſejungatur: (T. 3. menſis Mar. p. 536.) *Quamvis Annunciationis Beatæ Mariæ Feſtum ſuum ſolum nunc teneat, & octavo Calendas Aprilis in univerſa Catholica Eccleſia celebretur, Toletana tamen Eccleſia utramque retinet Solennitatem; alteram menſe Martio, ut Romana Eccleſia, quæ magiſtra omnium Eccleſiarum, & mater eſt, ſanctiſſimum inſtitutum ſequatur; alteram octavo ante Natalem Domini die: tum quod hæc Solennitas ab ipſa Toletana Eccleſia inſtituta fuerit, & magna veneratione ab aliis Eccleſiis ſuſcepta, per univerſam Hiſpaniam hactenus celebretur: tum verò &c.*

XI. Non hinc liquet quandonam altera hujuſdi immutatio contigerit, faſtis rurſum adſcripta Annunciatione, menſe Martio, in Hiſpania, & Decembri, Expectatione, quæ ubique in Hiſpania Toletanos ſequuta celebratur, probante Gregorio XIII. Oportuit enim ut diu Synodi Toletanæ X. habita fuerit ratio. Glaber tradit, anno ferè milleſimo à Chriſto Nato, complura Concilia fuiſſe coacta, in quibus ad examen vocatum eſt, celebrandane priùs in Adventu videretur Annunciatio quæ Quadrageſimæ tempore agebatur, more Hiſpanorum, octavo ante Nativitatem Chriſti die eam recolentium: (L. 3. c. 3.) *Nec non etiam de die Annunciationis Dominicæ qui celebratur octavo Calendarum Aprilium, ſi fortè quolibet alio tempore extra Quadrageſimam excoli congruentiùs potuiſſet, ab eiſdem Pontificibus non parva illata eſt quæſtio. Ferebatur enim à quibuſdam eandem videlicet Annunciationem Dominicam, more Hiſpanorum, quintodecimo Calendarum Januariarum die irreprehenſibiliter poſſe celebrari.* Floruit temporibus illis Glaber, & addit, ſe apud Cluniacenſes degente ſacro Adventus tempore, Hiſpanos quoſdam Monachos eodem veniſſe ac poſtulaiſſe ab Odilone Cœnobii Præfecto, ut eos ſineret patriis legibus uſos privata Annunciationis Solennia peragere. Non ægrè id tulit Odilo; ſed Cluniacenſes Monachi ritum illum minimè probarunt: *Quid plura? Apud nos antiqua conſuetudo, uti decebat, prævaluit.*

XII. Itaque tunc in Eccleſia Gallicana vetuſtiſſimus fuit Feſtus dies Annunciationis, qui VIII. Cal. April. celebratus, nulla prorſus ratione ad aliud tempus traduci potuit. Ac mirabuntur plurimi arbitrari nos uſque ab anno Chriſti milleſimo vetuſta admodum fuiſſe ea Solennia in Gallia; quaſi id non parum elevet ejus antiquitatem. Sed nimium eis detulerim vereor, dum Gallicanos faſtos, quos ſuperiore Libro conſului, evolvo, nec illa uſquam reperio, vel in Catalogo Godegrangi, vel in tribus Capitularium Caroli Magni & Ludovici Pii locis, vel in Synodo Moguntina, anno 813. vel in Aquiſgranenſi II. vel in Capitularibus Ahitonis Epiſcopi Baſileenſis, Herardi Archiepiſcopi Turonenſis, & Valteri Aurelianenſis, vel demum in Canone, Lugdunenſi Concilio à Gratiano adſcripto, cujus initium *Pronunciandum*, Purificationem, Aſſumptio- (De Conſecr. diſt. 3. c. Pronunciandum.) nem, & Nativitatem Deiparæ tum cum Feſtis omnibus ejus ætatis diebus recenſente.

XIII. Equidem pugnare videtur tam altum ea de re ſilentium cum Glabri verbis, & omnium Eccleſiarum conſenſione. Fieri potuit ut Gallos quoque complexa ſit Toletana Synodus, dum ab aliis Eccleſiis celebrari ait Incarnati Verbi Divini, & ſalutatæ Virginis Solennitatem, octavo ante Nativitatem Jeſu Chriſti die. Certè Ambroſiana, ſive Mediolanenſis Eccleſia ſexto Dominico die Adventus, eo videlicet quem Nativitas conſequitur, illam recolit. Ita enim habetur in præceptionibus Libri ſacrarum precum ritus Ambroſiani VIII. Calen. Aprilis: *Toto Quadrageſimæ tempore nunquam celebratur de Sanctis, & Officium Annunciationis Beatæ Virginis Mariæ fit in Dominica ſexta Adventus.* Adventum inchoant

Medio-

Mediolanenſes primo die Dominico poſt S. Martini Solennia.

XIV. Canonicæ preces Adventus Incarnationem, Annunciationem, & Expectationem ſpectant. Satis eſt in id aliquantulum mentis aciem intendere. Evangelium S. Lucæ enarrans Angeli & Deiparæ colloquium tunc legitur quarto illius hebdomadæ die, quo ſtata jejunia quatuor anni tempeſtatum celebrantur: & Eccleſiæ quædam, ſi fides habenda Bollando, eodem die Ca-
T. 3. Mart. p. 539. nonicas precationes Annunciationis adhibent.

XV. Radulphus Tungrenſis Decanus omni nos moleſtia expediet. Nam poſtquam adnotavit Laodicenam Synodum Quadrageſimæ diebus Solennium celebratione cunctis interdixiſſe, & Toletanam à Quadrageſima in Adventum Annunciationem traduxiſſe, animadvertit ſolennes Eccleſiæ preces in Adventu adhibitas ſpectare Annunciationem: Mediolani diem hunc ſalutatæ Virginis
De Canon. Obſerv. c. 16. Dominico ante Nativitatem Chriſti die celebrari, ac nulla Quadrageſimæ tempore Solennia coli, & idcircò diebus aliis agi Solennitates Sanctorum Ambroſii, & Gregorii, quibus nempè Epiſcopatu aucti ſunt: at quum conſequentibus annis iterùm Annunciatio in Quadrageſima peracta fuerit ab Eccleſia Romana, alios dies Feſtos pariter celebratos tunc fuiſſe, præter unum S. Ambroſio dicatum; quæ à reliquis Eccleſiis Romanam ſequutis probata ſunt: *Sancti Patres in Toletano Concilio conſtituerunt ut Annunciatio S. Mariæ de Quadrageſima in 15. Calendas Januarii transferretur, ubi annuatim ſolenniter & convenienter ante Natale Domini poſſet celebrari. Utpotè quum omnia illius temporis Officia de eadem reſonent Annunciatione; ut in Ambroſiana ſervatur Eccleſia, in qua eadem Annunciatio ſolenniſſimè agitur in Dominica ante Nativitatem Domini. Et præterea in Ambroſiano Officio nullum Feſtum in Quadrageſima ſervatur, prout dicta Concilia ſtatuerunt. Et propterea antiquitus Feſta Gregorii & Ambroſii ad dies Ordinationis eorum transferebantur, Gregorius ſcilicet ad diem tertium Novembris, & Ambroſius ad Octavam Andreæ, & Benedictus ad diem Tranſlationis ſuæ in Julio. Sed poſteà Annunciatione in Romana Eccleſia ad locum ſuum redeunte, ſimiliter alii apud nos redierunt. Et exinde retenta eſt Tranſlatio Benedicti. Ambroſius tamen apud Romanos & Mediolanenſes remanet in Octava.*

En quæſtionis enodationem, cur videlicet Annunciationem prætermiſerint Capitularia Regum atque Epiſcoporum, & ſacri Galliæ & Italiæ faſti: maxima fuit auctoritas Laodiceni Canonis, & veteris inſtituti, quo pugnare cum Solenniis jejunia credebantur. Sanè in Urbe quoque agi videbatur in Adventu Celebritas Annunciationis, quemadmodum Mediolani & in Hiſpania: Canonicæ ſcilicet preces Adventus ab Annunciationis precibus minimè diſcrepant. Idem in Gallia uſuvenit. Iterùm Romana Eccleſia ad Quadrageſimam revocavit ſolennem hunc diem; ac ſæculo ferè nono jejunia & Feſtis die conciliari videbantur. Eccleſiæ quampluri mæ, Gallicana præſertim, Romanæ acceſſerunt, & Annunciationem VIII. Cal. April. celebrandam curarunt.

CAPUT XIII.

De Septuageſima, Sexageſima, Quinquageſima, Dominicis diebus Quadrageſimæ, & ſacri Cineris die.

I. Alcuinus Carolum Magnum conſulit de hujuſmodi Dominicis diebus, & rationem affert nominum Septuageſima, Sexageſima, & Quinquageſima, videlicet varia jejuniorum Quadrageſima in plurimis regionibus initia, ut numerum cumulatè abſolverent.

II. Alia Alcuini reſponſio.

III. Priorem magis probavit Carolus. Enumeratio dierum, quibus vel ſolvebantur Quadrageſimæ jejunia, vel in anteceſſum celebrabantur.

IV. Præcipua Chriſtianorum Officia Dominicis Quadrageſimæ diebus. Preces, Synaxis, Caſtitas &c.

V. VI. De ſacra exomologeſi Quadrageſima præeunte.

VII. S. Carolus omnia hæc Chriſtianorum virtutum officia reſtituit in ſacris Comitiis Provinciæ & Diœceſeos.

VIII. Alia Sancti Antiſtitis Edicta de Communione Euchariſtica Dominicis Quadrageſimæ diebus rite peragenda.

IX. Rurſum de S. Caroli, ejuſque Conciliorum præceptionibus de Quadrageſima colenda.

X. Alia quædam monita ut Paſchalis exomologeſis minime præceps peragerctur.

XI. Alia rurſum pro omnibus diebus Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ.

XII. De ſacri Cineris ritu. Cinis pœnitentis animi argumentum.

XIII. De ritu indictæ Sòlennis Pœnitentiæ, fuſo ſuper caput cinere, Quadrageſima ineunte.

XIV. Quandonam primum Fideles à Pœnitentibus diverſi ſacro Cinere conſperſi fuerint.

XV. Publica Pœnitentia tantumnon è medio ſublata.

XVI. Membris omnibus corporis dolor cum aliis communis. Pœnitentiæ adminiſtri eidem obnoxii.

XVII. De Abſolutione exhibita die Cœnæ Domini, quum unuſquiſque crimina quamvis non admiſſa fatetur, ut expientur cuncta.

I. Alcuinus præſtanti doctrina vir Carolum Magnum conſuluit cur tres Dominici dies ante Quadrageſimam appellarentur Septuageſima, Sexageſima, & Quinquageſima. Sanè Eccleſiæ inſtitutum, ut ille ait, ſuis rationum momentis nitebatur: *Si reſpondero Eccleſiæ hanc eſſe conſuetudinem, & Romana auctoritate hujus religionis ritum eſſe firmatum &c. Dico quia nihil ſine cauſa in Eccleſiaſticis conſuetudinibus à Doctoribus conſtitutum præcipuis.* Alcuinus ipſe dupliciter quæſtionem ſolvit. Primò quidem quoniam Eccleſiæ quæ non celebrabant jejunia ſex dierum, ſingulis hebdomadis Quadrageſimæ, præſtabant id prioribus hebdomadis, tot dies cibo abſtinendo quot deſiderari videbantur ad quadraginta dierum cumulum. Ita inchoata ſunt jejunia Dominico die vel Quinquageſimæ, vel Sexageſimæ, vel Septuageſimæ. Hæc fuſiùs perſequuti ſumus in Tractatu de Jejuniis, quoniam minimè aberrare videntur à conjectura.

II. Aliter quoque occurrit quæſtioni Alcuinus, nempè ſeptuaginta dies decurrere à Septuageſima ad octavum Paſchæ diem in *Albis*, & *clauſum Paſcha* vocatum. *Videtur Septuageſimus dici poſſe dies, propter decem hebdomadas quæ ſunt ab ipſo die uſque ad clauſum Paſcha, quo die albæ tolluntur veſtimenta à nuper baptizatis.* Nomen Sexageſimæ repetitur à diebus ſexaginta, ab hoc ſcilicet Dominico die ad quartum Paſchalis hebdomadæ, qui medius ferè videtur inter Paſcha, & Octavam ipſius, ſeu *clauſum Paſcha*. *Sexageſima inde dici poteſt, quia ſexaginta ſunt dies uſque ad medium Paſcha, quod eſt feria quarta Paſchalis hebdomadis.* Denique inde Quinquageſimæ nomen deſumitur, quòd quinquageſimus dies ſit ante Paſcha: *Quinquageſima verò quia decurrit uſque in diem ſanctum Reſurrectionis Dominica.*

III. Caroli Magni reſponſum, & Alcuini prior

eno-

Præf. Oper. Alcuin. pag. 1149. enodatio eodem recidunt. Nam quemadmodum Dominicus dies Quadrageſimæ eſt appellatus ille quem quadraginta jejuniorum dies conſequuntur, ita, inquit maximus & ſapientiſſimus Princeps, vocatus fuit Dominica Quinquageſimæ dies qui reipſa quinquageſimus eſt ante Paſcha. Quòd ſi ex his quinquaginta diebus deleantur octo Dominici, cum ipſo nempè Paſchate, quibus nefas eſt jejunium indicere, prætereà Cœnæ Dominicæ, & Sabbati Sancti Feriæ, quibus pariter minimè epulis abſtinebant quidam ob Cœnæ Domini Myſteria, & ob Sabbati lætitiam & Paſchalis Solennitatis primordia, ſupererunt dumtaxat quadraginta dies abſtinentiæ, quot Dei Filius jejunio ſuo conſecraverat. Qui verò Cœnæ Domini, & Paſchalis pervigilii jejunia colebant, duobus ſupra quadraginta diebus cibo abſtinebant: *Remanebunt quadraginta duo dies; & hi duo dies, quinta videlicet & ſeptima feria qui quadragenarium numerum excedunt, apud quoſdam jejunio dedicantur; apud quoſdam in refectione propter Cœnam Dominicam & Sanctum Sabbatum habentur*. Nonnulli à Sexageſima initium ducebant, ut detractis Dominicis diebus & quintis quibuſque Feriis dies quadraginta ſupereſſent. Nec latet cur Dominici dies à jejunio immunes forent. Qui verò quintis hebdomadæ Feriis cibo non abſtinebant, recogitabant Servatorem eo die Euchariſtiæ dapes primùm præbuiſſe, & illuſtri tandem triumpho reportato, in Cœlum conſcendiſſe. Quid? Quod Melchiades Romanus Pontifex edixit ne eo die jejunium coleretur. A Sexageſima ad Paſcha hebdomades octo enumerantur, & primas quintaſque Ferias reſecando, quadraginta abſtinentiæ dies. At qui à Septuageſima jejunia inchoabant, nec primis nec quintis nec ſeptimis Feriis hebdomadæ epulis abſtinebant, ſed cæteris tantùm diebus, id eſt ſex ſupra triginta, decima videlicet anni parte, ut ſubductis rationibus conſtat.

IV. Ob hanc jejuniorum anticipationem tres Serm. 13. ejuſmodi Dominici dies ita vocari cœperunt. Petrus Bleſenſis hæc clariùs ediſſerit. Ut enim, ait, Cœnobitarum jejunia à Septuageſima inchoantur, Græcorum à Sexageſima, & Clericorum à Quinquageſima, ex Theleſphori Pontificis Maximi ſanctione: *Jejunium Quadrageſimale Regulares Cœnobitæ incipiunt à Septuageſima; Græci verò à Sexageſima; Clerici noſtri, auctore Theleſphoro Papa, à Quinquageſima. Univerſus exercitus Chriſtianæ militiæ, juvenes & Virgines, ſenes cum junioribus ab hac Quadrageſima*. Has litteras verſati in arte Critica fictitias eſſe contendunt. Sed minimè neceſſe eſt Quinquageſimæ originem altiùs repetere. Satis conſtat tres iſtos Dominicos dies majore pietatis ſtudio colendos eſſe. Officia noſtra in Dominicis diebus Quadrageſimæ perſequitur Theodulphus Sæculo VIII. labente. Primùm parare ſe ad Euchariſtiam operæ pretium eſt, opem egentibus ferendo, epulis & re uxoria abſtinendo, omnibus denique virtutibus dando operam: *Singulis diebus Dominicis in Quadrageſi-*
Cap. 41. *ma, præter hos qui excommunicati ſunt, Sacramenta Corporis & Sanguinis Chriſti ſumenda ſunt*. Ac paulò pòſt: *Admonendus eſt populus ut ad ſa-*
Cap. 44. *croſanctum Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini nequaquam indifferenter accedat, nec ab hoc nimium abſtineat; ſed cum omni diligentia eligat tempus, quando aliquandiu ab opere conjugali abſtineat, & vitiis ſe purget, virtutibus exornet, eleemoſynis & orationibus inſiſtat, & ſic ad tantum Sacramentum accedat*.

V. Hortatur nos pariter, quod adnotemus oportet, ut hebdomada quæ Quadrageſimam antevertit, ad criminum expiationem noſmetipſos paremus, & ſublatis diſſidiis charitatem inſtauremus: *Hebdomada una ante initium Quadrageſimæ Con-*
Cap. 36. *feſſiones Sacerdotibus dandæ ſunt, Pœnitentia accipienda, diſcordantes reconciliandi, & omnia jurgia ſedanda*. Quadrageſima tempus expiationis eſt, hujus verò initium, ſcelerum Confeſſio, quæ nunquam futura eſt numeris omnibus abſoluta, ſi de ea primùm cogitemus ipſo Paſchali die, quum frequens Chriſtianus populus ad Eccleſiam eadem de cauſa confluit.

VI. Patuit Capite IV. vehementer à Carolo Calvo poſtulaſſe Epiſcopos, ne maximè Quadrageſimæ & Adventus tempore à ſuis Eccleſiis abſtraherentur: *Sacratiſſimis temporibus Quadrageſimæ & Adventus*: ut in populi mores inquirerent, eiſque ad virtutem viam ſternerent.

VII. Præterea attulimus ibidem S. Caroli & Mediolanenſium Conciliorum Edicta pro ſacra Synaxi Euchariſtiæ ſingulis quibuſque Dominicis diebus Adventus & Quadrageſimæ, ut Sylverius Rom. Pont. quoodam ſtatuerat: *Illud quod Sylverius ſtatuit in conſuetudinem revocare ſtudeat, ut qui ſæpius non communicant, ſingulis ſaltem Dominicis diebus in Quadrageſima Corpus Domini ſumant, ac præterea diebus Dominicis Adventus*. Quæ in quadam Diœceſeos Synodo repetuntur. In quinto verò Provinciali Concilio populum monendum curavit, ut ita vitam inſtitueret, ut quolibet ſaltem Dominico die Quadrageſimæ, ſi minùs quotidie, ad Euchariſtiam poſſet accedere; nam id antiquum fuiſſe Eccleſiæ inſtitutum ait Nicolaus I. *Moneatur ut vitæ ſanctitati ita incum-*
bat, ut ſingulis Dominicis ſaltem diebus ſacram Acta Eccl. Mediol. pag. 915.416.519.
Euchariſtiam ſumat, ſi ſingulis diebus non poteſt: id quod olim in conſuetudine uſuque fuiſſe, ex Nicolai Pontificis Reſcripto liquidò conſtat. In præceptionibus quibus Divini verbi præcones imbuit magnus Antiſtes, eos monet ut populum de frequenti Communione doceant, & de criminum Confeſſione, ſemel ſaltem ſingulis menſibus, quod tamen præſtare oportet ſingulis diebus Dominicis Adventus & Quadrageſimæ, ex veteri Chriſtianorum inſtituto: *Eam conſuetudinem concionando inducere ſtudebit, ut populus ſi minùs Dominico quoque die, ſaltem ſemel in ſingulis menſibus confiteatur, & ſacram Communionem ſumat. At in Quadrageſima & in Adventu, ut ſingulis diebus Dominicis hoc faciat; id quod antiquæ fidelium pietatis eſt*. Denique in monitis de Euchariſtiæ Communione meminit votorum Tridentinæ Synodi, quæ nihil antiquius habuit, quàm ut quotidie quiſque Euchariſtiæ particeps fieri poſſet; & ut omnes id exequantur non tantùm Feſtis diebus Servatoris atque Deiparæ, verùm ſingulis etiam Dominicis Adventus & Quadrageſimæ, & in Cœna Domini.

VIII. Quòd ſi ſuarum partium eſſe ducebat ea monere, multò magis omni opera enitebatur, ut hæc fierent quemadmodum decebant. Interdixit ſiquidem Quadrageſimæ tempore uſu veſtium ſplendidiorum, ludis, venationibus, conviviis, ipſis quoque Dominicis diebus: contra, indumentum adhibendum eſſe ſtatuit quod pœnitentis animi inſigne videri poſſit, diſſidia tollenda, voluntariis afflictationibus corpus compeſcendum, & ab re uxoria, mutua conjugum conſenſione, animum avocandum, diebus ſaltem Dominicis, frequentiùs precibus & eleemoſynis vacandum, & ad Eccleſiam conveniendum eſſe: *Pretioſas veſtes non*
induant, ſed amictum, ſi non humilem, & de- P. 214.215.
miſſum omninò, at cum pœnitentia jejuniiſque tempore congruentem. Quum autem id olim obſervatum ſit ut per totam Quadrageſimam ab uxore fideles abſtinerent, ad Eliberitani Canonis præſcriptum; meminerint qui matrimonio juncti ſunt, ſtudendum ſibi, ut eo ſacro tempore, mutuo conſenſu, Dominicis ſaltem diebus abſtineant, ut hoc de genere Sanctiſſimi Pontificis Nicolai extat Reſcri-
ptum. A venationibus item, ut eodem Reſcripto P. 214.
continetur, abſtineant eo ipſo Quadrageſimali tem-

pore,

Digitized by Google

pore, quo neque carne veſci, neque carnalia conſectari licet. Ciborum Quadrageſimalium ſuavitates ne exquirat &c. Convivia autem in Quadrageſima non condicat, nec verò appareat, ne Dominicis quidem diebus, ut idem Pontifex Nicolaus reſcribit. In orationis ſtudio frequentior ſit. Eleemoſynas, quum per facultates poteſt, uberiores pauperibus, egentibuſque conferat.

IX. Equidem Communio Euchariſtiæ ea ratione peracta ſaluberrima foret: Hæc verò ſtudia reſtitui facilè poſſent, ſi Epiſcopi S. Caroli igne flagrarent, eoque quaſi admoto, Paſtores animarum, & populum tandem inflammarent. In Concilio Mediolanenſi IV. jubet Sanctus Præſul cogi initio Adventus & Quadrageſimæ à Parochis omnes patresfamilias, eoſque muneri de Christianarum virtutum officiis in regenda domo: *Ineunte* P. 190. 304. 410. *præſertim Adventu & Quadrageſima patresfamilias convocet &c.* Concilium verò VI. Mediolanenſe præcipit ut Epiſcopi ineunte Adventu & Quadrageſima inquirant in eos qui vitiis aſſiduitate aſſueſcunt, nefarias peccandi occaſiones conſectantur, & inimicitias cum aliis exercent; ut illos ad ſe accerſant, & officii ſui peramanter commonefaciant; vel ſi minùs expediat amicè, vehementiùs caſtigent, nec ſinant ad Paſchalem Synaxin accedere, quoad illos, non verbo, ſed re, ad meliorem frugem converterint: *Epiſcopi cura, præter cæteras, illa etiam eſſe debet, ut quantum in ſe eſt, fideles peccatorum laqueis implicatos, à turpiſſima peccandi occaſione, ſolicitudinis Epiſcopalis ſtudio, atque officio revocet, animarumque vulneribus remedia opportuna adhibeat. Imminente igitur in primis Quadrageſima, quàm diligentiſſimè inveſtigabit, ſi qui, vel in urbe, vel in Diœceſi ſunt, qui opera carnis ſectantes turpiter vivant; ſi qui item odia & inimicitias exerceant, ſi qui alii denique in aliqua peccandi conſuetudine uſque jaceant &c. Eos vel privatim ad ſe accerſat, atque adeò inſtet opportunè, importunè; vel ſeveriori diſciplina in eos agat, omni jure, omnique officio, ad Sacrorum Canonum ſanctionumque Pontificiarum præſcriptum. Nec verò antequam ipſe perſpexerit, iſtos ab ea malè agendi via receſſiſſe, peccandique occaſionem ac publicas offenſiones præcidiſſe, permittat, etiamſi qui teſtimonium Confeſſarii afferant, ne in Paſchali quidem Celebritate, Sacram Communionem eis miniſtrari.* Primum Mediolanenſe Concilium Epiſcoporum munus eſſe ait, ſemper in Templo primario adeſſe Divinæ rei dum Sacrum ſolenniùs peragitur, & ſtatæ preces adhibentur; nefas verò eſſe id non præſtare Dominicis diebus Adventus & Quadrageſimæ: *Diebus verò Dominicis Adventus & Quadrageſimæ, niſi legitima cauſa interceſſerit, omnino ne deſint.*

X. Adjiciam duntaxat fuiſſe ſtatutum in Concilio Mediolanenſi V. ut Parochi domos omnes inviſant hebdomada quæ Quadrageſimam antevertit, & quinam Paſchalium Sacramentorum participes eſſe poſſint ſcrutentur; atque eos qui ægrè admodum ac perraró ſcelerum Confeſſione expiari ſolent hortentur, ut ne exacta Quadrageſima tempus minùs idoneum aucupentur, quum animarum Paſtores plurimis diſtinentur occupationibus. Sapienter admonet, ità populum in varios ordines diſtribuendum eſſe, ut quivis ad dictam diem in Quadrageſimæ hebdomadis ad Eccleſiam ſe conferat, & ad Sacrorum adminiſtros adeat de rebus Divinis non oſcitanter acturus: *Proinde* Pag. 222. *Quadrageſimæ hebdomadas pro populi ſibi commiſſi ratione ſic partiri curet, ut alias huic, alias illi viciniæ familiæve, aut partim viris, adoleſcentibus & pueris, partim mulieribus, virginibus puellisve præſtituat, quibus ad confitendum diſtinctè atque in tempore accedant.*

XI. Ne verò officiorum Chriſtiani populi Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ tempore memoria obliteretur, eum Antiſtites monebunt ad præſcriptum Concilii Mediolanenſis III. excitari tunc omnes ab Eccleſia, precum, rituum, & ſacræ ſupellectilis immutatione, ad Divinæ Legis & mortis Jeſu Chriſti meditationem, & ad pœnitentis animi dolorem, ut valere juſſis ſpectaculis & illecebris, reſipiſcat tandem, & totum ſe religioni ac Deo dedat. *Studeat Epiſcopus, ut* Pag. 87. 88. *quo tempore in Septuageſima, Sexageſima, & Quinquageſima hebdomadis Eccleſia Mater & Officiorum ritu, & hymnis canticiſque fidelium mentes ad mæſtitiam atque ad pœnitentiam excitantibus, & omni denique tum veſtimentorum, tum aliarum rerum apparatu populum Dei inſtruit, ac præparat tot ante diebus ad ſanctè recolendam Chriſti Domini Paſſionem & Crucem, eo potiſſimum tempore fideles ſibi in curam traditos, ſpectacula, ludos ſcenicos, & alia quæ Gentilitatis ſpeciem præſeferunt, tunc præſertim morum corruptelis introducta, illa ipſa tanquam à ſanctiſſimis Eccleſiæ inſtitutis abhorrentia omnino fugientes, ad pietatis Chriſtianæ ſtudia & ad orationem attentiores ſint, propoſita omni Chriſtianarum actionum exercitatione.* Jubet paulò pòſt Synodus agi de frequentiore criminum Confeſſione, & Euchariſtiæ Communione. Plures quoque litteras edidit S. Carolus diſſerens de precibus, afflictationibus & eleemoſynis, ne quis à Septuageſima uſque ad Paſcha muneri ſuo deeſſet.

XII. Præcipit quoque Concilium Mediolanenſe V. ut Dominico die antequam peraguntur cæremoniæ Cineris ſacri, cui primùm Eccleſia benè precatur (dies ſacri Cineris Mediolani ſecundus eſt hebdomadæ anteveſtentis Pentecoſten) Epiſcopi eorumque adminiſtri populum doceant de Myſteriis hujus ritus qui demiſſi & pœnitentis animi eſt argumentum. Patres atque Concilia Cinerem conſtanter cum Pœnitentia conjungunt. Hinc Optatus Donatiſtas ſugillat quòd ſacras Virgines Pœnitentiæ addixerint Cineribus ſuis: *Jam conſecratas Deo adſperſiſtis immundis cineribus crines.* Eadem Tertullianus dixerat: *In aſperitudine ſaxi, & horrore cineris.* Alibi Pœnitentiam hiſce coloribus adumbrat: *Conciliciatum, Concineratum, cum dedecore & horrore compoſitum proſternis in medium &c.* S. Ambroſius quoque: *Lugubris tibi accipienda eſt veſtis &c. Totum corpus incuria maceretur, Cinere adſperſum, & opertum cilicio perhorreſcat.* Denique S. Iſidorus Hiſpalenſis Præſul animadvertit adhiberi Cinerem initio Pœnitentiæ, ut intelligamus pulverem ac cinerem ob crimina nos eſſe, & meritò Divinam Juſtitiam in eos qui ſceleribus obnoxii ſunt ſententiam mortis tuliſſe, quæ vitæ hujus ſpatio vix tantiſper profertur: *Cineres adſperguntur ut ſint memores quia cinis & pulvis ſunt &c. Per favillam cineris perpendamus mortis ſententiam ad quam peccando pervenimus.*

Pag. 217. — L. 8. — L. de Pœnit. — L. de Pudic. — Ad Virg. lapſ. c. 8. — De Eccl. Off. lib. 2. c. 16.

XIII. Regino ab antiquis Conciliis deſumpſit Pœnitentiæ & ſacri Cineris ritum. Aderant Pœnitentes pro foribus ſacrarum Ædium cilicio induti, nudis pedibus, & omnia præſeferentes demiſſionis argumenta. Aderat quoque Epiſcopus & Presbyteri quibus Pœnitentium flagitia ac mores perſpecti erant. Pœnam quam luerent hi præſtituebant, ac tum in Eccleſiam Pœnitentes ingrediebantur: canebantur deinde Septem Pœnitentiæ Pſalmi, & manus illis imponebantur; adſpergebantur aqua luſtrali & ſacro Cinere: adjiciebatur denique pelli eos ab Eccleſia oportere, quemadmodum Adamus à Paradiſo poſt crimen reipſa exterminatus fuit: Sacrorum igitur adminiſtri extra Eccleſiam eos deducebant, verbis illis intereà loci adhibitis, quibus Deus parentes noſtros tot laboribus & ærumnis damnavit, quum Paradiſi voluptatibus indignos ſe præbuiſſent: *In*

Ca-

Digitized by Google

Regino Baluzii p.135. *Capite Quadrageſima omnes Pœnitentes qui publicam ſuſcipiunt aut ſuſceperunt Pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo civitatis, ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram proſtratis, reos ſe eſſe ipſo habitu & vultu proclamantes; ubi adeſſe debent Decani, id eſt Archipreſbyteri Parochiarum cum teſtibus id eſt Preſbyteris Pœnitentium, qui eorum converſationem diligenter inſpicere debent, & ſecundum modum culpæ Pœnitentiam per præfixos gradus injungant. Poſt hæc in Eccleſiam eos introducant, & cum omni Clero ſeptem Pœnitentiæ Pſalmos in terram proſtratus cum lacrymis pro eorum abſolutione decantet. Tum conſurgens ab oratione, juxta id quod Canones jubent, manus eis imponat, aquam benedictam ſuper eos ſpargat, cinerem prius mittat, dein cilicio capita eorum operiat; & cum gemitu ac crebris ſuſpiriis eis denunciet quod ſicut Adam projectus eſt de Paradiſo, ita & ipſi ab Eccleſia ob peccata ejiciantur. Poſt hæc jubeat miniſtros, ut eos extra januas Eccleſiæ expellant. Clerus vero proſequatur eos cum Reſponſorio, In ſudore vultus tui veſceris pane tuo &c. ut videntes ſanctam Eccleſiam ob facinora ſua tremefactam & commotam, non parvipendant Pœnitentiam.*

XIV. Cæremoniis hiſce conſecrabantur jejuniorum primordia, ineunte Quadrageſima; hæ tamen Pœnitentes duntaxat ſpectabant. Quæri autem poſſet quandonam primùm Fideles qui à publicis Pœnitentibus ſejungebantur, ſacris Cineribus conſperſi fuerint, aliquod Pœnitentiæ ſpecimen & ipſi præbentes. Non levis eſt conjectura, Fideles ſponte quoſque ſua cum publicis Pœnitentibus conjungi una voluiſſe, ut aut conſolando, aut precibus aut exemplo eos juvarent, & ipſi intereà Pœnitentia expiarentur. Ita, ut pridem vidimus, in Africa, Auguſtino teſte, poſt ſacram Synaxim in die Cœnæ Domini lavabant cum Catechumenis, ut participes fierent omnium quæ Baptiſmo initiandi egerant, ſe ad illum parantes: eademque ratione, ut Epiphanius & Chryſoſtomus memoriæ prodiderunt, Orientales Chriſtiani, dum Cathechumeni ſacro fonte perfundebantur, noctu in Epiphaniæ Celebritate, aquam illam Eccleſiæ precibus conſecratam domos quique ſuas religiosè adſportabant.

XV. Huc accedit, quod S. Auguſtinus ait, non tantùm publicæ Pœnitentiæ obnoxios, & ab Eccleſia ejectos ob nefaria flagitia, Pœnitentes dicendos eſſe; nam neque iſtiuſmodi ſolùm facinora ab hominibus patrantur. Omnes culpis obſtringimur, & Pœnitentia egemus. Veriſimillimum eſt igitur, Sæculis XII. & XIII. publica Pœnitentia ferè abrogata, quoslibet, Quadrageſima ineunte, ſacro Cinere conſpergi, & aliis Pœnitentiæ ritibus expiari majori contentione voluiſſe; ſi minùs tunc primùm eos adhibere cœperint.

XVI. Subjicit è veſtigio Regino locum Romani Pœnitentiæ libelli hæc non parùm confirmantem. Monentur Epiſcopi & Preſbyteri ut ſontes Pœnitentia & jejuniis expiaturi, veniant in partem earundem afflictationum, & jejunium unam vel alteram hebdomadam celebrent, ne jure illud Evangelii eis objici poſſit, quod olim de Phariſæis Chriſtus ait, qui cùm onera graviſſima aliis imponerent, ipſi ne levia quidem ſibi ſumerent: *Quotieſcumque Chriſtiani ad Pœnitentiam accedunt, jejunia injungimus; & nos communicare* Pag. 36. *cum eis debemus in jejunio unam aut duas hebdomadas, vel quantum poſſumus, ut non dicatur quod Sacerdotibus Judæorum à Domino dicitur, Væ vobis Legiſperitis qui adgravatis homines, imponentes ſuper humeros eorum onera gravia & importabilia; ipſi autem digito veſtro non tangitis ſarcinas ipſas.* Nec Epiſcoporum tantùm vel Preſbyterorum eſt in eorum calamitatibus dolere. Omnes membra ejuſdem corporis ſumus; his verò ægritudo cum aliis partibus communis eſt, quod maximè locum habeat oportet in eo corpore, cujus mens charitas eſt & dilectio. Ut igitur cum Pœnitentibus jejunia colebant Sacerdotes, ita cum iiſdem ſacros illos Cineres cæteri adhibuerunt, ut Pœnitentis animi, & doloris pro ſuis quique flagitiis argumenta præberent, & ut alios ad meliorem frugem converſos ſolarentur ac delinirent.

XVII. Nullus inficiabitur die Cœnæ Domini id cunctos præſtare loco publicorum Pœnitentium, quorum vix ulli ſuperſunt, quum Sacerdotes Abſolutionem impertiunt in Eccleſiis quamplurimis. Etenim Chriſtiani populi nomine Sacerdos ſcelera quæ nemo patravit demiſsè fatetur, Pœnitentiæ Pſalmi adhibentur, quos Abſolutio conſequitur. Eadem videtur eſſe ratio dierum Cœnæ Domini, & ſacri Cineris. Fideles à Pœnitentibus aliàs ſejuncti, & in eorum nunc locum ſubrogati, Cineribus & Abſolutione expiantur.

CAPUT XIV.

De Dominicis diebus Paſſionis atque Palmarum, & de Majore Hebdomada.

I. Hebdomada Majore Eccleſiæ Orientis celebant jejunia aſperiora, ſive Xerophagias.

II. In Occidente, alicubi ſaltem, duabus hebdomadis ante Paſcha Xerophagia celebrabantur.

III. Hinc fortaſſe oritur duplex dies Dominicus, Paſſionis atque Palmarum.

IV. Idcirco poſtrema Quadrageſimæ hebdomada vocata fuit in Oriente major, ob jejunia videlicet, vigilias, preces, & ceſſationem à forenſibus judiciis.

V. Idem ſtatuunt Cæſareæ Leges edicendo, ne cui fas ſit judicia publica exercere diebus quindecim; ſi Canonum ratio haberetur.

VI. Græcorum exercitationes in Sacra Majoreve hebdomada, diebus maximè Cœnæ Domini, & magnæ Paraſceves.

VII. Conſimile inſtitutum Latinæ quoque Eccleſiæ. De Communione Euchariſtiæ ſacra Paraſceves die ac Sabbato Sancto; de ſtatis Eccleſiæ precibus veſpertinis ejuſdem Sabbati: de ritu benedicendi ignem & cereum.

VIII. IX. De iiſdem ritibus, maximè veſpertinis precibus, & Sacro Luminis Sabbato ſub veſperam. De igne tunc è ſilice educto.

X. Chriſtianarum virtutum exercitationes & officia poſtremis Majoris Hebdomadæ diebus.

XI. De frequenti Communione diebus iiſdem in Gallia & Africa.

XII. De Canonicis nocturniſque Paſchæ precibus, earumque anticipatione.

XIII. De plurimis Lectionibus Miſſæ Paſchalis, & ejus quæ Clerici initiantur.

XIV. Canonicæ precationes trium poſtremorum Quadrageſimæ dierum, quibus Eccleſia Chriſto vita functo juſta ſolvit.

XV. De ſolenni Crucis Adoratione ſacræ Paraſceves die.

XVI. Nonnulla quæ ſpectant veteres ritus ſtatarum Eccleſiæ precationum, iiſdem tribus diebus adhibitarum.

XVII. Vetus inſtitutum Dominici diei Palmarum. Rituum omnium conſenſio.

XVIII. Docendus eſt populus de hujuſmodi cæremoniarum inſtitutione.

I. EXiſtimarunt veteres Patres, ut liquet ex Tractatu de Jejuniis, intereſſe aliquid inter jejunium Quadrageſimæ & Paſchæ, quod priori

præ-

præſtabat. Vocabatur autem Xerophagia, quòd tantùm aridis uterentur. Colebatur à Græcis in Majori dumtaxat Hebdomada ab uno ad alterum Paſcha; ſiquidem non tantùm Chriſti Reſurrectio, verùm etiam Paſſio eo nomine donabatur. Paſcha idem eſt atque *Tranſitus*. Servator autem tranſivit ad Patrem ſuum ex hoc mundo tum mortem opperendo, tum reſurgendo. Agnus qui mactabatur Paſcha appellatus eſt, quòd eo noctu veſcerentur Ebræi dum Angelus vindex pertranſiens, Ægyptiorum liberos natu maximos necabat Ebræis parcens. Sex dies Paſchales, quibus Eccleſia, ex Epiphanio, Xerophagias colit, iidem ſunt ac

In Expoſ. Fid. n. 22.

dies Majoris Hebdomadæ: *Sex illos Paſchatis dies Xerophagiis, hoc eſt arido victu, tranſigere omnis populus aſſuevit*. In hunc pariter modum Majorem Hebdomadam Paſchalem vocat & Xerophagiorum dies: *Hebdomadas Xerophagia & Paſchatis, quæ vocatur Sancta*; ut Conſtitutiones quoque Apoſtolicæ: *Sex diebus Paſcha, pane tantùm, ſale, oleribus, & aqua jejunate*.

Hæreſ. 70. n. 11. Hæreſ. 75. n. 3.

L. 5. c. 17.

II. Latinæ Eccleſiæ Xerophagiæ alicubi duabus hebdomadis celebratæ fuiſſe videntur: *Duas*, inquit Tertullianus, *in anno hebdomadas Xerophagiarum, nec totas, exceptis ſcilicet Sabbatis, & Dominicis, offerimus Deo*. Hæretici quidem aſperiora hæc jejunia colebant, quod tamen non impedit quominùs Orthodoxi idem piè præſtarent. Hæc his non conveniebant cum prioribus, quòd unius pietatis ſtudia, de quibus nulla Eccleſiæ lex erat, ſentiebant Hæretici præcepto ſancita eſſe. Montaniſtæ hìc turpiter lapſi ſunt, quibus Tertullianus acceſſit. Contendebant cogi unumquemque oportere ad genus illud jejunii quod colebatur quartis ſextiſque feriis, quum tamen, vel Tertulliano fatente, id in uniuſcujuſque poteſtate poſitum arbitraretur Latina Eccleſia.

L. de Jejun.

III. Ob has fortaſſe Xerophagias Occidentalis Eccleſiæ, poſtremæ Quadrageſimæ hebdomades à prioribus diſcrepare viſæ ſunt. Utut enim pia tantùm inſtituta quædam videantur, avidiùs tamen à pleriſque omnibus arripiuntur, & eorum maxima ratio habetur in Eccleſiæ diſciplina. Ita ex quartarum ſextarumque feriarum qualiquali jejunio nata lex eſt, & neceſſitas abſtinendi epulis quibuſdam Paraſceve quavis ac Sabbato. Atque hinc ratio patet cur, quum Quadrageſima ſex ſibi vendicet hebdomadas & dies Dominicos, priores tantùm quatuor à Quadrageſima nomen mutuentur, quintus à Paſſione, poſtremus à Palmis. Id quoque conſtat ex Sermonibus S. Leonis, quorum duodecim extant in quatuor Dominicos dies, ſive hebdomadas Quadrageſimæ, novendecim in Paſſionem, ſed alternis, in Dominicos nempè dies ac Ferias quartas. Conjicimus ſæpiùs de Divinis rebus ac Servatore noſtro verba feciſſe veteres pro concione, extremis hiſce quindecim Quadrageſimæ diebus. Imbuendi enim tunc fuerunt Catechumeni Competentes vocati, vel Electi, Baptiſmo initiandi in Paſchali Celebritate: quanquam hujuſmodi catecheſes non eædem erant atque cæteræ Patrum Homiliæ, quod liquet ex Auguſtino, maximè ubi diſſerit *de Symbolo ad Catechumenos*.

IV. Sciſcitatur Chryſoſtomus cur hebdomas quæ Paſchalia Solennia antevertit Major dicta ſit; continuò autem rationem ſubjicit, ita nimirum vocatam propter maxima quæ tunc recoluntur Myſteria. Etenim proſtrata mors eſt, fuſæ malorum Dæmonum copiæ, Dei cum hominibus Fœdus inſtauratum, & ſervatum genus humanum. Hac de cauſa complures majore animi contentione incumbunt in jejunia, nocturnaſque preces, & opes in pauperes prolixiùs conferunt, tempus colentes Pœnitentiæ & religionis: *Idcirco multi & jejunium intendunt, & vigilias, & pernoctationes ſacras, & eleemoſynas faciunt, ut hebdomada huic honorem habeant*. Quapropter Reges maximi juſſerant ceſſare ſtrepitum forenſium cauſarum, ut nemo aliis quibuſvis occupationibus detineretur, ſed uni Deo, Diviniſque rebus vacaret: *Enimverò & Reges ipſi declarant, quam venerabiles dies illos habeant, mandantes ut omnibus ſint induciæ & feriæ qui civilibus funguntur negotiis, claudendo fores judiciorum, & auferendo omnes lites, quo magna tranquillitate ac pace liceat ad ſpiritalia rectè perficienda feſtinare*.

Hom. 30. in Geneſ.

In Gen. ho. 30. p. 426.

V. Egimus ſuperiore Libro de Legibus utriuſque Codicis referentibus tam Majorem Hebdomadam quàm Paſchalem in album dierum quibus judicia minimè exercentur: *Sacros Paſchæ dies qui ſeptem numero vel præcedunt vel ſequuntur*. Quæ quidem Leges nil aliud præſtabant, quàm robur quoddam Eccleſiæ Sanctionibus & Conſtitutionibus Apoſtolicis ſtatuentibus, ut hebdomada utraque Feriæ eſſent, & ſervi ac operarii ceſſatione fruerentur, & in Religionis unicè ſtudium incumberent: *Tota magna hebdomada & proxima ſequenti vacent ſervi, quia illa Paſſionis eſt, hæc Reſurrectionis, & opus eſt docere quis ille ſit qui mortuus eſt & reſurrexit*. Ita Apoſtolicæ Conſtitutiones. Meminimus pariter Legis latæ à Receſuintho Rege in Hiſpania: *Diebus Paſchalibus nulla patimur quemlibet executione teneri; id eſt quindecim dies, ſeptem qui Paſchalem Solemnitatem præcedunt, & ſeptem alios qui ſequuntur*. At Caroli Magni Capitularia octo tantùm Paſchales dies recenſent: *Paſcha dies octo: In Paſcha Domini uſque in Octavas Paſchæ*. Deleta eſt igitur è faſtis dierum Feſtorum Hebdomada Major. Græci hæc conſtantiùs ſervanda curarunt. Photius enim exhibens in Nomocanone Synopſim Legum Cæſarearum & Canonum, iſtos quindecim Paſchales dies recenſet: *Dies Feſti ſunt ſeptem dies ante Paſcha, & ſeptem poſt Paſcha*. Idem Sæculo XII. decrevit Comnenus, dum Paſchalium Solennium primordia repetit à Lazari Reſurrectione, & octo prætereà Paſchalis hebdomadæ dies complectitur. Nos quidem Evangelii locum illum adhibemus in Paraſceve ante Paſſionem; Græci autem videntur id præſtitiſſe ſequentis Paraſceves die, paulò ante Palmarum Solemnitatem. Quod ad Latinam Eccleſiam, Gregorii IX. Litteræ in Codices Canonum relatæ, eoſdem quindecim dies coli jubent: *Septem diebus Dominicæ Paſſionis. Reſurrectionis cum ſeptem ſequentibus*. Si Litteris hiſce auſcultatum eſſet, mores utriuſque Eccleſiæ & Sæculorum complurium minimè diſcreparent. Sanè maximi momenti foret hujuſmodi conſpiratio; ſed Conſtitutio illa in Occidentis Eccleſiis jampridem obſolevit. Guigus magnæ Carthuſiæ Prior, S. Bernardi æqualis, quatuor tantùm Paſchales dies enumerat. Alibi, ut videtur, ſenſim reſecati ſunt dies duarum hebdomadum, antequam Urbs & Italia recens inſtitutum probarent. Poterant quidem hæc quæ dicta ſunt in alium locum rejici, quum ſpectent Paſchalem hebdomadam ſequenti Capite ad examen vocandam: ſed hujuſmodi res invicem nexæ ſunt, atque aliæ alias excipiunt.

Cap. 4.

L. 8. c. 33.

L. 1. c. 5. 6. hujus operis.

Ibid. c. 7.

VI. Sed ne longiùs ab eo quod propoſitum fuerat digrediamur, teſte Chryſoſtomo, Græci die magnæ Paraſceves & ſequenti Sabbato perlegebant quicquid ad Redemptoris noſtri ſupplicia ac mortem pertinebat: *In die Crucis omnia legimus quæ ad Crucem pertinent. In magno Sabbato rurſus traditum eſſe Dominum noſtrum, crucifixum eſſe, mortuum eſſe ſecundum carnem, & ſepulchro conditum*. Byzantina Synodus Quiniſexta appellata nihil antiquius habuit quàm jejunia utroque die diligentiùs colenda, preceſque enixè magis adhibendas, maximè in Paſchali pervigilio, quum tam jejunium, quàm preces hujuſmodi uſque ad mediam noctem celebrare oporteret: *Dies τὰς ἡμέρας ſalu-*

T. 1. Serm. 63. p. 414.

Cap. 90.

ſaluiferæ Paſſionis in jejunio & oratione & cordis compunctione peragentes Fideles, uſque ad mediam magni Sabbati noctem jejunare oportet. Chryſoſtomi veſtigiis inſiſtimus in interpretatione horum dierum ſacræ Paraſceves & magni Sabbati. Si tamen Balſamoni fides habenda, quarto die Majoris hebdomadæ hæc inchoabantur; quanquam fateatur Sabbati jejunium ſanctiùs celebratum fuiſſe. Qui enim majoris pietatis ſtudio flagrabant illud ad mediam uſque noctem producebant, precibus impenſiùs vacando: tum Divinis Eucharistiæ dapibus alebantur: pane deinde veſcebantur, aquam ſæpiùs adhibentes, vinum nonnunquam. Sequenti hora matutinæ Paſchatis preces canebantur tum quum Chriſtus è tumulo prodiit. Aderat Chriſtianus populus, qui illis expletis domum revertebatur, tempus expectans Divinæ rei faciendæ in Paſchali Celebritate: *Propterea qui religioſiores ſunt toto Sabbato & uſque ad horam ſextam noctis in Eccleſiis aſſident, & hora ſexta divinis Sacramentis communicantes, panem & aquam guſtant, fortaſſis autem & modicum vini. Septima autem hora matutinas Pſalmodias audientes, quando etiam Chriſtus reſurrexiſſe dicitur, domum ſuam revertuntur, magni Dominici Sacrorum Celebrationem expectantes*. Ita Græci Balſamonis ætate dies illos coluerunt ſub finem Sæculi XII. Neque ab hujuſmodi moribus abhorrebat vetus Orientis inſtitutum prioribus ſæculis, quod in Opere de Jejuniis adnotavimus.

VII. Græci ergo perſæpè ad ſacram Euchariſtiæ Synaxim accedebant, ipſo Paſchali die, ac Sabbato Sancto media nocte, aut non ita multò pòſt; fortaſſe magnæ quoque Paraſceves die. Ut enim aliàs diximus, Miſſa Præſanctificatorum eadem propemodum erat atque generalis Euchariſtiæ traditio. Hinc in Libro Sacramentorum Sancti Gregorii habetur, convenisſe omnes & ita Euchariſtiam recepiſſe poſt Miſſam illam ſacræ Paraſceves die peractam: *Et communicant omnes cum ſilentio, & expleta ſunt omnia*. In Eccleſia quoque Latina univerſi populi Synaxis celebrata eſt in Paſchæ pervigilio; quod Menardus in ſcholiis confirmat. Codex Ratoldi quem affert, hujus meminit, & veſpertinarum quoque precationum, quæ tunc inchoabantur: *Interim dum communicat populus, inchoat Cantor Alleluja: Pſalmus, Laudate Dominum omnes Gentes; Antiphona ad Evangelium, Veſpere autem: Pſalmus, Magnificat &c.* (Pag.148.) En ipſas veſpertinas preces quas in præſentia adhibemus: ante Miſſam quidem inchoantur, eam complectuntur, & ſimul cum Sacro abſolvuntur. De duplici Miſſæ genere agunt Concilia; quandoque enim mane, quandoque veſpere peragebantur: *Miſſa Matutinales, Veſpertinales*. Poſtremæ cum veſpertinis precibus jungebantur; hæ verò preces dividebantur in partes duas, prior *Lucernarium* vocabatur, ἑσπέριον, altera ea fuit, quæ modò, ut nunc ſunt mores, tantùm ſupereſt. Utrumque in Miſſa Paſchalis pervigilii conſpicimus, quam *Lucernarium* antevertit, veſpertinæ preces conſequuntur. Pars illa quæ complectitur ritus ignis vel luminis, oblationem & gratiarum actiones, ſupereſt Sabbato tantùm Sancto; ſed quondam aliis quoque diebus adhibebatur. Eò ſpectare videtur S. Hieronymus, quum ait puellas piè educatas aſſueſcere oportere ab ineunte ætate veſpertinis Sacrificiis quum ignis lampadibus admovetur: (Epiſt. ad Lætam.) *Aſſueſcat, lucerna accenſa, reddere Sacrificium veſpertinum*. Quod pariter innuit Prudentius: (Cathemer. hymn.9.)

O res digna, Deus, quam tibi roſcida
Noctis principio grex tuus offerat,
Lucem, qua tribuis nil pretioſius.

Neque enim ſermo erat de cæremoniis unius Paſchalis Cerei in eodem pervigilio, ſed de ritu frequentiore benedictionis & gratias agendi quotidie ſub veſperam, quum faces lampadeſve accenderentur. Abrogata tamen eſt hujuſmodi Majorum conſuetudo diebus cæteris. Horum teſtis eſt Baſilius: (De Spir. S. c.29.) *Viſum eſt Patribus noſtris veſpertini luminis gratiam haudquaquam ſilentio arripere, ſed mox ut apparuit, gratias agere. Quis autem fuerit auctor illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione ad lucernas ἐπιλύχνιος εὐχαριστία, dicere haud poſſumus. Populus autem antiquam profert vocem, neque cuiquam unquam viſi ſunt impietatem committere qui dicunt, Laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Dei*. Diſcrepat ergo Latinus à Græco ritu; nam in Eccleſiis Romano inſtituto accedentibus quæ pleræque omnes in Occidente ſunt, ad novi luminis fulgorem, canitur, *Lumen Chriſti, Deo Gratias*; Græci verò Sanctam Trinitatem laudibus efferebant. In Trinitatis honorem cereum in tres diviſum accendimus, rati nos Jeſu Chriſti lumine perfuſos Trinitatis penitiora myſteria noſſe.

VIII. Breviarium Mozarabicum à Garſia allatum, cujus Auctor S. Iſidorus eſt creditus, ſacri Luminis cæremonias exhibet, eaſque Paſchalis tantùm pervigilii proprias eſſe inficiatur: *Dies ſive ſit Feſtivalis, ſive privata, ſemper hora incipiunt à veſpertinis ante diem. Et principium ſit per invocationem Jeſu Chriſti, oratione Dominica præcedente, ſubmiſſa voce dicendo, Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter: & alta voce, In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti lumen cum pace; hoc eſt lumen oblatum. Reſpondetur à circumſtantibus, Deo Gratias*. En ritum illum quo ignem benedicit Eccleſia, lumina, lampadeſque Sabbato Sancto, paucis immutatis: ſed quotidie ſub veſperam hæc peragebantur: *Dies ſive ſit Feſtivalis, ſive privata*. Nec diſſident Etherius atque Beatus, qui in finem vergente Sæculo VIII. in Elipandum Archiepiſcopum Toletanum editis Libris calamum ſtrinxerunt: *Si in Veſpertinis Chriſtianus Lucernarium ante Altare obtulerit, non poteſt aliter offerri, niſi dixerit, In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti lumen cum pace*. (Cap.6.) Sanctus quoque Iſidorus in Regula Monachorum eadem ratione loquitur de omnibus Veſpertinis laudibus: (Can.2.) *In Veſpertinis Officiis, primò Lucernarium, deinde Pſalmi duo &c.* Concilium pariter Auguſtæ Emeritæ An. 666. *Oportet igitur ut ſicut in aliis Eccleſiis veſpertino tempore, poſt lumen oblatum, prius dicitur Veſpertinum quam &c.* In ritu longè ſolenniſſimo Paſchalis Cerei idem habetur Sacrificium veſpertinum, eadem luminis oblatio, eædem gratiarum actiones. Quotidie Lucernarium peragebatur, non tamen ſemper adeò ſolenniter. Caſſianus agens de diurnis nocturnaſque laudibus, illud ante veſpertinas recenſet: *Ad extremum undecima, in qua lucernalis hora ſignatur*. Prudentii hymnus cujus meminimus, inſcribitur, *Ad incenſum Cerei Paſchalis*. Sed titulus adjectus videtur ab aliquo antiquorum rituum planè rudi. (Diurn orat. l.3.c.3.) Sirmondus ope veterum Codicum germanum reſtituit, *Ad incenſum Lucernæ*. Id quotidie ſub noctem peragebatur, ſolenniore ritu Sabbatis quibuſque, ſed multò ſolenniſſimo in Paſchæ pervigilio. Prudentius enarrat ibidem quomodo ignis è ſilicis venis eliceretur, ut lampadibus admoveri poſſet; neque enim adhuc dies noctéſque accenſæ lampades, faceſve ſacras Ædes lumine complebant. Ne ergo prophano ignis opus eſſet, ea ratione educebatur, nec Myſteria deerant deprompta è ſacris Codicibus, petita à firmiſſimo lapide, & veriore lumine Chriſto.

Quamvis innumero ſidere Regiam
Lunarique polum ſidere pinxeris;
Incuſſu ſilicis lumina nos tamen
Monſtras ſaxigero ſemine quærere:
Ne neſciret homo ſpem ſibi luminis
In Chriſti ſolido corpore conditam,

Qui

Qui dici ſtabilem ſe voluit petram,
Noſtris igniculis unde genus venit.

Ea luce percuſſæ mentes Epiſcoporum & Sacerdotum excitabantur ad ediſſerenda Myſteria æterni luminis & Veritatis carne pro nobis indutæ. Socrate adnotante, alicubi verba pro concio- L. 5. c. 21. ne fiebant ſtatim ac omnia collucebant. Illinc mos invectus eſt ut divini Verbi præcones veſperi ſacra Volumina pro concione interpretentur: *Conſimiliter in Cypro & in Cæſarea Cappadocum in Sabbato & Dominico die Veſperi poſt lucernarum accenſionem Epiſcopi & Presbyteri Sacras Scripturas populo exponunt.*

IX. Itaque ex veteri Majorum conſuetudine lumen diebus ſingulis, nocte ferè adventante, cum precibus accendebatur, & lampas vel cereus offerebatur veluti Sacrificium quoddam, Divinum illud Jeſu Chriſti indicans; ſed Sabbatis ſingulis, & maximè in pervigilio Paſchæ ſanctionibus id, & ſolenniotibus cæremoniis peragebatur. At ſub finem Sæculi XI. ſublati iſtiuſmodi mores videri Decreta pro Ord. S. Bened. poſſint; ſiquidem Lanfrancus, qui ea ætate floruit, tradit eos viguiſſe apud Monachos quintis ſextiſque feriis: *Plurima Monachorum Cœnobia feciſſe hanc ad ſanctificandum ignem Proceſſionem non Sabbato tantum Sancto, ſed in quinta etiam & ſexta feria, ſecretario præferente cereum &c.* In ejuſmodi tantùm Cœnobiis hi ritus adhibebantur poſtremis tribus diebus Majoris hebdomadæ. Ex Glabro verò facilè intelligi poſſit Sabbato Sancto dumtaxat veteris moris reliquias ſuperfuiſſe. Audivit enim de Aurelianenſi quodam Epiſcopo à Palæſtina & Hieroſolymis redeunte, dum popu- L. 4. c. 6. lus accenſas lampadas conſpicere in votis haberet, ignem divinitùs ex una earum erumpentem alias inflammaſſe: *Eodem tempore Oldaricus Aurelianenſium Præſul illuc pergens quid viderit nobiſque narraverit, non prætermittendum videtur miraculum. Die igitur magni illius Sabbati, quo ignis mirabili Dei potentia veniens ab univerſo populo præſtolatur, ibi cum cereis idem Præſul adſtabat. Jamque dies ipſa in veſperum tranſiens &c. Statim Dei virtute erumpens ignis, ex una lampadarum, quæ ſeptem ibi pendere cernuntur, curſim eructando cæteras inflammavit.* Mitto quæ de hujuſmodi prodigiis memoriæ prodiderunt recentiora hiſtoriæ monumenta.

X. Diutiùs ac putaveram hìc moratus ſum. Liquet ex Glabri verbis populum cereos præferentem adfuiſſe ut cœleſtis luminis particeps foret. Quod autem ſpectat ad ſacram Synaxim & Liturgiam poſtremorum dierum Majoris hebdomadæ, parùm illis cum cæteris conveniebat. Neque Miſſæ Sacrum peragebatur, neque jejunia ſolveban- L. 7. tur. Ita Capitularia ſanxerunt, antiquorum Pontificum Maximorum edictis robur adjiciendo: *Ut Sabbato Sancto, hoc eſt in vigilia Paſchæ jejunium ante noctis initium niſi à parvulis aut infirmis non ſolvatur, nec Miſſa in Paraſceve, aut in eodem Sabbato Sancto, vel divina Myſteria his duobus diebus celebrentur: Canonibus quippè jubentibus biduo iſto Sacramenta non debent penitus celebrari.* Innocentius I. Rom. Pont. aliàs teſtatus eſt ex veteri Eccleſiæ Traditione, Apoſtolos magnæ Paraſceves die, & Sabbato Sancto, jejunium celebraſ- Epiſt. 1. c. 4. ſe, neque rem Divinam tunc faciendam eſſe: *Non dubium eſt in tantum eos jejunaſſe, biduo memorato, ut Traditio Eccleſiæ habeat iſto biduo ſacramenta penitus non celebrari.* Concilium Toletanum IV. veterem in Hiſpania morem reſtituit celebrandi ſolenni ritu magnam Paraſceven, & enarrandi Servatoris ſupplicia ac mortem. Statuit præterea ut à Sacerdotibus improbitatis quique ſuæ abſolverentur, ut nulla criminum labe adſperſi Cap. 7. 8. ad Paſchale Euchariſtiæ convivium parati eſſent: *Oportet eo die Myſterium Crucis quod ipſe Dominus cunctis nunciandum voluit, prædicare, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum poſtulare, ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ Reſurrectionis remiſſis iniquitatibus ſuſcipere mereamur, Corporiſque ejus & Sanguinis Sacramentum mundi à peccatis ſumamus.* Abſolutio igitur diei Cœnæ Domini, qui ab ea quandoque nomen mutuatur, in Hiſpania adhibebatur ſacra hæc Paraſceve, & Euchariſtiæ Divinæ dapes, ipſo Paſchæ die, parabantur.

XI. Longè diverſum erat Gallicanæ Eccleſiæ inſtitutum. Corporis enim Domini cuncti participes efficiebantur diebus Cœnæ, Paraſceves, Sabbato, & in Paſchali Celebritate; atque haud ſcio an ſingulis quoque diebus Paſchalis hebdo- Cap. 40. madæ, ſi ad verba Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi in Capitulari animum advertamus: *In Cœna Domini, & in Paraſceve, in vigilia Paſchæ, & in die Reſurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum. Et ipſi dies Paſchalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi ſunt.* Sanè ad mentem Theodulphi, vel Euchariſtia ſumpta, vel eo ritu quo Feſti dies obſervantur, Paſchalis hebdomada colenda videtur. In Africa die Cœnæ ad ſacram Synaxim accedebant omnes: docet enim Auguſtinus bis ibi ſacrum Miſſæ peragi conſueviſſe; primùm mane propter eos qui ci- Epiſt. 118. bo minimè abſtinebant, atque iterùm ſub noctem propter cæteros qui jejunium colebant: *Mane propter prandentes, ad veſperam verò propter jejunantes.* Alicubi ſemel tantùm Sacrum agebant, & ad Euchariſtiam paſti, connivente Eccleſia, accedebant: *Nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipſam Cœnam Dominus dedit, tanquam ad inſigniorem commemorationem poſt cibos offerri & accipi liceat Corpus & Sanguinem Domini.* Neque eos damnavit Auguſtinus qui jejunium ſolvebant die Cœnæ Domini, & Divinis epulis minimè jejuni veſcebantur; non enim adhuc ubique ſanctiorem Eccleſiæ diſciplinam cuncti complexi fuerant, ut annis conſequentibus. cript. Nor. p. 6. 519.

XII. Synodus Rothomagenſis An. 1072. probavit vetus inſtitutum non celebrandi Miſſæ ſacrum diebus magnæ Paraſceves, & pervigilii Paſchalis, ſimul tamen innuit nocturnarum Sabbati hujus precum, ac cæremoniarum ea ætate quandam anticipationem. Quum enim juſſiſſet ſtata Quadrageſimæ jejunia coli quoad veſpertinæ preces inchoarentur: *Nullus in Quadrageſima prandeat, antequam hora nona peracta, veſpertina incipiat: non enim jejunat qui ante manducat:* Statuit ante horam nonam celebrandas non eſſe Eccleſiæ preces ac ritus: *Statutum eſt ut in Sabbato Paſchæ Officium ante nonam non incipiatur. Ad noctem enim Dominicæ Reſurrectionis reſpicit, ob cujus reverentiam Gloria in excelſis Deo, & Alleluja cantatur; quod etiam in Officii initio, Cerei ſcilicet benedictione monſtratur.* Pertinebat igitur ad nocturnos Paſchæ ritus *Lucernarium* & Cerei conſecratio, quæ læti quique proſequebantur. Cuncta enim Solennia ſub veſperam inchoabantur, ut ſequenti Libro perſpicuum fiet.

XIII. Quum verò in multam noctem Sacra hæc producerentur, multiplex Lectio Sacrorum Bibliorum adjicienda fuit, duodecim nempè adhibebantur, & quidem Græcè ac Latinè in Urbis Eccleſiis. Benedictus III. qui ante Nicolaum I. ſummo Sacerdotio functus eſt, Lectiones in melio- Idem Reg. pag. 206. rem ordinem digeſſit, ut ait Anaſtaſius Bibliothecarius, additis illis de quibus agimus: *Dignum ſimiliter volumen præparare ſtuduit, in quo Græcas & Latinas Lectiones quas die Sabbati Sancti Paſchæ, ſimulque & ſanctæ Pentecoſtes Subdiaconi legere ſoliti ſunt, Scripturas adjungi præcepit.* Multiplici quoque Lectione opus fuit in Miſſis Sabbatorum, quum Clerici initiandi erant; has enim

continuò Dominici dies Celebritas excipere debuit, quo, ut ex S. Leone conſtat, primo potiùs ſolennique die quàm ſeptimo, Eccleſiæ adminiſtri ſacris ritibus conſecrarentur.

XIV. Quum quereretur S. Bernardus peccari multa, quod pertinet ad Divinas laudes & cæremonias, in Monaſterio Paracleti, cui Eloiſa præerat, præſtò fuit Abaelardus ſanctimonialibus ſuppetias ferens; nec ſatis illi fuit earum vindicem agere; ſed ut vicem rependeret, Claravallenſes ritus Majoris hebdomadæ ſugillavit. Matutinas preces canebant Monachi poſtremis illis diebus cum Invitatorio, Hymno, tribus Lectionibus, Reſponſis quæ conſequuntur, & Doxologia, ſive *Gloria Patri*. Contendit Abaelardus pugnare id cum Eccleſiæ univerſæ inſtituto, tunc juſta ſolventis Dei Filio, cujus cruciatus ac mortem recolebat; vocari quoque eos dies tenebrarum quum accenſas faces teſtinguere oporteat: *Ubi & Invitatorium & Hymnum cum tribus tantùm Lectionibus & Reſponſoriis cum Gloria, contra omnem Eccleſiæ morem, & ut dicitur rationem, vos dicere inſtituiſtis. Quum enim hoc triduum tanquam exequia Dominica in luctu peragantur, atque hinc vulgò horum dierum Vigiliæ nuncupantur Tenebræ, quòd extinctis ibi luminaribus mœrer hic exprimatur; non mediocriter mirandum videtur, vel Invitatorium, vel Hymnum, vel Gloria, quæ potius gaudii voces ſunt, ibi decantari.*

VX. Vix quicquam præſtantius eſt ſolenni Sanctæ Crucis Adoratione, die magnæ Paraſceves, quem *Adoratum* propterea veteres quandoque vocarunt. Teſte Ruſtico Diacono, qui maximam hominis celebritatem adeptus eſt præclaris ingenii ſui monumentis contra Acephalos, Eccleſia univerſa magno ſibi honori ducebat Crucem demiſsè venerari: *Nam & clavos quibus confixus eſt, & lignum venerabilis Crucis omnis per totum mundum Eccleſia abſque ulla contradictione adorat*. Hic verò ritus tam altàs radices egerat in hominum mentibus, ut ne Epiſcopi quidem Pariſienſis Synodi qui ſacrarum Imaginum cultum exagitabant (quanquam, ut conjicimus, aliquod potiùs genus cultus, in quo nullus modus ſervabatur, carpebant) inficiati fuerint piè admodum coli ab Eccleſia ubique terrarum, ſacra hac Paraſceve, tum Crucem cui Servator adfixus fuit, tum ejus Imaginem: *Et ideò Sancta Mater Eccleſia*
Synod. Pariſ. c. 4. *toto orbe terrarum inter cætera innumera Crucis ſacramenta decrevit licitum eſſe univerſis Catholicis, ob amorem Paſſionis Chriſti, ubicumque eam viderint, inclinando ſi voluerint venerari; & inſuper die ſancto quo Paſſio Domini in univerſo mundo ſpecialiter celebratur, cum omni devotione univerſum Ordinem Sacerdotalem, ſeu cunctum populum adorare.*

XXI. Hinc facilè quivis intelligat ab antiquis uſque temporibus, Majoris hebdomadæ cæremonias in uſu poſitas fuiſſe. Novimus ex Ordine Romano conſcripto, ut fertur, circiter annum à Chriſto nato octingenteſimum, quintum diem Dominicum Quadrageſimæ vocatum fuiſſe *Dominicam Paſſionis* & *Dominicam Medianam*. Sacri Codices antiqui Fœderis de quintodecimo die ante Paſcha agebant, ut ſe ad illud cuncti pararent. Romæ ignis benedicebatur diebus quoque Cœnæ & Paraſceves. Matutinæ precationes Cœnæ Domini inchoabantur duabus horis poſt mediam noctem elapſis, & cuncta ferè quæ in præſentia adhibentur peragebantur. Ardebant in nonnullis Eccleſiis vigintiquatuor cerei, qui ordine extinguebantur, octo videlicet in prioribus precibus nocturnis, octo in alteris, cæteri in poſtremis. Lampades ſeptem ſupererant quæ reſtinguebantur dum Laudes perſolverentur; adeòut quum ad canticum *Benedictus* ventum eſſet, tenebris omnia offunderentur, teſtincta vel ſublata, & in abdito quodam loco recondita poſtrema lampade. Eadem ſequentibus etiam diebus præſtabant. Media nox initium fuit ſtatarum precum Canonicarum ſacræ Paraſceves, non æs Campanum pulſando, ſed lignum crotalum. Nullum erat Miſſæ ſacrum, ſed veſpertino tempore poſt ſolennem Sanctæ Crucis adorationem omnes ad Euchariſtiæ Synaxim accedebant, ut in die Cœnæ, eaque peracta, ſinguli privatis veſpertinis precibus vacabant: *Et communicant omnes cum ſilentiò: & ſic expleta ſunt univerſa. Et poſt paululum veſperas dicit unuſquiſque privatim, & ſic vadunt ad menſam.* Media nocte pariter inchoabantur tam nocturnæ preces quàm matutinæ laudes Sabbati Sancti; cætera eadem modo peragebantur. Hora tertia initiabantur Baptiſmo Competentes; Litaniæ atque Miſſa proferebantur quoad prima ſtella conſpicua foret: *Poſteà ingrediuntur ad veſperum; poſteà modico intervallo, ut fuerit prima ſtella in Cælo viſa, ſonant ſigna, & incipiunt canere Litaniam ad Introitum, & ſtatim procedit Sacerdos cum ſeptem candelabris & cereis, canentibus interim Clericis Litaniam.* Hæc totam ferè noctem durabant, nec populo fas erat è Templo diſcedere niſi poſt mediam noctem: *In vigilia Reſurrectionis Domini ante mediam noctem populus non eſt dimittendus de Eccleſia, juxta Canonum ſanctiones.* Euchariſtia omnibus tribuebatur in hujuſmodi Miſſa: *Poſtquam omnes communicaverint.* Ubi Baptiſmus non adminiſtrabatur, aqua luſtrali (quæ nempè ſacris cæremoniis conſecrabatur) domus adſpergebantur: *Ubi Baptiſmum non fit aqua, benedicatur, & ſpargatur in omni domo.* Summo mane celebrari incipiebant tam nocturnæ quàm matutinæ laudes Paſchales, poſt pacis oſculum, & illam benè precandi formulam, *Surrexit Dominus: In ipſa nocte, matutina luce rumpente tenebras, ſurgentes in Eccleſiam veniunt, & mutua charitate ſe invicem oſculantes dicant, Surrexit Dominus de ſepulchro; deinde dicit, Domine labia mea aperies &c.*

XVII. Memoria exciderat ritus quidam Dominici diei Palmarum, dignus qui adnotetur. In ſolenni Supplicatione duo Diaconi Evangeliorum volumen in ſella quadam circumferebant, ad recolendum Chriſti triumphum. Id Alcuinus perſequitur in Opere de Divinis Officiis; ſed privatus quidam ritus quarundam Eccleſiarum videtur. Cæterùm mirari ſatis non poſſumus tantam ubique, atque tot ſæculis in eoſdem mores & cæremonias conſcuſionem. Nam etſi Ordo Romanus circiter annum octingenteſimum conſcriptus eſt, inſtituta de quibus agit ſunt multò vetuſtiora; neque enim novos mores invehebat, ſed veteres ediſſerebat. Quòd ſi ex præſenti rerum ſtatu veterem metiri libeat, maximum fuerit oportet Eccleſiæ ſtudium in Majorum inſtitutis diligentiſſimè ſervandis. Equidem Majores noſtri nobis minimè concedebant, & veteres mores plurimi duxerunt.

XVIII. Cæterùm Concilium Mediolanenſe V. Act. Eccl.
ſtatuit ut Paſtores populum doceant de ſacris ri- Mediol.
tibus Cereorum, Cinerum, Palmarum, & quomodo ſeipſi parare debeant, ut ea qua par eſt religione cæremoniis hujuſmodi interſint.

C A P U T XV.

De die Sancto Paſchæ.

I. Chriſtiana Religio Chriſti Reſurrectione nititur.

II. Moleſta eſt vetus diſceptatio de Paſchali die. Quomodo ſe geſſerint Victor Romanus Pontifex, & Irenæus.

III.

III. Eccleſia univerſa à qua nefas eſt deſciſcere, in Nicæna Synodo Victori acceſſit.

IV. Quanti momenti eſſet rato eodemque die Paſcha celebrari.

V. Quàm pernicioſæ ejuſmodi contentiones.

VI. Omnes ferè orbis Eccleſiæ ante Nicænam Synodum Victoris ſententiam probaverant.

VII. Præclara Sancti Epiphanii ea de re verba.

VIII. Conſimilia S. Joannis Chryſoſtomi.

IX. X. Sancti quoque Ambroſius & Auguſtinus egregie agunt de arcanis rationibus peragendi Paſcha verni æquinoctii tempore, & dum Luna pleno orbe fulget.

XI. Ob hæc forſitan Myſteria Eccleſia eundem ritum omni animi contentione invehendum curavit.

XII. S. Gregorius Paſcha vocat Celebritatem omnium Principem.

XIII. Epiſcopi Epiphania die Paſcha indicebant, cujus admonebantur à Metropolitis, ut hi à Pontificibus Maximis.

XIV. Unde petenda vox Paſcha.

I. JEſu Chriſti Reſurrectioni tanquam ſolidiſſimæ baſi innititur Chriſtiana Religio. Nam ut Pauli argumentationem uſurpemus, ſi Servator noſter proſtrata morte non prodiit è tumulo, nulla nobis reliqua ſpes eſt, & ſceleribus adhuc obſtringimur. Sua ille Reſurrectione & animas & corpora noſtra excitat, reſurgens ob criminum noſtrorum expiationem. Omnes cum ipſo ad vitam revocati ſumus, ut aliam inſiſtamus viam: *Si Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra: adhuc enim eſt in delictis veſtris. Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram. Ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per Gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

1. Cor. 15. 17. Rom. 4. 25.

Rom. 6. 4.

II. Quæ quum ita ſint, plurimi ſemper Feſtus hic dies, cæteris quibuſque præſtans, eſt habitus. Itaque acerrimis contentionibus ſciſſa eſt in varias partes Eccleſia, tanquam pro aris & focis pugnans pro ſolenni hoc die, in quo maximè oportebat unam eſſe omnium ſententiam. Secundo Chriſtianæ Religionis Sæculo manus conſeruerunt Occidentales & Aſiatici contendentes quartodecimo die poſt vernum æquinoctium Paſcha celebrandum eſſe, quum illi in ſequentem Dominicum diem Paſchalem Celebritatem rejicerent, ne Judaiſmum redolere viderentur. Conſtituerat Victor Romanus Pontifex Aſiæ Eccleſias communione arcere, quòd pervicaciùs Ebræorum moribus adhæreſcerent, prætexentes veterem conſuetudinem invectam ab Joanne Evangeliſta in Epheſinam Eccleſiam, & ab aliis Apoſtolis in Orientem. S. Irenæus Lugdunenſis Antiſtes, miſſis ad Pontificem Maximum Literis, ejus animum delinire & ad pacis ſtudia traducere ſatagebat, illud inculcans, eam rituum diverſitatem nihil Eccleſiæ officere, cujus ſexcentis in rebus ejuſmodi varii erant mores; conducere potiùs ad ejus decorem, & charitati minimè impedimento eſſe: denique antiquiores Urbis Antiſtites pacem ſervaſſe cum Aſiæ Epiſcopis, poſthabitis diſcrepantibus ſententiis & cæremoniis: Anicetum Pontificem cum Polycarpo qui Romam venerat, diſceptaſſe quidem de Paſchali die, ſed contentioni ſtatim modum impoſitum fuiſſe, & inter ſe dilexiſſe: *Quum Polycarpus Aniceti temporibus Romam veniſſet, atque inter illos de quibuſdam aliis rebus modica eſſet controverſia, ſtatim mutuo pacis oſculo ſe complexi ſunt, de hoc capite non magnoperè inter ſe contendentes.* Ea agendi ratio & Irenæi conſilium commendari ſatis non poſſunt.

Euſeb. l. 5. c. 24.

III. Sed non continuò quicquid veritatis pietatiſque ſpecimen præſefert, id verum atque optimum exiſtimandum eſt. Contra, quod cum veritate pugnare videtur, nonnunquam ab ea propè abeſt. Dei Sapientia noſtris longè præſtat cogitationibus: neque nos fugit Eccleſiam Catholicam ea conſectari quæ optima ſunt, regente ipſam Divino Spiritu. Falli minimè poſſumus dum eam præeuntem ſequimur; à veritate autem aberrabimus quotieſcumque ejus veſtigiis non inhærebimus. Itaque Eccleſia Catholica Victori tandem auſcultavit, & eundem ubique terrarum Paſchæ diem eſſe conſtituit in Arelatenſi ac Nicæna Synodo cæterarum omnium Oecumenicarum vetuſtiſſima, & facilè Principe. Inſularum Britannicarum incolæ uſque ad ſexcenteſimum annum à Chriſto nato, pertinaci conſilio, alio die Paſcha celebrarunt, Romanæ Eccleſiæ minimè obſequuti, ideſt primo die Dominico poſt tertiumdecimum Lunæ menſis Martii, qui dies Dominicus nonnunquam in ipſum Lunæ quartumdecimum incidebat: quapropter ab Eccleſia & à Judæis diſſidebant. S. Auguſtinus illuc à Magno Gregorio Rom. Pont. miſſus voti compos fieri haud potuit, pravum morem evellendo; quod pariter contigit pluribus Pontificibus Maximis, quoad Oſvinus Rex animadvertens in ipſamet aula ne cum Regia quidem conjuge ſibi convenire in Quadrageſimæ & Paſchatis diebus, ob varias diſcrepanteſque ſententias, Concilium coegit, in quo ſtatutum fuit Romanæ Eccleſiæ morem gerendum eſſe.

IV. Pleraque ſunt diſciplinam ſpectantia non ita magni momenti, quæ negligi poſſint. Quid? Quòd perſæpè rituum quorundam diverſitas ejuſdem Fidei & præcipuorum diſciplinæ capitum conſenſioni decorem quendam conciliat. Paſchæ tamen eundem ubique diem celebrari vehementer Eccleſiæ intererat. Non enim de uno duntaxat Feſto die agebatur, ſed de maximis Celebritatibus quæ cum Paſchate colligantur. Stata Quadrageſimæ jejunia, & quinquaginta dies ante Pentecoſten cum Paſchate nectuntur. Decuitne Eccleſiam abſtinentia & mœrore ſimul confici in luctu, in ſordibus, in ſqualore, & ingenti gaudio delibutam lætari? Mutua eademque conſilia majore longè vi prædita erant quàm privati quilibet diſſidenteſque ritus: neque ferendum videbatur alios Chriſti mortem lacrymis & dolore proſequi, alios maxima voluptate perfuſos ejus triumphum recolere. Imponit quandoque nobis maximum illud intervallum quo Oriens & Occidens dirimuntur, quaſi in eadem ſtudia conſpirare vix poſſint qui regiones adeò diverſas incolunt. Sed operæ pretium eſt animum adjicere ad cogitandum eandem eſſe Religionem Catholicæ Reipublicæ, quanquam longè latèque fuſæ; non paucos Occidentalium Eccleſiarum alumnos in Oriente verſari, & Orientales quoque complures nobiſcum degere. Neque intervallum hujuſmodi ullum ſibi vindicat locum in regionibus oppidiſque finitimis. Abſonum autem dictu eſt in eadem Provincia atque adeò civitate dolere quoſdam, lætari alios, jejunia nonnullos celebrare, cæteros nefas putare ea colere. Huc accedit non ſapientum tantùm, & piorum virorum habendam eſſe rationem, ſed rudium etiam, & minùs præſtanti virtute, qui facilè ob diverſarum partium ſtudia acerrimè pugnant.

V. Horum periculum factum eſt in Oriente duo integra ſæcula; adeò enim ſive iracundia inflammabantur, ſive neſcio qua religione & ſuorum rituum amore flagrabant populi, & jurgiis ac turbis omnia miſcebant, ut Euſebius non immeritò ſcripſerit unius Dei ope tot malis occurri potuiſſe; quod revera Divinitus contigit in Nicæno Concilio, Conſtantino Cæſare opitulante: *Itaque quum omnes ubique populi jamdudum inter ſe diſſiderent, & ſacri Religionis noſtræ ritus conturbarentur; quippè in uno eodemque Feſto temporis diverſitas maximum diſſidium inter ferian-*

De Vit. Conſt. l. 3. c. 5.

tes excitabat, quum hi jejuniis & ærumnis ſeipſos attererent, illi otio ac lætitiæ indulgerent, mortalium quidem nemo erat qui huic malo remedium poſſet adhibere. Soli omnipotenti Deo perfacile erat his malis mederi. Unus porrò in terris extabat Conſtantinus qui ad hæc bona perficienda idoneus Dei miniſter eſſe videretur.

Ipſemet Conſtantinus miſſis ad omnes Eccle- Ibid. c. 18. ſias litteris, Nicæna Synodo peracta, turpe exiſtimavit Judæis accedere, quos ſcelera præcipites agebant, poſtquam Dei Filium morte affecerant: *Poſt illud parricidium mente capti*; tollenda diſſidia in tanta Celebritate; *Nefas eſſe ut in tanti momenti negotio & in hujuſmodi ſolemnitate religionis diſſenſio reperiatur*: Eccleſiam tanquam unum idemque corpus iiſdem ſimul doloribus & gaudiis affici oportere, ac probari minimè poſſe eandem Chriſti ſponſam luctu ſimul perditam videri, & præ voluptate geſtire: *Unum enim libertatis noſtræ Feſtum diem, hoc eſt diem ſacratiſſimæ Paſſionis Servator noſter nobis reliquit, unamque eſſe voluit Catholicam Eccleſiam, cujus membra licèt variis locis diſperſa ſint, uno tamen ſpiritu, ſcilicet Dei voluntate foventur. Conſideret quæſo veſtra Sanctitatis ſolertia quàm grave ſit & indecorum iiſdem diebus alios quidem jejuniis intentos eſſe, alios verò convivia celebrare*: Expedire ut nobis totus accederet potiùs Occidentis, Meridiei, Septemtrionis, immò nonnullis etiam Orientis Eccleſiis, quàm quibuſdam Orientalibus tantùm; *Quum hic ordo decentiſſimus ſit quem omnes tam Occidentalium, quàm Meridianarum & Septemtrionalium orbis partium Eccleſiæ; ac nonnullæ quoque Orientalium ſervant*: tandem voluntati Dei parendum eſſe, qui nunquam aliàs tam certò loquutus dici poteſt, quàm dum ejus mentem aperiunt Oecumenicæ Synodi: *Quicquid enim in ſanctis Epiſcoporum Conciliis geritur, ad Divinam referendum eſt voluntatem.*

VI. Perſpicuum hinc eſt, ante Nicæna Comitia Victoris Pontificis ſententiam orbem ferè totum probaſſe ob ea quæ adnotavimus, ac Epheſinam cum paucis Aſiæ Eccleſiis repugnaſſe. Hæc autem cuivis ob oculos ponunt quanti ubique fierent Paſchalia Solennia, pro quibus in tota Chriſtiana Republica tot diſceptationes ac turbæ ciebantur.

VII. S. Epiphanius hæc ad incudem revocat, pertractans de hæreſi Audianorum Eccleſiam inſimulantium, quaſi Apoſtolorum Traditionem contempſiſſet Conſtantino nimiùm deferendo; *Pa-* Hæreſ. 70. n. 9. 10. 11. *ternam conſuetudinem in Paſchate reliquiſtis diemque commutaſtis, ut vos ad Imperatoris nutum accommodaretis*. Verùm reſpondit Epiphanius duo maximè è re noſtra egiſſe Conſtantinum dum Divinitatem Verbi, & Paſchalem diem declarandum curavit, & Apoſtolicas Conſtitutiones, quo duntaxat aliqua ratio haberetur Ebræorum recens Baptiſmo initiatorum, ſub Eccleſiæ Chriſtianæ ortum; eo optaſſe ut cum illis Paſchalis Celebritas perageretur; ſed Chriſtianorum diſſidentium concordiam longè præſtare: *Si vel cum Chriſti hoſtibus, ut illi putant, Apoſtoli celebrandum eſſe Paſcha cenſuerunt, quanto magis ad eandem retinendam conſenſionem cum Eccleſia celebrare convenit; ne illius concordia laceretur?* Ad hæc, adjicit Judæos omnium bonarum artium rudes neque æquinoctia ad calculos revocare poſſe, neque propterea verum Paſchæ diem reperire, & quandoque totos duodecim menſes nunquam Solennia hæc agere, quandoque etiam bis: denique Eccleſiarum jurgia non ſine riſu ac probro ab Ethnicis exagitari; *Gentiles tantam Eccleſiæ diſcordiam non ſine ludibrio nobis exprobrarent*. Splendeſcere verò ubique videbatur, ut idem ait, Jeſu Chriſti maxima gloria ac poteſtas, quum ſimul totus orbis ejus triumphum recolebat de ſceleris, mundi, ac Diaboli viribus proſtratis, Divinæ mortis ac Reſurrectionis ope, nobis quoque voluntariis ſuppliciis mortem quandam oppetentibus, & ad veram virtutis vitam revocatis. Nam quid præſtantius contingere potuit, & Deo dignius, quàm ut totus orbis pœnitentis animi argumenta exhiberet, & tot hominum innumerabilis ferè multitudo ad meliorem frugem converteretur, eodem ubique die cum ingenti lætitia recolendo anniverſariam tantarum rerum Celebritatem? *Quid tandem utilius aut jucundius eſt, quàm ab extremis terræ finibus Chriſtianos omnes populos in honorem Dei, Feſti illius Celebritate defungi, & communi conſenſione vigilias obire? Eoſdem inquam & æquales dies pernoctando, precandoque traducere ſumma concordia ac Divini Numinis obſequio, jejuniis, aridorum uſu, caſtimonia, aliiſque pietatis officiis, quibus religioſum illum diem frequentare ac venerari ſolent?*

VIII. Præterea S. Joannes Chryſoſtomus acriùs caſtigat pervicaciam Judaici Paſchatis aſſertorum, T. 5. Ser. 4. contendens majorem concordiæ & charitatis, quàm dierum habendam eſſe rationem, & ferendos non eſſe nebulones illos Nicænæ Synodo, immò Eccleſiæ univerſæ, dicam ſcribentes: *Tu non illos tantùm condemnas, ſed orbem univerſum qui ſententiam illorum comprobavit*. Nec Eccleſia, ut præclarè Chryſoſtomus, uni Paſchati addicta eſt, terque quaterque ſingulis hebdomadis Paſcha celebrans, quotieſcunque videlicet Sacra & Synaxes peragebantur: *Paſcha ter in hebdomada, nonnunquam etiam quater, vel potiùs quotieſcumque volumus: Eſt enim Paſcha oblatio & Sacrificium quod in ſingulis fit Collectis. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Quapropter in Eccleſia quæ concordiam & charitatem cunctis præcellere arbitratur, is ratus Paſchatis dies videbatur, quem eadem conſenſio & charitas præſtituerat: magni enim refert quo conſilio ac mente Solennia agas, non tanti quo die ac temporis puncto. Error autem ſi quis contingeret in die conſignando, vel lucro apponendus eſſet, vel leviſſimus exiſtimandus, maximè collatus cum diſſidiis & ſchiſmate Chriſtianorum quorundam prætexentium ſe dies ſcrutando melius rationes ſubduxiſſe: *Diligenter Eccleſiam ſequamur, & charitatem & pacem omnibus præferamus. Licèt enim Eccleſia falleretur, non tantum laudis ac lucri ex temporum exacta ratione, quantum vituperii ex diviſione ac ſchiſmate naſceretur.*

IX. S. Ambroſius in Epiſtola de Paſchali die Epiſt. 83. nos admonet Romanos, Mediolanenſes, & Ægyptios de vero itaque hoc die conſilia contuliſſe, neque adligari Eccleſiam æquinoctio, Lunæ phaſibus, vel Dominico diei, niſi ut recolatur Chriſti mors & Reſurrectio, è quibus oritur in toto terrarum orbe religionis lumen: *Ex hoc poſſumus intelligere quod ad hujuſmodi Solennitatem vel Eccleſiæ perfectio, vel clara fidei plenitudo quæratur, ſicut dixit Propheta quum loqueretur de Filio Dei; quia Sedes ejus ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum manebit.*

X. Fuſiùs hæc edisserit Auguſtinus, animadvertens mentem noſtram Lunæ ſimillimam eſſe. Epiſt. 119. cap. 5. Hæc ſiquidem à Sole digrediens qua parte terras ſpectat collucet, qua verò Cœlum obſcurior eſt, quoad è regione Solis pleno orbe fulgeat; ſed cum Sole iterùm congrediens, eique ſubjecta, qua parte nos ſpectat lumine caret, qua Cœlum maximè ſplendet. Ita genus humanum ante Servatoris mortem terrena tantùm pulchritudine præſtabat, cum Divinis rebus collatum turpe ac fœdum viſu; ſed poſt Divini Verbi mortem cum juſtitiæ Sole congrediens terrena quævis valere juſſit, & ad Divina animum adjecit: *Anima quippe humana*

rece-

recedens à Sole, ab illa ſcilicet interna contemplatione incommutabilis veritatis, omnes vires ſuas in terrena convertit, & eò magis magiſque obſcuratur in interioribus ac ſuperioribus ſuis. Sed quum redire cœperit ad illam incommutabilem ſapientiam, quantò magis appropinquat ei affectu pietatis, tantò magis exterior homo corrumpitur, ſed interior renovatur de die in diem; omniſque lux illa ingenii quæ ad inferiora vergebat, ad ſuperiora convertitur, & à terrenis quodammodo aufertur, ut magis magiſque huic ſæculo moriatur & vita ejus abſcondatur cum Chriſto in Deo. Mutatur ergo in deterius ad exteriora progrediens, & in vita ſua projiciens intima ſua; & hoc terræ, ideſt eis qui terrena ſapiunt, melius videtur. Mutatur autem in melius quum intentionem ſuam & gloriam à terrenis quæ in hoc ſæculo apparent, paulatim avertit, & ad ſuperiora ab inferioribus convertit; & hoc terræ, ideſt eis qui terrena ſapiunt, deterius videtur. Ita ſanctiſſimus Præſul reconditis hiſce rationibus mentes noſtras ad religionis myſteria traducit. Lunæ globus Cœlum ſpectat aliqua ſui parte, aliqua terras. Dum Luna Soli ſubjecta eſt, ejus partes quæ Solem ſpectant hujus radiis colluſtrantur, cæteræ in tenebris jacent; at dum è regione Solis ei opponitur, qua parte terras ſpectat pleno orbe fulget, reliquus globus tenebris offunditur. Hæc vitæ noſtræ quam in præſentia agimus, hæc mentis imago quædam eſt. Quò majore contentione in res Divinas incumbit, eò magis à terrena hac colluvione abſtrahitur, & quò majore ſtudio conſectatur terrena, eò magis à Deo abducitur. Dei Filius mortem obiit Cruci ſuffixus, quum Lunæ orbis nobis perſpicuus Soli oppoſitus fulgebat: ea verò ætate, quod ſpectat ad res Divinas, humanum genus in maxima ignoratione verſabatur, quaſi nocte quadam mentibus offuſa; ſed ſi de rebus humanis ſermo ſit, voluptatibus potiebatur & gloria. Servatore mortuo hominum mentes cœleſti lumine perfundi cœperunt, & pectora Dei & virtutis amore flagrare, avocatis eorum ſtudiis ab his quæ in ſenſus noſtros incurrunt. Hæc Ambroſii, hæc Auguſtini mens, hæc digna tanta Celebritate cogitatio. Id morte ac reſurrectione ſua quas recolimus, jure à nobis Dei Filius poſtulat.

XI. Patres atque Concilia, cùm de Paſchalibus Solenniis acerrimè diſceptarent, non tantùm Eccleſiæ tranquillitati proſpiciebant, verùm cum Ambroſio etiam & Auguſtino, ubique myſterium aliquod mentis acie intuebantur: cogitabant dies, tempora, & hanc rerum univerſitatem volumen quoddam eſſe, in quo præſtantiſſimus Opifex Deus plurima majori momenti inſcripſerat: huc maximè Majores noſtri ſpectabant, non dies, non tempora, de quibus tantùm rudiores digladiabantur. Myſteriis eadem potiùs quàm tempora, patratis etiam Dei ope miraculis, quandoque conſecrata ſunt. Nam ut Paſchaſinus in Sicilia Epiſcopus ad Leonem I. Rom. Pont. ſcripſit, quum quondam in Paſchali die peragendo Occidentales à veritate aberraſſent, malè inita temporum ratione, Zoſimo Pontifice, nec ſacri fontes tunc aqua manarunt, ut quotannis Divinitus contingebat in pervigilio Paſchæ, nec ſolennis Baptiſmus adminiſtrari potuit. Hunc igitur dierum cultum Deus ipſe adprobat.

XII. Magnus Gregorius Romanus Pontifex Paſchalem Celebritatem vocat cæterarum Principem & præſtantiſſimam, quòd animum & cogitationes à terrenis rebus abducat, ut gaudiis & Solenniis tandem ſempiternis frui poſſit, quorum primordia ſunt fides, ſpes, & amor Dei: *Hanc* Hom. 22. in Evang.
enim rectè nobilitatem Solennitatis dicam, quia Solennitates cæteras antecedit. Sicut enim in ſacro eloquio Sancta Sanctorum, vel Cantica Canticorum pro ſui magnitudine dicuntur, ita hæc Feſtivitas rectè dici poteſt Solennitas Solennitatum. Ex hac quippè Solennitate exemplum nobis Reſurrectionis datum eſt, ſpes cœleſtis Patriæ aperta, & facta superni regni jam præſumptibilis gloria.

XIII. Ne longior eſſem, ſuperſedendum cenſui à Conciliorum, Romanorumque Pontificum ſanctionibus conſtituentibus ut Patriarchæ deliberarent quotannis de Paſchali die, Pontifices Maximi de eo docerent Occidentis Metropolitas, hi Provinciæ Epiſcopos in Comitiis, Epiſcopi autem in Epiphaniæ Celebritate illum indicerent. Ita primus Canon Concilii Arelatenſis, An. 314. alloquentis Silveſtrum Romanum Pontificem, cujus muneris erat Antiſtites omnes ſanctorum Solemnium admonere ſingulis quibuſque annis, miſſis ad Metropoleon Præſules Litteris: *De obſervatione Paſchæ, ut uno die & uno tempore per omnem orbem à nobis obſervetur, & juxta conſuetudinem Litteras ad omnes tu dirigas.* Quò etiam ſpectat primus Canon Synodi Aurelianenſis IV. *Agnita per Metropolitanos à Sede Apoſtolica ſacra Conſtitutio teneatur.* Prac. 2. c. 9. Leo ep. 99. Aurel. 4. c. 1.

XIV. Adjiciam unum vel alterum verbum de Paſchæ voce, & præclara S. Gregorii Nazianzeni animadverſione, unde initium ductum oportuit. Perſpicuum eſt verbum hujuſmodi repetendum eſſe ad Ebraico *peſach*, ſive *phaſe*, ideſt, *tranſitu*: in memoriam enim revocat tranſitum Ebræorum ab Ægypto in Palæſtinam, ut adnotat Sanctus Doctor in Paſchalibus Orationibus; vel tranſitum Angeli vaſtatoris, qui Ebræis parcens Ægyptiorum liberos natu maximos necavit; ſive noſtrum in Cœlum reditum. At quum propè abeſſet illud verbum à Græco vocabulo πάσχω, quod idem eſt ac patior, crediderunt quoque nonnulli à Græco ſermone depromptum eſſe, & ad Paſſionem Chriſti, quam tunc recolit Eccleſia, traxerunt. Id quidem Hieronymus & Auguſtinus minùs probant; verùm Gregorius Nazianzenus, etſi Ebraica revera ſit origo hujus verbi, cenſuit Græcam, utut veritati minimè conſonam, ferri tamen poſſe: *Nam hoc nomine putarunt quidam vocari ipſam Servatoris Paſſionem; ad Græcamque linguam vocem accommodantes, diem hunc nominarunt Paſcha. Quod quum uſus recepiſſet, jam vehementer inolevit, aſſentientibus ipſis auribus, utpotè ſanctiori nomini.*

CAPUT XVI.

De Paſchali hebdomada, & diebus quinquaginta uſque ad Pentecoſten.

I. Paſchalis Hebdomadæ dies omnes Feſti. Plures Synodorum Canones.

II. Canones alii uſque ad finem Sæculi XI. tunc enim Feſti quidam dies hujus hebdomadæ abrogati ſunt.

III. Urbis Eccleſia & Græci diù omnes hebdomadæ Paſchalis dies coluerunt.

IV. Lex eadem vim habuit poſt Sæculum XI. & etiamnum vim habet in Codicibus Canonum.

V. Ob illos maximè qui recens Chriſtianis ſacris fuerant initiati, ſolennis Hebdomada peragebatur.

VI. Mos adminiſtrandi Baptiſmum in Paſchali Celebritate & Pentecoſte, ſublatus eſt circiter annum Chriſti milleſimum ac ducenteſimum. Ea de cauſa Feſtorum hujuſmodi dierum numerus imminutus.

VII. Ab hac ſolenni Hebdomada inchoantur quinquaginta Feſti dies, videlicet uſque ad Pentecoſten.

VIII. Non tamen omnes hos dies ceſſabatur ab operibus & judiciis.

IX. An ulla ex Auguſtino ſuperſint Feſtorum illorum dierum veſtigia.

X. Alia ejuſmodi indicia, & de eorum vetuſtate ex Tertulliano.

XI. Idem ex Ambroſio adnotante Ebræos annum ſolidum ſolenniter egiſſe, vocatum Jubilæum.

XII. In poteſtate noſtra conſtitutum eſt iſtos quinquaginta dies celebrare, Reſurrectionem Jeſu Chriſti continenter recolendo.

XIII. Idem dicimus de cultu qui exhibetur Deo vel epulis abſtinendo, vel non abſtinendo.

XIV. Canticum Alleluja *cæleſtis præludium.*

XV. Expediebat diebus quibuſdam & operibus & precibus ſimul vacare.

XVI. Græca quoque Eccleſia quinquaginta hoſce dies Feſtos coluit, ſublatis eo temporis intervallo jejuniis illis, quæ quibuſdam diei horis celebrabantur.

XVII. Animadverſiones quædam in ſtatas Eccleſiæ preces, in quibus tres vel novem Pſalmi ac Lectionem adhibentur.

I. EX iis quæ de Majori hebdomada dicta ſunt patet, dies quoslibet Paſchalis hebdomadæ Feſtos fuiſſe. Quod confirmari poteſt ex Concilio Matiſconenſi II. An. 585. edicente ne quis ſex diebus Paſcha conſequentibus in opus incumbat; ſed unicè tam mane quàm meridie & veſpere in Dei Conditoris atque Reparatoris noſtri laudes, & gratiarum actiones. Operæ pretium autem eſt Canonem in medium proferre, ut quivis intelligat ſæculis plurimis neutram Eccleſiam exiſtimaſſe tot Solennia otium atque diſſidiam foviſſe: *Paſcha itaque noſtrum in quo ſummus Sacerdos & Pontifex pro noſtris delictis immolatus eſt, debemus omnes feſtiviſſimè colere, & ſedula obſervationis ſinceritate in omnibus venerari, ut illis ſanctiſſimis ſex diebus nullus ſervile opus audeat facere; ſed omnes ſimul coadunati hymnis Paſchalibus indulgentes perſeverationis noſtræ præſentiam quotidianis Sacrificiis oſtendamus, laudantes creatorem & regeneratorem noſtrum veſpere mane & meridie.* Can.2.

Theodulphus in ſuo Capitulari poſtquam ſtatuit accedendum eſſe ad Euchariſtiam quotidie à Cœna Domini ad Paſcha, ſubjicit eadem ratione peragendos eſſe ſingulos Paſchalis hebdomadæ
Cap.42. dies: *Et ipſi dies Paſchalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi ſunt.* Idem jubet Moguntina Synodus An. 813. *Feſtos dies in anno celebrare ſancimus: hoc eſt diem Dominicum Paſchæ cum omni honore & ſobrietate venerari; ſimili modò totam hebdomadam illam obſervari decrevimus.* Meldenſis verò, anno 845. ceſſari jubet iſtos octo dies, ut populus feriatus det operam precibus & Dei verbo: *Dies octo ſacroſanctæ Paſchalis Feſtivitatis omnibus Chriſtianis feriatos eſſe decernimus, quatenus ſanctæ Reſurrectionis laudibus, & ſacroſanctæ prædicationi jugiter inſiſtere liceat.* Qui verò parere noluerit, anathemate plectitur: *Quod ſiquis temerare præſumpſerit, excommunicetur.* Idem conſtituit Herardus Turonenſis Archiepiſcopus, addita hebdomada Pentecoſtes: *De octo diebus Paſchæ qualiter feriari debeant, & de Pentecoſte.* Græci hæc religioſiùs coluerunt; Synodus enim Trullana præcipit Paſchali hebdomada conveniendum eſſe in Eccleſiam, vacandumque Pſalmis, Hymnis, & ſanctorum Voluminum lectioni, non theatralibus ludis: *A ſancta Chriſti Reſurrectionis die uſque ad novam Dominicam, tota ſeptimana in Eccleſiis vacare fideles jugiter oportet Pſalmis & Hymnis & ſpiritualibus Canticis, in Chriſto gaudentes, & Feſtum celebrantes, & Divinarum Scripturarum lectioni mentem adhibentes, & ſanctis Myſteriis jucundè & lautè fruentes. Sic enim cum Chriſto exaltabimur, & unà reſurgemus. Nequaquam ergo prædictis diebus equorum curſus, vel aliquod publicum fiat ſpectaculum.*

Cap.36.: Moguntina Synodus (margin note beside "tina Synodus An. 813.")

Cap.79.: Meldenſis (margin note beside "precibus & Dei verbo")

II. In Germania Concilii Ingelheimenſis temporibus, ideſt anno 949. Pentecoſte velut in ordinem redacta fuerat, ejuſque quatuor duntaxat dies Feſti peragebantur, Paſchalis tamen hebdomadæ dies ſinguli obſervabantur: *Ut Paſchalis hebdomada feſtivè tota celebretur, & in Pentecoſten, ſecunda, tertia, quarta feria, non minus quàm dies Dominicus ſolenniter honorentur.* Can.2. Cæterùm in Germania quoque plures Feſti dies paulò pòſt ſublati ſunt. Etenim Synodus Conſtantienſis cui præerat Gebehardus Epiſcopus & Apoſtolicæ Sedis Legatus, anno 1094. ſtatuit ut tribus tantùm diebus tam Paſchæ quàm Pentecoſte celebraretur, ut in ea Provincia uſuveniebat; in Conſtantienſi autem Diœceſi Paſchalis hebdomadæ dies ſinguli Feſti erant, & unicus Pentecoſtes; quum Canones utramque Celebritatem pari religione proſequerentur. Ita Bertholdus de Synodi ſanctione: *Statuit ut tam in hebdomada Pentecoſtes quam in hebdomada Paſchæ tres tantùm dies Feſtivi celebrarentur. Nam uſque ad illud tempus Conſtantienſis Epiſcopatus morem Comprovincialium non eſt ſequutus, videlicet integram ſeptimanam in Paſcha, & unum tantum diem in Pentecoſte obſervando, quamvis utraque ſeptimanæ ejuſdem obſervantiæ eſſe debuerint, & quamvis alii Epiſcopatus penè omnes prædictam Conſtitutionem jam ab antiquo tenuerint. Hæc, inquam, ipſe in proprio Epiſcopatu, & ex Epiſcopali auctoritate, & ex Apoſtolica Legatione canonicè potuit inſtituere; nam Legatus fuit Apoſtolicæ Sedis.*

III. Urbis Eccleſia & Oriens Chriſtianus diù antiquiora inſtituta ſarta tecta ſervavit Paſchalem hebdomadam obſervando, ut conſtat ex Apologia Cardinalis Humberti pro moribus ac ritu Latinorum, quos injuria, & licentiùs Græci vellicabant. Latinarum partium homines Judaiſmi poſtulabantur à Græcis, quibus Humbertus reſpondit non omnes Judæorum mores carpendos eſſe, ac Eccleſiam utramque, non minùs quàm Ebræos, octo iſtos dies celebrare: vel igitur ejuſdem criminis ſeſe alligare Græcos, vel cujuſvis abſolvendos Latinos eſſe: *In quo ergo communicamus Judæis, & in quo Solennitatem azymorum cuſtodimus? An forſan quia ſolennes & feriatos eoſdem dies habemus? & à decima quarta Luna uſque ad viceſimam primam obſervamus? Et cur eadem vos obſervatis, niſi quia aliud nobis innuunt, aliud illis?* Cardinalis Sapientiſſimus Auguſtinum auctorem habens, haud credidit Judæorum ſuperſtitionem redolere Paſchatis celebrationem, ab eorum ſolenni die non admodum diverſam quod ad tempus: Siquidem Ebræi animo tunc recogitabant profectionem ſuam ab Ægypto, & ingreſſum in Palæſtinam, mari Rubro tranſmiſſo; nos libertatem Chriſti morte ac triumpho partam, quibus crimina noſtra ſublata ſunt.

IV. Prætereà Gratianus in Capite, cujus initium *Pronunciandum*, apertè teſtatur, ſua ætate, De Conſec. diſt.3.c.2. Paſchales dies octo obſervatos fuiſſe: *Sanctum Paſcha cum tota hebdomada*; quod pariter Litteris ſuis ſtatuit Gregorius IX. Pontifex maximus. Idem Comnenus fieri jubet; & Balſamo Antiochenus Patriarcha, quem Marcus Alexandrinus conſuluerat, reſpondit, labente Sæculo XII. tanquam unicum Feſtum diem agi totam hebdomadam, qua fas & jura ſinebant carnibus veſci, vel ipſis quartis ſextiſque Feriis. *Hebdomade autem Paſchatis, ut arguimus, ſine periculo carnibus veſcemur in ejus feria quarta & ſexta. Nam pro uno die Dominico habetur hoc Feſtum.*

V. Quapropter niſi Eccleſiæ Leges facilè à ple-

riſque

Digitized by Google

riiſque peſſumdarentur, Paſchalis hebdomadæ dies adhuc tanquam Feſti peragerentur. In Germania autem vel finitimis locis primùm Feſti quidam dies aboleri cœperunt. Ne verò quicquam prætercam quod huc pertineat, liquet maximè ob Neophytos, ſeu recens Baptiſmo initiatos, acerrimè decertaturos poſtquam Chriſtianæ militiæ nomen dederant, tot dies peractos fuiſſe, ut Divinæ Gratiæ præſidiis inſtruerentur: nam ita Chryſoſtomus ſenſit: *Idcircò continua quotidie doctrina perfruimini; idcirco ſeptem dierum ſpatio conſequenter collectam agimus ac ſpiritalem menſam vobis apponimus, ut noſtra opera Divinis eloquiis perfruamini, ut vos ſingulis diebus inſtruamus, atque adverſus Diabolum armemus: nunc enim ferocius invadit. Quantò majus eſt donum, tantò etiam majus eſt bellum &c. Idcircò ſeptem conſequentibus his diebus concionum doctrina fruimini, ut in luctarum palæſtra diligenter inſtruamini.* Jeſus Chriſtus vix Jordanis aqua perfuſus, mali Dæmonis inſidiis appetitus eſt; Chriſtianique recentes haud præclariùs ſecum agi minimè addubitabant. Tunc ergo parabantur ad prælia; atque ea de cauſa ſingulis diebus & Sacra adhibentur & Evangelia, quæ à Paſtoribus explanata illis auxilio eſſe poterant. Liturgia eorum officia & Baptiſmum ſpectat. Scitum eſt Chryſoſtomi illud, ſeptem dies hujuſmodi nuptias quaſdam Neophytorum videri; quarum ſacra Biblia meminerunt, ſeptem pariter dies enumerantia: *Alioquin autem etiam ſpirituales ſunt nuptiæ eæ quæ jam fiunt. In nuptiis autem ad ſeptem dies thalami proſtant. Propterea nos quoque lege ſanximus vobis, ut hic ſeptem dierum ſpatio ad ſacros thalamos vos ſiſtatis.*

T. 5. Hom. de Reſur. p. 531.

VI. Eadem eſt Auguſtini ſententia, Feſtis hiſce octo diebus, Eccleſiæ liberos recens natos ali, educi, adoleſcere, viribus inſtrui: *Octavarum Feriarum quas in regeneratione novi hominis celebramus.* Nec abs re fuit de hujuſmodi Neophytorum diebus diſſeruiſſe. Hinc enim quiſquis facilè conjiciat, abrogato propemodum veteri inſtituto ſolennis Baptiſmi Paſchæ & Pentecoſtes, ſublatos quoque complures Feſtos dies fuiſſe. Hi mores in uſu poſiti videbantur uſque ad annum Chriſti 1200. Catechumeni enim quamvis tenellà adhuc recentique in lucem editi ſacro fonte expiarentur, id tamen in Paſchæ & Pentecoſtes Celebritatibus fiebat. Annis conſequentibus alii mores invecti ſunt.

L. 1. de Ser. Dom. in monte.

VII. Ab octo Paſchalibus diebus repetendum eſt initium quinquaginta illorum, quibus via ad Pentecoſten ſternitur. Ambroſius apertè aſſerit iſtos quinquaginta dies veluti Paſchæ Solennia peragi, quum ab ipſis inchoentur: *Et ideo Majores tradidere nobis Pentecoſtes omnes quinquaginta dies ut Paſcha celebrandos, quia octava hebdomadis initium Pentecoſten facit.* Quum igitur in ſeptem hebdomadis poſt Paſcha dies quadraginta novem enumerentur, primo octavæ hebdomadæ die, ordine quinquageſimo, Pentecoſte colitur; quo fit octies hebdomadam peragi ſolenniter ab Eccleſia, æternam Sanctorum Celebritatem atque lætitiam recogitante.

In c. 17. Lucæ.

VIII. Neque ſentiendum eſt, opere quovis ſublato, agros ſine cultu jacuiſſe tot dies; ſed ea dierum ſeries ſolennis dicta fuit, quòd ſtantes cuncti precibus vacarent, & quidem frequens tanquam à morte in vitam longè meliorem revocati; jejunia autem non indicerentur. Pergit ibidem Ambroſius de Pentecoſte diſſerere: *Ecce per hos quinquaginta dies jejunium neſcit Eccleſia, ſicut Dominica qua Dominus reſurrexit; & ſunt omnes dies tanquam Dominica.*

IX. S. Auguſtinus octo Paſchales dies tanquam præſtantiores, cæteris hebdomadis præfert. Idem patet ex pridem allatis; opera enim & judicia vetita ſunt priore illa duntaxat, non ſex reliquis hebdomadis: Ad hæc Auguſtinus idem adnotat, totos quinquaginta dies canticum *Alleluja* adhiberi in omnibus Eccleſiis, quod aliis paſſim diebus minimè uſuvenit, & omnes ſtando in preces incumbere, quod argumento eſt veluti Feſtos extitiſſe quinquaginta iſtos dies: *Hæc de Scripturis firmiſſime tenentur, ideſt Paſcha & Pentecoſte. Nam ut quadraginta illi dies ante Paſcha obſerventur, Eccleſiæ conſuetudo roboravit. Sic etiam ut octo dies Neophytorum diſtinguantur à cæteris, ideſt ut octavus primo concinat. Ut autem Alleluja per illos ſolos dies quinquaginta in Eccleſia cantetur, non uſquequaque obſervatur. Nam & in aliis diebus variè cantatur alibi atque alibi, ipſis autem diebus ubique. Ut autem ſtantes in illis diebus & omnibus Dominicis oremus, utrùm ubique ſervetur ignoro.*

Epiſt. 119. c. 17.

X. Porrò ex Tertulliano & diuturnitatem horum Solennium & plura diſcimus, ut lautiores epulas, frugales tamen: *Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paſchæ in Pentecoſten uſque gaudemus.* Mirari ſubit Tertulliani ætate hæc in album Traditionum ſcripto minimè conſignatarum fuiſſe relata; ita enim Tertullianus loquitur: hinc veriſimile videtur Apoſtolos hujus diſciplinæ fundamenta jeciſſe. Idem rurſus alibi agit de tot diebus Feſtis: *Si quid & carni indulgendum eſt, habes non dicam tuos dies tantùm, ſed & plures. Nam Ethnicis ſemel annuus dies quiſque Feſtus eſt, tibi octavo quoque die. Excerpe ſingulas Solennitates Nationum, & in ordinem texe, Pentecoſten implere non poterunt.* Hieronymus quoque in epiſtolis: *Utinam omni tempore jejunare poſſemus. Nec hoc dico quod Dominicis diebus jejunandum putem, & contextas quinquaginta diebus ferias auferam.*

L. de Cor. militis.

L. de Idol.

XI. Sed ad Ambroſium revertamur, qui minimè obſtupeſcit Feſtos totos quinquaginta dies, quum ſeptimus Ebræorum annus, & quinquageſimus, ſive Jubilæus, ſolennis eſſet. Hujuſmodi quietis anni præmonſtrabant ſempiternam illam requiem atque lætitiam, qua à morte excitati potiemur: *Quod ſi Judæi ita Sabbatum celebrant, ut & menſem & annum totum quaſi Sabbatum habeant, anno nempe Jubilæo, quanto magis nos Reſurrectionem Domini celebrare debemus?* Ipſe quoque neque indictam ait tunc abſtinentiam, neque preces flexis genibus adhibitas fuiſſe: aliis enim colebatur Chriſtus in terris degens poſt Reſurrectionem; maximè quum ſponſi filios non deceat in luctu ac ſqualore jacere: *Scire debet ſanctitas veſtra cur iſtorum quinquaginta dierum numero ſit nobis jugis & continuata Feſtivitas; ita ut hoc omni tempore neque ad obſervandum indicamus jejunia, nec ad exorandum Deum genibus ſuccidamus, ſed ſicut Dominica ſolemus facere, erecti & feriati Reſurrectionem Domini celebramus. Inſtar ergo Dominicæ quinquaginta dierum curricula tota celebrantur, & omnes iſti dies velut Dominici deputantur. Non jejunamus in quinquageſima, quia in his diebus nobiſcum Dominus commoratur. Non jejunamus præſente Domino, quia ipſe ait, Nunquid poſſunt filii Sponſi &c. Cur enim abſtineat corpus à cibo quum anima præſentia Domini ſaginatur? Non enim poteſt eſſe jejunus qui reficitur gratia Salvatoris. Societas enim Chriſti quodammodo eſca eſt Chriſtianis.*

In c. 17. Luc.

Serm. 61.

XII. Iidem ferè modò ſunt ritus, nec tamen quinquaginta hos dies Feſtos eſſe arbitramur: neque enim Majorum cæremonias & ſacra, Majorum religione ac pietate peragimus. Veteres genua flectendo lapſum humani generis recogitabant, crimina & mortis damnationem qua redigendi erant in pulverem, quo humani corporis plaſma coaleſcit; maximè verò ad expiationem animum adjungebant. Stantes mente agitabant

Chri-

Chriſtum è tumulo ſurgentem nos proſtratos erexiſſe, ut in terris licèt degentes in Cœlo potiùs verſaremur. Qui verò hæc apud ſe putabant, Paſchalibus tot diebus perpetuam quandam Reſurrectionis Celebritatem læti peragebant, præſertim quotieſcumque animum ad preces intendebant.

XIII. Idem dicimus de jejuniis. Parvi hæc referre arbitramur, quòd vix rationem ullam habeamus Pauli monentis pro Chriſto nos vivere vel mori, & propter illum cibo veſci vel abſtinere; quum tamen non vivamus noſmetipſi, Rom. 14. 8. ſed in nobis potiùs Dei Filius: *Nemo enim noſtrum ſibi vivit, & nemo ſibi moritur. Sive ergo vivimus, Domino vivimus; ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus*. Quæ dicta ſunt ob ea quæ præmiſſa fuerant: *Et qui manducat Domino manducat, gratias enim agit Deo; & qui non manducat Domino non manducat, & gratias agit Deo*. Chriſtiani abſtinendo Servatoris jejunium quadraginta dierum recolebant; quum veſcerentur, ob Chriſti de morte triumphum gaudebant; ejus maximè præſentia ac gloria alebantur. Ita jejunia ſolvere magna ac præſtantiſſima videtur Solennitas.

XIV. Canticum Alleluja identidem uſurpatum Feſti diei argumentum eſt evidentius; ſed excitare debet in pectoribus noſtris gaudium quod poſtulat: etenim proluſio quædam eſt Divinarum laudum, quas cœtus beatarum mentium canit continenter; id verò munus noſtrum futurum eſſe in Cœlo præmonſtrat, ubi Divinum Numen cultu, amore, & gratiarum actionibus proſequemur, ut Auguſtinus ait: Epiſt. 119. c. 15. *Alleluja canitur quod ſignificat actionem noſtram futuram non eſſe niſi laudare Deum, ſicut ſcriptum eſt, Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te*. Et alibi: *Quinquagenario numero poſt Reſurrectionem Domini, quo cantamus Alleluja, non cujuſdam temporis finis & tranſitus, ſed beata illa ſignificatur æternitas*.

XV. Oportuit Solennia quædam ſine ceſſatione celebrare, ne hac maximè & corporis requie contineri Feſtos dies ineptè putaremus; ſed laboribus, curis, & civis officiis minimè prætermiſſis, maxima animi benè conſtituti voluptate perfunderemur Religionis myſteria recolentes, Deo quoad ejus fieri poteſt ſimiles, qui ſemper operatur, ſemperque quieſcit, & Angelis Dei adminiſtris in hac rerum univerſitate, quam ita gubernant, ut à Divinarum rerum præſtantiſſima contemplatione ne aliquantiſper quidem adducantur. Hæc ad æternam Sanctorum Celebritatem facem nobis præferunt, ſi Hieronymum audiamus: Epiſt. ad Agal. q. 10. *Nobis enim qui in Chriſtum credimus reſurgentem jugis & æterna Feſtivitas eſt &c. Quomodo enim in corpore veritas eſt & in corporis umbra mendacium; ſic in ſpiritali intelligentia mundus omnis cibus, & potus, & tota Feſtivitas, & perpetua Calenda, & æterna requies expectanda eſt*. Futuram hanc animi tranquillitatem numeris omnibus abſolutam ex Hilarii Prologo in Pſalmos prænunciant octies veſpertitæ hebdomades: Chriſtus enim octavo die, qui idem ac primus eſt, à morte ſurrexit: *Eſſe autem hæc Sabbata Sabbatorum ſeptenarius numerus per ſeptem in ſeptuplum commemoratus oſtendit: quem tamen ogdoas, quia dies eadem prima quæ octava, ſecundum Evangelicam plenitudinem in ultimo Sabbato adjecta conſummat. Et hæc quidem Sabbata Sabbatorum ea ab Apoſtolis religione celebrata ſunt, ut his quinquageſima diebus nullus neque in terram ſtrato corpore adoraret, neque jejunio Feſtivitatem ſpiritualis hujus beatitudinis impediret. Quod id ipſum extrinſecus etiam in diebus Dominicis eſt conſtitutum, qui ultra Sabbati numerum per plenitudinem Evangelicæ prædicationis accedunt. Namque quum in ſeptimo die Sabbati ſit & nomen & obſervantia conſtituta; tamen nos in octava die, quæ & ipſa prima eſt, perfecti Sabbati Feſtivitate lætamur*. Hac de cauſa Eccleſia à Divino Spiritu edocta diem adjicit poſtremæ hebdomadæ, Dominicum nempè qui primus eſt & octavus.

XVI. Unus Epiphanius, ſed omnium inſtar, orthodoxæ Græciæ mentem aperiet, ac ritus noſtrorum ſimiles; qui aliud prætereà reteget, jejunia videlicet quartarum ſextarumque Feriarum neceſſariò aliàs colenda aliquot horis, nullum ſibi locum vindicaſſe ſeptem illis hebdomadis. Latini Patres id genus jejuniorum non meminerunt, quòd in Occidente nemo cogeretur ea celebrare: *Porrò iſtiuſmodi jejunium toto anno in Eccleſia Catholica obſervatur quarta ſextaque Feria ad horam uſque nonam, exceptis quinquaginta Pentecoſtes diebus, quibus neque genua flectuntur, neque jejunium indicitur. Pro illis vero conventibus qui ad horam nonam quartis ſextiſque Feriis celebrari conſueverunt, per illos dies, perinde ac Dominica die matutina Synaxes celebrantur*. Expoſ. Fid. Cath. n. 22. Conventus quotidie celebrari, ut Dominico die, hebdomadis ſeptem, tempus illud obſervari conſuevisse magis confirmant.

XVII. Prætermittendum non eſt quod habetur in Conſtitutione Innocentii IV. Rom. Pont. qua Sanctorum faſtis adſcribit S. Petrum Veronenſem præſtantiſſimum Martyrem è Dominicana familia. Statuit ut in nocturnis precibus illuſtris hujus Religionis vindicis recitentur novem Lectiones: qui verò pauciores adhibent, ſuis quidem moribus per Innocentium uti poſſunt, modò ſolenniter Martyris triumphum recolant: *Faciatis matutinale Officium de ipſo Martyre omninò cum novem Lectionibus celebrari. Illi verò qui non conſueverunt Paſchali tempore, quo ipſius Martyris Solennitas agitur, Feſtum aliquod cum novem Lectionibus celebrare, nocturnum & diurnum Officium cum magna reverentia & celebritate, juxta morem & modum ſuum ſolitum de Martyre ipſo agant*. Rainald An. 1253. n. 22. Itaque Eccleſiæ quædam non tot Lectiones Paſchali tempore adhibebant; ſed fortaſſe tres dumtaxat cum Pſalmis totidem, tametſi Celebritates Sanctorum agerentur. Hoc ritu in Ordine Prædicatorum celebrantur ſtatæ preces Paſchali tempore. Innocentius iſtiuſmodi inſtitutum non damnat, quinimmò probare videtur; quod facilè ortum eſt ex eo quod identidem monuimus, totos quinquaginta dies Paſchales ut unam quandam Solennitatem obſervatos eſſe. Alia fuit mens Gregorii VII. quandoquidem in quadam ſanctione illius, quam Gratianus adſcribit Synodo cui præfuerit, tres tantùm Lectiones ac totidem Pſalmos in utraque Paſchæ & Pentecoſtes hebdomada probat; cæterùm reliquis diebus conſtituit recitari oportere Pſalmos ac Lectiones novem ſi Feſti fuerint, Pſalmos duodecim ac Lectiones tres ſi Feriarum nocturnæ preces celebrentur, & duodeviginti Pſalmos cum novem Lectionibus Dominicis diebus. Quid? Quòd deſidiæ & oſcitantiæ in iis quæ ad Deum pertinent poſtulat adhibentes tres tantùm Pſalmos atque Lectiones. Denique rituum immutationem rejicit in Germanos Romanam Eccleſiam gubernantes; teſtatur verò ſe priſtinos mores è tenebris erutos reſtiturum: *In die Reſurrectionis uſque in Sabbatum in Albis, & in die Pentecoſtes uſque in Sabbatum ejuſdem, tres Pſalmos tantùm nocturnos, treſque Lectiones antiquo more cantamus & legimus. Omnibus diebus aliis per totum annum, ſi Feſtivitas eſt, novem Pſalmos & novem Lectiones dicimus; aliis verò diebus, duodecim Pſalmos & tres Lectiones recitamus. In Dominicis diebus octodecim Pſalmos, excepto die Paſchæ & Pentecoſtes, & novem Lectiones dicimus. Illi autem qui in quotidianis diebus tres tantummodò Pſalmos & tres Lectiones celebrare volunt, non ex regula Sanctorum Patrum, ſed ex faſtidio & negligentia probantur hoc facere. Romani verò diverſo modo* De Conſecr. diſt. 5. c. 15.

agere

Digitized by Google

agere cœperunt, maximè eo tempore quo conceſſum eſt Teutonicis regimen noſtræ Eccleſiæ. Nos autem & Ordinem Romanum inveſtigantes, & antiquum morem noſtræ Eccleſiæ, imitantes antiquos Patres, ſtatuimus fieri, ſicut ſuperius prænotavimus. Fuit igitur ſemper Eccleſia vetuſtatis ſtudioſiſſima: Veteres ſequutus eſt Gregorius; nos ejus veſtigiis inſiſtimus. Alii erant Germanorum mores: ſed minimè dicendus eſt condemnaſſe, quod poſteà Innocentius IV. probare viſus eſt. Eos tantùm ſugillat qui idem ſemper præſtiterunt, cunctis nempè diebus, *quotidianis diebus*: Innocentius autem de tribus Pſalmis totidemque Lectionibus Paſchali duntaxat tempore egit.

CAPUT XVII.

De Aſcenſione. De Pentecoſte ejuſque Hebdomada.

I. Contendit S. Auguſtinus ex Canonicis Libris Legem Moſi traditam quinquageſimo à Paſchate die.

II. Præmonſtrabat id adventum Divini Paracleti die Pentecoſtes, quum ipſe charitas ſit, id eſt Lex Eccleſiæ.

III. Conſtans eſt & perſpicuum ab Ebræorum Paſchate & Pentecoſte, Paſcha & Pentecoſten Eccleſiæ prænunciari.

IV. Præſtantiſſima Pentecoſtes Solennia.

V. De Pentecoſtes hebdomada.

VI. Aſcenſionis Celebritas ab Apoſtolis inſtituta.

VII. Jeſus Chriſtus Aſcenſione ſua Gloria omnino compos.

VIII. Oportuit Apoſtolos Chriſti præſentia aliquandiu carere, ut in ejus Divinitatem mentis aciem intenderent.

IX. Decuit Dei Filium Gloria omninò potiri, antequam Spiritum Sanctum mitteret.

X. Chriſti myſteria collata cum anni tempeſtatibus.

XI. Rerum natura & res ab hominibus geſtæ, conſona Myſteriis Chriſtianæ Religionis & Evangelii promulgationi.

XII. De octava Pentecoſtes die.

I. Fieri nequaquam potuit quin de Paſchate differentes frequens in Pentecoſtes mentionem incideremus, ea afferentes quæ huc ſpectabant. Auguſtinus Divini Codicis auctoritate oſtendit ipſo Pentecoſtes die, ſeu quinquageſimo à Paſchate traditam fuiſſe Moſi Legem in Monte Sina: enimverò id contigit tertio die menſis tertii; hujuſmodi autem dies quinquageſimus eſt à quartodecimo primi menſis, ſive Paſchali. Dei Filius agnus mitiſſimus ac verum Paſcha, mactatus eſt eo die quo Ebræi celebrabant Paſcha Moſaicum, noſtrum præmonſtrans. Itaque Spiritus Sanctus quo Eccleſiæ Lex continetur, Prophetis teſtibus,
Epiſt. 119. c. 16. die Pentecoſtes mittendus fuit: *Deſcende, inquit Dominus ad Moyſen, teſtare populo, & purifica illos hodie & cras, & laventi veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium. Tertia die deſcendit Dominus in Monte Sina coram omni populo. Tunc data eſt Lex, tertia ſcilicet die menſis tertii. Numera itaque à quartodecimo primi menſis die, quo factum eſt Paſcha, uſque ad diem tertium tertii menſis, & invenies decem & ſeptem dies primi menſis, triginta ſecundi, tres tertii, qui ſunt quinquaginta.*

II. Ita fidem ſuam liberavit Deus pollicitus quondam Jeremiæ oraculis, fore ut novam Legem ferret longè diverſam à priore ab hominibus poſthabita, eamque in mentibus inſcriberet, & ad illius obſequium atque amorem Gratiæ ſuæ ope
Jer. 31. 33. hominum voluntates traduceret: *Feriam Domui Iſrael & Domui Juda Fœdus novum, non ſecundum pactum quod pepigi cum Patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt. Sed hoc erit pactum quod feriam cum Domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus, Dabo Legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ego ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Eodem recidit Ezechielis vati- Cap 36. 25.
cinatio, fore ut nova Eccleſiæ Lex charitate contineretur & Spiritu Sancto: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis & operemini.*

III. Adeò perſpicua ſunt hujuſmodi oracula ex iis quæ S. Lucas commemorat in rebus geſtis Apoſtolorum de Divini Spiritus adventu in eoſdem Apoſtolos cæteroſque Chriſti Diſcipulos, & tam apertè paret eveniſſe quicquid prænunciabant fore ut contingeret; prætereà tanta eſt conſenſio utriuſque Legis uno eodemque die latæ, ut non abdita & obſcurior quædam Religionis doctrina tradi videatur, ſed res evidentiſſima quæ ſub omnium oculos cadere, & manibus propemodum contrectari poſſit. Mactatur Jeſus Chriſtus ipſo die quo Moſaico Paſchate quondam præmonſtrabatur, veluti non typo, ſed re verus Agnus Paſchalis, ejuſque ſanguine ſcelus mundi deletur. Eò pariter die illabitur in hominum mentes Divinus Spiritus ſanctiſſima eorum Lex. Sacri Vates multò ante prænunciaverant venturum in hominum mentes Spiritum Sanctum, tanquam præſtantiorem Legem quæ in illis inſcriberetur atque dominaretur; & tunc antiquum Fœdus abrogandum. Fidem Deus præſtitit, nam cuncta eveniſſe res ipſa indicat; Synagoga ſublata eſt, Templum everſum, Judaiſmus funditus periit: homines amore magis illecti quàm terroribus concuſſi Deum in ſpiritu & veritate colunt. Cultus hic ſeptemdecim ſæculis Deo exhibitus ita in dies augetur, ut tandem in toto terrarum orbe dominetur. Ubique recoluntur quotannis Paſcha & mors Chriſti, ubique Pentecoſte, ſeu Divini Paracleti adventus, tanquam cauſa mundi in alium penitus mutati. Neque ullus dubitat quin poſt vitam ad Divinarum Legum, charitatis maximè, normam compoſitam, una ſuperſit beata vita & Dei æterna dilectio. Hæc neminem fugere poſſunt, niſi eum qui præ oſcitantia in rebus maximi momenti huc animum non advertit, quum ſint adeò perſpicua. Nec habet quo ſe vertat impiorum hominum & Religionis hoſtium pervicacia; conſignata enim ſunt, Deo jubente, litterarum monumentis in rebus geſtis humani generis.

IV. Meritò ergo, ut Lucas memorat, Paulus magna animi ſollicitudine Hieroſolymis Pentecoſten celebrare ſtudebat, ſive ea Chriſtianorum propria foret, ſive Ebræorum; neque enim tunc adeò abhorrebant à Moſaicis cæremoniis, habita ſcilicet temporum ratione in Eccleſiæ primordiis. Non igitur mirum vocari ab Euſebio Pentecoſten Celebritatum maximam; nam quum quadraginta dierum abſtinentia parentur animi ad Paſchalia Solennia, non minùs quàm quinquaginta Feſti dies, iidemque lætiſſimi Pentecoſtes Solennitati præeunt. In Paſchate Baptiſmus confertur, in Pentecoſte Spiritus Sanctus, quo Baptiſmo veluti ſuprema manus imponitur. Apoſtoli anteà imbecilles, Chriſto ſurgente, viribus inſtructi ſunt, novis tamen ac validioribus præditi adveniente Divino Spiritu, cujus præſidiis facti haud ampliùs defecturi fuiſſent. Oportuit igitur ut Jeſus Chriſtus Euſeb. Vit.
in Cœlum conſcenderet, miſſurus illinc Eccleſiæ Conſt. l. 4. 64.
Spiri-

Spiritum Sanctum : *Die quam ſi quis omnium Feſtivitatum maximam vocet, haudquaquam meo judicio aberraverit.*

V. De Pentecoſtes hebdomada differere ſuperſedeo. Pluribus de ea actum eſt, dum de Paſchali verba fierent ; par enim fuit utriuſque ratio, Can. 36. ex Concilio Moguntino, An. 813. *Item Pentecoſten ſimiliter ut in Paſcha.* Capitulare Heradi pariter nullum diſcrimen agnoſcit : Concilium tamen Ingelheimenſe, An. 948. Paſchalem quidem non attigit, ſed Pentecoſtes hebdomadam dimidiatam colendam eſſe ſtatuit : *Ut Paſchalis heb-* Can. 6. *domada feſtivè tota celebretur : Et in Pentecoſten ſecunda, tertia, quarta Feria, non minus quam dies Dominicus ſolenniter celebrentur.* Olim Catechumenorum Baptiſmus proferebatur uſque ad Paſcha & Pentecoſten ; ſed non admodum multi initiandi ſupererant in altera Solennitate, quæ priorem paulò pòſt conſequebatur. Hac de cauſa Pentecoſte Feſtis quibuſdam diebus mulctata eſt ; quandoquidem hebdomades illæ maximè propter recentes Chriſtianos ſolennes fuerunt. Præterea idem contingere potuit ob jejunia quatuor anni tempeſtatum in Pentecoſtes hebdomadam rejecta. C. Conqueſtus de feriis. Gregorius IX. Paſchæ Solennia non imminuit, ſed tres dumtaxat dies Pentecoſtes obſervandos eſſe conſtituit: quartus ob jejunium profeſtus jure exiſtimandus erat.

VI, Aſcenſionis Celebritas ab Apoſtolis vel Synodis Oecumenicis cum Auguſtino repetenda eſt, & ubique gentium ab antiquis temporibus agebatur : *Sicut quod Domini Paſſio & Reſurrectio &* Epiſt. 118. c. 4. *Aſcenſio, & Adventus de Cœlo Spiritus Sancti anniverſaria Solennitate celebrantur, & ſi quid aliud tale occurrerit quod ſervatur ab univerſa, quacunque ſe diffundit, Eccleſia.* Quum id quod in Aſcenſione recolitur maximi momenti ſit, & ampliſſimus Chriſti triumphus litteris diligentiſſimè fuerit conſignatus, nullus inficiabitur anniverſarium cœtum ſolenni ritu coactum fuiſſe ab iis qui Chriſtum Aſcendentem conſpexerant, ut ſingulis annis tanti triumphi hiſtoria perlegeretur : nam uſque ab exordio Eccleſiæ invecta eſt conſuetudo legendi in ſacris conventibus Divinos Codices.

VII. Conſtitutiones quoque Apoſtolicæ colì diem hunc jubent : *Die Aſſumptionis ἀναλήψεως,* l. 8. c. 3. *vacent ſervi, quod tunc fuerit impoſitus finis Oeconomiæ Chriſti.* Magni ponderis ratio affertur, eſſe nempè Aſcenſionem Gloriæ Chriſti complementum. Ejus quidem anima nunquam non prædita fuit Gloria, eamque corpus quoque adeptus eſt dum prodiit è tumulo; ſed aliquid cumulatiſſimæ Servatoris Gloriæ deeſſe videbatur antequam in Cœlum reverteretur; ideircò Spiritum Sanctum non miſerat, *Spiritus nondum erat datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus.* Neque id tantùm dixerim Filium Dei demiſsè adhuc viſum eſſe degere in terris, & Apoſtolis quanquam rudibus familiariter uti ; ſed duas addam Patrum animadverſiones ſcitu dignas, ex quibus intelligi non obſcurè poſſit cur Dei Filius non ampliùs nobis ſeſe conſpicuum exhibuerit, & in Cœlum conſcenderit.

VIII. Prior repetitur ab ejus præſentia, quæ Apoſtolis minùs proderat, quòd à ſenſibus animum & cogitationes non abducerent, nec admodum conducebat Divinæ Majeſtatis magnitudini ac cultui. Abſtrahendæ erant Apoſtolorum mentes ab omnibus, quum ab ipſa Divini Verbi carne induti præſentia avocarentur. Conſpicuum illis ſe præbuit, ut exhibitis tot illuſtribus exemplis & ſanctiſſimis præceptionibus eos erudiret, ac virtutum ſtudia tam altas in illis radices agerent, ut exemplis etiam, & corporis præſentia ſublatis, omni opera in earum officiis eniterentur. Huc ſpectabat quum diceret expedire ut aliò proficiſceretur, neque enim, niſi abiiſſet, adveniſſet Spiritus Sanctus : *Expedit vobis ut ego vadam ; ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Tunc enim, ut Patres verba hæc interpretantur, Apoſtoli ſanctiùs Deum colere ac diligere cœperunt, quum in eum ipſis conſpicuum oculorum aciem intendere minimè potuerunt. Rudior ille amor eos non dedecet qui recens Chriſto nomen dederunt, immò neceſſarius eſt in eorum primordiis; at impedimento foret præſtantioribus virtutibus, conſequentibus annis, & amori ipſius Dei, æternæque illius Veritatis, Juſtitiæ, Sanctitatis, Sapientiæ, ac Bonitatis. Utrumque amoris genus optimè noverat Paulus teſtatus, ſe quidem aliàs Jeſum Chriſtum ea minùs præſtanti dilectione proſequutum eſſe, at tandem ad excellentiorem adſpiraſſe : *Et ſi novimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc jam non novimus.* Apertè horum nos admonuerat Chriſtus, nihil videlicet prodeſſe carnem, ſed ſpiritui ſtudendum : *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam.* Amor ille, ut ita dicam, corporeus, quo tanquam vinculo conjungimur cum Juſtitia, Sapientia, ac Sanctitate in ipſo Chriſti corpore quodammodò conſpicuis, initium quoddam eſt excellentioris charitatis Deum ſpectantis ut omnis Juſtitiæ, Veritatis, & Sanctitatis fontem : *Qui factus eſt nobis à Deo juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio,* ut Paulus ait. Eò mens erecta nihil quod ſenſuum illecebras redoleat, & ab excellentiore virtute avertat, conſectatur. Liquet ergo operæ pretium fuiſſe ut Chriſtus hinc in Cœlum proficiſceretur, ne hominum mentes Divini Spiritus expertes forent: *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Quum aſſumptus fuero à vobis, mittam vobis Spiritum veritatis.*

IX. Altera animadverſio propè abeſt à prima. Spiritus Sanctus impertiendus non fuit antequam Chriſtus Gloria cumulatiſſimè potiretur: *Spiritus nondum erat datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus.* Poſſunt eodem torqueri hæc verba : oculorum acies & mentes hominum à corpore & ſenſibus adductæ, aliò intendendæ erant, ut puro Dei amore, qui præſentis Spiritus Sancti donum eſt, flagrarent. Verùm illud quoque decebat, à Chriſto tanquam Deo ad cœleſte ſolium & aulam evecto mitti ad Eccleſiam Spiritum Sanctum. Etſi enim Filius Dei factus eſt homo, ab eo tamen non minùs quàm à Patre procedit Spiritus Sanctus ; & quum ex omni æternitate Divini Spiritus principium ſit, ipſum ad nos, quotieſcunque collibitum fuerit, mittit : æternam enim illam originem miſſio hæc conſequitur.

Hæc quum ita ſint, decuit à Dei Filio poſt partum triumphum & reditum in Cœlum, mitti Spiritum Sanctum in hominum pectora. Sanè Jeſus Chriſtus ſtatim ac conceptus eſt in caſtiſſimæ Virginis viſceribus, Deus & Homo fuit uſque à primo temporis puncto; nec homo primùm extitit, adſcitus poſteà in Divinitatis conſortium : Enimverò ipſum Dei Verbum humanam naturam tunc ſimul condidit & aſſumpſit. At quamvis Deus eſſet & Homo, quum in terris verſaretur, Divinæ Naturæ Majeſtas latebat ſub humana forma deliteſcens. Par erat ut tandem quaſi è tenebris in lucem prodiret, & non jam ſub humana latitans videretur, ſed hanc potiùs ad ſummum dignitatis faſtigium eveheret. Id in Aſcenſione contigit, non abjecta hominis forma, ſed tantùm non latente in ſinu Divinitatis. Quapropter Aſcenſio appellatur ab Auctore Conſtitutionum Apoſtolicarum, finis Oeconomiæ, ideſt Incarnationis Jeſu Chriſti. Idcircò Paulus ait ſe delectum eſſe Eccleſiæ propugnatorem, atque Apoſtolum, *Neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum ;* & Patres, quòd Dei Filius vocetur modò *Totus Deus.* Oportebat ergo ut Divina hac Gloria ac Maje-

Majeſtate præditus eſſet Chriſtus Deum miſſurus; tantoque munere Chriſti Divinitas confirmabatur: *Quantus Deus qui dat Deum*, ut præclarè Auguſtinus. Contulerat pridem in homines quædam Sancti Spiritus dona; ſed tunc Divinitatem ſuam palam faciens, & modò non cunctis conſpicuam, omnem ejus plenitudinem effudit.

X. Unum ſupereſt ex Auguſtino adnotandum. Equidem maxima Jeſu Chriſti Myſteria aptiſſimis anni tempeſtatibus commodùm geſta videntur. In lucem eſt editus quum dies qui breviſſimi ſunt augeſcunt; hominum enim in tenebris jacentium mentes lumine ſuo percellit; mortem verò obiit, & reſurrexit dum Lunæ viciſſitudinum imaginis partes nobis conſpicuæ, è regione Solis poſitæ, fulgebant, ſuperiores luces deſtituebantur: Sed verſus Solem progredi denuò Luna incipiebat, ut, contra, ſuperiores tantùm ejus partes lumine complerentur, ut Mortis & Reſurrectionis ſuæ beneficiis nos pariter cum æternæ juſtitiæ Sole congredientes cœleſti tantùm lumine perfunderemur. Aſcendit autem in Cœlum, & illinc Divini amoris flammas in terras injecit dum Sol longiùs a nobis diſtat; nam à nobis diſcedens ignem charitatis miſit, quo frigeſcentia pectora noſtra inflammarentur, abſumptis hoc igni ſceleribus noſtris.

XI. Idem naturæ, & Gratiæ natura multò præſtantioris eſt auctor, eaſque congruere voluit ut naturæ anniverſariæ viciſſitudines non abducerent nos à religione, ſed nos potiùs torpentes excitarent, & cogitationes ac ſtudia noſtra. Quòd ſi res geſtas totius humani generis, & plurimæ ad Chriſtianam Religionem in illis pertinentia expendamus, conſtabit rerum naturam, hiſtoriæ monumenta, & Evangelii Eccleſiæque originem, trium cœleſtium Volominum, à Deo rerum omnium Auctore conſcriptorum, inſtar eſſe inter ſe minimè diſcrepantium. Enimverò tria hæc tradere operas mutuas videntur, & omnia hæc ſimul cogitationes menteſque noſtras à terrenis rebus ad Divina traducere.

XII. Quæſtionem illam non attigi de qua acerrimè quondam diſceptatum eſt, parùe fuerit ut octo Pentecoſtes dies ſolenni ritu agerentur: videntur enim ſtatæ preces Canonicæ tantæ Celebritatis ſeptem dumtaxat diebus adhiberi, videlicet uſque ad horam Sabbati nonam. Carent ergo octavo die celeberrima Eccleſiæ Solennia. Haud ſcio utrùm idem de Paſchali hebdomada ſentiendum ſit: etenim preces veſpertinæ Sabbati ſequentis, Dominici potiùs diei quàm Paſcharis propria ſunt. Nihilominùs poſita ſæpiùs in medio monumenta octavum diem Paſchalem commemorant.

Bern. Augien. de ſpect. ad Miſſam.

Bibl. PP. T.10. p.701.

Sed fruſtra in hac controverſia deſudabant: octavi dies tam Paſcharis quàm Pentecoſtes ſemper Dominici ſunt; ſemper igitur in illis Reſurrectio colitur. Patres Tertii & Secundi quoque Eccleſiæ Sæculi quoslibet Dominicos dies totidem Paſchara vocarunt: nec abſtinentia tunc locum habet, nec genua flectuntur, ut Chriſti Reſurrectio recolatur. Non ergo aliæ preces quàm Dominici diei conſtituendæ erant octavo Paſchatis. Idem in Pentecoſte uſuvenit: hæc Paſchalis Solennitatis complementum eſt; non alio quàm Dominico die celebratur, nec alius quàm idem octavus eſt.

Memoria exciderat Canon quadrageſimus tertius Concilii Illiberitani quo ſtatuitur Paſchate peracto non quadraginta, ſed quinquaginta dies eſſe celebrandos; Pentecoſten nempè, non Adſcenſionem Paſchalium Solennium terminum eſſe: *Non quadrageſimam, niſi quinquageſimam.*

CAPUT XVIII.

De Sanctiſſimæ Trinitatis Solenniis.

I. Omnis hæc rerum univerſitas Templum eſt, & temporum omnium ſpatia Solennitas Trinitatis quæ cuncta condidit, & cuncta quæ condidit ſibi dicavit.

II. Eccleſia alter eſt mundus à Jeſu Chriſto Trinitati dedicatus.

III. Trinitatem maximè ſpectat omnis Eccleſiæ cultus religioſus.

IV. Neque Chriſtus ritè coli poteſt, neque Deipara, neque Sancti ſine Trinitate, cujus ſunt Templa, Sacerdotes, Victima.

V. Nonnulli arbitrati ſunt minùs ritè peragi Trinitatis Solennia, ne cætera minimè viderentur eadem ſpectare; cuncta enim inſtituta ſunt, ut variis Feſtis diebus & ritibus Trinitas eadem coleretur.

VI. Explanatio Epiſtolæ Decretalis Alexandri III. in qua habetur Romæ nullum eſſe Feſtum diem Trinitatis, quòd eadem ſemper & ubique colatur.

VII. Tandem Trinitatis Celebritas in Urbem invecta fuit non tam ut Feſtus quidam dies, quàm ut in memoriam revocaret quid cæteris Feſtis diebus coleretur.

VIII. Ideò fortaſſe celebratur poſt omnia Divini Verbi, & Sancti Spiritus Solennia.

IX. Ritè peragebatur paulò poſt annum Chriſti milleſimum, ut conjicitur ex Concilio Salingeſtadienſi.

X. Quid Micrologus objiciat.

XI. Alcuini Liturgia pro Dominico die Trinitatis.

XII. Ruperti Abbatis ætate ubique peracta hujuſmodi Solennia.

XIII. Quandonam in Urbis Eccleſiam invecta.

XIV. Cur in Comitiis totius Ciſtercienſis familiæ conſtitutum ſit ne eo die verba pro concione fierent.

I. FEſtus Trinitatis dies recens in Eccleſiam introductus fuit, quamvis ſi rem ipſam putemus cæteris vetuſtate antecellat. Enimverò ſtatim ac mundus eſt conditus, & mentes ratione præditæ, ampliſſimum Templum, ideſt ipſe terrarum orbis Trinitati dedicatus videtur, omnium temporum ſeries Feſtus dies extitiſſe; Angelorum verò, hominumque munus eum diem obſervare. Deus rerum omnium Opifex Templum Majeſtati ſuæ ipſe conſtruxit; quumque ſæculorum ſit Auctor, Solennia ſua inſtituit: neque enim fieri potuit quin Sapientiſſimus Artifex gloriæ ſibi duceret opus ſuum. Porrò Divina Trinitas res omne ac tempora condidit. Summæ Trinitatis vis, fœcunditas & Majeſtas quæ mentium quarumvis aciem perſtringit, foras etiam erumpit, & tum naturam rationis compotem efficit, quæ ab ea minùs abeſt, tum corpora ac materiam quæ plurimùm diſtat, quum tamen nihil non ſit. Itaque Religio quævis unum mundi Conditorem colendum eſſe novit qui Trinitas eſt. Non quidem Patrem, Verbum, & Spiritum Sanctum explicatè venerabantur homines, Numini, quod minùs intelligentia aſſequebantur, Templa, Aras, Hoſtias dicantes, *Ignoto Deo*: id potiùs quod reipſa erat, quàm quod noverant cultu proſequebantur.

II. Chriſtiana tamen Religio totam Divinæ Trinitati ſe dedidit poſtquam Angelus Dei adminiſter ad Deiparam adiit nuncians fore ut Pater, Filius, ac Spiritus Sanctus corpus ex ea efficerent, quod cum humana natura Dei Filius aſſumeret; poſtquam etiam Verbum carne indutum Patris & Divini Spiritus teſtimonio commendatum eſt, eoſ-

demque

denique conſimili modo celebravit: poſtquam Verbum ipſum in Cœlum revertens Spiritum Sanctum miſit: ac denique poſtquam conſtituit Baptiſmo initiari debere genus humanum in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Hæc utique nos efficiunt Sanctæ Trinitatis Sacerdotes, Victimas, Aras. Corpus noſtrum Templum quoddam Divinæ Triados videtur, mens Sacerdotem agit, vitæ ſpatium eſt jugis quidam dies Feſtus atque Celebritas.

III. Ob Chriſtum colimus ejus Genitricem, & Sanctos præſtantiſſima ejuſdem membra, Jeſum verò ob Trinitatem, tot Feſtis diebus. Chriſtum, inquam, in Sanctis, religioſiſſimis cæremoniis veneramur; Patrem verò in ipſo & Myſteriis, Solenniíve humanam ejus naturam maximè ſpectantibus: *Vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei: Caput Chriſti Deus*, ut Paulus ait. Sacra Deo Patri immolantur per Filium in Sancto Spiritu: Divinæque Perſonæ ne in cultu quidem noſtro ſejungi poſſunt. Si mortem Jeſus Chriſtus occumbit, Patri moriens obtemperat: *Proprio Filio ſuo non pepercit Deus*; vitam quoque cum Sanguine profundit quia amore flagrat; Spiritus Sanctus autem eſt amor: Hebr. 9. 14. *Per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo*. In vitam revocatur Chriſtus, ſed à Patre excitatus, & novum vitæ genus agit Spiritu Sanctificationis, ut Pauli verba uſurpemus: Rom. 1. 4. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundùm Spiritum Sanctificationis ex reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti*. In Cœlum aſcendit, ut Sanctum Spiritum fundat. Spiritum hunc ad Apoſtolos mittit, ſed ipſe & Pater ejuſdem Spiritus unum principium ſunt. Nobis adeſt in Euchariſtia, ſed ut colatur neceſſe eſt immolemus noſmetipſos cum ejuſmodi hoſtia Patri, Filio, & Spiritui Sancto.

IV. Hæc ſatis evincunt Feſtos quoſvis Chriſtianorum dies jure vocari poſſe Trinitatis Solennia; quicquid enim in illis veneratione proſequimur, cultum mentemque noſtram à quibuſvis rebus ad Trinitatem ipſam traducit. Ejus Templa, Sacerdotes, & Hoſtiæ ſunt Jeſus Chriſtus, Deipara, ac Sancti quilibet; eorumque vita ac mors Trinitatis Sacrificia extiterunt; Feſti verò dies, utut plures atque diverſi, jugis quædam Trinitatis Solennitas.

V. Arbitrati ſunt quondam nonnulli periculosè agi hæc Solennia; viſa ſunt enim illis pugnare cum jugi cultu Trinitati non uno duntaxat die, ſed continenter exhibendo. Nam ſi Feſtis quibuſlibet diebus eam celebramus, cur uno hoc ejuſdem Solennia peragimus? Neque enim aliis diebus Feſtis Trinitatem quoquo modo veneramur, ſed unam hanc tantùm colimus: etenim creatæ res ſi propter Deum non colantur nihili faciendæ ſunt. Deum amore proſequimur, quanquam Angelos hominéſque diligimus; Deum ſiquidem in ipſis diligimus. Deum quoque eadem ratione in Jeſu Chriſto, in Deipara, in Sanctis quibuſvis vitis veneramur. Ad ipſum tanquam rerum omnium finem pertinent cuncta; cuncta eò nos ducunt, ſive de Chriſti Myſteriis agamus, ſive de Deiparæ excellentia, ſive de Sanctorum rebus geſtis. Eò ſpectant Servatoris Transfiguratio, eò Divini Spiritus adventus; nam apertè Chriſtus teſtatus eſt ſe viam eſſe qua ad Patrem itur.

VI. Cuncta hæc Litteris ſuis complexus eſt non multò ante finem Sæculi XII. Alexander III. Ut enim ille ait, Solennia hæc non uniuſmodi ubique fuerunt. Obſervabantur à quibuſdam Eccleſiis octavo die Pentecoſtes, ab aliis Dominico die qui Adventum antevertit; ſed ab Urbis Eccleſia minimè agebantur, quæ Trinitatis laudibus continenter vacabat, Pſalmis, Precibus, Sacrificiis: Extra. de Feriis cap. Quoniam. *Præterea Feſtivitas Sanctæ Trinitatis, ſecundùm conſuetudines diverſarum regionum à quibuſdam conſuevit in Octavis Pentecoſtes, ab aliis Dominica prima ante Adventum Domini celebrari. Eccleſia ſiquidem Romana in uſu non habet quod in aliquo tempore hujuſmodi celebret ſpecialiter Feſtivitatem, quum ſingulis diebus Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & cætera ſimiliter dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis.*

Non inficiatur Alexander Trinitatem Romæ celebrari, additis maximè cuilibet Pſalmo brevioribus illis laudibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; ſed uno quodam, ſtatoque die ejus Celebritatem agi, id verò pernegat. Hic tamen nonnulla ſcitu digna prætermitti non debent. Apoſtolorum ætate tum res Divina fiebat, tum Pſalmi adhibebantur, ſed nullus tunc extitit Feſtus dies Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, vel Angelorum: Unus Deus ſtatis Sacris ac precibus colebatur. Inſtitutæ ſunt poſteà Sanctorum Celebritates, & in Sacris Eccleſiæ cœtibus ſolenni ritu peracta ſunt ſacra. At fieri ne unquam potuit ut ea ratione Majores noſtri Divini Numinis honore poſthabito, Sanctis potiùs ſtuderent? Minimè verò. Nefas eſt vel quicquam de eo cogitare. Eadem Sacra celebrata ſunt, quibus memoria tantùm Sanctorum acceſſit, ut opem apud Deum petentibus ferrent. Chriſtus ipſe ſequeſter apud Patrem erat. Si ergo ſacrorum conventuum & dierum originem altius repetamus, conſtabit Trinitatis Solennia continenter celebrari, cætera ad illam nobis viam munire.

VII. Hoc quidem tam perſpicuum eſt quàm quod maximè; vereor tamen ut probetur à quibuſdam, qui ut perſæpè uſuvenit, fine tantùm non neglecto, iis libentiùs adhæreſcunt quæ eos ad finem ducere debuerant. Nam plerique, qua ſunt ingenii hebetudine, ſe in Sanctis hominibus ſiſtunt, de Deo qui corporis & ſenſuum eſt expers vix cogitant, vel ſtatim ad ingenium redeunt. Sapienter igitur ac Divinæ Providentiæ conſilio factum eſt ut ab Eccleſiis plurimis, & à Romana tandem omnium præſtantiſſima Feſtus dies Trinitatis obſervaretur ad memoriam refricandam cultus eidem exhibendi quolibet die, dum quævis Sacra recoluntur.

VIII. Idcircò, ni fallor, iſtiuſmodi Solennia octavo Pentecoſtes die conſignata ſunt, non tantùm ob quæſtionem illam, utrum octo diebus Pentecoſte celebretur, quæ ſublata videtur à Clemente III. vel Cœleſtino, obiter potiùs quàm conſultò, capite quodam, ubi octavus dies ab ea abjudicatur, *quod caret octavis*; verùm etiam ut omnes pernoſcant, Trinitatem finem & complementum eſſe Celebritatum omnium atque Myſteriorum.

IX. Quis verò Feſtum hunc diem primus Auctor inſtituerit, ſub judice lis eſt. Synodus Salingeſtadienſis, anno 1022. damnavit ſuperſtitionem maximè nonnullarum mulierculárum, quæ quotidie optabant ut ſibi legeretur initium Evangelii S. Joannis, vel Sacrum Trinitatis aut S. Michaelis fieret. Edixit Concilium ne quis hæc faceret, neque Miſſæ aliis quàm ſtatis diebus celebrarentur, niſi quandoque, ſi de Trinitate agamus, propter veræ pietatis ſtudium, ſublatis ſortilegorum & augurum deliriis. Plurima quæ ſciantur digna Canon Salingeſtadienſis complectitur: ſed offerenda primùm ſunt ejus verba: *Quidam etiam laicorum & maxime matronæ habent in conſuetudine, ut per ſingulos dies audiant Evangelium, In principio erat Verbum, & Miſſas peculiares, hoc eſt de Sancta Trinitate, aut de Sancto Michaele. Et ideò ſancitum eſt in eodem Concilio, ut hoc ulteriùs non fiat, niſi ſuo tempore, & niſi aliquis fidelium audire velit pro reverentia S. Trinitatis, non pro aliqua divinatione; & ſi voluerint ut ſibi Miſſa cantentur, de eodem die audiant Miſſas, vel pro ſalute vivorum, aut pro defunctis.* Cap. 10

Itaque

Itaque inſtituta tunc erant Solennia Trinitatis, cujus Miſſa memoratur. Ad hæc adeò colebantur, ut quidam nihil antiquius habuerint, quàm ejus Sacro quotidie intereſſe. Prætereà, tametſi Concilium haud probabat ſacra votiva quæ minimè ſtatis diebus agebantur, id tamen in Trinitatis honorem licere cenſuit. Tandem diſcrimen Sacrorum optimè conſtitutum eſt; ſiquidem Sacrificia quævis Trinitati offeruntur, eique cultus continenter exhibendus eſt.

De Eccleſ. Obſervat. X. Micrologus plura maximi momenti retexit. Non probat hæc Solennia octavo Pentecoſtes die: adjudicat verò Stephano cuidam Leodienſi preces Canonicas tam Trinitatis quàm Inventionis Sancti Stephani, ab Eccleſia tamen Romana rejectas. Quapropter Alexander II. Rom. Pont. declaravit Feſtum diem Trinitatis vel Unitatis Romæ non agi, ſed quovis Dominico die, immò quovis tempore, eandem coli: *Quidam Officium de Sancta Trinitate in Octava Pentecoſtes inſtituunt, licet non ſit Allelujatum, quod & per totam ſubſequentem hebdomadam obſervandum putant, quod non eſt authenticum. Nam quidam Leodienſis Stephanus idem Officium ſicut & hiſtoriam de Inventione Sancti Stephani compoſuiſſe aſſeritur, quæ utraque ab Apoſtolica Sede reſpuuntur. Unde piæ memoriæ Alexander Papa de hac re inquiſitus, reſpondit, juxta Romanum Ordinem nullum diem ſpecialiter adſcribi Solennitati Sanctæ Trinitatis, ſicut nec ſanctæ Unitatis: præcipuè quum in omni Dominica, imò quotidie utriuſque memoria celebretur*. Hinc obortæ contentiones illæ de octavo die Pentecoſtes. Conſilium enim Abbatis Bernonis, qui libris editis acerrimè pro eo Pentecoſtes die pugnavit, videtur fuiſſe, ne Trinitatis Solennia à Micrologo quoque exagitata invehentur. Cap. 3.

XI. Micrologus mortuus eſt ante Alexandrum III. Pontificem. Alexander ergo cujus meminit, Secundus ejus nominis extitit ſub finem Sæculi.

XI. Cæterùm Romanus Pontifex non reſpuit, uel paulò liberiùs ſcribit, Feſtum hunc diem; ſed ei minimè eſt ſuffragatus, Eccleſiarum cæterarum ritus non condemnans. Subjicit Micrologus celeberrimum Alcuinum, dum Carolus Magnus rerum potiretur, conſcripſiſſe Liturgiam Trinitatis celebrandam primo hebdomadæ die, Sapientiæ altero, S. Spiritus tertio, Charitatis quarto, Angelorum quinto, Crucis ſexto, & Deiparæ poſtremo. Id præſtitit flagitante S. Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino, ut Sacerdotes recentium Chriſtianorum in Eccleſiæ ritibus parùm verſati, & à libris imparati, quotidie Sacrum facere poſſent: *Sciendum autem Albinum magiſtrum Caroli Imperatoris, rogatu Sancti Bonifacii Archiepiſcopi, ut ajunt, Miſſales orationes de Sancta Trinitate compoſuiſſe, & in ſecunda feria de Sapientia, in tertia de Spiritu Sancto, in quarta de Charitate, in quinta de Angelis, in ſexta de Cruce, in Sabbato de Sancta Maria. Et hoc ideò ut Presbyteri temporis illius nuper ad fidem converſi, nondum Eccleſiaſticis Officiis inſtructi, nondum etiam librorum copia præditi, vel aliquid haberent cum quo Officium ſuum qualibet die poſſent explere.*

XII. Intelligimus ex Ruperto Abbate, hujuſmodi Solennitatem ejus ætate ubique ferè peractam. Nihil enim de diſſidiis illis & diſceptationibus loquutus, ait eam poſt Pentecoſten ſtatim celebrari, quòd Apoſtoli Sancto Spiritu afflati humanum genus imbuerint Trinitatis Myſteriis: *Celebrata Solemnitate de adventu Sancti Spiritus, ſtatim è veſtigio gloriam Sanctæ Trinitatis, Dominica ſubſequentis Officio rectà diſpoſitione concinimus; videlicet quia poſt adventum ejuſdem Spiritus Sancti prædicari ſtatim & credi, & in Baptiſmo celebrari cœpit fides & confeſſio nominis Patris & Filii & Spiritus Sancti.* De Div. Off. l. 11. c. 1.

Thomaſſini de Feſtis.

XIII. Quamvis autem Alexandro Secundo, non Tertio adjudicaverimus Litteras teſtantes Feſtum diem Trinitatis Romanis faſtis adſcriptum non eſſe, fatemur tamen introductum eſſe in Eccleſiam Romanam Joanne XXII. Pontifice; quum vocata Summa Piſana nos doceat ab eo conſignatum fuiſſe Dominico die. Gerſon quoque in Tractatu de Viſitatione Prælatorum ait obſervari oportere, ut non ita pridem Antiſtes Maximus conſtituerat: *De Feſto Trinitatis ſolennizando prout Papa noviter inſtituit*. Romana Eccleſia totos ducentos vel trecentos annos neutri parti acceſſit, ſed coli Solennitatem illam ſinebat ab Eccleſiis & Cœnobiis plurimis. Sanè Udalricus, agens de Cluniacenſium moribus, animadvertit Capite XXV. & XXVI. Dominico die poſt Pentecoſten Trinitatem potiùs quàm Pentecoſten celebrari; & quamvis Trinitatis Solennia octo dies minimè peragerentur, nihilominùs Trinitatis Sacrum & Antiphonam veſpertini Cantici quotidie adhiberi. Comitia generalia Ordinis Ciſtercienſis ann. 1230. ſtatuunt ut octo diebus agatur Solennitas Trinitatis: *Solennitas Sanctæ Trinitatis cum tribus lampadibus in poſterum ſemper fiat, & Abbas celebret in Conventu; ſed Sermonem in Capitulo propter materiæ difficultatem fieri non oportet*. Narrat verò Durandus, paulò ante Joannem XXII. Pontificem complures Eccleſias vel eam non celebraſſe, vel variis diebus conſignaſſe. V. Feria paragr. 3. Annal. Ciſt. t. 4. p. 412. l. 6. c. 114.

XIV. Ciſtercienſe Edictum Feſtum quidem Trinitatis diem probat, ſed homilia illa ſuperſedendum cenſet, quæ quidem res digna eſt ut adnotetur, quia abditum nimis ac ſublime Myſterium recolebatur. Hac de cauſa indicuntur Solennia Jeſu Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum, quòd hæc longè faciliùs vulgus aſſequatur. Equidem Incarnati Verbi Myſteria ita ſunt animi pabulum, ut non omninò à ſenſibus, quibus aſſuevimus, nos abducant; quum tamen cogitationes noſtras traducant ad Trinitatem, quam cultus omnis religioſus ſpectat.

CAPUT XIX.

De Solenniis Corporis Chriſti, & Transfigurationis.

I. Collatio Feſtorum dierum Trinitatis & Euchariſtiæ. In priore colitur Deus cui Sacrum facimus, in altero Sacrum ipſum quod ei fit.

II. Solennia quævis ad Trinitatem & Euchariſtiam pertinent; continentur enim maximè hac hoſtia quæ Trinitati immolatur.

III. Rationum momentis confirmatur, Solennia quævis Euchariſtia potiſſimum celebrari.

IV. Evincitur Euchariſtiæ Solennia die Cœnæ Domini ſemper fuiſſe peracta.

V. VI. Euchariſtia complectitur cuncta Servatoris Myſteria, & cum illis unà colitur.

VII. Feſti dies Deiparæ, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum cum eadem colligati.

VIII. IX. Cabaſilas egregiè id oſtendit ex Græca Liturgia.

X. Euchariſtia, ut patet ex Græcorum religioſis cæremoniis, Sanctos omnes complectitur tanquam unà cum Chriſto Pontifices atque victimas.

XI. Eccleſia pro Sanctis orat, & Sacrum facit, Deo gratias agens pro collatis in eos beneficiis.

XII. Rurſum Feſtos omnes dies Solennia eſſe Trinitatis & Euchariſtiæ, quod una Trinitas colatur, Chriſto in Euchariſtia immolato.

XIII. Conſtitutio Urbani IV. indicens Solenni-

tatem Corporis Chriſti , omnia hæc perſequitur .

XIV. De Transfigurationis Celebritate .

XV. Quid ſentiendum de conqueſtionibus Pathoſis Presbyteri .

I. ANnales Ciſtercienſes à nobis paulò antè allati ibidem memoriæ prodiderunt , quòd eodem anno quo Lex à Comitiis lata fuit de Solennis Trinitatis , viſa quædam in ore omnium verſari cœperint de inſtitutione Celebritatis Corporis Chriſti . Sanè horum Solennium conjunctio maxima eſt : Etenim quemadmodum Trinitas primus eſt ſcopus , baſis , & fundamentum religionis omnis ac cultus ; ita eſt Euchariſtia juge Sacrificium , quod Divino Numini offertur Feſtis quibuſque diebus . Sacri omnes Conventus Trinitatem celebrant , à qua repetenda eſt Æterni Verbi Incarnatio , Sanctiſſimæ Dei Parentis , ſanctorum quorumlibet virorum ac caſtiſſimarum Virginum Celebritates . Porrò Euchariſtiæ Sacris Eccleſiæ cœtuum Solennitas potiſſimùm continetur .

II. Id ergo exploratum eſt , non eo indictos eſſe Solennes dies Trinitatis & Euchariſtiæ , quo arcerentur à cæteris Solennitatibus , & rejiceretur jugis & univerſa earum Celebritas ; ſed ne propter hominum ſocordiam obliteſceretur memoria rerum maximarum . Omnis enim religio cultu illo continetur , quo tres Divinas Hypoſtaſes proſequimur ; hujuſmodi verò cultus Euchariſtiæ celebratione .

III. Non igitur obſtupeſcimus , ſi ſeriùs inſtituta ſunt maxima Eccleſiæ Solennia ; continenter enim dum Feſti dies recoluntur , peraguntur Celebritates Trinitatis quam veneramur , & Euchariſtiæ qua illam colimus . Vidimus cum Juſtino in primo limine hujus Operis Majorum noſtrorum cœtus in Eccleſiæ primordiis , quum vix aliud quidpiam adhibebatur quàm Miſſæ Sacrum . Quòd ſi quis eos Conventus Euchariſtiæ dicatos fuiſſe contenderet , ne ille haud facilè refelli poſſet : Sed altiùs harum rerum originem repetentes , & Acta Apoſtolorum , ac Pauli Epiſtolas conſulentes , comperimus veteres dum ſimul ſtatis temporibus conveniebant , Euchariſtiæ , & Divinis laudibus unicè operam dediſſe : *Frangentes panem circa domos &c. Aſcendens , frangenſque panem &c. Convenientibus vobis in unum , jam non eſt Dominicam Cœnam manducare &c.* Monuimus identidem Chryſoſtomum & Hieronymum ſequuti , non coli à nobis ſtata Solennia Ebræorum more : quilibet enim dies nobis Paſchales ſunt ; cœtus Eccleſiæ ſæpiùs quavis hebdomada coguntur , Paſchalique Agno tunc veſcimur , ut ipſo Cœnæ vel Reſurrectionis die .

IV. Porrò eodem monente Chryſoſtomo , Cœna Eccleſiæ eadem eſt ac ſancta illa in qua primùm Chriſtus Euchariſtiam Divinis verbis conſecravit , & convivis ſuis , ſive Apoſtolis porrexit . Extitit ergo multò ante inſtitutam ab Urbano IV. Corporis Chriſti Solennitatem Euchariſtiæ Celebritas , quinto die Majoris Hebdomadæ . Hinc complures quo die Cœna Domini recolitur , cibo minimè abſtinebant ob Feſti diei lætitiam ; quidam poſt epulas ad Euchariſtiæ convivium accedebant , S. Auguſtino neutrum improbante ob Chriſti exemplum , cui ſe obſequi velle contendebant . Atque hac pariter de cauſa Cœnæ Domini Sacrum ſolenniſſimo ritu peragitur , quamvis diebus illis , quibus Eccleſia ob Sponſi ſui cruciatus mœrore conficitur . Romana Eccleſia , ſic enim à Majoribus accepit , unam tantùm Miſſam tunc celebrat , Euchariſtiam ſumentibus Sacerdotibus cunctis ab eo qui Sacrum facit , quemadmodum Apoſtoli à Chriſto Divinis illis epulis donati fuerunt . Non enim idem die Cœnæ Domini uſuvenit atque Paraſceve & Sabbato , quibus Sacris interdictum eſt ob Servatoris necem , & Apoſtolorum triſtitiam : Sed in magna Cœnæ Celebritate unus Sacris operatur , & arcanas illas dapes largitur cæteris , ut Domini Convivium & beneficia ad memoriam revocentur .

V. Nec à veritate aberraret qui omnium Divini Verbi Myſteriorum ſynopſin quandam & imaginem vocaret Euchariſtiam , qua Myſteria hæc in Eccleſia exhibentur & producuntur . Jure igitur Euchariſtiæ Sacrificio Solennia cuncta celebrantur . Annunciatio Deiparæ & Verbi Incarnatio Sacris hiſce colitur , quibus extenditur mira Dei cum humana natura conjunctio . Idem de Chriſti Natalitiis cenſendum ; quotidie enim in Ara quaſi gignitur Sacerdotum verbis ; ſuppliciorum verò ac mortis Filii Dei , Corporis ejus vulneribus confoſſi , & Sanguinis fuſi , Euchariſtia Divinum eſt monumentum ; & idem eſt Sacrum modò in Templis , & quondam in Ara Crucis oblatum . Conſtat quoque Corpus Domini in Euchariſtia non inanimum eſſe vitæque expers , ſed ut prodiit è tumulo ipſo die Reſurrectionis , quam propterea pariter complectitur ; immò vitæ pabulum eſt & arrha Reſurrectionis noſtræ : *Qui manducat meam carnem , & bibit meum ſanguinem , habet vitam æternam , & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die .* Præterea Aſcenſio Euchariſtia peragitur ; eſt enim panis Angelorum , & eorum quoque qui beata vita in Cœlo potiuntur ; hoc verò dum veſcimur , Chriſtum ſumimus non jam Cruci adfixum , & mortuum , ſed ut in cœleſti aula cum Patre verſatur : *Conreſuſcitavit & conſedere fecit in cœleſtibus .* Denique de Pentecoſte idem dicimus ; ſiquidem Corporis Chriſti Opifex Spiritus Sanctus extitit , ejuſque donis atque præſidiis his paſti deliciis inſtruimur : quum autem non à carne ſed à ſpiritu vitam repetendam eſſe ait Salvator , id nos docuit , fore ut ejus Corporis ope vitam nobis largiretur Spiritus Sanctus . Spiritum hunc poſt Reſurrectionem ſuam in Apoſtolos contulit oris afflatu : *Inſufflavit , & dixit , Accipite Spiritum Sanctum* ; alibi potum ſuum Sancti Spiritus fontem vocat : *Aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam .*

Ritu Mozarabico in Hiſpania dividebatur hoſtia Divinis verbis conſecrata in partes novem , quarum nomina erant , Incarnatio , Nativitas , Circumciſio , Apparitio , Paſſio , Mors , Reſurrectio , Gloria , & Regnum . Qui Sacrum faciebat priores ſeptem ſumebat , reliquas quoque ſed ſacro Sanguini admixtas . Ita Vaſei Chronicon , An. 717. *Sacerdos frangit Euchariſtiam , & ex altera parte facit quinque particulas , ex altera verò quatuor ; deinde ponit omnes ſimul in patina in modum Crucis , habetque ſuum quæque particula nomen . Quinque priores dicuntur Corporatio , Nativitas , Circumciſio , Apparitio , Paſſio ; quatuor reliquæ , Mors , Reſurrectio , Gloria , Regnum &c.* Hiſp. Illuſt. t. p. 699. Hujuſmodi fuit Hiſpanorum inſtitutum , ex eodem Auctore , ſub Gotorum Imperio ; nec abrogatum fuit ante Alphonſum VI. Regem .

VI. Ex his patet , Jeſu Chriſti Myſteria quæ ſemel peracta ſunt , manere etiamnum viciſſitudini minimè obnoxia in Euchariſtia , itaut nec ſine hac celebrari poſſint , neque hujus Sacrum ſine eorum cultu & recordatione . In hac iterùm oritur Jeſus , in Templo offertur , cruciatur , moritur , reſurgit , in Cœlum conſcendit , eò ſecum nos trahens , & Spiritum Sanctum ejuſque opes largitur .

VII. Eodem Sacrificio continentur ſtata Solennia Dei Genitricis , Apoſtolorum , Martyrum , Confeſſorum , ac Virginum . Matris enim excellentia illinc oritur , quòd ex ea deſumptum fuerit Corpus Divini Verbi , cujus immolatione ſervatum eſt genus humanum , & Fœdus cum Deo inſtauratum . Apoſtoli ac Martyres hiſce epulis paſti ſtrenuè decertarunt fuſis adverſariorum copiis : quapropter S. Cyprianus conſulens Chriſtia-

nis

Digitized by Google

nis pro religione pugnaturis, eos Euchariſtia primùm, utut tempus minùs idoneum videretur, tanquam telo validiſſimo inſtruebat: & S. Auguſtinus Laurentii Martyris diriſſimis ſuppliciis vexati conſtantiam & gaudium reperebat à Divino Jeſu Chriſti Sanguine in Euchariſtiæ convivio; eſt enim Dei Filius mitiſſimus Agnus, & fortiſſimus Leo: *Vicit Leo de tribu Juda.* Nec Confeſſores ſtadium idem decurrentes à carceribus ad calcem perveniſſent, niſi vires illis præbuiſſet Angelorum panis: Nam Elias quoque hæc præmonſtrans, conſimili cibo refectus quadraginta diebus noctibuſque minimè defatigatus in itinere, in Horebum Dei montem contendit: *Et ambulavit in fortitudine cibi illius uſque ad Montem Dei Horeb.* Confeſſores Divini amoris igni veluti charitatis Martyres abſumuntur: porrò Martyrum omnium fons & origo eſt Euchariſtia, ut ex Eccleſiæ precibus accepimus: *De qua ſumpſit Martyrium omne principium.* Ad Virginum caſtitatem illibatam ſervandam plurimùm conducit Divina Agni caro, *virgineo*, Eccleſia monente, *fragrans odore.*

VIII. Qui hæc expendunt, non ægrè ferent cum celeberrimo Nicolao Cabaſila adnotare Græcos idem ſenſiſſe, videlicet in Euchariſtia manere, & ad memoriam revocari cætera Jeſu Chriſti Myſteria, & ſanctos quoslibet viros. Ediſſerens enim ritum Græcorum calidam affundentium ſacro Calici, peracta conſecratione, & antequam Divinis epulis veſcantur, exhiberi tunc ait adventum Sancti Spiritus. Nam quum Myſteria cætera Euchariſtia complectatur, poſtremum illud & præſtantiſſimum prætermittendum non fuit. Adeſt hîc Jeſus in lucem editus, nobiſcum degens, moriens, reſurgens, in Cœlum adſcendens, ibique cum Patre in ampliſſimo ſolio regnans: oportuit ut Spiritum Sanctum pariter mittens recoleretur: Liturg. Expoſ. c. 37. *Deſcendit enim tunc Spiritus Sanctus univerſa Incarnationis Dominica peracta Oeconomia; nunc autem oblato Sacrificio, & conſummatis donis, verſatur cum iis qui dignè fuerunt eorum participes. Univerſa enim humana à Chriſto ſuſcepta natura Oeconomia in ſacro Euchariſtia Myſterio, in pane tanquam in tabula inſcripta: nam & infantem ipſum tanquam in figura contemplamur, & ad mortem ductum, & crucifixum, & in latere punctum; deinde etiam ipſum panem in illud ſanctiſſimum Corpus, quod hæc verè ſuſtinuit & reſurrexit, & aſſumptum eſt & ſedet ad dexteram Patris, mutatum; oportebat enim horum omnium finem poſt hac ſignificari, ut eſſet integra Myſterii celebratio, univerſo negotio & Incarnationi fine, effectuque adjecto. Quod eſt enim opus & quis effectus Chriſti paſſionum, & operum, & dictorum? Si quis ea, quod ad nos attinet, conſiderat, nihil aliud ſunt, quàm Sancti Spiritus in Eccleſiam adventus. Oportebat ergo eum poſt illa ſignificari. Atque is quidem ſignificatur aqua calida in Myſteria infuſa. Hæc enim aqua quum & aqua ſit, & ignis ſit particeps, ſignificat Spiritum Sanctum, qui etiam aqua dicitur, & tanquam ignis apparuit, in Diſcipulos delapſus.*

IX. Nec ſatis eſt Cabaſilæ iſta repræſentari; contendit præterea Myſteria hæc ineſſe quoque re ipſa, ut Corpus Domini quod præſens revera eſt in maximo Cœnæ Myſterio. Nam panis, ait, in Corpus Chriſti mutatur, qui à Virgine gignitur, moritur, reſurgit, Cœlum adit, & Divinum Spiritum in Eccleſiam effundit. Equidem morti non ampliùs eſt obnoxius, nihilominùs frangitur Corpus, & Sanguis profunditur in Euchariſtia, quæ idem eſt ac Crucis Sacrificium: & quamvis neque è Virgine, neque è tumulo prodeat, naſcens tamen, ſurgenſque recipitur. Hæc forſitan recogitabant, qui panem ante conſecrationem in tot fruſta conciſum quot Myſteria venerabantur, circa aliud majus diſponebant.

Thomaſſini de Feſtis.

X. Conſimili modo pluribus panis particulis Sanctos colebant, quòd hos omnes Euchariſtia quoque complectatur. Membra hi ſunt Divini Pontificis & victimæ univerſæ, ſemetipſos enim cum Chriſto immolarunt, eorumque vita omnis juge Sacrificium extitit: *Pro eis ego ſacrifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate.* Sacrificium gratiarum actionis in Cœlo adhuc peragunt: non igitur mirum cuiquam videri debet, ſi inſint in Euchariſtiæ ſacris, quibus gratiæ rependuntur, & expiantur crimina. Ideò Feſtis Sanctorum diebus Miſſæ Sacrum celebratur, ut Deo pro beneficiis in eos collatis agantur gratiæ. Quum enim in terris verſantes gratias haberent: *In omnibus ſemper gratias agentes Deo;* id multò magis præſtabunt in præſentia æterna felicitate potiti: *Si enim quando bona eis in ſpe ſolum erant,* Cap. 48. *Deo gratias perpetuò agebant, & omnia ad ejus gloriam faciebant; cujuſmodi oportet eos in talibus exiſtimare, quando multò major quidem eis eſt gratitudo, & beneficii recordatio, quum omni jam virtute perfecti ſint, bona autem non ſperant ampliùs, ſed ipſa experientia diſcunt Domini benignitatem? Propterea nulla eſt eis Deum laudandi ſatietas. Unde nec exiſtimant ſeipſos ſolos ſufficere ad agendas gratias. Unde volunt etiam omnes Angelos & homines ad ejus laudes celebrandas habère adjutores; ut eorum debitum, gratiarum ſcilicet Deo actio, eò propiùs pro dignitate ſolvatur, multiplicato laudantium numero.*

XI. Oramus & Sacrum facimus pro Sanctis, non ut major beneficiorum cumulus accedat illis qui ſummo bono fruuntur felicitatis & votorum omnium compotes, ſed ut gratiæ Deo habeantur pro maximis quibus potiuntur bonis, & ut ipſis etiam operam noſtram locemus in hiſce grati animi argumentis exhibendis. Quò enim majoribus muneribus donati ſunt, eò magis tot bonorum auctorem celebrant, & à nobis quoque laudari & coli cupiunt. Perſpicuum eſt ex Liturgiis, Sacrum à Græcis fieri pro Martyribus, Apoſtolis, Patriarchis, atque adeò pro Deipara; nec longè abſunt Latini: *Communicantes & memoriam venerantes inprimis glorioſa ſemper Virginis Maria.* Sanè ampliſſima dignitate ac gloria Deipara aucta, Deo quàm poteſt maximas agit gratias, & optat ut omnes creatæ mentes idem præſtent: *Et de Sanctis quidem propterea offerimus tibi inquit rationabilem hunc cultum pro iis qui in fide priùs requieverunt Patribus, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis &c. præcipuè autem ſanctiſſima & intemerata Domina noſtra & ſemper Virgine Maria. Pro iis offert Eccleſia rationabilem hunc cultum, tanquam Deo gratiarum actionem, & præ cæteris omnibus pro Beata Dei Matre, ut quæ omnem ſanctitatem excedat. Propterea nihil pro eis orat Sacerdos, ſed potius eos orat, ut ab eis in orationibus adjuvetur; quia non ad ſupplicationem, ſed ad gratiarum actionem facit pro eis oblationem donorum.*

XII. Hæc explicanda putavimus, unum in Eccleſia eſſe Trinitatis cultum, eò cuncta ſpectare, ſacros ritus, religioſiſſimas cæremonias, preces, Feſtoſque dies; ſed eam coli maximè Euchariſtiæ Sacrificio. Hinc liquet Solennüs omnibus Servatoris atque Sanctorum quorumlibet, Trinitatis & Euchariſtiæ Myſteria coli. Scitum eſt Auguſtini illud adorare nos primùm oportere, tum veſci Corpore Chriſti: *Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terra.* Itaque Sanctorum Solennia quæ Sacris hiſce Euchariſticis maximè continentur, Chriſtum colendo in hujuſmodi Myſterio peraguntur. Urbanus ergo Quartus Celebritatem Corporis Chriſti inſtituendo id maximè præſtitit, ut intelligeremus Euchariſtia potiſſimùm agi Feſtos dies Trinitatis, Servatoris, Deiparæ, Angelorum, omniumque Sanctorum; & propterea

I 2 Ec-

Eccleſiam eos celebrantem, celebraſſe quoque jugiter Solennia Corporis Chriſti.

XIII. Rainaldus agens de origine Solennitatis Corporis Chriſti, anno 1264. & S. Antonini veſtigiis inſiſtens, viſa & miracula narrat, quæ Urbanum IV. Rom. Pont. excitarunt ad Feſtum hunc diem indicendum. Porrò Urbani Conſtitutio ea ferè complectitur quæ hactenùs enucleavimus. Sentit die Cœnæ inſtitutam eſſe Euchariſtiam, ejuſque Solennia peracta; ſed ob ritus & cæremonias plurimas Pœnitentiæ, Chriſmatis, & ablutionis pedum expedire ut alio quoque die ſolenniter celebrarentur, & cultus tanti Myſterii, ac pietas quæ refrixerat revocaretur: *Licèt igitur hoc memoriale Sacramentum in quotidianis Miſſarum Solenniis frequenter &c. Potiſſimum exequendum eſt circa hoc vivificum Sacramentum Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti, qui eſt Sanctorum omnium gloria & corona, ut Feſtivitate ac Celebritate præfulgeat ſpeciali, quatenus in eo quod in aliis Miſſarum Officiis circa Solennitatem eſt forſitan prætermiſſum, devota diligentia ſuppleatur, & fideles Feſtivitate ipſa inſtante, intra ſe prætertita memorantes, id quod in ipſis Miſſarum Solenniis ex negligentia vel fragilitate minus plenè geſſerunt, tunc attentè in humilitate ſpiritus. & animi puritate reſtaurent*. Quicquid ergo minùs religioſè ac piè admiſſum eſt diebus cæteris in Sacris hiſce Euchariſticis, ſolenni ratoque die Corporis Chriſti expiandum eſt.

XIV. Non abs re fuerit nonnulla adjicere de Co-
Rainald. An. 1457. n. 73. lebritate Transfigurationis Domini, quam Platina acceptam refert Callixto Romano Pontifici; qui ejus quoque preces Canonicas digeſſit, & eandem
Baron. in not. ad Martyr. Eccleſiæ theſauris locupletavit; itaut quod pertinet ad Indulgentias minimè concederet Solennius Corporis Chriſti. Nihilominùs oſtendit Baronius, antiquiorem in ipſo Occidente extitiſſe Feſtum diem Transfigurationis, etſi pluribus locis celebrari cœperit poſt editam Callixti Conſtitutionem à Rainaldo allatam. Confirmat id Baronius Martyrologio Vandelberti, qui floruit circiter annum 850. ſi fides habenda Trithemio. S. Leo de eadem verba pro concione fecit. Ildephonſus Epiſcopus in Hiſpania, anno 845. de ea agit; tanquam de præcipua Servatoris Celebritate, in libello à Mabillono vulgato; aitque peragi ſexto die ante Calendas Auguſti. Veteres Canonicarum precationum libri quarundam Galliæ Eccleſiarum, illam conſignant eadem die. In Conſtitutione quadam allata à Petro Venerabili Abbate Cluniacenſi, pro Cœnobitis ex eadem diſciplina,
Bibl. Clun. p. 1356. jubetur celebrari Transfigurationis Feſtum diem ea Solennitate, qua Deiparæ Purificatio colitur; quandoquidem Eccleſiæ plures ex recentiore, immò veteri quoque inſtituto, cum ut Epiphaniam & Aſcenſionem agebant: *Nulli alii diei Solennitati inferior dignitas, & antiquus atque modernus multarum per orbem Eccleſiarum uſus, qua non minore quàm Epiphaniam, & Aſcenſionem Domini honore, jam dicta Transfigurationis memoriam recolunt*. Græca Menologia Solennia hæc commemorant, ut Edictum pariter Comneni Imperatoris.

XV. Multa à Pothone Prumienſi Presbytero qui ann. 1152. conſcripſit opus de domo Dei, acerbiùs dicta ſunt in Monachos novis rebus, ut ipſe autumat, ſtudentes, inſtituendo Solennia Trinitatis,
L. 2. de Domo Dei Bibl. PP. tom. 9. Transfigurationis, & Conceptionis Deiparæ, licèt Majoribus minimè perſpecta: *Miramur quid viſum fuerit quibuſdam Monaſteriis mutare colorem optimum, novas quaſdam inducendo Celebritates. Numquid Patribus doctiores aut devotiores ſumus? Quæ igitur ratio nobis hæc Feſta celebranda nobis induxit? Feſtum videlicet Sanctæ Trinitatis, Feſtum Transfigurationis Domini. Additur his à quibuſdam, quod magis abſurdum videtur, Feſtum quoque Conceptionis S. Mariæ. Nos in his omnium devotioni fidelium minimè derogamus, dum rationem quærimus, qua rationabile obſequium noſtrum offerre Domino debemus; ne fortè à via recta deviantes, præſumptionis ſpiritu ſeducamur.*

Transfiguratio, de qua pariter queritur, ſatis oſtendit virum cæteroqui pium, non fuiſſe in hujuſcemodi rebus apprimè verſatum. Ecquodnam flagitium videri potuit celebrare Transfigurationem, de qua Evangelium tam perſpicuè diſſeruit, quæ Romæ peracta eſt Magni Leonis ætate, quanquam conſequentibus aliquot ſæculis ejus memoria obliterata videtur, & in Hiſpania, tanquam maxima Celebritas colebatur tum quum Romæ abrogata ferè fuit; in Oriente autem ab antiquiſſimis temporibus? Egimus ſatis ſuperque de Solenniis Trinitatis & Conceptionis: cæterùm viri hujus auctoritati non admodum deferendum eſſe arbitramur. Hic Presbyter ſatiùs priùs diſcat intelligendo legere, ut deinde incautiùs dediſcat ſic in hac re judicare.

CAPUT XX.

De Feſtis diebus Nativitatis, Præſentationis, Viſitationis & Aſſumptionis Deiparæ.

I. Cur Auguſtini ætate Natalitia Genitricis Dei minimè celebrarentur.

II. Idem Sæculo IX. contigit.

III. S. Fulbertus Anno Chriſti milleſimo agit de hujuſmodi Celebritate, tanquam recens invecta.

IV. Expenditur Romanus Ordo eam vetuſtiorem exiſtimans.

V. Opus S. Ildephonſo adſcriptum, in quo de ea agitur, ab illo abjudicandum.

VI. VII. Origo Solennium Viſitationis atque Præſentationis.

VIII. De Aſſumptione Deiparæ. An ea mortem obierit dubitat S. Epiphanius.

IX. Eccleſia in hujuſmodi res ſapientia ac pietas. Patres quoque eadem ratione ſe geſſerunt.

X. Cultus Deiparæ in dies auctus. Nonnulla de ejus ampliſſima dignitate.

XI. Celeberrimus S. Dionyſii locus de B. Virginis corpore poſt ejus mortem, & Apoſtolis illud inviſentibus. Conſimilis locus Gregorii Turonenſis.

XII. Animadverſiones in S. Dionyſii verba.

XIII. Teſtimonia Metaphraſtis, & Juvenalis Patriarchæ Hieroſolymitani.

XIV. Quo primùm tempore Galli Aſſumptionis Feſtum diem celebraverint.

XV. Quid de eo ſentiat Uſuardus in ſuo Martyrologio.

XVI. Mens Adonis Viennenſis Archiepiſcopi.

XVII. Ingens Auctorum numerus.

XVIII. Aſſumptionis nomen ad examen vocatur.

XIX. Varia teſtimonia.

XX. Qua animi moderatione opus ſit in id genus rebus.

XXI. De recentiore inſtitutione Celebritatum Deiparæ.

I. TEſtatur alicubi S. Auguſtinus, Eccleſiam non celebraſſe ejus ætate Natalitia ulla præter bina, Servatoris videlicet, & S. Joannis Baptiſtæ: *Poſt illum ſacroſanctum Domini Natalis diem,* Ser. 20. 21. de Sanctis.
nullius hominum Nativitatem legimus celebrari, niſi ſolius Beati Joannis Baptiſtæ: Et alibi, *Natalem Sancti Joannis hodie celebramus, quod nulli unquam Sanctorum legimus fuiſſe conceſſum. Solius enim Domini & Beati Joannis dies Nativitatis in univerſo mundo celebratur & colitur.* Perſpicua verò hujus eſt ratio: Evangelium enim non agit, niſi de duplici hoc Natali die, ex Libris autem Canonicis deprompſit Eccleſia prima Solennia; ac Patres dum ſacras haſce Litteras interpretarentur, meminerunt Celebritatum Sanctorum illorum, de quibus eædem agebant.

II.

II. Miramur Natalem Deiparæ diem ſacris faſtis Sæculi VIII. ac IX. maximè Gallicanis, nuſquam adſcribi. Non enim ejus meminerunt vel Godegrangi Regula, vel Moguntina Synodus, anno 813. vel Capitularia tribus illis dierum Feſtorum enumerationibus, vel Concilium Aquiſgranenſe II. vel Abyto Baſileenſis Epiſcopus, vel Herardus Archiepiſcopus Toronenſis. Minimè adjudicandi ſunt Patribus Sermones in Sanctæ Virginis Nativitatem, quanquam plures in eorum Operibus extant ſub adſcito perperam eorum nomine.

III. Vetuſtiſſimus eorum qui hanc Celebritatem commemoraverint fuit S. Fulbertus Carnotenſis Antiſtes, anno Chriſti 1000. eam tamen recens inſtitutam exiſtimare videtur: Serm. 1. de Nativ. *Inter omnes Sanctos memoria Beatiſſimæ Virginis eo frequentius agitur, atque feſtivius, quo majorem gratiam apud Dominum creditur inveniſſe. Unde poſt alia quædam ipſius antiquiora Solennia, non fuit contenta devotio fidelium quin Nativitatis Solenne ſuperadderet hodiernum.* S. Bernardus autem Conceptionis Solennitatem exagitans, hanc ab Eccleſia ritè coli fatetur: Epiſt. 174. *Ortum Virginis didici nihilominus in Eccleſia & ab Eccleſia indubitanter haberi feſtivum atque ſanctum, firmiſſimè cum Eccleſia ſentiens eam accepiſſe in utero ut Sancta prodiret &c. Nec fallitur omnino Sancta Eccleſia ſanctum reputans ipſum Nativitatis ejus diem, & omni anno cum exultatione univerſa terra votiva Celebritate ſuſcipiens.* Hujuſmodi quoque verba legimus in Litteris Petri Cellenſis: L. 6. ep. 23. *Non erat ab initio Nativitas Virginis in Eccleſia ſolennis; ſed creſcente fidelium devotione addita eſt præclaris Eccleſiæ Solennitatibus.*

IV. Jure ergo Baronius neque admodum vetuſtam eſſe Celebritatem hanc ſenſit, neque antiquioribus Patribus adſcribendos vulgatos illos Sermones. Haud tamen ſcio an probè ætate S. Ildephonſi de eadem agentis in Libro de Virginitate, & Ordinis Romani, qui ejuſdem pariter meminit, Solennia hæc conſignaverit. Norunt omnes Ordinem Romanum Librum quendam Ritualem eſſe: id genus autem Operibus accedunt annis conſequentibus plurima à variis auctoribus adjecta. Qui enim fieri potuit obſervata fuiſſe in Urbe Sæculo VIII. vel IX. & neglecta intereà à Gallis adeò addictis Romanis inſtitutis? Additi feruntur octo dies ab Innocentio IV. ob vota Deo nuncupata à Cardinalibus antequam renunciaretur Pontifex qui Maximo Urbis Sacerdotio ante eum auctus fuit. Gregorius XI. pervigilium addidit.

V. Longè veriſimilius eſt in Gallia primùm celebrata fuiſſe Deiparæ Natalitia & Conceptionem, ac in Italiam poſteà introducta. Neque enim ſubacti ingenii viri Librum de Virginitate germanum S. Ildephonſi opus exiſtimant. Itaque primus omnium qui hæc Solennia commemoraverit, dicendus eſt S. Fulbertus; & in ea regione, eaque fermè ætate conſignanda videtur hujuſmodi origo. Id quoque indicat nomen quo in finitimis locis appellatur, *l'Angevine*, petitum ab Andegavenſi regione.

VI. Viſitatio Deiparæ, ex Baronio, inſtituta fuit ab Urbano VI. probata autem hujuſmodi Solennitas, vel vulgata à Bonifacio IX. Anno 1389. ut Deus opem ferret Eccleſiæ laboranti ac diſcerptæ luctuoſo ſchiſmate Romanorum & Avenionenſium Pontificum. Extat in Magno Bullario Conſtitutio Bonifacii teſtantis Urbanum in optatis habuiſſe ut indiceretur jejunium pervigilii, quemadmodum in Nativitate & Aſſumptione uſuvenit; & octo diebus celebraretur. Eæ tamen Eccleſiæ quæ Urbis Pontificibus obtemperabant Viſitationem peregerunt. Synodus Baſileenſis, Ao. 1441. eam in Eccleſiam univerſam invexit, nec tamen pervigilii vel octo dierum uſquam meminit. Seſſ. 43. Spond. An. 1389. n. 1. & 1441. n. 3.

VII. Ad Præſentationem me confero. Baronio adnotante, Deiparæ Purificatio, quum nempè Filium in ſacra Æde obtulit, vocabatur in antiquis Ritualibus Libris Præſentatio Virginis; additque Solennitatem hujuſmodi vetuſtam admodum apud Græcos, utpotè quæ in album Comneni relata ſit, in Galliam invectam fuiſſe, anno 1375. Carolo V. Rege, eadem ratione ut in præſentia colitur, tanquam videlicet oblationem, qua ſe Deo dedicavit caſtiſſima Puella in Templo, ubi Virgo ſimul ac Mater oblatura erat annis conſequentibus Divinum Filium. Sed plurima animadvertenda ſunt in Litteris à Carolo miſſis ad Regale Navarræ Collegium, & publici juris factis à Launojo in Hiſtoria ejuſdem Collegii. Scripſit enim Rex, ſe audiviſſe de Cypri Cancellario Præſentationem Virginis Deo in Templo triennem ſemetipſam dicantis, ſolenniſſimo ritu peragi in Oriente XI. Cal. Decembres: T. 1. l. 1. c. 10. Cancellarium eundem Legatum Regis Cypri & Hieroſolymæ ad Romanum Pontificem hunc commonuiſſe de hujuſmodi Feſto die religioſè à Græcis obſervato, & Canonicas Græcorum precationes exhibuiſſe, quas Pontifex cum Cardinalibus & Theologis expenderit, probando atque adeò celebrando cum populo qui frequens convenerat, eandem Solennitatem. Legatus, inquit Rex, in Galliam ſe poſteà recepit, precibus iiſdem exhibitis, & Præſentationem celebrandam curavit in ſacro Sacello, ubi Præſules ac Proceres plures aderant, habita concione diſertiſſimè à Nuncio Romani Pontificis: *Pontifex poſt examinationem multiplicem tam per ipſum quàm per nonnullos Cardinales, alioſque Prælatos & Magiſtros in Theologia ſuper dicto Officio, celebrari dictum Feſtum in Romana Curia toleravit miſericorditer ac permiſit, & ſic dicta die celebrata fuit dicta Solennitas in eadem Curia, aſſiſtentibus Cardinalibus & Prælatis aliis pluribus, populo utriuſque ſexus in quantitate maxima congregato.* Ita hæc Celebritas ab Oriente in Italiam, & ab Urbe in Galliam introducta fuit, & Regis mandato obſervata.

VIII. Sed ad Deiparæ Aſſumptionem veniamus, ex qua ipſam intelligimus mortem obiiſſe, quamvis aliàs id minimè conſtaret. S. Epiphanius noluit hìc judicium ſuum interponere, negans ſeſe habere quod liqueat, ſit, non ſit mortua; gladius enim à Simeone prænunciatus, ejus mortem atque martyrium præmonſtrabat: cæterùm Divina Apocalypſis aliis inſtruens mulierem cum qua Diabolus inimicitias exercebat, Deiparæ immortalem vitam largiri videtur. Quum igitur neque ſacræ Litteræ, neque Eccleſia quicquam de Virginis morte nos doceant, optimum factu eſt aſſenſionem cohibere cum Epiphanio, ne temerè quidpiam effutiendo, creaturarum omnium rerum præſtantiſſimam injuria aliqua laceſſere videamur: *Licet ſacrarum Litterarum veſtigia conſectari,* Hæreſ. 78. *in quibus nullam de Mariæ obitu mentionem reperiet quiſquam, mortua ſit, necne, ſepulta, annon ſepulta fuerit &c. Id quod propter admirationis vehementiam factum arbitror, ne hominum animos majorem quendam in ſtuporem conjiceret &c. Ex una parte illud occurrit quod de illa pronunciat: Et tuam ipſius animam gladius pervadet: aliunde verò in Apocalypſi Joannis legimus, Draconem adverſus mulierem properaſſe, & datas ei eſſe pennas aquilæ, & tranſlatam eſſe in deſertum, ne eam Draco comprehenderet. Quod quidem in illa poteſt eſſe impletum. Quanquam illud non affirmo penitus, neque aut immortalem perſeveraſſe definio, aut utrùm mortua ſit confirmare poſſum. Quippè Scriptura Sacra mentis humanæ captum prætergreſſa, rem in incerto reliquit, ne quis carnis propriam ullam ei fœditatem adſcribat.*

IX. S. Epiphanius in Palæſtina, Oriente, Italia, ac Romæ quoque verſatus fuerat: Traditiones & placita quævis callebat, neque ignorare potuit quæ cæteri notant. Crediderim Eccleſias quamplurimas temporibus illis ſatius duxiſſe admiratione ac religione Deiparam proſequi, quàm ſcrutari quomodo mortua ſit vel ad Cœlum evecta: Propterea, ni fallor, hæc ſilentio prætererunt; quæ enim extant Patrum homiliæ manifeſta præſeferunt falſitatis indicia. Patres minimè cre-

diderunt à veritate abhorrere mortuam eſſe Mariam, multominùs in Cœlum illatam: etenim Epiphanius non inficiatur translatam fuiſſe ad beata immortalis vitæ loca, nullo mortis genere abſumptam, quanquam id apertè non docet. Nihilominùs ita animum inſtituebant ad cogitandum quicquid decere videbatur ſanctiſſimam Dei parentem, ut ſilere ſatius putaverint, quàm de his loqui.

X. Verebatur Eccleſia prioribus ſæculis ne Idololatria quam evertendam curabat ruſum inſtauraretur; ea de cauſa Deiparam coluit quidem, ita tamen ne in cujuſquam offenſionem incurreret. Ethnici venerati fuerant plures confictorum Numinum Matres; timendum fuit ne quid peccaretur in cultu Mariæ veri Dei parentis; atque id curavit Eccleſia. Idem Deus ipſe præſtitit; plurium enim Sanctorum virorum mortem & tumulos illuſtres reddidit, ſinens intereà verſari homines in ignoratione ſepulchri, & cæterorum quæ cum Matris ſuæ gloria conjuncta erant. Eadem prorſus ratione latuit mors & ſepulchrum Moſis Prophetæ, ne Ebræi ad Idololatriam propenſi eum veluti Numen quoddam venerarentur.

Poſtquam verò Neſtorius in Mariam ira inflammatus furere cœpit, ac ſi Dei Mater non eſſet, eumque diris devovit prima Synodus Epheſiſina, ſibi vitio vertere quiſque viſus eſt parciùs Mariam colere. Chriſtiana Religio altas radices egerat, & Idololatria ſublata erat; vulganda potiùs videbatur tantæ Virginis dignitas atque gloria, & obſtruenda ora hæreticorum impiè illam carpentium. Ædes igitur ampliſſimæ conſtructæ ſunt, & ſacræ Celebritates inſtitutæ, ac quæri cœpit cur caſtiſſimum corpus neque miraculis illuſtraretur, neque uſquam reperiri poſſet. Patuit tandem non ampliùs cum Epiphanio dubitandum eſſe, ſed Deiparam mortem obiiſſe, & paulò pòſt in vitam revocatam eſſe, & in Cœlum ſublatam.

XI. Percrebuit ſtatim de ea re fama in Oriente ac Occidente. S. Dionyſius teſtatur ſe cum Petro, Jacobo, & Hierotheo adfuiſſe, & Virginis demortuæ Corpus conſpexiſſe: *Quum & nos, & ipſe, plurimique Sanctorum fratrum noſtrorum ad corpus illud quod dedit principium vitæ, Deumque ſuſceperat, contuendum veniſſemus; aderat autem & frater Domini Jacobus & Petrus*. Opera Auctoris hujus circa medium Sæculi VI. vulgata ſunt; hæreſes autem quas oppugnat, & Eccleſiæ diſciplina de qua agit, oſtendunt non ita multò antè floruiſſe. Ergo ſub finem Sæculi V. vel VI. initium dilucidè & apertè magis actum de Virgine morte atque reſurrectione. Gregorius Turonenſis fusè perſequitur quod Dionyſius in pauca contraxit; ait enim Apoſtolos Divinitus admonitos de impendente Deiparæ morte ad eam adiiſſe, ac tum ipſis inſpectantibus, Jeſum Chriſtum, Angelorum agminibus ſtipatum, ejus animam recepiſſe; iterum verò conveniſſe eò ubi ſacrum corpus in tumulum intulerant, ibique denuò conſpiciendum ſe præbuiſſe Dei Filium, & educto è ſepulchro corpore Matris, & cum anima rurſum conjuncto, eam ſecum in Cœlum evexiſſe: *Quum audiſſent Apoſtoli quia eſſet aſſumenda de mundo, vigilabant cum ea ſimul, & ecce Dominus Jeſus advenit cum Angelis ſuis, & accipiens animam ejus tradit Michaeli Angelo, & receſſit. Diluculò autem levaverunt Apoſtoli cum lectulo corpus ejus, poſueruntque illud in monumento, & cuſtodiebant ipſum, adventum Domini præſtolantes. Et ecce iterum adſtitit ei Dominus, ſuſceptumque ſanctum Corpus in nube, deferri juſſit in Paradiſum, ubi nunc reſumpta anima cum electis ejus exultans, æternitatis bonis, nullo occaſuris fine, perfruitur*. Sexto igitur Sæculo rumor ubique percrebuerat; in Oriente enim degebat Dionyſius, in Occidente Gregorius.

Dion. de div. Nom. c. 3. ar. 2.

De Glor. Mart. l. 1. c. 4.

XII. Prætereunda non eſt animadverſio virorum quorundam eruditorum exiſtimantium loco verborum Dionyſii ἐπὶ θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος ſcribi facilè poſſe σήματος, *ſepulchri*, quum σώματος, idem ſit ac *corporis*. Itaque non ad corpus, ſed ad tumulum Virginis inviſendum Apoſtoli tunc ſe contuliſſent. Ad hunc modum legit locum illum Hilduinus in Areopagiticis: *In quo oſtendit ſe apud ſanctam Civitatem penes ſepulchrum Jeſu vitæ principis à Jacobo, Petro, Joanne, Jerotheo, Timotheo, & aliis ſanctis fratribus audiſſe diſputationem, & fidei Sacramentum &c.* Huc accedit Epiſtola Hincmari ad Carolum Calvum: *Sanctus Dionyſius Areopagita Athenienſium ordinatus eſt Epiſcopus. Procedente autem tempore Magiſtri deſiderio & B. Petri amore, quem unà cum præceptore ſuo Paulo apud ſepulchrum vitæ principis viderat, & docentem audierat, Romam venit*. Hæc Hilduini & Hincmari verba *ſepulchrum vitæ principis* confirmant illa ζωαρχικοῦ σήματος. Græca vox θεοδόχου, tumulo congruit, ſi enim de Deipara agebatur, adhibenda erat loco ipſius Θεοτόκου. Nec leve eſt teſtimonium Hilduini & Hincmari, qui conſulere potuerunt ipſa Dionyſii ſcripta miſſa à Michaele Imperatore ad Ludovicum Pium. Equidem S. Maximus cenſuit loqui fortaſſe, τάχα, Dionyſium de corpore Beatæ Virginis non ita pridem demortuæ; ſed ejus hæſitatio addubitare nos cogit an Maximus legendum revera crediderit σήματος. Oportuit hæc adnotare, quæ tamen cum vulgata ſententia forſitan non pugnant.

XIII. Metaphraſtes in Libro de Nativitate, Vita, ac Morte Deiparæ confirmat quicquid de Aſſumptione diximus, auctoritate Juvenalis Patriarchæ Hieroſolymitani, qui Synodo Chalcedonenſi interfuit: *Quod dicimus confirmat Juvenalis divinus Hieroſolymorum Epiſcopus &c. Poſt tertium diem quum veniſſet tardius unus ex Apoſtolis ad exequias &c. Magnum ex eo cæpit dolorem, quod tanti boni manſiſſet expers, idque omninò tolerare non poterat. Sacer itaque Ordo Apoſtolorum juſtum judicans ut ipſe quoque vivificum illud corpus videret, & amplecteretur, jubet ſtatim aperiri ſepulchrum. Et illud quidem fuit apertum; theſaurus autem nequaquam erat in eo, ſed ſola erant veſtes &c.* Haud ſcio an fides habenda ſit Metaphraſti in iis quæ commemorat ex Juvenale, quadringentis, vel quingentis annis elapſis, maximè quum Juvenali non conveniat cum Gregorio Turonenſi. Fieri tamen potuit ut rumor de morte & reſurrectione Virginis percrebuerit, ſed plurima exploratè cognita non eſſent.

XIV. Statim ac in vulgus ſpargi & probari hæc cœpta ſunt, ſolennis dies indictus eſt: ejus meminit Godegrangi Regula regnante Pipino Caroli Magni Patre, & Moguntina Synodus An. 813. celebrari juſſit Feſtum diem Aſſumptionis, *Aſſumptionem Sanctæ Mariæ*. Sanè Capitularia alicubi deliberandum eſſe cenſent de hac Celebritate, ut vidimus Libro priore; ſed ſtatim dubitatio quævis ſublata eſt; alia enim Capitularia attulimus, quæ eandem referunt in album dierum Feſtorum, de quibus nulla erat ampliùs hæſitatio.

XV. Dum ita nonnulli cunctabantur, Uſuardus, jubente Carolo Magno, Martyrologium conſcripſit: Deiparam mortuam eſſe pro certo habuit; ſed ignorari ait locum corporis ejus, & Eccleſiam ſatius ducere id neſcire, quàm aſſerere quæ nutant, ac vacillant: *Dormitio Sanctæ Genitricis Dei Mariæ, cujus ſacratiſſimum Corpus etſi non invenitur ſuper terram, tamen venerabilis Mater Eccleſia ejus venerabilem memoriam ſic feſtivam agit, ut pro conditione carnis eam migraſſe non dubitet. Quo autem illud venerabile Sancti Spiritus templum nutu & conſilio Divino occultatum ſit, plus elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quàm*

aliquid

aliquid frivolum & apocryphum inde texendo deterrè. Si mens Uſuardi fuit convellere opinionem de Virginis Reſurrectione, minùs ſibi conſtare videtur, & adverſariorum potiùs ſuorum cauſam juvare. Cur enim de Virginis morte non dubitat? Epiphanius adeò verſatus in ſuorum temporum inſtitutis atque ſententiis id neque negat, neque ait. Libratis igitur rationum momentis patuit tandem quod anteà latebat: atque eadem ratione Reſurrectio Deiparæ, de qua eodem tempore agi cœptum eſt, ad examen vocari potuit, & demum probari.

XVI. Ado Archiepiſcopus Viennenſis Uſuardum ſequutus ejus ferè verba uſurpavit, addidit tantùm id contigiſſe Mariæ ac Moſi, cujus ſepulchrum deliteſcit: *Beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ dormitionem* XVIII. *Calendas Septembris omnis celebrat Eccleſia. Cujus & ſacrum Corpus non invenitur ſuper terram. Sic nec beati Moyſis ſepulchrum, quem dicit Sacra Scriptura à Domino ſepultum.* Eccleſia, ait Ado, ſatis eſſe cenſet quæ de Maria habent ſacræ Litteræ commendantes ejus integerrimos mores, & virtutes præſtantiſſimas; parvi autem referre arbitratur alia, quæ neque ad ejus gloriam, neque ad populi Chriſtiani pietatem valdè conducunt: *Sufficiunt enim ei ad ſanctitatem & vitam Virginis & Matris Domini commendandam Evangeliſtarum teſtimonia, nec de ea ultra quærere neceſſarium putat.*

Verùm ſi Eccleſia ea ſolùm exiſtimat magni momenti eſſe quæ de Beata Virgine memoriæ prodiderunt Divina Volumina, cætera parvi pendens, cur eam mortuam eſſe ſentit, quum tam de Reſurrectione hac quàm de morte altum ſit in Evangelio ſilentium? Id utique verum fatemur, Deum tot Feſtis diebus, ritibus, ac cæremoniis ad ſe potiùs nos allicere, & ad ea quæ maximi facienda ſunt, quàm ad cætera minoris momenti, in quæ tamen perſæpè acriùs intendimus: atque idcircò videtur mortem & reſurrectionem hujuſmodi latere voluiſſe. Sinit etiam quandoque abſumi ſanctorum virorum lipſana, & ſacros cineres vel in flumina conjici, vel per agros diſpergi, ut ab eis abducantur homines qui nullum in ea re modum ſibi præſtituunt. Hoc tamen non impedit, quominùs ratio aliqua habeatur eorum quæ in Aſſumptione Deiparæ contigerunt, quemadmodum exuviarum Sanctorum quæ ſuperſunt; modò hæc ſtudia non avocent mentem noſtram ab eo, ad quem cuncta nos ducere debent.

XVII. Itaque Auctores omnes, quotquot videlicet conſequuti ſunt, Synodi Moguntinæ & Capitularium veſtigiis inhærentes, egerunt de Aſſumptione Deiparæ; ita enim vocabant, *Aſſumptionem Sanctæ Mariæ*, non tantùm ſomnum, *Dormitionem*. Operam ludere videretur qui ingentem eorum numerum huc adduceret, ſive de Latinis, ſive de Græcis agamus; etenim notiores ſunt quàm ut oporteat eos recenſere.

XVIII. Vox illa *Aſſumptio* non ſemper corpus in Cœlum inferri ſignificat, ſed mortem ſæpè vel ſomnum, ut apertè Belethus fatetur: *Sanctorum tranſitus multis appellatur modis. Dicitur enim* C. 4. & 146. *exitus, tranſitus, abitus, natale, natalitium, depoſitio, dormitio, paſſio, & aſſumptio.*

XIX. Non attigi locum Chronici Euſebii, vel Hieronymi, ubi mentio fit Aſſumptionis: *Maria Virgo Chriſti Mater ad Filium aſſumitur, ut quidam fuiſſe revelatum ſcribunt*; additamentum enim hujuſmodi à veteribus Codicibus manu exaratis abeſt. Ne illum quidem Gelaſii Romani Pontificis rejicientis libellos *de Tranſitu Virginis*; nihil enim explicatè traditur. Præſtat animadvertere, adjectum ſtatim fuiſſe hujuſmodi Solenniis pervigilium & octo dies. Nicolaus I. in Litteris ad Bulgaros miſſis de pervigilio, tanquam vetuſto, loquitur. Quod pertinet ad octo dies hujus Celebritatis, id Romæ conſtituiſſe Leonem IV. Pontificem an. 847. quum anteà in Urbe non peragerentur, narrat Sigebertus: *Decrevit ut Octava Aſſumptionis S. Mariæ in Eccleſia Romana celebrarentur, quod anteà non fiebat.*

XX. Adjiciam poſtremò locum Petri Bleſenſis animadverſione dignum. Docet non pertinere ad Religionis doctrinam tanquam aliquid ratum, Sanctæ Virginis corpus in Cœlum illatum fuiſſe, nec tamen de ea re dubitandum eſſe: *Hodie veriſimile eſt, quod Beata Virgo & anima beatitudinem & corporis glorificationem adepta eſt. Quod* Serm. 18. *ne cui veniat prorſus in dubium, auctoritatibus adſtruimus, opinando tamen, non aſſerendo.* Deiparæ Aſſumptio, ex Petro Bleſenſi, veriſimilitudine nititur, non Fidei Orthodoxæ dogma eſt, neque apodicticis argumentationibus demonſtratur: *Veriſimile eſt*: Non tamen oppugnanda eſt. Quid? Quòd ne ambigendum quidem de ea videtur: *Ne cui veniat in dubium.* Eccleſiæ Fides mentis noſtræ eſt norma, à qua vel quicquam deflectere nefas eſt; ejus verò opiniones colendæ quoque ſunt. Id ſecum deputent oportet Catholici, ne vel parum credant ob pervicaciam, vel nimium ob levitatem; ſed ſapienter, ad rectæ rationis atque adeò ad Religionis præſcriptum cogitationes ipſas componant. Non dubitamus quin Virgo Deiparens corpore quoque in Cœlo degat, tametſi Divina Fides hoc minimè doceat: Sed deſipere eſſet legem ſibi præſtituere vel aliis quam Eccleſia non tulit, ac ſi nullus ſcientia Divinarum rerum illi antecelleret. Quot enim ſunt, quæ quum minimè rata ſint, & Divina Fide nixa, ad examen tamen vocare non licet? Tollenda prorſus eſſet omnis humani generis ſocietas ſi cohiberi oporteret aſſenſionem, quoties non ſuppetit evidens ratio vel auctoritas quæ errori non ſit obnoxia. Nemo fallitur dum Eccleſiæ opinionibus accedit, quas rationi conſentaneas exiſtimat, non ratas ut dogmata. Ita animum inſtituere, ſapientiæ, pietatis, caſtitatis, moderationis, & complurium Chriſtianarum virtutum argumentum eſt.

XXI. Mirabitur fortaſſe non nemo, Celebritatem hanc non admodum vetuſtam à nobis ſtatui. Sed quæ extant Eccleſiaſticæ antiquitatis monumenta, in medio ſunt poſita. Multò tamen antiquior eſt Deiparæ cultus. Sozomenus tradit in ſacra Byzantina Æde *Anaſtaſia* vocata, quæ dono data fuit Conſtantinopoli S. Gregorio Nazianzeno, frequens miracula fuiſſe patrata, & ferebatur Deiparam ſæpiùs ibidem conſpicuam ſe præbuiſſe: *Creditur autem hæc eſſe Sacra Virgo Maria Mater Dei; ſic enim apparere ſolet.* L. 7. c. 5. In confeſſo eſt vetuſtiores Liturgias meminiſſe Mariæ, Angelorum, Patriarcharum, & Prophetarum, antequam eorum Feſtidies indicerentur. Porrò Collyridiani Hæretici Dei Matrem adeò venerati ſunt, ut ſuperſtitionis & Idololatriæ poſtularentur; ſiquidem Numen quoddam eam crediderunt, Sacra ipſi facientes. Eos S. Epiphanius arguit, docens nec Mariæ denegandum eſſe honorem Dei Matre dignum, nec Divinis augendam; ita verò unumquemque ſe gerere oportere, ut Mariam ritè coleret, Deum autem illius & omnium conditorem ſumma religione proſequeretur. ἡ Μαρία Hæreſ. 79. ἐν τιμῇ, ὁ Κύριος προσκυνείσθω. *Maria in honore ſit, Dominus adoretur.* Denique illud quoque animadvertamus neceſſe eſt, quædam Servatoris Solennia eſſe illi cum Matre communia, Incarnationem videlicet, Nativitatem, & Præſentationem in Templo.

CA-

CAPUT XXI.

De Celebritatibus Omnium Sanctorum, & Defunctorum.

I. Ob innumerabilem Martyrum multitudinem Bonifacius IV. Rom. Pont. eorum Solennia inſtituit, Deo celeberrimam Ædem Pantheon vocatam dedicando ſub eorum nomine.

II. Chriſtiani primum Idolorum fana ſolo æquabant: poſteà vero Deo dicarunt.

III. Nonnulla de hujus Celebritatis origine.

IV. In omnes Chriſtiani orbis regiones introducta.

V. VI. Vetus Eccleſia rem Divinam quotannis fecit, tam pro Martyribus, Deo gratias agendo, quàm pro cæteris in ejus ſocietate mortuis, quod Tertulliani, & S. Cypriani auctoritate confirmatur.

VII. Idem Sancti Gregorii Nazianzeni verbis evincitur.

VIII. S. Odilo circiter annum à nato Servatore milleſimum primus auctor Commemorationis Omnium Defunctorum.

IX. Sacrificia pro mortuis Divinorum Codicum auctoritate nituntur; quanquam, Auguſtino docente, unius Eccleſiæ inſtitutum ſatis eſſet.

X. XI. Auguſtinus meminit Sacrificiorum, quæ facit Eccleſia non tantùm pro quovis mortuo ſingulatim, verùm etiam pro omnibus universè, tam conſolando eos qui propinquis deſtituuntur, quàm omnes juvando, quum lateat quibuſdam Sacrificia prodeſſe poſſint.

XII. S. Auguſtini ætate vetus hoc erat Eccleſiæ inſtitutum.

XIII. Omnia Jeſu Chriſti membra quæ ejus ſpiritu vivunt, partes ſunt Sacerdotis immolantis & victima oblata in Eccleſiæ Sacris. Fieri ergo non poteſt, quin hæc piè mortuos juvent. Veterum Liturgiarum preces pro Defunctis omnibus.

XIV. Solidiſſimis hiſce fundamentis innititur Commemoratio Omnium Defunctorum.

XV. Id huic Commemorationi commune eſt cum Solenniis Trinitatis, Corporis Chriſti, & Omnium Sanctorum, quod inſtauratio quædam ſit quotidianæ pietatis & religionis.

XVI. Iidem Græcorum mores. Exemplum magni Theodoſii plurimorum Monachorum parentis. Patres de ejus rebus geſtis nos addubitare non ſinunt. Sancti adſunt dum oramus & Sacris operamur.

XVII. Aliæ Græcorum conſuetudines.

XVIII. Sabbatis quibuſdam impenſiùs vacabant precibus pro mortuis, ut Latini.

XIX. Antiochiæ, die magnæ Paraſceves ſtatæ preces Eccleſiæ celebrabantur in Æde Martyrum, & Cœmeterio, ut quilibet pro mortuis oraret.

I. SAncti Cypriani ætate anniverſaria Martyrum Solennia agebantur, Sacro Euchariſtiæ pro gratiarum actione facto: *Sacrificia pro eis, ut meminiſtis, ſemper offerimus, quoties Martyrum paſſiones & dies anniverſaria commemoratione celebramus.* Potuerunt quidem omnes ſimul Martyres eadem Celebritate quotannis coli; ſed veritati magis conſentaneum videtur, ſingulatim uniuſcujuſque Solennia celebrata eſſe eo die, ac loco, ubi ſuppliciis affecti fuerant, quum Cyprianus idem adnotari juſſerit eorum dies emortuales. Illud quoque contingere potuit, ut plures eodem die necarentur, & ut quotidie Martyres aliquot occumberent, ut eos mittamus quorum Martyrii tempus, & nomen ipſum latebat. Oportuit igitur ut Eccleſia anniverſariis diebus ſtrenuos hoſce Chriſtianæ militiæ doces veneratа, aucto in dies eorum numero, omnium generatim Celebritatem quandam perageret. Id Bonifacius IV. Rom. Pont. præſtitit, dedicando ſub Deiparæ & Martyrum auſpiciis ampliſſimum Romanorum Templum Pantheon nuncupatum.

Epiſt. 34. Epiſt. 36.

II. Vix aliud ſupererat veteris ſuperſtitionis tam illuſtre monumentum. Celeberrima delubra Serapidis Alexandriæ, Marnæ Gazæ, Cœleſtis Carthagine, & Jovis Capitolini Romæ Chriſtiani everterant, ut omnis, quoad ejus fieri poſſet, Idolorum memoria oblitteraretur. Extat Lex Theodoſii Junioris, qua conſtituit ut omnia Ethnicorum fana ſolo æquentur, erectis ſuper eorum rudera Crucibus. Hæc prioribus illis ſæculis neceſſaria viſa ſunt, quum recentes Chriſtiani, qui Idololatriæ repudium remiſerant, rerum potirentur. Ita primùm ſe geſſit Magnus quoque Gregorius; ſed animadvertens nulla ampliùs impendere mala ob Idololatriam penitùs profligatam, fas eſſe cenſuit Deum coli in iiſdem Templis, Idolis quondam extructis, ut in iiſdem triumphi celebrarentur de proſtrata impietate; quod conſtat ex Litteris hujus Pontificis de nova Angliæ Eccleſia.

Cod. Theod. L. 25. de Paganis. L. 9. ep. 71.

III. Pantheon ipſum everſum fuiſſet Lege Theodoſii Junioris, niſi ei Honorius Imperator interceſſiſſet teſtatus ſe ſarta tecta ſervanda curare illuſtria hæc, non impietatis, ſed vetuſtatis, artiſque monumenta: *Sicut Sacrificia prohibemus, ita volumus publicorum operum monumenta ſervari.* Mirandum igitur artis excellentiſſimæ opus affabrè revera factum Divino cultui, & Martyrum honori dicatum eſt. Baronius veteres Templi hujus Codices evolvens comperit, Bonifacium viginti octo plauſtra, Martyrum oſſibus, & exuviis onuſta illuc miſiſſe, ac tum dedicatam fuiſſe Ædem ſub auſpiciis Genitricis Dei, Martyrum omnium & Confeſſorum. Ita ſe habet origo Celebritatis omnium Sanctorum, de qua paucis agunt Romanæ Eccleſiæ faſti: *Romæ dedicatio Eccleſiæ Sanctæ Mariæ ad Martyres, quam beatus Bonifacius Papa Quartus, expurgato Deorum omnium veteri fano, quod Pantheon vocabatur, in honorem beatæ ſemper Virginis Mariæ, & omnium Martyrum dedicavit, tempore Phocæ Imperatoris.*

Cod. Theod. de Pagan. l. 15. Tertio Id. Maji.

IV. Solennia iſtiuſmodi Urbis propria videri poſſint, quemadmodum Pantheon, & tanta ſacrarum Reliquiarum copia; ſed invectæ ſunt in alias Chriſtiani orbis Provincias, quòd ubique recolenda eſſet memoria quorundam Martyrum, vel Confeſſorum minùs cognitorum. Neque Capitularia, neque Feſtorum dierum ſyllabi ante Carolum Magnum, hujus Celebritatis uſquam meminerunt. Scribit Sigebertus à Gregorio IV. Rom. Pont. in Gallia degente, anno 835. admonitum Ludovicum Pium hujus fuiſſe, qui accedente Epiſcoporum voluntate edixit, ut hæc Solennia obſervarentur: *Tunc monente Gregorio Papa, & omnibus Epiſcopis aſſentientibus, Ludovicus Imperator ſtatuit, ut in Gallia & Germania Feſtivitas Omnium Sanctorum in Calendis Novembribus celebraretur, quam Romani ex inſtituto Bonifacii Papæ celebrant.* Hilduinus Abbas, anno 862. eandem ſolenniſſimam exiſtimavit: *Miſſa S. Petri, Aſſumptione Sanctæ Mariæ, Nativitate ejuſdem, Feſtivitate Omnium Sanctorum.* Celebrata demum eſt ab omnibus Occidentis Eccleſiis, & quidem diebus octo, edicto Sixti IV. Rom. Pont. anno 1480.

Mabil. de re diplom. p. 537.

V. Idem ferè dicendum videtur de Commemoratione Omnium Defunctorum. Orat enim Eccleſia pro omnibus filiis ſuis minimè perduellibus, dum piè mortem obeunt; atque ita precando, vel in ſuppetias venit, ſi qui egeant, vel gratias agit pro cæteris beatam vitam adeptis. Utrumque Commemorationis genus complexus eſt Tertullianus plures veterum Traditiones recenſens, Libro de Corona militis: quum enim ait: *Pro*

Nata-

Digitized by Google

Natalitiis annua die facimus, de Martyrum Solenniis loquitur; quum verò, *Ex majorum traditione pro defunctis annua die facimus*, de cæteris demortuis, pro quibus rem Divinam facit Eccleſia anniverſario obitus die.

VI. Longè aliter ſentiendum eſt de iis qui anathemate diris devovebantur; vivi enim ab aris & Eccleſiæ ſocietate arcebantur; poſt mortem verò, neque eorum nomina recitari, neque oblationes in Sacrificiis recipi debuerunt; qui ſermo eſt frequens à Patribus & Conciliis uſurpatus. Cæteris miſſis quæ plurima adduci poterant, unius Cypriani verba in medium proferam. Quum enim reſciviſſet quendam, cui nomen Victori, Presbyterum liberorum tutorem Teſtamento inſtituiſſe, ei, quanquam mortuo, interdixit Communione Eccleſiæ, edixitque ne qua ejus oblatio in Sacrificio offerretur, vel nomen adhiberetur, quòd ſacrum faciendum non eſſet pro requie illius qui
L. 1. ep. 9. Sacerdotes ab Altari abduceret: *Quod Epiſcopi anteceſſores noſtri religioſè conſiderantes & ſalubriter providentes, cenſuerunt ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret, ac ſi quis hoc feciſſet non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim ad Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes & Miniſtros ſuos Levitas avocari voluit &c. Ideò nec pro dormitione ejus fiat apud vos oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Eccleſia frequentetur.*

VII. En apertè preces, oblationes, Sacrificia pro mortuis in Eccleſiæ Societate. S. Gregorii Nazianzeni funebris Oratio in Cæſarium fratrem commemorat anniverſarios honores & oblationes:
Orat. 10. *Atque alia quidem perſolvimus, alia verò dabimus, anniverſarios honores & commemorationes offerentes τὰς δι᾽ ἔτους προσφέροντες τιμάς τε καὶ μνείας, ii quidem certè qui ſuperſtites erunt. At tu divinum ſacrum caput utinam Cælos penetres, atque in Abrahæ ſinu, quicunque tandem ille eſt, conquieſcas, & Angelorum choream ac beatorum virorum gloriam & ſplendorem ſpectes.* Hæc ſacra anniverſaria ſunt pro mortuis, quibus æternam felicitatem precabatur Eccleſia, & ſi ea adhuc non potiebantur, orando & Sacrum faciendo opem ferebat.

VIII. Minimè tamen comperimus, Patres Synodoſque conſulentes, rato aliquo die Omnium generatim Defunctorum Commemorationem, preceſque pro omnibus illis, ac Sacrificia; quod tamen factum oportuit, ut in Celebritate Omnium Sanctorum conſimili ferè modò uſuvenit. Fertur omnium primus auctor S. Odilo Cluniacenſis Abbas ritum hunc in ſua Cœnobia invexiſſe, anno 998. probatum à Pontificibus Maximis, & in quaſvis Eccleſias introductum. Ita Petrus Damianus in ejus rebus geſtis: *Venerabilis Pater Odilo per omnia Monaſteria ſua conſtituit generale decretum, ut ſicut primo die menſis Novembris, juxta univerſalis Eccleſiæ regulam, Omnium Sanctorum Solennitas agitur, ita ſequenti die in Pſalmis & eleemoſynis, & præcipuè Miſſarum Solenniis, omnium in Chriſto quieſcentium memoria celebretur.*

IX. In hunc modum complures Feſti dies privato quodam pioque ſtudio Monachorum & Eccleſiarum primùm inſtituti, ab univerſa Eccleſia poſt diuturnum examen celebrati ſunt. Libri Eccleſiaſtici Antiphonarum Canonicas preces pro Defunctis complectebantur, ut patet ex Amalario; ſed ante Odilonis tempora adhibebantur tantùm dum aliquis è vivis exceſſiſſet. Tanti facienda eſt Eccleſiæ auctoritas in id genus rebus, ut hæc una ſatis eſſet pro vindicandis Defunctorum Commemorationibus, precibus, Sacrificiis, quamvis nihil in Divinis Machabæorum Libris idem aſſerentibus, extaret. Ita S. Auguſtinus: *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium.*
L. de Cura pro mort. c. 1.
Sed etſi nuſquam in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parva eſt Eccleſiæ univerſæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.

X. Præterea Patribus duplex genus precationum Sacrorumque pro mortuis perſpectum erat: primum pro ſingulis vel aliquo ſigillatim. Ita Tertullianus dum virum alteram uxorem ducentem exagitat, & Sacrificii pro utraque poſt mortem faciendi meminit: *Stabis ergo ad Deum cum tot uxoribus, quot illas oratione commemoras, & offeres pro duabus, & commemorabis illas duas per Sacerdotem de Monogamia.* Et alibi, *Offerat annuis diebus dormitionis ejus.* S. Auguſtinus pariter memoriæ prodidit optimam ejus matrem animam agentem optaſſe in Sacrificiis nominari: *Tantummodo memoriam ſui ad Altare tuum fieri deſideravit &c. Inſpira Domine famulis tuis ut quotquot hæc legerint meminerint ad Altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam ejus conjuge.* Docet quoque prodeſſe mortuis precationes, Sacra, & eleemoſynas, in Enchiridio, *Neque negandum eſt Defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, quum pro illis Sacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt.*
Exhortat. ad Caſtitat.
L. de Monogam.
Confeſſ. l. 9. c. ult.
C. 109. 110.

Alterum genus eſt, quum omnes univerſè mortui commemorantur ab Eccleſia rationem habente eorum maximè, quibus nulli ſunt propinqui vel neceſſarii qui eis ſtudeant. Ita Auguſtinus: *Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana & Catholica ſocietate defunctis etiam tacitis nominibus quorumcumque, ſub generali Commemoratione ſuſcepit Eccleſia; ut quibus ad iſta deſunt parentes aut filii, aut quicunque cognati vel amici, ab una eis exhibeantur pia matre communi.* Orabat ergo Eccleſia & ſacris operabatur pro omnibus etiam defunctis generatim, neminem in ejus ſocietate mortuum rejiciendo, ante Auguſtini tempora. Addit Sanctus Antiſtes quoſdam, poſtquam è medio exceſſerunt, æterna requie ac voluptate frui, illiſque minimè neceſſaria eſſe Sacrificia, quoſdam gravioribus ſceleribus obſtrictos deceſſiſſe, quibus minimè adjumento ſunt: ſed quum hæc lateant, plurimi verò leviorum criminum labe adſpergantur, pro omnibus orare Eccleſiam, & ſacra facere: *Non exiſtimemus ad mortuos pervenire, niſi quod pro eis, ſive altaris, ſive orationum, ſive eleemoſynarum Sacrificiis ſolenniter ſupplicamus. Quamvis non, pro quibus fiunt, omnibus proſint, ſed iis tantùm quibus dum vivunt comparatur ut proſint. Sed quia non diſcernimus qui ſint, oportet pro regeneratis omnibus facere, ut nullus prætermittatur eorum, ad quos hæc beneficia poſſint & debeant pervenire. Melius enim ſupererunt iſta, quibus nec obſunt, quàm eis deerunt quibus proſunt.*
De Cura pro mort. c. 4.
C. ult.

XII. Conſtat denique ex eodem vetus fuiſſe Majorum inſtitutum Defunctis omnibus ea ratione opem ferre: *Hoc à Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia, ut pro eis qui in Corporis & Sanguinis Chriſti Communione defuncti ſunt, quum ad ipſum Sacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Quum verò eorum commendandorum cauſa, opera miſericordiæ commendantur, quis eis dubitet ſuffragari?*

XIII. Non abs re fuerit paulò diligentiùs animadvertere, Auguſtinum non uſurpare vulgatum Patrum Sermonem; illi enim de mortuis in Eccleſiæ ſocietate loquuntur, hic de mortuis in Communione Corporis & Sanguinis Domini: *Pro eis qui in Corporis & Sanguinis Chriſti Communione defuncti ſunt.* Porrò eadem eſt horum omnium

nium verborum vis; etenim Eccleſia eſt Corpus Chriſti, & Eccleſiæ ſocietas Euchariſtiæ vinculo potiſſimùm continetur. Sed operæ pretium eſt adnotare cunctos à Chriſti corpore minimè ſegregatos, ſive hujus lucis uſura fruantur, ſive ſupremum diem obierint, Servatoris noſtri membra eſſe, & ad Euchariſtiam, Corpuſve Domini pertinere, offerentia Divinam illam hoſtiam, & cum ea immolata: neque enim alia ibi eſt victima, alius Sacerdos. Id Patres docuerunt, quo fit ut Eccleſiæ filiis, quamvis à crimine puris, proſit ſemper Divinum Sacrificium. Quapropter in antiquioribus Liturgiis, Romana præſertim, poſt preces pro ſingulis, aliæ adhibentur pro omnibus tam vivis, quàm mortuis: *Ipſis Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, lucis, & pacis, ut indulgeas deprecamur, per Chriſtum Dominum noſtrum.*

XIV. Fatemur hoc idem non eſſe atque ſolennem ſtatamque Commemorationem Omnium Defunctorum; hujuſmodi tamen fundamentis nititur. Nam quum in Eccleſiæ primordiis preces & Sacra pro mortuis tam ſingulatim quàm universè inſtituta eſſent, & in quibuslibet Liturgiis Defunctorum generatim memoria recoleretur, ecquiſnam dubitaverit quin jure ſtatus dies præſtitutus ſit, ut hæc Chriſtianæ ſocietatis officia conſultò & majore pietatis ſtudio exercerentur?

XV. Celebritati huic commune eſt cum Solenniis Omnium Sanctorum, Trinitatis & Euchariſtiæ quòd recolatur ſtato quodam die id quod agitur quotidie. Feſto quolibet die maxima veneratione proſequimur Trinitatem, præſertim Euchariſtiæ Sacro, in quo Servator noſter cum Sanctis omnibus, generatim ſaltem nominatis, victimam & Sacerdotem agit: ut dum celebrantur Solennia Trinitatis, Euchariſtiæ, & Omnium Sanctorum, excitatur magis torpens pietas, & vires veluti inſtaurantur, ut diebus cæteris in ea ſtudia nervum omnem intendamus. Ita ſolennis Commemoratio Defunctorum non admonet officii noſtri, ut eorum quotidie recordemur, & eos precibus Sacriſque magis juvemus.

XVI. Ad Græcos veniamus, de quibus hactenùs verbum vix fecimus. Sanctus Theodoſius parens tot illuſtrium pietate Monachorum, anno 530. Sepulchrum extruendum curavit ab aſſeclis ſuis, ubi cum ipſis conderetur. Constructo tumulo ſciſcitatus eſt num quis eorum dedicare illum vellet. Sanctus quidam Monachus Baſilius vocatus præſto fuit paratus ad Ædem dedicandam,
Bolland. 11. Jan. p. 688. cui, Theodoſio jubente, cuncta præſtita ſunt quæ adhiberi ſolent dum mortuis juſta ſolvuntur, tertio, nono, & quadrageſimo ab obitu die: *Et ipſum quidem habuit ſepulchrum. Jubet autem Pater omnia fieri quæ lex vult fieri mortuis, tertianas inquam, & novenas, & conſequenter etiam quadragenas.* His peractis, Baſilius ne leviore quidem morbo conflictatus deceſſit è vita, interfuit tamen totos quadraginta dies nocturnis precationibus, à Theodoſio viſus & auditus dum caneret Divinas laudes. Eum alius quidam Monachus exaudivit, neutiquam tamen conſpicere potuit, niſi ſemel Theodoſii rogatu. Poſteà neutri conſpicuum ſe præbuit; neuter ejus vocem ampliùs audire ſibi viſus eſt. Hæc quidem ad Religionis doctrinam non pertinent; id probè tenemus: non tamen à ſapientibus viris continuò rejicienda ſunt. Qui verſatus eſt in Operibus Cypriani, Auguſtini, Ambroſii, Hieronymi, Gregorii Nyſſeni, Baſilii, & Athanaſii, minimè dubitabit quin Patres pluribus id genus rebus, teſtibuſque fidem habuerint. S. Auguſtinus nonnulla magis admiratione digna memoriæ prodidit; neque committendum eſt ut impudenter præſtare nos arbitremur Eccleſiæ Patribus.

Hæc adnotaſſe non pigebit quæ commemoravit auctor S. Theodoſii æqualis. Perſpicuum hinc eſt vetus inſtitutum orandi pro mortuis, ratis quibuſdam diebus; ſed majoris momenti videntur pro vivo peracta eſſe quæ propria erant eorum qui mortem obierant; mortuum verò precibus Sacriſque unà cum vivis interfuiſſe: hæc enim nos admonent, Sanctos, quanquam æterna requie fruuntur, adeſſe nobiſcum Divinis laudibus & Sacrificiis, & exaudiri à nobis quandoque, & mentis acie conſpici. Unum eſt igitur Eccleſiæ corpus ex utriſque coactum, & meritò in Eccleſiæ precibus omnium fit mentio.

XVII. Nec minùs ſcitu dignum eſt quod narrat auctor Vitæ S. Joannis Eleemoſynarii Archie- C. 14.
piſcopi Alexandrini. Propinqui cujuſdam qui mortuus eſſe ferebatur, quamvis adhuc viveret, ter Vitæ PP. Roſv. p. 192.
quotannis precibus & oblationibus opem illi ferebant, diebus videlicet Theophaniæ, Paſchatis, & Pentecoſtes: *Faciebant ei tres collectas per ſingulos annos, Sanctis Theophaniis, & Dominica Sancta, & ſancta Pentecoſte.* Magna voluptate perfuſus in hunc locum incidi; quandoquidem tantum abeſt pugnare Feſtos dies cum Commemoratione Defunctorum, ut privatæ preces quæ diebus quibuſvis adhiberi potuerunt, rejectæ ſint in tres illas maximas Celebritates. Id intelligendum eſt de Dyptichis, ſeu, ut nunc ſunt mores, de Commemoratione Defunctorum in pre- Can. 50.
cibus vocatis *Memento &c.* Haud ſcio an Balſamonis ſcholium in Canonem quendam Synodi Laodicenæ huc ſpectet. Adnotat enim conſtituere Synodum, ut ne abſtinentiæ diebus in Quadrageſima, Solennia Martyrum celebrentur; ſed Sabbatis & Dominicis dumtaxat diebus eorum Commemoratio fiat; & idcircò ne Defunctorum quidem memoriam agendam eſſe niſi Sabbatis. *Nota ergo ex præſenti Canone quod nec defunctorum quidem ſunt memoriæ tota Quadrageſima, præterquam Sabbato.* Ex Balſamone ergo Sabbatis, quibus apud Græcos jejunium Quadrageſimæ non colebatur, & propterea Feſti dies dicenda erant, Defunctorum Commemoratio fiebant. Hinc Nicephorus Gregoras ait primo Quadrageſimæ Sabbato commemorandos eſſe Imperatores & Patriarchas de- L. 8.
mortuos: *Primo Quadrageſimæ Sabbato, quum poſtridie Orthodoxorum Imperatorum & Patriarcharum memoria proclamanda eſſet.* Quod Pachymeres confirmat agens de Andronico Palæologo: L. 4. c. 1.
Veſpere Paraſceves, quando jam ex more antiquo ad commemorationem mortuorum faces accendebantur &c. Sermo erat de menſe Februario, in quem ſæpiùs incidit Quadrageſima.

XVIII. Gennadius quoque Patriarcha Byzantinus in Libro de Purgatorio fatetur Græcos pro mortuis orare quibuslibet Sabbatis, iis maximè quæ antevertunt Dominicos dies Quinquageſimæ & Pentecoſtes: *Adhuc & vos ſine intellectu eſtis & non cognoviſtis Chriſti Eccleſiam ſemper orare pro iis qui dormierunt, & per omne Sabbatum memoriam facere ſolitam animarum. Prætereàque bis in anno panegyrin celebrare Commemorationis animarum; nimirum Sabbato præcedente Dominicam carniſprivii, & Sabbato ante Pentecoſten.* Ita Gennadius in Apologia edita pro Florentina Synodo. Græci igitur pro mortuis rem Divinam faciebant, vel generatim quotidie in quovis Sacro, vel magis ſingillatim unoquoque Sabbato, maximè Quadrageſimæ, vel denique ritu ſolenniore duobus illis Sabbatis ante Quadrageſimam & Pentecoſten. Porrò eadem de cauſa utramque Defunctorum Celebritatem peragi ait, videlicet ut ratio haberetur eorum qui propinquis & neceſſariis deſtituuntur: *Hoc eo fit ut ſimul omnes comprehendant, & eos qui cognatos habent qui curam de iis ſuſcipiant, & qui non habent; ut & ipſi cum omnibus in commune hujus ſubſidii participes efficiantur.*

XIX.

XIX. Si rem altiùs repetamus, comperiemus Sermonem à Chryſoſtomo habitum eſſe die Sanctæ Paraſceves in Cœmeterio non longè ab urbe Antiochia, ubi Ædes Martyrum conſtructa fuerat. Intelligimus ex Sancto Antiſtite ſacrum Conventum cogi ſolitum die Paraſceves illius in eo Templo, quòd plura mortuorum corpora illic condita eſſent; ipſemet verò Jeſus Chriſtus mortem occubuiſſet, ut mortuis ſuppetias ferret: quum verò poſt Servatoris ſupplicia, eumque in Crucem ſublatum, mors Sanctorum ſomno ſimillima videretur, propterea locum ejuſmodi meritò vocatum fuiſſe Cœmeterium: *Cujus gratia in hoc Martyrio congregamur, non in alio? Etenim Divino munere quocumque ex latere urbs noſtra Sanctorum Reliquiis circumdatur. Cujus gratia hic, non in alia Martyris alicujus Eccleſia nos convenire Majores noſtri voluerunt? Quia hic mortuorum multitudo ſita eſt. Quum igitur hodie Dominus ad mortem deſcenderit, ea de cauſa hic colligimur. Ob id ipſe etiam locus Cœmeterium appellatus eſt, ut diſcas mortuos, & eos qui hic ſiti ſunt, non mortuos, ſed ſomno conſopitos eſſe, at dormire. Nam ante Chriſti adventum mors mortis nomen habebat. At poſtquam Chriſtus venit, & pro mundi vita mortem ſubiit, non amplius vocatur mors, ſed ſomnus & dormitio.* Manifeſtæ ſunt igitur publicæ Eccleſiæ preces pro mortuis omnibus magnæ Paraſceves die. Illud autem Cœmeterium Martyrum Sacello finitimum religionis illius argumentum eſt, de qua egit S. Auguſtinus in Tractatu, *de Cura pro mortuis habenda*. Enimverò quivis optabat condi vel in ſacris Ædibus Martyrum, vel propè illas, ut eorum auſpiciis frueretur, & precibus quoque illorum qui ad inviſenda & colenda Martyrum lipſana undique confluebant.

T.5.p.481.

CAPUT XXII.

De Celebritatibus S. Michaelis, Angelorum Cuſtodum, aliorumque Sanctorum Spirituum. De nonnullis aliis diebus Feſtis.

I. Cerinthiani Heretici modum nullum adhibebant in Angelorum cultu. Explanatio verborum S. Pauli, quæ omnem Angelorum cultum convellere videntur.

II. Iidem Cerinthi ſectatores Sacella in honorem Sancti Michaelis dedicaverunt. Cur Eccleſia ea evertenda minimè curaverit.

III. Aſſerit Sozomenus extitiſſe Templa quædam S. Michaelis ubi miracula patrabantur. Modus in Angelorum cultu adhibendus.

IV. Rurſum Sozomenus expenditur.

V. Interpretatio Canonis Laodicenæ Synodi de Angelorum cultu.

VI. Quid de eo ſenſerit S. Hilarius.

VII. Quid S. Ambroſius.

VIII. Idem ſentiendum eſt de Angelis quod de Trinitate, Euchariſtia, & Celebritate Sanctorum Omnium. Ante inſtitutionem iſtarum Solemnium colebantur generatim omnibus Feſtis diebus.

IX. Cultus Angelis in Oriente exhibitus.

X. S. Michael conſpiciendum ſe præbet in Occidente: ejuſdem ibidem Templa, & ſtata Solemnia.

XI. Feſti dies Sanctorum Angelorum Cuſtodum, S. Annæ, S. Joachimi, & S. Joſephi.

XII. Sancti quorum ſeriùs inſtitutæ ſunt Celebritates, cultus aliorum minimè expertes fuerunt, ob maximam eorum ſocietatem, & conjunctionem.

XIII. XIV. Id rationum momentis confirmatur, maximè quod ſpectat cultum Angelorum.

I. PEſtes illæ humani generis, & hæreſum parentes, Cerinthus & Simon Magus, ut conſtat ex Tertulliano, S. Epiphanio, & Theodoreto, arbitrati ſunt Angelorum cultum omninò neceſſarium eſſe, ut paulatim mentis aciem intendamus in Deum, quem aliter nulla penitùs ratione aſſequi poſſemus: eſſe quoque grati animi argumentum ob latam eorum ope Legem veterem, cui obnoxios nos eſſe perperam contendebant. Vix quicquam dici potuit magis injurioſum in humani generis Reparatorem, qui nos à Legis captivitate in libertatem vindicavit. Ut graſſanti errori occurreret Paulus ad Coloſſenſes ſcribens, eos admonet ne committant ut decipiantur fucata pietatis ſpecie & ſuperſtitione, Angelos ita colendo, ut abducantur à Chriſto qui ſolus Angelorum & hominum caput eſt, & apud Patrem ſequeſter: *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & Religione Angelorum &c. Non tenens caput &c.* Ita Theodoretus ea verba interpretatur: *Qui Legem defendebant, eos etiam ad Angelos inducebant, dicentes Legem fuiſſe per eos datam. Manſit autem perdiu hoc vitium in Phrygia & Piſidia. Proinde Synodus Laodicena Lege prohibuit Angelos orare; τοῖς Ἀγγέλοις προσέχειν. Et in hodiernum uſque diem Oratoria Sancti Michaelis apud illos illorumque finitimos videre eſt. Illi ergo humilitate ducti ſuadebant hæc fieri, dicentes univerſorum Deum nec cerni, nec attingi, nec comprehendi poſſe, & oportere per Angelos Divinam ſibi benevolentiam conciliare.*

Tertull. de Præſcr. c.5. Epiphan. hæreſ.28. Theodor. in epiſt. ad Coloſſ.

Cap.2.

II. Cerinthi aſſeclæ diu in Phrygia ac Piſidia morati Sacella S. Michaelis extruxerant, quæ Theodoreti ætate conſpiciebantur; non tamen ex eo liquet Hæreticine an Catholici illis potirentur Michaelem ritè colentes, an verò ædes tantùm ſupereſſent ſine ullis religionis veſtigiis. Primum ſentire minimè viſus eſt Theodoretus teſtatus diuturno morbo laboraſſe Phrygiam atque Piſidiam; *Manſit perdiu hoc vitium*. Non ait manere adhuc, quod dicere debuit, ſi ita rem ſe habere exiſtimaſſet, in ejuſmodi nempè Provinciis ſerpere hæreſim ab antiquis temporibus. Neque ait Catholicos ſibi vindicaſſe Sacella Sancto Michaeli, aliàs à perditis illis hominibus ædificata. Videtur igitur poſtremæ ſententiæ acceſſiſſe, ſublato ſcilicet quovis uſu extare tantùm ſuperſtitionis monumenta. Itaque quanquam Idolorum fana disjiciebantur temporibus illis, nec Chriſtiano ritu expiata dedicabantur, tamen Sacras Ædes Michaelis everti oportere neceſſarium non videbatur, quòd Angelorum cultus impietatem non redoleat, modò abſit abuſus & error Hæreticorum ſentientium eos potiùs quàm Jeſum Chriſtum viam eſſe qua ad Patrem itur. Neque ergo diruenda erant Sacella Sanctorum Angelorum, quaſi malorum Dæmonum delubra fuiſſent, neque colendi Angeli tum quum eorum religio ob nebulonum illorum deliria recenti invidia flagraret.

III. Neque aliud ſentire potuit Theodoretus, quando ejus ætate viſebatur propè Conſtantinopolim *Michaelium*, ſive S. Michaelis Templum ubi complura miracula patrabantur. Sozomenus teſtis eſt omni exceptione major, utpotè qui horum in ſe periculum fecit, Archangelo opitulante. Plurima recenſet, maximè quod contigit cuidam Imperatorum medico quondam Idololatræ, poſteà Chriſtiano, qui tamen vix animum inſtituere poterat ad cogitandum Crucem ſalutis noſtræ originem eſſe. Podagra laborabat, & priſtinæ ſaluti ibidem reſtitutus fuit; ſed ut ſcrupulus omnis ex ejus mente evelleretur, videre ſibi viſus eſt Crucem in ara ejuſdem Templi dedicatam, & audire vocem monentem nihil vel Angelos vel homines efficere potuiſſe quod hominum ſaluti conduceret ſine Crucis præſidio, poſtquam Divino Chriſti Sanguine conſperſa eſt: *Iſtud utiquam probabat* L.2.c.3.

babat quòd Crux ſalutis omnium cauſa extitiſſet. Huic ita ſentienti Divina Viſio oblata Crucis ſignum oſtendit, quod in Altari ſupradicta Eccleſia erat dedicatum; palamque affirmavit, ex quo crucifixus fuiſſet Chriſtus, eorum quæ ad communem humani generis utilitatem, aut ad privatum quorundam commodum facta eſſent, nihil abſque veneranda Crucis potentia, ſeu divinos Angelos, ſeu pios homines perpetraſſe.

IV. Patet ergo adeſſe nobis Angelos, & ad eos confugiſſe homines in ipſis Angelorum Templis uſque à Quinto Eccleſiæ Sæculo: Verùm Servatoris dumtaxat & Crucis poteſtate freti nos juvant. Hujuſmodi cultus nullam redolet ſuperſtitionem; idque palam Eccleſia teſtata eſt, ſublato quovis abuſu & errore Ethnicorum, atque Hæreticorum. Nam, ne ex eodem Sozomeno conſtat, Idololatræ quoque Angelos coluerunt prophanis ſacris in iiſdem Palæſtinæ locis, quod minimè ferendum erat, ubi Patriarchis quondam conſpicui adfuerant:
Ibid. c. 4. *Hoc Feſtum maxima hominum frequentia celebratur, Judæorum, quod in eo loco Filium Dei unà cum duobus Angelis contra Sodomitas miſſis Abrahamo apparuiſſe, & Filium ei naſciturum prædixiſſe verax hiſtoria teſtatur: Gentilium verò, eò quòd illuc Angeli advenerint &c. Chriſtianorum, eo quòd illic apparuerit is qui poſtea ex Virgine natus eſt.* Conſtantinus poſtquam id reſcivit, impiam aram ibidem extructam dirui juſſit, & Eccleſiam ædificari à Phœniciæ Epiſcopis. Hæ tantùm Angelorum aræ evertendæ erant propter Ethnicorum religionem & Sacrificia. Alii fuerunt Cerinthianorum mores, propterea eorum Altaria dirui non oportuit. Fortaſſe annis conſequentibus iſtiuſmodi Ædes Chriſtiano ritu dedicatæ ſunt; probavit enim Eccleſia cultum & Templum S. Michaelis non longè ab urbe Conſtantinopoli; idque uſque eò colebatur, ut Divinum etiam prodigiorum teſtimonium accederet: *Locus eſt qui nunc Michaelium vocatur &c. Eam appellationem ideò ſortitus eſt quòd divinus Michael Archangelus illic apparere creditur. Idque ipſe quo-*
P. 43. 59. 60. *que maximo affectus beneficio veriſſimum eſſe teſtor.* Meminit Codinus plurium Eccleſiarum Sancti Michaelis Conſtantinopoli extructarum à Zenone Imperatore, & Ariadne conjuge, & à Juſtino, cæteris recentioribus Templis miſſis. Hujuſmodi ædes meritò conſtructæ ſunt, impiis illis ſolo æquatis, quas Ethnici polluebant prophanis Sacris, *Boyem, vel hircum immolantes.*

V. Proferendus eſt in medium Canon Synodi Laodicenæ à Theodoreto memoratus: *Quod non oportet Chriſtianos relicta Dei Eccleſia abire &*
Can. 35. *Angelos nominare, & vel congregationes facere, quod eſt prohibitum. Si quis ergo inventus fuerit huic occultæ Idololatriæ vacare, ſit anathema; quia reliquit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & acceſſit ad Idololatriam.* Qui à Synodo condemnantur, deficiebant ab Eccleſia, Schiſmaticos conventus cogebant, & Angelos impiè colebant, ac modò non Jeſum Chriſtum valere jubebant, quo fit ut hactenùs dicta ſatis confirmentur. Quod pertinet ad Angelorum nomina, trahitur ad preces à Theodoreto, ſed aliter ex Capitularibus Caroli Magni poſſumus interpretari. Nam quum ejus ætate Hæretici nonnulli abdita quædam Angelorum nomina excogitaverint, præter tria illa ex ſacris Litteris nulli non nota, quæ inſomnia ſunt ſortilegorum Idololatriæ ſtudentium, Galliæ Præſules exectati ſunt hujuſmodi voces recens invectas, ut Laodicenæ Synodo morem gererent. *In Lao-*
Cap. l. 1. c. 16. *diceno Concilio præcipitur ut ignota Angelorum nomina nec fingantur nec nominentur, niſi illorum quos habemus in auctoritate. Hi ſunt Michael, Gabriel, Rhaphael.*

VI. Fieri quoque potuit ut in Oriente parciùs Angelos venerata fuerit Eccleſia; verebatur enim, ut conjicimus, ne animi in hæreſi obfirmarentur. At in Occidente, cui vix aliquid mali Hæretici adflaverant, Latini Patres apertè magis egerunt de precibus, & cultu Angelorum. Oſtendit S. Hilarius non quidem Deum, ſed nos, propter imbecillitatem noſtram, eorum præſidio indigere: *Interceſſione itaque horum non natura Dei indiget,* In Pſ. 129. *ſed infirmitas noſtra &c. Infirmitate noſtra ad rogandum & promerendum ſpiritalis interceſſionis miniſterio indigente.* Quum igitur illis egeamus, præſto ſint oportet, quamvis minimè conſpicui, opem laturi: *In omnibus periculis ſi fides maneat* In Pſ. 137. *in nobis adeſt ſpiritalium virtutum defenſio.* Confirmat autem Jeſu Chriſti verbis, preces hominum, puerorum etiam, à ſanctis Angelis Deo exhiberi: *Angeli enim ſemper vident faciem Pa-* In Matth. c. 18. *tris. Periculosè ille contemnitur cujus deſideria ac poſtulationes ad inviſibilem Deum, & æternum, ambitioſo Angelorum famulatu ac miniſterio pervehuntur.*

VII. Sanè Angeli quum pro nobis intercedant, noſque tueantur, orandi ſunt ut nobis adſint. Ita Sanctus Ambroſius qui de eorum patrocinio minimè egiſſet, niſi Eccleſia facem prætuliſſet moribus ſuis: *Eliſæus vidit Angelorum millia.* Orat. in Aux. de Baſil. trad. *Advertis ut ſervulos Chriſti ii magis cuſtodiunt qui non videntur, quam qui videntur. Sed & illi ſi cuſtodiunt, veſtres cuſtodiunt orationibus advocati.* Alibi quoque: *Obſecrandi ſunt pro nobis Angeli, qui nobis ad præſidium dati ſunt.* Nec deſunt Patres ac veteres Scriptores Græci & Latini confirmantes morem hunc invocandi Angelos, quod neutiquam præſtitiſſent, niſi Eccleſia ad eorum quoque præſidium publicis precibus confugiſſet, & ante eorum Templa conſtructa, & Feſtos dies indictos, eorundem opem imploraſſet.

VIII. Sed quamvis Angelorum Solennia recens in Eccleſiam invecta ſint, fieri tamen minimè potuit quin eos Majores noſtri Feſtis quibuſque diebus, & dum Sacra peragebantur, coluerint. Angelorum Liturgiæ meminerunt: *Supplices te rogamus Omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime Altare tuum, in conſpectu Divinæ Majeſtatis tuæ.* Identidem in Pſalmis, è quibus maxima pars Canonicarum precationum petitur, Angeli memorantur: In Litaniis pariter quæ Eccleſiæ preces paucis complectuntur, ſtatim poſt Deiparam invocantur. Non igitur à veritate abhorret jugem quandam Angelorum Solennitatem ſemper fuiſſe peractam, ante eorum Feſtos dies invectos, in cæteris Solenniis, Sacris, Liturgiis, Templis quibuslibet, quemadmodum pluries diximus Trinitatis & Euchariſtiæ Solennia celebrata fuiſſe antequam recentiores eorum Celebritates indicerentur.

IX. Quod ad Templa S. Michaelis & Ange- L. de Ædif. Imp. Juſtin. lorum, præter illud *Soſthenium* vocatum in agro Byzantino, ſex recenſet Procopius Juſtiniani mandato extructa. Idem Imperator Legem tulit de dividunda hæreditate teſtamento relicta Servatori, vel ſub Archangeli, vel ſub Martyris nomine, quod ait ſæpiùs contigiſſe. Conſtituiſſe bona ſpectare ad Eccleſiam in eodem loco Jeſu Chriſto dedicatam ſub alterutrius nomine, vel ad Eccleſiam Diœceſeos, aut etiam Metropoleos, ſi nulla ibidem extaret. Superſedendum cenſeo Conſtitutione Imperatoris Manuelis Comneni probanti Solennia Angelorum, innixa celeberrimis eorundem Apparitionibus. Eadem quoque Græca Menologia recenſent.

X. In Occidente Eccleſia Romana celebrat Apparitionem S. Michaelis in Monte Gargano in Italia, Eam Sigebertus contigiſſe ait, Gelaſio Pontifice; Baronius anno 493. conſignat. Ædes in monte celeberrima extitit. Petrus Damiani in rebus geſtis S. Romualdi memoriæ prodidit Othonem Imperatorem illuc nudis pedibus ſe contuliſſe,

liſſe,

liſſe, Romualdo monente, crimen quoddam expiaturum. In Gallia quoque S. Michael conſpicuus comparuit anno 706. eique Templum ædificatum eſt, ut narrat Sigebertus in Chronico. Itaque Feſtum diem Michaelis Capitularia Caroli Magni, & Concilium Moguntinum, An. 813. vocant *Dedicationem S. Michaelis*. Eccleſia Romana de eodem Feſto die agens hæc verba uſurpat: *In Monte Gargano memoria S. Michaelis Archangeli, quando ipſius nomine ibi conſecrata fuit Eccleſia*. Hujuſmodi Apparitio *in periculo Maris, in monte Tumba*, celeberrima quondam in Gallia fuit, & alicubi etiamnum peragitur.

Cap. l. 2. c. 35. Conc. Mog. cap. 36.

XI. Pauca ſuperſunt dicenda de Sanctorum Angelorum Cuſtodum Tutela, & Feſto eorum die. Ferdinandus Auſtrius, ampliſſima poſteà Imperii dignitate auctus, Solennia Angeli Tutelaris à Paulo IV. Romano Pontifice indicenda curavit. Pontificis Conſtitutio non extat in Magno Bullario, ſed altera à Gregorio XV. edita pro Solenniis S. Annæ & S. Joachimi, quanquam poſtrema hæc S. Joachimi relata fuerant in faſtos ante Pium V. Pontificem. Expungi ea juſſit Pius, ſed à Gregorio rurſum iiſdem adſcripta ſunt, anno 1584. Patet autem ex Litteris S. Bernardi ad Lugdunenſes Canonicos miſſis, ejus ætate Feſtos hoſce dies minimè fuiſſe celebratos. Comneni edictum ante annum Chriſti milleſimum ac ducenteſimum Sanctæ Annæ Celebritatem memorat. Procopius in Libro de *Ædificiis* Juſtiniani Cæſaris meminit Ædis S. Annæ ab eodem conſtructæ; ac qui Theophanis Hiſtoriam protulit, narrat Leonem Imperatorem cognomento Philoſophum S. Annæ Sacellum in aula dedicaſſe. Ne S. Joſephi quidem Feſtus dies indictus erat ineunte Sæculo XV. quum Gerſon tres epiſtolas pro ejus inſtitutione ſcripſerit, ideſt ad Ducem Bituricenſem, anno 1413. ad Pſaltem Eccleſiæ Carthuſienſis, & ad Eccleſiam univerſam. Gomeſius qui res geſtas Cardinalis Ximenii Litterarum monumentis conſignavit, narrat ab eodem introducta in ſuam Eccleſiam Solennia S. Joſephi, & Præſentationis Deiparæ. Urbanus VIII. Celebritates plurimas Conſtitutione ſua abrogavit; ſed neque S. Joſephi, neque S. Annæ Feſtos dies ſuſtulit: contra, cæteris eos adjeciſſe ſentiunt nonnulli.

Hieroe. Spar. p. 84.

Gerſ. t. 4. p. 213. 317.

XII. Perſpicuum hinc eſt ſanctos viros, vel ſerò, vel nunquam Feſtis diebus auctos non proptereà cæteris concedere. Enimverò Solennia Martyrum, Deiparæ Celebritatibus vetuſtate antecellunt, etſi ſanctiſſima Dei parens cunctis præſtat Martyribus. Nec, antequam Michael appareret ſeſe conſpiciendum præbens, eique ampliſſima Templa erigerentur, minor fuit Angelorum cultus & dignitas. Illud maximè animadvertendum eſt quibusvis Chriſtianorum Sacris atque Solenniis Sanctos omnes Angelos, atque homines coli, Deumque in ipſis, quamvis quorundam nomina vel lateant, vel prætermittantur. Unum nominaris, omnes nominaris; una eſt enim Sanctorum Societas ac Gloria, cujus nulli expertes ſunt. Id optimè adnotavit Florus Liturgiam interpretatus, agendo de ea precatione quæ tres tantùm Apoſtolos recenſet, & Dominicam conſequitur: *In qua poſtulatione non cæterorum Sanctorum interceſſio prætermittitur, ſed in iſtorum commemoratione omnium ſuffragia expetuntur; quia ut omnes ſibi in Deo ſociati & uniti exiſtunt, ita omnes unum deſiderant & rogant pro ſalute hominum; ut & in uno omnes pariter habeantur, & in uno omnes pariter negligantur. Non enim amant Sancti ſuos electores ſi ſuorum ſociorum eos invenerit deſertores; magiſque offenſurus eſt quiſquis ita agendum putat, eos ad quos ſe contulerit, quàm eos à quibus ſe abſtulerit. Unitate enim gaudent, & in Chriſto unum ſunt.*

XIII. Colendi ſunt ergo Sancti ſimul, & univerſè tanquam membra unius Corporis & unius Sancti, Jeſu Chriſti videlicet, qui meritò dicitur Sanctus Sanctorum. Partis unius honor cum toto corpore, ac ſocietate communicatur. Gloria & beatæ vitæ gaudia communia omnium ſunt, & ſingulorum etiam propria: *Si gaudet unum membrum, congaudent omnia membra*, ut Paulus ait. Solennia igitur Sancti cujuſvis alios omnes complectuntur. Atque ea de cauſa omnium quondam Apoſtolorum unus extitit Feſtus dies, quòd cultus aliorum nemo expers eſſe poſſit. Id præclarè docuit Petrus Damiani: *Ita eſt omnis Apoſtolici culminis beatitudo conjuncta, & tot gratiarum compage vel glutino probatur unita, ut quum eorum unius Feſtivitas colitur, protinùs omnium Apoſtolorum non diverſa ſublimitas interioribus obtutibus ingeratur. Una ſcilicet inter eos excellentia judiciariæ poteſtatis, eadem dignitas ordinis, nec diverſa in ligando, ſive ſolvendo virtutis habeatur auctoritas.*

Serm. 2. de S. Barthol.

XIV. Hæc maximè Angelos ſpectant quos omnes generatim veneratione proſequimur Feſto S. Michaelis die. Nefas eſt plurium quàm trium nomina recenſere; totidem enim à ſacris Litteris didicimus; optat nihilominùs Eccleſia ut omnis beatarum mentium cœtus, & illæ myriadum myriades colantur. Non ſtatis tantùm diebus eoſdem veneremur oportet; ſed cogitandum eſt, dum unum vel alterum colimus, omnes honore afficiendos eſſe; quum una ſit eorum beata civitas, & ſancta, immortaliſque ſocietas.

CAPUT XXIII.

De diebus Feſtis S. Joannis Baptiſtæ, SS. Petri & Pauli, aliorumque Apoſtolorum.

I. Uſque ab Eccleſiæ exordio peracta ſunt Solennia Apoſtolorum & Martyrum; horum quidem ſingillatim, illorum ſimul & univerſè.

II. Confirmatur id rationum momentis.

III. IV. V. De Solenniis Apoſtolorum, maximè SS. Petri & Pauli, & S. Joannis Baptiſtæ.

VI. Celebritas S. Joannis Baptiſtæ poſt annum à Chriſto nato milleſimum.

VII. De Feſto die SS. Petri & Pauli. Prudentius de eo agit, & ait Romanum Pontificem bis eo die ſacrum celebraſſe.

VIII. Commemoratio S. Pauli, & omnium Apoſtolorum.

IX. Multiplex genus Solennitatum Apoſtolorum apud Græcos ex Chryſoſtomo, & Comneno Imperatore. De S. Thoma ejuſque Feſto die.

X. Latina Eccleſia, quemadmodum Græca, omnium ſimul Apoſtolorum Solennia quondam celebravit: poſteà plures ſtatique dies religioſi conſtituti ſunt.

XI. Innocentii III, Romani Pontificis ætate, ſub initium Sæculi XIII. Apoſtolorum ſingulorum Feſti dies inſtituti fuerant.

XII. Petrus Damiani multò antè varios illos dies obſervaverat.

XIII. Feſti quidam dies Apoſtolorum in India abrogati, poteſtate facta à Paulo III. Romano Pontifice.

I. EA nuper attigimus quæ dicenda in præſentia illuſtrant. Conſtat enim Eccleſiam, poſt hominum memoriam Apoſtolos ſolenni ritu coluiſſe; ſed omnium perdiù unus idemque extitit Feſtus dies. Quicquid de Martyrum Celebritatibus, prioribus Eccleſiæ Sæculis peractis, diximus, Apoſtolos potiſſimùm ſpectat primos Martyrum duces. Verùm quum eorum emortuales

dies vel quandoque minimè adnotarentur, vel apud ultimas nationes primi illi Chriſti diſcipuli occumberent, non omninò eorum dies ut Martyrum cæterorum peragi potuerunt: hos enim tantùm ubi ſuppliciis affecti fuerant, & quidem die quo Sanguinem profuderant, ſacri Eccleſiæ cœtus ſolenniter venerabantur. Fortaſſe ubi Apoſtoli quoque necati fuerant, Eccleſiæ Feſtos eorum dies agebant: univerſa tamen Chriſtiana Reſpublica omnium ſimul Solennia celebranda eſſe exiſtimavit, quòd omnium orbis Eccleſiarum parentes & Martyres dici poſſint. Ita prioribus ſæculis peractæ ſunt Celebritates aliorum Martyrum, quorum Solennia in quibuſdam tantùm regionibus, ubi nempè interfecti fuerant, celebrata ſunt.

De Vit. Conſt. l. 4 c. 23. II. Quum Conſtantinus Cæſar, Euſebio teſte, conſtituit ut Provinciarum Præſides Feſtos Martyrum dies celebrandos curarent; *Feſtos Martyrum dies juſſu Principis obſervabant*, Apoſtolos quoque complexus eſt. Sed Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum de utriſque explicatè egit: l. 8. c. 33. *In diebus Apoſtolorum vacent; magiſtri enim veſtri fuerunt. In die Stephani vacent, ac reliquis diebus Sanctorum Martyrum.* Lex Valentiniani, Theodoſii, & Arcadii, poſt Servatoris Solennia recenſet Celebritatem Apoſtolorum, qui orbem terrarum Chriſtiana Religione imbuerant: *Et quo tempore commemoratio Apoſtolicæ Paſſionis totius Chriſtianitatis magiſtræ a cunctis jure celebratur.* Verba hæc ad Apoſtolos omnes trahi poſſent, ſed vulgato magis Sermone pro SS. Petro & Paulo potiùs uſurpari videntur. Crediderim igitur agi de Feſto die SS. Petri & Pauli, quo aliorum quoque Apoſtolorum memoria recolebatur. S. Leo Papa de Sanctis dumtaxat Petro & Paulo conciones habuit.

III. Neque ea Imperatorum Lex, neque Euſebius, neque Apoſtolicæ Conſtitutiones Feſti diei Sancti Joannis Baptiſtæ uſpiam meminerunt; niſi fortè Solennia Martyrum hunc quoque complectantur. Contra, Agathenſis Synodus, An. 506. Natalitia S. Joannis recenſet, Apoſtolorum verò generatim tantùm: *Natalem S. Joannis Baptiſtæ, vel ſi qui maximi dies in Solennitatibus habentur;* Can. 21. Claromontana verò, an. 535. neque S. Joannis, neque Apoſtolorum meminit, ſed tantùm ait, *Et ſi quæ principales ſunt reliquæ Solennitates.* Sermo S. Auguſtino vulgò adjudicatus, &, dum de Natalitiis Deiparæ ageremus, allatus, ejus fœtus non videtur, ſed recentioris auctoris qui non adhuc de Natali Virginis die egerit. Mabillonus in celeberrimo Opere de re Diplomatica, publica luce donavit ſacra quædam monumenta Abbatiæ S. P. 463. 464. 465. Andreæ Viennenſis: videtur autem Ædes illa ſub Andreæ nomine & auſpiciis dedicata fuiſſe ab anno uſque 520. altera quoque ab Epiſcopo Antiſiodorenſi, anno 630.

IV. Sacri faſti Regulæ Godegrangi inſerti veteres ſunt & accurati: hic autem Præſul æqualis fuit Pipini Caroli Magni patris. Porrò Solennia quæ recenſet, non tum primùm indicebantur. Occurrit in illis mentio Solennitatum S. Joannis Evangeliſtæ, Sanctorum Apoſtolorum, & S. Joannis Baptiſtæ: Cap. 74. *Et in Sanctorum Feſtivitatibus, id eſt S. Stephani, S. Joannis Evangeliſtæ &c. Similiter in beatorum Apoſtolorum Feſtis, & S. Joannis Baptiſtæ.* Feſtus dies Apoſtolorum, omnibus, ut videtur, Apoſtolis dicatur; unius autem Joannis Evangeliſtæ ſingillatim Celebritas recenſetur. Conſequentibus annis Apoſtolorum ſingulorum Feſti dies indicti ſunt. Sanè Ludovicus Pius Imperator, anno 823. meminit Solennium S. Andreæ: *Itam ad Miſſam Sancti Andreæ reſtauratè fiant.* Fortaſſe peragebantur tunc tantùm Feſti dies S. Joannis Evangeliſtæ, S. Andreæ, & SS. Petri & Pauli, cum quibus omnium Solennitas celebrabatur. Id rurſum confirmatur auctoritate Concilii Moguntini, Can. 36. An. 813. Enumerat ſacros dies, & poſt Servatoris Solennia recenſet Celebritates SS. Petri & Pauli, S. Joannis Baptiſtæ, & S. Andreæ: S. Joannes Evangeliſta in Natalitiis Domini colebatur: *In Natali Domini dies quatuor; in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli diem unum: Nativitatem Sancti Joannis Baptiſtæ &c. Sancti Andreæ &c.* Itaque quum hæc Synodus enumeret tantùm Feſtos dies SS. Petri & Pauli, S. Andreæ, & S. Joannis Evangeliſtæ, Regula autem Godegrangi S. Joannem Evangeliſtam quidem memoret, non verò S. Andream, liquet non adhuc unum extitiſſe omnium Eccleſiarum ritum. Ubique SS. Petri & Pauli Solennia agebantur, immò omnium Apoſtolorum, eodem die; ſed non eodem tempore indicti ſunt Feſti dies cæterorum Apoſtolorum.

V. Equidem vix inſtitutis alicubi Solenniis quorundam Apoſtolorum, facilè in alias quoque Eccleſias introducebantur. Id conſtat ex Capitularibus Caroli Magni enumerantibus Solennitates S. Joannis Evangeliſtæ, SS. Petri & Pauli, S. Joannis Baptiſtæ, & S. Andreæ. L. 1. c. 164. Alibi idem in Capitularibus diſcrimen obſervatur, L. 2. c. 35. quanquam S. Joannes Evangeliſta coli videtur Solennibus Nativitatis Chriſti diebus: *In Natali Domini dies quatuor &c. In Natali Sancti Joannis Baptiſtæ diem unum. In Paſſione Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli diem unum &c. In Paſſione Sancti Andreæ Apoſtoli diem unum &c.* Capitulare Herardi Archiepiſcopi Turonenſis meminit Feſtorum dierum S. Joannis Evangeliſtæ, An 858. C. 24. Miſſæ, id eſt Solennitatis S. Joannis Baptiſtæ, SS. Petri & Pauli, & S. Andreæ. Ludovicus Pius, anno 833. fundavit quidpiam pro hujuſmodi Solenniis, videlicet, Mabill. de re Diplom. pag. 543. *Purificatione Beatæ Mariæ, ac die Martyrii Beatiſſimorum Petri & Pauli, & pro honore omnium Apoſtolorum, & pro Solennitate Sancti Sebaſtiani.* Aliorum Apoſtolorum ſtati dies agebantur fortaſſe alicubi, ſed non ubivis, quum nuſquam in eorum mentionem incidamus allatas leges conſulentes. Jubet Capitulare Ahytonis Epiſcopi Baſileenſis celebrari Solennia duodecim Apoſtolorum, maximè verò SS. Petri & Pauli: *Duodecim Apoſtolorum, maximè tamen Sanctorum Petri & Pauli, qui Europam ſua prædicatione illuminaverunt.* Hic quoque Apoſtoli omnes cum Petro & Paulo Spicil. t. 6. pag. 693. ſimul recenſentur; nullum verbum fit de S. Andrea, Sancti autem Joannis Evangeliſtæ meminit propter Chriſti Natalitia dies quatuor celebrata.

In Litteris Nicolai I. ad Bulgaros ſcriptis agitur alicubi de Solenniis duodecim Apoſtolorum: *In Feſtivitatibus Sanctæ Mariæ, & Sanctorum duodecim Apoſtolorum & Evangeliſtarum;* alibi quoque de Solenniis SS. Petri & Pauli, S. Joannis Baptiſtæ, S. Joannis Evangeliſtæ, & S. Andreæ; *Seu Apoſtolorum Principum Petri & Pauli, atque Sancti Joannis Baptiſtæ, ſeu Beati Joannis Evangeliſtæ, necnon Andreæ Apoſtoli.* Capitulare Valteri Aurelianenſis Epiſcopi commemorat tantùm eoſdem SS. Petrum & Paulum, Andream, & Joannem Evangeliſtam: Photius verò in Nomocanone unam Apoſtolorum mortem addit Servatoris Solenniis: *Dies*, inquit, *Paſſionis Apoſtolorum.* Alii quidem tunc ſtati dies colebantur, ſed illos tantùm enumerat qui Legibus Imperatorum religiosè obſervandi erant.

VI. Ita quidem ſe habebant dies hujuſmodi uſque ad annum à Chriſto Nato milleſimum. Vetuſtiſſima fuit S. Joannis Baptiſtæ Celebritas, utpotè quæ verbis illis Evangelicis nitebatur, *Multi in Nativitate ejus gaudebunt.* Expendit id S. Epiſt. 174. Bernardus in ſuis Epiſtolis, atque cogi ſacros Eccleſiæ cœtus, dum aliorum Sanctorum obitus recolitur, ob vitæ ſanctimoniam; ſed quod pertinet ad Joannem Baptiſtam, ejus quoque Natalitia meritò agitari, quòd tum ſanctitate prædita fuerint, tum ingentis gaudii origo: *Meritò Eccleſia quæ cæterorum non nativitatem, ſed mortem*

San-

Sanctorum judicat & prædicat pretioſam, ſingulari quadam exceptione Feſtis præfert gaudiis, veneraturque illius Natalem, de quo nunciante Angelo ſingulariter legit, Et multi in Nativitate ejus gaudebunt. Hic verò Natalis dies uſque eo ſolennis quondam fuit, ut ter Miſſæ Sacrum fecerint Majores noſtri, quemadmodum ad Ordine Romano, & Amalario accepimus. Amal. l. 3. cap 38.

VII. Neque SS. Petri & Pauli Feſti dies vel minùs antiqui, vel minùs ſolennes extitiſſe credendi ſunt: nam ut ea mittamus quæ identidem attigimus, egit de ipſis Prudentius, Hymn. 12.

Plus ſolito coeunt ad gaudia, dic amice quid ſit?
Romam per omnem curſitant, ovantque.
Feſtus Apoſtolici nobis redit hic dies triumphi
Pauli atque Petri nobilis cruore.

Bis autem rem Divinam faciebant Pontifices Maximi, in Ædibus nempè utriuſque Principis Apoſtolorum:

Tranſtiberina priùs ſolvit ſacra pervigil Sacerdos,
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Patet hinc his aliquando peracta eſſe Sacra eodem die in Templis duobus.

VIII. Poſtridie hujus diei fit Commemoratio S. Pauli in Eccleſia Romana. Exiſtimat Baronius, nec levis eſt conjectura, Pontifices, quum nimis defatigati Sacrum eodem die facerent in utroque Templo, conſtituiſſe ut Feſto die SS. Petri & Pauli in Æde Vaticana Sacrificium perageretur, ſequenti verò ad Sancti Pauli. Græca Menologia non unius Pauli, ſed Apoſtolorum omnium memoriam tunc celebrant. Prætermittendum non eſt quod narrat Baronius, Theodorum Lectorem ſequutus, contigiſſe Anaſtaſio Imperatore. Etenim Feſtus Romanus Senator Conſtantinopolim miſſus Feſtum diem SS. Petri & Pauli negligi animadvertens, & obliteratam penè tantorum Apoſtolorum memoriam, Solennia hæc reſtituenda, & ritu longè ſolenniſſimo celebranda curavit.

IX. Poſt annum Chriſti milleſimum extat in monumentis Eccleſiæ Græcæ Manuelis Comneni Sanctio, qua conſtituitur celebrandos eſſe Feſtos dies S. Joannis Theologi, ſive Evangeliſtæ, die viceſimo ſexto Septembris, S. Thomæ ſexto Octobris, S. Jacobi Alphæi filii nono, S. Lucæ Apoſtoli & Evangeliſtæ viceſimoſexto, S. Philippi Apoſtoli quartodecimo Novembris, S. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ ſextodecimo, S. Andreæ triceſimo, S. Marci Apoſtoli & Evangeliſtæ viceſimoquinto Aprilis, S. Jacobi fratris S. Joannis Evangeliſtæ triceſimo, S. Bartholomæi undecimo Junii, S. Judæ ſeu Thaddæi, ſeu Lebbæi, ſive Jacobi decimonono, SS. Petri & Pauli viceſimonono. Præthereà jubetur in Regia Conſtitutione agi Commemorationem τῶν μεγάλων duodecim Apoſtolorum triceſimo Junii, S. Matthiæ Apoſtoli nono Auguſti, S. Thaddæi viceſimo, S. Bartholomæi viceſimoquarto, S. Joannis Apoſtoli octavo Maji, S. Simonis Zelotæ decimo, S. Alphæi Apoſtoli viceſimoſexto. Ad hæc Feſtus eſt, non omninò, ſed aliquot horis, dies viceſimuſtertius Octobris ob memoriam S. Jacobi fratris Domini.

Græcorum Feſti dies triplicis generis ſunt; quidam omninò ſolennes; quidam non ita, vocati propterea *medii* Feſti dies; quidam ſola Commemoratione celebrantur. *Media* illa Solennia non abhorrent prorſus à moribus Latinæ Eccleſiæ; ſed una ſupereſt Pauli Commemoratio. Græca Eccleſia ceſſatione celebrat commemorationes Apoſtolorum, una S. Jacobi dempta. Conſignat autem Comneni edictum Celebritatem SS. Petri & Pauli eodem die quo peragebatur in Urbe, ideſt III. Calen. Julias; ſed pridie Cal. Jul. Romæ S. Pauli duntaxat, in Oriente Apoſtolorum omnium memoria recolebatur. Crediderim omnium eorum diem peractum fuiſſe à Græcis III. Calend. Jul. ſed quum unus ferè Petrus cæterorum Princeps coli tunc videretur, ſequenti aliorum Commemorationem, ut Pauli ſolius Romæ, inſtitutam eſſe.

Quæ diximus, S. Joannis Chryſoſtomi auctoritate fulciuntur. Extat Sancti Antiſtitis Oratio in duodecim Apoſtolos, qua recenſentur eorum nomina, & loca ubi Divinam Legem promulgaverant, & beneficia quæ in plurimos ad eorum tumulos orantes contulerant: *Omnes ubique omnibus beneficia conferre non deſiſtunt. Pulverem immortalem in ſepulchris reliquerunt.* T. 6. p. 320. Sed poſtquam cæterorum laudes ſtrictim attigit, res geſtas & gloriam Principum Apoſtolorum fusè perſequitur. Præcedenti Oratione egerat tantùm de laudibus Petri & Pauli, adnotans eos mortem pro Religione occubuiſſe Romæ III. Cal. Jul. Sanè ſi quis exiſtimaverit habitas eſſe Orationes haſce duobus illis Feſtis diebus, SS. Petri & Pauli, & Commemorationis omnium Apoſtolorum, næ is à conjectura non aberraverit. Eò autem Principum Apoſtolorum laudes fuſiùs celebrat quàm aliorum, quòd ſæpiùs de illis egerint Divini Codices, perraò de cæteris: Patres verò pro concione verba facientes, ne latum quidem unguem à ſacris Litteris diſcedebant. Habetur quidem in Chryſoſtomi Operibus ſermo in Sanctum Thomam Apoſtolum, adnotaturque in eo peragi illius Solennia: at hoc ideò contigit quòd in Templum, ubi hæc Oratio habebatur, illata fuerit pars ſacrarum exuviarum S. Thomæ, quæ, ut inde conſtat, quoquoverſum diſperſæ fuerant. Quum verò ſacra lipſana vel Apoſtolorum, vel Martyrum, aliquò adſportabantur, extruebantur Templa, & indicebantur ſolennes dies: *Mortem Thomæ prædicat tumulus &c. Per univerſum mundum gratia ipſum diſperſit. Omnis angulus partem aliquam habet Thomæ. Omnem locum implevit, & in ſingulis locis integer manet &c. Cur diem meum Feſtum celebras, o nefarie? Si meam fidem non tenes, quomodo memoriam Feſto celebrabis?* Liquet à veteribus honore affectas quaſvis Martyrum particulas, ac ſi corpus ipſum nacti eſſent, quum intelligerent præſto adeſſe Martyrem opem ferentem, ubi vel exigua ſacrorum oſſium fruſta, vel pulvis colebatur: atque ea de cauſa Ædes dedicabantur, & indicebantur ſtata Solennia. Ita Apoſtolorum Celebritates inſtitutæ ſunt. Meminit ejuſdem Solemnitatis S. Thomæ Theodoretus, atque profligatis confictorum Numinum Sacris, Martyres honore affici: *Suos mortuos Deus noſter in Templa pro Diis veſtris induxit. Pro Liberi Joviſque Solennitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, aliiſque Martyribus Sanctis Solennitates populari epulo peraguntur.*

Extruxit Conſtantinus Templum Byzantinum Apoſtolorum, ibique in tumulum inferri voluit Imperatores pro foribus ſacræ Ædis. Byzantini quoque Præſules ibidem condebantur. Euſebius, Socrates, Theophanes, Chronicon Alexandrinum, Idacius, & alii complures de eo agunt tanquam de Apoſtolorum omnium Templo, & afferunt illatum eò fuiſſe corpus Timothei Apoſtoli, ut ſacra lipſana Sanctorum Andreæ ac Lucæ. Idem habet Chronicon S. Hieronymi: Procopius verò apertè tradit, Templum illud omnibus Apoſtolis commune fuiſſe: *Ædes vetuſta cunctis dicata Apoſtolis.* De Ædif. l. 1. cap. 4. Singulorum poſteà Apoſtolorum Templa conſtructa ſunt. Arcadia ſoror Theodoſii Junioris Auguſti, ut patet ex Chronico Alexandrino, Ædem erexit Andreæ, & alteram rurſus excitavit Juſtinianus, ut Codinus narrat, qui Templum prætereà S. Jacobi à Juſtino ædificatum commemorat, ut alia mittamus S. Joannis Evangeliſtæ, S. Lucæ, & S. Marci, Cæſarum munificentia &

pietate extructæ. Pauli pariter Ædes memorantur, ſed colebatur ſemper unà Princeps Apoſtoſtolorum Petrus: *Hoc anno*, inquit Theophanes,
Lib. 1. c. 4. An. 7. Imperii Juſtini Junioris, *Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Eccleſiam cæpit Juſtinus ædificare in Orphanotrophio*. Idem in Sancti Petri Templis uſuvenit, addito ſemper, ut ait Procopius, Paulo. S. Thomæ quoque honorem eundem exhibitum narrat Chronicon Alexandrinum ab Anthemio Imperatore, qui Occidenti præerat, dum Marcianus in Oriente dominabatur. Itaque omnium primùm Apoſtolorum Ædes conſtructæ ſunt, tum ſingulorum. Porrò neminem fugit Templorum atque Solennium haud diſparem eſſe rationem, & cuivis ſacræ Ædi proprios quoſdam Feſtos dies addictos eſſe.

X. In Eccleſia Latina, ut Joannes Belethus
De Offic. [Div.] c. 124. fatetur, nulla quondam extiterunt Solennia ſingulorum Apoſtolorum, ſed omnium Celebritas inſtituta fuit Calendis Maji, quum Sancti Philippus & Jacobus recoluntur; *Quum in primitiva Eccleſia Apoſtoli non haberent particulares Solennitates, ſtatutum fuit, ut ipſis Calendis Maji celebraretur Solennitas omnium Apoſtolorum. Hoc etiam die Feſtum eſt Philippi & Jacobi, idque ideò, quia forſan illo die paſſi ſunt*. Idem cenſet
L. 7. c. 10. Durandus, omnium videlicet Apoſtolorum Celebritatem inſtitutam tandem eſſe Calendis Maji, ne alii ab aliis avellerentur, quando eadem ampliſſima dignitas omnibus communis erat; à Græcis tamen omnes ſimul Apoſtolos coli Feſto die SS. Petri & Pauli: *Statutum fuit ut in Calendis Maji celebrarentur Solennitates omnium Apoſtolorum, ut dies varii non viderentur dividere quos una dignitas & Apoſtolatus in cæleſti gloria fecit eſſe ſublimes. Quod Feſtum Græci celebrare dicuntur in Feſto Apoſtolorum Petri & Pauli*.

XI. Tandem totus Occidens Romanæ Eccleſiæ auſcultavit, peragendo ſingulorum Apoſtolorum ſtatas Celebritates, ut patet ex allatis ſæpiùs Litteris Gregorii IX. Idem inſtitutum inveteraverat ætate Innocentii III. qui Bracarenſem Archiepiſcopum admonuit jejuniorum in Urbe obſervatorum in pervigiliis omnium Apoſtolorum, præter Paſchale illud SS. Philippi & Jacobi, & S. Joannis Evangeliſtæ ob dies Nativitatis Servato-
[Baronius] An. 1206. n. 35. ris: *Apud nos omnium Apoſtolorum vigiliæ in obſervatione jejunii celebrantur, præter vigilias Sanctorum Philippi & Jacobi & Joannis Evangeliſtæ; quoniam illorum Feſtivitas infra Solennitatem Paſchalem, iſtius autem infra Natalem Domini celebratur*.

XII. Antiquior fuit Petrus Damiani, teſtatus tamen in Opere de pervigiliis, colenda eſſe jejunia quæ antevertunt Solennia SS. Philippi & Jacobi, quanquam Paſchali tempore celebrantur, S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Petri & Pauli, nec ferendos eſſe quoſdam, qui novis rebus parum piè ſtudentes minimè abſtinebant cibo in pervigiliis S. Jacobi fratris S. Joannis, & S. Bartholomæi, quum Eccleſiæ Canones jejunia omnium pervigiliorum Apoſtolorum indixerint: *Abſoluta ſiquidem eſt auctoritas Canonum quæ generaliter præcipit omnes Apoſtolorum vigilias celebrari*. Hæc ſpectant quidem pervigilia; nemo tamen inficiabitur, Feſtos tunc quorumvis Apoſtolorum dies in Italia fuiſſe celebratos.

XIII. Cæterùm Vadingus retulit in Annales Conſtitutionem Pauli III. pro Indiæ Eccleſiis, qua, ne aliqua ratio habeatur recentium Chriſtianorum, edicitur fas eſſe unà Apoſtolorum Solennia agere, Feſtum nempè diem SS. Petri & Pauli: nec tamen ejuſmodi tantùm Celebritates tunc abrogatæ fuerunt.

C A P U T XXIV.

De ſacrarum Ædium Dedicationibus, & Sanctæ Crucis Celebritatibus.

I. Splendor ac gloria Chriſtianæ Religionis, quum Conſtantino Imperii dignitate aucto, Eccleſiæ Jeſu Chriſti licuit ampliſſima Templa dedicare.

II. Societas & conjunctio omnium Corporis Jeſu Chriſti membrorum in ſacra Æde, Templum eſt multò præſtantius ac ſanctius.

III. Imago cæleſtis Angelorum Templi. Unum Verbum Divinum humana carne indutum hujuſmodi Templum in terris excitare potuit. Eo ſpectat Dedicationum & Cæremoniarum magnificentia ac religio.

IV. Templum hoc Ædi Salomonis longè præſtat.

V. Splendor ſacrorum Ædificiorum exhibet nobis Corpus Jeſu Chriſti à morte excitati & maxima gloria præditi, & unum ex Angelis & hominibus Templum ædificantis.

VI. Epiſcoporum munus octo Dedicationis diebus.

VII. Plurima Concilia coacta quum Templa dedicarentur. Explanatio verborum Socratis; num Pontifex quoque maximus adeſſet.

VIII. Alia Dedicationum exempla.

IX. Non tantum Eccleſiæ Dedicatio dies octo durabat, verùm etiam anniverſaria ejuſdem commemoratio.

X. Dedicatio Baſilicæ Lateranenſis omnium Principis. Piæ quadam animadverſiones.

XI. De Templo Vaticano, & S. Pauli in Urbe. Eorum dignitas.

XII. Sacra lipſana quandoque in foribus ſacrarum Ædium incluſa; propterea populus eos oſculabatur.

XIII. Collatio Crucis cum Eccleſiarum Dedicationibus.

XIV. De Solenniis Inventionis S. Crucis tam in Oriente, quàm in Occidente.

XV. De Solenniis Exaltationis ejuſdem.

XVI. Poſtrema animadverſiones in Eccleſiarum Dedicationem.

XVII. De Tranſlationibus.

I. Libro huic ſupremam manum imponemus Dedicationibus Eccleſiarum, & Sanctæ Crucis Solenniis, quæ eodem ſpectant; nulla enim ſine Cruce Servatoris ritè peragitur Conſecratio, præſertim Eccleſiarum, quæ ſolenniſſima eſt. Nihil unquam magnificentius in veteri Lege actum eſt Dedicatione Templi à Salomone conſtructi. Verùm ne in Chriſtiana quidem Religione ſplendidius quicquam ſpectari unquam potuit, quàm quum ingens Ædium ampliſſimarum multitudo vel excitari cœpit, vel inſtaurari, Conſtantino ad Romani Imperii dignitatem evecto. Everſis ferè omnibus Chriſtianorum Templis, Principum furore, & edictis, Eccleſia mœrore conficiebatur; ſed tandem cumulatè ejus dignitas atque decor reſtitutus eſt, huc enim Imperii opes collatæ ſunt, huc ſpectabant pii Principis ſtudia. Inſpectabantur ubique magnificentiſſima Templa Chriſto Servatori extructa, quæ Antiſtites dedicabant. Euſebius horum teſtis locuples fuit: *Poſt hæc votivum nobis ac deſideratum ſpectaculum præbebatur, Dedicationum ſcilicet Feſtivitas* L. 10. c. 3.
per ſingulas urbes, & Oratoriorum recens extructorum conſecrationes: ad hæc Epiſcoporum conventus; peregrinorum ab externis & diſſitis regionibus concurſus; populorum mutua inter ſe charitas ac benevolentia, quum membra Corporis Chriſti in unam compagem coaleſcerent.

II. Euſebii verbo expendendo comperimus lætitiam & Solennitatem Dedicationum neutiquam ortam ex terrenis hiſce Templis, unde magnificè

extru-

Digitized by Google

extructio, ſed ex animorum conjunctione, & hominum inter ſe diligentium charitate; hi ſiquidem in terrenis iſtiuſmodi domibus Templum aliud ſunt ſpirans atque perenne, Imperatores, inquam, & ſacrorum Antiſtites, Epiſcopi ac Clerici, Clerici denique omniſque populus, Provinciæ, Regna, quanquam longiſſimis locorum intervallis disjuncta: cuncti enim Deo ſe ipſi dedunt ac dedicant, ſimulque Divinam hoſtiam Chriſtum immolant. Idcircò quamplurimi undique Epiſcopi conſuebant ad Celebrationem Solemnium Dedicationum, id in terris agentes quod fit jugiter in editiſſimo Cœli Templo; ut nempè Divinas laudes canerent, ſacris operarentur, Dei verbum cuncti exaudirent, & ut religioſiſſimarum Cæremoniarum majeſtate ſpectaculum longè gratiſſimum, maximèque mirandum exhiberetur. Hic ſcopus erat Chriſtiani ritus, concordia & voluntatum conſenſio, ut unà omnes mente Deum colerent, & unum mutua dilectione fierent Templum, una ara, ac hoſtia: *Una erat Divini Spiritus virtus per univerſa commeans membra, una omnium anima, eadem alacritas fidei, unus omnium concentus Divinitatem hymnis celebrantium. Jam vero Antiſtitum abſolutiſſima ceremonia, & accurata Sacrificia Sacerdotum, & Divini quidam auguſtique Eccleſiæ ritus, hinc Pſalmis canentium, & reliquas nobis divinitus traditas voces auſcultantium; illinc divina & arcana obeuntium miniſteria. Myſtica quoque ſalutaris paſſionis ſymbola tradebantur. Sed & Eccleſiarum Antiſtites, quotquot aderant, panegyricas habebant orationes &c. Denique omnis ætas & promiſcua utriuſque ſexus multitudo, toto pectore precationibus & gratiarum actionibus incumbens, cum ſumma animorum lætitia, Deum bonorum auctorem venerabatur.* Ibid.

III. Haud potuit meliùs repræſentari auguſtum Cœli Templum, ubi Angeli juge gratiarum actionis Sacrificium celebrant, ut ſtupore perculſi ſuſpiceremus infinitam poteſtatem Jeſu Chriſti mutantis hanc ſcelerum colluvionem in veræ pietatis Templum. Id Euſebius contendit, Divinum Verbum corpori noſtro hypoſtaticè unitum, terrenæ ſcilicet cuidam concretioni, terram propemodùm conſecraſſe, ipſumque mundum dedicaſſe. Ejus tantùm erat hujuſmodi opus, carnem, ideſt terram ſumere, terramque ipſam, & hanc rerum univerſitatem in Ædem quandam Deo dignam vertere. Hac de cauſa in Eccleſiarum Dedicatione tot ſanctiſſimorum rituum Majeſtas, ac Solennitas adhibetur: *Deum omnium Patrem laudibus celebrare nunquam ceſſemus. Illum verò qui ſecundus nobis auctor bonorum extitit, qui nos ad Dei notitiam informavit, veramque religionem edocuit; qui impios deſtruxit, & tyrannos occidit; qui ſæculi mores correxit, qui nos denique quum deplorati eſſemus ſervavit; Jeſum ſcilicet pariter venerantes, in ore ſemper habeamus &c. Nulli quippè alteri cœleſtium Poteſtatum tantùm roboris ſuppetebat, ut tot hominum ſalutem ſine ulla noxa adminiſtrare poſſet.* Ibid. c. 4.

Antiſtes qui Templum erigendum curat & dedicat, Jeſu Chriſti veſtigiis inſiſtens, exemplar nobis exhibet cœleſtis domus, & felices illas ſedes, & beatorum loca, ob oculos ponit: *Ad eundem modum hic noſter Pontifex totum Chriſtum, qui Verbum, Sapientia & Lux eſt, in ſua ipſius mente tanquam imaginem geſtans, dici non poteſt quanta cum animi magnitudine, hoc magnificum Dei altiſſimi Templum quod ſub aſpectum cadit, ad exemplum præſtantioris illius Templi, quod oculis cerni non poteſt, quàm fieri potuit, ſimillimum fabricavit.*

IV. Mira erat Eccleſiæ forma ab Euſebio deſcripta. Aqua ſacri Fontis quo perfundebantur Chriſtianis ſacris initiandi, locus Catechumenorum, atque Fidelium, edita Epiſcoporum Sedes, Ara in medio conſtituta, cancelli quibus circumdabatur, ne eò quivis irrumperet, aliaque id genus ſexcenta; quod pertinet ad ſpeciem, Salomonis Templo minimè concedebant: quid? quod ei longè præſtabant, quum Deus ipſe ſapientiſſimus tot ædificiorum artifex foret, & unius præterea Templi quod omnia complectebatur; nec tantùm opifex, verùm Sacerdos etiam, & holocauſtum maxima, poſtquam reſurrexerat, gloria præditum: *Facta eſt nunc revera gloria domus hujus poſterior ſupra priorem. Nam quum paſtor ejus ac Dominus pro ſalute illius ſemel mortem perpeſſus, poſt paſſionem corporis, quod ipſius gratia ſordidum induerat, in ſplendidum & glorioſum transformaſſet, & carnem jam tabeſcentem ex corruptione ad immortalitatem traduxiſſet, conſentaneum erat ut hæc quoque Servatoris diſpenſationibus ſimul frueretur. Quippe quæ multò potioribus ab ipſo promiſſis acceptis, longè majorem regenerationis gloriam in corporis incorruptibilis reſurrectione, cum cœleſtibus Angelorum choris, in ipſa Dei regia ultra cœlos poſita, unà cum ipſo beneficiorum omnium auctore, & Servatore Jeſu Chriſto, in perpetuum deinceps percipere deſiderat.*

V. Quæ quidem Euſebii verba nos docent, quicquid unquam viſu pulcrum, vel auguſtum ac ſplendidum in ſacris ædificiis ineſt, ac rituum quo religioſis cæremoniis conſecrantur, imaginem quandam eſſe Corporis Jeſu Chriſti maxima gloria exornati, luceque perfuſi, poſtquam prodiit è tumulo. Equidem videbatur tunc Chriſtus argumenta præbere Divinitatis ſuæ, vitam ac gloriam cultoribus ſuis impertire, eoſque à terrena hac fæce ad Cœlum evehere, unum ubique Templum ædificando, non ex inanimis lapidibus, ſed ex Angelis atque hominibus Dei laudes jugiter celebrantibus.

VI. Ex eodem Euſebio accepimus, Conſtantinum Auguſtum evexiſſe Hieroſolymis ampliſſimam Ædem, accitis undique, Imperii opibus, ad conſecrationem Epiſcopis, & prolixè collatis iiſdem theſauris in pauperes & Eccleſias. Non potuit illuſtriùs Divinitas Jeſu Chriſti confirmari, quàm Principes maximos, quibus infenſiſſimis hoſtibus pridem utebatur Chriſtiana Religio, ad hujuſmodi pietatis ſtudia traducendo, & opibus ac regia ſupellectile exornando religioſa Eccleſiæ loca: *Poſtremò Baſilicam omnem regalibus donariis magnificè exornavit.* Nec tamen ingens illa Antiſtitum multitudo fruſtrà convenerat. Totos octo dies peragebatur Dedicatio, quo tot Præſules virtutum ſpecimina exhibere poſſent. Conciones identidem habebant agentes de divino Cultu, de recentis Templi magnificentia, de Imperatorum quoque laudibus. Sacras Literas interpretabantur, explanabant arcana Theologorum dogmata; denique rem Divinam faciebant pro Eccleſia, pro publica tranquillitate, pro Imperatoribus, eorumque liberis. Operæ pretium eſt ipſa Euſebii verba in medium proferre, ut pateat vetuſtas hujuſmodi morum, uſque ab Apoſtoli, & à prioribus illis Epiſcopis qui Chriſtianam Religionem ſanguine obſignaverunt: De Vit. Conſtan. l. 4. c. 43. 44. 45. *At Sacerdotes Dei partim precationibus, partim ſermonibus Feſtivitatem ornabant. Alii ſiquidem comitatem religioſi Imperatoris erga omnium Servatorem laudibus celebrabant, & martyrii magnificentiam oratione perſequebantur. Alii ſacris Theologiæ dogmatibus ad præſentem Celebritatem accommodatis, ſpiritale quoddam epulum audientibus præbebant. Quidam ſacrorum Voluminum lectiones interpretabantur, arcanos & myſticos ſenſus in lucem proferentes. Qui verò ad hæc adſpirare non poterant, incruentis Sacrificiis, & myſticis immolationibus Deum placabant pro pace communi, pro Eccleſia Dei, pro Imperatore tot bonorum auctore, ejuſque piiſſimis liberis, preces Deo ſuppliciter afferentes.*

VII. Patet hinc ratio, cur arcanus Dedicationum

Digitized by Google

cauſis attulerimus. Eas octo illis ſolennibus diebus Antiſtites edifferebant; haud igitur prætermittendæ videbantur. Ut verò perNoſcamus Imperatorem ſolenniſſimo ritu dedicanda Templa curaſſe; adnotat poſtremò Euſebius perfectum id triceſimo Imperii anno: *Hoc modo Dedicationis Solemnitas ipſis Imperatoris tricennalibus cum hilaritate celebrata eſt*. Maximo enim ſtudio ac magnificentia decimum quemque initi Imperii annum agitabant, videlicet *Decennalia*, *Vicennalia*, *Tricennalia*. Jecerat quoque fundamenta Conſtantinus ampliſſimæ Ædis Antiochiæ, cui ſupremam manum impoſuit Conſtantinus filius, accitis undique ad ejus conſecrationem nonaginta Epiſcopis, qui Antiochenam Synodum celebrarunt. Qui non ita pridem conſilii de cauſa Hieroſolymam convenerant, Concilium pariter habuerunt; ejuſmodi enim inſtitutum videbatur illorum temporum, cogere Eccleſiæ comitia quum Epiſcopi complures ſacras Ædes dedicaturi aliquò confluebant. Queritur Socrates neque Julium Romanum Pontificem, neque ejus Legatos interfuiſſe Antiochenæ Synodo, edicente veteri Eccleſiæ Canone, ne quæ id genus rata eſſent, non accedente Romani Pontificis auctoritate: *Quum Canon Eccleſiaſticus jubeat non oportere abſque ſententia Romani Epiſcopi decreta Eccleſiis ſancire*. Καὶ τοῦ κανόνος ἐκκλησιαστικοῦ κελεύοντος, μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου, τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν. Non unum quid præſeferunt Socratis verba; quorum proptereà duplex, eaque longè diverſa eſt interpretatio. Quidam ſentiunt vocem illam κανονίζειν ad Eccleſiarum Dedicationes trahendam eſſe, quòd de illis ageretur; cæteri ad Canones ſanciendos, multa enim Antiochiæ conſtituta ſunt minimè à Julio probata, & à Sardicenſi Concilio rejecta. Utraque explicatio negotii quidpiam faceſſit, nihilominùs ſi res penitius introſpiciatur, neque improbandæ prorſus ſunt, neque invicem pugnant. Quì enim fieri potuit ut nullæ univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ratæ eſſent Dedicationes, nulla rata Comitia, quamvis minimè Oecumenica, Romani Antiſtitis conſenſione non accedente? Explorata res eſt ad deſideratum non fuiſſe, modò ad Provincialia Comitia, & ad ultimas nationes animum advertamus. Verùm quum Antiochena Synodus ab Imperatore coacta eſſet, & evocati maximarum urbium & Eccleſiarum Antiſtites, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, etſi non omnes interfuerunt, agendum autem eſſet potiùs de Religionis doctrina, quàm de Eccleſiæ Conſecratione, neque inſcio Romano Pontifice, ut optimè ait Socrates, neque ſine ejuſdem auctoritate, aut Concilium celebrari poterat, aut dogmata ad examen vocari, aut Canones pro univerſa Eccleſia conſtitui. Hæc igitur cuncta ſimul peragebantur, Dedicatio maximi Templi, conventus plurimorum orbis Epiſcoporum, magna Synodus, diſceptationes de Eccleſiæ dogmatis; Canones denique pro Eccleſiæ totius diſciplina condebantur. Hæc utique ſine Pontificis Maximi ſententia rata minimè erant.

L. 2. c. 8.

VIII. Conſtat Dedicationum magnificentia ex ea quam peragere conſtituerat Imperator, conſtructo Alexandriæ Templo maximi Principis majeſtate digno. Iracundia inflammatus querebatur, rem Divinam ibi à S. Athanaſio factam antequam Eccleſiæ ritu conſecraretur nova Ædes; quanquam Athanaſius neceſſitate coactus id præſtitit, maximæ Celebritatis die, quum frequentem populum vetus Eccleſia non caperet. S. Gregorius Nazianzenus, Theodoſii ope, Byzantino Sacerdotio auctus, comperit nullum extare Catholicorum Templum in Regia Civitate: præſtantiſſimum ergo ædificium excitavit, ſeu potiùs inſtauravit *Anaſtaſiam*, id eſt Reſurrectionem, vocatum; quòd videretur Hæreticis exhibere imaginem quandam Reſurrectionis Jeſu Chriſti, quemadmodum Ebriicis antiquiores Ædes Chriſtianorum, dum Conſtantinus renunciatus eſt Imperator. Huc accedit Synodus *ad Quercum* dicta, quò Epiſcopi convenerant ad dedicandam Eccleſiam à Rufino propè ſuam Ædem extructam, & ubi cum Chryſoſtomo præclariùs actum non eſt, quàm cum Athanaſio Antiochiæ.

IX. Attigi obiter dies octo Dedicationis; totidem autem durabant quotannis pariter anniverſaria Conſecrationis Solennia, maxima populi, qui frequens conveniebat, lætitia. Sozomeno teſte, Epiſcopi Tyria Comitia celebrantes Hieroſolymam ſe contulerunt ad dedicandam Eccleſiam à Conſtantino ædificatam: *Ex quo tempore Eccleſia Hieroſolymitana quotannis diem Feſtum ſplendidè admodum celebrat; adeò ut eo initiationes Sacrorum peragantur, & dies octo deinceps Conventus fiant; compluresque ex omnibus totius terræ partibus, qui undique ad ſacra loca viſenda confluerent, tempore quo hic dies Feſtus celebrabatur, eò convenirent*. L. 2. c. 26.

X. De Oriente hactenùs; ſed Romæ idem Imperator Conſtantinianam Servatoris Baſilicam conſtrui juſſit, quæ vocatur quoque Baſilica Sancti Joannis Lateranenſis propter duplex Sacellum S. Joannis Baptiſtæ & S. Joannis Evangeliſtæ, quod in Baptiſterio viſitur; Laterani Palatium fuit dum Urbis Idololatræ potiebantur. Hæc Romani Pontificis Sedes eſt, princeps omnium Eccleſiarum: inter utramque verò Baſilicam Petri & Pauli, media conſtituta eſt, quaſi inter filias mater; illis veluti ambabus manibus omnes orbis Eccleſias complectitur tanquam Catholicæ ſocietatis apex & centrum; hæc arx, hæc ara Chriſtianorum, ut præclarus Sanctus Petrus Damiani contra Cadaloum Schiſmaticum: *Hæc igitur ad honorem condita Salvatoris, culmen & ſummitas totius Chriſtianæ Religionis effecta, ut ita dixerim, Eccleſia eſt Eccleſiarum, & Sancta Sanctorum. Habet enim intrinſecùs beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli diverſis quidem locis conſtitutas Eccleſias; ſed ſui compage ſacramenti, quia videlicet in quodam meditullio poſita, quaſi caput membris ſupereminet, indifferenter unitas. His itaque tanquam expanſis Divinæ miſericordiæ brachiis, ſumma illa & venerabilis Eccleſia, omnem ambitum totius orbis amplectitur, omnes qui ſalvari appetunt in materno pietatis gremio confovet & tuetur. Hac Jeſus ſummus videlicet Pontifex arce ſubnixus, totam in orbe terrarum Eccleſiam ſuam Sacramenti unitate confœderat, ut unus Paſtor meritò, & una dicatur Eccleſia*.

XI. Itaque læti ſanctiſſimæ hujus Ædis anniverſarium diem agitare debemus: Dedicationem quoque Baſilicarum Urbis S. Petri & S. Pauli celebramus. Secundo Eccleſiæ Sæculo viſebantur, colebanturque ſepulchra Apoſtolorum, quæ religionis monumenta & arces, eorundem trophæa vocavit Cajus celeberrimus ea tempeſtate Theologus apud Euſebium: *Ego Apoſtolorum trophæa perſpicuè poſſum oſtendere. Nam ſi lubet in Vaticanum* Euſeb. l. 2. c. 24. *proficiſci, aut in viam quæ Oſtienſis dicitur te conferre, trophæa illorum qui eam Eccleſiam ſuo ſermone & virtute ſtabilierunt, invenies*. Has quoque Baſilicas Conſtantinus Auguſtus excitavit, terram quoque, ſi fides habenda Actis S. Silveſtri, effodiendo, & humeris ſuis importando. Nec denegandum eſt præſtitiſſe Principem tam pium, quæ de Veſpaſiano Capitolium inſtaurante Suetonius litterarum monumentis conſignavit. Patet ſemper utraque Apoſtolorum Baſilica Catholicis; nunquam hæreticis, & ſchiſmaticis, ut Optatus ait: *Ad Petri memoriam non accedit quaſi* L. 2. contr. Parmen. *ſchiſmaticus contra Apoſtolum faciens; qui ait, Memoriis Sanctorum communicantes. Ecce præſentia*

tes ſunt ibi duorum memoria Apoſtolorum. Dicite ſi has ingredi potuit, ut obtuleris illic, ubi Sanctorum memorias eſſe conſtat.

XII. Excerpta ſunt è Baronio quæ diximus de utraque Eccleſiarum Urbis Dedicatione. Nec prætermittendum eſt quod affert de veteri more oſculandi januas Eccleſiæ ob condita in ipſis, dum dedicarentur ſacra lipſana; de eo Prudentius quoque egit:

Nota in Mart. Rom.

Ipſa & Senatus limina,
Quondam Luperci & Flamines,
Apoſtolorum & Martyrum
Exoſculantur limina.

Periſteph. Hymn. 2 de S. Laurent.

Capitularia pariter Caroli Magni meminerunt Conſecrationis poſtium quandoque peractæ, ſacris Reliquiis adhibitis: *Si in atrio Eccleſiæ, cujus porta Reliquiis Sanctorum conſecrata eſt, hujuſmodi homicidium perpetratum fuerit, ſimili modo emendetur, vel componatur. Si vero porta Eccleſiæ non eſt conſecrata &c.*

L. 4. c. 13.

XIII. Diutius hic immorandum non eſt expendendo faſtos Eccleſiarum ſolennes Dedicationum dies indicentes. Conſulat, cui vacat, Capitulare Ahytonis Epiſcopi Baſileenſis. Satius eſt nonnulla adjicere de Inventione & Exaltatione Sanctæ Crucis. Patuit, dum ageremus de Templo S. Michaelis, ex Socrate, vetus inſtitutum conſtituendi Cruces in Aris, ac novimus quot Cruces adhibeantur in Eccleſiarum Conſecrationibus. Maxima hæc eſt Crucis gloria, nihil ſine ea magnum nihil ſanctum geri, ut conſtitit ex iiſdem Servatoris verbis. S. Paulinus Nolanus Præſul miſit ad Severum Sulpicium, ut in litteris ad eum ſcriptis memorat, fruſtum veræ Crucis Chriſti, dono datum, nomine Joannis Hieroſolymitani Antiſtitis, Paulino eidem à Melania Hieroſolymis redeunte. Sanctus Præſul egregium ſanè munus Severo Sulpicio miſit, ut tamquam cumulus accederet Sanctorum exuviis, quas comparaverat Baſilicam dedicaturus: *Invenimus quod digne & ad Baſilicæ ſanctificationem vobis, & ad ſanctorum Cinerum cumulandam benedictionem mitteremus partem particulæ de ligno Divinæ Crucis, quod nobis benedicta Melania ab Jeruſalem munere ſancti inde Epiſcopi Joannis attulit.*

Epiſt. 11.

XIV. Adhibebatur igitur etiam Crux in Eccleſiarum Conſecrationibus; neque enim ullus dubitabat quin vis totius vitalis Ligni ineſſet in minimis particulis: *Accipite magnum in modico munus; & in ſegmento penè atomo haſtulæ brevis ſumite munimentum præſentis, & pignus æternæ ſalutis.* Narrat quoque Paulinus, quomodo compertum fuerit Divinitus ubi Crux Servatoris deliteſceret, quod præſtiterunt quoque S. Ambroſius, Severus Sulpicius, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, atque Rufinus. Inventionem hujuſmodi recolunt Latini V. Non. Maji; Græci idem præſtare ſe putant in Paſchali Celebritate: ut enim idem Paulinus narrat, retecta fuit Crux Chriſti revocato in vitam mortuo, ibidem verò Templum Sanctæ Crucis extructum fuit. Addit prætereà Hieroſolymitanum Antiſtitem, poſtquam eam religioſè veneratus eſt ipſo Paſchæ die, populo annis ſingulis ipſam exhibere, ut ſolenniter colatur: *Experimento Reſurrectionis inventa & probata Crux Chriſti eſt, dignoque mox ambitu conſecratur, condita in paſſionis loco, Baſilica, quæ auratis coruſca laquearibus, & aureis dives Altaribus, arcano poſitam ſacrario Crucem ſervat; quam Epiſcopus Urbis ejus quotannis, quum Paſcha Domini agitur, adorandam populo princeps ipſe venerantium promit.* Aſſerit Baronius celebratam eſſe iſtiuſmodi Inventionem à Græcis tertio à Paſchate die, quod Sermone Sophronii Hieroſolymitani Epiſcopi confirmat. Agit quoque Codinus de ſolenni Crucis Adoratione tertio die Dominico Quadrageſimæ; hæc autem

Cap. 9.

vix diſcrepabat à noſtra, die Sanctæ Paraſceves. Non tamen una & eadem eſt quam memorant Paulinus atque Codinus, ob maximam temporis diverſitatem: Accedimus ergo Sophronio in Oratione, quæ extat in Actis Sanctorum à Bollando primùm digeſtis, & in Colonienſi Patrum Bibliotheca. Qui Hieroſolymam confluebant, ut ait Sophronius, ad Paſchalem Celebritatem, Crucem colere optabant antequam illinc proficiſcebantur; idcircò poſtridie ejus diei à Patriarcha exhibebatur. Nec à veritate abhorret celebratum fuiſſe in Oriente Feſtum diem Adorationis potiùs quàm Inventionis S. Crucis, poſtquam Sanctæ Helenæ cura retecta eſt. Liber Sacramentorum S. Gregorii meminit Solemnium Crucis, ut Viſigotorum Leges; ea enim Hervigii lex inter Paſchalem hebdomadam & Aſcenſionem conſignat: *Inventionis quoque Sanctæ Crucis Dominica Feſtum.* Gratianus Euſebio Pontifici edictum quoddam pro hujuſmodi Celebritate adjudicat.

Die 3. Maji c. 3.

L. 12. c. 16.

De Conſecr. d. 3. c. 19.

XV. Exaltationem Crucis ejuſdem tam Latina quàm Græca Eccleſia multò ante Heraclium Imperatorem coluit, quòd conſpiciendam ſe præbuerit Conſtantino. Eam commemorat idem S. Gregorii Ritualis Liber, & Græcum Menologium apud Caniſium his verbis: *Exaltatio pretioſæ & vivificæ Crucis ſub Imperatore Conſtantino Magno.* S. Eutychius Patriarcha Byzantinus, ut in ejus rebus geſtis memoriæ prodidit auctor Eutychii æqualis, multò ante Heraclium ab exilio poſtliminio revocatus à Juſtino & Tiberio Impp. Conſtantinopolim petens ad Monaſterium quoddam in itinere divertit, ubi hæc Exaltatio quartodecimo Septembris die recolebatur. *Poſtquam ſalutiferæ etiam Crucis memoriam die quartadecima menſis Septembris ſplendidè celebravimus, Monaſterio benedixit.* Leontius Neapolis in Inſula Cypro Epiſcopus hiſtoriam texuit S. Simeonis cognomento Sali, egitque ibidem de Solenniis hiſce, Juſtiniani ætate: *Tempore Juſtiniani Imperatoris quum accederent ii qui Chriſti erant amantes, & pro more ſancta Chriſti loca cupiebant adorare, quæ ſunt in ſancta Civitate, in Exaltatione pretioſæ & vivificæ Crucis: Norunt autem omnes qui illic adeſſe conſuevere in hoc ſancto & omnibus laudibus celebrando Feſto, quod ex univerſo orbe terrarum multitudo populorum, quæ Chriſtum & Crucem diligit &c.* Satis, ni fallor, liquet Exaltationem S. Crucis poſt Heraclium ſolenniore fortaſſe ritu peractam fuiſſe, ſed multò vetuſtiorem extitiſſe, videlicet à Conſtantini ferè temporibus, niſi auctor dicendus ſit horum Solennium, quum uſquè eò Crucem coluerit, ut obſervari juſſerit in ejus honorem quaslibet Paraſcevas.

T. 2. Lect. Antiq.

Cap. 50.

Sur. die 6. Apr. c. 50.

Sur. die 1. Julii c. 3.

Euſeb. de Vit. Conſt. l. 1. c. 49. & l. 4. c. 18.

XVI. Sed ut de Eccleſiarum Conſecrationibus unde exordium ſumpſimus, rurſus nonnulla adnotemus, Gratianus in Decretorum Codicem retulit Capita duo, Felicis nempè & Gregorii Romanorum Pontificum, ſed neutri adjudicanda, quanquam antiquitatis indicia præſeferunt: Edicitur ergo ut ſingulis quibuſque annis celebrentur Solennia Dedicationis Eccleſiarum, & Conſecrationis tum Epiſcoporum, tum Presbyterorum, *Solennitates Dedicationum Eccleſiarum, Epiſcoporum, & Sacerdotum per ſingulos annos ſolenniter ſunt celebrandæ.* In Gregorii, ut fertur, ſanctione additur, Dei Filium exemplum nobis præbuiſſe Hieroſolymam petendo ad peragendum anniverſarium diem Dedicationis Templi: *Ipſo Domino exemplum dante, qui ad Feſtum Dedicationis Templi, omnibus id faciendi dans formam, cum reliquis populis eandem Feſtivitatem celebraturus venit: Sicut ſcriptum eſt, facta ſunt Encænia in Hieroſolymis, & hyems erat, & ambulabat Jeſus in porticu Salomonis.* Ac prætereà adnotatur

De Conſecr. d. 1. c. 16. 17.

ibidem

Digitized by Google

ibidem totos octo dies celebrandam eſſe, ut conſtat ex Sacris Regum Libris: *Quod autem octo diebus Encænia ſint celebranda, in Libro Regum perfecta Dedicatione Templi reperietis.* Neque Tabernaculi Moſaici, neque Templi Salomonis, neque Templi denuò à Zorobabele extructi poſt captivitatem, Dedicationes, quanquam admodum ſolennes, & ſi de poſtremis loquamur, octo diebus celebratæ, anniverſario die quotannis recolebantur. Sed poſtquam Reges Syriæ ſummo ſcelere & impudentia Dei Domum contaminarunt, Judas Machabæus eam rurſum occupavit, expiavit, iterumque diebus octo dedicavit, lege lata ut annis ſingulis eadem Conſecratio totidem dies coleretur, ut cognoſcimus ex Libris Machabaicis atque Joſephi, qui illud quoque animadvertit, *Encænia* Græcum verbum idem eſſe atque ejuſmodi inſtaurationem, & Solennia hæc vocata quoque fuiſſe *Dies Luminum*.

Nec mirum cuiquam videri debet tot dies Dedicationem celebrari, Paſcha verò ſeptem dum-
Lev. c.23. v.8.35.36. taxat ad Moſaicæ Legis præſcriptum. Nam idem conſtituit Moſes de octo diebus Scenopegiæ, quorum primo & poſtremo ab operibus ceſſabatur. Octo igitur ſolennes dies veteris quoque Legis religione nituntur. Nehemias ipſa Hieroſolymæ mœnia iterùm conſtructa ſolenniter dedicavit; ac Conſtantinus Cæſar Civitatem Byzantium, ut omnia hyſtoriæ monumenta teſtantur: *Conſtantinopolim dedicat*, inquit Hieronymus in Chronico, *omnium urbium nuditate*. Ex Chronico autem Alexandrino novimus, Feſtum diem hujus Dedicationis quotannis recolendum curaſſe: Zonaras verò, Cedrenus & Nicephorus narrant Deiparæ Romam illam alteram dedicaſſe. Sed omnibus præſtat magnificentia ac ſolennitas, qua Leo IV. Pont. Max. conſecravit Urbem Leoninam nuncupatam, recentem nempè ac veteri Urbi additam: Extat Anaſtaſii Bibliothecharii deſcriptio in geſtis illius Pontificis.

XVII. Solennia Translationum cæteroqui vetuſtiſſima minimè attigimus; quum tamen non levis ſit conjectura Celebritates plurimas peractas potiùs fuiſſe die quo Sanctorum lipſana alio adſportata ſunt, quàm quo mortem obierant, hic enim ſæpè latebat. Meminit Evagrius Translationis Corporis Sancti Ignatii Martyris Roma Antiochiam, ubi Theodoſius Templum ſub ejus auſpiciis dedicandum, eòque ſacra Martyris oſſa transferenda curavit; illa verò Ædes Fortunæ fanum priùs fuerat: *Cujus Martyris ſacra Reli-* Evagr. l.1. c.16.
quiæ curru cum ſolemni pompa per Civitatem portatæ, & in Templo repoſita fuerunt. Qua de cauſa Feſtum celebre & lætitia communis ad noſtram uſque ætatem peragitur. Narrat quoque Socrates, translatum fuiſſe Conſtantinopolim Corpus Sancti Joannis Chryſoſtomi ab exilii & mortis loco: conditum autem fuit in Templo Apoſtolorum anno ab ejuſdem exilio triceſimoquinto: *Conſtantinopo-* Socrat. l.7. c.44.
lim transferendum curavit, quod cum multo honore & ſplendida pompa publicè celebrata, in Eccleſia Apoſtolorum condidit.

LIBER

LIBER TERTIUS.
QUOMODO COLENDI SINT Feſti dies.

CAPUT PRIMUM.

Quibus rebus interdictum ſit Feſtis diebus. De Convivtis, Saltationibus, Ludis ſcenicis & theatralibus, nundinis &c.

I. S. Baſilius acriter ſaltationes Feſtorum dierum perſtringit.

II. S. Hieronymi monita de temperantia & frugalitate diebus iiſdem adhibenda.

III. Aurea S. Auguſtini praeceptiones de choreis, conviviis, aliiſque id genus oblectamentis quæ minimè Chriſtianos decent, quòd opera reipſa illiberalia ſint.

IV. Agrorum cultus & artes minùs ex Auguſtino pugnant cum religione dierum Feſtorum, quàm ejuſmodi oblectamenta.

V. Aliæ conqueſtiones de choreis ac ludis ſcenicis.

VI. Quàm temperatè Auguſtinus natalem diem ſuum celebraret, non adhuc ſacris initiatus.

VII. Synodus Cabilonenſis anathemate plectit eos qui pro foribus Eccleſiæ vacant ſaltationibus, & turpibus carminibus.

VIII. Herardus Turonenſis Archiepiſcopus in pauca contrahit quæ religioſis diebus facienda ſint vel vitanda.

IX. Dum à ſacris Ædibus egredimur, & Solennia celebrata ſunt, continuò in alio Templo longè ampliore verſamur, & jugis alia Celebritas peragenda eſt; quum Deum ubivis & continenter coli oporteat.

X. Leges Regum Galliæ contra nundinas, mercatus, choreas, ludos ſcenicos, ſpectacula, & alia conſimilia, quæ Feſtis diebus exercentur.

XI. Conſimile edictum Comitiorum Regni Melodunenſium.

XII. Canones Conciliorum Eccleſiæ Gallicanæ poſt Tridentinam Synodum eodem ſpectantes.

XIII. Quid S. Carolus conſtituerit, ejuſque animi robur in tuenda Eccleſia diſciplina.

XIV. XV. Plures Conciliorum Canones de iiſdem agentes.

I. ACturus poſtremo hoc Libro de pietatis ſtudio quo Feſti dies colendi ſunt, ea in ipſo limine perſequar, in quæ nefas eſt incumbere, ut ritè Eccleſiæ Solennia peragantur; explicaturus poſteà cætera Chriſtiani hominis officia. Cavenda primùm ſunt quædam quæ nec honeſta ſunt, nec adiaphora, ut ſaltationes, opipara convivia, ſpectacula, fabulæ, ludi ſcenici, & quæ mentem à Chriſtiana pietate avocant. S. Baſilius graviſſimam & vehementiſſimam Orationem habuit in fœminas quaſdam, quæ ſancto Paſchæ die ſaltationibus vacaverant ore impudenti, ſplendidiſque indumentis exornatæ ac comptæ, quaſi allicere & ineſcare voluiſſent complures adoleſcentes qui aderant, eaſque ſpectabant: *Capita honeſtis operta velaminibus rejicientes, Deum & ejus Angelos deſpicientes, ad virorum aſpectus impudentes diffuſa comas, tunicarum luxum oſtentantes, pedibus geſtientes, ac oculo petulco, riſu laſcivo, ad ſaltationem inſanientes, juventutis intemperantiam in ſe provocantes.* Hujus mali originem eſſe cenſet ingluviem & ebrietatem: *Vinum profectò harum ſtragem animarum nobis fecit.*

T. 1 hom. 14. in Ebriet. & Lux.

II. S. Hieronymus Euſtochio Virgini gratias agit ob munuſcula miſſa, præſertim quaſillum ceraſis refertum, ut hilariter S. Petri Feſtum diem produceret: *Feſtus eſt dies & Natalis beati Petri, feſtivius eſt ſolito condiendus &c. Accepimus & caniſtrum ceraſis refertum.* Hujuſmodi epulum fas eſſe apponi adeò ſolenni die arbitrabantur Euſtochium & Hieronymus; hæc verò ceraſa uſque eò oblectarunt ſanctiſſimum virum, ut minimè concedere dixerit aliis à Lucullo Romam delatis tum quum primùm ex Ponto & Armenia in Urbem afferebantur. Lucullus ſiquidem Provinciis illis in poteſtatem Romanorum redactis primus è civitate Ceraſunte ea in Urbem invexit, tanquam victoriæ argumenta, unde nomen quoque mutuantur: *Siquidem hoc genus pomi, Ponto & Armenia ſubjugatis, de Ceraſunto primus Romam pertulit, unde & de patria arbor nomen accepit.* Cæterùm Hieronymus qui in aſperrimo vitæ inſtituto animum obfirmaverat, monuit virginem cujuſmodi ſint oporteat delitiæ & voluptates Feſtorum dierum, mentis videlicet oblectamenta, non ſenſuum illecebras conſectari tunc expedire. Nam quum Deum epulis abſtinendo colamus, qui fieri poteſt ut ejus Martyrum Natalitia benè pranſi ritè celebremus? Tanta igitur ſobrietas tunc Chriſtianos decet, ut epulæ minimè impediant quominùs vacare poſſimus lectioni ac precibus, ut quovis alio tempore: *Unde nobis ſolicitus providendum eſt, ut ſolennem diem non tam ciborum abundantia, quàm ſpiritus exultatione celebremus. Quia valdè abſurdum eſt nimia ſaturitate velle honorare Martyrem quem ſcias Deo placuiſſe jejuniis. Ita tibi ſemper comedendum eſt ut cibum & oratio ſequatur & lectio.*

Tom. 1.

III. Idem S. Auguſtinus monet, ne Chriſtianorum Solennia Ebræorum deſidia luxu & conviviis polluantur. Satius enim eſſet terram ſubigere, quàm totos illos religioſiſſimos dies ſaltando & ineptiendo producere: *Obſerva diem Sabbati, non carnaliter, non Judaicis delitiis, qui otio abutuntur ad nequitiam. Meliùs enim utique tota die foderent, quàm tota die ſaltarent.* Adnotat alibi turpiter decipi Ebræos exiſtimantes nefas eſſe vacare tunc operibus mechanicis, non verò choreis, epulis, aliiſque iſtiuſmodi ſenſuum oblectamentis. Nam quum labores atque negotia minimè turpia non liceant, ne mentes noſtræ à Deo ullo modo abducantur, multò magis ceſſandum erit à vitiis & hujuſmodi illecebris, quæ maximè à Deo nos abſtrahunt: *Ecce & hodiernus dies Sabbati eſt. Hunc in præſenti tempore otio quodam corporaliter languido & fluxo & luxurioſo celebrant Judæi. Vacant enim ad nugas, & quum Deus præceperit obſervari Sabbatum, niſi in his quæ Deus prohibet exercent Sabbatum. Vacatio noſtra à malis operibus, vacatio illorum à bonis operibus eſt. Meliùs eſt enim arare quàm ſaltare. Illi à bono opere vacant, ab opere nugatorio non vacant.*

Conc. 1. in Pſalm. 31.

In Pſalm. 91.

IV. Res eſt perſpicua. Fas & jura non ſinunt Feſtis diebus vel agrum colere, vel conſimilia opera exercere quæ ab honeſtate non abhorrent; immò quibus operam dare intereſt Reipublicæ, & non parum multoties cum virtutum officiis conjunguntur. Qui fieri igitur poteſt ut quæ adeò mores corrumpunt, otium, luxus, voluptas, minimè prohibeantur? Ea ſiquidem in quæ homi-

homines tunc quum minimè oportuit incumbunt, ſunt ex Auguſtino, *Otium languidum, fluxum, luxurioſum, nugæ, opus nugatorium, opera mala.*

V. Fabulas quoque & ludos ſcenicos quàm longiſſimè abeſſe à ſanctitate Feſtorum dierum alicubi profitetur Hipponenſis Antiſtes. Præclarè enim cum conſimilibus ſpectaculis agitur, quum nugæ & ineptiæ dumtaxat vocantur, ac parum his convenire dicitur cum vitæ integritate ac caſtitate quam vitiant: *Nugæ, opus nugatorium, otium languidum, fluxum, luxurioſum.* Equidem, ſi rem ipſam putemus, cuncta hæc aliàs deliria ſunt hominum maleferiatorum, at Feſtis Chriſtianorum diebus flagitia: [L. de decem Chordis c. 3.] *Dicitur tibi ut ſpiritualiter obſerves Sabbatum, non quomodo Judæi obſervant Sabbatum carnali otio; vacare enim volunt ad nugas atque luxurias ſuas. Melius enim faceret Judæus in agro ſuo aliquid utile, quàm in theatro ſeditioſus exiſteret: & melius fœminæ eorum die Sabbati lanam facerent, quàm tota die in Nehomeniis ſuis impudicè ſaltarent.*

VI. Auguſtinus natalem diem ſuum recolebat antequam ſacris initiaretur; ita enim à Majoribus acceperat, qui Natalitia hæc luxu & conviviis liberè agitabant. Ipſe verò in Libro de Beata Vita, quem tunc conſcribebat, fatetur ſe tam parcè epulum cum neceſſariis ſuis celebraſſe, ut quanquam paſti de eadem beata vita agerent; illam enim conſectabantur, non ſenſuum illecebras: [L. de Beat. Vit.] *Idibus Novembris mihi Natalis dies erat: poſt tam tenue prandium, ut eo nihil ingenium impediretur, omnes qui ſimul non illo tantum die, ſed quotidie convivabamur, in balneas ad conſedendum vocavi.* Eadem eſt mens S. Hieronymi qui frugalitatem, ſobrietatemque commendat, ne mentis acies retuſa impedimento ſit Divinarum rerum meditationi: *Poſt tam tenue prandium, ut ab eo ingenium minimè impediretur.* Natalitia lætitiæ, non religionis erant, etſi Idololatræ Genium colebant, Chriſtiani verò pietatis officiis vacabant Deo magis quàm mundo nati. Itaque ſi ea ſobrietatis omniſque virtutis argumenta præbuit Auguſtinus, qua tandem ratione Solennia celebraſſe dicendus eſt?

VII. Cabilonenſis Synodus, anno 650. interdixit ſaltationibus & carminibus in atriis Templorum, dum ſacræ Celebritates agerentur, juſſitque Sacerdotes anathematis, ſi opus eſſet, pravis illis moribus occurrere: [Cap. 18.] *Multa quidem eveniunt, quæ dum levia minimè corriguntur, ſæpius majora conſurgunt. Valdè enim omnibus noſcitur eſſe indecorum, quòd per Dedicationes Baſilicarum, aut Feſtivitates Martyrum, ad ipſa Solennia confluentes chorus fœmineus turpia quidem & obſcœna cantica decantare videntur, dum aut orare debent, aut Clericos pſallentes audire. Unde convenit ut Sacerdotes loci talia à ſeptis Baſilicarum vel porticibus ipſarum, ac etiam ab ipſis atriis vetare debeant & arcere. Et ſi voluntariè noluerint emendare, aut excommunicari debeant, aut diſciplinæ aculeum ſuſtinere.*

VIII. Herardus quoque Archiepiſcopus Turonenſis, anno ferè 859. in celeberrimis Conſtitutionibus ſuis cultum ſtatorum Solennium perſequutus eſt. Populum hortatur ut vel privatis precationibus vacet, vel cum Eccleſiæ adminiſtris Dei opem imploret, orando, ſilendo, & oblationes exhibendo. Edicit ne quis choreis, inhoneſtis cantiunculis, ludiſve, ſive domi, ſive foris Solennia polluat, ſed in ſanctorum librorum lectionem incumbat, piorum virorum conſuetudine utatur, cogitationes omnes ad Divina traducat, & Hymnos, Pſalmoſque adhibeat dum ad Eccleſiæ conventum ſe confert, vel domum ſe recipit; quod bubulcis quoque, paſtoribus, & agricolis præcipit dum ad agrum, ad paſcua, vel opus ruſticum proficiſcuntur, vel domum redeunt: *Quando populus ad Eccleſias venerit per dies ſolennes, aut communiter Kyrie Eleiſon cantent, aut orationem ſingulariter dicant. Et in Eccleſia cum ſilentio ſtent, & pro ſe, & pro omni populo Dei orent, corda ſemper ad Cœlum habentes erecta; & moneantur, ut luminaria, incenſum, & buccellas, & fructuum primitias afferant, ſicut ſcriptum eſt, Honora Dominum de tua ſubſtantia. Et in iiſdem ſanctis diebus, nec in plateis, nec in domibus cantica turpia, vel luxurioſa, ſaltationes vel luſa faciant diabolica. Sed aliquem ſapientem & bonum hominem conveniant, & ibi bonis lectionibus, quæ ad animæ ſalutem pertinent, intendant. Revertentes de Eccleſia ſimiliter cantent; & eorum paſtores exeuntes vel revertentes ad campos ut vera Chriſtianitas in eis agnoſcatur.* [Cap. 114.]

IX. Verba illa digna ſunt quæ adnotentur, *Exeuntes de Eccleſia ſimiliter cantent; & eorum paſtores exeuntes vel redeuntes ad campos.* Confirmant enim quæ plus millies dicta ſunt, eſſe nempè hanc rerum univerſitatem auguſtum Divinæ Majeſtatis Templum, & ſæculorum omnium ſeriem Celebritatem quandam, quum Deus cuncta ſuo Numine complens, ubique terrarum, & omni temporis puncto, colendus ſit. Qui ergo à ſacris Ædibus egrediuntur, ubiubi degant, ſive domi, ſive in foro, ſive in agro, in Templo illo ampliſſimo, quod cætera omnia circumplectitur, adhuc verſantur; nec ſacra unquam ita peracta ſunt, quin Feriæ ſint continenter celebrandæ, jugis nempè illa Sanctorum Solennitas.

X. Galliæ Reges Canonum diſciplinam edictis ſuis tuentur. Edicitur in Aurelianenſi Conſtitutione, ne cui fas ſit Dominicis diebus cæteriſque anniverſariis Celebritatibus mercaturam exercere; nundinæ & publicæ ſaltationes vetitæ ſunt, & multam à Judicibus indicendam eſſe decernitur. [Art. 23.] Interdictum quoque eſt aleis, fabulis, ac ludicris ſpectaculis, abuſu Sacerdotalium indumentorum, quibus impiè nonnulli induebantur, & turpibus quibuſque ludis: hæc verò ſcelera carcere luenda ſunt. [Art. 24.] Prætereà non licet cauponibus, quibus horis Sacra fiunt, ullum recipere; in ſontes verò animadvertendum eſt, atque adeò in ipſoſmet Judices, ſi muneri ſuo deſint: nullique fas eſt ad popinas, cauponas, & ſimilia loca divertere, ut cibo ac vino indulgeant, ludiſque vacent. [Art. 25.] Quæ omnia probavit Edictum Bleſenſe, conſtitutis iiſdem pœnis in ſcurras, circulatores, ludios, hiſtriones, gladiatores, & quodvis id genus veteratores. [Art. 38.]

XI. Congruunt Regiæ ſanctiones quæ conſequutæ ſunt: ſed in Eccleſiæ Gallicanæ conventibus plura conſtituuntur ad normam veterum Conciliorum. Conventus Melodunenſis damnat mercatus ac nundinas, maximè in ſacratarum Ædium veſtibulis, atriiſque; eos quoque qui ludicra certamina, ludos, vel ſaltationes publicè exercent Feſtis Eccleſiæ diebus: [Mem. Cler. t. 1 p. 507. & ſeq.] *Non parum ſtudii ac diligentiæ adhibendum eſt ut dies Feſti ita celebrentur, ut &c. Ne nundinæ, præcipuè in Templorum veſtibulis, clauſtris, aut portis exerceantur, aut culinæ admittantur. Ne moriones & ſaltatores Feſta ſuburbiorum cum tympano prænuncient populis urbium, ut eos ad luxum, voluptates, & ad ebrietates à ſua Parochia avocatos ad ſe trahant. Ne ludi equeſtres, certamina, ſaltationes, aut inania alia ludicra, & prophana, diebus Feſtis exerceantur. Qui ſecus fecerint, graviter puniantur, ſi ſemel admoniti, & ad Epiſcopos delati, non reſipuerint.* [Tit. 6. de Feſt. cult.]

XII. Afferri huc poſſent quamplurimi Canones Synodorum poſt Tridentinam coactarum in Gallia, ſi omnia perſequi animus eſſet quæ conſtituta ſunt pro evellendis pravis moribus quoquoverſum ſerpentibus Feſtis diebus. Concilium Rho-

roma-

Tit. de Div. cult. c. 4. 5. 6.

tomagenſe, An. 1581. peſſimè dolet violari impudenter Apoſtolorum, Martyrumque Solennia ab illis qui publicè mercaturam exercent, eoſque ab Eccleſiæ ſocietate ſegregari jubet, ut cæteros Chriſtianas Celebritates violantes, ebrietate, & conſimilibus flagitiis: *Commeſſationes, ebrietates, ſumptus, lites, luſus improbos & inhoneſtos, choreas plenas infamiis, cantilenas turpes, breviter omnem luxum & laſciviam, atque omnem Feſtorum profanationem damnamus & reprobamus.* Remenſe Ann. 1585. ludos theatrales iiſdem diebus

Tit. de dieb. feſt.

execratur: *Ludos theatrales etiam prætextu conſuetudinis exhiberi ſolitos, & puerilia cæteraque ludicra, quibus Eccleſia inquinatur honeſtas & ſanctitas, in Chriſti, & Sanctorum Feſtivitatibus omninò prohibemus.* ——— *Nundinæ publicæ, mercatus & auctiones ne fiant diebus Feſtis ſub pœna excommunicationis.* Id pariter conſtituit eodem anno Concilium Turonenſe: *Comœdias,*

De Feſtor. cultu

ludos ſcenicos vel theatrales, & alia ejus generis irreligioſa ſpectacula agi ſub anathematis pœna prohibet hæc Synodus. Venatio quinque, aucupium, convivia publica, & alia plurima prohibentur: *Commeſſationes, convivia publica, tripudia, ſaltationes, ſtrepitus, & choreas fieri, venatu & aucupatu tempus terere, in hoſpitiis ſeu cauponis, aliis quàm peregrinis cibaria & vinum miniſtrari, ludos palmarios, & alios, maximè dum ſacra peraguntur, laudeſque Deo decantantur, aperiri.* Quæ Bituricenſe etiam, An.

Tit. 6. c. 4. 6.

1584. vetat: *Dominico die ceſſent ſæcularia opera, ceſſent lictores, ſileat præconis tuba, vectura, omnes negotiationes, contractus, Notariorum inſtrumenta, niſi quæ ex neceſſitate teſtamentorum, aut matrimoniorum differri non poſſunt &c. Prohibetur populus profana ſodalitia & commeſſationes, chorea, tripudia, larvas, & theatrales ludos iiſdem diebus Feſtis exercere: pompas inſtrumentorum muſicorum & tympanorum in geſtationibus imaginum per vias & compita exhibere.*

XIII. Viam muniverat S. Carolus interdicens in Tertio Mediolanenſi Concilio, & Undecima Diœceſeos Synodo hujuſcemodi pernicioſis oblectamentis, maximè quo tempore Canonicas precatinoes & rem Divinam Eccleſia celebrat, poſtquam mala quæ illinc oriuntur recenſuit: *Sal-*

Acta Eccl. Med. p. 15. 86. 404.

tem horis quibus Divina celebrantur Officia, interdicimus, ne ſaltationes, tripudia, chorea ducantur, aut fiant. Ne item Comœdia, ludi ſcenici, vel theatrales, haſtiludia, & alia cujuſvis generis ſpectacula agantur. Ne circumforanei circulatores, & id generis nebulones præſtigias ſuas inaniaque ea ſpectacula agant; neque quicquam omninò vendant, ne medicamenti quidem prætextu. Choreæ quidem ſanctiore illo tempore potiſſimùm improbantur, umbratiles pugnæ, ac ludi omni-

L. 5. c. 9.

nò. Sanè, ut habet Juſſanus in geſtis ſanctiſſimi Antiſtitis, edixit ne cui fas eſſet ludicra illa certamina ac ſpectacula exhibere Dominicis, cæteriſque Feſtis diebus, horis tamen illis quibus Mediolani in Eccleſia principe Divinis rebus dabatur opera, indicta pœna qua reipſa ab Eccleſiæ ſocietate arcebantur ſontes, quacunque dignitate aucti; verùm eo vetita hæc fuerunt quibuſdam tantùm horis, quòd perduelles, quorum amantiſſimus Præſul rationem aliquam habendam eſſe exi-

L. 5. c. 2.

ſtimavit, diris devoverentur: Romanus Pontifex hanc legem probavit, ex eodem Auctore, licèt ei Mediolanenſis Præſes interceſſerit.

Non tamen ſatis id fuit Antiſtiti optimo, ſed nullis adhibitis Conciliis, Edictis, Anathematis, ineunte anno 1582. curavit diligentiſſimè abolenda, nec aliquot duntaxat horis, diebus ſacris, quæcunque religioni adverſantur, ſalta-

L. 6. c. 13.

tiones, larvas, & conſimilia oblectamenta hominum à pietate abhorrentium, quod & præſti-

L. 7. c. 7.

tit, cunctis ei obſequentibus. Ita Juſſanus ibidem. Dies me deficeret ſi pia Sancti Præſulis inſtituta atque artes perſequi vellem, quibus effecit ut populus diebus illis à Divinis rebus minimè abduceretur.

XIV. Jamdiu Capitularia & Concilia conſtituerant nefas eſſe Dominicis, cæteriſque Feſtis diebus, mercaturam exercere. Capitularia Caroli Magni idem de hoc & quovis illiberali opere ſtatuunt: *De mercatis, ut in die Dominico non agantur, ſed in diebus quibus homines ad opus dominorum ſuorum debent operari.* Eandem ſententiam tulit Concilium Turonenſe III. Carolo Magno pariter Imperatore, anno 813. nihil enim intereſſe cenſet inter mercatus, & cætera opera vetita diebus Divinis laudibus, & Religionis officiis dicatis: *Itaque interdicatur, ne mercata & placita unquam fiant die Dominica, quâ oportet omnes Chriſtianos à ſervili opere in laude Dei & gratiarum actione uſque ad veſperam perſeverare.* Concilium Toletanum III. jubet aboleri ab Epiſcopis & Magiſtratibus turpia carmina & choreas: *Exterminanda eſt irreligioſa conſuetudo quam vulgus per Sanctorum Solennitates agere conſuevit. Populi qui debent Officia Divina attendere, ſaltationibus & publicis invigilant canticis, non ſolum ſibi nocentes, ſed etiam religioſorum officiis. Hoc enim ut ab omni Hiſpania depellatur, Sacerdotum & Judicum à Concilio Sancto cura committitur.*

T. 2. Gall. v. 1. 197. c. 18.

T. 2. Conc.

Cap. 40.

Can. 23.

XV. Concilium Carthaginenſe IV. Anathemate plecti voluit illos qui ſtata Eccleſiæ Solennia, & ſacros cœtus negligunt ut interſint ſpectaculis: *Qui die ſolenni, prætermiſſo ſolenni Eccleſiæ conventu, ad ſpectacula vadit, excommunicetur.* Nemo autem dixerit timuiſſe tunc Eccleſiam ne Chriſtianæ Religioni nuncium remitterent qui ſpectaculis aderant; ſed ferendum minimè erat vacare ludis ejuſmodi tum quum Sacra fiebant, preces adhibebantur, & Dei verbum promulgabatur. Eadem ergo de cauſa ludi noſtri ſcenici & fabulæ, quales quales ſint, dum Celebritates peraguntur, vitio non carent.

Denique intelligimus ex Concilio Africano, Can. 27.
ſive potiùs ex Africanorum Canonum Collectione, publica convivia quæ alicubi agitabantur in Ædibus Martyrum, Natali eorum die, reliquias quaſdam extitiſſe veteris ſuperſtitionis, invectas ſummo probro Chriſtiani nominis in Eccleſias quaſdam ac Templa. Id Concilium damnat, ac ſimul inhoneſtas ſaltationes: *Illud etiam petendum, ut quæ contra Divina præcepta convivia multis in locis exercentur, quæ ab errore Gentili attracta ſunt (ita ut nunc à Paganis Chriſtiani ad hæc celebranda cogantur; ex qua re temporibus Chriſtianorum Imperatorum perſecutio altera fieri videatur) vetari talia jubeant, & de civitatibus & de poſſeſſionibus impoſita pœna prohiberi; maximè quum etiam in Natalibus beatiſſimorum Martyrum per nonnullas Civitates, & in ipſis locis ſacris talia committere non reformident. Quibus diebus etiam, quod pudori eſt dicere, ſaltationes ſceleratiſſimas per vicos atque plateas exercent, ut matronalis honor & innumerabilium fœminarum pudor devotè venientium ad ſacratiſſimum diem, injuriis laſcivientibus, appetatur, ut etiam ipſius ſanctæ Religionis penè fugiatur acceſſus.*

CAPUT II.

Quæ oblectamenta liceant Feſti diebus.

I. Veterum Chriſtianorum epulum Agape vocatum, optimè à Tertulliano deſcribitur.

II. Idem Convivium inſtruendum eſſe à Judæis

Eſdras

Eſdras exiſtimavit, ut eorum proſtrata vires reſicerentur.

III. Quandonam, & cur ſublata hujuſmodi Convivia.

IV. Qua animi lenitate ſe geſſerit Monica Mediolani docet Auguſtinus filius.

V. Ejuſdem ſanctiſſima fœmina ſobrietas in piis illis Conviviis.

VI. Ob luxum & ingluviem videbantur quàm longiſſimè abeſſe ab illis quæ S. Paulus memorat, & ſimillima eſſe aliis ab Idololatris inſtructis propè majorum tumulos.

VII. Ex ſobrietate vel crapula dijudicandum erat eſſent ne ſimiliora Pauli an Ethnicorum Conviviis.

VIII. Sublata ſunt ab Auguſtino in Africa, quemadmodum ab Ambroſio in Italia.

IX. Ea Ambroſius acriter inſectatur.

X. Ob illuſtria iſtiuſmodi exempla conſimiles mores coercendi ſunt.

XI. S. Gregorius Thaumaturgus, ut morem gereret Idololàtris recens Chriſtiana militia adſcriptis, non omnia ſuſtulit ejuſmodi Convivia in Martyrum Natalitiis. Id narrat ac probat S. Gregorius Nyſſenus.

XII. Animadverſio in idem Thaumaturgi inſtitutum.

XIII. XIV. Ipſimet Anachoretæ ſe ipſos inviſentes humaniter excipiebantur, maximè ſolennioribus diebus: exempla, & adnotationes quædam.

XV. S. Martini exemplum.

XVI. Unde petenda vox Feſtus dies, *& aliæ conſimiles.*

XVII. Magnus Gregorius Romanus Pontifex Thaumaturgum ſequutus, vel potius Moſem, qui, Deo jubente, animantes quaſdam ab Ebræis immolari oportere conſtituit, recentes Angliæ Chriſtianos ſinit boum mactatorum carnibus veſci, cum gratiarum actione, propè Martyrum Ædes.

XVIII. S. Joannis Chryſoſtomi, & S. Gregorii Nazianzeni præceptiones de iis quæ liceant Feſtis Eccleſiæ diebus.

XIX. Caſtigantur qui antequam ſacris interſint quidpiam comedunt.

XX. Faſne ſit Feſtis Eccleſiæ diebus balneis uti.

XXI. De Eulogiis, *ſeu muneribus, ultrò citròque miſſis, iiſdem diebus.*

I. COnciliom Africanum, de quo paulò antè egimus, exiſtimat Ethnicis accepta referenda eſſe Convivia in Martyrum Natalitiis ad eorum tumulos. Agebatur primùm hujuſmodi epulum admodum piè ac parciter, vocabaturque propterea *Agape*, ideſt dilectioois Coovivium, quòd ditiorum opibus inopes alereotur. Ita Tertullianus in Apologetico: *Vocatur ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos eſt. Quantumcunque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum. Siquidem inopes quoque refrigerio iſto juvamus.* In pauperum potiùs numerum quàm epularum ſumptus impendebantur, quum maximæ delitiæ, ut ait Tertullianus, preces eſſent, unde initium capiebatur: *Non prius diſcumbitur quàm oratio ad Deum præguſtetur.* Dapibus igitur fames tantùm depellebatur, potuque reſtinguebatur ſitis, nec quicquam pudicitiæ metuendum erat; noctu enim ſtatis precationibus vacare oportebat; habebant autem continenter præ oculis Majores noſtri omnia ſpectantem Deum: *Editur quantum eſurientes capiunt; bibitur quantum pudicis eſt utile. Ita ſaturantur ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe; ita fabulantur ut qui ſciant Dominum audire.* Quid? quòd inter comedendum canebantur Divinæ laudes à convivis ſe invicem provocantibus, & quaſi ſobrietatis periculum facientibus: *Poſt aquam manualem, & lumina, ut quiſque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium, Deum canere. Hinc probatur quomodo biberit.* Quum igitur nullus ab officio diſcederet, ſed modus ubique retineretur, & cuncti ad temperantiæ & virtutis præſcriptum mores componerent, celebrari potiùs ritè Solennia, quàm Convivia videbantur: *Ut qui non tam cœnam cœnaverint, quàm diſciplinam.*

II. Nihil igitur aurea illa naſcentis Eccleſiæ ætate epulæ cum religione pugnabant. Hæc, ni fallor, convivia ab Ebræis celebranda curavit Eſ- L.2.c.8 n.
dras, quum eos mœrore confici perſpexiſſet, ob patrata flagitia, poſt ſacrorum Voluminum lectionem atque interpretationem. Poſtquam jure tanto dolore affecti fuerant, leniùs cum ipſis agendum erat, ne ob triſtitiam animo deſponderent. Itaque operæ pretium erat ut gaudio quoque deliburi, alacres in bono obfirmarentur: habenda eſt enim eorum ratio qui adhuc imbecilles ſunt & minùs virtute præſtant: *Et dixit eis, Ite, comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes his qui non præparaverunt ſibi, quia ſanctus dies Domini eſt, & nolite contriſtari; gaudium etenim Domini eſt fortitudo noſtra.*

III. Ultrò fatemur ab iſtiuſmodi conviviis vel Legis Moſaicæ, vel veteris Eccleſiæ, repeti potuiſſe ea quæ Feſtis diebus in Ædibus Martyrum exhibebantur, ut Africanus Canon memoriæ prodidit; ſed nimiùm à veterum inſtitutis recentiora aberant, quanquam Pauli ætate ſerpere incipiebant pravi mores: *Unuſquiſque ſuam cœnam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.* Querebatur tamen Apoſtolus de unius tantùm Eccleſiæ moribus. Etenim Tertullianus convivarum temperantiam atque concordiam miratus eſt. Cæterùm uſque eò abuſus excreverat, vergente in finem Sæculo IV. ut Ambroſius, Auguſtinus, ac plerique omnes Patres exiſtimaverint è re eſſe vetus illud inſtitutum abolere, quum magis obeſſe viderentur ob plurimorum flagitia, quàm conducere ob paucorum ſobrietatem ac religionem.

IV. Id Sanctus Auguſtinus docet commendans ingenium ac demiſſionem matris ſuæ lectiſſimæ fœminæ, cujus oblationes, panis, vini, & carnium ad Martyrum tumulos Mediolanenſes rejecerunt, quòd ſublata eſſent ab Ambroſio antiqua Confeſſ.
convivia. Celebrabantur adhuc io Africa; nihilo- l.6.c.2.
minùs Mooica nulla patrii moris habita ratione, Mediolanenſi Eccleſiæ obtemperavit, ne luxum, ingluviem & ſexcenta mala probare videretur: *Itaque quum ad memorias Sanctorum, ſicut in Africa ſolebat, pultes & panem, & merum attuliſſet, atque ab Oſtiario prohiberetur; ubi hoc Epiſcopum vetuiſſe cognovit, tam piè atque obedienter amplexa eſt, ut ipſe mirarer, quod tam facilè accuſatrix potiùs conſuetudinis ſuæ quam diſceptatrix illius prohibitionis effecta ſit.*

V. Quanta foret ſobrietas, qui modus in conviviis adhibitus à piis Chriſtianæ Religionis cultoribus, ex Auguſtino cognoſcimus. Ut enim ibidem ait, Monica Martyrum ſacella adibat carnes in quaſillo afferens, ut in eorum honorem, quum ipſa, tum pauperes alerentur; parum verò vini aqua valdè diluti ſibi reſervabat. Quod ſi ad plures Martyrum Ædes divertendum erat, non proptereà aliquid vini addebat. Itaque non merum adhibebat, ſed vinum aqua temperatum, ac minimè refrigeratum; aliis verò illud præbebat non voluptatis, ſed pietatis rationem habens: *Sed illa quum attuliſſet caniſtrum cum ſolennibus epulis prægustandis atque largiendis, plus etiam quàm unum pocillum pro ſuo palato ſatis ſobrio temperatum, unde dignationem ſumeret, non ponebat. Et ſi multa eſſent quæ illo modo videbantur honoranda memoria defunctorum; idem ipſum*

unum

unum quod ubique poneret circumferebat, quod jam non ſolum aquatiſſimum, ſed etiam tepidiſſimum cum ſuis præſentibus per ſorbitiones exiguas partiretur; quia pietatem ibi quærebat, non voluptatem.

VI. Sanè ſi ita omnes ſe geſſiſſent, minimè oportuiſſet tolli è medio vetus illud inſtitutum; at ob plures ex pecudum, ut ita dixerim, genere ad gulæ voluptates propenſiores, arbitrati ſunt Patres, id non pium Chriſtianorum morem vocandum eſſe, ſed profanum epulum & impiorum inferias: *Itaque ubi comperit à præclaro Prædicatore, atque Antiſtite pietatis præceptum eſſe iſta non fieri, nec ab eis qui ſobriè facerent, ne ulla occaſio ſe ingurgitandi daretur ebrioſis, & quia illa parentalia ſuperſtitioni Gentilium eſſent ſimillima, abſtinuit ſe libentiſſimè; & pro caniſtro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad memorias Martyrum afferre didicerat.* Epiſt.64.

VII. Equidem ne congruerent veteris ſuperſtitionis & Chriſtianæ pietatis inſtituta verebantur antiqui Patres, & Apoſtoli; ſed non parum intereſſe compertum eſt inter convivia Ethnicorum, & ea quæ Tertullianus deſcripſit, ac Monica exhibuit. Porrò gloriæ potiùs quàm probro aut crimini vertendum erat Religioni noſtræ tot ſobrietatis, temperantiæ, & dilectionis argumenta præbere, ubi Idololatræ vino & ſexcentis flagitiis quæ ex ebrietate & ingluvie oriuntur, ſe dedere conſueverant. Si igitur rem altiùs repetamus, quàm longiſſimè aberat quondam *Agape* Majorum ab impiorum epulo; ſed quum annis conſequentibus, ob luxum & crapulam, vix ullum diſcrimen ſupereſſet, hæc aboleri oportuit.

VIII. Id in Italia Ambroſius, in Africa Auguſtinus præſtitit; conqueriturque in litteris ad Aurelium Carthaginenſem Antiſtitem ſcriptis, vino & turpibus compotationibus pollui Martyrum Ædes & cultum: *In locis ſanctis ebrietas frequentatur, & honor Martyrum nominatur.* Commendat autem Italos, & tranſmarinos Præſules, qui ejuſmodi epulum celebrari neutiquam ſinebant, & abolendum curaverant ubi præbebatur: *Per Italiæ maximum partem, & in aliis omnibus aut propè omnibus tranſmarinis Eccleſiis, partim quia nunquam facta ſunt, partim quia vel orta, vel inveterata, Sanctorum & verè de futura vita cogitantium Epiſcoporum diligentia & animadverſione extincta atque deleta ſunt.* Aurelius labanti Africæ diſciplinæ opem tulit, & pravum morem ſuſtulit, ei accedentibus totius Africæ Eccleſiis: graviter enim ferebant Martyres ita deſpici, ac peſſimè dolebant quòd tot flagitia quotidie nefarii quidam patrarent: *Commeſſationes enim & ebrietates ita conceſſa & licita putantur, ut in honorem etiam beatiſſimorum Martyrum, non tantum per dies ſolennes (quod ipſum quis non lugendum videat qui hæc non carnis oculis inſpicit?) ſed etiam quotidie celebrantur.*

IX. Execratus eſt S. Ambroſius inepta hæc deliria hominum deſipientium, & exiſtimantium ſe epulis & ebrietate colere Martyres, quos revera injuria laceſſebant. Nam quæ (malum!) erat amentia illa, ſtrenuos Chriſtianæ Religionis milites mero & crapula conciliare ſibi poſſe in animum inducere, quum jejunio tanquam telo inſtructi fuerint ad prælium? *Et hæc vota ad Deum pervenire judicant, ſicut illi qui calices ad ſepulchra Martyrum deferunt, atque illic in veſperam bibunt, & aliter ſe exaudiri poſſe non credunt. O ſtultitiam hominum qui ebrietatem Sacrificium putant; qui æſtimant illos ebrietate placari qui jejunio paſſiones ſuſtinere didicerunt!* De Elia & Jejun. c.17.

X. Quum verò Eccleſia nullo modo ferendos eſſe cenſeret eos qui ita ſe oblectabant in Martyrum Celebritatibus, tametſi vetuſtiſſima erat conſuetudo illa, & non vulgaria temperantiæ argumenta complures præbebant, liquet quid ſentiendum ſit de quibuſdam moribus magis cum virtute pugnantibus. Perſpicua tamen res eſt aliquid dari poſſe Feſtorum dierum Solennitati & lætitiæ, ubi omnis abſit intemperantiæ ſuſpicio.

XI. Sanè S. Gregorius Thaumaturgus, ut in ejus rebus geſtis narrat S. Gregorius Nyſſenus, quum animadverteret Idolorum cultores ſuperſtitioni addictos eſſe, maximè ob corporis voluptates, ſinebat eos, poſtquam Chriſto nomen dederant, in Martyrum Solenniis lætari: ſperabat enim fore ut tandem Chriſtiana Religione magis magiſque imbuti, ſenſuum illecebras reſpuerent, & unas meoris delicias conſectarentur. *Quum animadvertiſſet quòd propter corporis voluptates ſimplex & imperitum vulgus in errore ſimulacrorum cultus permaneret: quo maximè id quod præcipuum eſt interim in iis aſſequeretur, nempè ut vanis ſuperſtitionibus relictis ad Deum converterentur; permiſit eis ut in memoriam Sanctorum Martyrum ſeſe exhilararent & oblectarent, atque in lætitiam effunderentur, quòd ſucceſſu temporis aliquando futurum eſſet, ut ſua ſponte homines ad honeſtiorem & exactiorem vitæ rationem tranſirent, quum fides ad id viam præmonſtraret. Quæ res nimirum jam etiam in pleriſque ſucceſſit atque confecta eſſet; omni voluptate à corporis oblectamentis ad ſpiritualem lætitiæ formam traducta.*

XII. Tam leniter agere non minùs admiratione dignum videtur quàm tot prodigia quæ celeberrimus Antiſtes patrabat. Optimè verò conſultum nobis voluit Nyſſenus qui hæc conſcripſit, quæque prætereà præclaram illam agendi rationem conſequuta ſunt. Haud ſcio an epulæ in Ebræorum Sacrificiis adhibitæ fuerint Lege Moſaica, ut mos gereretur, quoad ejus fieri potuit, populo ad Idololatriam propenſo; & an eadem de cauſa ita Eccleſia ſe geſſerit prioribus ſæculis, dum Feſtis diebus convivia celebrarentur. Natura quippè hominis corpore & animo continetur, & tam arcta eſt eorum conjunctio, ut ea quæ in ſenſus incurrunt mentem repentè excitent, afficiant, & quodammodo percellant atque ad ſe rapiant. Oportuit ergo in religioſo cultu admiſceri aliquid quod ad corpus pertineret, ut quicquid moleſtiam exhibere poſſet minùs ægrè ferretur: ac præclarè ſenſit magnus Baſilius, à Majoribus noſtris Apoſtoliſque ſolennes cœtus indictos fuiſſe, ut mutua animorum voluntatumque concordia foveretur, dum cuncti corpore quoque adeſſent iiſdem ſacris: *Mutuò unitos nos eſſe, id quod jam videmus, veteris Patrum charitatis reliquiæ ſunt. Hujus enim rei gratia illi publicos hos conventus excogitarunt, quo abalienationem ex temporibus inductam per temporum conventiones renovarent, & ii qui extra fines habitant ad iſtum unum locum convenientes, principium amicitiæ ac charitatis congreſſum ſuum exhiberent. Hoc ipſum ſpiritualis eſt conventus, vetera renovans, futuri initium præbens. Non enim venimus ut rerum venalium faciamus permutationem, ſed ut charitatis mutuam communicationem viciſſim exhibeamus, ut plenam demus, & plenam accipiamus charitatem. Hæc Patres noſtri inſtituerunt.* T. 1. Hom. 29.

XIII. Priſci Monaſticæ vitæ cultores, cunctis valere juſſis, in abditis deſertiſque locis delteſcere gloriæ ſibi ducebant: inviſebant tamen ſe ipſi quandoque, nec tantùm in ſacellis Templiſve, ad quæ ſtatis diebus divertebant, ſed alibi quoque, & quanquam aſperrimum erat eorum vivendi genus, aliquid nihilominùs remittebant de conſueta vitæ & abſtinentiæ ratione, ne hoſpitii jura violare viderentur. Verùm ne è cancellis egrediar quos mihi ipſe circumdedi, ſatis ſit huc adduxiſſe quod narrat Rufinus de ſanctiſſimo viro Apollonio. Quadrageſimæ tempore in ſpecum ſe abdiderat cum aliis quibuſdam Monachis; at quum

inſtaret Paſchæ pervigilium, cogitabant quidnam pro tanta Celebritate hilariter agitanda parandum foret. Aliud nihil extabat quàm panis minimè recens, & herbæ ſale conditæ. Satius ergo putavit Apollonius eſſe orare atque obſecrare, & quàm L. 1 de Vit. PP. c. 7. poſſet demiſſiſſimè à Deo expoſcere Paſchale illud epulum quod apponendum eſſet. Orandi eidem ab omnibus demandata eſt provincia. Vix autem finem fecerat, quum è veſtigio viſi ſunt homines quidam minimè perſpecti ac cogniti, qui attulerunt quamplurimos præſtantes fructus, quorum nonnullos Ægyptus non ferebat, uvas, nuces, ficus, mala Perſica, favos mellis, lactis plurimum, optima pruna, & recentes candidoſque panes. Viri ſanctiſſimi veſci cœperunt non ſine ingenti admiratione præclaris illis minimèque fucatis dapibus; ſed tanta fuit earum copia, ut uſque ad Pentecoſten ali potuerint: atque illinc conſtitit Deum auctorem Paſchalium Solennium, quæ totos illos quinquaginta dies peraguntur, miſiſſe ea munera, ut corporum jejuniis confectorum vires reficerentur: *Quarum copia tanta fuit ut uſque ad Pentecoſten quotidie miniſtrata ſufficerent, certi quod hæc ſibi à Deo Solennitatis gratia miſſa ſint*.

XIV. Itaque Anachoretæ quoque rupes, nemora, & deſerta loca incolentes arbitrabantur paulò præſtantiore & uberiore cibo effœcta & penè enecta abſtinentia corpora reficienda eſſe diebus ſolennibus. Sed temperantiæ ſemper habenda eſt ratio. Panem aridum apud ſe habebant, herbas, ſal & aquam, nec quicquam præterea. Miſſa Divinitus munera non alia fuerunt quàm quæ Chriſtianæ virtutis eximios cultores decebant, lac, mel, poma & fructus ex arboribus decerpti, non carnes, non piſces, non vina. Feſtis igitur Eccleſiæ diebus non deliciis, vel otio diffluendum eſt, ſed hilariter ſimul & temperanter colendi ſunt.

XV. Id probè noverat Sanctiſſimus Turonen-Dial. 3. ſis Antiſtes Martinus, qui, ut Severus Sulpitius narrat, apponi tantùm piſces ſinebat Paſchate; unde intelligimus diebus reliquis ipſis quoque abſtinuiſſe: *Piſcem Paſcha diebus edere conſuetus, paulò ante horam refectionis interrogabat an haberetur in promptu*. Neque piſcando, neque ullo alio modò comparari tunc potuerunt. Juſſit ergo Martinus retia rurſus adhiberi, ac è veſtigio ingens piſcis captus eſt. Probarunt ergo patrata miracula frugale aliquod convivium diebus adeò ſolennibus.

XVI. Ipſamet Gallica vox *Feſtin*, Convivium, à Feſtis diebus petenda eſt, & à veteri Chriſtianorum inſtituto, quum primùm Gallicus ſermo oriretur. Latina quoque vox *Feſtus*, ut Voſſius adnotavit, repetitur à Græca *ἑστιᾶν*, Gallicè *feſtiner*, Latinè *convivari*. Græcum verbum *ἑστία* idem eſt ac Latinum *Veſta*: utrumque focum ſignificat quo utebantur convivæ, & Deos Penates obſervabant.

Nihil hactenùs diximus de indumentis diebus Feſtis adhibendis. Priſci Monachi, hac etiam ratione ſtatas Celebritates coluerunt, ut liquet ex S. Antonii rebus geſtis: maximè verò patet ex ſacris Moſis Libris. Extat inter Ciceronis fragmenta locus Columellæ adſcriptus, ubi agitur de veſtitu Feſtorum dierum tam virili quàm muliebri: *Secrevimus mundum muliebrem qui ad Feſtos dies comparatur, deinde virilem: item dierum ſolennium ornatum &c.*

XVII. Intelligimus ex monumentis profanæ hiſtoriæ populos quoslibet Sacrificium ſimul & epulum celebraſſe Feſtis diebus. Sed operæ pretium eſt animadvertere Anglos Idololatras ſacra feciſſe mactando boves & ſeſe propè ſana oblectando. Leniter cum ipſis agendum exiſtimavit S. Gregorius Romanus Pontifex, ut quondam præſtitit alter Gregorius cognomento Thaumaturgus. Poſtquam igitur Eccleſiæ nomen dederunt, eo ſuadente, boves quidem mactabant illiſque veſcebantur, diebus ſolennibus, propè ſacras Ædes; Deo tamen, non commentitiis Numinibus gratias agentes, ut paulatim à ſenſuum voluptatibus ad animi oblectamenta traducerentur: *Et quia boves* L. 9. ep. 71. *ſolent in ſacrificio Dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua Solennitas immutari, ut die Dedicationis, vel Natalitio Sanctorum Martyrum, quorum illic Reliquiæ ponuntur, tabernacula ſibi, circa eaſdem Eccleſias, quæ ex fanis commutatæ ſunt, de ramis arborum faciant, & religioſis conviviis Solennitatem celebrent. Nec diabolo jam animalia immolent, ſed in laudem Dei in eſu ſuo animalia occidant, & donatori omnium de ſatietate ſua gratias referant; ut dum eis aliqua exterius gaudia reſervantur, ad interiora gaudia conſentire faciliùs valeant*: Ægrè nimis populus ille à corporis voluptatibus abduci potuiſſet, neque adhuc noverat quantum mentis deliciæ cæteras antecellant. Dandum illis aliquid fuit, ut intelligerent tandem quid interſit inter Naturæ & Divinæ Gratiæ illecebras: nemo enim repentè è ſenſuum cœno emergit. Moſes igitur eadem de cauſa animantium Sacrificia non ſuſtulit; ſed quum vereretur ne eas malo Dæmoni cum Ethnicis offerrent, Deo immolandas eſſe conſtituit: *Nam duris mentibus ſimul omnia abſcindere impoſſibile eſſe indubium eſt. Quia is qui locum ſummum adſcendere nititur, neceſſe eſt ut gradibus vel paſſibus, non autem ſaltibus elevetur. Sic Iſraelitico populo in Ægypto Dominus ſe quidem innotuit; ſed tamen eis ſacrificiorum uſus, quos Diabolo ſolebant exhibere, in cultu proprio reſervavit, ut eis in Sacrificio ſuo animalia immolare præciperet &c.* Ita Gregorius.

At quum jam pateat non injuria celebrari paulò hilariùs Solennia tam à recentibus Chriſtianis quàm à vetuſtioribus, atque adeò ab eximiæ virtutis Monachis, itaut ipſamet lætitiæ argumenta nonnihil religionis præſeferant: *Super his omnibus*, inquit Eccleſiaſticus, *benedic Dominum qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis ſuis*; nonnulla tantùm dicenda ſupererunt de virtutum officiis, quibus vacandum eſt, dum vel inſignis veſtitus adhibetur, vel frugale epulum apponitur.

XVIII. S. Joannes Chryſoſtomus Antiochenum populum alloquutus, non illum exagitat quòd maximi gaudii argumenta præbuerit in adventu nuncii à Flaviano miſſi, à quo certior factus fuerat propenſæ in Civitatem Cæſaris voluntatis. Floribus vias publicas coronaverant, lampadas ubique paſſim accenderant, & lectulos ante officinas ſtraverant. Hæc minimè Chryſoſtomus improbat; verùm virtutum magis quàm floſculorum ornatum conſectari oportere docet, eaſque ſatius eſſe lucere quàm faces: *Quod igitur feciſtis forum coronantes, & lucernas accendentes, &* Hom. 20. ad Pop. Ant. *lectos ante officinas componentes, & tanquam nuper civitate nata Feſtum agentes, hoc aliter per omne facite tempus, non floribus ſed virtute vos coronantes, lumen per opera in anima veſtra accendentes, ſpiritali gaudentes lætitia &c.* Idem ſenſit S. Gregorius Nazianzenus, qui ſolennium Conventuum lætitiam & cultum, non ſertis ex floribus contextis contineri ait, non ſplendidis veſtibus, non cæteris quæ ſenſus permulcent: *Quocirca* Orat. 38. *non ut in publicis Feſtis fieri ſolet, ſed divinè; non mundanè, ſed ſupramundanè celebremus. Id autem qua ratione conſequemur? Nempè ſi nec domus veſtibula coronis cingamus, nec choros agitemus, nec vicos ornemus, nec oculum paſcamus, nec aurem cantu mulceamus, nec olfactum muliebriter deliniamus, nec guſtui lenocinemur, nec tactui gratificemur, promptis inquam illis ad vitium viis & peccati januis; nec tene-*

vis

Digitized by Google

ris ac circumfluentibus veſtibus emolliamur &c. Unam damnat Sanctus Præſul in his omnibus abuſionem, populumque hortatur ad interiorem & excellentiorem illum cultum qui Chriſtianæ Religionis eſt proprius.

XIX. Qui veterum Monachorum hiſtoriam litterarum monumentis conſignarunt, meminerunt veſtitus diebus Feſtis adhibiti. Quidam verò qui inter ſanctos illos viros familiam ducere videbatur Joſephus vocatus, dum alii ex eo ſciſcitarentur quomodo advenientes peregrini eſſent excipiendi, reſpondit eum ſanctiore vitæ inſtituto minimè pugnare, ſiquid tunc remitteretur de abſtinentia ut fit de indumento-
Ruffin l. 3. de Vit PP. c. 47. rum aſperitate diebus ſolennioribus: *Ingreſſus miſit alia meliora veſtimenta, quibus ſolebat die Feſto uti.* Conſtat, duodecim prioribus Eccleſiæ ſæculis, diebus ſolennibus jejunia minimè celebrata fuiſſe. In Natalitiis quoque Servatoris etiamnum abſtinentiæ lege non adſtringimur; videbatur enim lenitas quædam Solennium lætitiæ admiſcenda eſſe, modò temperantiæ ratio haberetur. Quapropter S. Valerius, ut in ejus actis legimus, illos arguit qui ante Sacrum S. Martini à potu ſibi non temperaverant: *Miror qua temeritate auſi fueritis ante Miſſarum Solennia bibere;* ut alios qui Dominico die idem patraverant:
Sur. die 1. Apr. c. 9. *Tu ante Miſſam potare non dubitaſti. Agnovit homo culpam ſuam, & ſe id feciſſe doluit.* S. Godefridus Ambianenſis Epiſcopus acriter caſtigavit Cœnobitas cum quibus verſabatur antequam Sacerdotio illo augeretur, cùm eos deprehendiſſet in triclinio comedentes & cyathos ſorbillantes antequam res Divina fieret. Monuit eos animum priùs alendum eſſe quàm corpus; turpe eſſe veſci ante Sacra; licere id tantùm poſt Divinas laudes & religionis officia: *Nondum*
Sur. die 8. Nov. c. 26. *completa eſt Miſſarum Solennitas, & jam ventrem epulis infercire juvat? Oremus, pſallamus, debitas Chriſto & Sanctis ejus laudes perſolvamus; eſurientes animas Verbi Dei adipe ſaginemus, primùm quæramus Regnum Dei & juſtitiam ejus. Reddamus quæ ſunt Dei Deo, poſteà ad reficienda corpora accedamus.*

At non eadem Lex jubet Sacrum ante epulas facere, & eidem intereſſe. Id probè novimus; ſed eadem religio, qua præceptum illud nititur, docet etiam quid minimè deceat. Etenim Miſſæ Sacrificium ita ab Eccleſiæ adminiſtris celebratur, ut tamen cum Sacerdotibus cuncti Sacris operentur: ad ſacram quoque Euchariſtiæ Synaxim accedebant quondam quamplurimi, quod mente ſaltem in præſentia præſtare omnes debent. Ut ergo veteri Eccleſiæ lege Sacerdotes jejuni Sacra peragunt, ita par eſt ut jejunus populus iiſdem interſit.

XX. Liceretne balneis uti iiſdem diebus aliàs quæſitum eſt. Magnus Gregorius Romanus Pontifex ferendum non cenſuit perſuaderi civibus Romanis à levibus quibuſdam hominibus abſtinendum eis eſſe Dominicis diebus. Ut enim optimè ait, nullo unquam tempore id Chriſtianos decet ſi ſenſuum tantùm lenocinia conſectentur, ſi verò corporis valetudini conferat ſemper licet: *Et quidem ſi pro luxu-*
L. 11. ep. 3. *ria ac voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro neceſſitate corporis, hoc nec Dominicorum die prohibemus. Scriptum eſt, Carnis curam ne feceritis in deſideriis. Qui igitur carnis curam in concupiſcentiis fieri prohibet, profectò in neceſſitatibus concedit.* Nec alia videtur Balſamonis mens, ut conſtat ex iis quæ reſpondit
Cap. 51. Juris Orien. p. 386. 387. quum plures quæſtiones Patriarchæ Alexandrini exhibitæ illi fuiſſent. Exiſtimat enim balnea præſertim calida eò vetita eſſe Dominico die quòd qui eis utitur à pietatis ſtudio tunc abducatur, ut ſenſuum voluptates potiùs conſectetur: *Neque igitur qui balneorum præcenſoria lavacraque & reliqua faciunt, hic miniſtrabunt; neque fidelis ullus veniam merebitur qui ab oratione abſtinens, & à multum celebrandis glorificationibus præceptionibuſque diei Dominici recedens, aquis calidis adhæret & occupatur; ſed Epiſcopali judicio emendationibus corrigetur.* Idem ſentit

Nicolaus I. Rom. Pont. ad Bulgaros ſcribens, Magnum Gregorium ſequutus. Teſtatur verò Seneca Epiſt. 86.
in ſuis epiſtolis veteres Romanos ſemel tantùm laviſſe ſingulis menſibus, etſi quotidie manuum pedumque ſordes abluebant: *Non quotidie lavabatur Scipio. Nam ut ajunt qui priſcos mores urbis tradiderunt, brachia & crura quotidie abluebant, quæ ſcilicet ſordes opere collegerant. Cæterum toti nundinis lavabantur. Quid putas illos oluiſſe? militiam, laborem, virum. Poſtquam munda balnea inventa ſunt, ſpurciores ſunt.* Scitum eſt Senecæ illud, nil turpius aut ſordidius eſſe molli hoc frequentium lavacrorum uſu, quum ea corpori valetudo minimè poſtulat.

XXI. Pauca ad calcem hujus Capitis adjiciam de Eulogiis, de quibus dici ſexcenta potuiſſent. Fuerunt hæ munera ultrò citròque miſſa ſanctioribus diebus: L. 2. Eſdr. c. 8. 10.
Comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes his qui non præparaverunt ſibi, quia ſanctus dies Domini eſt. Abiit populus ut comederet, & biberet, & mitteret partes, & faceret lætitiam magnam. Ita colenda eſſe Solennia conſtituit Eſdras. Mores iidem invecti ſunt in Eccleſiam; ac Conſtantinus illuſtri L. 4. de Vit. Conſt. c. 22.
liberalitatis exemplo Paſchali die populo gratificatus opes quoquoverſus effudit: *Simul ac dies Paſchæ illuxerat, Servatoris noſtri munificentiam imitari ſtudens, univerſis gentibus, Provinciis, ac populis largam manum porrigebat, opulentiſſima donans omnibus munera.* Mittebantur hæc dona à S. Gregorio Nyſſeno, & à cognomine Nazianzeno, cæteriſque Patribus, quorum in referenda gratia, muneri- Nyſſ. l. de hom. opif. Naziānz. ep. 53.
bus iiſdem, parata erat beneficentia. Majores noſtri ea vocarunt *ἑορταστικά*. Sed non tam largitas magis æſtimanda erat, quàm mutua conſenſio, dilectio, ac religio.

CAPUT III.

De Operibus illiberalibus vetitis diebus Feſtis.

I. Concilium Aurelianenſe III. diſtinguit varia genera eorum quæ fas eſt vel nefas diebus Feſtis exercere.

II. Pœna luenda ab hujuſcemodi legum contemptoribus. Judicium penes Epiſcopos.

III. Fuſiùs enumerantur opera vetita.

IV. Cur ea prohibeant Synodi Dominicis diebus. Dies quilibet Feſtus non immeritò vocatus Dominicus.

V. Alia Synodorum præceptiones huc pertinentes. Leges contrariæ de agrorum cultu.

VI. Cæteris Feſtis diebus non minùs quàm Dominicis ceſſandum erat, & à Judicibus vel Epiſcopis in ſontes animadvertendum.

VII. Platonis & Tullii verba ſacris Bibliis conſentanea.

I. HActenùs de oblectamentis Feſtis Eccleſiæ diebus vetitis, deque illis quæ ferri poſſunt; agendum modò de vetitis operibus, quemadmodum ſequenti Capite de cæteris quæ fas eſt exercere.

Concilium Aurelianenſe III. An. 538. damnavit Judaicam ſuperſtitionem quorundam exiſtimantium, nec curru, nec equis iter facere licere diebus Dominicis, nec quicquam eorum quæ ad vitæ uſus neceſſaria ſunt vel in cibi præparatione, vel in domus munditia ac nitore: E- Can. 28.
bræorum eſſe ait ita Solennia colere, non Chriſtianorum; oportere ut agrorum, vinearum, arborumque culto unuſquiſque abſtineat, ut Deo tantùm ſe dedat: denique ab Epiſcopis, non à Magiſtratibus animadvertendum in eos qui ruſtico opere Celebritatum religionem violant: *Quia perſuaſum eſt populo die Dominico agi cum caballis aut bubus & vehiculis itinera non debere, neque ullam* Capitul. l. 7. c. 100.
rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus, vel

hominis pertinentem ullatenus exercere, quæ res ad Judaicam magis quàm ad Chriſtianam obſervantiam pertinere probatur: id ſtatuimus, ut die Dominico, quod ante fieri licuit, liceat. De opere tamen rurali, ideſt aratro, vel vinea, vel ſectione, meſſione, excuſſione, exarto, vel ſepe, cenſuimus abſtinendum, quo facilius ad Eccleſiam venientes, orationis gratia vacent. Quod ſi inventus fuerit quis in operibus ſupraſcriptis, quæ interdicta ſunt, ſe exercere; qualiter emendari debeat, non in Laici diſtrictione, ſed in Sacerdotis caſtigatione conſiſtat. Concilium ita conſtituiſſe conjicimus, quòd Magiſtratus vix animadverterent in exercentes opera vetita, quum eorum intereſſe videretur ut agri colerentur ſi unam ſpectemus fructuum ubertatem, vel annonæ charitatem; at ſacrorum Antiſtites Eccleſiæ diſciplinam majore animi contentione tuerentur.

II. Sanè Concilium Matiſconenſe II. An. 585. queritur Dominicum diem vix obſervari, & non longè ab aliis quibuſvis abeſſe; idcircò acriùs intendere debere Epiſcopos, ut eorum cultus penè neglectus reſtitueretur: *Subjacebunt pœnis à nobis* Can. 2. *divinitus definitis. Omnes itaque Chriſtiani qui non incaſſum hoc nomine fruimini, noſtræ admonitioni aurem accommodate, ſcientes quoniam noſtræ eſt auctoritatis utilitati veſtræ proſpicere, & à malis operibus coercere.* Patet ex his verbis Epiſcopos jus ſuum perſequi voluiſſe, ne Religionis noſtræ Solennia impunè violarentur, ut propter Magiſtratuum ſocordiam paſſim contingebat. Litigia ac forenſem ſtrepitum, opera præterea ruſtica ſuſtulit Concilium, ſtatuitque crimina luenda eſſe à maleferiatis leguleiis cauſa cadendo, à ſervis ruſticiſque verberibus, à Monachis ſex menſium ſegregatione ab aliorum Cœnobitarum ſocietate: *Nullus veſtrum litium fomitibus vacet, nullus cauſarum actiones exerceat, nemo ſibi talem neceſſitatem exhibeat, quæ jugum cervicibus juvencorum imponere cogat &c. Si quis hanc exhortationem parvipenderit, ſi cauſidicus fuerit, irreparabiliter cauſam amittet, ſi ruſticus aut ſervus, gravioribus fuſtium ictibus verberabitur, ſi Clericus aut Monachus, menſibus ſex à conſortio ſuſpendetur fratrum.* Aliter de hujuſmodi mulctis ſtatuit Synodus Narbonenſis, Ao. 589. rationem Judicum habens: Can. 4. *Si ingenuus eſt, det Comiti Civitatis ſolidos ſex; ſi ſervus, centum flagella ſuſcipiat.* Videntur alia Gothorum, alia Gallicanæ Eccleſiæ inſtituta fuiſſe. Concilium Cabilonenſe, An. 650. edicit ne cui fas Can. 18. ſit, *Arare, ſecare, meſſes metere, exartos facere.* Crediderim autem idem eſſe, *exartos facere*, ſeu *exartare*, ac arbores evellere, & tellurem incultam proſcindere. Confirmari id poteſt ex Aquiſgranenſi Cap. 81. Conc. Gall. T. 2. p. 54. Capitulari, An. 789. Non abs re fuerit illud tantiſper expendere, quum pleraque omnia opera vetita diebus Dominicis recenſeat.

III. In hujuſmodi Capitulari Carolus Magnus tueri ſe velle ait Synodorum edicta Pipini patris auctoritate nixa: *Sicut bonæ memoriæ genitor meus in ſuis Synodalibus edictis mandavit*: quæ quidem duo verba, *Edictis, Synodalibus*, digna ſunt quæ animadvertantur. Plurima Reges conſtituebant in Comitiis Epiſcoporum ac procerum, quæ Synodi nuncupabantur. Hujus generis eſt maxima pars Conciliorum Galliæ ſub Regibus duarum priorum Dynaſtiarum: quo fit ut plura ſtatuantur ad Regnum atque Rempublicam pertinentia.

Capitulare ergo quodvis opus ruſticum prohibet, vel ſpectet vineas, vel meſſes, vel fœnum, vel ſepes, vel hortulos: non licet arbores cædere, lapides exſcindere, ædificia conſtruere, venari, litigare. Nefas quoque eſt fœminis tela, lana, aut lino victum quæritare, veſtes ſuere aut ſarcire, vel publicè abluere, acuve pingere, aut pecus tondere: *Nec* Capitul. L. 1. c. 81. *viri ruralia opera exerceant, ideſt nec in vinea colenda, nec in campis arando, nec in metendo, nec fœnum ſecando, vel ſepem ponendo, nec in ſilvis ſtirpare, vel arbores cædere.* Poſtremis hiſce verbis explanantur conſimilia Canonis allati, *exartum facere, exartare*: in hunc igitur modum rectè explicantur: *Vel in petris laborare, nec domos conſtruere. Nec in horto laborent, nec ad placita conveniant, nec venationes exerceant. Item fœminæ opera textilia non faciant, non capulent veſtitus, non conſuant, vel acu pictile faciant; nec lanam carpere, nec linum battere, nec in publico veſtimenta lavare, nec berbices tondere habeant licitum.*

Paucis omnia complectitur Concilium Arelatenſe, An. 813. *Ne diebus Dominicis publica mer-* Can. 16. *cata, neque cauſationes diſceptationeſque exerceantur, & penitùs à rurali & ſervili opere ceſſetur.* Can. 35. Ita pariter Concilium Rhemenſe II. & Turonen- Can. 40. ſe III. eodem anno 813. Pariſienſe verò VI. An. Can. 50. 829. plauſtra addidit: *Ne quælibet carrigationes ullius conditionis homines facere præſumant.* Queritur autem negligi penitùs cultum Dominici diei à ſervis ab opere non vacantibus ob eorum iniquitatem quibus parebant.

IV. Ac mirabitur nonnemo quid ſit quòd quum tot celebrentur anniverſaria Solennia, hæ tantùm Chriſtianæ Feriæ, ſeu Dominici dies recenſeantur in Conciliis atque Capitularibus. Equidem Ser- Capitul. L. 6. c. 186. vatoris noſtri Celebritates, Natalitia, Circumciſio, Epiphania, Præſentatio, ſive Purificatio, Annonciatio, ſeu Divini Verbi conceptus, ejuſque Aſcenſio vocari meritò poſſent Dominici dies: ſed aliæ ſuperſunt Solennitates ab iiſdem enumeratæ, ut perſæpè diximus. At adeòne exiguus eſt earum numerus ut prætermitti potuerint à Conciliis, non verò dies Dominicus toties celebrandus? Hæc quidem magna veriſimilitudine dici videntur: nihilominùs crediderim potiùs id ex eo natum quòd quum vetuſtiſſimi Feſti dies Dominum ac Servatorem noſtrum ſpectarent, vocarentur Dominici. Quoniam verò Feſti dies Jeſu Chriſti, ita appellari cœperunt, alia quoque Solennia quæ deinceps addita fuerunt eadem ratione nuncupata ſunt: quod ex Capitularibus perſpicuum eſt: *Diem* L. 6. c. 186. *Dominicum ſecundum reverentiam colite. Opus ſervile, ideſt agrum, pratum, vineam, vel ſi qua graviora ſunt, in eo non faciatis; nec cauſas, vel calumnias inter vos dicatis, ſed tantùm Divinis cultibus ſerviatis, & à veſpera uſque ad veſperam dies Dominicus ſervetur. Has ſiquidem Feſtivitates adnuncient Presbyteri, & diebus Dominicis Sabbatizare, ideſt in Natali Domini dies quatuor, in Paſcha Domini uſque ad Octavas Paſchæ; poſt Dominicam (Pentecoſtes) dies tres &c.* Reliqui Feſti dies ita enumerantur, ut alibi diximus, ideſt, Deiparæ, S. Joannis Baptiſtæ, SS. Petri & Pauli, S. Martini, & S. Andreæ. Nec dubitare quis poteſt quin oporteat ceſſare, *Sabbatizare*, cunctis diebus ſolennibus, non ſolis Dominicis. Benè ſubductis rationibus, Dominici dies, Chriſti Solennia, quatuor Nativitatis, octo Paſchales, tres Pentecoſtes dies, qui omnes Dominici vocabantur, tot ſunt, ut paucæ ſupereſſent Celebritates, ſi cum illis conferantur, eodem propterea nomine nuncupandæ.

V. Videtur Concilium Triburienſe, An. 895. veteres hujuſmodi Canones in lucem revocare tantùm voluiſſe; meminit tamen Feſtorum dierum, quibus uni Deo vacandum eſſe præcipit: *Die-* Can. 35. *bus verò Dominicis & Sanctorum Feſtis, vigiliis & orationibus inſiſtendum, & ad Miſſas cuilibet Chriſtiano cum oblationibus eſt currendum, & tantummodò Deo vacandum.* Meldenſe verò, Ann. 845. exerceri vetuit mechanica ſeu illiberalia opera Paſchali hebdomada, indicta anathematis pœna. Plurima enumerat, picturam quoque, ut alia quæ ex ejus verbis conſtant: *Dies quoque octo ſa-* Can. 77. *croſanctæ Paſchalis Solennitatis omnibus Chriſtianis feriatos eſſe decernimus, ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynecæo, cæmentario, pictorio, venatorio, forenſi, mercatorio,* Gypſacco. *audien-*

Digitized by Google

audientiali, *& ſacramentis exigendis &c.* Octo Paſchatis dies Dominici videbantur, quæ longior ſories nonnihil moleſtiæ erat minùs addictis religionis officiis. Idem ſtatuerat Synodus Trullana, videlicet remiſſionem laborum à Paſcha, uſque ad vocatam à Græcis *Dominicam novam*. Nec mirum eſt ægrè admodum obſervatos fuiſſe tot dies, quando, Nono Eccleſiæ Sæculo, Leo
Conſt. 54. Sapiens Imperator ſnarum partium eſſe duxit Legem abrogare, qua conſtituebatur Judices quidem & Artifices quieſcere oportere Dominicis diebus, non autem ruſticos: *Omnes Judices, urbanaque plebs, & cunctarum artium officia venerabili die Solis quieſcant: ruri tamen poſiti agrorum cultura libere licenterque inſerviant*. Ita Lex quædam in Codicem relata, cui aliam objecit Leo teſtatus nequaquam officere agri ubertati preces & religionem cultorum Feſtos dies celebrantium.

VI. Cæterùm tam Leges allatæ, quàm Ma-
L. 7. ep. 1. L. 11. ep. 3. gnus Gregorius in epiſtolis de unis Dominicis diebus agunt: ſed liquet ex dictis Dominicos dies complecti omnia prorſus Solennia; quod præterea confirmatur Lege Gontrani Regis vulgata cum ſecundo Matiſconenſi Concilio. Vult enim Rex ut Magiſtratus & Sacerdotes Feſtorum omnium dierum cultum & ceſſationem tueantur, animadvertendo in ſontes: *Decernimus ut in omnibus diebus Dominicis, in quibus ſancta Reſurrectionis myſterium veneramur, vel in quibuſcumque reliquis Selennitatibus, quando ex more ad veneranda Templorum oracula, univerſa plebis conjunctio, devotionis congregatur ſtudio, præter quod victum præparari convenit, ab omni corporali opere ſuſpendantur, nec ulla cauſarum præcipuè jurgia moveantur &c. Alios canonica ſeveritas corrigat, alios legalis pœna percellat.*

VII. Prætermittendum non eſt præclarè à Platone ſcriptum, indicta eſſe à Deo Solennia, etiam ut parumper feriati quieſcerent homines labori-
L. de Leg. bus confecti: *Dii genus hominum laboribus natura preſſum miſerati, remiſſionem laborum ipſi ſtatuerunt Solennia Feſta*. Quod pariter ſacræ Litteræ teſtantur de Sabbati inſtitutione agentes. Tullius verò forenſibus judiciis locum non eſſe contendit dum Feriæ celebrantur & ſtati dies ſolennes, quòd etiam ipſa videantur eſſe opera ſervilia. Etenim moleſtæ quædam & terrenæ occupationes ſunt, quibus diſtinentur homines ingenui & liberaliter educati; ut terram ſubigere ſer-
L. 2. de Leg. vorum eſt munus: *Ferias in liberis hominibus habere litium & jurgiorum ceſſationem; in ſervis laborum & operum &c. Feriis jurgia amovento, eaſque in famulis operibus patratis habento.*

CAPUT IV.

Liceatne opus ullum diebus Feſtis, vel quicquam de ſummo jure concedendo, vel alia quavis ratione.

I. Vox illa famulum opus, ſive illiberale nobis cum priſcis Romanis communis eſt, & Ebræis accepta refertur.

II. Romanis quoque fas erat quædam iſtiuſmodi exercere Feſtis diebus.

III. Cur Lex Conſtantini à Leone ſublata ſineret agros colere diebus Dominicis.

IV. Synodus quoque Laodicena videtur idem ſtatuere de iis quæ ad neceſſarios vitæ uſus pertinent.

V. Concilium Aurelianenſe III. exercere ſinit quæ pertinent ad victum, itinera, & corporis domuſque munditiam.

VI. Alia quædam maximè ad vecturas pertinentia. Thomaſſini de Feſtis.

VII. Hæc tamen exercere Græcis religio eſt.

VIII. De iter facientibus Dominicis cæteriſque Feſtis diebus.

IX. Alec̃es piſcari licitum quibuſdam, poteſtate facta ab Alexandro III. Pont. Max.

X. Gerſen duodecim argumentationibus confirmat fas eſſe diebus iiſdem elucubrari vel exſcribere tractatus ad Chriſtianam pietatem religionemve pertinentes, quod id præſtare non ſit opus illiberale.

XI. Alia videtur eſſe mens Sancti Bonaventuræ; ſed fortaſſe de iis loquitur qui totum diem in operibus illis conſumunt ad quæſtum faciendum.

XII. Qua de cauſa nefas abluere os exiſtimaverit die Dominico S. Bonaventura.

XIII. XIV. Quid de tonſoribus ſentiendum. Liceatne eodem tempore pharmaca miſcere, ac venam ſecare.

XV. Nicolai I. Romani Pontificis ſententia de fructibus terræ qui aliò comportantur, vel venduntur.

XVI. Maxima ubique habenda eſt ratio conſuetudinis, & Epiſcoporum.

XVII. Ecquanam liceant ex S. Thomâ.

I. OPtimè adnotavit Grotius, quum ſacræ In Matth. c. 12.
Litteræ nefas eſſe conſtituerint exercere opus, *Melada*, Ebræos ita id interpretatos eſſe ut mechanicis tantùm, ſeu ſervilibus interdictum ſit; idem vereri Jure Pontificio Romanorum ſancitum eſſe, quod ab Etruſcis Romani acceperant; Etruſcos eadem à Tyriis & Ebræis diſcere potuiſ-
ſe. Tullius in Libris de Legibus refert forenſia L. 2. de Leg.
judicia in album eorum quæ ſerviliter exercentur, Feſtiſque diebus minimè licere: *Feriis jurgia amovento, eaque in famulis operibus patratis habento*. Opera famula Ciceroni eadem ſunt atque ſervilia à nobis vocata. Apud Ebræos verbum idem tam ſervum, quàm laborem ſignificat.

II. Utut hæc ſe habeant, quæri poteſt num Romani ab Ebræis mutuati ſint interpretationem illam, qua plurima nunquam non licere ſibi arbitrabantur, ut ex Virgilio intelligimus. Etenim, ut Macrobius exiſtimat, ne latum quidem unguem diſceſſit in Georgicis Libris à veteri Pontificum Jure, dum ait,

Quippe etiam Feſtis quædam exercere diebus
Fas & jura ſinunt. Rivos deducere nulla
Religio vetuit, ſegeti prætendere ſepem,
Inſidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri.

III. Conſtantinus Imperator legem condidit à Leone cognomento Sapiente caſtigatam. Rationem attulerat Conſtantinus cur ita ſtatuiſſet, incidere nempè ſæpiùs in diem Dominicum tempus ferendis frugibus, colendiſque vineis magis opportunum, nec negligendas eſſe idoneas tempeſtates Dei Providentia conſtitutas: *Quoniam frequenter evenit, ut non aptiùs alio die frumenta ſulcis, aut vineæ ſcrobibus mandentur; ne occaſione momenti pereat commoditas cœleſti proviſione conceſſa.*

VI. Agebat ergo Conſtantinus de operibus penitùs neceſſariis ne opportunum tempus elaberetur. Fatemur quidem neque Synodorum Canones, neque Galliæ Regum Edicta ita conſtituiſſe; ſed ſi paulò diligentiùs expendantur, non valdè diſcre-
pare comperiemus. Ipſamet Synodus Laodicena, Can. 29.
quam Leo Imperator haud ignorare potuit, ceſſare quoslibet Sabbatis nefas putat, quòd Judaicam ſuperſtitionem redolere videatur; jubet autem obſervari Dominicos dies remiſſione laborum, quoad ejus fieri poterit: *Quod non oportet Chriſtianos Judaizare, & in Sabbato otiari; ſed eo die operari: diem autem Dominicum præferentes, otiari, ſi modò poſſint, εἴγε δύναιντο, ut Chriſtianos*. Id Balſamonem non fugit, nam excuſare videtur qui in opus

incumbunt vel ob inopiam, vel alia de cauſa; *Sed & hoc, ſcilicet die Dominico non operari, non neceſſariò mandarunt, ſed adjecerunt, ſi poſſint fideles. Si enim propter inopiam, vel aliquam aliam neceſſitatem, etiam die Dominico fuerit aliquis operatus, præjudicium ei non afferetur*. Pertinet autem ad Sacerdotes de hujuſmodi neceſſitate judicare. Zonaras Laodicenum hunc Canonem interpretatus hoc intereſſe credidit inter agriculturam & artificum opificia, quòd in illa quædam ſint adeò opportuna tempora, ut eadem rurſus redire fruſtra quis ſperet cum præſenti rei frumentariæ diſcrimine: *Lex Civilis à muneribus vacationem die Dominico, ſi agricolarum opera excipias, omninò jubet. Illis namque quia fortè operibus primo quoque tempore obeundis alium diem æquè accommodatum nanciſci non ita facile fuerit, Dominica quoque die operam navandi facultas conceſſa eſt*.

V. Concilium Aurelianenſe III. damnat quorundam levitatem exiſtimantium itinera, vel equis adhibitis, vel vehiculis prohiberi Domioicis diebus, quicquid præterea ad victum & corporis ac domus cultum omninò deſiderabatur;
Can.18. *Quia perſuaſum eſt populis die Dominico agi cum caballis, aut bubus, aut vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus vel hominis pertinentem ullatenus exercere, quæ res ad Judaicam magis quàm ad Chriſtianam obſervantiam pertinere probatur; id ſtatuimus, ut die Dominico, quod anteà fieri licuit, liceat*.

VI. Inhærebat Synodus veſtigiis Jeſu Chriſti qui cum Judæis ſæpiùs expoſtulabat quòd plura Sabbato vetita contenderent quæ omninò licebant. Quapropter Narbonenſe Concilium, An. 589. ita de operibus Dominico die non exercendis conſtituit: *Nullam operam faciant, nec boves jungantur, excepto ſi in mutando neceſſitas incubuerit*. Vecturas plauſtris exercere Feſtis diebus nefas viſum eſt; in Aquiſgranenſi tamen Capitulari, An. 789. Carolus Magnus fas eſſe credidit iiſdem uti, ſi ageretur de corporibus mortuorum in tumulum inferendis, de frumento aliiſque neceſſariis ad exercitum importandis, ac de conſimilibus bellicis neceſſitatibus:
Cap.81. *Sed tria carraria opera licet fieri in die Dominico, ideſt hoſtilia carra, vel victualia, vel ſi fortè neceſſe erit corpus cujuslibet duci ad ſepulchrum*. Theodulphus iter terra marive minimè damnat, ita tamen ut Sacro quis interſit, & in preces incumbat, ut ea mittam quæ ad uſus vitæ neceſſarios pertinent: *Diei Dominici tanta debet eſſe obſer-*
Cap.24. *vantia, ut præter Orationes, & Miſſarum Solennia, & ea quæ ad veſcendum pertinent, nihil aliud fiat. Nam & ſi neceſſitas fuerit navigandi, ſive itinerandi, licentia datur, ita dumtaxat ut hac occaſione Miſſa & Orationes non prætermittantur*.

VII. Publica luce donata ſunt Capitularia Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, quibus nos docet ſapientiſſimus Antiſtes, qui Romam ex Oriente ſe contulit, & Roma in Angliam tandem ſe recepit, mores Romanorum, Byzantinorum videlicet, atque Græcorum. Teſtatur nefas eſſe illis iter facere, niſi Eccleſiam adeundo, vel equo, vel curru, vel navi, Dominico die, panem efficere, balneis uti, ſcribere quoque, ſi publicè id fiat; ac recenſet mulctas indictas iis qui patriis legibus non obtemperant: *Græci & Romani in*
Spicileg. t.9.p.53. *die Dominica non navigant, nec equitant, panem non faciunt, nec in curru ambulant, niſi ad Eccleſiam tantùm, nec balneant ſe Græci, non ſcribunt publicè, tamen pro neceſſitate ſeorſum in domo ſcribunt. Qui operantur die Dominico, Græci prima die arguunt, ſecunda tollunt aliquid, tertia vice tertiam partem de rebus & vapulant, & ſeptem diebus pœnitent*. Haud ſcio an omnia ita ſe haberent in Græca Eccleſia; non parum tamen Theodoro deferendum videtur.

VIII. Concilium Coyacenſe in Hiſpania, An. 1050. edixit neque opera quæ ſerviliter exercentur licere diebus Domioicis, neque itioera niſi religionis cauſa ſuſcepta, vel ob mortuos efferendos, vel ob inviſendos ægrotos, vel ob Reipublicæ negotia, vel ad ſuſtinendum Saracenorum impetum; *Servile opus non exerceant; nec ſectentur itinera, niſi orationis cauſa, aut ſepeliendi mortuos, aut viſitandi infirmos, aut pro Regis ſecreto, pro Saracenorum impetu*. Patet hinc quamvis Concilia noo omninò prohibeant aliquò proficiſci diebus Feſtis, nihilominùs ad Canonum præſcriptum, iter inſtituendum non eſſe, niſi aliter fieri non poſſit; ita tamen ne quis muneri ſuo deſit ſacris illis diebus. S. Gerardus Comes, ut habetur in ejus Actis à S. Odone conſcriptis, Bibl.Clun.
quum Roma profectus ad Templum quoddam p.98.
Sabbato divertiſſet, noluit poſtridie ejus diei quenquam ſuorum illinc diſcedere ante factum ſolenne Sacrum, & horàm nonam.

IX. Conſtare puto ex iis quæ in medium protulimus fas eſſe nonnulla exercere, maximè ſi victui ſint neceſſaria. Hoc verò rurſus confirmari poteſt rei, quæ non ita paſſim contingit, narratione. Accolæ oræ cujuſdam maritimæ maximè ſterilis querebantur minui in dies alecum copiam, qua potiſſimùm eorum opes & victus continebatur, ac facilè fieri poſſe ut ad ſummam egeſtatem redigerentur, & alimentorum charitate laborarent, Alexander III. Romanus Pontifex, ad quem confugerant, reſcripſit ad eorum conqueſtiones, licere illis, Feſtis quoque diebus, non tamen ſolennioribus, piſcari, modò aliquid conferrent pauperibus, & Eccleſiis finitimis; *Inde*
Extr. de Feriis c.3. *ſiquidem eſt quod regio veſtra quæ non multis abundat frugibus, mare, in quo populus majorem habere conſuevit ſuſtentationem, ſteriliùs ſolito effectum &c. Indulgemus ut liceat Parochianis veſtris, diebus Dominicis & aliis Feſtis, præterquam in majoribus anni Solennitatibus, ſi alec in terra ſe inclinaverint, eorum captioni, ingruente neceſſitate, intendere; ita quod poſt factam capturam Eccleſiis circumpoſitis, & Chriſti pauperibus congruam faciant portionem*. Magnum enituit in Antiſtite tanto tuendæ Eccleſiæ diſciplinæ ſtudium. Cuncta enim expendit, ut leniùs ageret cum illis, in quorum perniciem conſpiraſſe videbatur ſoli & maris iniquitas.

X. Sciſcitati ſunt quidam ex celeberrimo Gerſone Pariſienſis Academiæ Cancellario, liceretne Feſtis diebus gratuitò exſcribere libros de Divinis rebus agentes: *Quæſivit quidam de Monachis domus Carthuſiæ, ſi liceat diebus Feſtivis ſcribere devotionis libros gratis*. Conſcripſit de hujuſmodi quæſtione vir doctiſſimus opellam quandam quæ extat in ipſo limine ejus Operum: evincit autem id minimè illiberale opus dici poſſe duodecim allatis variarum rationum momentis, quæ tribus hiſce verſiculis complexus eſt.

Prædicat atque ſtudet Scriptor, largitur, & orat,
Affligitur, ſaldat fontem lucemque futuris;
Eccleſiam ditat, armat, cuſtodit, honorat.

Qui ergo id genus libros conſcribit, vel ab aliis editos exarat, 1. concionatur te ſaltem, ſi minus verbis, & quidem maxima cum utilitate eorum qui diù perennia illa doctrinæ monumenta conſulent: *Certè ſi lingua ſilet, manus prædicat, & fructuoſiùs aliquanto, quantò Scriptura venit ad plures uberior, quàm tranſiens ſermo*. 2. Qui ita ſe in ſcribendo exercet, Divinarum rerum præceptionibus imbuitur. 3. Opem confert egentibus magis neceſſariam victu vel quibuslibet aliis terrenis rebus, quanquam has quoque elargitur:

eraot

Digitized by Google

erant enim Cœnobia quædam apud Batavos, Gerſone teſte, quæ libros exſcribendo, neceſſaria ſibi comparabant. Quod verò præſtantius beneficii genus, quàm ſacrarum Litterarum, & Patrum Volumina exhibere? *Unde queſo tot genera Bibliorum, tot Doctorum volumina quæ modo ſuperſunt in Eccleſia, ſi non ex Scriptoribus in Religione degentibus, quorum ad præſens vix ullum ſupereſt veſtigium?* 4. Qui hæc præſtat, orat quoque Deum, ac Dei & Sanctorum Angelorum ſecum loquentium voces exaudit, maximaque Religionis myſteria animo recogitat: *Crediderit Scriptor noſter, & pietate jugi recogitaverit, toties Deum ſanctoſque Angelos ſecum eſſe, toties Scriptores ſacros ipſum alloqui, toties Chriſtum ſibi blanda quædam oſcula conſolationis dare, quoties eorum dicta ſalubria conſcribit. Contemplationem itaque lectio & quæ ſcribendo fit, non impedit, ſed paſcit.* 5. Non tantùm non torpet, ſed improbo labore vexatur, quo admiſſa quoque crimina expiantur: hanc enim pœnam Sacerdotes jure indicere poſſunt; maximè quum eam ab Adamo & humano genere labore luendam eſſe Deus ipſe conſtituerit: *Nullus negaverit laborioſum eſſe ſcribentis exercitium. Accepter ergo illud in pœnitentiam ſeu ſatisfactionem pro ſuis alieniſque delictis &c. Junge quod in foro pœnitentiæ poteſt iſte labor ad ſatisfactionem imponi. Quem laborem ſi nullus hominum imponit, impoſuit ſanè Deus ab initio quum dixit Adæ & poſteris ejus, In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Quòd ſi S. Auguſtinus moliri aliquid & operari Monachos voluit, quid magis eſſe poteſt eorum inſtituto accommodatum, quum nec concionari cuncti valeant, nec alios docere? *Si Monachos oportet operari, quale dabitur opus aliud ſuæ profeſſioni nedum minus adverſum, ſed amplius promotivum; attento quod non omnes idonei ſunt ad difficiliora, qualia ſunt prædicatio vel lectio doctrinalis?*

Cætera à Gerſone allata notiora ſunt quàm ut indigeant explicatione. Equidem qui exarandis libris dat operam, ſal quo cuncta condiantur apponit, ad perennem aquæ fontem digitum intendit, facem omnibus præfert, Eccleſiam ditat Bibliothecis theſauris quibuſvis pluris æſtimandis, telis, clypeis, & omni armorum genere eam inſtruit, ut bella gerens ſe tueri poſſit, & hoſtium aciem disjicere: maximo denique honore ipſemet ſcriptor afficitur, nominiſque celebritatem adipiſcitur, & Chriſtianam Rempublicam, ut quondam Evangeliſtæ & ſacri Vates, egregiè juvat: neque enim eorum voces perſtarent, niſi ſcripto conſignarentur: *Nunquid Evangeliſta, nunquid Propheta, nunquid Paulus ipſe profuerunt nihil ſcripto? Nonnè plurimi quotidie ſcriptis ædificantur qui verba non audiunt?*

Hæc Gerſon anno 1428. antequam quicquam de Typographia cogitatum fuiſſet ab artificibus noſtris. Hac adinventa, non ampliùs in ſcribendis tot Voluminibus deſudandum eſt, idem tamen multimodis præſtari adhuc poteſt diebus Feſtis, præſertim quum omnis abeſt turpis lucri ſuſpicio.

XI. Egit de eadem quæſtione S. Bonaventura ac viſus eſt in contrariam ſententiam vergere, quippè qui conſcribendorum Codicum laborem cum ſacrarum Feriarum vacatione pugnare cenſeat, plurima id genus enumerans alio tempore
Spec. diſc. de Novit. par. 1. cap. 11. exercenda: *Sunt quædam alia quæ in diem alteram differri poſſunt, ut eſt ſcribere in quaterno, tunicam virgis excutere, caput abluere, cæteraque alia, quibus eſt diebus Dominicis & Feſtis præcipuis abſtinendum, ob ſacri reverentiam temporis.* Hæc tamen componi poſſunt: videtur enim S. Bonaventura loqui de eo operis genere, quo totus dies inſumitur in manu exarandis Codicibus. Sanè non ritè tunc Solennia obſervarentur, maximè ſi vel de Divinis rebus Auctores non diſſererent, vel quæſtum ſcribendo quis faceret. Neutrum quidem attigit, ſed de ſcriptione illa, de qua agit Gerſon, loquutus fuiſſe minimè dicendus eſt. Porrò Carthuſienſes Monachi non quærebant num liceret totum diem in ſcriptionem incumbere, præſertim ob lucrum, ſed utrum fas eſſet pios libellos exſcribere diebus Feſtis. Qui his dant operam, nec Sacra, nec ſtatas Eccleſiæ precationes negligunt, nec dum ſcribendo diſtineri videntur, eorum mentes à Divinis rebus avocantur.

XII. Idem ſentit S. Bonaventura de oris ablutione; eam enim tanquam tunc minimè neceſſariam ſugillat. Non tamen crediderim carpi ab eo ſententiam Magni Gregorii Rom. Pont. acriter arguentis quoſdam nefas eſſe exiſtimantes totum corpus pro tuenda valetudine abluere, Dominico die. Ut enim ait Pontifex Sanctiſſimus, quum partem corporis lavare nulla jura vetent, denegandum non eſt toti corpori dum neceſſitas urget: *Nam ſi Dominicorum die corpus lavare peccatum eſt, lavari ergo die eodem nec facies debet. Si autem hoc in corporis parte conceditur, cur hoc, exigente neceſſitate, corpori negatur?* L. 11. ep. 3.
Verùm, ſi totum corpus lavare licet, cur os, caputve non licet? Cæterùm Bonaventura non id negat quod Gregorius ait. Enimverò in Cœnobiis ſtatis quibuſdam diebus os abluebatur ac barba & capillus tondebantur, quod perdiu durabat: hoc non licere Feſtis diebus meritò cenſuit. Statis quoque diebus in exarandis manu Codicibus Cœnobitæ diu occupabantur; quod pariter minimè ſinendum eſſe exiſtimavit, dum Solennia celebrarentur. Ita quoque convenire diximus Balſamoni cum Gregorio, Græcis cum Latinis: hi enim balnea licita putabant Dominico die, vetita illi; ſed Latini citò hæc peragi voluerunt, Græci ob eorum diuturnitatem aliter ſentiebant.

XIII. Quærebatur prætereà an iiſdem Dominicis diebus tonſorum opera uti fas eſſet. Comitia Aquiſgranenſia Abbatum, Ann. 817. Imperatore Ludovico Pio, his quoque tempus præſtituunt, ſemel in Quadrageſima, ideſt Sabbato Sancto, Monachis id licebat, ſemel in Paſchali hebdomada; reliquo anni tempore bis ſingulis menſibus: *Ut in Quadrageſima, niſi in Sabbato Sancto non radantur; in alio autem tempore ſemel per quindecim dies radantur, & in octavis Paſchæ.* Can 6. Anno 1317. Joannes XXII. miſſis ad Philippum Galliæ Regem litteris conqueſtus eſt de poſthabita Canonum diſciplina ab Eccleſia Gallicana. Quod ad rem noſtram pertinet, queritur quoſdam Dominico die barbam atque capillum tondere, quòd legem de cultu Feſtorum dierum violarent: *Illud ſanè quod inoleviſſe in illis partibus dicitur, ut videlicet paſſim in quandam Divinam irreverentiam exerceantur judicia die Dominico, & radendis ac tondendis barbis atque capitibus intendatur, te diſſimulare non decet, quum dies illa Divino cultui ſpecialiter dedicata, talibus profanari non debeat.* Rainal. An. 1317. n. 4.

XIV. An autem venæ ſectio adhibenda, & medicina facienda tunc ſit, quum in aliud tempus proferri hæc poſſunt, ex S. Cæſario Arelatenſi Archiepiſcopo cognoſcimus. Agit Sanctus Præſul de Eccleſiæ Rogationibus, ſtatuitque eo tempore exercenda illa non eſſe, niſi quis gravioribus morbis conflictetur. Quum verò ita de Rogationum celebratione ſentiat, perſpicuum eſt quid de ſolennioribus Celebritatibus exiſtimaret: *Nemo ſibi ex induſtria aliquas occupationes audeat providere, nemo ſe otioſis fabulis occupare; ne inde ſibi vulnera faciat, unde ſibi parare medicamenta poterat. Nemo in iſtis tribus diebus aut ſanguinem tollat, aut potionem accipiat;* Hom 37.

piat;

piat ; niſi fortè hoc infirmitas nimiùm periculoſa compellat.

XV. Sciſcitabantur Tranſilvani, num licitum ſit agrorum pagorumque incolis, Feſtis diebus, vendere legumina & arborum fructus, poſtquam Sacro interfuiſſent, metere, & impendente plovia aliò importare plauſtris fœnum, linum, ſegetes, & alia hujuſmodi : *An pauperibus villanis ac oppidanis licitum ſit vendere die Dominico, vel Feſto alicujus Sancti, panes, legumina, pyra, poma &c. vel ſit licitum eis finita Miſſa, poſt prandium, de campo, tempore meſſis, quum timetur de pluvia, portare cum pecoribus, vel equis, vel curribus, linum, fœnum & alia blada humano uſui convenientia.* Reſpondit verò, anno 1447. Nico-
Rainald. n.18. laus V. Rom. Pont. quem conſuluerant, ſapienter, ac nihil circuitione uſus, ſervilia opera tunc exercenda non eſſe, niſi cogat neceſſitas, licere autem ubi hæc reipſa urgeat : *Dicendum eſt quod ceſſante neceſſitate ab omni opere ſervili abſtinendum eſt diebus Dominicis & Feſtivis : ſed neceſſitate cogente, non tamen affectata, ſeu procurata, licitum eſt permiſſa exercere.*

XVI. Aureum illud Gerſonis monitum ob oculos habendum eſt, in hujuſmodi rebus & quæſtionibus ſexcentis magis nobis uſui futuros regionum mores & Epiſcoporum auctoritatem, quàm qualvis leges litterarum monomentis conſignatas : *De*
T.2.p.27. *operibus ſervilibus non exercendis, diebus Dominicis & Feſtivis, plus frequenter determinat conſuetudo loci & perſonarum à Prælatis tolerata, quàm alia Lex ſcripta.*

XVII. Tandem afferenda ſunt verba S. Thomæ Aquinatis. Docet fas eſſe diebus Feſtis in opus
2.2.q.122. ar.4. incumbere, quum id neceſſariò poſtulat noſtri
2.2.q.40. art.4. corporis & aliorum valetudo, ac res domeſtica. Itaque ex ſacris Litteris intelligimus Sabbato Machabæos prælium commiſiſſe, Eliam ob Jezabelis minas fuga ſibi conſuluiſſe, ac ægrotos à Servatore noſtro priſtinæ incolumitati reſtitutos eſſe ; Excuſavit præterea Chriſtus diſcipulos ſuos, qui eſurientes ſpicas vellebant & excutiebant ; & opem ferendam eſſe ait ovi ſi in ſcrobem Sabbato decideret : *Medici*, inquit S. Thomas, *licitè poſſunt omnes medicari in die Feſto. Licitum eſt bella juſta exercere in diebus Feſtis, ſi tamen hoc neceſſitas expoſtulat. Hoc enim eſſet tentare Deum, ſi quis imminente tali neceſſitate vellet à bello abſtinere : ſed neceſſitate ceſſante non eſt licitum bellare in diebus Feſtis.*

CAPUT V.

De veteri more inchoandi Solennia ſub veſperam diei præeuntis.

I. Conſuetudo inchoandi Solennia præcedenti veſpera, oritur à Lege Moſis.

II. Nocturnarum precum, ex Caſſiano, idem erat initium ; hæ totam noctem adhibebantur.

III. Idem in Paſcha pervigilio uſuvenit.

IV. Intelligimus pariter ex S. Ambroſio, initium ſtatarum precationum & Sacrorum, diebus Feſtis, extitiſſe preces veſpertinas & Miſſam pervigilii.

V. Synodus Laodicena idem decernit de Dominicis diebus, ut Synodi quamplurima, & Capitularia.

VI. Conſtitutiones Theodulphi eodem ſpectantes.

VII. VIII. IX. Capitularia, Concilium Forojulienſe, & Coyacenſe poſt annum à Chriſto nato milleſimum, idem ſtatuunt.

X. Vetus hoc inſtitutum poſt annum Chriſti milleſimum atque ducenteſimum.

XI. Ideo inchoantur modo Feſti dies ſub matutinum eorundem dierum tempus, quod veſpertinæ preces diei præcedentis citiùs celebrentur, & vigiliæ ſublata ſint.

XII. XIII. Conſimile fuit Græcorum inſtitutum. Confirmatur verbis Conſtitutionum Apoſtolicarum, Sancti Joannis Chryſoſtomi, & Synodi Quiniſextæ.

XIV. Alia rationum momenta.

XV. Aurea monita excerpta è Sermone S. Auguſtino adſcripto de privata ſaltem totius Dominici diei celebratione.

I. MOs inchoandi remiſſionem illam à laboribus, ſolennibus diebus, à Synagoga Serm.251.de Temp.
primùm uſurpatus, in Eccleſiam, ut animadvertit S. Auguſtinus, invectus eſt, & Divina Moſis Lege nititur : *Obſervemus diem Dominicam fratres, & ſanctificemus illam, ſicut antiquis præceptum eſt de Sabbato, dicente Legiſlatore : Et veſpere uſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra. Videamus ne otium noſtrum vanum ſit, ſed à veſpera diei Sabbati uſque ad veſperam diei Dominici, ſequeſtrati à rurali opere, & ab omni negotio, ſoli Divino cultui vacemus.* Maxima Ebræorum Celebritas fuit Azymorum ac Paſchæ Solennitas, cujus initio agnus mactabatur præcedenti die, *inter duas veſperas*. Adnotatum eſt ab eruditis viris duplicem extitiſſe veſperam veterum Græcorum ac Latinorum ; nos quoque fauſtam aliis precamur veſperam, primùm ſtatim poſt Meridiem, atque iterùm ſub Solis occaſum : fortaſſe Ebræis hæc accepta ſunt referenda, quum ſacræ Litteræ meminerint immolationis Agni Paſchalis, *inter duas veſperas*. Priorum conditi orbis dierum Moſes a veſpertino tempore initium capit : *Factum eſt veſpere & mane dies unus*. David quoque eadem ferè verba uſurpat, de ſuis precibus Diviniſque laudibus loquutus : *Veſpere & mane & meridie narrabo & annunciabo, & exaudiet vocem meam.*

II. Optimè verò ex Caſſiano cognoſcimus, ſi minùs originem hujus ritus, certè quæ veſpertinis nocturniſque horis ante diem Dominicum à
Majoribus gerebantur. Vigilabant ergo, noctur- De Diurn. orat.l.3.c.8.
naſque Eccleſiæ preces celebrabant : *Sanè vigilias quæ ſingulis hebdomadibus à Veſpera, illuceſcente Sabbato celebrantur, ideircò ſeniores hyemali tempore quo noctes longiores ſunt, uſque ad quartum gallorum cantum per Monaſteria moderantur, ut poſt excubias totius noctis, reliquis fermè duabus horis reficientes corpora ſua, nequaquam per totum diei ſpatium ſomni torpore marceſcant.* Statæ hujuſmodi preces adhibendæ nocte præeunte diei Dominico, dividebantur in partes tres, ut ea varietate ſomnus & torpor faciliùs excuterentur. Poſtquam enim Pſalmos tres ſtantes cuncti cantaverant, quieſcebant aliquantiſper in humilioribus ſcamnis ſedentes, & interim tres Pſalmi à totidem Monachis canebantur ; ſinguli enim ſingulos canebant ; denique triplex lectio adhibebatur : *Ideò vigilias tripartitis diſtinguunt officiis, ut labor hac diverſitate diviſus, delectatione quadam defectionem corporis relevet. Nam quum ſtantes Antiphonas tres concinnuerunt, humi poſt hæc, vel humillimis ſedilibus ſedentes, tres Pſalmos, uno modulante, reſpondent ; qui tamen ſinguli à ſingulis fratribus viciſſim ſibi ſuccedentibus ſibi præbentur, atque his ſub eadem quiete reſidentibus, ternas ſubjiciunt lectiones.* Nec admodum abhorrent ab hujuſmodi ritu preces noſtræ diei Dominici, quanquam non eodem tempore inchoantur.

III. In Paſchæ pervigilio, ut alibi diximus, totam ferè noctem orando producebant veteres ; ac quum toties Paſcha recoleretur quoties Dominicus dies agebatur, æquum erat ut ſingulis quibuſque Sabbatis, vigiliis & precibus ſtuderent, ut ſcribit Hieronymus contra Vigilantium jeju-

Digitized by Google

niorum hoſtem inſenſiſſimum : Quod *ſi ideò vigilias exiſtimas reſpuendas ne videamur ſæpè Paſcha celebrare, & non ſolennes poſt annum exercere vigilias; ergo & die Dominica non ſunt Chriſto offerenda Sacrificia, ne Reſurrectionis Domini crebrè Paſcha celebremus, & incipiamus non unum Paſcha habere, ſed plurima.*

IV. Fateor hæc pertinere potiùs ad nocturnam ſacrarum Celebritatum preces, quàm ad veſpertinas pervigiliorum. Itaque à veſpertini Sabbati precationibus initium ducitur celebrationis Dominici diei. Meminit S. Ambroſius Miſſæ tunc peractæ, videlicet Sacri quod in pervigiliis cum iiſdem veſpertinis precationibus fiebat Solennia inchoando: *Indictum eſt jejunium, cave, ne negligas. Et ſi te fames quotidianum cogit ad prandium, ut intemperantia declinet jejunium, tamen cœleſti magis te ſervato convivio. Differ aliquantulum; non longè finis eſt diei. Immò plerique ſunt hujuſmodi dies, ut ſtatim meridianis horis veniendum ad Eccleſiam, canendi hymni, celebranda oblatio. Tunc utique paratus aſſiſte, ut accipias tibi munimentum, ut Corpus edas Domini Jeſu, in quo remiſſio peccatorum eſt &c. Admonet etiam Sacrificium veſpertinum, ut nunquam Chriſtum obliviſcaris.* Crediderim loqui Ambroſium de hybernis diebus, quum ait, *ſtatim poſt meridiem veniendum ad Eccleſiam*, ut veſpertinæ preces & Sacrificium pariter veſpertinum vocatum cum iiſdem celebraretur, quemadmodum etiamnum Sabbato Sancto uſuvenit in Eccleſia Latina. Patet ergo veſpertinas hujuſmodi preces præeuntis diei, initium extitiſſe Dominicorum dierum & aliorum Solennium, quorum pervigilia colebantur.

In Pſ. 118. Octon. 9.

V. Concilium Matiſconenſe II. An. 585. cenſet pertinere ad Dominicum diem noctem quæ illum antevertit, colendam propterea vigilando & orando: *Noctem quoque ipſam, quæ nos inſperata luci inacceſſibili reddidit, ſpiritualibus exigamus excubiis; nec dormiamus in ea, quemadmodum dormitant qui nomine tenus Chriſtiani eſſe noſcuntur: ſed oremus, & vigilemus operibus ſacris, ut digni habeamur in regno heredes fieri Salvatoris.* Idem conſtituit Capitulare Aquiſgranenſe, An. 789. Etenim Carolus Magnus in lucem revocavit Canonem Laodicenum, quo, *à veſpera uſque in veſperam*, coli jubetur Dominicus dies: *Item in eodem Concilio præcipitur ut à veſpera uſque in veſperam dies Dominica ſervetur.* Ita quoque Francofordienſe Concilium, anno 794. *Ut dies Dominica à veſpera uſque in veſperam ſervetur.* Quo fit Feſtis diebus, ut ritè peragantur, adeſſe oportere dum veſpertinæ preces priores, dum nocturnæ quoque, ac ſacrum Solenne, & veſpertinæ poſteriores celebrantur.

Can. 8.

Can. 15.

Can. 21.

VI. Theodulphus ſuppetias veniens ita cuncta illuſtrabit, ut nullus dubitationi locus relinquatur. Præcipit ſiquidem ut cuncti Dominicum diem celebraturi ad Eccleſiam Sabbato ſe conferant, dum lampades accenduntur: *Conveniendum eſt Sabbato die cum luminaribus cuilibet Chriſtiano ad Eccleſiam.* Veſpertinum id tempus videtur *Lucernarium* nuncupatum, quo orandum erat, Sabbato in finem vergente. Artifices quilibet feriati quieſcebant Chriſtiana initio uniuſcujuſque hebdomadæ Solennia celebraturi. Tum domum quique ſuam ſe recipiebant, & in Templum paulò pòſt revertebantur, ut animo ac religione excubarent: *Conveniendum eſt ad vigilias, ſive ad Matutinum Officium.* Tertiùm quoque eodem redeundum erat cum oblationibus, ut adeſſent dum ſacris ſolenni ritu Sacerdotes operabantur: *Concurrendum eſt etiam cum oblationibus ad Miſſarum Solennia.* Hæ ſunt præceptiones ſapientiſſimi Antiſtitis Aurelianenſis, quibus conſimilia fuerunt monita cæterorum. Poſteriores precationes veſpertinæ non memorantur quidem; verùm eas complectitur ſequentibus verbis, dum ait in Eccleſiæ conventibus orandum eſſe tantùm, & opem ferendam egentibus: *Et dum ad Eccleſiam convenitis, nulla cauſa dici debet, vel audiri, nulla jurgia ſunt habenda, ſed tantummodò Deo vacandum eſt, in Celebratione videlicet ſacrorum Officiorum, & exhibitione eleemoſynarum, & in Dei laudibus, cum amicis, proximis, peregrinis, ſpiritualiter epulandum.* Ita pomeridianum tempus inſumebatur.

Can. 24.

VII. Perſpicuum eſt autem ex Caroli Magni Capitularibus eadem in cunctis Celebritatibus locum ſibi vindicare: *Diem Dominicum ſecundum reverentiam colite &c. tantùm Divinis cultibus ſerviatis, & à veſpera uſque ad veſperam dies Dominicus ſervetur. Has ſiquidem præcipuas Feſtivitates adnuncient Presbyteri, & diebus Dominicis celebrare, ideſt in Natali Domini dies quatuor, in Circumciſione &c.* Patet eò hæc ſpectare ut Dominicis diebus minimè concedant Solennia cætera ibidem enumerata, ac peragenda à priore ad alteram veſperam. Equidem mendum quod in eum locum irrepſerat ſublatum à nobis eſt, legendumque cenſemus, *ut diebus Dominicis Sabbatizare*, non autem, *& diebus Dominicis celebrare*. Sed ſatis eſt paulò accuratiùs legere & expendere allata verba ut vitium deprehendatur & neceſſitas locum illum caſtigandi ac reſtituendi. Sacræ Litteræ priorem tantùm veſperam Sabbati, vel Dominici diei commemorant; Eccleſia tamen nihil inter eos dies, ac alios quoſlibet Feſtos intereſſe arbitratur.

L. 6. c. 186.

VIII. Synodus Forojulienſis à Paulino Aquilejenſi Patriarcha coacta, anno 791. hæc clariùs ediſſerit agens de initio Celebritatis Dominicæ: *Diem autem Dominicum inchoante noctis initio, ideſt veſpere Sabbati, quæ in prima luceſcit Sabbati, quando ſignum inſonuerit, vel hora eſt ad veſpertinum celebrandum Officium, ſed Dominici diei, cum omni reverentia & honorifica religione venerari omnibus mandamus Chriſtianis.* Sabbato igitur in finem vergente, & adventante nocte, veſpertinæ laudes ſequentium Solennium celebrari conſueverant, iiſque omnes aderant. Facilè autem ſub noctem frequens populus confluere potuit.

Cap. 13.

IX. Anno 1050. quo cogebatur Synodus Covacenſis in Hiſpania, ſublatum non erat pium hoc inſtitutum ſacrorum cœtuum Sabbato & ſequenti nocte, ac dum res Divina & omnes Canonicæ preces celebrabantur: *Sexto titulo admonemus ut omnes Chriſtiani die Sabbati adveſperaſcente, ad Eccleſiam concurrant, & Dominica matutinas, Miſſas, omnes horas audiant, opus ſervile non exerceant &c.*

X. Rogerius meminit, An. 1201. epiſtolæ ubique vulgatæ, tanquam è Cœlo miſſæ, qua jubebatur coli ab omnibus dies Dominicos vacatione, à Nona Sabbatorum hora uſque ad ortum Solis ſecundarum hebdomadæ Feriarum: *Volo ut nemo ab hora Nona Sabbati uſque ad Solem ſurgentem diei Lunæ aliquid operetur, niſi quod bonum ſit.* Auctoris hujuſmodi Litterarum conſilium illud fuiſſe videtur ut reſtituerentur neglecti tunc priſci mores, non adhuc ſublati Gratiani ætate, quum in ſuum Canonum Codicem retulerit ſanctionem, ut ipſe putat, Concilii Lugdunenſis: *Pronunciandum eſt Laicis ut ſciant tempora feriandi per annum, ideſt à veſpera uſque ad veſperam, ne Judaiſmo capiantur.* Eadem penè verba uſurpantur à Gregorio IX. *Omnes dies Dominicos à veſpera in veſperam cum omni veneratione decernimus obſervari &c.*

De Conſ. ct. diſt. 3. c. 1.

Extr. de Feriis c. 1. 2.

XI. Conſtat ex verbis Alexandri III. ibidem ſequenti Capite allatis, non unum ubique fuiſſe ejus ætate Eccleſiarum omnium ritum. Parvi id

referre

referre arbitrabatur Pontifex, ſtatuitque habendam eſſe rationem tum Solennitatum, tum regionum: *Licèt ſcriptum ſit, De veſpera in veſperam celebritatis Sabbata veſtra, Feſtorum tamen principium & finis, juxta eorum qualitatem, & diverſarum regionum conſuetudinem debet attendi; & ſicut magnitudo dierum exigit, priùs incipere & tardiùs terminari.* Jam vetus Solennium diſciplina abrogari alicubi cœperat; ſed poſt ejuſmodi edicta, in omnes ferè Eccleſias præſentes ritus, variis de cauſis, invecti ſunt. Potiſſima videtur quòd veſpertinum tempus Sabbati, ſenſim ſine ſenſu anticipatum fuerit, ac tandem ubivis ferè paulò poſt meridiem conſignatum ſit, tam pervigiliorum, quàm Solennitatum diebus. Ita enim populus minimè compelli potuit ad obſervandos Feſtos dies à præeunte veſpera; nec committendum erat ut ſub veſperam ſequentis exiſtimarentur jam peracti, quod fieri poterat quum veſpertinæ laudes occidente Sole canebantur. Huc accedit laudes illas Sabbati conſimiles fuiſſe ſtatis precibus pervigiliorum atque nocturnis ad Feſtum diem pertinentibus. Ut autem diximus, operæ pretium tandem ſe facturam exiſtimavit Eccleſia tollendo excubias pervigiliorum, propter facinora quæ nefarii quidam homines patrabant, noctis beneficio uſi. Hac fortaſſe de cauſa veſpertinis laudibus ſub noctem vacare viſum eſt minimè expedire. Hinc Ahytonis Baſileenſis Præſulis Conſtitutione ſancitum eſt obſervari oportere Dominica Solennia ab ineunte die ad veſperam:

Cap. 8. *Pronunciandum eſt ut ſciant tempora feriandi per annum, ideſt omnem Dominicam à mane uſque ad veſperam, ne Judaiſmo capiantur.* Hæc totidem verbis extant in Synodo Lugdunenſi Gratiani, quamvis apud Gratianum legatur, *à veſpera uſque ad veſperam*, apud Abytonem, *a mane uſque ad veſperam*. Erat ergo hæc vetus faſtorum formula, quam privatæ Eccleſiæ adhibebant, prout regionum mores poſtulabant. Itaque Sæculi XI. & XII. publicis Eccleſiæ vigiliis penè ſublatis, haud ampliùs præcedenti veſpera Feſti dies obſervari cœperunt.

XII. Idem fuit hac in re Græcorum inſtitutum.

L. 8 c. 33. 34. 35. In Conſtitutionibus Apoſtolicis, poſt Feſtorum dierum enumerationem præcipitur ut Epiſcopi populum convocent ſub veſperam ad Pſalmos canendos ac orandum pro Catechumenis, Energumenis, Pœnitentibus & Baptiſmo initiatis, & ad Sacrum veſpertinum quod ſubſequebatur, ut fit Sabbato Sancto: *Congregabis Epiſcope Eccleſiam ad veſperam, & poſt recitatum Pſalmum veſpertinum edicat Diaconus qua precaturi ſunt pro Catechumenis, Energumenis, Baptizatis, & pro Pœnitentibus &c. Denunciatio obſecrationis nocturnæ poſt incenſa lumina*, προσφώνησις, ἐπιλύχνιος; *nocturna gratiarum actio poſt incenſa lumina*, εὐχαριστία ἐπιλύχνιος. Nocturna Euchariſtia nihil aliud eſt quàm veſpertinum Sacrificium, cujus meminit Latina Liturgia. Hæc fuerunt Solennium primordia, quorum preces aliæ Canonicæ recenſentur: *Precationes facite, mane, tertia hora, & ſexta, & nona, & veſpere, atque ad galli cantum.* Hæ ſunt ſtatæ preces diurnæ, nocturnæque ea tempeſtate adhibitæ, quibus intereſſe populum oportuit, Feſtis ſaltem diebus.

XIII. Optimè animadvertit Chryſoſtomus quòd quum Apoſtoli peterent à Chriſto primo die Azymorum ubi inſtruendum eſſet Paſchale epulum, primum illorum Solennium diem vocarunt eum qui antevertebat Celebritatem, poſt meridiem; ita

In Matth. hom. 82. enim Solennia colebantur: *Primam Azymorum eam diem vocat quæ erat ante Azyma. Conſueverunt enim à veſpere ſemper dies numerare; & ejus mentionem facit in veſpere cujus Paſcha erat immolandum.*

Can. 91. Prætereà Græci, ut liquet ex Synodo Quiniſexta, ſive Trullana, non tantùm Dominico die genua flectere orando religioni habebant, verùm hunc etiam ritum adhibebant Sabbato, tempore veſpertino. Ipſo Sabbati meridie, ut nunc mores ſunt, genua minimè flectimus dum ſignum datur Angelicæ Salutationis. Dominico dumtaxat die ſtando orandum erat ad præſcriptum Nicænæ Synodi, & antiquæ Traditionis, ad recolendam Jeſu Chriſti Reſurrectionem: at ex priſco Eccleſiæ ritu Nicæna Synodo antiquiore fieri id oportuit poſt Sabbati meridiem. Sed afferendus eſt in medium Canon Sextæ Græcorum Synodi, qui habet flectenda non eſſe genua poſtquam Sacerdotes ad aram adhibant Sabbato veſpertinas laudes celebrantes, quoad completæ eſſent veſpertinæ preces ſequentis diei Dominici: *Fidelibus manifeſtum facimus quod poſt veſpertinum Sacerdotum ad Altare Sabbato ingreſſum, ex conſuetudine quæ ſervatur, genu nemo flectat, uſque ad ſequentem veſperam in die Dominico, in qua poſt ingreſſum Lucernarii, genua rurſum flectentes, Domino preces offerimus.* Can. 9.

XIV. Qui res geſtas S. Auxentii Archimandritæ conſcripſit, teſtatur Dominicum diem ab ejus Monachis, ipſo jubente, celebrari cœptum eſſe ſub præcedentem noctem, quam vigilando producebant: *Illuceſcente verò die Sabbatorum, familiares ſuos cum iis qui inveniebantur, Pater jubebat tota nocte vigilare.* Bolland. Febr. t. 2. p. 784. Quique de S. Porphyrio Gazenſi Antiſtite egit, memoriæ prodidit, eum adhuc Presbyterum profectum eſſe Cæſaream Palæſtinam, ubi ab Joanne Archiepiſcopo exceptus humaniter, & ad cœnam vocatus fuit, ut poſteà nocturnis adeſſet precibus. Petiit verò ab Joanne Porphyrius itinere defatigatus, ut eum potiùs ſineret pauliſper quieſcere dum veſpertinæ laudes canebantur, quibus abſolutis, poſt brevem ſomnum, nocturnis intereſſet: quod tamen non licuit per illum qui Porphyrium poſtridie Gazenſi Sacerdotio initiare conſtituerat: *Dixit ei Archiepiſcopus, ſurge frater propter Dominum, & veſcere mecum, ut citò ſurgamus ad vigiliam Dominica ſancta; ingreſſi enim ſumus veſpere Sabbato. Beatus vero Porphyrius rogavit eum ut ei concederet veſperam propter via laborem. Dixit autem ſe poſt primum ſomnum ſurrecturum ad vigiliam. Quum autem non potuiſſet perſuadere Epiſcopo, ſurgens Beatus cum eo eſt profectus, me quoque accepto. Quum autem multa loquuti fuiſſemus ſpiritualia, & parum dormiſſemus, ſurreximus ad vigiliam.* Sur. die 26. Febr. c. 11. Habentur hìc veſpertinæ Sabbati laudes, & ſacræ Dominici diei excubiæ poſt captum breviſſimum ſomnum. Ne actum agere videamur prætermittimus vigilias, & pietatem Majorum, qui interdiu ac noctu Divinis rebus & Canonicis precationibus in Templis ſtudebant.

XV. Non abs re fuerit nonnulla adjicere ex Sermone S. Auguſtino adſcripto, ubi Auctor docet primum Chriſtianumque hebdomadæ diem ita obſervandum eſſe ut ſeptimus ad Divinæ Legis præſcriptum colebatur, videlicet à priore ad alteram veſperam, vigilando & orando, Deumque continenter laudando, domi ſaltem noctu, ſi minùs in publicis Eccleſiæ conventibus. Id cuivis licet, nec ullus committere debet ut de negligentia in hujuſmodi rebus accuſari poſſit. Etenim ſublatis nocturnis cœtibus propter ſcelera hominum Divina omnia & humana jura parvipendentium, ſupereſt adhuc neceſſitas Deo magis vacandi dum Solennia recoluntur: *Obſervemus ergo diem Dominicam, fratres, ut ſanctificemus illam, ſicut antiquis præceptum eſt de Sabbato, dicente Legiſlatore, A veſpera uſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra. Videamus ne otium noſtrum vanum ſit, ſed à veſpera diei Sabbati uſque ad veſperam diei Dominici ſequeſtrati à rurali opere & ab omni negotio, ſoli Divino cultui vacemus. Veniat ergo cuicumque poſſibile ſit ad veſpertinam atque nocturnam* Serm. 251. de Temp.

nam celebrationem , & oret ibi in conventu Eccleſiæ pro peccatis ſuis Deum . Qui verò hoc non poſſit , ſaltem in domo ſua oret , & non negligat Deo ſolvere votum ac penſum ſervitutis ſuæ . In die verò nullus ſe à ſacra Miſſarum celebratione ſeparet , neque otioſus quis domi remaneat , cæteris ad Eccleſiam pergentibus.

CAPUT VI.

De pio Feſtorum dierum cultu ex Patribus & Conciliis . De frequentibus precibus , Canonicis Horis , Divino Verbo , & virtutum exercitationibus .

I. De ſtatis frequentibuſque precationibus Dominicis diebus ad præſcriptum Conſtitutionum Apoſtolicarum.

II. Leges & illuſtria Conſtantini Imperatoris exempla .

III. Præceptiones S. Joannis Chryſoſtomi .

IV. De precibus , Divinarum rerum meditationibus , verbo Dei , & lectione ſacrorum Bibliorum .

V. Monita Tertulliani & S. Hieronymi .

VI. Theodulphi Aurelianenſis Antiſtitis, & Concilii Turonenſis .

VII. VIII. IX. Capitularium , Nicolai I. Rom. Pont. & Concilii Mediolanenſis III.

X. S. Carolus admonet proceres officii ſui , ut nempè ſolennioribus diebus ad principem Eccleſiam ſe conferant .

XI. Canones veterum Conciliorum eodem ſpectantes pro iiſdem & Clericis quibuſvis .

XII. Hujuſmodi diſciplinæ æquitas .

XIII. Theodulphi conqueſtiones de iis qui putant ſe ritè Solennia obſervaſſe , modò Sacro minùs ſolenni adfuerint .

XIV. De Canonicis Horis cum Sacrificio conjunctis .

XV. Principes quoque ſtatas preces Feſtorum dierum prætermittere ſibi vitio vertebant .

I. VIderi poſſit ſuperſedendum eſſe hoc Capite , quum jam conſtet à prioribus veſpertinis laudibus ad poſteriores Dominici diei unicè incumbere oportuiſſe in ſtudia pietatis & religionis officia. Hæc tamen rurſus revocanda ſunt ad incudem , quòd maximi momenti ſint , ut pateat quid Patres ſenſerint , quid Concilia .

Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum , poſt-
L. 8. c. 34. quam Solennia priorum ſæculorum recenſuit , jubet non unos Clericos ſed quoſvis Deum orare & obſecrare mane , & tertia , ſexta , ac nona horis , veſpere præterea , & die advenante : *Precationes facite , mane , tertia hora , ſexta , nona , veſpere , atque ad galli cantum .*

II. Maxima facta eſt , Euſebio teſte , rerum commutatio , dum Conſtantini Cæſaris Aula Tem-
De Vita Conſt. l. 4. c. 17. 19. 22. plum quoddam videbatur , ubi Divinis rebus cuncti ſtudebant , ipſe verò Princeps ſacras Litteras interpretabatur : *In Palatio quandam velut Eccleſiam Dei conſtituit. Ac diligentia quidem & alacritate præibat cunctis qui in Eccleſiam illam erant adſcripti , & ſacros Codices in manus ſumens , Oracula à Deo edita attento animo meditabatur . Poſthac ſolennes preces cum univerſo aulicorum cœtu recitabat* . Mandavit ut religioſè obſervarentur Dominici dies , conſcripſitque preces quaſdam pro ipſiſmet populis qui non adhuc Chriſtianæ militiæ nomen dederant , ut Deum colerent , eique gratias agerent . Orabat quoque ipſe in abdito quodam Aulæ loco ſtatis quibuſdam horis religionis Myſteria recogitans : *Ipſe verò utpote ſacrorum Myſteriorum particeps , in intimis Palatii ſui penetralibus quotidie ſtatis horis ſeſe includens , remotis arbitris , ſolus cum ſolo colloquebatur Deo ; & in genua provolutus , ea quibus opus haberet , ſupplici prece poſtulabat* . Hoc autem pietatis ſtudio magis flagrabat pii Principis pectus Paſchalibus diebus , quibus Epiſcopum potiùs quàm Imperatorem agere videbatur ; ita omnibus exemplo & religione præibat : *In ipſis autem ſalutiferæ Feſtivitatis diebus , diſciplinæ atque exercitationum vigorem intendens , cunctis animi & corporis viribus collectis , Pontificis atque Hierophantæ munere fungebatur . Et ipſe quidem cæteris præibat ad Feſti celebrationem* . Ut verò Chriſtianus populus in Paſchæ pervigilio ad nocturnos Conventus frequens conflueret , accenſis undique facibus , vias colluſtrandas curavit , id cogitans ejuſmodi noctem veræ pietatis lumine totum orbem compleviſſe : *Sacram autem vigiliam in diurnum ſplendorem converterat , accenſis tota urbe cereorum quibuſdam columnis , per eos quibus id operis erat injunctum. Lampades quoque accenſæ cuncta paſſim loca illuſtrabant ; adeò ut hæc myſtica vigilia quovis vel ſplendidiſſimo die ſplendidior redderetur .*

III. Alloquitur Sanctus Joannes Chryſoſtomus homines in vitiorum cœno hærentes , terrenis rebus penitùs addictos , ac maximè dolet unicum diem , exiguam nempè hebdomadæ partem , quo Divinum Numen coli oportebat , non ritè peragi ab ipſis , atque adeò pollui ſtudiis opum , voluptatum , aliiſque id genus curis atque occupationibus , quum reliquo hebdomadæ tempore , corpori , rei familiari , cæteriſque negotiis vaca- T. 1. ho. 10.
re poſſint : *Tibi ſex impertiit partes , ſibi unam reliquit ; nec in hac tamen tota à negotiis ſecularibus abſtinere dignaris ; ſed hoc ipſum faciunt qui ſacras pecunias deprædantur ; tu hac etiam die patrare audes , dum illam jam ſanctam ac ſpiritualium eloquiorum auditioni conſecratam ad ſeculares curas abutendo traducis* . Exprobrat deinde illis , ob ſolennia neglecta , ignorationem in qua verſantur rerum maximarum , animæ ratione præditæ , corporis immortalitatis , beatæ vitæ , Divinæ bonitatis atque miſericordiæ , pœnitentiæ , Baptiſmi , expiationis criminum , humanæ naturæ , Sanctorum Angelorum , malorum Dæmonum , & inſidiarum quas moliuntur , Chriſtianæ Ethices , dogmatum religionis , fraudum Hæreticorum . Chriſtianum hæc neſcire turpe eſt , immò flagitium : horum enim , aliorumque complurium rationem reddat neceſſe eſt iis qui eam repoſcunt : *Siquidem iſta & multò plura noſſe Chriſtianum oportet , horumque omnium reddere rationem iis qui ſciſcitentur . Vos verò ne minimam quidem horum partem tenere poteritis , ſi ſemel hic , idque perfunctoriè conveniatis , nec tam propter animæ pietatem , quàm propter conſuetudinem Solennitatis .*

IV. Eccleſia ſacra quædam Academia vocari meritò poteſt , ubi populus qui frequens confluit ad ſolennes conventus excellenti maximèque neceſſaria ſcientia imbuitur . Ethnicæ Celebritates , ut alibi idem ait , turpitudine atque ſcelere continentur ; Chriſtianæ , non ſenſuum lenociniis , ſed mentis lætitia , mutua voluntatum conſenſione , concordia , atque omnibus virtutum offi-
ciis : *Et illi quidem Ferias nominent ebrietatem ,* Hom. 1. in Gen.
omnemque aliam intemperantiam , ac turpitudines , quas veriſimile eſt inde ipſos attrahere . At Eccleſia Dei ea quæ illis adverſa ſunt , nempè jejunium , ventris deſpectum , & omnes alias virtutes illius comites Ferias nominet . Hæc enim verè Feſta ſunt , ubi animarum ſalus , ubi pax , ubi concordia eſt ; ubi omnis hujus vitæ apparatus abigitur , ubi clamor & diſcurſus , & coquorum tumultus , & pecudum mactationes è medio tolluntur ;

tur ; quies verò omnis & tranquillitas & charitas & gaudium & pax & manſuetudo & innumera bona pro illis in uſu ſunt.

Poſtquam verò ait Feſtis diebus in Templis, veluti in præſtanti quadam litteraria palæſtra imbui hominum mentes Chriſtianæ Religionis doctrina ac virtutibus, viam ac rationem tradit qua tam præclaram ſcientiam adipiſci poſſimus. Poſtulat ut omnem mentis aciem in lectionem & meditationem Evangelii acriùs intendamus, & loca quævis penitiùs ſcrutemur, maximè quæ vel obſcuriora eſſe, vel ſibi minùs conſtare prima fronte videntur ; atque ita parati ejus interpretationem audiamus dum conciones habentur, uberrimum laboris fructum reportaturi : *Quid*
In Joan. hom. 10. *igitur à vobis contendimus ? Ut una dierum in hebdomade, vel ſaltem Sabbato, cura vobis ſit Evangelicas legere lectiones, eas ante has conciones in manibus habere, domi frequenter repetere, earum diligenter ſenſum diſquirere, quid clarum, quid obſcurum in his ſit adnotare velitis; quid pugnare videaturquumnonpugnet: ita omnibus penitus examinatis, his vos concionibus quàm attentiſſimos exhibeatis. Hoc pacto non parum utriſque noſtrum emolumenti provenerit. Siquidem nobis non multo opus erit labore, ut Evangelii vim oſtendamus, quum domi ipſam vobis ſententiam, quantum ad verba jam familiarem reddideritis ; vos autem & acutiores & perſpicaciores efficiemini, non ad audiendum, & doctrinam tantum percipiendam, ſed & ad docendum alios.*

Alibi Chryſoſtomus queritur morum corruptionem oriri ex ſacrarum Litterarum neglectu. Parvi autem refert ea legi bis vel ter hebdomadis ſingulis, dum mente aliò defixa, & variis perturbationum motibus concuſſa, Divinum hoc animi pabulum faſtidimus : *Poſt tam multa ſunt ali-*
In epiſt. ad Ebræos hom. 9. *qui, qui neſciunt quidem quod ſint Scriptura. Propterea à nobis nihil ſit ſanum, nihil rectum, nihil utile &c. Atqui ſingulis hebdomadis vobis hæc bis vel ter leguntur; & quum Doctor adſcenderit dicit primum cujus ſit liber, nempè hujus vel illius Propheta, & tunc dicit quæ dicit, ut ea magis ſignetis & obſervetis. Sed omnia fruſtra ſunt, omnia temerè. Nam totum veſtrum ſtudium eſt effuſum in ea quæ ad hanc vitam pertinent ; ſpiritalium verò nulla habetur ratio.*

Denique Græcorum ſapientiſſimus eò ait ſpectare Solennia quævis, Conciones, & ſacrorum Codicum explanationes, ut Divinæ hæ Leges ac verba animo altiùs infixa hæreant, & ad eorum normam mores noſtros exigamus. Hortantur nos ſiquidem, ut cæteris valere juſſis, Deum & quæ ad ipſum pertinent exquiramus; ita enim fiet ut quæ neceſſaria ſunt, victus, & res domeſtica, tanquam cumulus accedant. Sed quæ (malum!) eſt hæc præpoſtera agendi ratio? Nam opes, voluptates, honores, cuncta denique ad corpus & ad hanc vitam ſpectantia maximè deperimus tum quoque quum in ſacris Ædibus, Conventibuſque verſamur, à Deo penitùs abalienati : illud verò perſæpè uſuvenit ut bona utriuſque generis amittamus, dum iis quæ parvi momenti ſunt contententer ſtudemus, negligimus autem illa, quibus nihil antiquius habere debemus.

V. Vetuſtiſſimus Latinorum Tertullianus ani-
Adv. Marc. l. 4. madvertit Deum conſtituiſſe, ut Feſtorum dierum tempus à labore intermitteretur, ne hominum operibus vacantes ab operibus Dei abduceremur. Homines enim quicquid ad corpus, & hanc vitam pertinet moliuntur; Dei verò opus multò eſt excellentius : *Quum de die Sabbati dicit, Omne opus tuum non facies in eo, dicendo tuum, de humano opere definiit, quod quiſque ex artificio vel negotio ſuo exequitur, non de Divino. Opus autem ſalutis & incolumitatis, non eſt hominis, ſed Dei proprium : ſicut & rurſus in Lege, Non facies, inquit, opus omne in ea, niſi quod fiet omni animæ, ideſt in cauſa animæ liberandæ. Quia opus Dei etiam per hominem fieri poteſt in ſalute animæ, à Deo tamen ; quod facturus fuerat & Chriſtus homo, quia & Deus.* Ipſamet bona corporis valetudo, dum priſtinæ incolumitati ægrotos reſtituebat Servator noſter Feſtis diebus, Divinum opus extitit ; non enim unius corporis morbis peramanter medebatur ; ſed mentibus maximè vitiorum atque perturbationum ægritudine laborantibus. Sanctus quoque Hieronymus ait, veteres Monachos Solennibus diebus feriatos, precibus tantùm & ſacrorum Librorum lectioni operam dediſſe: *Dominicis diebus orationi tantum & lectionibus vacant ; quod quidem & omni tempore completis opuſculis faciunt.*

VI. Patuit Theodulphum Aurelianenſem Præ- Cap. 13. 14.
ſulem præcepiſſe ut quivis quotidie bis ſaltem Deum oraret, mane ac veſpere, & quidem in Templo, quoad ejus fieri poterat, niſi nimiùm diſtaſſet ; qui autem in agro vel alibi degebant, ibidem munere ſuo fungi debuerunt, ubique præſens Numen colentes : *Dicendum eſt illis ut ſingulis diebus qui amplius non poteſt, ſaltem duabus vicibus oret, mane & veſpere &c. Hæc faciant, quibus Baſilica locus prope eſt, in Baſilica : qui verò in itinere, aut pro qualibet occaſione in ſilvis, aut in agris eſt, ubicumque eum ipſa hora matutina vel veſpertina invenerit, ſic faciat, ſciens Deum ubique præſentem eſſe &c.* Longè tamen majore pietatis ſtudio præſtare hæc oportuit, & quidem jugiter Feſtis quibuſque diebus, hæc tantùm curando, & id quod ad victum pertinet : *Diei verò Dominici tanta debet eſſe obſervantia, ut præter orationes & Miſſarum Solennia, & ea quæ ad veſcendum pertinent, nihil aliud fiat.* Quod pariter ſtatuit Turonenſis Synodus, annò 813. *Die Dominica opor-* Can. 40.
tet omnes Chriſtianos in laude Dei & gratiarum actione uſque ad veſperam perſeverare.

VII. Capitularia Caroli Magni eadem eſſe conſtituunt Chriſtiani hominis officia ; vetant enim diebus Dominicis inepta oblectamenta & publicas ſaltationes ; contra, præcipiunt ut unuſquiſque Divinis rebus vacet cum Eccleſiæ adminiſtris, vel viris religione præditis, Deum cum Eccleſia laudando, vel ejus opem alia quavis ratione implorando, dum priores veſpertinæ laudes, dum nocturnæ & ſolenne Sacrum celebrantur ; ruſtici quoque dum in agrum divertunt, vel domum
ſe recipiunt : *Ne in illo ſancto die vanis fabulis* L. 6. c. 202.
aut locutionibus, ſive cantationibus, vel ſaltationibus, aut deriſionibus, ſtando in biviis, aut plateis, ut ſolet, inſerviant; ſed ad Sacerdotem, aut ad aliquem ſapientem hominem, & bonum veniant, & eorum prædicationibus, & bonis locutionibus, quæ ad animam pertinent, utantur. Et illo die, ſeu Sabbato ad veſperas & ad matutinas, ſive ad Miſſam cum eorum oblationibus, ſi fieri poteſt omnes canendo Kyrie eleiſon decantent. Similiter & paſtores pecorum eundo & redeunda in campum, & ad domum faciant, ut omnes eas veraciter Chriſtianos, & devotos eſſe cognaſcant.

VIII. Fuſiùs hæc perſequitur Nicolaus I. Romanus Pontifex in ſuis ad Bulgaros Literis : teſtatur enim totum diem Dominicum in virtutum exercitationibus inſumendum eſſe, ut ſex reliquo-
rum hebdomadæ dierum damna ſarciantur : *Do-* Cap. 10. 11.
minico die à labore terreno ceſſandum eſſe, atque omni modo orationibus inſiſtendum, ut quod negligenter per ſex dies agitur, per diem Reſurrectionis Dominica precibus expietur. Quod ad reliqua Solennia, idcircò docet ceſſare omnes à negotiis quibuſvis ut ad Eccleſiam contendant, operam daturi Pſalmis, Hymnis, Oblationibus, Obſecrationibus, Evangelii lectioni, & eleemoſynis. Nam ſi ſatis eſſet aliquantiſper Deum orare, &

reliquum

Digitized by Google

reliquum tempus otio ac voluptatibus diffluere, ſatius fuiſſet opus aliquod moliri ac quæſtum facere, quo opem egentibus conferre liceret: *Sanè ſciendum eſt quoniam idcirco in diebus Feſtis ab opere mundano ceſſandum eſt, ut liberiùs ad Eccleſiam ire, Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus inſiſtere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum aſſurgere, eloquiis Divinis intendere, eleemoſynas indigentibus miniſtrare valeat Chriſtianus. Quæ omnia ſiquis negligens, orationi tantum vacare voluerit, & ad cæteras mundi vanitates licitos labores converterit, melius ei fuerat ipſo die laborare manibus ſuis, ut haberet unde tribueret neceſſitatem pauperibus.*

IX. Concilium Mediolanenſe III. poſtquam hortatum eſt Epiſcopos, ut moneant eos qui conſuendis veſtibus calceiſque vacant, cupedinarios quoque, conſimileſque homines, ut ne ob lucrum muneri ſuo deſint, dum Chriſtiana Solennia peraguntur: *Tonſoribus præterea, piſtoribus, ſutoribus, calceariis, aliiſque ejuſmodi & reliquis item opificibus, quibus præſcribi oportet, Epiſcopus certas regulas præſcribat, ne deinceps dierum Feſtorum cultum violent, in quo maximè peccare plerique ſolent.* Parochis & Concionatoribus mandat ut populum doceant de cultu Solennium, puellas quoque, ac viduas quaslibet, vacando mane aut horis pomeridianis concionibus, ſacris lectionibus, vel interpretationibus, ubi mos eſt, Sacrificiis, Divinis laudibus, præſertim veſpertinis, & catecheſibus. Oportet præterea ægrotantes inviſere, & quoslibet ærumnis ac mœrore confectos conſolari; ſupplicationibus verò & piis exercitationibus ab Antiſtite conſtitutis adeſſe: *Feſtis diebus ſacroſancto Miſſæ Sacrificio interſint fideles omnes. Nec verò excuſentur puellæ nubiles, neque deinceps viduæ ob recentem mariti mortem, neque ullo alio cujuſvis conſuetudinis prætextu. Ut verè ii dies omni pietate & religioſius colantur, hac crebrò populum Parochi & Concionatores admoneant atque hortentur. Ut illorum dierum tempus quod Deo ejuſque cultui debetur, iis actionibus totum conſumant, in quibus ſanctè conſumendum eſt. Ut concionem manè, & ſacram lectionem à prandio, ubi explicari ſolet, audiant. Ut Divinis præſertim veſperarum Officiis præſentes religioſè, pièque adſint. Ut in doctrinæ Chriſtianæ rudimentis atque præceptis, vel percipiendis, vel recolendis verſentur. Ut in operibus etiam officiiſque pietatis ſe exerceant, ægros homines viſitando, mœrentes piè conſolando, & alia ejuſmodi præſtando. Epiſcopi cura ſit vel Litaniarum Proceſſiones, vel orationis aliarumque virtutum Chriſtianarum exercitationes inſtituere, in quibus per Feſtos dies occupati fideles, abducant ſe è profanis actionibus.* Mitto S. Caroli præceptiones eodem ſpectantes.

Acta Eccl. Mediol. p. 81. 56. 414. & ſeqq.

X. Quum verò Mediolanenſe Concilium Principes ac Magiſtratus hortetur ut ſolennibus diebus interſint in Æde maxima dum ſacrorum Antiſtites rem Divinam faciunt & veſpertinæ laudes celebrantur, ut populo exemplo præeant; conſulamus tantiſper neceſſe eſt antiqua Eccleſiæ monumenta: *Principes*, inquit, *& Magiſtratus, qui gubernationi præſunt, dignitate præcellunt, ita prælucere debent exemplo, quo reliqui incendantur ad perpetuum piè agendi ſtudium. Quamobrem pro muneris ſui officio, eos paternè cohortando & monendo Epiſcopus curet, ut ipſi per annum, ſolennibus diebus, & in quibus potiſſimum humanæ Redemptionis Myſteria peraguntur, in Nativitate ſcilicet Domini, die Circumciſionis & Epiphaniarum, in Hebdomada Sancta, Paſchæ Reſurrectionis, Aſcenſione, Pentecoſte, in ſolenni die Corporis Chriſti, ad Cathedralem Eccleſiam conveniant, Epiſcopalique Miſſæ officio, quod ſolenni ritu fit, Diviniſque veſperarum Officiis interſint.*

Pag. 16.

Quampluribus quondam Conſtitutionibus ſancitum eſt, ut cuncti quacunque dignitate augerentur rure redeuntes, ſolenniores Celebritates cum Epiſcopo eorum Paſtore, in Eccleſia maxima, quæ parens vocari poteſt, peragerent. Religio quippè ab Epiſcopis & Epiſcopalibus Eccleſiis, tanquam vetuſtiſſimus Parochiis, primùm ubique diſſeminata eſt. Hinc ejuſmodi obſequium jure expoſcere poſſunt dum maxima Solennia aguntur. Idem ſibi vindicant Parochiarum quarumvis Eccleſiæ in procerum Sacella, ubi ſacris intereſſe, Feſtis diebus minùs ſolennibus, ſatis eſt; minimè verò dum ſolenniſſimi Conventus celebrantur in Parochiarum Templis.

XI. Concilium Agathenſe, An. 506. Eccleſiæ Hiſpanienſis & Gallicanæ diſciplinam oſtendit: *Si quis extra Parochias, in quibus legitimus eſt, ordinariuſque conventus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis Feſtivitatibus, ut ibi Miſſas teneat propter fatigationem familiæ, juſta ordinatione permittimus. Paſcha verò, Natale Domini, Epiphaniam, Aſcenſionem Domini, Pentecoſten, & Natalem Sancti Joannis Baptiſtæ, vel ſi qui maximi dies in Feſtivitatibus habentur, nonniſi in Civitatibus, aut in Parochiis teneant. Clerici vero, ſi qui in Feſtivitatibus, quas ſupra diximus, in Oratoriis, niſi jubente, aut permittente Epiſcopo, Miſſas facere, aut tenere voluerint; a communione pellantur.* Prior Synodus Aurelianenſis, Anno 511. tres tantùm maximas Solennitates memorat; edicit tamen nulli civium fas eſſe eas in agro celebrare; ſed peragendas eſſe ab omnibus in Civitate cum Epiſcopo: *Ut nulli civium Paſcha, Natalis Domini, vel Quinquageſimæ Solennitatem in villa liceat celebrare, niſi quem infirmitas probabitur tenuiſſe.* Epaunenſis Synodus viris tantùm primariis præcepit, ut Nativitatis Servatoris & Paſchatis diebus Epiſcopum adirent, in quacumque civitate verſaretur, qui iiſdem benè precaretur: *Ut Cives ſuperiorum natalium Paſchæ noctem ac Nativitatis Domini Solennitate, Epiſcopos, nec intereſt in quibus civitatibus poſitos, accipiendæ benedictionis deſiderio, noverint expetendos.* Ex quibus Synodorum Canonibus intelligimus hanc fuiſſe Gotorum, Gallorum, ac Burgundionum perſuaſionem, membra quævis capiti ſuo adhæreſcere oportere, Parocho, & Antiſtiti, maximè in præcipuis Eccleſiæ Conventibus. Concilium Claromontenſe, Ann. 535. eandem tuetur diſciplinam, non tantùm quod pertinet ad viros generis nobilitate præſtantes, ſed Diaconos etiam Presbyteroſque nulli Parochiæ addictos, & in privatis duntaxat Sacellis ſacris operantes: *Si quis ex Presbyteris aut Diaconis, qui neque in Civitate, neque in Parociis Canonicus eſſe dignoſcitur, ſed in villulis habitans, in Oratoriis ſancto officio deſerviens celebrat Divina Myſteria, Feſtivitates præcipuas, Domini Natale, Paſcha, Pentecoſten, & ſi quæ principales ſunt reliquæ Solennitates, nullatenus alibi, niſi cum Epiſcopo ſuo in Civitate teneat: Quicumque etiam ſunt Cives natu majores, pari modo in urbibus ad Pontifices ſuos in prædictis Feſtivitatibus veniant. Quod ſi qui improba temeritate contempſerint, iiſdem Feſtivitatibus, quibus in civitate adeſſe deſpiciunt, communione pellantur.* Erat ergo Ædes maxima Parœcia Clericorum, & virorum illuſtrium, Clericorum tamen qui Eccleſiis aliis non adſcribebantur. Si qui verò minimè obtemperaſſent, Sacramentorum expertes erant, ſolennibus illis diebus: id enim præſeferre videntur verba illa, *communione pellantur.*

Can. 21.
Can. 15.
Can. 15.
Can. 15.

Can. 3. tur. Ita certè conſtitutum eſt in Concilio Aurelianenſi IV. Anno 541. *Quiſquis de prioribus civibus Paſcha extra Civitatem tenere voluerit, ſciat ſibi à Sancta Synodo eſſe prohibitum; ſed principales Feſtivitates ſub præſentia. Epiſcopi teneant, ubi ſanctum decet eſſe conventum. Tamen ſi quis certa neceſſitate conſtringatur, ut hoc implere non poſſit; ab Epiſcopo poſtulet commeatum. Quod ſi hoc poſtulare deſpexerit; in eodem loco; ideſt in Feſtivitate præſenti, ubi tenere voluerit, ſuſpendatur.* Denique Concilium Matiſconenſe I. Ann. 581. ſtatuit neque Sacerdotibus, neque Diaconis, neque ullis Clericis fas eſſe ſacras Eccleſiæ Ferias agere ſine Epiſcopo, niſi quavis dignitate excidere velint, & in laicorum ordinem redigi. Ejus verò Canonem ita interpretamur, in quo tamen de illis ſermo eſt qui certæ alicui Eccleſiæ minimè addicti erant, in qua continenter verſari debuerint: *Ut Presbyteri,*
Can. 10. *Diaconi, vel quolibet ordine Clerici Epiſcopo ſuo obedienti devotione ſubjaceant; & non alibi dies Feriatos, niſi in obſequio illius liceat tenere, aut celebrare. Quod ſi quis per quamcumque contumaciam, aut per cujuſcumque patrocinium hoc facere fortaſſe diſtulerit, ab officio regradetur.*

XII. Pauló fuſius egi de hac Eccleſiæ diſciplina, quòd adeò in præſentia negligatur, quum maximi momenti quondam videretur, ut tot Synodi teſtantur. Atqui ea apprimè utilis erat. 1. Feſti dies majore Solennitate peragebantur, magiſque conſpicua erat, ſplendebatque Eccleſiæ & Jeſu Chriſti majeſtas, dum omnes ſimul eodem convenirent, Clerici potiſſimùm virique primarii. 2. Fovebant ſacri hujuſmodi cœtus dilectionem & obſervantiam illam qua Clerici, & viri genere dignitateque præſtantiores proſequi debuerunt Antiſtites ſuos, quemadmodum eam ſenſim minuebat nunquam aut perrarò iiſdem Sacris intereſſe. 3. Itinera quæ fiebant pertinere videbantur ad Solentium religionem; inſtituebantur enim ut unuſquiſque adiret Epiſcopos Jeſu Chriſti quaſdam in terris imagines, atque ut coleretur Deus in Æde Maxima Cœli aulam præmonſtrante. 4. Sacra in Æde illa principe ea ratione ſolenniore ritu peragebantur, diuque Divinis rebus vacabatur; maximè propter Conciones tunc habitas; itaque totus dies religioſè inſumebatur.

XIII. Poſtremum magni momenti viſum eſt Theodulpho Aurelianenſi Præſuli; quapropter vetuit celebrari palam diebus Dominicis privata Miſſarum Sacra, ne populus munere ſuo ſe functum arbitraretur poſtquam illis adfuerat, negligeretque Sacrum ſolenne, Conciones, ſtataſque Eccleſiæ precationes. Nam ferenda minimè eſt eorum ſocordia, ne quid gravius dicam, qui quum vix breviori Miſſæ Sacrificio adſtiterint, putant ſe ritè Chriſtianarum Feriarum ſacros dies celebraſſe: *Ut Miſſæ quæ per dies Do-*
Can. 45. 46. *minicos peculiares à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus à publicis Miſſarum Solennibus, quæ hora tertia Canonice fiunt, abſtrahatur; quia peſſimus uſus eſt apud quoſdam, qui in diebus Dominicis, ſive in quibuſvis Feſtivitatibus, mox ubi Miſſam celebrari, licèt pro defunctis ſit, audierint, abſcedunt; ut per totum diem à primo mane ebrietati & commeſſationi potiùs quàm Deo deſerviant.* Ad hæc, non licere ait cibo refici quoad abſolvantur Sacra & Conciones in Templo maximo. Ut verò id fiat, mandat ut privata Sacra ſummo potiùs mane ſubmiſſa voce celebrentur, ne populus à publicis cæremoniis abducatur: *Admo-*
Can. 4. *nendus eſt populus ut ante publicum peractum Officium ad cibum non accedat, & omnes ad Sanctam Matrem Eccleſiam Miſſarum Solennia & Prædicationem audituri conveniant. Et Sacerdotes per Oratoria nequaquam Miſſas, niſi tam cautè ante ſecundam horam celebrent, ne populus à publicis Solemnitatibus non abſtrahatur.* Tandem, Theodulpho jubente, Sacerdotes quilibet vel in Civitatibus vel in finitimis locis degentes adeſſe debuerunt in Eccleſia principe cum populo dum ſolenne Sacrum perageretur, demptis tantùm ſanctimonialibus quæ in ſacris gynecæis verſabantur: *Sed ſive Sacerdotes qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe ſunt, ſive populus, ut prædiximus, in unum ad publicam Miſſarum celebrationem conveniant; exceptis Deo ſacratis fœminis, quibus mos eſt in publicum non egredi, ſed clauſtris Monaſterii contineri.*

XIV. Vilelmus Malmeſburienſis aulam omni vitiorum genere correptam ob oculos ponens, queritur proceres abdomini ac Veneri deditos mane ad Eccleſiam non adire, ut Chriſtiani conſueverunt, ſed in cubiculis ſuis atque in uxorum ſinu matutinas preces exaudire, & Sacrum à præpropero Presbytero celebratum: *Optimates gulæ & ventri dediti Eccleſiam more Chriſtiano mane non adibant; ſed in cubiculo, & inter uxorias amplexus matutinarum Solennia & Miſſarum à feſtinante Presbytero auribus tantum libabant.* Fuit igitur veterum conſuetudo contendere quotidie mane ad Eccleſiam, & Feſtis ſaltem diebus adeſſe matutinis precibus & Sacro: ac, utut in vitiis ſenſuumque lenociniis hærerent Optimates illi, matutinas tamen precationes omittere religioni habebant. Veriſimillimum eſt Canonicas Eccleſiæ preces præiviſſe Miſſæ Liturgiæ, eamque conſequutas eſſe, ut etiamnum uſuvenit in Eccleſiis plurimis, præſertim ubi idem Sacerdos qui rem Divinam facit eaſdem precationes ſolenniter celebrat; quod ad Romani ritus præſcriptum contingit in Sacro & veſpertinis laudibus pervigilii Paſchatis.

XV. Neque mirandum eſt Britannos illos proceres quotidie laudes matutinas adhibuiſſe cum Miſſæ Sacro, vel in Templo, vel in privato etiam Sacello: enimverò Caroli VII. Galliæ Regis pietas commendatur, ut habetur in primo limine ejus geſtorum ab Alano Charterio conſcriptorum, quòd quotidie tribus Miſſis adeſſet, uni videlicet quæ canebatur, quanquam breviùs, & duabus minùs ſolennibus, nec unquam ſtatas Eccleſiæ laudes omitteret. Canonicæ hujuſmodi preces ritu longè ſolenniſſimo celebrabantur in Regio Sacello in maximis Celebritatibus: Etenim eò conveniebant proceres cum Principibus, & primariæ fœminæ cum Regiis conjugibus. Id alibi oſtendimus loquentes de Conventibus celebrioribus aulæ in Chriſti Natalitiis, Paſchate, & Pentecoſte, in quibus Reges Imperii inſignia recipiebant ab antiquiore Epiſcopo. Agit Pachymeres de Feſto die Apoſtolorum III. Cal. Julias L. 3. c. 19.
Conſtantinopoli celebrato, tuncque ait conveniſſe ſimul viros ac fœminas illuſtriores cum Imperatore ejuſque uxore.

CAPUT VII.

De Sacro Miſſæ & frequenti Communione Euchariſtiæ diebus Feſtis.

I. Præſtantiſſima ratio S. Joannis Chryſoſtomi audiendi Liturgiam.
II. De concione dum Sacrum agebatur.
III. Alia S. Joannis Chryſoſtomi monita. De more adeundi bis quotidie ad Eccleſiam.

IV.

IV. Unde orta opinio conſentium obtemperari legi de diebus Feſtis obſervandis, audiendo Sacrùm.

V. Paſchalis Communionis vetuſtas ex Chryſoſtomo.

VI. VII. Alia rationum momenta deprompta ex Conciliis & Pontificibus Maximis.

I. Miſſæ Sacrum & Euchariſtiæ Synaxis diebus Feſtis ſeorſum enucleanda ſunt; his enim maximè eorum cultus continetur. Quod pertinet ad Sacrificium, Sanctus Joannes Chryſoſtomus arbitratur eidem intereſſe maximè præcipi Eccleſiæ legibus. At ita adeſſe oportet, ex ipſo, ut patrum ſancto Præſuli conveniat cum quibuſdam de Solennium cultu longè aliter ſentientibus. Animadvertit ſiquidem hebdomadam centum ſexaginta octo horis conſtare, unicam autem, quam ſibi Deus reſervavit peſſimè intumi:

T. 5 Serm. 38 p. 369.

Centum ſexaginta octo horas habente hebdomada, unam & ſolam horam ſegregavit ſibi Deus, & hanc in opera ſecularia, & ridicula, & in conventicula inſumis. Contendit eos qui Sacris adſunt, in Deum animo & cogitatione ferri debere, mentiſque aciem intendere in Divinum Agnum in ara immolatum, in cœleſtem ignem ubique ardentem, in Angelos qui demiſſiſſimi adſtant os tegentes ob ſanctiſſimarum cæremoniarum religionem, in Chriſti cruorem ex ejus vulneribus in ſacrum craterem, & ex eo in os pectuſque noſtrum fuſum, in Corpus denique Servatoris, quod nobis exhibet, non homo aliquis ſed Seraphinus labiis noſtris admovens carbonem Divini ignis, ut Iſajæ quondam præmonſtratum eſt. Qui Sacro ita adſtant, ſine ulla dubitatione ritè Solennia peragunt. Cæterùm qui ita affecti ſunt, fieri minimè poteſt ut eo tantùm tempore rebus Divinis ſtudeant. Quòd ſi non adeò Dei amore flagrantes ſatis eſſe putent vix horam hujuſmodi Myſteria recogitare, næ illi longè diverſa ratione Sacrificiis interſunt! *Quid facis, homo? non promiſiſti Sacerdoti, qui dixit, Surſum mentem & corda, & dixiſti, Habemus ad Dominum? Non revereris & erubeſcis, & illa ipſa hora mendax inveniris? Menſa Myſteriis ſtructa eſt, & Agnus Dei pro te immolatur, Sacerdos pro te angitur, ignis ſpiritualis ex ſacra menſa reſluit, Cherubim adſtant, Seraphim advolant, & Spiritus ſex alas habentes faciem tegunt, omnes incorporea virtutes pro te cum Sacerdote intercedunt, ignis ſpiritualis à Cœlo deſcendit, ſanguis in cratere ad tuam purificationem ex immaculato latere hauſtus eſt, & non erubeſcis, revereris, & confunderis, neque Deum tibi propitium facis? &c. Propter quod accedentes, nec putatis quod accipiatis Divinum Corpus ab homine, ſed ab ipſis Seraphim forcipe ignem, quem ſcilicet Iſajas vidit, vos accipere reputate ſanguinem ſalutare, quaſi è Divino & impolluto latere, & ita appropinquantes labiis puris accipite.*

II. Haud ægrè fateor Miſſæ Sacrum & Euchariſtiæ epulum tanto pietatis & religionis ſtudio celebratum ſatis eſſe non tantùm ad unius dieculæ, verùm etiam ad totius hebdomadæ cultum; parum tamen Dei amore flagrare conſtat eos qui vix tam brevi temporis intervallo res Divinas animo recogitare poſſunt. Adnotat alibi Chryſoſtomus Sacrificio addi Concionem, qua populus veluti telo inſtruitur cum hoſtibus decertaturus. Ita loquitur de Paſchali hebdomada, qua quotidie ſacri interpretes de Religionis Myſteriis diſſerebant, arma præbentes ad impetum adverſariorum ſuſtinendum:

Ibid. ho. 34.

Idcircò continuò doctrina quotidie perfruimini; idcircò ſeptem dierum ſpatio conſequenter Collectam agimus, ac ſpiritalem menſam vobis apponimus, ut noſtra opera Divinis eloquiis perfruamini; ut vos ſingulis diebus inſtruamus, atque adverſus Diabolum armemus: nunc enim ferocius invadit. Quantò majus eſt donum, tantò etiam majus eſt bellum. Si ii qui ſemel ſingulis hebdomadis Sacris interſunt idcircò id præſtarent, ut eorum vires inſtaurarentur, & tela pararent, pugnaturi tota hebdomada ad Chriſtianæ militiæ præſcriptum, longè meliùs ſibi conſulerent: Verùm hæc ſibi parum conſtare videntur.

III. Atque utinam qui ſemel in hebdomada ad Eccleſiam ſe conferunt, eò diverterent tanquam ad virtutum palæſtram, in Sacræ Ædis limine repudium remitterent terrenis quibuſque rebus atque perturbationibus, ſtudia omnia ad Divina traducerent, Apoſtolorum vocibus adhuc inſonantibus aurem præberent, & Deum Patrem, Filium, ac Sanctum Spiritum, fidei lumine perfuſi, conſpicerent ibidem tanquam in aula verſari! Pluſimum de eorum pietate atque æterna ſalute ſperandum foret, de qua tamen aliter ſentire illorum deſidia nos cogit: *Hic locus virtutis eſt occaſio, Philoſophiæ ſchola, non in Collecta ſolum, dum Scriptura Sacra recitantur, & doctrina ſpiritualis porrigitur, ac venerandorum Patrum Senatus adſtat; ſed quovis etiam reliquo tempore veſtibula tantum ingredere; tum tu ſubitò ſeculares omnes curas depones. Intra in veſtibulum, & tanquam aura quædam ſpiritualis animam tuam afflabit. Hæc tranquillitas horrorem incutit, & philoſophari docet, mentem erigit, neque ſinit præſentium recordari, à terra in Cœlum te transfert. Quòd ſi abſque collecta tantum quæſtum facis quod hic verſeris, quando undique Prophetæ clamant, quando Apoſtoli Evangelium prædicant, quando ſtat Chriſtus in medio, quando quæ fiunt ſuſcipit Pater, quando lætitiam ſuam Spiritus Sanctus impertit; quanta qui adſunt utilitate cumulati recedunt? quanto damno afficiuntur qui abſunt?* Hæc Chryſoſtomus. — Ibid. Serm. 43.

Itaque his de cauſis ex veteri Chriſtianorum more quotquot ad excellentioris virtutis gloriam adſpirabant, bis quotidie in Eccleſiam ſe recipiebant. Caſſianus illuſtre adfert agricolæ exemplum, cujus ſanctitas multò major erat in mentis receſſu ac penetralibus quàm in externo vivendi genere. Neque tam manè egrediebatur ad opus, neque rure tam ſerò domum revertebatur, quin ad Eccleſiam diverteret Deum oraturus: *Niſi quod nunquam ante ad ruris opera mane exercenda procederet, neque veſpere domum reverteretur, niſi in Eccleſia pro quotidiana vita commeatu largitori ejus Deo gratias retuliſſet.* — Collat. 14. c. 7. Ut idem inſtitutum in lucem rurſum revocaretur operam dedit Sanctus Carolus in Concilio Mediolanenſi IV. ubi cunctos hortatur ad orandum bis ſaltem diebus ſingulis in Eccleſia; — Acta Eccl. Med. p. 130. tametſi hujuſmodi matutinas veſpertinaſque laudes celebrari etiam alibi ſineret, domi, in agro, in itinere.

IV. Sed ad eos revertamur qui quum vix Sacro adſtiterint, Feſtos die ſe coluiſſe arbitrantur. Sanctus Cæſarius Arelatenſis Antiſtes execratur levitatem atque impietatem quorundam qui neque totius Sacrificii tempore in Eccleſia manebant, ſed poſt Lectionem & Pſalmos, quum myſticæ & præſtantiores Liturgiæ preces adhiberi cœperant, aliò ſe recipiebant; vel ineptis ſermonibus vacabant: *Quibus non ſufficit quod per totam hebdomadam, aut pro neceſſitate, aut fortè, quod verius eſt, pro cupiditate jugiter occupantur. Inſuper adhuc poſt unius aut duarum horarum ſpatium, quo videntur magis corpore quàm corde ad Eccleſiam convenire, mittentes dorſa Sacrificiis* — Hom. 12.

Thomaſſini de Feſtis.

vel

vel Sacerdotibus Dei, ad amplexandam voluptatem Sæculi hujus ſine mora aliqua revertuntur, non advertentes quid expectant, quid relinquant. Sequuntur tenebras, & deſerunt lucem. Difficile factu eſt ut qui perrarò Sacris interſunt, piè ac religioſè munus ſuum impleant. Enimverò tot occupationes quibus diſtinentur, ac tot perturbationes quæ impediunt quominùs ſæpiùs adſint dum Sacra celebrantur, impedimento etiam ſunt quibuslibet Chriſtiani hominis officiis. Adnotatum eſt ab Auctore Sermonis cujuſdam Sancto Auguſtino adſcripti, cogi ab Optimatibus nonnullis Sacerdores ad breviorem Liturgiam adhibendam, multa reſecando ne tempus in Dei laudibus inſumeretur, quo ſenſuum lenociniis ſe oblectare conſtituerant: *Sunt aliqui & maximè potentes iſtius mundi,* Serm. 131. de Temp. *qui quum veniunt ad Eccleſiam non ſunt devoti ad laudes Dei celebrandas, ſed cogunt Presbyterum ut abbreviet Miſſam, & ad eorum libitum cantet; nec ei licet morem Eccleſiarum ſequi propter illorum gulam & avaritiam; quatenus unus punctus diei ad Dei officium, & reliquum diurnum ſpatium cum nocte ſimul ad eorum deputetur voluptates.* Chryſoſtomus & Cæſarius unam vel alteram horam inſumi putant in Sacrificii celebratione; diximus autem Canonicas precationes additas fuiſſe, ac ejuſdem initium & complementum extitiſſe. In Conſtitutionibus quoque Theodulphi Aurelianenſis nonnulla ſtatuuntur de privatis Miſſis, quibus aliqui libenter aderant, ut Solenniorum ac diuturniorum, moleſtiam ipſis exhibentium, laborem ſubterfugerent. Hæc & allatus Sermo ſatis ſuperque oſtendunt quomodo factum ſit ut quidam Eccleſiæ Legibus parere ſe putent, modò privatis Sacris interſint.

V. Quod ad Euchariſtiæ Convivium, perſpecta res eſt minimè ſine eo celebranda eſſe Paſchalia Solennia. Petit Chryſoſtomus à ſceleſtis quibuſdam hominibus perjurii & blaſphemiæ criminibus obſtrictis, quanam ratione Euchariſticas Paſchatis dapes impuro ore ac labiis deguſtabunt? *Quomodo ſacrum videbimus Paſcha?* T. 1. hom. 11. *Quomodo ſanctum ſuſcipiemus Sacrificium? Quomodo Dominicum Corpus lingua polluta ſuſcipiemus?* Monet verò alibi conquirendas eſſe Quadrageſimæ tempore virtutum opes, ut ad Paſchale hoc epulum parati accedamus: *Quotidie* T. 2. hom. 8. *ad agenda bona opera feſtinemus, ut quum per omne tempus ſancta Quadrageſima ſpiritales merces negotiati fuerimus, & multas virtutum divitias congeſſerimus, ſic mereamur & ad condictum diem adeſſe, & cum fiducia ad tremendam ac ſpiritalem menſam accedere, participeſque fieri cum bona conſcientia ineffabilium & immortalium bonorum.* Neque aliud eſſe putat Quadrageſimæ jejunium quàm præparationem ad Euchariſtiam: T. 3. hom. in Seraph. p. 831. *Propterea majores etiam noſtri jejunii ſtadium extenderunt, & pœnitentiæ certum nobis tempus aſſignaverunt, & ubi nos expurgaverimus omneſque ſordes abſterſerimus, tunc accedamus.* Attulimus aliàs conſimilem tanti viri orationem, in qua dolet pleroſque in maximo diſcrimine verſari quòd minùs parati accederent ad Paſchalem Synaxim; ac docet, Patres, ut gliſcenti malo occurrerent, indixiſſe jejunia quadraginta dierum, quibus vitia noſtra expiarentur: *Quum intelligerent Patres quantum ex temerario acceſſu detrimenti caperetur, convenientes,* T. 5. Ser. 52. p. 782. *quadraginta dies jejunii deſignarunt &c.* Ita verò ait Euchariſtiam cum Paſchate necti, ut Paſcha ipſa quoque vocetur; ac bis vel ter quavis hebdomada Paſcha celebrare nos poſſe, ſi nempè toties ad ſacram hanc Synaxim accedamus: *Quadrageſima ſemel in anno fit, Paſcha verò ter in hebdomada, nonnunquam etiam quater, vel potiùs quotieſcumque volumus. Eſt enim Paſcha, non jejunium, ſed oblatio & Sacrificium quod in ſingulis fit collectis. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus &c. Sicut pura conſcientia accedat, Paſcha celebrat, ſive hodie, ſive cras, ſive alio quovis tempore Communionis fiat particeps.*

In priore Actione Concilii Chalcedonenſis perlectæ ſunt conqueſtiones Monachorum Eutychianorum Pſeudo-Synodi Epheſinæ ob denegatam ipſis Euchariſtiam à Flaviano Byzantino Antiſtite ſolenniſſimis diebus Nativitatis Chriſti, Epiphaniæ, & Paſchatis; quod argumento eſt Orientalibus apponi conſueviſſe Divinum Chriſti Convivium dum tres ejuſmodi maximæ Celebritates agebantur; & Chryſoſtomum, qui prior Natalem Chriſti diem ab Epiphania ſejunxerat Antiochiæ adhuc Presbyter, idem, ut videtur, ſtatuiſſe Conſtantinopoli, quum eſſet ejus Urbis Epiſcopus. Quod verò dicitur de Juſtini edicto eodem ſpectante, trahi poteſt ad idem inſtitutum in aliis Imperii Eccleſiis.

VI. Rex Gothorum in Hiſpania, teſte Sancto Gregorio in Dialogis, L. 3. c. 31. Hermenegildum filium Ariana contagione inficere cupiens ipſa Paſchali nocte miſit ad eum in carcerem Arianum Epiſcopum qui Hermenegildo Euchariſtiam porrigeret, quam ſanctiſſimus Princeps ob hæreticum Antiſtitem deferentem renuit: *Superveniente Paſchalis Feſtivitatis die, intempeſta noctis ſilentio, ad eum perfidus pater Arianum Epiſcopum miſit, ut ex ejus manu ſacrilega conſecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur.* Memoriæ prodidit Pachymeres L. 4. c. 2. Andronicum Imperatorem Theſſalonicæ degentem petiiſſe à Patriarcha ut ſibi poteſtatem faceret recipiendi ab alio Euchariſtiam, ac illi quoque miſiſſe ingentem auri copiam ut Eccleſiæ proſpiceret.

VII. Attulimus quidem ſacros Canones Communionem Euchariſtiæ poſtulantes Natali die Servatoris, & dum Paſcha & Pentecoſte recoluntur. Innocentius autem Tertius Rom. Pont. in Can. 21. Concilio Lateranenſi, Anno 1215. pœnas indixit luendas ob neglectam Paſchalem Synaxim, niſi alio tempore celebraretur, ex Sacerdotum ſententia: *Niſi fortè de conſilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum.* Quum verò quæreretur utrum ipſo Paſchæ die Euchariſtia recipienda eſſet, reſpondit Eugenius IV. Pont. Max. Anno 1442. Satis eſſe id præſtare vel in Majore Rainal. n. 19. Hebdomada, vel in Paſchali: *Intelligimus optimo jure ſatisfactum eſſe Canoni ſi in Hebdomada ſancta, vel infra Octavam Paſchæ, ſecundùm meliorem diſpoſitionem conſcientiæ, & aptiorem mentis devotionem, fideles præparatione debita ſacrum Euchariſtiæ pignus accipiant.* Quanquam autem unicam Pontifex rationem affert, duplici tamen nititur ejus ſententia. Etenim ab antiquis uſque temporibus tam Canones Eccleſiæ quàm Imperatorum Leges, Majorem, & Paſchalem hebdomadas vocant Paſchales dies. Feſti fuerunt quilibet ejuſmodi dies, & in eis perſæpè Euchariſtiæ epulum inſtruebatur. Prætereà, ut optimè Eugenius ait, dum tot ad Convivium illud accedunt, aliqui profectò minùs parati ſunt ipſo Paſchæ die: ut verò ſapienter monuit Chryſoſtomus, dum de re tanti momenti agitur, habenda potiùs eſt ratio virtutum quàm temporum.

CAPUT VIII.

Rurſum de iiſdem agitur.

I. Ex veteri conſuetudine accedendum erat ad ſacrum Convivium diebus Dominicis, cæteriſque maximè ſolemnibus. Id oſtenditur auctoritate Chryſoſtomi.

II. Alia Chryſoſtomi rationum momenta. Hortatur omnes ut ſe parent ad Solennium celebrationem & Euchariſtiam jejuniis, eleemoſynis, & virtutum omnium exercitationibus: idcircò Quadrageſima, Adventus, & conſimiles dies indicti ante Solennia.

III. Idem in votis habebat ut quotquot Sacris aderant Euchariſticis epulis veſcerentur.

IV. Quanam ratione dixerit ſacro hoc Convivio indignos à Sacrificio quoque arcendos eſſe. Non omnes qui prioribus Sæculis Sacrificio aderant criminis expertes erant.

V. Occurritur iis quæ objiciuntur.

VI. De iis qui interſunt criminibus obnoxii dum res Divina fit.

VII. De frequenti Communione, ex Chryſoſtomo.

VIII. Probat Hieronymus eorum agendi rationem qui ſingulis diebus Dominicis Euchariſtiam accipiunt.

IX. Idem ſentit Caſſianus.

X. Patres & Concilia oblationes commendant diebus Dominicis dum Sacrum Miſſæ peragitur, ut unuſquiſque particeps fieret ejus quod obtulit.

I. SAtis de Paſchate egimus; id verò etiam liquet Dominicis Feſtiſque omnibus diebus Euchariſtiæ Synaxim ab antiquis uſque temporibus celebratam fuiſſe. Chryſoſtomus teſtis eſt omni exceptione major, quanquam eos damnat qui majorem veteris hujus conſuetudinis rationem habuerunt, quàm alterius Legis pluris faciendæ, accedendo ad Chriſti Convivium animo vitiis, perturbationibus, atque flagitiis coinquinato. Eos minimè ferendos credidit qui de una ſacrorum Conventuum Celebritate ſoliciti, de totius vitæ ratione ac morum ſanctitate parum laborant. Ac probaret quidem eam conſuetudinem, ſi cum pari mentis integritate conjungeretur: *Scio fore ut quamplurimi apud nos ex*
Tom. 1. ho. 24. p. 316. *Feſti conſuetudine ad ſacram hanc menſam accedant. Sanè quidem expediret, ut quod aliàs ſæpè dixi Feſta nequaquam obſervarentur, quando communicare opus eſſet; ſed ut conſcientia mundaretur, ac tum ſanctum iſtud Sacrificium attingeretur. Qui enim piacularis eſt & immundus, ne in Feſto quidem æquum eſt ut ſanctæ illius ac tremendæ carnis particeps fiet &c. Sed quoniam multi ſexcentis ſcatentes ſceleribus quum adventare Feſtum viderint, tanquam ab ipſa die protruſi, myſteria ſacra contingunt &c.* Non poterat non eſſe multò vetuſtiſſimum inſtitutum illud, quum ſceleſti quique Divinis illius epulis abſtinere turpe putarent. Sed longè meliùs obtemperaſſent legibus contra eos latis ad ſacrum Convivium non accedendo, quàm conſuetudini recipiendi Euchariſtiam Feſtis Eccleſiæ diebus. Cæterùm, ut diximus, hinc liquet eam ad Solennium cultum quondam pertinuiſſe.

II. Ut ergo Legum omnium atque conſuetudinum ratio haberetur, aliquot dies primùm inſumendi erant in Chriſtianarum virtutum officiis: *Ex hoc jam tempore Feſtum auſpicemur,*
Ibid. ho. 32. p. 902. 903. *hoſce dies quinque negotiis omnibus valere juſſis: Valeat forum, valeat curia, faceſſant mundanæ curæ, cum pactis & contractibus &c. Communionis tempus non eſt Feſtum, neque Celebritas, ſed conſcientia pura, vitaque à peccatis repurgata &c. Quamobrem adhortor vos omnes ne negligenter, veluti die Feſto cogente, ad Divina Myſteria accedatis; ſed ſi quando parabitis hujus ſanctæ hoſtiæ fieri participes, multis ante diebus repurgetis voſmetipſos per pœnitentiam, precationem, & eleemoſynam.* Ita mentem ſuam aperit Chryſoſtomus, ut nullus dubitationi locus relinquatur. Arbitratur ſiquidem abſtinendum potiùs eſſe Euchariſtia, quàm animo minùs inſtructo ad eam accedendum; idcircò operæ pretium eſſe exiſtimavit ut unuſquiſque prioribus diebus vitæ ſuæ à ſe rationem repoſceret, precibus vacaret, opitularetur pauperibus, & pœnitentis animi argumenta præberet, ac tum ſacras Celebritates perageret, Divinoque epulo accumberet. Ea eſt Eccleſiæ mens, ut idem ait; nam ante Paſchalem Synaxim quadraginta dierum jejunia & expiationes indixit: *Quadraginta dies jejunii deſignarunt, ut in his expur-* T. 5. p. 709. hom. 71. *gati cum conſcientia pura accedamus.* Adventus quoque ante Servatoris Natalitia eodem ſpectat. Nec alia de cauſa in utramque Eccleſiam invecta ſunt ante Solennia aliæ quædam inferioris ordinis Quadrageſimæ; huc etiam pertinet pervigiliorum inſtitutio. Peramanter igitur in ſolennibus Eccleſiæ Conventibus exhibentur ſacræ iſtiuſmodi dapes, ſed crimina primùm expianda ſunt.

III. Idem prorſus fieri oportere cenſuit diebus ſanctorum Epiphaniorum, & Dominicis Quadrageſimæ: *Si advenerit tempus ſanctæ Quadra-* In epiſt. ad Epheſ. ho. 3. *geſimæ, qualiſcumque fuerit quiſpiam, fit particeps Sacramentorum; ſi advenerit dies Epiphaniorum. Atqui tempus ad eas accedendi non ſunt Epiphania, neque Quadrageſima facit dignos qui accedant, ſed animæ ſinceritas & puritas. Cum ea ſemper accede, abſque ea numquam.* Neque id tantùm in votis habuit Antiſtes Optimus, ſed celebrari prætereà Chriſti Convivium ab omnibus quotieſcumque Sacrificiis interſunt; hi enim puri à criminibus eſſe debuerunt. Quapropter Eccleſiæ Lege Pœnitentes aliò ſe recipiebant dum præcipuæ Sacrificii precationes adhiberi cœperant. Quum ergo qui tunc in Eccleſia manebant ſacriſque myſteriis adſtabant ſceleribus minimè contaminarentur, expedire videbatur ut omnes Chriſti Convivio accumberent. Ea de cauſa queritur Chryſoſtomus ſacra peragi, & neminem ad Euchariſtiam accedere: *Fruſtra eſt quotidianum Sacrificium, fruſtra adſtamus altari, nemo eſt qui participet. Hæc dico, non ut ſolùm participetis, ſed ut vos dignos reddatis. Non es dignus participatione Sacrificii? Ergo nec prece. Audis præconem ſtantem & dicentem, Quicumque eſtis in pœnitentia, abite. Omnes qui non participant ſunt in pœnitentia.*

IV. Illuſtranda ſunt verba hæc quibus arcendi à Sacrificio quoque cui adſtant dicuntur quotquot ab Euchariſtia repelluntur, itaut vel utriuſque expertes ſint, vel neutrius. Nam quamvis Pœnitentes aliò amandarentur quum fidelium Miſſa inchoabatur, conſtat tamen complures minùs Euchariſtia dignos adſtitiſſe dum Sacrum peragebatur, ea etiam ætate qua ſanctior illa veteris Eccleſiæ diſciplina colebatur. Non enim prioribus Sæculis publica Pœnitentia luebantur crimina omnia quæ lethalia vocamus. Ebrietatem ea ratione caſtigari optabat Auguſtinus, uſuram Gregorius Nyſſenus: prætereà cogitationes pravas, & cætera unius animi ſcele-

ra non eo publico ritu expiabantur. Qui hujuſmodi flagitiis & conſimilibus relatis in album criminum Canonicorum Sæculo V. obnoxii erant, à Sacrificio neutiquam repellebantur.

Huc accedunt fœminarum adulteria, in quæ publicè non animadvertebatur, ne id viri reſciſcerent; vix enim alterius flagitii eas pœnitere credidiſſent. Adſtabant ergo Sacris & ipſæ quanquam tantò ſcelere obſtrictæ. Demùm poſtremi ordinis Pœnitentibus, Conſiſtentibus nuncupatis, publicæ Pœnitentiæ ſpatio confecto, non adhuc fas erat Euchariſtia veſci. Manebant utique in eo ordine ut majorem adipiſcerentur morum integritatem, poteſtate tamen eis facta Sacris adſtandi. Tria hæc ad vivum Morinus reſecat; ſed ſatis eſt conſulere Canonicas Epiſtolas Sanctorum Baſilii & Gregorii Nyſſeni.

Eſt igitur extra omnem dubitationis aleam poſitum, non unos Pœnitentes Euchariſtia abſtinuiſſe, ſed complures extitiſſe quibus ad eam accedere nefas erat, quamvis potuerint, atque adeò debuerint Sacrificio intereſſe. Cæterùm jure Chryſoſtomus dolet quamplurimos Sacris adeſſe, ac ferè nunquam Chriſti Corpus recipere; eoſque hortatur, ut vel id præſtent, vel cum Pœnitentibus ab Eccleſia recedant; Primum, quòd ejus ætate crimina modò non omnia publica Pœnitentia eluerentur: Secundum, quòd reliquæ duæ animadverſiones non pugnent cum communi Lege, ad cujus normam cuncta exigebat Sanctus Præſul.

Quæ igitur adnotata ſunt ſatis evincunt licuiſſe per Eccleſiam Sacro adſtare etiam quibuſdam indignis qui ad Euchariſtiæ Synaxim accederent. Meritò tamen Chryſoſtomus ad communem Legem animum adjiciens contendit ingentem frequentis populi multitudinem vel ad recipiendum Chriſti Corpus accedere debuiſſe, vel foras cum Pœnitentibus egredi. Quæ enim animadvertimus in paucioribus locum habent; populus autem caſtigandus eſt dum Legibus minimè obtemperat.

V. At in Conſiſtentibus graviorum criminum expertibus, leviores tantùm hærebant culpæ; non enim ſordes quaſvis eluerant; flagitia verò mulierum quæ adulteratæ erant, non quidem publica, ſed privata tamen Pœnitentia expiata fuerant; itaque à Sacris arcendæ non videbantur. Verùm hæc ad rem non ſunt. Enimverò Chryſoſtomus, cujus mentem expiſcamur, non ait indignos eſſe qui Sacrificiis adſtent nefarios illos homines quos nulla prorſus ratione pœnitet admiſſorum ſcelerum; contendit eos qui in Pœnitentium ordinibus non ſunt conſtituti, ſæpiùs ad Euchariſtiam accedere debuiſſe, vel ab Eccleſia ejici, ſi ſacrum illud epulum negligebant, aut faſtidiebant. Hæc longè diverſa ſunt ab eorum ſententia qui interiorem ſaltem criminum deteſtationem deſiderari cenſent, ut ritè quis Sacrum Miſſæ audiat. Prior trium animadverſionum allatarum ejuſmodi opinationem convellere videtur, quemadmodum Eccleſiæ conſuetudo poſt ſeptimum vel octavum Sæculum redigendi in Publicorum Pœnitentium Ordines, & à Sacris arcendi eos tantùm qui publicè deliquerant: Siquidem annis conſequentibus, ſi externum Eccleſiæ regimen ſpectemus, poteſtas facta videtur cuivis Sacris adſtandi, modò publicè graviora flagitia non patraverit. Sed ut diximus extrinſecùs tantùm, hæc eſt Eccleſiæ diſciplina.

VI. Chryſoſtomus autem meritò improbat morem populi qui frequens aderat Sacrificiis, & à Chriſti Corpore abhorrebat. Nam ſi gravioribus criminibus polluebantur qui ad ſacros Conventus confluebant, unà cum Pœnitentibus jungi debuerunt, & aliò concedere: Sin autem anteactæ vitæ rationem reddere poterant, majore utique pietatis religioniſque ſtudio eos flagrare oportuit. Affert illum Evangelii locum, ubi Chriſtus eum arguit qui ſordido veſtitu uſus Convivio aderat, antequam fortaſſe accumberet. Decet ergo mundos eſſe non tantùm eos qui Euchariſtiam accepturi ſunt, verùm etiam eos qui tanto Convivio adſtant; *Non dixit cur accubuiſti, ſed cur intraſti? Hæc ergo nunc quoque dicit nobis omnibus qui impudenter & inverecundè ſtamus. Quicumque enim eſt qui myſteriorum non eſt particeps, is impudenter ſtat & nimis audacter. Quomodo enim quum dominus adeſt in menſa non oportet adeſſe famulos qui offenderunt, ſed procul amandantur; ita hic quoque quum offertur Sacrificium &c. quomodo nullum oportet adeſſe ex iis qui myſteriis non ſunt initiati; ita nec ex iis qui ſunt initiati & ſordidi.* Allata ſimilitudo Chryſoſtomi mentem clariùs aperit. Etenim ſervus qui deliquit, impudenter facit, ſi antequam veniam petat ab hero adſit dum ille Convivium celebrat cum neceſſariis ſuis. Nihilominùs oportet cum munere ſuo fungi dum accumbunt convivæ, ne hujuſmodi pervicacia injuriis cæteris velut cumulus accedat. Facit ergo quod ſuarum partium eſſe conſtat, quanquam muneri ſuo deeſt quum tempus ſarciendi injurias profert. At qui Sacrificiis adſtat ne novis ſubinde criminibus ſit obnoxius, Dei Leges infringendo, eaſdem Leges interim colit ac diligit, quæ dilectio argumentum eſt animi ſe ad meliorem frugem convertentis. Quid? Quod fieri nequit ut nova crimina quis deteſtetur quin ſimul vetera horreat, quod pariter animi benè conſtituti indicium videtur; certè initium eſt reſipiſcentiæ. Hæc quidem tanta veriſimilitudine nituntur, ut in hanc ſententiam ire nos cogant; pugnare autem non credimus auctorum opiniones ſi rem ipſam recta reputemus via. Si quid diſcriminis inter eas ſuperſit, id totum in eo conſtitui videtur, quàm vehemens ſit oporteat amor hic Dei, vel ejus Legis dilectio, unde animi ad meliora converſio inchoetur. Sed admodum difficilè eſt hujuſcemodi rebus modum aliquem præſtituere.

Ibidem.

VII. Chryſoſtomus alibi quoque de his perſpicuè diſſerit. Quoſdam ait ſemel quotannis ad Euchariſtiam accedere, Quadrageſimæ afflictationibus expiatos ſe arbitrantes; alios bis, nonnullos ſæpiùs; extare quoque in deſertis locis inſigni pietate Monachos qui idem præſtent ſemel quotannis, vel etiam biennio; ſe verò neque illis accedere qui ſæpiùs, neque illis qui perrarò Convivium hoc celebrari volunt, ſed unam poſtulare vitæ integritatem & ſanctimoniam: *Multi hujus Sacrificii ſemel toto anno ſunt participes, alii bis, alii verò ſæpè. Ad omnes habetur oratio; non ſolùm ad eos qui hic ſunt, ſed ad eos etiam qui ſedent in deſerto. Nam illi ſemel in anno ſunt participes, ſæpè etiam poſt duos annos. Quid verò, quinam erunt nobis magis accepti, an qui ſemel, an qui ſæpè, an qui rarò? Nec hi, nec illi; ſed hi qui cum munda conſcientia, qui cum mundo corde, qui cum vita quæ nulli eſt affinis reprehenſioni. Qui ſunt hujuſmodi, ſemper accedant: qui non ſunt hujuſmodi, ne ſemel quidem.* Sanctiſſimus ergo Antiſtes qui toties ad Euchariſtiam accedere populum oportere contendebat quoties Sacris adſtabat, non ægrè fert præſtantiſſimos Chriſtianæ pietatis cultores in ſilvis degentes, ea tandiu abſtinere. Quum verò addit non ſatis eſſe ut qui ad ſacram Synaxim accedit crimine vacet, ſed virtutum opibus affluere & exornatum eſſe debere, patet non idem ab eo deſiderari, ut quia

In epiſt. ad Hebræos, hom. 17.

Sacri-

Sacrificiis interſit. Itaque eò Chryſoſtomi verba ſpectabant, ut torpentis populi deſidia excuteretur, & Chriſti Myſteria, quæ idem poſthabere videbatur, pluris faceret: *Nam quando dicit, Sancta Sanctis, hoc dicit, Si quis non eſt Sanctus non accedat; Sanctum enim facit, non ſolum liberatio à peccatis, ſed etiam præſentia Spiritus, & bonorum operum copia.*

VIII. Adjiciam tantùm Hieronymum, dum ait Chriſtianis quoslibet dies Dominicos eſſe poſſe, quum quotidie Euchariſtiæ copia fiat: *Nobis licet, vel jejunare ſemper, vel diem Dominicam, accepto Domini Corpore, indeſinenter celebrare*: exiſtimaſſe ſacram hanc Synaxim ad cultum diei Dominici pertinere. Gennadius illis favet qui nec quotidie, nec rarò ad ſacrum Convivium accedebant, ſed Dominicis quibuſque diebus: *Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor & ſuadeo, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit.* Meminit ſanctitatis convivis neceſſariæ; eam tamen contineri cenſet mente à flagitiis quibuſvis abalienata. Memoriæ prodidit Hieronymus, Romæ & in Hiſpania quotidie ſacrum epulum celebratum fuiſſe; ſe nullorum morem arguere, ſed ab unoquoque habendam eſſe rationem pietatis illius ac religionis, qua Deum colit: *Quæris de Euchariſtia, an accipienda quotidie, quod Romana Eccleſia & Hiſpana obſervare perhibentur &c. Nec reprehendo, nec probo &c.* Conjicimus Gennadio cum Hieronymo convenire, & utrumque exiſtimaſſe porrigendam eſſe populo Euchariſtiam Dominicis Feſtiſque diebus.

In c. 4. ep. ad Galat.
De Dogm. Eccl. c. 53.
In epiſt. ad Lucin.
In Apol. adver. Jovin.

IX. Minimè probat Caſſianus demiſſionem quorundam Cœnobitarum qui vitia prætexentes vix ſemel quotannis Euchariſtiam recipiebant. Demiſſionem illam vitio iiſdem vertit; neque enim, annuo ſpatio confecto, tantis Myſteriis dignos ſe credere debent. Satius eſt, inquit, nullis diebus Dominicis eorum expertes eſſe, ut ipſorum ope ac præſidio animus abducatur à ſtudiis in quibus hæret: *Multò juſtius eſt ut cum hac cordis humilitate, qua credimus & fatemur illa ſacroſancta Myſteria nunquam pro merito nos poſſe contingere, ſingulis ea Dominicis diebus ob remedium noſtrarum ægritudinum præſumamus; quàm ut vana perſuaſione cordis elati, vel poſt annum dignos eorum participio nos eſſe credamus.* Narrat quoque Ægyptios Monachos Sabbato & Dominico die cunctos eodem convenire ad ſacram Synaxim: *Die Sabbati vel Dominica, hora Tertia, ſacræ communionis obtentu conveniunt.*

De Inſtit. or. l. 3.

X. Huc accedit, Patres atque Synodos plura de oblationibus omnium dierum Dominicorum conſtituiſſe. Vetuſta ac vulgata maximè fuit oblatio panis & vini, utpotè quæ ad Sacrificium pertineret, ejuſque merito participes erant qui eam exhibuerant. Apparent ergo in Canonibus oblationibus haſce ſtatuentibus cunctis diebus Dominicis, veſtigia veteris conſuetudinis accedendi diebus illis ad ſacrum Convivium. Monuit Sanctus Joannes Chryſoſtomus eos qui domos in agro poſſidebant, ut Sacella extruerent, & Presbyterum, Diaconumque ibidem alerent, quo diebus Dominicis Sacra peragerent, & oblata reciperent: *Laudes illic perpetua propter te, laudes & ſynaxes propter te, oblatio per ſingulos dies Dominicos.* In Sacellis iſtis quotidie Eccleſiæ precationes, & Dominicis diebus Sacrum celebrabatur, quo tempore recipiebantur oblata. Jubet quoque Concilium Matiſconenſe II. Anno 585. indicta anathematis pœna, ut tam viri quàm fœminæ Dominicis diebus panem & vinum offerant dum Sacrum peragitur, ut crimina eluantur: *Propterea decernimus ut omnibus diebus Dominicis altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur, tam panis quàm vini, ut per has immolationes & peccatorum ſuorum faſcibus careant, & cum Abel, vel cæteris juſtè offerentibus promereantur eſſe conſortes.*

In Acta hom. 18.
Can. 4.

CAPUT IX.

De abſtinentia ab re uxoria Feſtis diebus.

I. Dies quibus precibus vacandum eſt, caſtè colendi ſunt, ex Chryſoſtomo, valere juſſis etiam licitis conjugii voluptatibus.

II. Eadem eſt mens Sancti Gregorii Nazianzeni, qui id fieri poſtulat conjugum conſenſione.

III. Sanctus Hieronymus acerrimè pugnat pro eadem ſententia.

IV. Id Hieronymo vitio datum eſt; ſed cauſam ſuam optimè tuetur, oſtenditque eos qui quotidie ad ſacram Synaxim accedebant in Urbe, in Eccleſiam ingredi religioni habuiſſe quotieſcumque ab re uxoria minimè abſtinuerant; quum tamen in ſacris Ædibus degendum ſit Feſtis diebus.

V. VI. Confirmatur idem teſtimoniis Sanctorum Auguſtini, Cæſarii, & Eligii, ac magni Gregorii Romani Pontificis.

VII. Alia rationum momenta petita ab Eccleſiæ monumentis poſteriorum Sæculorum.

VIII. Enumeratio dierum quibus ad id populum Sacerdotes hortabantur.

IX. Illuſtre Sancti Ludovici Regis exemplum. Quo tempore nuptiis interdictum ſit eadem de cauſa.

X. Pœna indicta & Pœnitentia dierum quadraginta ex S. Petro Damiano.

XI. Eadem ex Gratiano confirmantur.

XII. Quomodo pœnæ indicerentur ubi nulla Lex conſtituta erat. Quid ſenſerit Sanctus Thomas, quid S. Bonaventura.

XIII. Sanctæ Heduigis virtus admiratione digna.

XIV. Eadem abſtinentia ab re uxoria in Oriente.

XV. Balſamonis expoſtulationes ob præproperam quorundam incontinentiam, vix ducta uxore.

XVI. Canones eodem ſpectantes in Occidente.

XVII. Hujuſmodi moribus obſequebantur qui nubebant poſtremis quoque Eccleſiæ Sæculis.

I. Divinum Euchariſtiæ Convivium maximè poſtulat opes & beneficia in pauperes conferri, & à corporis voluptatibus abſtinere etiam conjuges. Fatetur Chryſoſtomus id Chriſtiano populo perſuaſum fuiſſe, quanquam ſancta erant ac ritè celebrata connubia: *Tu eo die quo liberis legitimè operam dediſti, quamvis crimen illud non ſit, orare tamen non audes &c. Si ab incontaminato ſurgens lectulo times ad orandum accedere &c.* Quum igitur fas non eſſe ſimul concumbere exiſtimarent conjuges quo die precibus & obſecrationibus vacandum erat, conſtat Dominicis Feſtiſque diebus liberis operam eos non dediſſe, quòd interdiu ac noctu orandum eſſet.

In Matth. hom. 51.

II. Sanctus Gregorius Nazianzenus eoſdem hortatus ad Baptiſmum, quo ſeriùs complures initiabantur, non propterea ait eorum conjugia dirimenda eſſe; ſed ſatis eſſe ut ſtatis quibuſdam

temporibus, communi tamen conſilio, nuptiarum opus intermitteretur; *Hoc unum à te poſco ut & à dono ſecuritatem accipias, ac viciſſim hoc dono rependas; ut certo tempore, hoc eſt, quamdiu aſſignatum orationi tempus omni occupatione præſtabilius fuit, à re uxoria abſtineas, idque ex communi pacto, & conſenſu. Non enim legem ſancimus, ſed conſilium damus; ac tuorum aliquid ad utilitatem tuam, communemque utriuſque veſtrum ſecuritatem accipere volumus.* Orat. 40. Blaſtares quoque Monachus attulit Canones Timothei Antiſtitis Alexandrini eodem ſpectantes: *Canon V. & XIII. Timothei Alexandrini viros & mulieres qui nocte carnaliter conjuncti ſunt à ſacris Myſteriis arcet, allegans Apoſtoli ſermonem; præcipuè autem Sabbato, inquit, & Dominico die, à mutuo commercio abſtinendum eſt, utpotè quod tunc ſacra oblatio Domino offeratur.*

III. Adeò verò Sanctus Hieronymus teſtatus eſt rei uxoriæ non convenire cum Solennium & Euchariſtiæ cultu, ut mentem ſuam clariùs aperire coactus fuerit & oſtendere ſe nuptiis dicam non ſcripſiſſe. Sanè conjugium laude dignum eſt; ſed quandoque iis quæ magis præſtant impedimento eſt, precibus videlicet & ſacræ Synaxi; nec poſt ejus opera, illotis, ut ajunt, manibus, ſacris in Martyrum Ædibus adſtare decet: *Orate, quale illud bonum eſt quod orare prohibet? Quod Corpus Chriſti accipi non permittit? Quamdiu impleo mariti officium non impleo Chriſtiani.* At quum populus Deum oraturus ita ſe gerere debeat, quantò magis, ut idem ait, Sacerdotes caſti ſint oportet, quorum munus eſt continenter preces ad Deum profundere? *Si laicus & quicumque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio conjugali; Sacerdoti, cui ſemper pro populo offerenda ſunt Sacrificia, ſemper orandum eſt.*

IV. Hæc nonnullis negotium exhibebant carpebantque Hieronymum ita ſentientem; ſed vir doctiſſimus Apologiam texuit, & ſententiam ſuam propugnavit. L. 1. adv. Jovin. Nam quum ea conjugum conſociatio precibus obſit, ex Paulo, multò magis Euchariſtiæ impedimento erit: *An idcirco arguor quod de meo auſus ſum adjicere, quale illud bonum eſt quod Corpus Chriſti accipere non permittit? Ad hoc breviter reſpondebo, quid eſt majus, orare; an Corpus Chriſti accipere? Utique accipere Corpus Chriſti. Si per coitum impeditur quod minus eſt, multò magis quod majus eſt.* Addit ſe optimè noſſe Romæ quotidie ſacras illas epulas exhiberi; fatetur tamen ſe aſſequi non poſſe qui id liceat quibus diebus conjuges à re uxoria non abſtinent, maximè quum religioni habeant ad Martyrum Ædes adire: *Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti Corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo. Unuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundat. Sed ipſorum conſcientiam convenio, qui eodem die poſt coitum communicant, & juxta Perſium, noctem flumine purgant, quare ad Martyres ire non audent? quare non ingrediuntur Eccleſias? An alius in publico, alius in domo Chriſtus eſt? Quod in Eccleſia non licet, nec domi licet.*

Porrò ex his intelligimus eos qui liberis operam dabant domi Euchariſtiam recepiſſe in Urbe, non autem in Templo: quæ quidem ſibi non conſtabant; exiſtimare videlicet nefas eſſe ad Eccleſiam contendere, minimè verò Euchariſtia veſci, qua ſatius eſſe eos abſtinere Hieronymus arbitrabatur. Nec eo id fieri oportere cenſuit ut digniores efficerentur Euchariſtia, ſed ut Chriſti Convivium nuptiali thalamo præſtare intelligerent: *Non quod dilata communionis unus dies aut biduum ſanctiorem efficiat Chriſtianum, ut quod hodie non merui, cras vel perendie merear; ſed quod dum doleo me non communicaſſe Corpori Chriſti, abſtineam me pauliſper ab uxoris amplexu; ut amori conjugis amorem Chriſti præferam.*

V. Quæ Patres de ingreſſu in ſacras Ædes, de precibus, de Euchariſtia conſtituunt, in Feſtorum dierum celebratione locum ſibi vindicant; tunc enim ad Eccleſiam quiſque ſe confert, orat, & Euchariſtiæ Convivio accumbit. De Feſtis diebus loquitur Auguſtinus, nec unius vel alterius diei, ſed plurium caſtitatem commendat atque adeò præcipit: *Quoties ad Eccleſiam in qualibet Solennitate venitis, & Sacramenta Chriſti percipere volueritis, ante dies plures caſtitatem ſervate, ut cum pura conſcientia ad altare Dei poſſitis accedere.* Serm. 244. de temp. Idem ſentit Sanctus Cæſarius Arelatenſis Antiſtes: *Et licet credam quod Deo inſpirante ſupervenientibus Feſtivitatibus caſtitatem per plures dies, etiam cum propriis uxoribus cuſtodiat charitas veſtra; tamen licèt ex ſuperfluo, etiam quod vos facere credo, charitatis contemplatione commoneo, ut per totam Quadrageſimam & uſque ad finem Paſchæ, caſtitatem, Deo auxiliante, ſervantes, in illa ſacroſancta Solennitate Paſchæ, caſtitatis luce veſtiti, eleemoſynis dealbati, ad altare Domini accedentes, Corpus, & Sanguinem ejus, non ad judicium, ſed ad remedium poſſitis accipere.* Hom. 2. Sed pium illud Chriſtianorum inſtitutum tam altas ubique radices egerat, ut Sanctus Præſul vereretur ne populum, id ſuadendo, injuria laceſſeret. Celebritatum omnium princeps Paſchalis eſt, idcircò totos quadraginta dies valere jubebant Chriſtiani conjuges quævis corporis oblectamenta, ſenſuumque lenocinia. Eadem quoque de cauſa caſtitas ante Solennia cætera colebatur; immò tota Paſchali hebdomada quæ ſolenni ritu peragebatur. Nec ab aliis Eccleſiæ Patribus diſſidet Sanctus Eligius Noviodunenſis Præſul de iiſdem agens Chriſtianorum Feriis: *Si quando anniverſaria Feſtivitates & Dominici dies occurrunt, ante aliquot dies etiam à propriis uxoribus veſtris abſtinere vos convenit, ut poſſitis mundo corde, & caſto corpore ad Miſſam Domini accedere, & Corpus ejus & Sanguinem, ſine judicio damnationis, accipere.* Serm. 16.

VI. Hieronymo accedere viſus eſt Magnus Gregorius Romanus Pontifex. Rationem affert cur Romani non auderent adire Templa poſt rem uxoriam; ait enim vix fieri poſſe quin tunc perturbationum motibus perculſæ mentes afficiantur. Cæterùm niſi eæ excitarentur, mentemque loco moverent, ſed contemptis corporis voluptatibus, procreandis dumtaxat liberis opera daretur, teſtatur ſe non tantùm conjuges Eccleſia minimè prohibiturum, verùm Euchariſtiam etiam iiſdem porrecturum fuiſſe. Ejus verba in Tractatu de Jejuniis adducuntur. Narrat in Dialogis fœminam quandam cum nuru recens nupta ad Dedicationem cujuſdam Sacelli, quò advocata fuerat, ſe contuliſſe. L. 1. c. 26. n. 32. Nurus, nocte quæ Dedicationem antevertebat, cum viro, qui unà aderat, concubuit: Dial. l. 1. c. 10. mane timore perculſa hærebat, nec ſanctiſſimis cæremoniis adſtare fas ſibi eſſe putabat: ſed hominum potiùs quàm Dei religionisque rationem habens, *Plus erubeſcens vultum hominum, quàm Dei judicium metuens*, in Sacellum ingreſſa eſt; vix tamen ſacra Sebaſtiani Martyris lipſana allata ſunt, quum è veſtigio à malo Dæmone vexari cœpit.

VII. Synodus Aquiſgranenſis II. nuptias Dominico die celebrari vetuit: Can. 18. *Placita diebus Dominicis, neque nuptias, pro reverentia tantæ Solemnitatis, celebrari viſum eſt.* Quum enim concubitus eo die minimè probaretur, nuptiæ quoque ſublatæ ſunt. Herardus pariter Archiepiſcopus Turonenſis hortatur conjuges ad caſtitatem

eandem

eandem diebus quibus jejunia & Solennia coluntur : Cap. 62. *Ut diebus Feſtis jejuniorum à conjugibus ſe abſtineant*. Hiberni Canones idem fieri conſtituunt Feſtis quibuslibet diebus : Spicil. t. 9. p. 42. *In Dominica die conjugales abſtinere ſe debent : In omnibus Solemnitatibus*. Ac Ratherius Veronenſis Epiſcopus nuptias contra Canonum & Eccleſiæ præſcriptum celebratas minimè ferendas eſſe cenſuit, præſertim quòd Quadrageſimæ tempore peractæ eſſent, & Dominico die concubitus acceſſiſſet: Spicil. t. 2. p. 239. 241. *Iſte præcedit in ſcelere, quod hoc in diebus ſanctis inchoavit Quadrageſimæ, perfecit in Dominica nocte*. Quadraginta autem dierum jejunia indixit quotieſcumque Quadrageſimæ tempus, vel jejunia, vel Feſti dies ea ratione poſthabebantur : *Præſcriptos igitur, & omnes, qui in tali ſcelere, aut Quadrageſimam, aut jejunium præcipuum aliquod, aut noctem Dominicam, aut Feſtivitatem ullam præclaram ſe recognoſcunt violaſſe, mecum qui utique hactenùs dum non reſtiti, conſentiens fui, quadraginta diebus moneo pœnitentiam agere*.

VIII. Si ii quorum intererat Ratherii veſtigiis inhæſiſſent, pii hujuſmodi mores, quos reſtitui optaremus, & quorum penè memoria obliterata eſt, ſublati non fuiſſent. Eorum munus erat conjuges officii ſui admonere, eoſque hortari ut pœnam à ſe ipſi repoſcerent, ſi quando Sacra minùs caſtè coluiſſent. Monuit Sanctus Præſul Sacerdotes ut populum de his docerent : Ibid. p. 262. 264. *Quater in anno, id eſt, Natali Domini, & Cœna Domini, Paſcha, & Pentecoſte, omnes fideles ad communionem Corporis & Sanguinis Domini accedere admonete. Certis temporibus conjugatos ab uxoribus abſtinere exhortamini*. Porrò enumerantur dies quibus conjuges caſtitatem omninò ſervare debent, id eſt Adventus, viginti dies poſt Servatoris Natalitia, uſque ad octavum nempè diem Epiphaniæ, hebdomadæ Paſchæ & Pentecoſtes, dies Solennium Litaniarum, Paraſcevæ omnes ac pervigilia, maximè verò Dominici dies, tam noctu, quàm interdiu : *In Adventu Domini, niſi Feſtivitas intercedat, quatuor hebdomadibus à carne noveritis abſtinendum & coitu. In Natali Domini viginti diebus, & noctibus à coitu etiam licito omninò ceſſandum. Similiter in Octavis Paſchæ & Pentecoſtes, Litaniarum, & omnium Feſtivitatum vigiliis, ſextis etiam feriis, præcipuè autem omnibus diebus vel noctibus Dominicis*. Nec à veritate abhorret eandem extitiſſe cæterarum Eccleſiarum diſciplinam; quum Canones & Synodi congruerent. Idem de Dominico die ſanxerunt Concilium Forojulienſe ; Anno 791. cui Paulinus Patriarcha præerat : Can. 13. *Diem Dominicum inchoante noctis initio, id eſt veſpere Sabbati &c. abſtinere primum omnium ab omni peccato & ab omni opere carnali, etiam à propriis conjugibus*. Demùm Nicolaus I. Romanus Pontifex idem conſtituit ad Bulgaros ſcribens; oportere nempè Dominico die in Divinarum tantùm rerum ſtudia incumbere, valere juſſis terrenis quibuſque curis, atque ipſis cæteroqui licitis conjugii voluptatibus : Cap. 63. *Præterea conſulitis ſi liceat viro, Dominico, nocturno, vel diurno tempore cum uxore propria conjungi, vel dormire : Quibus reſpondemus, quia ſi Dominico die ab opere mundano ceſſandum eſt quantò potiùs à voluptate carnali, & ab omnimoda corporis pollutione cavendum? Præſertim quum Dominici diei nomen, quòd nihil eodem die præter quæ Domini ſunt, Chriſtianus agere debeat, liquidò manifeſtet*.

Qui ab Eccleſiæ ſocietati ſegregati non erant accedere debuerunt, ut Amalarius cenſuit, ad ſacram Synaxim ſingulis diebus Dominicis Quadrageſimæ, die Cœnæ Domini, Sabbato Sancto, & quotidie in hebdomada Paſchatis ; ſed opus erat ut accederent virtutibus exornati, eleemoſynis maximè, frequentibus precibus, & abſtinentia à re uxoria : *Eligat tempus quando ab opere conjugali abſtineat, & vitiis purget, & virtutibus exornet, eleemoſynis & orationibus inſiſtat, & ſic ad tantum Sacramentum accedat*. Spicil. t. 7. p. 174.

IX. Mitto cætera quæ in Opere de Jejuniis adducuntur ; ſed operæ pretium eſt adferre verba Auctoris geſtorum Sancti Ludovici Galliæ Regis, qui conjugio abſtinebat pluribus diebus antequam accederet ad Euchariſtiam, necnon poſtquam ad illam acceſſerat : Par. 2. c. 24. Du Cheſne t. 5. p. 448. *Inſuper in Solennitatibus in quibus communicare debebat, pluribus diebus ante communionem & pluribus poſt, ob reverentiam ſacri Myſterii continebat*. Neque prætermittendus eſt Canon Concilii Salingeſtadienſis, Can. 3. Anno 1022. quo nuptiis interdictum eſt ab Adventu ad octavum Epiphaniæ diem, & à Septuageſima ad octavum pariter diem Paſchæ, diebus quatuordecim ante Natalitia Sancti Joannis Baptiſtæ, qui Quadrageſima quædam inferioris ordinis videbantur, tandem omnibus jejuniorum diebus, noctibuſque Solennia quævis antevertentibus : *Sive in omnium Solennium dierum præcedentibus noctibus*. Hujuſmodi interdictum argumento eſt caſtitatem diebus illis colendam fuiſſe.

X. Sanctus Petrus Damiani de hujuſmodi Canone agit in Tractatu, *de Tempore celebrandi nuptias*. Eos vehementer exagitat qui Quadrageſimæ tempore nubunt prætexentes abſtinentiam à Tom. 3. tr. 41. c. 1. concubitu : *Quadrageſimali jejunio matrimonium contrahunt ; ſed ut Canonum ſententiam ſubterfugiant, uxore ducta & celebratis nuptiis, ſolum concubitum defuiſſe contendunt*. Non tantùm liberis operam dare minimè tunc decere ait, ſed nuptias maximè tunc vetitas eſſe contendit : *Nam quum Canonum decernat auctoritas, ut &c.* Canonem verò Salingeſtadienſem tum affert. Dignum quod adnotetur eſt, ex Petro Canones indicere quidem quadraginta dierum afflictationes conjugibus minùs caſtè dies præſtitutos colentibus ; Ibid. c. 2. ſed præterea conjugia dirimere vetito tempore inita : *Sed ecce Canonica decernit auctoritas, ut quiſquis eo tempore cum conjuge labitur, quadraginta dumtaxat dierum pœnitentia reformetur. Quo igitur pacto in ſolo concubitu conſiſtere nuptias dicitis, & utrumque idem eſſe contra totius ſacri eloquii ſententiam judicatis? Quum videlicet cenſura Canonica nuptias illicitis temporibus inſtitutas, remoto omni ſcrupulo dividat ; concubitum verò ſola parvæ pœnitudinis animadverſione percellat?* Id fortaſſè ex eo oriebatur quòd minùs temperantiæ & religioni illi adverſaretur quandoque cum conjuge concumbere, quàm nuptiæ quæ ad conſtituendum novum contrariumque vitæ genus celebrabantur. Cæterùm Petri verba confirmant plurimi feciſſe veteres ſanctiorem illam diſciplinam, quæ ſtatis diebus, ne à Deo abſtraherentur, repudium remittebat iis quæ ad effœminandos animos pertinent.

XI. Quæſtionem eandem attigit Gratianus Pa- 33. q. 4. tres & Concilia ſequutus, Affert locum Auctoris Quæſtionum in vetus & novum Teſtamen- Q. 127. tum Sancto Auguſtino quandoque adſcriptarum, quæque vetuſto admodum Scriptori adjudicandæ ſunt. Contendit Auctor conjuges ſtatis temporibus abſtinere oportere ab re uxoria, quum vel ea quæ licent aliquando reſpuenda ſint, ut Deum faciliùs exoremus : *Chriſtiano cum uxore ſua convenire aliquando licet, aliquando non licet. Propter dies enim proceſſionis aliquando non licet convenire ; quia etiam à licitis abſtinendum eſt, ut faciliùs impetrari poſſit quod poſtulatur*. Unde

Apo-

Apoſtolus ex conſenſu ait abſtinendum ad tempus, ut vacetur orationi.

XII. Negat igitur hic Auctor, quicumque ille ſit, licere ſemper liberis operam dare, quanquam cum Paulo fatetur nil ſine communi conjugum conſenſione faciendum eſſe. Perdifficilis quæſtio eſt, maximè ſi pœnas Canonibus conſtitutas in memoriam revocemus, & Apoſtoli verba conjugum voluntatem deſiderantia, quæ ita Auguſtinus interpretatur: *Apoſtolus nec ad tempus ut vacetur orationi, niſi ex conſenſu, voluit conjuges carnali invicem fraudare debito.* Fateor magnum hæc mihi negotium exhibere; nam quamvis plura dici poſſint, vix quicquam afferatur quod omninò probandum ſit. Videtur quidem Paulus de privato pietatis ſtudio conjugum, quorum uterque libens ac volens precibus vacare cupiat, agere; Canones verò de publicis ſtatiſque Feſtorum dierum Celebritatibus. Verùm Patres ac Pontifices Maximi Solennium cultum commendantes eadem Pauli verba uſurpant. Parvi autem refert Paſchalem Synaxim proferri poſſe, ſi fortè die Paſchatis, mutuo conſilio, conjuges concubitu minimè abſtinuiſſent; non enim propter unum Euchariſtiæ Convivium caſtitatem illam poſtulant Canones, ſed propter Solennia quoque, & jejunia ritè colenda. Itaque veriſimile eſt eò Canones ſpectare ut conjuges concubitum non petant, quem petitum denegare nefas eſt. Etſi enim Eccleſia nihil antiquius habebat, quàm ut religiosè ſacra colerentur, rationem tamen habuit eorum qui adhuc imbecilles non admodum virtute præſtabant; & ne pecudum more quibuslibet etiam vetitis corporis voluptatibus ſe dederent, nil niſi communi conjugum conſilio præſtari voluit. Quòd ſi tunc alteruter cogeretur conjugi concubitum petenti morem gerere, non idcircò à Divinis Myſteriis repellendus erat. Siquidem idem dici potuit quod Magnus Gregorius ſcripſerat de illis qui procreandis tantùm liberis operam dabant. Qui verò ſponte ſua complexum poſtulabant diebus vetitis, minùs dignè ſentire videbantur de Sacrorum cultu, ac pœnas conſtitutas luere debuerunt. Nec mirum eſt prohiberi quædam, quamvis liceant, quum ideò liceant quia à flagitiis abducunt. Ita ferè Sanctus Thomas, cujus ſententiæ ſuffragari videtur Sanctus Bonaventura: *Ideò dicendum quod reddi poteſt debitum ſine culpa in illis diebus, dum tamen reddat cum diſplicentia & dolore. Peti autem non poteſt ſine culpa, & ſi aſpectus ſit ad delectationem gravis eſt culpa; ſi autem ad lubricum carnis, vel ſuam infirmitatem, cujus eſt conſcius, vel conſcientia vehementer timet, & propter hoc petit, veniale poteſt eſſe peccatum. Attamen vix contingit quod in præcipuis diebus non ſit grave peccatum.* Hæc Bonaventura; & idem anteà ſenſerat Alexander Alenſis; quapropter ita docuiſſe videntur è ſchola Theologi.

De Adult. Conjug. L. 2. c. 2.

Suppl. q. 24. art. 5. 6. 7.

I. 4 diſt. 31. art. 3. q. 2.

XIII. Plurima ſuppetunt ſanctorum conjugum exempla, quamvis unum Sancti Ludovici Regis exhibuerimus. Satis ſit memoraſſe Sanctam Heduigem lectiſſimam fœminam Poloniæ Principem. Ut enim accepimus ab ejus geſtorum Scriptore, vix ſe uterum ferre animadvertebat, quum è veſtigio à conjugio abſtinebat, quoad peperiſſet. Id Eccleſiæ votis obſequuta ſemper præſtitit poſtquam nupſit tredecim annos nata, ac cæteris primariis fœminis perſuaſit. Tandem effecit ut vir en temperantiæ genere coleret dies omnes Adventus, Quadrageſimæ, & Dominicos, Feſtoſque, Paraſcevas prætereà, pervigilia, & vocata quatuor Temporum jejunia: *Simul atque ſe concepiſſe ſentiret, à viri toro uſque ad puerperii completionem ſeſe reverenter abſtinuit. Atque hujus ſanctæ Legis & honeſtæ conſuetudinis uſum & cultum obſervandum præcepit à prima prolis ſuæ conceptu, anno ætatis decimo tertio, nec eum unquam intermiſit, donec parere deſineret. Atque hunc modum in ipſo matrimonio continenter vivendi, à ſancta Eccleſia adprobatum, quaſcumque potuit edocebat &c. Salutaribus conſiliis & exhortationibus ſuis generoſum maritum ſuum eo adduxit, ut cum ipſa ſponte ſtuderet continentiæ, ſingulis annis toto Adventu & Quadrageſima, diebus quatuor temporum, & ſextis feriis, in vigiliis Sanctorum, & feriis eorum, atque diebus Dominicis.*

Surius 15. Octob.

XIV. Quod ad Græcos pertinet, Marcus Alexandrinus Patriarcha quæſivit à Balſamone Patriarcha Antiocheno, liceatne viro, quo die cum uxore concumbit, ad Euchariſtiam accedere. Negat Balſamo Pauli verbis nixus, quibus edicit ne conjuges nuptiarum opere abſtineant, *Niſi ex conſenſu, quando ad ſacra Communionis precationem acceſſuri ſunt.* Hac de cauſa veteris Legis Sacerdos noluit Davidem veſci panibus Propoſitionis, niſi poſtquam certior factus eſt de ejus continentia pluribus diebus ſervata. Moſes quoque juſſit populum Iſraeliticum luſtrari, & ab uxoribus abſtinere antequam accederet ad Montem in quem Deus deſcenſurus erat. Idem cenſuit Timotheus Alexandriæ Antiſtes: *Timotheus dixit, non debent conjuges qui carnaliter conjuncti ſunt promereri Divinarum ſanctificationum participationem, per ipſum diem carnalis eorum complexus.* His nititur fundamentis Balſamo adjiciens Timotheum eundem exiſtimaſſe dies hujuſcemodi, Dominicos & Sabbata eſſe, præter illum quo ad Euchariſtiam quis accedit, & eum qui ſacram hanc Synaxim conſequitur: *Addimus autem quod quum ipſe magnus Timotheus interrogatus, quo die hebdomadis continentes eſſe debeant conjuges, reſponderit, Sabbato & Dominico, propterea quod magis etiam in eis ſpiritalis hoſtia Deo offeratur; ac neceſſariò debent conjuges à mutua communicatione ſeparari quo die Divinas ſanctificationes aſſumunt, non modò ante miniſtrationem ipſam, ſed etiam poſt eam.*

Jur. Orien. Par. 1. p. 167.

XV. Ad hæc queritur Balſamo novos conjuges ipſo nuptiarum die laſcivire, parvipendentes Euchariſtiam quam perceperunt, & verba Sacerdotum, qui nuptiis ex Eccleſiæ ritu benè precati ſunt. Porrò gravioribus pœnis hæc luenda arbitratur: *Et optamus corrigi quod præter præcepta Divina & inſtituta, circa ſponſæ deductionem in nuptiarum auſpices malè fit. Nam poſtquam ſacra precatione initiati ſunt, & Divinas ſanctificationes promeruerunt, ad carnalem copulam feſtinant, in nuptiarum deliciis laſcivientes, ſacræ benedictionis vim non conſiderantes, & ſanctificationum contemptionem. Conjuges ergo, quo die Divinas ſanctificationes participaturi ſunt, non ſolùm ante earum aſſumptionem, ſed & poſt eam citra excuſationem continenter ſe gerere debent: quod ſi non faciant, gravioribus ſubjicientur pœnis.*

XVI. Concilium Carthaginenſe IV. idem conſtituerat, nempè ut conjuges poſt precationes quæ in nuptiarum celebratione adhibentur, ſequenti nocte caſtitatem colant: *Sponſus & ſponſa quum benedicendi ſunt à Sacerdote, à parentibus ſuis, vel paranymphis offerantur, qui quum benedictionem acceperint, eadem nocte, pro reverentia ipſius benedictionis, in virginitate permaneant.* Quod pariter præſtare debuerunt ad Concilii præſcriptum qui recens Baptiſmo perfuſi fuerant: *Neophyti aliquando à lautioribus epulis, & ſpectaculis, vel conjugibus abſtineant.* Nuptiæ in Eccleſia celebrabantur Sacrificii tempore, ſpon-

Can. 13

Can. 86.

ſiſque

ſiſque Euchariſtia porrigebatur, ut patet ex Tertulliano: [L.2. ad uxor.] *Unde ſufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio?* Quod etiam conſtat ex Capitularibus Caroli Magni, quæ nuptiarum ritum perſequuntur: *Non fit conjugium niſi ab his qui* [L.7. c.363.] *ſuper ipſam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus cuſtoditur; uxor petatur, & legibus detetur, & ſuo tempore Sacerdotaliter, ut mos eſt, cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicatur, & à paranymphis, ut conſuetudo docet, cuſtodita & ſociata, à proximiſque congruo tempore petita, legibus detur, & ſolenniter accipiatur; & biduo vel triduo orationibus vacent, & caſtitatem cuſtodiant, ut bonæ ſoboles generentur, & Domino ſuis in actibus placeant.* Eadem verba uſurpat Herardus Turonenſis Præſul in ſuis Conſtitutionibus: *Ut Sponſus* [Cap.89.] *& Sponſa cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicantur &c. Biduo ac triduo abſtineant, & doceatur eis ut caſtitatem inter ſe cuſtodiant, certiſque temporibus nubant, ut filios non ſpurios, ſed hereditarios Deo & ſæculo generent.* Unicum continentiæ diem poſtulat Concilium Carthaginenſe IV. tres Capitularia, & Herardus. Hujuſmodi erat Gallicanæ Eccleſiæ diſciplina, quam tueri ſuarum partium eſſe exiſtimavit Sanctus Cæſarius Arelatenſis Præſul, ut habetur in ejus Actis à Cypriano Presbytero Cæſarii diſcipulo conſcriptis: [Sur. 27. Aug. c.29.] *Statuit etiam regulariter ut nubentes ob reverentiam benedictionis ante triduum conjunctionis eorum, eis in Baſilica benedictio daretur.* Narrat autem Auctor hiſtoriæ Sancti Emmerani Epiſcopi Ratisbonenſis quendam in captivitatem abductum coactum fuiſſe ad ducendam novam uxorem, quamvis ſuperſtite priore conjuge. Hic verò ut id genus conjugii, à quo abhorrebat, eluderet, mulieri perſuaſit ut triduo precibus ſimul vacarent, & optimam primùm à Deo ſobolem peterent: *Providendum nobis eſt, ſoror chariſſima, ne Gentilium* [Surius 22. Sept. c. 25.] *more Chriſtianas nuptias inchoemus. Abſtinendum nobis triduo eſt, & Dominus cum lachrymis deprecandus, ut juſtas nobis det proles. Mulier enim non propter libidinem accipienda eſt, ſed propter ſobolis procreationem.*

XVII. Relatus eſt Canon Concilii Carthaginenſis IV. à Reginone, Burchardo, ac nonnullis Pontificii Juris interpretibus in Codices Ca- [Regino l.2. c.158.] nonum. Nunquam igitur pium hoc inſtitutum ſublatum eſt. Enimverò Stephanus Poncherus Pa- [Burchar. l.9. c.5.] riſienſis Epiſcopus in Conſtitutionibus ſuis affert edictum Comitiorum Pariſienſium, Anno 1051. quo occurritur Paſtoribus Eccleſiæ quidpiam ex- [Syn. Pariſ. p. 147.] torquentium à novis conjugibus ne ad hanc continentiam triduo ſervandam cogerentur. Ejuſmodi Conſtitutio noſtra non intereſt, tantùm animadvertimus morem illum inveteraſſe. Balutius edicti ejuſdem meminit, quod vetuſtius cenſet ob Codices manu exaratos, ex quibus cognoſcitur contra Ambianenſem Antiſtitem legem illam latam fuiſſe.

CAPUT X.

De Eleemoſynis in pauperes conferendis diebus Feſtis.

I. Ex ſacris Bibliis & veteris Eccleſiæ moribus oſtenditur eleemoſynis Feſtos dies coli.

II. S. Juſtino teſte, Sacro peracto, eleemoſynæ tradebantur Antiſtiti, ut iis opitularetur indigentibus.

III. Conſtantini Cæſaris largitas.

IV. Chryſoſtomus pii hujus moris rationem affert.

V. Ab omnibus, etiam pauperibus, aliquid diebus Dominicis conferri optabat Chryſoſtomus.

VI. Dictitabat in ipſo ſacrarum Ædium limine extare aquæ fontes & pauperes; & eleemoſynis ſordes magis elui.

VII. Hortatus eſt præterea populum ut domi arculam haberet, in quam immitteret quæ paulatim ſepoſuiſſet; ut quilibet Sacerdotum munere fungeretur.

VIII. Confirmat Sanctus Cyrillus Alexandrinus Evangelii & Jeſu Chriſti verbis hujuſmodi Solennium cultum.

IX. Quicquid ſupererat dum in aula opiparè celebrabantur Convivia, præſertim diebus Feſtis, indigentibus largiebatur S. Ludovicus.

X. Id maximè Eccleſiæ diſciplinæ conſentaneum erat.

XI. Pauperibus quoque regia indumenta dono dare conſuevit; eorumque loco pecuniam erogavit, quum inſigni veſtitu non uteretur. Caroli VII. Galliæ Regis in eoſdem beneficentia.

I. PAtres & Concilia ad Feſtorum dierum cultum pertinere cenſent aliorum egeſtati beneficentia & ſumptibus proſpicere. Meminimus Eulogiarum & oblationum quæ in ſolennibus Eccleſiæ Conventibus exhibebantur. Iis Majores noſtri Clericos pauperéſque ſuſtentabant; oblatis enim muneribus opes Eccleſiæ augebantur quibus eoſdem alebat. Apoſtoli conferendum ali- [1. Cor. 16. 1.] quid in pauperes curabant ab iis qui ad ſacros Conventus confluebant, maximè diebus Dominicis, ut Paulus teſtatur: *De collectis quæ fiunt in Sanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. Per unam Sabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei benè placuerit, ut non, quum venero, tunc collectæ fiant.*

II. Quid iiſdem Chriſtianis Feriis ageretur poſt Sacrum atque Synaxim, Sanctus Juſtinus egregiè eſt perſequutus: *Solis qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in* [Apolo.] *unum locum fit Conventus &c. Commentaria Apoſtolorum leguntur &c. Precationes profundimus &c. Diſtributio communicatioque fit eorum in quibus gratiæ actæ ſunt cuique præſenti, abſentibus per Diaconos mittitur. Cæterum qui copioſiores ſunt, & volunt, pro arbitrio quiſque ſuo quod viſum eſt contribuunt; & quod ita colligitur, apud Præpoſitum deponitur; atque ille inde opitulatur pupillis & viduis, & his qui propter morbum aut aliam aliquam cauſam egent, quique in vinculis ſunt, & peregre advenientibus hoſpitibus; & ſimpliciter dicam, indigentium is omnium curator eſt.* Modus hujuſmodi in collocando beneficio adhibitus longè præſtabat. Qui enim præerant egeſtatis omnium conſcii quid facto opus eſſet optimè noverant.

III. Maxima fuit Conſtantini liberalitas, eamque meritò Euſebius idcircò commendat. Proli- [De Vita Conſt. l.4. c.22.] xior autem in pauperes, dum Paſchalia Solennia recolerentur, opes erogabat: *Simul verò ac dies illuxerat, Servatoris noſtri beneficentiam imitari ſtudens, univerſis gentibus, provinciis, ac populis largam manum porrigebat, opulentiſſima donans omnibus munera.*

IV. Cur autem Dominicis præſertim diebus hanc beneficentiam Paulus commendaverit, Chryſoſtomus ſcrutatur. Arbitratur autem, id eo potiſſimùm factum, quòd hoc natali propemodum die, mortis ac ſceleris viribus proſtratis, in libertatem vindicati fuerimus, & immortalitatem adepti: oportere igitur, ut opibus, muneribus, ac beneficiis id teſtaremur: *Quamobrem*

T. 5. Serm. 33 p. 321. & ſeqq.

brem hunc diem oblationi deputat ? Eo die deſtructus eſt infernus, extinctum maledictum, diſparuit peccatum, conciliati Deo homines, noſtrumque genus ad priſtinam, immò ad majorem rediit dignitatem; viditque Sol inopinatum & admirabile illud ſpectaculum, quod homo factus eſt immortalis. Hæc omnia volens ipſe nobis in memoriam referre, diem illum in medium attulit, illum in Advocatum aſſumens qui unicuique diceret, Cogita homo quanta & qualia bona accepiſti hoc die, quantis malis es liberatus. Si nos natalitia celebramus &c. quantò magis nobis dies iſte obſervandus, quem ſi quis natalitium totius naturæ humanæ appellet, non errabit.

V. Omnes propterea hortatur Antiſtes optimus, ut ſingulis diebus Dominicis quidpiam ſeponant, ut egentibus opitulentur. Neque enim Paulus à quibuſdam tantùm id fieri poſtulat, ſed ab unoquoque. Mendiciſſimi etiam eniti debent; vidua enim paupercula quam Evangelium laudibus effert, quæ potuit munuſcula attulit: *Statuamus hoc ut Dominico die aliquid in ſubſidium pauperum reponamus, neque legem poſteà tranſgrediamur, quantacumque urgeat neceſſitas. In una Sabbatorum unuſquiſque noſtrum; non divitibus, ait, dico ſolum, ſed & pauperibus; non liberis ſolum, ſed & ſervis; non viris ſolum, ſed & mulieribus. Nullus ab hoc miniſterio exemptus, lucrive ſit expers; ſed unuſquiſque aliquid offerat. Neque collationi huic obſtat inopia, quantumcumque enim pauper ſis, non es pauperior vidua illa quæ omnem ſubſtantiam expendit.*

VI. Rationem quoque affert cur ſtipem petant mendici pro foribus ſacrarum Ædium, videlicet ut non tam manuum quàm animorum ſordes primùm eluerentur, ne quis in ſacra Templa illotis manibus ac mente irrumperet. Sanè fontes ibidem præſto erant, ut quivis antequam ad Deum orandum ſe conferret ablui poſſet; ſed multò magis vitiorum maculæ eluendæ erant ne quis ſceleribus coinquinatus Sacris adſtaret: *Hac*

Ibid. ſer. 25. p. 369. 370.

de cauſa Majores noſtri pro foribus Eccleſiarum pauperes conſtituerunt, ut vel inhumaniſſimum & ſegniſſimum quemque aſpectus ipſe egenorum ad commiſerationem excitet &c. Hac de cauſa pro foribus noſtris ſtant, ipſo adſpectu magis quàm ullis verbis poſſint, ad beneficentiam provocantes eos qui introgrediuntur. Quemadmodum enim ſolenne eſt ut fontes præſto ſint ante Oratoria, ut adoraturi Deum manus priùs lotas inter precandum attollant; ita pauperes fontium vice ante fores collocaverunt Majores noſtri, ut non aliter quàm manus abluimus aqua, priùs per beneficentiam abſterſa anima, tum demum preces noſtras offeramus. Non enim tam apta eſt aqua ad abluendas corporis maculas, quam eleemoſyna ad abluendas ſordes animæ. Quemadmodum igitur non audes illotis manibus ad precandum intrare, quamvis levius ſit hoc crimen; ita nec abſque eleemoſyna ad precandum unquam accedas. Quum verò magna ſit vis conſuetudinis, operæ pretium eſſe ait ut Chriſtianus populus aſſueſcat liberalitate in pauperes uti, dum preces profundit; hoc enim illæ pabulo aluntur, & iſtiuſmodi oleum lumini huic inſtillemus neceſſe eſt, ne paulatim reſtinguatur: *Si te aſſueſeceris nunquam ſacra hæc veſtibula ſine eleemoſyna intrare, nunquam ab hoc opere bono abſtinebis; tantum valet conſuetudo. Ignis eſt precatio; ſed ignis iſte opus habet oleo, ut ad ipſa Cæli convexa perveniat. Cæterum, oleo quo ignis iſte fovetur, non aliud eſt quàm eleemoſyna.*

VII. Huc accedit ex eodem Chryſoſtomo, diebus Dominicis ſacrum Euchariſtiæ epulum celebrari, quo tum pietas erga Deum, tum hominum dilectio atque miſericordia excitatur: *Cum his autem venerandis atque immortalibus communicare myſteriis magnam affert & immittit animi alacritatem.* Ut verò Paulo auſcultemus, minimè neceſſe eſt pecuniam egentibus porrigere, vel ad Eccleſiam deferre quotieſcumque ſolennes cœtus coguntur; erubeſceret enim nonnemo dum parum conferret: paranda eſt igitur domi arcula, in qua exiguum aliquid ſæpiùs recondi poterit, ut Eccleſiæ poſteà tradatur. Ea ratione domus Templum quoddam efficitur ubi charitatis & beneficentiæ theſaurus ſervatur, ac unuſquiſque Sacerdotum munus obit, quorum maximè eſt pauperibus opitulari: *Unuſquiſque apud ſe ſeponat recondens. Non dixit, ferat in Eccleſiam, ne propter paucitatem erubeſcant; ſed quum quæ paulatim fiunt collectionibus auxeris collationem, quum acceſſere tunc oſtendat. Interim autem, inquit, apud te ſepone, & domum tuam fac Eccleſiam, arculam, gazophylacium: eſto cuſtos ſacræ pecuniæ, à te ipſo ordinatus diſpenſator pauperum. Benignitas, & humanitas hoc tibi dat Sacerdotium.*

VIII. Præclarè admodum Sanctus Cyrillus interpretatus eſt ea Evangelii verba, quibus habetur Servatorem noſtrum Judæ proditori dixiſſe ut feſtinaret, Apoſtolos verò quoſdam credidiſſe Chriſtum loquutum eſſe de Paſchate celebrando, vel de pecunia pauperibus exhibenda, quum Judas ſacri illius Collegii quæſtorem ageret: *Quidam putabant quia loculos habebat, quod dixiſſet ei Jeſus, Eme ea quæ nobis opus ſunt ad diem Feſtum, aut egenis ut aliquid daret.* Adnotat ſiquidem Cyrillus Apoſtolorum ſententiam & morem hunc fuiſſe Feſtis diebus, quibus, ut hilariter ad præſcriptum Chriſtianæ Religionis atque charitatis agitentur, pauperibus quoque conſulendum eſt, ne rerum omnium inopia laborantes, communis lætitiæ expertes ſint: *Oportere quippe arbitror, ut qui purè & juxta Dei placitum Feſtum diem agere volunt, non ſolum lætitiæ ſuæ rationem habeant, neque provideant quomodo ſoli ipſi cum hilaritate eum peragant, ſed ad curam ſuam miſericordiam in egenos adjungant. Tunc enim aliorum erga alios dilectionis legem implentes, Feſtum revera ſpiritale Servatori Chriſto peragemus &c. Ordinem igitur & formulam Feſtis diebus convenientem violat qui ſuæ curæ pauperum curam non admiſcet. Illa enim conjunctio verè Feſtivitas perfecta eſt.*

In epiſt. 1 ad Cor. ho. 43.

IX. Nonnulla quæ diximus de hujuſmodi largitate in Opere de Jejunio huc quoque ſpectant; indicta ſunt enim jejunia propter Solennia. Quòd ſi Chriſtianus populus ut ſe ad Celebritates peragendas pararet jejunium colebat, proſpiciebatque egentium inopiæ, quantò magis idem præſtitiſſe dicendus eſt dum Solennia ipſa celebraret? Meminimus beneficentiæ Sancti Ludovici Regis in pauperes tempore Adventus & Quadrageſimæ, ut honore proſequeretur Chriſti Natalitia, & Paſchalia Solennia. Hoc unum dixerim, cum priores Galliæ Reges liberalitate antecelluiſſe atque magnificentia, maximè dum Regni Comitia haberentur, & procerum conventus; ſed egeſtatem inopum miſeratus, quicquid celebratis opiparè conviviis ſupererat, in pauperes conſerri voluit: *Nihilominus tamen in Solennitatibus regiis, & tam in quotidianis ſumptibus domus ſuæ, quàm in Parlamentis & Congregationibus militum & Baronum, ſicut decebat regiam dignitatem, liberaliter & largiter ſe habebat, & ſerviebatur in domo ſua multum curialiter ac decenter, pluſquam in prædeceſſorum ſuorum Regum Curiis. Volebat inſuper quod reliquia ciborum de menſis domus regiæ ſolicitè & fideliter ſervarentur, ita quod non licebat alicui extra domum aliquid de dictis reliquiis exportare,*

Spicil. 1. 7. p. 318.

Du Cheſne t. 5. p. 422. 447. 454. 455.

niſi

niſi de licentia eleemoſynarii ſpecialis. Unde pauperes exinde magnum commodum reportabant.

X. Hæc Feſtis diebus gerebantur, ſplendidiſſima autem exhibebantur Convivia, ut tantum Principem decebat, ejuſque aulam plenam dignitatis; at non tam optimatum quàm pauperum ab eo ratio babebatur. Ita in Eccleſiæ primordiis locupletes ſimul ac inopes accumbebant, & in optimè conſtitutis Monachorum Cœnobiis epulæ quæ ſuperſunt, continuò pauperibus præbentur. In plurimis quoque Eccleſiis panis ac vinum largiùs Clericis obtigit, ut conſimili beneficentia & liberalitate pauperibus opem ferrent.

XI. Quoniam autem veſtitu quoque inſigni utebatur tunc Sanctus Ludovicus, idem de eo atque de epulis, Rex in pauperes propenſus, conſtituit. Poſtquam verò mare tranſmiſit in Palæſtinam contendens, à ſplendidioribus veſtibus abhorruit, eorumque loco pecuniam indigentibus porrigebat: *Inſtituit quod ad recompenſationem eleemoſynarii ſui quolibet anno haberent ſexaginta libras paratas ad dandum pro Deo, ultra id quod habere ſolebant.* Nil pauperum egeſtati magis proficuum eſſe poteſt, quàm alimenta & veſtes illis præberi, quod etiam Caroli VII. Regis ætate factum eſt. Fuit enim Carolus, ut liquet ex Alano Charterio, in eoſdem prolixior, & quocumque ſe conferret artifices aderant, ut veſtes calceique pauperibus omnibus tribuerentur.

CAPUT XI.

Carceres diebus maximarum Celebritatum recludebantur, quique in iis detinebantur priſtinæ libertati reſtitui ſolebant.

I. Narrat Chryſoſtomus Theodoſium Imperatorem, miſſa ad Civitates omnes epiſtola, juſſiſſe ut in Paſchali Solemnitate carceres recluderentur, & criminum memoria obliteraretur.

II. Lege quoque idem fieri quotannis conſtituit.

III. Non omnes tamen priſtina libertati reſtituebantur.

IV. Theodoſius morem gerebat Eccleſiæ quæ tunc Pœnitentibus favebat.

V. Capitularia Caroli Magni & Principum qui conſequuti ſunt, idem fieri conſtituunt dum tres maxima Celebritates agebantur.

VI. Hujuſmodi mores Sæculo XIV. nondum aboliti.

VII. Idem in magna Britannia inſtitutum.

VIII. Quid de his ſtatuat Concilium Aurelianenſe V.

IX. Operis hujus finis.

I. EGimus de his in Tractatu de Jejuniis; ſed iterùm nonnulla adnotanda ſunt, quum ad Feſtorum dierum cultum pertineant.

Sanctus Joannes Chryſoſtomus, ut Antiochenis perſuaderet fore ut à Theodoſio Imperatore veniam patrati criminis conſequerentur, ad Paſchalis Celebritatis Solennitatem ſe vertit, quam ſuſpicere videbantur ii quoque qui à Chriſtiana Religione abhorrebant. Idem Theodoſius non ita pridem, miſſis quoquoverſum litteris, carceres reſerari juſſerat, & libertati reſtitui quotquot in vincula conjecti fuerant. Ad calcem verò litterarum teſtabatur ſe mortuos quoque in vitam revocare velle, ſi id ſibi licuiſſet: *Habes, ut confidatis, præſentem Solemnitatem, quam & infideles penè omnes reverentur, & hic ipſe religioſus Princeps ſic ſuſpexit & honoravit, ut om-* T. 1, hom. 6. *nes ante ſe Reges cum pietate imperantes ſuperaverit. Talibus namque diebus cum epiſtolam ad Solennitatis honorem miſiſſet, omnes ferè carcerem habitantes dimiſit &c. Hanc Epiſtolam Civitatibus omnibus mittens ajebat, Utinam & defunctos reſuſcitare poſſem.* Flavianus Principem alloquutus hæc eidem in memoriam revocavit, votique compos effectus eſt: *Recordare priorum, quando Feſtivitate hac ſuperveniente, per totum orbem terrarum Epiſtolam miſiſti jubentem carcere detentos dimitti, & ipſis ignoſci crimina; & illis humanitatem tuam demonſtrare non ſufficientibus, per litteras dicebas, Utinam mihi liceret & defunctos revocare, & reſuſcitare.* Ibid. ho. 20. p. 256.

II. Legem prætereà Theodoſius juſſit, ex qua cognoſcimus quotannis idem præſtitiſſe. Litteræ quas Chryſoſtomus memorat, mittebantur ſingulis annis ad omnes Romani Imperii Civitates, quoad Lex lata eſt. Ea in Codicem relata ita ſe habet: *Nemo deinceps tardiores fortaſſis affatus noſtra perennitatis expectet; exequantur judices quod indulgere conſuevimus. Ubi primus dies Paſchalis extiterit, nullum teneat carcer incluſum, omnium vincula diſſolvantur.* L. 3. tit. 4. l. 3. Litteris igitur ſuffectum eſt edictum; eæ ſiquidem non ita facilè ac citò quoquoverſum mitti potuerunt; ut verò omnibus Principis mens perſpecta foret, Lege id conſtituendum curavit.

III. Quamvis autem omnes generatim complecti videatur regia ſanctio, iis tamen minimè favebat qui pravis moribus & vitiorum contagione cæteros inficere poterant; neque enim tunc ſanctitati & lætitiæ tantæ Celebritatis ſatis conſultum fuiſſet: *Sed ab his ſecernimus eos, à quibus contaminari potius gaudia lætitiamque communem, ſi dimittantur, animadvertimus.* Nam quædam ſcelera adeò deteſtabilia ſunt, & dierum Feſtorum religioni atque tranquillitati adverſantur, ut ſinenda non ſint impunè graſſari: *Quis enim ſacrilego diebus ſanctis indulgeat? Quis adultero, vel ſtupri inceſtique reo, tempore caſtitatis ignoſcat?* Denique iis minimè ignoſcebatur qui iterùm eadem flagitia patraverant; criminum enim ſæpiùs admiſſorum ſupplicia luenda erant, ne lenior agendi ratio Reipublicæ officeret, viamque ad nova rurſum ſcelera ſterneret: *Remiſſionem veniæ crimina niſi ſemel admiſſa non habebant, ne in eos liberalitatis Auguſtæ referatur humanitas qui impunitatem veteris admiſſi, non emendationi potius quàm conſuetudini deputaverint.*

IV. Porrò Eccleſiæ clementiam æmulabantur Chriſtiani Principes: hæc enim Pœnitentibus ſacris ritibus expiatis, Paſchæ die Euchariſtiam porrigebat. Teſtantur id Monachi Eutychiani in Comitiis Epheſinis conqueſti ſe expertes fuiſſe Corporis Jeſu Chriſti in ejus Natalitiis, & Solennibus Epiphaniæ & Paſchatis diebus, rejectoſque à Flaviano Byzantino Antiſtite, tum quum Pœnitentibus Eccleſia, & nocentiſſimis hominibus Principes favent: *Supervenit & Paſſionis ſalutaris dies, & ſacra nox, & Reſurrectionis Feſtivitas, in qua quidem & plurimis peccatoribus à ſanctis Patribus noſtris damnationes ſolvuntur, verum & ab Imperatoribus criminalia reis vincula relaxantur; juſta verò lætitia omnis domus, & omne forum impletur.* Conc. Chalc. Act. 1.

V. Sed dum Galli Romano Imperio potirentur, magis Eccleſiæ obſequuti ſunt Principes, quàm Romani priores, & Byzantini Imperatores. Etenim eorum Capitularia monent Epiſcopos ut carceres reſerandos à Magiſtratibus curent, dum præcipua Eccleſiæ Solennia celebrantur, Nativitas videlicet Chriſti, Paſcha, & Pentecoſte; eoſque ſi obtemperare neglexerint, ſacris Ædibus prohibeant: *Ut Epiſcopus Judices publicos*

Cap. Caroli Magni l. 6, c. 106. *Micos commoneat, ut in diebus celeberrimis, hoc eſt Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & ſancta Reſurrectione ac Pentecoſte, quicumque miſerrimi vinculis detinentur, relaxari debeant; & propter reverentiam Domini Noſtri Jeſu Chriſti ipſi debeant abſolutionem promereri. Et Judex, ſi Paſtorem commonentem deſpexerit, quamdiu loci illius Epiſcopo viſum fuerit, ab Eccleſia liminibus arceatur.*

VI. Iidem mores Sæculo XIV. in Gallia locum ſibi adhuc vindicabant; eorum enim meminit Joannes Juvenalis Urſinus Archiepiſcopus Rhemenſis in Actis Caroli IV. Regis, Anno 1382. (Pag. 35.) Ignoſci ſibi Rhemenſes poſtulabant, ut idem ait. Quoniam autem Paſcha inſtabat, dimiſſi ſunt qui carceribus detinebantur, & quemadmodum Pariſiis uſuvenit, ſontes libertatem nacti ſunt, aliis indictis levioribus mulctis.

VII. Nec diſcrepare viſi ſunt Britanni, eadem ferè ratione tres illas principes Celebritates colentes. Adnotavit enim Matthæus Paris Sanctum Thomam Cantuarienſem Antiſtitem, præclarumque Martyrem, necatum fuiſſe diebus Nativitatis Jeſu Chriſti, quibus ne in homicidas quidem, vel Majeſtatis damnatos animadvertitur: *Non in quolibet tempore, ſed in diebus Nataliciis, in quibus homicida, & rei læſa Majeſtatis habent pacem, & gaudium.*

VIII. Concilium Aurelianenſe V. Ann. 549. agit de aliis Chriſtianæ pietatis officiis in vinctos. (Can. 20.) Statuit enim eos permanenter inviſendos eſſe ſingulis diebus Dominicis ab Archidiaconis; ac prætereà Epiſcoporum partes eſſe alicui ad hæc idoneo mandare, ut iiſdem conſulat Eccleſiæ opibus, maximè in iis quæ ad victum pertinent: *Qui pro quibuſcumque culpis in carceribus detinentur, ab Archidiacono, ſeu Præpoſito Eccleſiæ, ſingulis diebus Dominicis requirantur, ut neceſſitas vinctorum ſecundum præceptum Divinum miſericorditer ſublevetur, atque à Pontifice inſtituta fideli & diligenti perſona, quæ neceſſaria provideat, competens eis victus de domo Eccleſiæ tribuatur.*

IX. Supremam manum Operi huic imponam eadem monendo quæ in primo limine attigi; eſſe nempè omnem Sanctorum virorum vitam perennem Solennitatem, quæ agitur, ageturque jugiter in ampliſſimo Mundi totius Templo, ubi præſens Deus colitur. Id Patres nos identidem docent. Si qui verò ſunt qui hæc præ ingenii tarditate, vel ob mentem vitiis excœcatam, non aſſequantur, noverint Ethnicis quoque idem exploratè cognitum fuiſſe. Celeberrimus enim Diogenes, ut Plutarchus memorat, quendam irriſit qui ſe ad peragendam magnam Celebritatem parabat, ac ſi viris probis non quilibet dies Feſtus eſſet, & hæc rerum univerſitas Templum, in quo Divinum Numen continenter & ubique colant: *Perquàm mihi placet illud Diogenis dictum, qui hoſpitem Lacedæmone videns parare ſe magno ſtudio ad quandam Feſtivitatem, Quid? ajebat, Annon vir probus quemvis diem Feſtum cenſet, & quidem ſi ſobriè vivimus, admodum illuſtrem? Eſt enim ſanctiſſimum Templum ac diviniſſimum, hic mundus. In hunc inducitur homo quum naſcitur.* (Plut. de Tranquill. animæ.)

F I N I S.

613591

Digitized by Google

611391

Digitized by Google

Digitized by Google